PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CIII.

S. BENEDICTUS ABBAS, SEDULIUS SCOTUS.

TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1851

C 5501



1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., L.L.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

7381
4/156
1-53

SÆCULUM IX.

S. BENEDICTI

ABBATIS ANIANENSIS

OPERA OMNIA

JUXTA MEMORATISSIMAS HOLSTENII ET HUGONIS-MENARDI EDITIONES ACCURATISSIME DIGESTA.

ACCEDUNT

SEDULII JUNIORIS

NATIONE SCOTI

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT UNIVERSA,

EX BIBLIOTHECIS PATRUM ET MAII COLLECTIONIBUS HAUSTA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1851

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CIII CONTINENTUR.

SEDULIUS SCOTUS.

Collectanea in omnes B. Pauli Epistolas. *Col.* 9
Explanatiuncula de breviariorum et capitulorum canonumque differentia. 271
Liber de rectoribus Christianis. 291
Explanationes in præfationes sancti Hieronymi ad Evangelia. 331

SANCTUS BENEDICTUS ANIANENSIS ABBAS,

Codex regularum. 423
Concordia regularum. 701
Epistolæ. 1379
Opuscula. 1381
Chartæ Anianenses. 1419

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

SEDULIUS SCOTUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

Sedulius junior, natione Scotus, dubium an is qui an. 721 concilio Romano subscripsit, an alius, quem Hepidamnus monachus Sangallensis in Chronico ad an. 818 clarum fuisse narrat. Incertum etiam episcopus an presbyter fuerit. Ejus habemus :

1. *Collectaneum sive Explanationem in Epistolas Pauli*, in qua Gregorius Magnus, quamvis supresso nomine, citatur. Prodiit Basileæ apud Henricum Petri 1528 et 1534, in-8°, nec non in Bibliothecis Patrum.

2. *Collectanea in Matthæum* sub nomine Sedulii Scoti citat Sirmondus ad Sidonii Apollinaris Epist. IX, 4, in quibus, Labbeo teste, Gregorius, Isidorus, Beda et ipse quoque Sedulius senior allegatur.

3. *Commentarii in artem Eutychii*, teste Usserio in Bibl. Thuanea fuerunt. Sic quoque Sedulio *Commentarii in primam* alii *secundam artem Donati et in majus volumen Prisciani* tribuuntur.

4. Opus *de Regimine principum* habuit Goldastus, teste Labbeo. Sedulius de *rectoribus Christianis et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda*, Lipsiæ 1619, in-8°, editus memoratur a Fabricio nostro. Freherus ad Petrum de Andlo de Imperio Romano, II, 16, scribit se an. 1612 hunc librum ἀνέκδοτον ad prelum parare. Ex ejus libello *de Christianis rectoribus*, c. 8, octo disticha adducit Nicolaus Cusanus de Concordantia catholica, præfat. libri III in volumine Sichardii de Jurisdictione imperiali, p. 356.

Vide Usserium, Antiq. Eccles. Britannic., c. 16, et Oudinum tomo II, p. 26.

Psalterium Græcum Sedulii cujusdam Scoti manu scriptum recenset Bern. de Montfaucon, Palæogr. Græc. III, 7, p. 236.

SEDULII SCOTI
COLLECTANEA IN OMNES B. PAULI EPISTOLAS.

(Bibl. vet. Patr., tom. VI.)

I.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus. Sciendum est quod in procemio septiformis divisio elucescit. Primo namque de seipso loquitur. Secundo, evangelium Dei non parva laude extollit. Tertio, mediatorem Dei et hominum, secundum utramque divinitatis et humanitatis substantiam, magnis laudum prædicat præconiis. Quarto, apostolici gregis electionem demonstrat. Quinto, generalem gentium ad fidem Christi vocationem declarat. Sexto, specialem Romanorum vocationem ostendit. Septimo loco, gratiam et pacem, quæ sunt dona septiformis Spiritus, Romanæ Ecclesiæ a Deo Patre, et Domino Jesu Christo præstari desiderabiliter exoptat. Hac divisione præmissa, nunc ad singulas ipsius procemii particularitates enucleandas veniamus. Prima itaque nobis quæstio de nomine ipsius Pauli videtur exsurgere : Cur is qui Saulus dictus est in Actibus apostolorum, nunc Paulus dicatur. Invenimus in Scripturis divinis, quorumdam veterum immutata vocabula : ut ex Abram, vocatus Abraham; ex Sarai, Sara; et ex Jacob, Israel In Evangeliis quoque ex Simone, Petrus; et filii Zebedæi, filii tonitrui nuncupati sunt : sed hæc ex præcepto Dei facta legimus. Nusquam vero ergo Paulum invenimus tale aliquid gestum. De qua re quibusdam visum est quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit, quod nec nos quidem usquequaque evacuandum putamus : tamen quia nulla talis in Scripturis divinis consuetudo deprehenditur, magis ex his quæ in exemplo nostris sunt, absolutionem quæramus. Invenimus igitur aliquantos binis, alios autem ternis usos esse nominibus, ut Salomonem, eumdem Idida; Sedechiam, eumdemque Joachim; Osiam, eumdem et Azariam, aliosque plu-

rimos binis nominibus vocatos. Sed nec Evangelia hunc morem renuunt : nam Matthæus, sicut Lucas ostendit, et Levi appellatus est. Secundum hanc ergo consuetudinem videtur nobis et Paulus duplici esse vocabulo : nam et hoc ipsum quod Scriptura dicit : *Saulus autem, qui et Paulus* (*Act.* XIII), evidenter non ei tunc primum Pauli nomen impositum ostendit, sed veteris appellationis id fuisse designat. Sed requirendum est hic, cur nomen suum in fronte Epistolæ posuerit. Ad quod respondendum est causa auctoritatis apostolicæ hoc esse factum : sicut enim reges nomen suum in principiis epistolarum ponunt, quatenus magis vereantur hi quibus ipsæ epistolæ transmittuntur, ita et Paulus apostolus, quia unus ex illis regibus fuerat de quibus Psalmographus dicit : *Dum discernit cœlestis reges super eam* (*Psal.* LXVII), suum nomen huic epistolæ, non ignobile decus, præfixit. In Epistola vero quæ ad Hebræos prætitulatur, quoniam apud Hebræorum ecclesias destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis et veritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte prælati, utilitatem excluderet lectionis. *Servus Christi Jesu.* Servum autem Christi Jesu se profitens, a lege exutum ostendit. Requiramus nunc cur servus dicatur is qui alibi scribit : *Non enim accepistis spiritum servitutis* (*Gal.* V); itemque in eum modum Salvator ait : *Jam non dico vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). Ergo id sive secundum illam humilitatem dictum putemus, quam Dominus docuit dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI); neque per hoc læditur veritas libertatis in Paulo, dixit enim : *Nam cum liber sim ab omnibus, me servum feci* (*I Cor.* IX). Servit ergo Christo, non in spiritu servitutis, sed in spiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior est servitus Christi; sive quasi imitator ejus pronuntiat, qui dixerat : *Ego sum in medio vestrum, non sicut discumbens, sed sicut ministrans* (*Luc.* XXII), *et* ejus qui *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Phil.* II). Quid est autem servum esse Christi, quam servum esse verbi Dei, sapientiæ, justitiæ, veritatis, et omnino omnium virtutum quæ in Christo sunt. Sicut autem scientia quæ nunc datur, per speculum datur, et in ænigmate, et prophetia, ita et cætera dona Spiritus sancti, ut libertas, quæ nunc sanctis præstatur, nondum plena libertas est, sed velut per speculum et in ænigmate. Et ideo sancti servos se esse dicunt, ad comparationem illius libertatis, quæ facie ad faciem tribuitur. *Christi Jesu.* Ideo utrumque, id est, Christi et Jesu, quia in utroque est Dominus. Dicendo Christi, contra Marcionem agit, qui ipsum Dominum verum corpus habere denegat; subjungendo Jesu Judæorum perfidiam redarguit, qui Jesum negant quod Deus sit. Paulus Græce scribens Græcum nomen anteponit : Matthæus autem Hebraice, Hebraica nomina prætulit, dicens : *Liber generationis Jesu Christi.*

Vocatus Apostolus. Jam præscientia divina ad hoc vocatus, ut esset apostolus. Item vocatus apostolus in benedictionibus Benjamin, et in via Damasci, sicut scriptum est : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX)? Hoc nomen, quod est *vocatus*, generale potest videri, quod pertinet ad omnes qui Christum credunt : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vocatus est Judas, at non erat electus : quia electi separari a Deo non possunt. Ἀπόστολος Græce, שׁלוּח Hebraice, missus Latine dicitur. Nam sicut ἄγγελοι Græce, Latine nuntii appellantur, ita Græce ἀπόστολοι, Latine missi vocantur : ipsos enim misit evangelizare per universum mundum.

Segregatus in evangelium Dei. Εὐαγγέλιον, bonum nuntium interpretatur, quo peccatores ad indulgentiam convocantur. Apostolus autem quo modo in Judaismo locum doctoris habebat, ut pote Pharisæus, ita a Judaismi prædicatione separatum se dicit in evangelium Dei, ut a lege dissimulans Christum prædicaret. Aliter : *Segregatus*, hoc est, a grege apostolico separatus, ut gentibus prædicaret. Sicut in Actibus apostolorum Spiritus sanctus dicit : *Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod elegi eos* (*Act.* XIII). Segregatus dicitur in evangelium Dei, sicut alibi ipse de se dicit : *Cum autem placuit Deo, qui me segregavit de utero matris meæ, ut revelaret Filium suum in me* (*Gal.* I) : ex quo intelligimus, quod justi separentur a ventre. Ergo et Paulus quidem segregatus in Evangelium dicitur, segregatus a ventre matris suæ. Causas in eo et merita quibus in hoc segregari debuerit, vidit ille quem non latet mens : prævidit enim quod abundantius quam cæteri omnes laboraturus esset in evangelio, quod in olli, et in fame, et in frigore, et in nuditate, in periculis latronum, in periculis fluminum, in periculis maris prædicaturus esset evangelium Christi. *In evangelium Dei.* Unum atque idem est dicere, et evangelium Dei, evangelium Christi, quod ipse Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus.* Et iterum dicit ad Patrem : *Omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan.* X). Ergo evangelium Patris, evangelium Filii est.

Quod ante promiserat per prophetas suos. Ut probet rectam et integram fidem, et spem esse in Christo, jam prius evangelium ejus dicit a Deo promissum, ut Isaias ait : *Consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum.* David quoque : *Dominus*, inquit, *dabit verbum evangelizantibus* (*Psal.* LXVII). Et iterum : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII). Item : *Faciat Dominus verbum brevissimum super terram.* Utrum simpliciter accipi debeat evangelium per scripturas propheticas repromissum, an discretionem alterius evangelii quod æternum dicit Joannes in Apocalypsi, quod tunc revelandum est, cum umbra transierit, et veritas venerit (*Apoc.* XIV), considerato etiam tu qui legis, cui æterno evangelio convenire videbuntur etiam illi æterni anni, de quibus Propheta dicit : *Et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI). Eique adjungi potest et ille liber vitæ, in quo sanctorum nomina scripta dicuntur; sed et illi libri qui apud Danielem, cum judicium consedisset, aperti

sunt (*Dan.* VII). Vel qui apud Ezechielem prophetam dicuntur inscripti (*Ezech.* II). Omniaque non stragmento, sed Spiritu Dei vivi scripta memorantur. *Per prophetas suos.* Hoc ad laudem evangelii pertinet : nemo enim rem vilem magnis præcursoribus nuntiat. Totus hic locus contra Manichæos facit, ubi dicit quod ante evangelium sit promissum et per prophetas Dei et in sanctis Scripturis, et quod Christus secundum carnem ex David stirpe, id est, Maria virgine sit creatus, secundum quod prædixerat Isaias : *Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII). *In Scripturis sanctis.* Hoc ad cumulum protestationis adjecit, ut majorem fiduciam credentium faceret, et legem commendaret. Sanctæ autem Scripturæ sunt, quia et vitia damnant, et sacramentum illic unius Dei continetur pro salute humana. B

De filio suo. Multi filii gratia, hic natura, cujus etiam secundum carnem nativitas dissimilis cæteris invenitur. *Qui factus est ei ex semine David.* Factus est per Spiritum sanctum *secundum carnem.* Addendo *secundum carnem* factus est, secundum Verbi utique substantiam non est factus. *Factus est.* Non dicit genitus est. Aliud enim est si dixeris, ex semine admisto sanguinem coagulare et generare, et aliud est non permixtione, sed virtute procreare. Ideo *factum* dicit non genitum, observans proprietatem, quia factus est secundum humanitatem, genitus est secundum divinitatem. *Secundum carnem.* Hic synecdoche est, nam carnem pro toto homine posuit. Sed requirendum, quare non secundum animam dixit ἀνὰ κοινὸν. Nec intelligunt ideo carnem solam nominatam esse, in eo quod dictum est : *Verbum caro factum,* quia hominem oculis, propter quos facta est illa susceptio, caro sola potuit apparere, nec semper *factum esse* ad creationem refertur : scriptum enim est : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX). Et : *Dominus factus est mihi in salutem* (*Isai.* XII). C

Qui prædestinatus est Filius Dei. Filium Dei dicens, Patrem significavit Deum, addito autem Spiritu sanctificationis, ostendit mysterium Trinitatis. Hic ergo qui incarnatus quidem latebat, sic prædestinatus est secundum Spiritum sanctificationis in virtute ministerii Filii Dei, cum surgit a mortuis, sicut scriptum est : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXIV). Omnis enim ambiguitas diffidentiæ de resurrectione ejus calcata est et compressa, quia prædestinatus est. Recte quippe Filius Dei non prædestinatus est, secundum id quod Verbum Dei est, Deus apud Deum : quid enim prædestinaretur, quod sine initio et sine termino Deus semper æternus est? Illud enim prædestinatum est quod nondum fuerat ut sicut in suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret. Lege cap. 3 in Enchiridion, ubi non solum bonos in gloriam, sed et impios Deum dicit prædestinasse ad pœnam. Destinatur ille qui est : prædestinatur is qui nondum est. Quare non dixit, *præpositus est?* Inter prædestinationem autem et propositionem hoc interest, quod prædestinatio alicujus rei multo ante in mente ejus qui destinet, quid futurum sit præfiguret : propositum autem cum vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequatur effectus. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Tanquam de alio supra diceret : quid est enim Filius Dei prædestinatus, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri, nisi ejusdem Jesu Christi, qui prædestinatus est Filius Dei? Ergo quomodo hic cum audimus, *Filius Dei in virtute Jesu Christi,* an ut Filius Dei *secundum Spiritum sanctificationis Jesu Christi,* aut Filius Dei *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi,* cum dici potuisset, visitare in virtute sua, aut secundum Spiritum sanctificationis suæ aut ex resurrectione mortuorum ejus, vel mortuorum suorum, non cogimur intelligere aliam personam, sed unam eamdemque, scilicet Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi? Ita cum audimus : *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei,* quamvis usitatius dici ad imaginem suam possit, non tamen cogimur aliam personam intelligere in Trinitate, sed ipsam unam eamdemque Trinitatem, qui est unus Deus, ad cujus imaginem factus est homo. *Secundum Spiritum sanctificationis.* Ut præ omnibus in incorruptibilitatis virtute resurgeret, et vitam resurrectionis Dei filiis aperiret : de quibus ipse dicit : *Qui filii Dei sunt, cum sint filii resurrectionis.* Sanctificationis vero Spiritus dicitur Filius, secundum hoc quod præbet omnibus sanctitatem. Ideo non dixit, ex resurrectione Jesu Christi, sed *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi,* quia resurrectio Christi generalem resurrectionem præbuit. Mortuorum Jesu Christi, non omnium resurgentium, sed ad Christum pertinentium in ipso Christo resurrectionis forma porrigitur. D

Per quem accepimus gratiam. Remissionem videlicet peccatorum in baptismo, nec non cœlestis sapientiæ, diversarumque linguarum cognitionem, gratiam nominat. Apostolus vero ad prædicationis auctoritatem comitantibus signis pertinet, quia et ipse Christus apostolus dicitur, id est, missus a Patre, quippe qui ad evangelizandum pauperibus missum se dicit. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Missos ergo apostolos dicit, ut prædicarent fidem omnibus gentibus, ut obedirent et salvarentur, ut donum Dei non jam solis Judæis, verum etiam omnibus gentibus concessum videretur, ad obediendum fidei, non legi. *Pro nomine ejus.* Hoc est, vice nominis ejus fungimur, ut ipse ait : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* VIII). Et iterum : *Qui vos recipit me recipit* (*Matth.* XV). Sive *pro nomine ejus,* id est, ad gloriam nominis ejus. *In quibus et vos vocati estis.* Quia scilicet donum Dei omnibus missum est, ut cum audiunt se inter cæteros vocatos, scirent se sub lege agere non debere. Item, *in quibus estis et vos vocati :* nam et in

vobis, id est, Romanis apostolatum accepimus. *Vocatis sanctis.* Hoc est, sanctis vocatione Dei, non merito facti.

Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo. Illud animadvertendum est, quod et in superioribus et in præsenti commate eclipses, id est, defectus necessariarum dictionum esse noscuntur. Itaque ut plena constructio constare queat, ipsa verborum series in ordinem sic disponatur : *Ego Paulus servus Christi Jesu, vocatus Apostolus,* et cætera quæ subsequuntur, postremoque subinferatur : precor vel exopto, multiplicentur *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu* Christo. Gratiam et pacem cum his dicit esse, qui recte credunt : gratia, qua a peccatis absoluti sunt : pax vero, quia ex impiis reconciliati sunt Creatori- B Bene gratiam et pacem connectit, nam vacua prima sine altera ; pax enim observat gratiam. *A Deo Patre nostro.* Deum Patrem nostrum dicit propter originem nostram, qui ab ipso creati sumus, et cujus nos filii sumus adoptione. *Et Domino Jesu Christo.* Christum autem Dominum, quia ejus sanguine redempti sumus filii Dei. Gratia dicta est ab ethymologia, gratim enim interpretatur plenitudo, quod significat charitatem, quia plenitudo legis charitas est.

Primum, quidem gratias ago Deo meo. Finita præfatione ante omnia gaudium suum testatur, ut pote gentium Apostolus, quod cum Romani regnent in mundo, subjecerunt se fidei Christianæ : nam fama fidei illorum profectus erat multorum, qui videbant principes suos factos esse Christianos. Gratias ergo C se dicit Deo suo agere duntaxat, quia adhuc illorum non erat plene. *Deo meo.* Natura Deus omnium est, merito et voluntate paucorum, ut est Deus Abraham, secundum quod hic suum nominat Deum. Prima vox incipit a gratiarum actione; agit autem Deo gratias per Christum, velut pontificem magnum : oportet enim scire eum, qui vult offerre sacrificium Deo, quod per manus pontificis debet offerre. Sed et hoc quod dixit : *Deo meo,* non est otiose accipiendum : non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, vel Isaac, vel Jacob; non enim potest Deum suum dicere is, cui venter Deus est, aut cui gloria sæculi et pompa mundana, aut potentia rerum caducarum Deus est. Quidquid unusquisque supra cætera colit, hoc illi D Deus est. Sed videamus quidem pro quo Apostolus gratias agat Deo suo. *Quoniam,* inquit, *fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Si simpliciter accipiamus, hoc videtur designare quod multis locis mundi, hoc est, terræ, eorum qui Romæ sunt fides et religio prædicetur. Si vero in hoc loco mundus designatur qui ex cœlo constat et terra omnibusque quæ in eis sunt, potest etiam illud intelligi, quod Virtutes de quibus dicitur, quia *gaudium habeant super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv), multo magis de conversatione et fide quoque Romanorum lætantur, nuntiantibus sibi angelis, qui ascendunt et descendunt ad Filium hominis, et ipsi enim A mirantur de conversatione gentium, et quod in omnem terram exivit apostolorum Christi prædicatio. Potest tamen et ita intelligi, quod fides ista quam Romani habent, ipsa eademque sit, et non alia, quæ in universo mundo annuntiatur et creditur, quæ non solum in terris, sed et in cœlis prædicatur. *Deo meo.* Blandientis affectus est, quod communem Dominum omnium, gratiæ magnitudine suum et quasi proprium senserit Deum. Observandum sane est, quia ad hoc quod dixit, *primum quidem gratias ago,* consequens erat ut diceret : Secundo. Sed prædiximus de locutionibus minus finitis, nisi forte videatur in eo reddi, cum dicit : *Nolo autem ignorare vos, fratres.*

Testis enim mihi est Deus cui servio in spiritu meo. B In spiritu meo, inquit, non in circumcisione manufacta, neque in neomeniis et sabbato, et discretione escarum, sed in spiritu meo, id est, in mente : quia enim Deus spiritus est, spiritu vel animo debet illi serviri. *In evangelio Filii ejus.* Hoc est, non in eo quod Moyses servus tradidit, sed in eo quod dilectissimus Filius docuit.

Quod sine intermissione mentionem vestri faciam in omnibus orationibus meis. Dicit Apostolus : *Semper gaudete, sine intermissione orate.* Quis autem potest ita semper orare, et sine defectu vel intermissione precibus insistere, ut nec alimentis sumendis, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare et non deficere, qui canonicis orationibus quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit. Et hoc est quod Psalmista dicebat : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* xxxiii). Aut certe omnia quæ justus secundum Deum gerit et dicit, ad orationem esse reputanda : qui enim justus est, sine intermissione quæ justa sunt agit, per hoc sine intermissione justus orabit, nec unquam ab oratione cessabit, sive justus esse desistet.

Obsecrans, si quomodo. Id est, aliqua causa, vel qualibet occasione vel ratione. Itaque voluntati ejus sicut occasio data est, ut coactus appellaret Cæsarem, sic dirigetur ex aliqua causa, Deo volente, ut impleret propositum voluntatis suæ. Denique in naufragio posito astitit Dominus, dicens : *Noli timere, sicut enim testificatus es in Hierosolymis de me, ita et Romæ.* Videamus autem quod dicit, *cui servio in spiritu meo.* Servire in spiritu, simile mihi videtur esse, imo et amplius aliquod quam adorare in spiritu ; nam adorare quis potest sine affectu, deservire vero ejus est, quem constringit affectus. Deservit ergo Apostolus Deo non corpore, nec anima, sed meliore sui parte, id est, spiritu. Hæc enim tria esse in homine designat ad Thessalonicenses scribens, cum dicit : *Ut integrum corpus nostrum, et anima, et spiritus, in die Domini nostri Jesu Christi servetur.* Et Daniel dicit : *Laudate, spiritus et animæ justorum, Dominum. Prosperum iter habeam in volun-*

tate Dei veniendi ad vos. Puto quod etiam hoc vult intelligi, quia non semper itineris prosperitas Dei voluntate perficitur. Denique et Balaam iter habuit prosperum eundi ad Balac, ut malediceret populum Israel, sed non fuit illa ex voluntate Dei prosperitas; et multi in rebus sæculi prosperis utuntur successibus, et exsultant in prosperitatibus suis, sed non est talis prosperitas ex voluntate Dei.

Desidero enim viaere vos. Quid est quod cum scriptis illos corrigat et a carnali sensu abstrahat, præsentiam suam necessariam dicit? Nisi aliter dicta ad aliud solent rapi, sicut ab hæreticis fit, ideo desiu erat videre eos, ut præsens doctrinam evangelicam, sensu quo scribit, tradat, ut magis illis proficiat, additis signis virtutum quæ magis auctoritatem dant signis. Cum autem dicit: *Ut gratiam vobis spiritualem ministrem.* Carnalem illos sensum assecutos significat, quia sub nomine Christi non illa quæ Christus docuerat fuerant assecuti, sed ea quæ fuerant Judæis tradita. *Ad confirmandos vos.* Hæc confirmatio tres personas requirit: adjuvantis Dei, ministrantis apostoli, accipientis populi. Consolari autem se dicit cum illis, si apprehendant spiritualia.

Per eam quæ invicem est fidem. Hoc est, ut per communem fidem invicem consolemur. Quod autem dicit: *Ut aliquod tradam vobis donum spirituale,* videtur indicare esse aliquid quod donum quidem sit, non tamen spirituale, ut nuptiæ, divitiæ, et fortitudo corporis, et formæ decor, regnumque terrestre: a Deo enim etiam hæc donantur. Beati sunt ergo illi quibus spiritualem gratiam tradere vult Apostolus ad confirmationem fidei, ut ultra parvuli non sint, neque circumferantur omni vento doctrinæ. Quod cum sit, Paulus et ipse consolationem capit, opus suum firmum et stabile videns, et illi consolantur, quia apostolicæ gratiæ sunt participes.

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus, Græcis ac barbaris, sapientibus ac insipientibus debitor sum. Itaque quod in me promptum est, et vobis qui Romæ estis evangelizare. Est quidem hyperbaton in hoc loco, est et locutionis defectio. Si hyperbaton, hoc modo reddere possumus: Nolo autem ignorare vos, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus, Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus, et prohibitus sum usque adhuc. Defectio vero elocutionis hoc modo adimplebitur, in eo ubi dicit: *Et in cæteris gentibus, Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus,* videtur deesse, *quibus debitor sum:* ut sit talis consuetudo [*Al.*, compositio]: Sicut fructum habeo et in cæteris, Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus, quibus debitor sum: *ita quod in me est, promptus sum etiam vobis qui Romæ estis, evangelizare, et* [Al., *sed*] *prohibitus sum.* Siquidem a Deo putetur prohibitus, ostenditur per hoc id etiam curæ Deo fuisse quo unusquisque apostolorum vel debeat ire, vel non debeat. Cur autem prohibitus est? Ideo quia Dominus sciebat imperitos adhuc Romanos, et mittebat Paulum ad alios, ut interim paratiores. *Ut aliquem fructum habeam in vobis.* Unde velut multarum divitiarum cupidus Paulus, congregat fructus ex Græcis, congregat ex barbaris, etc. Verum hos omnes fructus affert Paulus, qui tanquam palmes bonus permanet in vite vera, quæ est Christus, quem frequentius Pater purgat agricola, et ideo fructum plurimum affert, purgat eum in laboribus, in tribulationibus, in persecutionibus. Sunt enim alii palmites, qui in vite quidem permanent, fructum vero non ferunt, sed sunt aridi, qui dicuntur a Patre in ignem mitti. *Fructum* dicit, ministerii sui cœlestem mercedem. *Sicut et in cæteris gentibus.* Exemplo cæterarum gentium; promptior enim fit quis ad rem sibi traditam, si illi multos videat assentire. De Judæis autem tacuit, quia magister gentium erat. *Sicut et in cæteris gentibus:* subauditur, *habeo.* Sapientes autem illos dicit, qui mundanis rationibus eruditi, sapientes vocantur in sæculo, dum aut siderum speculatores sunt, aut mensuris, aut numeris, aut arti grammaticæ student, aut rhetoricæ, aut musicæ. Requirendum est quomodo Apostolus *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor est.* Quid enim ab ipsis acceperat unde eis debitor fieret? Arbitror diversis quidem gentibus inde effectum esse debitorem, quia omnium gentium linguis eloqui accepit gratiam Spiritus sancti. Ergo debitor omnibus illis efficitur, quorum causa accepit a Deo linguæ notitiam. Sapientibus autem efficitur debitor, per hoc quod accepit sapientiam in mysterio absconditam, quam perfectis et sapientibus loqueretur. Quo modo autem et insipientibus? In quo patientiæ gratiam et longanimitatis accepit; summæ etenim patientiæ ferre insipientium motus.

Non enim erubesco super evangelium. Hoc est, sicut quidam doctores erubescebant, qui doctrinam cœlestem adjunctis miraculis corroborare nequibant. *Virtus enim Dei est,* etc. Nulla major virtus est quam quæ, devicta morte, homini perditam reddidit vitam, quamvis incredulis infirmitas videbatur? Definiens ergo quid sit evangelium, pronuntiat. *Virtus enim Dei est,* inquit, *in salutem omni credenti.* Quod autem dixit quod virtus Dei est in salutem, videtur ostendere, quod sit aliqua virtus Dei quæ non sit ad salutem, sed ad perditionem: sicut in Psalmis legitur: *In virtute tua disperde illos;* virtus enim in dextera est qua salvamur, ut virtus in qua disperdit, sinistra dicatur.

Justitia enim Dei revelatur in eo, ex fide in fidem. Justitia Dei est, quia quod promisit, dedit. *Judæo.* Credenti quod ei promisit Deus prophetas suos. Justum Dominus probat *ex fide* Dei promittentis, *in fidem* hominis credentis. *Justitia Dei revelatur.* Qui credit veracem Deum dedisse quod promisit, hoc contra Judæos loquitur qui negant esse Christum

quem promisit. *Sicut scriptum est.* In Habacuc videlicet. *Justus ex fide,* id est, non ex operibus legis, *Vivit* (*Habac.* II), hoc est, præsentem vitam ducit, vel vitam æternam acquirit. Aliter secundum Pil. † *Justitia Dei est.* Quod justum fuerat, ut quo modo Abraham credens ex gentibus, per solam fidem justificatus est, ita cæteri fidem ejus imitantes, salvarentur. *Ex fide* Abraham : *In fidem* hominis credentis; sive *ex fide* Judæi, *in fide* gentilis : ideo autem *ex* et *in* posuit, ut tautologiæ vitium declinaret. Justitia Dei in evangelio revelatur, per id quod ad salutem nullus excipitur venire, sive Judæus, sive Græcus, sive barbarus; nam omnibus dicit Salvator : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI) : Revelatur justitia Dei, quæ obtecta prius velabatur in lege; revelatur enim in his qui ex fide Veteris Testamenti ad fidem novi Evangelii veniunt; et cum in Evangelium veniunt, ex fide legis, in fidem Christi diriguntur. Justus autem meus ex fide vivit, id est, Veteris et Novi Testamenti : nam alterum sine altero integritatem vitæ non habet. Aliter *ex fide* prædicantium, *in fidem* credentium. Sive ut Augustinus exponit, *ex fide* verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, *in fidem* rerum, qua in æternum quod nunc credimus, obtinebimus. Quare non homo vel vir ex fide vivere dixit, ideo ne reprobaret opera dum hucusque fidem et gratiam commendavit, hic vero opus ostenditur, dicens : Justus est, fide vivet; quia justum indicat, bona opera habentem.

Revelatur enim ira Dei de cœlo. Sicut in illo qui credit justitia Dei revelatur, ut supra memoravit, ita et in eo qui non credit ira Dei revelatur de cœlo. Auctoritas celsitudinis hoc loco ostenditur, sic est illud : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Sic : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacob.* I). Ita et justa vindicta, qui ira Dei appellatur, non nisi de superni judicis throno descendit. Ira Dei videtur interdum virtus ipsa quæ præest pœnarum ministris, et quæ supplicia infert peccatoribus, dici. Interdum tentationis afflictio ira Dei nominatur, sicut Job dicit : *Ira Dei in corpore meo?* Et quia spiritualia nequitiæ, adversum quæ nobis certamen est, in cœlestibus esse dicuntur, consequenter in eos qui ab his separantur ira Dei de cœlo dicitur jaculari. *In omnem impietatem.* Id est, Judæorum et gentium. Impietas, in Deum peccare est : iniquitas, in homines : in Deum ergo et in homines peccant *qui veritatem in iniquitate detinent.* Non dixit, quod non habent veritatem, sed veritatem quam sciunt, in iniquitate detinent; nam veritatem nominis Dei in injustitia indignæ materiæ detinent idolorum. *Quia quod notum est Dei.* Notitia Dei manifesta est ex fabrica mundi; ut enim Deus, qui natura invisibilis est, possit sciri, opus factum ab eo est, quod opificem visibilitate sua manifestaret, ut per certum incertum posset sciri. *Quia quod notum est Dei.* Id est, quod cognosci de Deo potest, per conjecturam creaturæ, verbi gratia, quod sit, et quod justus sit et omnipotens : ostendens esse aliquid Dei quod notum sit et aliquid ejus quod ignotum sit. Ignotum hoc Dei intelligendum est, cum ratio substantiæ ejus vel naturæ, cujus quæ sit proprietas, puto quod non solum nos homines, sed et omnem lateat creaturam. *Deus enim illis manifestavit.* Id est, manifestavit se, dum opus fecit per quod possit agnosci.

Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta perspiciuntur. Hoc est, mysteria obscura suæ virtutis. Sciendum est quod hic invisibilia quæ nominat de creaturis, spiritualia alibi dicit; ideoque addidit : *Sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas.* Virtus est qua instituit quæ non erant, quaque omnia regit; divinitas est, qua replet universa. *Non magnificaverunt.* Quia nec dignum honorem Deo dederunt. *Aut gratias egerunt.* Pro eo quod tales facti sunt, ut Deum possent agnoscere, si vellent. *Sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Per cogitationum suarum vanitatem dum formas et imagines corporeas requirunt in Deo, in semetipsis Dei imaginem perdiderunt : quos Anthropomorphitas ecclesiastici viri solent nominare. *Obcæcatum est insipiens cor eorum.* Recedentes a lumine veritatis sapientes, quasi qui invenissent quomodo invisibilis Deus per simulacrum visibile coleretur. *Stulti facti sunt.* Non intelligentes nullam similitudinem habere mortuum immortalis, et corruptibile sempiterni conditoris. Quamvis ad omnes homines quibus inest naturalis ratio, maxime tamen hæc spectant ad sapientes hujus mundi, et eos qui philosophi nominantur, quibus præcipue creaturas mundi et omnia quæ in eo facta sunt discutere disciplina est, et per hæc quæ videntur ea quæ non videntur ratione colligere. *Et mutaverunt gloriam immortalis Dei.* Hoc est, nomen et honorem Dei idolis dederunt; a vivo enim Deo recedentes, mortuis favent. Primi enim Babylonii Deum vocaverunt figmentum Belis, hominis mortui, qui principatum dicitur in eis egisse. Coluerunt et serpentem, draconem, quem occidit Daniel, homo Dei, cujus similitudinem habent. Ægyptii colebant quadrupedem, quem dicebant Apim, in similitudinem vaccæ : quod malum imitatus est Jeroboam; et volucres, quia chronica sacra habebant pagani, id est, ut aquila Jovis, graculus et cornix diceretur. Sed breviter, et omni in unum collecta definitione dicamus : Adorare alium Deum præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, impietatis crimen est.

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Isti autem vertentes se a Deo, traditi sunt diabolo. Tradere hoc est permittere, non incitare, aut immittere, ut ea quæ in desideriis conciperent, explerent in opere. Per hoc quod deserunt, traduntur in desideria cordis sui. Quali judicio erga divinitatis usi sunt venerationem, dum Dei incorruptibilis gloriam, ad fœdas et indignas deducunt hominum et animalium formas, tali etiam erga semetipsos utuntur

vice, ut rationabiles homines vivant more irrationabilium belluarum. Item Augustinus in libro de Gratia Dei, et libero Arbitrio. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Scriptum est in Proverbiis Salomonis : *Sicut impetus aquæ sic cor regis in manu Dei : quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et in Epistola Pauli ad Romanos : *Propterea tradidit illos Deus in desideria*, etc. His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua immensa misericordia, sive ad mala pro meritis eorum : judicio autem suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. Ac per hoc, quando legitis in divinis litteris a Deo seduci homines, aut obtundi, aut obturari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut juste paterentur. *In immunditia.* Quæ est in turpibus mysteriis, ut contumeliis afficiant corpora sua, dum sibi in sacramentis idolorum cauteria et bustiones infligunt, ut quasi amentes ipsi in se suorum sint vindices delictorum. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Hoc est, nomen Dei qui verus est, dederunt his qui non sunt dii, lapidibus scilicet et lignis, atque metallis. Qui simulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium ; nam mare veritas est, hoc est, vera creatura : Neptunus autem mendacium, factum ab homine, conversa veritate Dei in mendacium, quia Deus fecit mare, homo autem simulacrum Neptuni. *Et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori.* Id est, non solum dilexerunt, sed etiam servierunt. Sed quicunque alicujus creaturæ cupiditate vincitur, ipsi servit ; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. *Qui est benedictus in sæcula.* Cui si servissent, et ipsi fieri benedicti in sæcula potuissent.

Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Omnia perverterunt in Deum perversi ; neque enim ordinem naturæ servare poterant, qui naturæ dereliquerant auctorem. *Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ.* Aliam dare Satanas legem non potest, nisi ut concessa et licita in alium ordinem vertat, ut dum aliter fiunt quam concessa sunt, peccata sint. *Exarserunt.* Quia effrenata libido modum servare non novit. *Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Oportuisse non est veritus dicere Apostolus, ut qui creaturæ potius quam Creatori servierunt, *erroris sui mercedem*, non inviti hæc turpia patiendo, sed libenter faciendo, *receperunt :* judicio scilicet non alicujus hominis immundissimi quem talia delectarent, sed justissimi Dei qui tradidit illos in passiones ignominiæ, ut crimina crimnibus vindicarentur, et supplicia peccantium non sint tormenta, sed incrementa vitiorum. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia.* Non nescierunt, sed minime probaverunt : ille enim probat Deum habere in notitia, qui semper illum præsentem habens, peccare non audet. *Tradidit illos Deus in sensum reprobum.* Deus neminem tradit, sed relinquit, nec adjuvat eum qui peccat. *Repletos omni iniquitate et malitia.* Principales causas ostendit esse omnium vitiorum. Joannes Metropolitanus hæc dicit : *Iniquitas* est generale nomen omnis peccati ab origine ; nam quisquis de æquitate naturæ, vel mandatorum Dei labitur, iniquus dicitur : unde iniquitas dicta est, quasi inæquitas : *Malitia* vero, quasi major latio : molitur enim, vel magis vult quam necesse est. *Fornicatio* dicta est, quasi formæ necatio, per quam forma bona naturalis animæ necatur. Fornicatio autem est a legitimo conjugio foras exire. Impudicitia est peccatum publicum, et perseverans. *Avaritia* dicta est quasi ab auro respecta. Avarus dicitur, quasi avidus auri. *Invidia* est odium alienæ felicitatis. *Homicidium* est innocentis occisio. *Contentio* est, ubi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur ; ubi non tam veritas quæritur, sed intentio fatigatur. Contentiosus est qui aliquid contra conscientiam suam nititur defensare. *Dolus* est occulta malitia, blandis sermonibus adornata *Malignitas* est malitiæ opus, dicta a male agendo. *Susurrones.* Murmuratores non in faciem, sed in aurem loquentes. *Deo odibiles.* Nihil enim est tam odibile Deo quam idololatræ. *Contumeliosi* sunt, qui veloces sunt in verbis injuriæ. *Superbia* est amor alienæ excellentiæ, qui vult supergredi quod est super se. *Inventores malorum.* Quia semper superbia excogitat et invenit mala : sicut auctor superbiæ per elationem suam invenit sibi malum quod ante non fuerat. *Elatus autem* dicitur, qui se jactat super mensuram suam. Item elati sunt, qui se jactant habere quod non habent. *Parentibus non obedientes.* Veri parentes sunt qui per semen verbi generant in lucem et vitam æternam. *Insipientes. Incompositos : Inordinatos.* Qui a fonte sapientiæ recesserunt, necesse est ut inordinate ferantur. *Sine affectione.* Affectio est adimpletio charitatis. *Sine misericordia.* Quomodo enim aliorum poterunt misereri, qui sibi crudeles sunt.

Tertio invenimus ab Apostolo positum : *Tradidit illos.* Et primæ quidem traditionis causas addidit : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum magnificaverunt*, etc. *Propter quod*, inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, etc. Secundæ traditionis causam videtur præmittere, cum dicit : *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Propter hoc*, ait, *tradidit illos Deus in passiones ignominiæ :* quæ tamen secunda traditio gravioribus flagitiis videtur obnoxia : etenim *feminæ*, inquit, *eorum mutaverunt naturalem usum*, etc. Tertiæ quoque traditionis causas videtur dare, cum dicit : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*, etc. Verum distinctiones istæ causarum, non mihi videntur congruere satis ad ea quæ singulis quibusque subjecta sunt crimina. Quomodo enim turpioribus traditur flagitiis is qui creatorem deseruit, magis quam ille qui gloriam incorruptibilis Dei mutaverit in si-

militudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum? Aut quomodo supra utrumque horum, velut examini cuidam traduntur malorum, hi qui *non probaverunt Deum habere in notitia?* Magis itaque mihi videntur omnes hæ causæ quæ traditionibus singulis proferuntur, in unum coacervandæ, et rursum traditionum species in unum, ut verbi causa ita dicamus: *Quod commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis;* et, *quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium :* et, *nec probaverunt Deum habere in notitia ; propter hæc* omnia *tradidit eos Deus in desideria cordis eorum ;* et *tradidit in passiones ignominiæ*, et *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut facerent quæ non conveniunt, qui erant repleti omni iniquitate et malitia,* et cæteris quæ scripta sunt malis. In his autem tribus universas impietatis species enumerasse videtur Apostolus, vel eorum qui idola colunt, vel eorum qui creaturæ deserviunt potius quam Creatori, sive eorum, qui non probaverunt Deum habere in notitia. In quorum primo titulo promiscue pagani; in alio sapientes eorum et philosophi designantur; puta quod hoc tertio indicentur hæretici, vel creatorem Deum negantes, vel diversas blasphemias in Excelsum loquentes. Certum est autem quod siquidem tradiderit Deus vel in desideria cordis, vel in passiones ignominiæ, vel in reprobum sensum, continuo in eo qui traditur seges criminum surgat.

Qui cum justitiam Dei cognorint, non intellexerunt, hoc est, oculos habent et non vident; non enim intellexerunt tales a Deo, etsi non in præsenti, tamen in futuro esse puniendos. *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Sunt quidam qui se reos non putant, si non operentur quæ mala sunt, assentiunt autem facientibus. Assentire autem facientibus est, si cum quis possit reprehendere, taceat: ut audiens fabulas, aduletur; et ita est, ut qui fomitem præbent delictis eorum, dignum est ut pari crimine rei habeantur. Sunt item alii qui non solum faciunt mala, sed etiam consentiunt male facientibus : duplex ergo horum nequitia est; illi enim non tam mali sunt qui faciunt, et facientibus contradicunt.

CAPUT II.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. Quoniam facientem maligna et consentientem facientibus morte dignos ostendit, ne forte is qui facit et non consentit facientibus excusari se posse putaret, docet hujuscemodi inexcusabiles esse propterea, quia non consentiendo facientibus, sed magis judicando illos se in his judicat, quia hæc ipse agit quæ in illis damnat.

Scimus autem quoniam judicium Dei est secundum veritatem. Hic terrorem incutit, ut quem incuriosum illi dicunt, iste malos secundum veritatem Dei dicat judicaturum, hoc est severissime reddere secundum mensuram uniuscujusque, non parcere. Si enim tu peccator peccatorem tui similem judicas, quanto magis Deus justus te judicabit injustum? *Secundum veritatem.* Humanum enim judicium multis modis corrumpitur, amore, odio, timore, avaritia. Sæpe judicum integritas violatur, et contra justitiæ regulam interdum misericordia inclinatur. Illud est quod in hoc loco videtur ostendi quia solius Dei sit secundum veritatem judicium. Sunt enim quædam quæ committuntur opere quidem malo, animo autem non malo : ut si quis, verbi causa, homicidium non voluntate commiserit; et alia fiunt opere quidem bono, sed animo non bono : ut si quis misericordiam non pro mandato Dei, sed ut laudetur ab hominibus faciat; alia vero sunt in quibus sive in bono, sive in malo, animus cum opere concordat; et quia corda hominum nosse solius Dei est, et mentis secreta agnoscere, idcirco ipse solus est qui secundum veritatem potest habere judicium.

Existimas autem, o homo. Hoc est, nunquid tibi examen datum est vel potestas judicandi de malis et stupris, cum eadem agis, et non est qui de te ad præsens judicet? *Effugies judicium Dei.* Non utique in futuro evades. *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* Divitiæ bonitatis Dei, quibus bona pro malis dat. Patientia vero est, qua peccatores impunitos patienter converti tolerat. Longanimitas est, qua longum spatium pœnitentiæ dat. Divitias bonitatis ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, tamen his Deum producentem solem suum quotidie, et pluvias ministrantem. Sustentatio vero, vel longanimitas, ac patientia in hoc videtur differre, quod qui infirmitate magis quam proposito delinquunt, sustentari dicuntur : qui vero pertinaci mente velut insultant in delictis suis, patienter ferri dicendi sunt. Sed sicut omnia in mensura fecit Deus, et pondere et numero, ita etiam patientiæ ejus certa mensura est. *Tu autem secundum duritiam, et impœnitens cor.* Impunitatem sperans peccatorum non solum durat, inconversibilis et incontrectabilis manens, sed adhuc peccat, securus quod non sit ultio futura. Cor durum in Scripturis dici videtur, cum mens humana, velut cera a frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis divinæ non recipit. *Thesaurizas tibi iram.* Hujus verbi in Scripturis significantiam triplicem legimus : dicitur enim in Evangelio thesauros esse quosdam in terris, in quo prohibet Dominus thesaurizari; et alios thesauros in cœlo jubet fideles recondere; et hic nunc Apostolus dicit iræ thesauros. Ira autem Dei nihil aliud quam justa vindicta intelligitur. Crassitudo vero cordis est, ubi subtilis et spiritualis intelligentiæ non recipitur sensus. *Qui reddet unicuique secundum opera sua.* Sciendum quod ex Jeremia Apostolus hoc testimonium sumpserit (*Jer.* xxv). Illud quod in Ezechiele scriptum est, huic sententiæ videtur adversari; dicit enim : *Cum avertit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes iniquitates quas fecit iniquus, omnes justitiæ ejus quas fecerit non com-*

memorabuntur in lapsu ejus, quo lapsus est : sed in peccatis qui peccavit, in ipsis morietur (*Ezech.* XVIII). In quo videtur latenter hujusmodi inseruisse intellectum, ut si forte non secundum omnes iniquitates quas fecit iniquus, fecerit justus, non omnes justitiæ ejus de memoria auferantur. *His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Boni operis merces per patientiam exspectatur, quod in præsenti vita non redditur; per fidem enim ambulamus, et non per speciem : patientiam autem boni operis in illis esse certum est, qui agones et certamina perferunt. *Gloriam.* Decus formæ qua sancti fulgebunt sicut sol. *Honorem.* Filiorum Dei, quo nihil est majus, per quem etiam angelos judicabunt (*Matth.* XIII). *Incorruptionem.* Vitæ scilicet perpetuæ. Signanter autem addidit incorruptionem, propter indiscretionem sæcularis gloriæ atque honoris, qui corruptibilis est.

His autem qui ex contentione sunt. Subaudi, *erit.* In divinis Scripturis ægritudines animæ numerantur, sed unus ex cæteris languor est, et animæ quidem pessimus. Contentio animæ intelligenda est, per quam omne opus pravum geritur, per quam hæreses nascuntur, per quam schismata et omnia scandala quæ in ecclesiis fiunt : dum videlicet qui apud semetipsos prudentes sunt, et in conspectu suo sapientes, quidquid libuerit pro lege defendunt. *Diffidunt.* Hoc est, non credunt, vel non obediunt, ut Origenes ait. *Veritati.* Id est, doctrinæ evangelicæ. *Credunt autem iniquitati.* Hoc est, idololatriæ. Ipse cruciatus, qui ex prædicta conscientia animæ incutitur, *ira* appellatur; *indignatio* enim ipsius iræ tumor quidam est, et per singula quæque commotio, ut si, verbi gratia, aliquod pessimum vulnus iram ponamus, hujus autem tumor et distentio indignatio vulneris appellatur. *Tribulatio* vero, quam subsequitur *angustia*, non est similis putanda illi tribulationi, de qua dicit Apostolus : Quia *tribulatio patientiam operatur* (*Rom.* V) : illa enim talis tribulatio angustiam non habet subsequentem. *In omnem animam.* Anima pro toto homine dicitur, sicut in Genesi legimus Jacob cum septuaginta et sex animabus Ægyptum introisse. *Gloria autem*, etc. Hic contraria superioribus opponuntur : nam *gloria* contra *iram*, *honor* est contra *indignationem*, et quod supra *incorruptionem*, hic *pacem* appellat. Sciendum est quod triplex divisio in his sententiis Apostoli claret. Nam veri Christiani cum bonis operibus in primo ordine ponuntur, ubi dicit : *His qui secundum patientiam boni operis*, etc. In secundo vero loco, incredulos et impios absque bonis operibus ex utroque, sive ex Judaico, sive ex gentili populo posuit, dicens : *His autem qui ex contentione*, etc. Tertio autem loco incredulos, cum bonis tamen operibus, ex Gentibus, vel Judæis collocavit, dicens : *Gloria autem et honor et pax*, etc. Potest enim fieri ut ex his qui in lege sunt, si quis persuasione quidem communi Christo non credit, operetur tamen quod bonum est, justitiam diligat, misericordiam teneat, charitatem et continentiam servet, modestiam lenitatemque custodiat, atque omne opus bonum operetur, hic etiam si vitam non habeat æternam, qui credens soli Deo vero, non credit filio ejus Jesu Christo quem misit, tamen gloria operum ejus, et honor et pax poterit non perire. Sed et Græcus, id est, gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, iste licet alienus videatur a vita æterna, qui non crediderit Christo, et intrare non possit in regna cœlorum, qui renatus non est ex aqua et Spiritu sancto, videtur tamen quod per hæc quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, et honorem, et pacem perdere penitus non possit. Dubitari igitur non puto, quod is qui pro malo opere condemnari meruisset, idem si operatus est opus bonum, remuneratione boni operis dignus habetur. Vides enim dicentem Apostolum : Quia *omnes non stare oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum. Judæo primum et Græco.* Semper Judæum anteponit prærogativa patrum, ut aut coronetur prius, aut damnetur, qui credens propter Abraham honorificatior est, diffidens pejus tractandus est, qui donum promissum patribus refugavit. Vel Judæo primum dixit, quia prius credita sunt eis eloquia Dei; Græcum quoque subjunxit, propter sapientiam Græcis traditam. *Ira* est, non ei qui judicat, sed ei qui judicatur, dum sit reus. Irasci enim dicitur Deus, ut vindicaturus credatur. Nam Dei natura ab his passionibus immunis est, et ut non solum irasci, sed et vindicare credatur, adjecit, *et indignatio. Angustiæ* vero sunt, quibus sententia constrictus tribulabitur in pœna. *Quicunque enim sine lege peccaverunt.* Requirendum est utrum de sola Moysi lege intelligendum sit, an de lege Christi, vel etiam de quacunque humana lege, sub qua unumquemque mortalium vivere contingit, quo secundum ipsam judicari possit qui in ea peccat; an qui extra solam Moysi legem, etiamsi aliqua lege vivat, velut extra legem positus, cum peccaverit pereat. Nam ipse apostolus Paulus, cum dicit his qui sine lege erant, se tanquam sine lege esse (cum sine lege Dei non esset, sed in lege esset Christi), ostendit se in lege quidem Moysi non esse, esse tamen in lege Christi. *Per legem judicabuntur.* Utique qui in lege Christi est, per legem Christi, et qui in lege Moysi per legem Moysi judicabitur, ut pereat. Neque qui sub lege Christi est, quamvis etiam subditus legi Moysi videatur, judicari tamen secundum eam putandus est, cur non sit circumcisus, vel cur sabbatum non servet : quod et si juxta Moysi legem putandus est judicari, secundum hoc quod lex spiritualis est judicabitur. *Hi peribunt et judicabuntur.* Unum voluit intelligi, quia qui perit, per judicium Dei perit, et qui judicatur, peccator perit.

Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Ne quis forte diceret : Legem gen-

tes non habent, ad quam formam poterunt judicari? *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Certum est quod gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt facere, non pro sabbatis, vel neomeniis dicuntur, vel sacrificiis quæ in lege scripta sunt: Non enim hæc lex in cordibus gentium dicitur esse scripta; sed hoc est quod naturaliter sentire possunt, verbi gratia, ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant, ut honorent patrem et matrem, et horum similia. Fortassis et quod Deus unus Creator sit omnium, scriptum in cordibus gentium; magis tamen mihi videntur hæc, quæ in corde scripta esse dicuntur, evangelicis legibus convenire, ubi cuncta ad naturalem referuntur æquitatem: quid enim naturalibus sensibus proximius, quam ut quæ nolunt B sibi fieri homines, hæc ne faciant aliis? Legi vero Moysi concordare lex naturalis secundum spiritum, non secundum litteram potest: hæc autem lex scripta est, non atramento, sed Spiritu Dei vivi. *In cordibus.* Sciendum est autem rationalem animæ virtutem cor solere nominari. Opus legis est fides, quia quod mandat lex ultro facit, ut credat in Christum. *Testimonium ipsis reddente conscientia eorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quod ad præsentis vitæ cogitationes pertinere videtur, cum quid faciendum, vel non faciendum sit, diutina deliberatione cogitamus, et invicem se cogitationibus accusantibus, quia cogitationes nostræ erunt in die judicii ante oculos nostros, tanquam quædam historiæ cognoscendæ, sicut scriptum est: C *Arguam te, et statuam illum contra faciem tuam.* Sed notandum est quod hoc in loco schema, quod χρονικὸς dicitur, elucet, per quam speciem diversa tempora pro aliis temporibus ponuntur; nam participia præsentis temporis pro futuri temporis participiis posuit, dicens: *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, pro accusaturis ac defensuris.*

In die cum judicabit Dominus occulta hominum. Duæ cogitationes in homine se accusabunt invicem, bona et mala: bona accusat malam, quia contradixit veritati; mala rerum accusat bonam, quia non secuta est ut sensit. Rectum judicium Dei quis dubitet, ubi accusatores et defensores adhibentur, et conscientiæ testes? Sed sciendum quod non utique illæ cogitationes quæ tunc nascentur, vel accusabunt D animam, vel defendent, sed istæ quæ nunc sunt in nobis; cum enim, sive bona, sive mala cogitamus, velut in cæteris, ita in corde nostro tam bonarum quam malarum cogitationum notæ quædam et signa relinquentur, quæ in occulto nunc pectoris posita, in illa die revelari dicuntur, a nullo alio, nisi ab eo qui solus potest occulta hominum scire: quorum signorum causas non latere Deum, etiam nostra conscientia testabitur; quod judicium secundum evangelium Pauli, hoc est, quod Paulus annuntiat per Jesum Christum fiet: *Pater* enim *neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio.* Quod autem erat apostoli Pauli evangelium, hoc etiam cæterorum apostolorum, et omnium fidelium dispensatorum tanti sacramenti. Non omnes illi evangelium conscripserunt, sed tamen omnes evangelium prædicaverunt; narratores quippe dictorum, factorum, passionis resurrectionisque Christi, proprie dicti sunt evangelistæ.

Si autem tu Judæus cognominaris. Hinc convertitur ad Judæos, docens opere, non nomine tantum debere esse Judæum, eumque esse verum, cujus occulta sint bona. Notandum est quod non dixit: Si tu Judæus es; sed *Judæus cognominaris*, quia non idem est esse Judæum, et cognominari Judæum: quia vere ille est Judæus, qui in occulto circumcisus est circumcisione cordis; qui spiritu, non littera legem custodit; cujus laus non ab hominibus, sed ex Deo est. *Et requiescis in lege.* Id est, securus es in lege. *Et gloriaris in Deo.* Gloriaris te solum nosse Deum, ejusque agnoscere voluntatem. *Et probas quæ utiliora sunt.* Ita ut non solum quæ sint bona scias, verum etiam quæ sint meliora et utiliora discernas. *Confidis teipsum esse ducem cæcorum.* Quorum obscuratum est lumen in tenebris ignorantiæ. *Insipientium eruditorem.* Erudientem rudes, qui sapientiam non habent. *Magistrum infantium.* Id est, parvulorum, ætate vel sensu. *Habentem formam scientiæ.* Ad quam semper respiciens errare non possis. *Qui ergo doces alium, teipsum non doces.* Similiter et gentibus dixerat: *Qui enim alium judicas, teipsum condemnas.* Qui in lege quiescis, o Judæe, cur transgrederis legem? Qui gloriaris in Deo, quare inhonoras Deum, dum testimonium ejus quod dedit Filio suo, non recipis? Ipse enim dixit: *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Qui nosti voluntatem ejus, quare non obtemperas voluntati? *Qui probas utiliora*, quare inutilia sectaris? Dux cæcorum, quomodo viam non vides rectam? si enim videres per ipsam utique ambularis. Si lumen es aliorum, quare non abjicis opera tenebrarum? *Eruditor insipientium*, ut quid timorem Domini, qui est initium sapientiæ, reliquisti? *Magister infantium*, quomodo puer es sensu? *Qui habes formam scientiæ, et veritatis in lege*, quare nec ipse sequeris, nec alios pessimo exemplo perimis? *Et qui prædicas non furandum*, tu adventum et præsentiam Christi, qui in universo mundo effulsit, furaris. *Mœcharis.* Non est autem una mœcha; nam totum quod debet Deo anima, si alicui præter Deum reddiderit, mœchatur. *Qui negas mœchandum.* Tam grave adulterium committis, ut adulterum sensum litteræ introducas ad synagogam, et collocas eam cum legis littera quæ foris est, cum scriptum de ea legas: *Quia omnis gloria filiæ regis intrinsecus. Qui abominaris idola, sacrilegium committis.* Verum Dei templum, quod est Christus Jesus, violans; solvistis enim templum quod in tribus diebus resuscitandum est his qui credunt. Sed et qui ex lege et prophetis sermonem Christum pronuntiantem furatur, et occultat ne populus audiat, et credat, sacrilegium committit, et vere templum Dei violat; item quoque hic qui

cognominatur Judæus, et gloriatur in littera legis Moysi, prævaricator legis arguitur cum non credit Christo. Sacrilegium est quod proprie in Deum committitur, quasi sacrosancti violatio. Per istos ergo tales qui dicuntur Judæi et non sunt, nomen Dei blasphematur inter gentes, non solum pro operibus eorum pessimis, sed et propter humilem et dejectam intelligentiam quam habent in lege et prophetis : ridicula etiam in ipsis gentibus fiunt, cum legis litteram sequentes dicunt : Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contaminaveris.

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Hoc ideo dixit Isaias, quia nomen Dei blasphematur inter gentes, non solum pro operibus eorum pessimis, sed quando Judæos pro obnoxiis suis tradendos non advertebant, sed idolis suis dabant glorias, quasi qui Judæorum Deum vicissent in Judæis; et tempore apostolorum Dei nomen blasphemabatur in Christo, quia credentibus gentibus Judæi suadere nitebantur Christum non dicendum Deum, ut blasphemia gentium ab Judæis auctoribus sit profecta. *Sicut scriptum est.* Præposterato ordine ante posuit testimonium quam diceret scriptum : ita enim dicentis sermo dilapsus est, ut quod ex propria intentione dicebat, eodem sensu scriptum in propheta reperiret. Sciendum est hæc apostolum per ironiam dicere ad Judæos; neque enim vere requiescit in lege, et gloriatur in Deo, et probat utiliora hæc quæ enumerat. Possunt tamen hæc eadem hæreticis aptari; ipsi enim Christiani nominantur, et nonnulli eorum, lege instructi, doctores se esse cæcorum et magistros infantium se esse profitentur, probantes utiliora quæ latere ab ecclesiasticis dicunt. Sed isti quoniam furantur verba et intellectum eorum perversa expositione usurpant, adulterum fidei sensum ad sponsam Ecclesiam Christi in regios thalamos inducunt. Recte ad eos dicitur : *Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; et qui abominaris idola, sacrilegium committis*, pretiosa vasa de templo Dei, id est, veræ fidei margaritas de Scripturis sanctis furantes. Per quos et nomen Dei blasphematur inter gentes, dum casta et honesta Ecclesiæ Dei dogmata corruptis ac turpibus maculant hæreticæ pravitatis erroribus.

Circumcisio quidem prodest, si legem custodias. In Genesi scriptum primo de circumcisione mandatum, cum responsa darentur ad Abraham, hoc modo : *Et dixit Dominus ad Abraham : Tu autem testamentum meum servabis, et omne genus tuum post te in generationes tuas; et hoc est testamentum quod disposui inter me et vos : Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem præputii vestri, et erit in signo testamenti inter me et vos; et puer octavo die circumcidetur in vobis; omnis masculus in generationibus vestris, vernaculus et pecunia emptus, ab omnibus filiis alienigenarum, et qui non est ex semine tuo, circumcidetur : et erit testamentum meum super carnem vestram. Masculus, qui non fuerit circumcisus in carne præputii sui die octava, exterminabitur ille de genere suo, quia testamentum Dei dissipavit* (*Gen.* XVII). Non nos tamen latere debet quod in aliis exemplaribus non habemus positum, *octava die.* Item in Levitico scriptum est : *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier quæcunque susceperit semen, et pepererit masculum, immunda erit septem diebus secundum dies purgationis ejus immunda erit, et die octava circumcidetur caro præputii ejus, et triginta diebus sedebit in sanguine suo immunda.* Nec dubitari de hoc potest quod non solum semen Abrahæ et vernaculus servus domi genitus, præcepto gentis illius, et pecunia emptus ab alienigenis circumcidebatur, sed quicunque cum Judæis judaice pascha fecerat, circumcidi debebat. Hactenus nobis de circumcisione carnali pro viribus dictum sit. Age jam secundum eam quæ dicit quia lex spiritualis est, quid etiam allegoricis legibus de ea sentiendum sit videamus. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes : si autem prævaricator legis sis*, etc. Circumcisio est ex genitali membro, per quod successio humani generis et carnalis propago ministratur, amputare aliquam partem : per hoc ergo judicari figuraliter reor, amputandum esse ab anima, si qua illi ex consortio carnis adhæret impuritas, si qui eam libidinis malesuadæ sensus obtexit. Quid autem esset absurdi, si ad discretionem cæterarum gentium, populus qui sub lege Dei instituebatur, proprium aliquod gestaret insigne. Et si necessaria visa est partis alicujus amputatio, quid tam conveniens fuit, quam eam invenire quæ videbatur obscena, et illa auferre, quorum diminutio nihil ad officium corporis impediret? Quod vero quidam dicunt, quia si necessaria non erat pars illa membri, fieri a creatore non debuit : si autem necessaria facta est, non debet auferri, interrogemus eos et nos, si necessariam dicunt filiorum procreationem. Necessariam sine dubio respondebunt. Erunt ergo culpabiles, qui continentiæ et virginitatis obtentu, necessaria naturæ non ministrant, et erunt cogendi ad nuptias omnes qui secundum Evangelii leges *semetipsos castraverunt propter regnum Dei.* In summa vero dicendum est, quod sicut multa necessaria erant baptismata ante baptismum Christi; et multæ purificationes, antequam purificatio per Spiritum sanctum fieret; et multæ hostiæ, antequam una hostia, agnus immaculatus, semetipsum patri offerret hostiam Christus : ita etiam multis circumcisionibus opus fuit, usquequo una in Christo circumcisio omnibus traderetur; et multorum sanguinis effusio præcessit, usquequo per unius sanguinem omnium redemptio fieret. Quod autem octava die circumcisio dabatur, illud designari arbitror quod præsenti quidem sæculo septimana deputata est. Octavus autem dies futuri sæculi mysterium tenet; illorum ergo est circumcisio spiritualis, qui futuro sæculo militant in quo neque nubent, neque nubentur, et quorum in terris ambulantium in cœlis est conversatio. Sciendum est secundum allegoriam duo genera esse cir-

cumcisionum : cordis circumcisio est, nihil sordidum, nihil indignum sentire de fide; carnis circumcisio est, nihil immundum, nihil contaminatum in opere gestisque committere, secundum Ezechielem qui dicit: *Omnis filius alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non intrabit in sancta mea* (*Ezech.* XLIV). Jeremias ait : *Ecce circumcisæ sunt aures vestræ* (*Jerem.* VI), hoc est, ne recipiant obtrectationem. Hoc autem modo et incircumcisus labiis dicitur, qui non circumciderit blasphemiam, scurrilitatem, turpiloquium de ore suo, qui non posuerit custodiam ori suo, et ostium circumstantiæ labiis suis, qui non etiam a verbo otioso circumciderit os suum. Incircumcisus præputio carnis suæ dicitur is qui erga naturalem coitum immoderatius et intemperantius effluit. Jesus filius Nave, ex præcepto Domini filios Israel secundo circumcidisse cultris saxeis memoratur, quod utique quantum ad litteram spectat, impossibile factu videtur; semel enim circumcisus in carne præputii, quid invenire possit secundo circumcisio quod auferret? Sed hanc difficultatem melius quidam explanat dicens : Verum de circumcisione quia sermo est libet inquirere quare Moyses ipse, qui legem circumcisionis patribus a Deo datam et sibi toties inculcatam refert, toto ducatus sui tempore neminem circumcidi voluerit, præter unum solummodo filium suum Gersam, quem mater Sephora arrepta petra acutissima, ne a Domino feriretur, circumcidit? Si omnes qui in eremo nati sunt a Josue circumcidendos reliquerit, morem videlicet divinitus imperatum, quadringentis et sex annis observatum, annis quadraginta continuis intermittens, nequaquam hoc frustra, sed magno mysterio hoc factum crediderim. Moyses enim circumcisionem prædicat, sed Josue perficit. Quia *lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est*, nihilque proderit littera jubens, nisi adfuerit gratia juvans. Omnibus itaque nostris gratia Salvatoris vitiis tunc in nobis completur, quod in Jesu Nave scriptum est : *Hodie a vobis abstulit opprobrium Ægypti*. Opprobria namque Ægypti secum fert is qui in Ecclesia positus et sub Jesu duce militans, Ægyptios mores et motus animi barbaros non amputat. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*. Quæ sit circumcisio quam prodesse dicit, vel quæ lex custodiatur? Hæc, ut opinor, est circumcisio quam prodesse dicit Apostolus, si legem litteræ, cujus et circumcisionem [circumcisio est] in carne, non recipit, sed legem spiritus, secundum quam circumciditur corde. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III), quia et lex Dei non refertur atramento scripta, sed digito Dei, qui est spiritus ejus, et non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Verum potest nobis objici, quod si ista circumcisio non alia intelligitur quam animi purgatio et abjectio vitiorum, quomodo addit adhuc, ita prodesse hujusmodi circumcisionem, si legem custodias, cum hæc ipsa circumcisio, nisi ex legis observantia fieri non videatur? Sed intuere, ne forte abscindere vitia et cessare a malis circumcisionem significet : agereque quæ bona sunt et efficere quæ perfecta sunt, custodire sit legem; neque enim in eo perfectio est si cessetur a malo, sed in eo si agantur bona, juxta Psalmographum, qui ait : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Verum considera si possit hoc in loco et ille intellectus admitti, ut dicatur etiam post adventum Christi carnalis circumcisio, quæ ex lege observabatur, prodesse aliquid custodientibus legem, secundum hoc quod initio fidei nostræ adhuc a credentibus observabatur, ut in Actibus apostolorum docetur, vel Petrus in discretione ciborum, vel Paulus in sacrificiis purgationis fecisse. Sed illud attendendum est quod ad Galatas scribens, ait : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V). Quod ita est intelligendum, quod nihil prodest circumcisio his qui ex ea putant aliquid justificationis assumi, prodest autem his qui putant sibi ad Christum veniendum non esse si eis circumcidere filios vitaretur. Erant enim nonnulli in initiis qui circumcisionem velut insigne vernaculum gentis suæ nimio amore servarent, et impediri videbantur a fide, si hoc eis vitaretur quo carere non poterant. *Circumcisio quidem prodest.* Potest dici e contra : Si prodest, cur prætermittitur? Sed prodest, si legem custodias; tenenda igitur circumcisio est, et ut possit prodesse, servanda est lex. Circumcisionem pro genere posuit Abraham, quia ex Abraham circumcisio : hoc enim ait, ut doceat tunc prodesse generi Abraham, si lex servetur, id est, si in Christo credatur, qui promissus est Abrahæ : si autem quis non credit in Christum, transgressor est legis.

Si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Hoc est, gentili similis factus es, non credens in eum qui signo circumcisionis filius promissus est Abrahæ. Illud observandum est, quod cum dixisset, *circumcisio quidem prodest, si legem custodias*, non addit : Si autem non custodias, sicut consequens videatur; sed ait : *Si autem prævaricator sis legis.* In quo aliud ostendit esse non custodire legem, aliud prævaricari legem, nam et Paulus ipse non semper legem custodit, nunquam tamen prævaricator est legis. Custodit ergo legem is qui secundum litteram custodit; et is prævaricatur eam, qui spiritalem ejus non tenet sensum. *Si*, ergo inquit, *prævaricator sis legis*, non agendo quæ bona sunt, *circumcisio tua præputium facta est*, dum et hoc tibi, quod abstinere a malo visus es, opera fidei et justitiæ non agenti, ad infidelitatem reputatur. Neque enim possibile est alicui carnalem circumcisionem rursus in præputium verti, cum utique abscisa caro præputii ultra redire non possit. Dignum est ergo et evidenter intelligitur, quod continentia mali operis quæ per circumcisionem significatur, si opera fidei non habeat, ad immunditiam reputetur.

Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Justitia moralis loco est legis. Lex enim generale voca-

bulum : justitia vero legis pars est. Continet enim lex justitias, et judicia, et mandata, et justificationes, aliasque quam plurimas species. Et bene addit *legem perficiens :* ille enim qui secundum litteram vivit, custodire dicitur legem; iste autem qui secundum spiritum, perficere : custodit autem legem carnalis Judæus, perficit autem spiritualis, et qui in occulto Judæus est. *Et judicabit te, quæ ex natura est.* Credens gentilis, duce natura in Christum, condemnabit Judæum, cui lex promiserat Christum, et adventum Dei credere noluit. *Qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.* Sive dum litteræ circumcisionem sectaris, circumcisionem spiritus accipere dedignaris : sive non sequendo quod lex dixit, hoc est, ut Christo credens veram circumcisionem acciperes cordis, de qua scriptum in lege : *In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum, et seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum* (*Deut.* XXX). Et iterum : *Circumcidite vos Deo vestro* (*Deut.* X). Et Jeremias : *Circumcidite præputium cordis vestri* (*Jerem.* IV). Item Moyses ait : *Circumcidetis duritiam cordis vestri.* Circumcidere cor, sublata nebula ignorantiæ, agnoscere est auctorem. Quod autem in tali membro circumcidebantur, hæc causa est prima, ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publice videretur; item propter gratiæ promissionem, in qua erat per castitatem placendum. *Cui laus non ex hominibus.* Hoc est, qui non possunt inspicere spiritualem circumcisionem. *Quid ergo amplius Judæo ?* Videtur sermo apostolicus in dialecticam incurrisse rationem; neque hoc mirandum : nam, ut beatus Hieronymus ait, quidquid in sæculo dogmatum perversorum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, et putatur esse robustum, hoc dialectica arte subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dissolvitur, ut probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum. Est autem dialectica cognomento logica, quæ disputationibus subtilissimis ac brevibus, vera sequestrat a falsis, cujus disciplinæ veracissimis disputationibus sæpe Apostolus proponit, assumit, confirmat atque concludit, quæ species proprie artis dialecticæ atque rhetoricæ sunt. Sed dicit aliquis : Nec partes ipsæ syllogismorum, nec nomina schęmatum, nec alia hujuscemodi ullatenus inveniuntur in Apostolo. Inveniuntur plane, non efflatione verborum, sed in virtute sensuum. Sicut enim vina in vitibus, messes in semine, frondes in radicibus, nucleos contemplamur in nucibus, sic et de profundissima abysso, deliciosus piscis attingitur, qui ante captionem suam humanis oculis non apparet. Merito ergo dicimus esse, quod nihilominus in virtute sentimus.

CAPUT III.

Quid ergo amplius Judæo est ? Quantum igitur datur intelligi, in hac apostolica dissertione duæ species principaliter eminent, quæ Græce πεῦσις et ἀπόκρισις, Latine percunctatio et responsio appellantur : πεῦσις quidem in eo quod proponit, dicens : *Quid ergo Judæo amplius est, aut quæ utilitas circumcisionis ?* Dehinc tertio loco objectionem, quæ ab adversario præcedenti responsioni objici poterat, per peusin proponit, perque apocrisin mira brevitate refutat, dicens : *Absit.* Cujus brevissimæ responsionis, invincibilem confirmationem subintulit, dicens : *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Sed ut ipsa confirmatio robustissima videretur, Davidicam subjunxit sententiam, sicut scriptum est : *Ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L). Et hæc quidem quantum ad ordinem sententiarum. Apostolicæ disputationis profundius interiores medullas perscrutanti, non in prolatione verborum, sed in virtute sensuum duo principalia syllogismorum genera, cathegoricus videlicet, atque hypotheticus syllogismus, quasi duo deliciosi pisces, sponte sese mentis obtutibus offerunt. Itaque cathegoricum syllogismum hoc modo conteximus : Omnis veracis fidem nullius incredulitas evacuabit; Deus autem verax est : Dei igitur fidem nullius incredulitas evacuabit. Vel hoc modo : Absit, ut omnis veracis fidem aliquorum incredulitas evacuet; Deus autem verax est : absit itaque ut Dei fidem aliquorum incredulitas evacuet. Item hypothetici syllogismi nexilitas hoc ordine contexatur : Si Deus verax est, aliquorum incredulitas fidem Dei non evacuabit. Non est itaque dubitandum quod in apostolicis dictis, velut in profundissima abysso disputatoriæ disciplinæ, tales suavissimi pisces tranare non desinant, quos amatores sapientiæ gratissimæ mentis hamo capiunt. O mirabilis profunditas! O mellea fluenta, Hyblæo nectare dulciora! O novum saporem ex paradisiacis fontibus cœlestis Hierosolymæ terrigenis allatum! O lac parvulorum, solidum sapientium cibum, medelam ægrorum, mensamque refertam omni copia bonorum! His prægustatis, nunc ad singula exponenda recurramus

In hoc Paulus velut arbiter quidam inter Judæos residens et Græcos, id est, inter eos qui de gentibus credunt, sive de promissionibus memorat, sive de pœnis, ad utrumque populum dividit verbum. Verbi gratia, cum dicit : *His autem qui ex contentione sunt, qui diffidunt veritati; credentibus autem iniquitati, ira, et indignatio, tribulatio, et angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci.* De promissionibus vero subjungit : *Gloria autem et honor et pax, omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.* Rursus de gentibus dicere videtur : *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et iterum de circumcisis : *Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Rursus vero gentes elevans, dicit : *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hujusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus*, etc. Et ne videatur nimius esse in increpationibus Judæorum dicit : *Circumcisio prodest, si legem custodiat.* Sed iterum ne erigat eos qui nimium in circumcisione gloriantur : addidit : *Si autem prævaricator legis, circumcisio tua*

præputium facta est. Ut autem paululum eorum qui ex gentibus credunt, animos allevaret, subjungit : *Si autem præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* Atque gentes, si legem perfectius servarent, meliores effici Judæis, dicit : *Et judicabit id quod ex natura est præputium, legem perficiens, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.* Verum quoniam sciebat multas in lege et prophetis repromissiones, quæ ad Judæos fieri videntur, ne possent desperare gentes, tanquam qui nihil in conscriptis repromissionibus habeant, docet eos quod secundum mysticam rationem etiam ipsi Judæi sint, et habeant circumcisionem : ideo dicit : *Non enim qui in manifesto Judæus est,* etc. Rursum velut querelis eorum qui ex circumcisione sunt, occurrens, proponit sibi ipsi hæc quæ in præsenti capitulo continentur, dicens : *Quid ergo amplius est Judæo?* Si ergo, inquit, is qui in manifesto Judæus est, et quæ manifeste in carne est circumcisio, non reputabitur, sed qui in occulto Judæus est : et circumcisio cordis, quæ fit spiritu, ipse est vera circumcisio, dices mihi, quid amplius est in his Judæus, qui hac appellatione censentur? vel quæ in corruptibili circumcisione habetur utilitas? ac ut videatur inter utrumque populum justus arbiter residere, pronuntiat quid amplius habeat Judæus, et ea quæ in carne est circumcisio : dicit eos habere amplius multum per omnem modum. Quid autem multo sit amplius, subjungitur. *Primo igitur, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Quid hoc? nonne et gentibus nunc creduntur eloquia? Sed illis, ait, primo sunt credita. Require tamen quid est quod dicitur, primum eis credita sunt eloquia Dei, utrumne de litteris hoc dicat et libris, an de sensu intelligentiæ legis? Considerandum est quia non dixit : litteras esse creditas, sed eloquia Dei : via vobis datur intelligendi, quia his qui legunt, et non intelligunt, et non credunt, littera sola sit credita, illa de qua dicit Apostolus : *Littera occidit.* Eloquia autem illis sunt credita, qui intelligentes, et credentes his quæ Moyses scripsit, credunt, et Christo, sicut Dominus dixit : Quia *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* (*Joan.* v). An et ipsis, qui ex gentibus veniunt ad Christum, est ubi habeant aliquod amplius? Audi Dominum dicentem ad centurionem ex gentibus credentem : *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni* (*Matth.* VIII). Vide ergo ubi venitur ad fidem, quanto amplius habeant gentes? Quanquam sunt, quæ ad honorem et meritum pertinent seminis Abrahæ : hoc tamen solum aperte memorat Apostolus, quia maxime laudis eorum, est, ut legem, per quam discerent rectum a perverso distinguere, digni judicarentur accipere.

Quid enim, si quidam eorum non crediderunt, nunquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Non, inquit, quia quidam eorum credere noluerunt quæ promisit Deus filiis Abrahæ, idcirco præjudicabitur cæteris Judæis credentibus ne digni judicentur accipere quod promisit Deus. *Absit.* Quippe cum sic facta est promissio, ut credentibus proficeret. Ubi Apostolus infit, *absit*, ibi breviter commendatur veritas. *Fidem Dei.* Hoc est, fidem promissorum Abrahæ, cui dictum est : *Quia in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII). *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est.* Quia ergo omnis homo mendax, propterea Judæorum quidam, ut homines mendaces, non crediderunt. Fiat autem Deus verax. Ita enim in Græcis exemplaribus invenitur. *Omnis homo mendax.* Igitur Paulus et David, qui homines erant, mendaces fuerunt, falsumque erit quod dixerunt? Hos ergo ad quos sermo Dei fit Dominus in Evangelio non homines, sed deos pronuntiat. Quia ergo et ad David, tanquam prophetam, et ad Paulum, tanquam apostolum sermo Dei factus est, sine dubio non erant homines, sed dii. Quomodo autem dicit, *tibi soli peccavi*, cum utique et in ipsum Uriam peccavit, et in propinquos ejus, sed et in ipsam Bersabee, atque omnem domum ejus, cum intulisset maculam, videlicet adulterii? Ideo *tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, quia cæteri omnes, ut pote animales homines, me qui spiritualis sum, etiam si erravi, dijudicare non possunt, quia *spiritualis judicat omnia, ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Sed quia addit Paulus spiritualis, et dicit : *Qui autem judicat me, Dominus est*, hoc sciens et David, quia solus Dominus est, qui spiritualem dijudicat, idcirco dicit : *Tibi soli peccavi*, a quo solo possum dijudicari : Nam humana dies dijudicare non potest spiritualem. Sed quod sequitur ad hunc respicit sensum. *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris,* Judicatur namque Deus in disputationibus sapientium, dum alii hoc modo, alii alio modo, et diverse sentiunt de Deo. Ipse ergo vincit eos qui de se judicant, cum errantibus cunctis de se, quomodo vel qualiter credendus ac venerandus sit, revelat ipse sententiam. *Est enim Deus verax.* In Job hujus est exemplum : Deus itaque est verax, apud quem quod factum est immutabile perseverat, sicut dicit : *Ego sum, et non immuor :* Hominis est enim falli, quem tempora et causæ faciunt esse mutabilem, per id quod præsentiam Dei non habeat. Omnem autem hominem mendacem dicit, et verum dicit; natura enim, quæ fallitur, non absurde dicitur mendax. Aliquando itaque studio, aliquando errore mendax dicitur. *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Deum justum in promissis et verbis suis propheticus sermo testatur, nec aliquorum perfidia fidem ejus minui, sed dando vincere, quod perfidi non credentes negant eum daturum. Dabit ergo quod judicatur non daturus, ut vincat, faciendo quod negatur facturus. Aliter *tibi soli peccavi*, cogitando videlicet flagitiosum facinus perpetrare. *Tibi* itaque perverse cogitando *soli peccavi*, qui solus secretas hominum cogitationes nosti. Sequitur : *Et malum coram te feci.* Duplex facinus in opere perpetrando, adulterium scilicet atque homicidium. In quo notandum quod non ait : Et malum coram te solo feci : quippe cum illud adulterium, et homicidium, etiam coram hominibus fa-

ctum est. Hoc testimonium pars adversa ita proposuit, quasi dixerit David : Propterea ego peccavi ut tu justus appareas me judicando. Sed verus sensus sic se habet : quia promiserat se Deus sine personarum acceptione in peccantibus vindicare, quidam ejus patientiam mendacium judicabant. Cum judicatur ergo, vincit, quando eorum facta punit, in quibus nemo putaverat vindicari. *Si enim injustitia nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus?* Venientem e latere quæstionem, more suo proponit et solvit. Aliquando etiam ad cohærentem disputationem transit, et juxta morem suum, quidquid alius objicere potest, antequam objiciatur, edisserit. Quidam enim superiorem prophetiæ sententiam ita perverse interpretabantur, quasi David dixerit : Propterea ego peccavi ut tua, o Deus, justitia, dum meæ iniquitati collata fuerit, magis clarescat. Ad gloriam itaque justitiæ tuæ mea proficit injustitia. Quem sensum Apostolus arte dialectica subvertit. Injustus videbitur Deus, qui iram hominibus inferat, cum per hominum injustitiam suam [justitiam] videat approbari.

Si nostra. Hoc est hominum injustitia. *Justitiam Dei commendat.* Non utique pœna digni homines videbuntur, per quos justitia Dei probabilior videtur et clarior. Ubi mihi hypothetici syllogismi formula elucescit, ut sit ita ordinata nexilitas syllogismi : Si injustitia nostra justitiam Dei commendat, iniquus est Deus qui infert iram. Absit autem ut iniquus sit Deus qui infert iram; non igitur injustitia nostra Dei justitiam commendat, hoc est, quasi indigeret Deus nostra injustitia : non quod ipsi hoc dicerent sed quod ex illorum perversitate consequenter infertur. *Secundum hominem dico.* Ut iniquus Deus dicatur, non secundum Deum neque secundum Dei sapientiam illud dicitur, sed secundum hominem; et secundum hoc quod dicitur : *Omnis homo mendax.* Absit autem, inquit, ut hoc ita recipiamus, iniquum videri Deum qui infert iram adversum homines : quomodo enim justus putabitur, qui judicat mundum, cum ipso nomine judicis ostendatur nihil sine judicio facere? Ubi enim judicium est, constat esse justitiam. A justitia namque et judex et judicium nominantur. Item : *Si autem iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus?* Hoc juxta sensum prophetæ David subjecit Apostolus : David enim quando peccaverat causa Uriæ Cethæi, sciens quod promissio peccantibus dari non potest, exorat ut justificatio verborum Dei vincat judicium, quo judicantur ii qui peccant, et pœnitentem reformat sanctificans, ut det eis quod justis se daturum promisit. Ac propter hoc subjecit : *Si enim injustitia nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus?* Id est, si quia nos peccatores sumus, Deus justificatur, iniquus erit si vindicet : *Absit*, ait, *secundum hominem dico*, hoc est, hic sensus homini convenit, non Deo : quia non cadit in Deum ut iniquus sit, sed in hominem : nam si injustitia nostra ei proficeret, sine dubio iniquus esset si damnaret peccantes : quia injustitia nostra Deum facit injustum, si peccantibus nobis det quod promisit sanctis, dicens : Quia quamvis peccatores sumus, reformamur tamen per pœnitentiam, ut non jam peccatores, sed abluti promissionem accipere mereamur. Non ergo hic sensus est in verbis prophetæ David, cum dicit : *Tibi soli peccavi*, etc. Quia malorum hominum prava interpretatione asseritur, ut peccata hominum, et mali actus Dei justificationi proficiant, et per mala nostra illum justum ostendant. Sed hoc absit : non enim vult nos peccare : ideoque justus est si infert iram. Sequitur. *Alioqui.* Hoc est, quod si aliter, id est, si iniquitas a Deo non abest. *Quomodo judicabit Deus hunc mundum.* In hoc loco, mundum, homines qui in hoc mundo sunt, dicit. Iterum mihi syllogistica connexio in hoc loco arridet, sic : Si, Deus iniquus est, non judicabit hunc mundum : atqui Deus judicabit hunc mundum non igitur Deus iniquus est. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor?* Item hypothetici syllogismi formula hac in parte resplendet, ut sit hoc modo nexillis ratiocinatio : *Si veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanquam peccator judicor;* atqui ego tanquam peccator judicor, non itaque veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius. Sed in superficie apostolicæ assertionis enthymemata, hoc est, imperfecti syllogismi apparent : in profunditate vero sensuum plena vis syllogismorum latet : sic enim vina in vitibus, nucleos contemplamur in nucibus. *Et non, sicut blasphemamur.* Utquid me ita Deus judicat quasi peccantem, et non potius me judicat quasi ad gloriam ipsius recte agentem? *Sicut quidam aiunt nos dicere.* Quod quanto majora mala faciamus, tanto majora bona recipiemus hoc est, unde quæstionem sibi fecit Apostolus : a perversis enim hoc opponebatur, quasi hic esset sensus prædicantium remissionem peccatorum, ut facerent mala, et venirent bona : hoc est, peccarent, ut remittendo illis Deus videretur bonus, secundum quod supradictum est, quod blasphemiam appellat. Hoc autem fortassis ideo dicebant quia non intellexerunt quod Apostolus dicebat : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. Quorum damnatio justa est.* Horum qui æmulatione invidi istud de nobis interpretantur, damnatio justa est. *Quid ergo amplius præcellimus eos?* Adhæret ista sententia superiori, qua ait : *Quid ergo amplius est Judæo?* Nos itaque qui sumus Judæi peccatores, in quo amplius præcellimus gentes? quamvis nobis sint credita eloquia Dei, quibus prævaricatores legis esse convincimur : Non enim ipsa salvant, sed reos convincunt. Ergo reddita ratione quod lex contempta non prosit, et quod carnalis circumcisionis prærogativa, multis operibus freta, vana sit, quasi interrogat quid amplius habeat Judæus ex cujus persona respondetur. *Multum per omnem modum.* Nam si ipsius Apostoli sensus est, *multum per omnem modum*, quomodo postea contravenit dicens : *Si autem iniquitas nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus?* Postremo, quomodo Judæos nihil au-

plius habere confirmat, si hic multum habere commemorat? *Causati enim sumus.* Hoc est, certis causis ostendimus. In hac Epistola Paulus velut arbiter quidam inter Judæos et gentes residet. Probavit ergo, Græcos quidem, id est gentiles, esse sub peccato cum ait : *Dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*, etc. Judæos vero, cum dicit : *Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege*, etc. *Sicut scriptum est quia non est justus quisquam*, etc. Hi octo versus neque apud Hebræos, neque apud quemquam reperiuntur interpretum, neque apud ipsos qui LXX editionem habent vulgatam : et quæritur a quibusdam cur Apostolus ad Romanos horum facit memoriam; nescientibus de diversis Scripturarum locis, et maxime Psalmorum hos esse textus, et apostolum Paulum in divinis Scripturis eruditissimum, quod volebat exprimere, hinc inde singulos vel binos versiculos texuisse : sicut omnis pene ad Romanos Epistola de veteri structa est Instrumento, sic et hoc testimonium de Psalmis et Isaia contextum est. Nam duo primi versus : *Sepulcrum patens est guttur eorum : Linguis suis dolose agebant* quinti psalmi sunt. Illud autem quod sequitur : *Venenum aspidum sub labiis eorum*, CXXXIX psalmi est. Rursumque quod dicitur : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*, de nono psalmo sumptum est. Tres autem versiculos qui sequuntur : *Veloces pedes eorum*, usque, *non cognoverunt*, in Isaia propheta reperi. Ultimus autem versus, id est octavus, *Non est timor Dei ante oculos eorum*, in XXXV psalmi principio est. Illud etiam necessario ducimus admonendum, quod in nonnullis exemplaribus ea quæ subsequuntur, ex integro inveniuntur posita. In Græcis autem pene omnibus non amplius in XIII psalmo quam usque ad illum versiculum scriptum est : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed quod dixit Apostolus, *quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum*, non eisdem sermonibus invenietur in psalmo, sed alii permutantur, alii assumuntur, alii relinquuntur, diligentius puto inchoari apostolicam auctoritatem, ut cum Scripturæ testimoniis utendum fuerit, sensum magis ex ea quam verba capiamus : hoc etenim in Evangeliis factum frequenter invenies. In tertio decimo igitur psalmo ita scriptum est : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens, aut requirens Deum.* Et videtur idem sensus servari etiam in eo quod Apostolus posuit : *Non est intelligens, non est requirens Deum.* Et quod dixerit : *Non est justus quisquam*, puto, ex eo sumpserit ubi scriptum est : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* In quo etiam si sermo videtur converti, sensus tamen unus servatur. *Non est justus quisquam.* Ac si diceret : *Non est qui faciat bonum*, qui idem sensus est, licet dissimilia verba sint. Explanari autem potest quod dixit : *Non est justus quisquam*, vel quod ait : *Non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens*, quia donec quis vivit in corpore isto, plene justificari non potest : sed cum exierit de corpore, et de vitæ hujus agone discesserit. Unde Ecclesiastes ait (*cap.* IV) : *Et laudavi omnes defunctos qui mortui sunt magis quam vivos qui adhuc vivunt, sed melior super utrosque qui nondum natus est*, quia quicunque minor est in regno Dei, *major est eo*, qui in corpore est.

Non est intelligens, non est requirens Deum. Quia non intelligit, non requirit; sive ideo non intelligit, quia non requirit, Deus autem quæritur, cum ejus voluntas inquiritur. *Omnes declinaverunt.* Non dicitur declinasse, nisi is qui aliquando in via recta stetit, naturæ rationalis opus a Deo factum est, sed qui ab hac ad lævum peccati iter detorsit, merito nunc dicitur declinasse, sicut Adam de paradisi via recta ad pravas semitas declinavit. *Simul.* Hoc est Judæi et gentes. *Inutiles.* Qui inutilia sectantur. *Non est qui faciat bonum.* Si non est qui faciat bonum, quomodo inferius arguit plebem suam devorantes, et inopum consilium considerantes, plebs enim Dei non erat, si bonum non faciebat. *Non est enim qui faciat bonum*, hoc est perfectum et integrum bonum. Si autem requiramus qui sit vere bonus, is qui dicit : *Ego sum Pastor bonus* (*Joan.* X). *Usque ad unum.* Vel cum ipso uno potest intelligi, ut nullus hominum excipiatur, vel præter unum, ut accipiatur Dominus Christus, sicut dicimus : Iste ager usque ad mare est, non utique simul computamus et mare. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Patens autem sepulcrum dicuntur hi qui immunditias suas in propatulo habent. Vel *sepulcrum patens est guttur eorum*, hoc est, fetore doctrinæ et adulationis suæ contaminans et interficiens audientes. Ideo enim sepulcrum diligenter clauditur, ne adhuc viventibus exhalationis suæ generet pestem. *Linguis suis dolose agebant.* Dolus est, cum aliud quis lingua loquitur et aliud corde volutat. *Venenum aspidum.* Sicut morsu serpentis venenum corpus interimit, ita morsus verbi venenati fraude animum necat : bene addidit *aspidum*, quia horum serpentium pessimum fertur esse venenum. *Sub labiis eorum.* Hoc est, in corde. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est.* Non est unius generis maledictio, quidquid enim malo voto dicitur, maledictum appellatur. Amaritudo est contraria dulcedini verborum Dei, maledictioni amaritudo conjungitur, quia ex iracundiæ felle depromitur : per iracundiam enim ac furorem ad maledicendum lingua compellitur. *Veloces pedes eorum.* Hoc est, impigri ad malum et ad homicidia perpetranda. Pedes hoc loco illos intellige, de quibus dicit Propheta : *Mei autem pene moti sunt pedes* (*Ps.* LXXII). Hoc est consilium quo agimus iter vitæ. *Ad effundendum sanguinem.* Sicut homicida dicitur ille qui corpus ab anima separat, per quam vivificatur; ita etiam verissime vivus ille homicida dicendus est, qui animam a vera vita separat, quod est Deus. *Contritio et infelicitas in viis eorum.* Illam dicit contritionem, qua peccatores conterere jugum Domini dicuntur, et projicere a cervicibus suis. Infelicitas, qua

miser homo effectus est, etiam infelix, qui cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis, et similis factus est illis. *Et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* In timore Dei omnia conclusit; qui si Dei timorem semper ante oculos habuissent, non utique deliquissent: neque enim audet servus peccare præsente domino; neque quia dicit: *Omnes declinaverunt*, totam penitus plebem significat, sed hanc partem plebis in qua omnes mali se condiderant: semper enim duo populi sunt in una plebe. *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur.* Ne dicerent Judæi hæc in psalmo de gentibus tantum dicta, ostendit quæ in lege dicta sunt, his qui in lege sunt, dici. Quæritur sane quomodo Judæi dixerint non esse Deum, ut in fronte ipsius psalmi legitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (*Ps.* XIII), non utique verbo, sed opere: nam quem confitentur se nosse, factis autem negant. Illud autem attendendum quia psalmi sint supplementum legis: idcirco psalmorum testimoniis, quasi auctoritate legali, ad eos confutandos utitur. *Ut omne os obstruatur.* Non solum gentium, sed et Judæorum, dum non habent unde se glorientur. *Et subditus fiat omnis mundus Deo.* Dum omnes indigent misericordia Dei, tam Judæi, quam Græci. Aut subditus sit omnis mundus Deo, humili scilicet confessione peccatorum. *Quia non justificabitur ex operibus legis omnis caro coram ipso.* Opera legis, dicit circumcisionem, et sabbatum, et cæteras cæremonias, quæ non tam ad justitiam, quam ad carnis lætitiam pertinebant: quia per fidem decrevit Deus justificare homines, non per legem: si qui enim in veteri lege justi erant, non nisi per gratiam justificati sunt. Omnem carnem, omnem hominem dixit, ut est illud: *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III). Sed et hoc quod addidit, *coram ipso*, non otiose accipiendum, quia aliud est justificari coram Deo, aliud coram hominibus, hoc est, ad comparationem aliorum hominum, potest qui emendatius vixerit, justus videri; ad comparationem autem Dei, non solum homo non justificabitur, sed sicut Job dicit: *Stellæ autem non sunt mundæ coram ipso* (*Job.* XXV), quæ utique coram nobis mundæ sunt, hoc est, ad comparationem hominum mundæ habentur. *Per legem enim cognitio peccati.* Non remissio, nec ablatio peccatorum, sed cognitio. Ideo enim per legem quid sit peccatum agnoscitur, quia in oblivionem ierat lex naturæ: ante autem legem, leviora quæque non cognoscebantur esse peccata, id est, quæ aliis non nocebant, ut concupiscentia, et ebrietas, et cætera hujusmodi. Sollicite satis hæc legenda sunt, ut neque lex ab apostolis improbata videatur, neque eorum liberum arbitrium sit ablatum. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus: ante legem, sub lege, sub gratia, sub pace. Ante legem, sequitur concupiscentiam carnis; sub lege, trahitur ab ea; sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea; in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante ergo legem non pugnamus, quia non solum concupiscimus et peccamus, sed etiam approbamus peccata: in lege pugnamus publice, sed vincimur; in gratia pugnamus et vincimus; in pace nulla pugna erit. Joseph in carcerem missus est, licet per calumniam, et pincerna, et pastor Pharaonis causa peccati in carcere trusi sunt, quomodo ergo latebant peccata? Triplex quidem est lex, ita ut prima pars de sacramento divinitatis Dei sit; secunda autem quæ congruit legi naturali, quæ interdicit: tertia vero lex factorum, id est, sabbata, neomeniæ, circumcisio, etc. Hæc est ergo lex naturalis, quæ per Moysen partim roborata est, partim auctoritatem accepit in vitiis cohibendis: itaque lex Moysi peccatum quidem cognitum fecit, non quod lateret, sicut dixi, sed ostendit peccata quæ fiunt, non impune futura apud Deum, hoc ergo est quod lex ostendit. Origenes ait de lege: Sicut ipse justitia est, ex quo omnes justi fiunt, et veritas, et vita, ex qua omnes vivunt; ita et ipse lex est, ex qua omnes in lege sunt: veniet ergo ad judicium, non tanquam qui in lege sit, sed tanquam qui lex sit. Quærendum utrum justi sub lege sint; ad quod respondendum: Sicut justi Deo subditi sunt, sicutque Deus lex est, ita quoque sancti legi sunt subjecti: cæteri vero Mosaicæ legi non subduntur, nam et Apostolus ait: *Non est justo lex posita. Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est.* Justitia Dei est sanctificatio per fidem, et remissio peccatorum. *Sine lege.* Sabbati scilicet, et circumcisionis, et neomeniæ, et vindictæ: non tamen sine sacramento divinitatis Dei, quippe cum justitia Dei de sacramento Dei sit. *Testificati per legem et prophetas.* Ideo hoc addidit ne indulgentia peccatorum contra legem videatur, quippe quæ olim in lege promissa est futura esse per adventum Salvatoris. Ideo autem justitia Dei dicta est, quæ videtur esse misericordia, quia de promissione habet originem: et promissio Dei, cum redditur justitia, Dei dicitur. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum.* In omnes Judæos et Græcos, quantum ad interiores ipsorum animas pertinet. Et super omnes, hoc est, super corpora lavacro sacro baptismatis. Aliter, in omnes Judæos, et super omnes, id est, gentes et gentiles populos. Requirendum sane quare in superioribus dixerit Apostolus, *Per legem enim manifestatio peccati, nunc sine lege justitia Dei cognita est.* Ad quod dicendum, quia *omne quod manifestatur lux est.* Peccatum, quia lux non est, non manifestatur, sed agnoscitur: idcirco et in superioribus agnitionem peccati aptius dixerit. *Omnes enim peccaverunt.* Supple originaliter in Adam, et propriæ voluntatis prævaricantia. *Et egent gloria Dei.* Id est, gratia Dei, qui non habent suam gloriam, quia creati sunt. *Justificati gratis.* Hoc est, sine ullis operibus præcedentibus, per baptismum gratis peccata donavit. *Per redemptionem.* Qua nos redemit suo sanguine de morte, qui per peccatum venditi fueramus, licet sumus nostris alienati ab eo delictis. Christus autem nos redemit, offerens se pro nobis: permisit enim se [morti],

nesciente diabolo; sed quia virtutem ejus [superare] non potuit, omnes quos tenebat, simul cum eo dimisit. *Quem proposuit.* Id est, disposuit Deus propitium se futurum esse humano generi, si credant in sanguine ejus se esse liberandos. *Ad ostensionem justitiæ suæ.* Hoc est, ut promissum suum palam faceret, quo nos a peccatis liberaret, sicut ante promiserat; quod cum implevit, justum se ostendit.

Propositum propitiatorem Deum. Propterea passus est Christus, ut propositum Dei sedaret, quo tandem punire decreverat peccatores. Aliter sciens Deus propositum voluntatis suæ, quo censuit peccatoribus subvenire, tam his qui sunt apud superos, quam his qui inferno detinebantur, utrosque diutissime exspectavit, evacuans sententiam qua justum videtur omnes damnari, ut ostenderet nobis quod olim decreverat humanum genus liberare per Christum. *In sustentatione.* Ad hoc spectans ut tandem nos liberaret. *In hoc tempore.* Gratiæ videlicet Novi Testamenti. Sustentatio Dei est, ubi peccator non statim ut peccat, sed secundum quod ibidem dixit Apostolus, per patientiam Dei adducitur ad pœnitentiam. Bene videlicet addit, *in hoc tempore*, (præsentis enim sæculi tempore, in sustentatione Dei, est justitia Dei; futuri vero, in retributione. Certum est in omnibus pene locis, Apostoli sensum ex legis et prophetarum manare thesauris. Inquiramus ergo ubi appellationem propitiatorii invenerit, et unde hoc nomen assumpserit. Memini in Exodo loquentem Dominum ad Moysen, ei præcipientem quæ oporteret eum facere, primo quidem mandare arcam, et vectes ejus, atque annulos per arcæ latera fieri. Post hæc *Facies*, inquit, *propitiatorium ex auro puro, duobus cubitis et semis longitudinem ejus, et unum cubitum et semis latitudinem ejus, et facies duo cherubin aurea intortornata, et superpones ea per singula latera propitiatorii, et facies ut duo cherubin sint ex duobus lateribus ejus, extendentia alas suas, et obumbrantia super propitiatorium, et facies contra se super propitiatorium; et impones propitiatorium super arcam, et in arcam mittes testimonia quæ dabo, et innotescam tibi; inde et loquar ad te desursum super propitiatorium inter medium duorum cherubin, quæ sunt super arcam testamenti, secundum omnia quæ præcipiam tibi ad filios Israel* (*Exod.* XXV). Evidenter apparet quod nomen propitiatorii Apostolus in his locis inventum, in suis nunc litteris posuit. Potest autem arca testamenti, sancta ejus caro, in qua beata hæc anima collocatur, intelligi, habens in se testimonia Dei, quæ intelliguntur Christi. Sed et quod latitudo ejus unum et dimidium cubitum habere memoratur, propheta quidem admirandæ ac singularis vocationis describitur, non tamen ex toto in dualem numerum, qui interdum etiam pro immundis ponitur, corruisse: quamvis enim carnem naturæ susciperet, ex incontaminata tamen virgine assumpsit, et casta sancti Spiritus operatione: propterea ergo Apostolus de mediatore disserens, evidenter distinctione signavit, dicens: *Mediator Dei et hominum, homo Christus* A *Jesus*, quo scilicet mediatorem non ad deitatem Christi, sed humanitatem referendum doceret. Longitudo ergo ejus ponitur et latitudo: longitudo illud significat, quod tendit ad Deum Trinitatique sociatur; latitudo, quod inter homines, qui latam spatiosamque viam incedere solent, conversatur: et ideo mediatoris recte nomine nuncupatur, quia, ut dixi, anima hæc sancta, media quædam fuit inter divinitatem Trinitatis et fragilitatem humanitatis: cherubim plenitudo scientiarum, sicut de Christo dicit Apostolus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ.* Sed et illud observa quod non dixit, Cherub unum ex latere dextro, et Cherub aliud ex latere sinistro; sed ait, Cherub unum ex latere hoc, et Cherub aliud ex latere altero, ut ostenderet in illo propitiatorio, hoc est in B anima Christi, sinistrum nihil fuisse: facies quoque contra se invicem, super hanc beatam animam: Cherubim vero habere dicitur, per quod consors ei, et consonum a Filio Dei et Spiritu sancto sensus divinitatis infunditur. *Quem proposuit Deus*, etc. Magis de anima Jesu quam de Deitate dictum sentitur: *proposuit* enim intelligitur, quasi prius posuit, hoc est, priusquam esset: quod enim est, ponitur; quod nondum est, proponitur: non ergo convenit de eo qui semper erat, id est, de Verbo Dei dici, quod propositus erat, sed de anima ejus.

Ubi est ergo gloriatio tua? Reddita ratione, ad Judæos loquitur qui agunt sub lege, quod sine causa gloriantur, blandientes sibi de lege, propterea quod sint genus Abrahæ, aut quod præcepta Dei receperunt per Moysen. *Ubi est ergo gloriatio tua*, in qua C gloriaberis te operibus meruisse justitiam? per quam legem, subaudis, ἀπὸ κανόνος. *Exclusa est.* Exclusa est gloriatio Judaica, non per legem operum, sed per legem fidei, quæ est in Christo. Ubi est ergo gloriatio tua? tanquam interrogantis sermone dixerat Apostolus, et ad hæc ipse respondet; *Exclusa est.* Et rursum quasi ipse interroget, ait: *Per quam legem? Operum?* et respondet sibi ipsi:

Non, sed per legem fidei. In præsenti loco duarum legum facit iterum mentionem, et dicit legem operum, et legem fidei. Considera etiam ipse qui legis, utrum ad legem Moysi, et legem naturalem sermo hic debeat inclinari, ad legem litteræ, et ad legem spiritus: gloriationem vero talem dicit, qualis erat D illa Pharisæi, dicentis: *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, sicut publicanus iste.* Hæc fortassis vere dixit, sed secundum Domini sententiam, morbo jactantiæ corruptus, non descendit justificatus e templo. Talis ergo gloriatio, quæ venebat ex operibus legis, excluditur, quæ non habet humilitatem crucis Christi, in qua gloriatur, qui dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Arbitramur enim justificari hominem per fidem*, etc. Sine quibus operibus legis Apostolus justificari hominem per fidem dixisse credendus est? scilicet circumcisionis, et sabbati, et cæterorum hujusmodi, non

absque justitiæ operibus, de quibus beatus Jacobus dixit : *Fides sine operibus mortua est :* Hic autem de illo dicit, quia ad Christum veniens, sola, cum credit, fide salvatur. Addendo autem, *sine operibus legis*, ostendit esse etiam gratiæ opera, sine quibus mortua est fides. Quomodo justificatur homo sine operibus legis? Credit aliquis, percipit fidei sacramenta, et mortuus est : defuit illi operandi tempus, plane dicimus justificatum, *credentem in eum qui justificat impium :* ergo iste justificatus, et operatus non est. Impletur sententia Apostoli, dicentis : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, ut latro, qui cum Christo crucifixus credidit, et justificatus est. Potest ergo homo justificari ex fide sine operibus legis, cum fides per dilectionem operetur in corde, etiamsi foris non exit in opere. Fortassis autem hæc aliquis audiens, resolvatur, et bene agendi negligentiam accipiat : siquidem ad justificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus, quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio justificationis gratiam sprevit, neque enim ob hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rursum sibi putet peccandi licentiam datam : indulgentia namque non futurorum, sed præteritorum criminum datur. *Quoniam quidem unus Deus*, etc. Id est, Judæos credentes per præputium, gentes vero justificatas per fidem Christi significat, id ipsum est ex fide, et per fidem : sed Scripturarum mos hic est ut in eisdem causis malit mutare quam repetere sermonem, sicut in David scriptum est : *Propter Abraham servum tuum, et Isaac dilectum a te* (*Ps.* cxv). Non mihi videtur superflua omnino haberi ista præpositionis nunc commutatio : invenimus enim ab eo in aliis locis differentiam distinctionis hujus esse necessario observatam, sicut de Deo loquitur : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso facta sunt omnia.* Et non solum Apostolus Paulus harum distinctionum observantias tenet, sed et Joannes, qui cum de Verbo Dei dicat : Quod *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* i), vitam non ipsum, sed in ipso factam esse testatur dicens : *Quod factum est in ipso vita est.* Et quod ait, *ex ipso*, primo creationis omnium, et hoc ipsum quod quæ sunt ex Deo esse cœperunt, significantiam dedit. *Per ipsum*, quod ea quæ prius facta fuerant, regantur et dispensantur per eum, a quo subsistendi initium trahunt. *In ipso*, quod hi qui jam correcti et emendati sunt, in ipsius perfectione consistunt. Potest et in præsenti loco talis quædam observari differentia, ut circumcisio, quæ velut loco primo et ordine justificatur, ex fide, et non per fidem justificata memoretur; præputium vero, quod secundo loco ad justificationem trahitur, non ex fide, sed per fidem justificatur. Puto in ea differentia designari quod scriptum est : *Sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem* (*I Cor.* xi); primo etenim loco vir est, ex quo descendere mulier dicitur, et non per virum; secundo vero loco per mulierem vir, quia ministrare quodam modo videatur mulier auctori viro, et ideo per mulierem vir dicitur nasci, et non ex muliere. *Legem ergo destruimus per fidem?* Legem ergo, quæ circumcidi præcepit, superfluam judicamus? *Absit.* Imo stare facimus verum esse quod dixit, legem legi, Testamentum Testamento, circumcisionem circumcisioni, successuram. Quomodo vero se legem confirmare pronuntiat, qui in superioribus dixit quia non justificabitur omnis caro ex operibus legis? Et Salvator in Evangelio dixit : quia Moyses de me scripsit. Qui ergo non credit Christo, legem destruit? legemque confirmat, qui credit in Christum. Sed non est prætereundum quod contraria sibi scribere videtur Apostolus cum in præsenti quidem dicit non destruere se legem, sed confirmare : in secunda vero ad Corinthios ita scribit : *Quod si ministerium mortis in litteris formatum in lapidibus, factum est in gloria, ita ut non possent filii Israel in faciem Mosi respicere, propter gloriam vultus ejus quæ destruitur, quomodo non magis ministerium spiritus erit in gloria?* etc. (*II Cor.* iii). Non est idem quod dixit, *legem destruimus*, et lex destruitur. Paulus ergo in præsenti loco hoc pronuntiat, quod legem ipse non destruat : nam etsi destruitur lex per eam, quæ supereminet gloriam, non per Paulum, neque per aliam aliquem sanctorum destruitur. Unde et ipse Dominus dicebat : *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* v). Nullus ergo sanctorum, neque Dominus ipse destruit legem, sed gloria ejus temporalis et prætereuns, a gloria æterna et permanente destruitur ac superatur. Nam ex comparatione majoris gloriæ, quæ in Christo est, obtegi et obscurari eam gloriam, quæ in lege est, dicit.

CAPUT IV.

Quid ergo invenisse dicemus Abraham patrem nostrum secundum carnem? Revocat illos ad caput circumcisionis, ut quod ab initio constiterit, id habeatur in toto. Illud prætereundum minime videtur quod patrem nostrum secundum carnem vocavit Abraham : gentium etenim pater Abraham secundum fidem, non secundum carnem videtur. *Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Hoc proposuit sibi : nam Abraham ex fide justificatus est, quod nulli dubium est; sed quod qui legem servant, sive Moysi, sive naturæ, justificantur ad præsens, nec rei fiunt præsenti judicio. Ideo ait : *si Abraham ex operibus legis justificatus est, non apud Deum habet gloriam :* quod qui fecerit legem vivet in ea, id est, non morietur ut reus, nec tamen meritum ex hoc habebit apud Deum. Quare meritum apud Deum habet Abraham, sed fidei causa. Cum superius duas proposuerat leges, quarum unam operum, aliam fidei appellavit, per quam legem fidei excludit glorificationem dicit eorum qui in legis operibus gloriantur, et prorsus averti fide justificari hominem sine operibus legis, consequenter nunc, ut hæc de Scripturis asserantur, Abrahæ producit exemplum, et dicit : Quia *Abraham si ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum :* quod quidem sine arte

dialectica disserit : nam si is qui ex operibus non habet gloriam apud Deum : Abraham autem constat habere gloriam apud Deum, non ergo Abraham ex operibus legis justificatus est. Per omnem itaque hunc textum Apostolus hoc videtur dicere quod duæ quædam sint justificationes, quarum unam ex operibus nominat, aliam vero ex fide ; et aliam quidem quæ ex operibus est, dicit habere quidem gloriam, sed in semetipsa, non apud Deum : ut pote apud inspicientem corda hominum, et scientem qui credit in occulto, et qui non credit. Et ideo merito apud solum Deum habet gloriam, qui affectum fidei ejus pervidet in occultis.

Quid enim Scriptura dicit? Ac si diceret, Interrogemus Scripturam. *Credidit Abraham Deo.* Hic sermo ex Genesi sumitur, ubi non Abraham, sed Abram dicit ad Deum : *Quoniam non dedisti mihi semen, hic vernaculus meus hæreditabit me. Et dixit Dominus ad eum : Respice ad cœlum, et numera stellas, si potueris dinumerare eas, et ait ad eum : Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* xv). *Ei autem qui operatur merces secundum gratiam.* Quia non illi gratis donatur justificatio, sed merces redditur operum pristinorum. *Et vero qui non operatur.* Convertentem impium per solam fidem justificat Deus, non per opera bona, quæ non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Hoc dicit quia sine operibus legis credenti impio in Christum, reputatur fides ejus ad justitiam, sicut Abrahæ : et hoc justum est. Credere autem non [a] voluntatis est : neque enim potest cogi ad id quod manifestum non est, sed invitatur. Quamobrem assentientibus præmiis afficiendus est, sicut et Abraham, qui quod non vidit, credidit.

Secundum propositum gratiæ Dei. Id est, quo gratis proposuit per solam fidem dimittere peccata. *Sicut David dicit, Beatitudo hominis*, etc. Beatitudinem hominis, remissionem peccatorum per fidem appellat : magna beatitudo est, sine labore legis et pœnitentiæ, Dei gratiam sola fide promereri. Initium justificari a Deo, fides est qui [quæ] credit in justificantem, et hæc fides cum justificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto hæret in animæ solo, ut cum per legem Dei excoli cœperit, rursum in eam surgunt rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix justitiæ, sed ex radice justitiæ fructus operum crescit : illa scilicet radice justitiæ, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Quod remittitur, non tenetur, et quod tegitur, non apparet, et idcirco minime imputatur. Vide si potest iste ordo in anima una eademque intelligi, ut quia initium est conversionis animæ, mala derelinquere, propter hoc iniquitatum remissionem mereatur accipere. Cum autem cœperit bona facere, velut singula quæque quæ præcesserant mala bonis recentibus obtegens, et abundantiorem bonorum numerum introducens, quam prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur. Ubi vero jam ad perfectum venerit, ita ut omnis radix de ea malitiæ penitus amputetur, ibi jam summa perfectæ beatitudinis promittatur, cum nullum possit Dominus imputare peccatum. Iniquitas sane a peccato hanc habet differentiam, quod iniquitas in his dicitur quæ contra legem committuntur : unde et Græcus sermo ἀνομίαν appellat iniquitatem, hoc est, quod committitur contra legem : peccatum vero etiam illud, si contra quod natura docet, et conscientia arguit, delinquatur. *Beatitudo ergo hæc.* Id est, remissio peccatorum per fidem. *In circumcisione manet tantum, an etiam in præputio?* Ac si aperte diceret : In utrisque manet, quia tribus legibus hæc beatitudo ascribitur, vult istam beatitudinem tribus temporibus designare, naturæ, circumcisionis, Christianitatis. *Dicimus enim.* Hoc est, sensu legis loquimur. *Reputata est fides Abrahæ ad justitiam.* Omnes enim confitemur et consentimus, ut quod ratio de Abraham invenerit, hoc de cæteris observemus. Ab origine incipit, ut omnem tergiversationem cavillationis excludat, quæ quia a capite excluditur, non habet unde incipiat facere quæstionem. *Quomodo ergo deputata est, in circumcisione, an in præputio?* Hoc est, videamus utrum circumcisio ex justitia, an justitia ex circumcisione sit nata. *Et signum accepit circumcisionis.* Ne dicerent ergo, Superflue circumcisus est, signum ait esse justitiæ, non augmentum.

Signaculum accepit justitiæ. Illius quam præputii fides meruit : tam enim perfecta fuit et pretiosa, ut signaculum mereretur : semper enim res plena signatur. Sive ut ostenderet quia justus et fidelis esset, qui dolorem sibi mandato Dei non dubitavit inferre, non putans esse superfluum, quod a scientiarum Domino jubebatur : sicut nec parricidium credidit impium, quod fons præceperat pietatis. Profundam in his Pauli sapientiam contemplamur : fortassis enim aliquibus eumdem sermonem dicere videretur, id est, signum et signaculum : sed mihi uterque sermo multam inter se videtur habere differentiam. Signum namque dicitur, cum per hoc quod videtur, aliud aliquid indicatur : sicuti, verbi gratia, de ipso Domino in Evangelio dicitur : *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II) : contradicebatur enim, in quo Christus venerat, quia aliud in eo videbatur, et aliud intelligebatur. Caro cernebatur, et Deus credebatur. Sic ergo accepit Abraham signum, et quod esset signum in consequentibus dicit : circumcisionis, inquit, et ostendit quia carnalis tunc illa circumcisio, signum erat spiritualis circumcisionis, quæ non in carne suscipitur, sed in corde. Quod vero dixit, *signaculum*, ita intelligendum puto : signaculum dicitur quod alicui rei servandæ pro tempore custodiæ ponitur : quomodo alius, nisi ipse qui impressit, debeat resignare. Per istud enim signaculum, ut exponit

[a] *Non* videtur redundare.

Apostolus, justitia fidei, quam in præputio positus Abraham accipere meruit, judicatur et pater esse multarum gentium. Et ut adhuc apertius de signo et signaculo disseramus, cum signum sit, ut diximus, ubi indicatur aliquid per hoc quod videtur; signaculum vero, ubi clauditur aliquid et non patet: potest etiam ita intelligi quod mysteria in lege et patriarchis adumbrantur, hujusmodique erant, quæ et signis indicanda essent, consignaculis observanda. Quod ergo signis indicanda erant, in his qui credebant ex gentibus, signum accepisse dicitur Abraham. Quod vero his ex circumcisione non erant crediturі, observanda erant et obtegenda, signaculum accepisse dicitur, quod signaculum utique illo in tempore designabitur, cum in novissimis diebus postquam plenitudo gentium introierit, omnis Israel salvus fiet : idcirco ante Abraham justificatur in fide, dum adhuc circumcisus esset, et postea circumciditur, ut ostenderetur primo pater futurus multarum gentium, et postea eorum qui ex circumcisione crediturі sunt : neque enim hi qui secundum carnem nascuntur ex Abraham, filii Abraham dicendi sunt, nisi fidem et opera Abraham habeant: efficitur ergo utriusque generis pater. *Non enim per legem promissio.* Quia promissio quæ facta est Abraham, non ex Moysi lege constiterat : ante enim quam Moyses legislator existeret, Dominus Abrahæ dixit : *Benedicentur in te omnes tribus terræ*, hoc est, hæredem factum esse totius mundi. *Ut hæres esset mundi.* Sive ut in semine ejus, quod est Christus, benedicerentur omnes gentes, quæ sunt datæ illi in hæreditatem a Patre : sive ut cum eo recumbant gentes in regno cœlorum. *Si enim qui ex lege hæredes sunt.* Si illi soli, ut vos vultis, circumcisi hæredes sunt, non implevit Deus promissum Abrahæ, ut pater esset multarum gentium : et si ita est, jam videbitur Deo sine causa credidisse. Illud etiam sciendum quod sicut non ex lege Moysi promissio facta est ad Abraham, ita nec per legem naturæ, sed per legem fidei justificari promeruit. Quamvis enim lex naturæ de bono et malo testimonium reddat, secundum judicium conscientiæ, tamen legi fidei non potest exæquari, qua Deo credidit Abraham, et justificari meruit, atque amicus Dei appellari. *Lex enim iram operatur.* Ut penitus ostendat non posset justificari hominem per legem, sed, sicut ante ponit, per fidem. Non ira ergo lex est, sed iram operatur peccanti, id est pœnam non agnoscit, sed vindicat : pœna vero per iram generatur, ira autem nascitur ex peccato. Vel : Lex enim iram operatur, quia lex non donat peccata, sed damnat; et ideo non potes omnes gentes filios Abraham facere, qui secundum quod omnes sub peccato inventi sunt, omnes erant utique puniendi : fides autem, dimissis per gratiam peccatis, omnes credentes filios efficit Abrahæ. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Hoc est, sublatis reis de potestate legis, data venia, prævaricatio nulla est : justificati enim sunt qui per prævaricationem legis fuerant peccatores; cessat enim lex factorum, id est, observatio sabbatorum, neomeniarum, circumcisionis, escarum discretio, animalis mortui sanguis, mustelæ observatio. Non omnem prævaricationem generaliter in hoc loco annuntiat appellatam, sed ejus qui in lege positus deliquerit, ut gravius delictum videatur ejus qui per legem prohibitus peccat, quam ejus qui nulla lege fuerit commonitus. *Ideo autem ex fide.* Subauditur, hæredes sunt. *Ut secundum gratiam firma sit promissio.* Firma esse non potest omni homini ex omni gente promissio, nisi fuerit ex fide, quia origo promissionis ex fide est, non ex lege, quia qui sub lege sunt, rei sunt : promissio autem reis dari non potest. *Quia patrem multarum gentium posui te.* Hoc est, non tantum unius generis Israelis. *Ante Deum.* Recte attendit ex sua interpretatione Apostolus *ante Deum*. *Cui credidisti.* Hoc est, pater positus est multarum gentium, ante Deum cui credidit. Aliter, ut unum Deum doceat omnium, loquitur ad gentiles, Abraham justificatum esse ante Deum, in quem gentes credunt, ut sit talis sensus, cui credidisti, o gentilis populo : qui vivificat mortuos, hic mortuos ad generandum ducit, ut præsenti causæ conveniat. Hoc dicto ad fidem Abrahæ gentes invitat, qui cum esset in præputio, credens Deo justificatus est cum sua conjuge : cum enim essent senes ambo, revixerunt ita, ut non diffideret habiturum se ex Sara filium, quam sterilem sciebat, in qua jam fluxus muliebrium naturæ defecerat. *Et vocavit ea.* Id est, viscera muliebria, quæ non sunt fecunda scilicet. *Tanquam ea.* Hoc est, viscera. *Quæ sunt.* Partu videlicet fecunda, ut Cethura fuit: quamvis in principio creandi vocaverat quæ non erant, et statim esse cœperunt, tamen hic quia jam non erant, eis tempora generandi vocavit.

Qui contra spem in spem credidit. Contra spem naturæ erat ut centum annorum homo ex muliere æque jam fessa, quæ etiam in juventute sterilis fuisset, semen suum sicut stellas cœli et arenam maris crederet esse futurum. Cum non spem habet generandi Abraham, credit Deo, sperans contra spem generare se, sciens omnia posse Deum. Item secundum alios. *Qui vivificat mortuos.* Id est peccatores, qui secundum interiorem hominem mortui sunt. *Et vocavit ea.* Hoc est, genera gentium, ut sint in fide. *Tanquam ea quæ sunt.* Id est, tanquam patriarchas, et prophetas, et apostolos, qui sunt in fide perfecta, constituit.

Non consideravit corpus suum emortuum. Nihil naturæ considerat fides, quia omnipotentem novit eum qui dixit. Quæritur quomodo Abraham emortuo corpore de Cethura filios genuerit, qui de Sara ante non potuit. Idcirco ergo de Sara non genuit, quia vetusta erat et sterilis : in illa vero quasi in juvene cursu naturæ facile potuit generare. Sic solvi solet et ista quæstio : Quod de Cethura postea genuit Abraham filios, quia donum gignendi quod a Domino accepit, etiam post obitum Saræ uxoris mansit. Item Ambrosius : *Non consideravit corpus*

suum emortuum : hortatur gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem et gratiam sine aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahæ. Quomodo is videbitur emortui corporis, qui multo senior effectus quam tunc erat, et uxorem accipere, et sex liberos procreare possit? Itaque dicamus Abraham non infirmitatis emortuum, sed secundum illam virtutem sanctorum, fuit in illo mortificatio etiam membrorum, nam non incitabatur luxuria, non urebatur libidine : hoc idem erat et in Sara, quia defecerant muliebria. Non erat in illa lascivia mulieris, aut incontinentiæ solutio, neque in usum libidinis præcipitabantur inviti. Sed et tu si mortificas membra tua, quæ sunt super terram : si abjecto omni fervore libidinis, emortuum corpus serves, et nullis obnoxium vitiis, potes generare Isaac, quod est gaudium. Et hic est primus fructus spiritus, potest semen tuum et opera ascendere in cœlum, et efficere operâ lucis, et stellarum fulgori splendorique conferri, ut cum dies resurrectionis adfuerit, tanquam stella differas in claritate. Amplius adhuc dico, potes, si tam purus mente, tam sanctus corpore, tam immaculatus actibus fueris, etiam ipsum generare Christum, secundum illum qui dicebat : *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV); et sicut ipse Dominus dicit : *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic est meus frater, soror et mater.*

Non hæsit diffidentia. Nec de senectute possibilitatis nec de magnitudine promissionis dubitavit : nec enim fides habet meritum, cum humana ratio probet experimentum.

Dans gloriam Deo. Tanquam de percepto dono gratias agens. *Non est autem scriptum propter ipsum tantum.* Hoc est, non ut ejus fidem solam sciremus, sed ut ejus quasi patris imitemur exemplum, quia si nos ita credamus Deo ut ille credidit, etiam nobis reputabitur fides ad justitiam. Hoc modo competenter videbitur habita comparatio fidei Abraham, et eorum qui credunt in eum. *Qui suscitavit Jesum Christum.* Quia quod ille futurum credidit, sicut de eo Dominus dicit : *Quia Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII), a nobis creditur factum. *Qui traditus est propter delicta nostra.* Ut ostendat quod ea pro quibus Christus traditus est, etiam nos abhorrere debemus et abjicere : quomodo enim alienum nobis et inimicum ducitur omne peccatum, pro quo Redemptor noster traditus memoratur in mortem? *Resurrexit propter justificationem nostram.* Justificat Christus eos tantummodo, qui novam vitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, et vetusta injustitiæ atque iniquitatis indumenta, velut causam mortis, abjiciunt.

CAPUT V.

Justificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Pertractata causa, quia nemo eorum ex operibus justificatus sit, sed omnes ex fide, quod exemplo Abraham probat, pacem habere eos hortatur ad Deum. Tunc magis in pacem Dei venimus, quando adversus diabolum persistimus, et quando adversum carnis vitia dimicamus. Et quia Dominus Jesus hujus gratiæ minister est, per ipsum pacificati sumus Deo.

Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam. Hoc est, per quem accesserimus prope, qui eramus longe. Quomodo accessum habeamus per Dominum nostrum Jesum Christum, ipse Salvator ait : *Ego sum ostium, nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* X). Sed videamus quale est ostium, ut sciamus quales esse debeant qui intrant per ipsum, et accessum habent ad gratiam. Istud ostium veritas est : et si ostium veritas, non possunt introire mendaces. Et rursum : istud ostium justitia est, et per ostium justitiæ non ingrediuntur injusti. Istud ostium dicit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). Per ostium ergo humilitatis et mansuetudinis, nec iracundus ingreditur, nec superbus.

In qua stamus. Ideo dixit stantes, quia jacuimus prius. *Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Gloriamur nos sperare gloriam filiorum Dei, qua *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII), et erunt sicut angeli Dei in cœlo. Movet me cur non dixerit se gloriari in gloria Dei, *sed in spe gloriæ Dei*, in quo deesse quidem aliquid elocutionis videtur, ita ut subaudiri debeat, in spe videndæ gloriæ Dei. *Non solum autem hoc, sed et gloriamur in tribulationibus.* Non solum in gloriæ spe, sed etiam in saluberrimis tribulationibus gloriamur, in magnitudinem præmiorum sperantes, sicut Jacobus ait : *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis* (*Jacob.* I). Unde et optare debemus aliquid pati pro nomine Domini, ut acquiramus de tribulatione intenda præmium infinitum : considerato enim præmio, nullum possumus condignum æstimare laborem. Habemus ergo unde glorietur : magna enim gloria est de imis ad summa crescere, et de nihilo ad maxima pervenire, de limo ad cœlum, et de servitute ad regnum : si tamen omni sæculi gloria et jucunditate contempta, in illo solo, quod nobis promittitur, gloriemur : et si hoc feceris, tale est, quale si quis, nummo plumbeo contempto, gemmam regiam consequatur. Quanquam nec sic sit digna comparatio, quia his quamvis pretium distet, manet utrisque comparatio : ibi vero incorruptibilibus corruptibilia, et æternis caduca comparantur : *Scientes quod tribulatio patientiam operatur.* Hoc est, tribulationem patientiam operari, si tribulatio ipsa motum non patiatur infirmitatis, aut dubitationis.

Patientia enim probationem. Quia patientia si talis fuerit, qualem dixit, firma videbitur probatio, unde Salomon ait : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio* (*Eccli.* XXVII).

Probatio autem spem. Spes vero quia probatur, videtur nec immerito dici : dignus enim scitur accepturus remunerationem in regno Dei. Tribulatio sanctorum proprie est, impiorum vero et injustorum flagella appellantur : Denique in psalmo sic dicit. *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII). De istis

autem ait : *Multa flagella peccatorum* (*Psal.* XXXI). *Spes autem non confundit.* Spes futurorum omnem confusionem expellit, unde probatur non habere fidem, qui in præceptis confunditur. *Spes non confundit*, dum etiam nos et habetes a perfidis judicamur.

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Magnitudo beneficiorum exhibet in se magnitudinem charitatis, quæ confundi et timere nos novit. Illud considerandum mihi videtur, utrumne hic charitatem illam dicat, qua nos diligamus Deum, an illam qua diligimur, diffusam esse per Spiritum sanctum in cordibus nostris : et siquidem illa charitas, qua Deum diligamus intelligitur, sermo iste assertione non indiget : si vero diffusa Dei charitas in cordibus nostris ista potius intelligenda sit, qua diligimur a Deo, certum est quod velut summum et maximum donum sancti Spiritus charitatem sonet, quæ velut munere prius suscepto, per hanc ipsam diligere possimus Deum, quod *diligimur a Deo*, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quomodo nos diligat Deus, ex hoc cognoscimus, quia non solum nobis per Filii sui mortem peccata dimisit, sed et Spiritum sanctum nobis dedit, qui jam ostendat gloriam futurorum. *Utquid enim Christus, adhuc cum infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Utquid indebite pro nobis mortuus est, nisi ut manifestaret suam charitatem? cum adhuc peccatorum et scelerum languoribus premeremur. *Secundum tempus.* Sive quia in ultimo mundi tempore passus est, sive ad tridui tempus, ut prædicatur, mortuus est. Ad tempus enim mortuus est, qui tertia die resurrexit a mortuis. Apud homines mori visus est, cum apud infectos vivus inferni claustra confringeret potestate virtutis suæ.

Vix enim pro justo quis moritur. Idcirco admiranda est passio Salvatoris pro impiis, cum vix pro justo quis moritur. *Forte audeat quis mori pro justo.* Aut forte non audeat, quia ambigue dicendum est. Sed ut hoc facilius intelligatur, cogitemus fieri posse, verbi gratia, ut aliquis piissimus filius pro charissimo proque bono genitore, seu fratre, vel amico quolibet vitam suam effectu charitatis morti objiciat : pro impio vero, proque inimico, nullus animam suam tradit, nisi ille solus qui est fons summæ charitatis, bonus autem ipse est, quia et justus, dicit enim alibi : *Mandatum justum, et sanctum, et bonum. Commendat autem suam charitatem Deus in nobis.* Hoc est, dum inimicis benevolus est, et mittit eum qui salvos faciet eos, cum utique non merentur. *In sanguine ipsius.* Id est, non in brutorum animalium sanguine secundum veterem legem. *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Si per mortem Christi salvati sumus Deo, quanto magis in ejus vita glorificabimur, si eam fuerimus imitati, qui si ut reconciliaret nos sibi Deus, Filium morti tradidit, quanto magis reconciliatos A salvos faciet in vita ipsius, cum resurrexit a mortuis! quia sicut mors ejus a diabolo nos eripuit, ita vita de die judicii æterna morte nos liberabit : item pro persecutoribus Filium mori permisit, quid faciet pro justificatis, nisi servet eos ab ira ventura? *Non solum autem hoc.* Id est, non solum nobis per Christum divinæ gloriæ, sicut dicit Joannes apostolus : *Nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* (*Joan.* III). *Per quem nunc reconciliationem accepimus.* Ut qui sequentes Adam, discesseramus a Deo, per Christum reconciliemur Deo. Reconciliatio autem Dei est, cum ejus ira finitur, *Num quemadmodum per unum hominem in hunc mundum intravit peccatum*, etc. Cum supra aperuisset arcana secreta mysterii, quod cum inimici essemus Deo per mortem Filii ejus reconciliati sumus : nunc et causas cur inimici fuerimus, vel cur morte Filii Dei indiguerit ista reconciliatio, consequenter exponit, ut intuentes quanta nobis præstiterit Deus, et Dominus Jesus, imo et quanta pro nobis pertulerit, radicata erga eum fide, et inseparabili charitate teneamur. Hic cum dixerit, Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit, cur non retulit ut diceret, verbi gratia, Ita et per unum hominem justitia intravit in hunc mundum, et per justitiam vita, et sic in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes vivificati sunt? Hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere. Tamen propter negligentiores quosque, ne forte resolvi possent, si audirent quod sicut mors in omnes homines per peccatum, ita et in omnes pertransivit vita per Christum, consideravit palam hæc et publice non debere dici : simul et ostendens illud quod etiam per hominem Christum, justitia introivit in hunc mundum, hoc est, in terrenos homines, et per justitiam vita, et pertransivit in omnes homines, tamen non in præsenti statim contingere, nec otiosis accidere, sed his qui multo tempore pulsant quæ clausa sunt, et considerant quæ abscondita sunt. Sed huic Origenis expositioni occurrit illud quod alibi Apostolus ait : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur* (*I Cor.* XV); nam ibi et publice hanc Salvatoris gratiam, sive præco gratiæ manifestissime prædicat. Nec propter negligentiores quosque immensitatem gratiæ voce defectiva retinet. Mihi itaque videtur quod in hoc apostolico eloquio nullus defectus inest, sed analogica quædam similitudo elucescit. Cum itaque superius nos inimicos Deo fuisse dixerat, nunc modum et causam ipsius inimicitiæ ostendit, dicens : nam quemadmodum per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, pœnas videlicet primitus homines mordens, et per peccatum mors : sequitur analogica similitudo, et ita in omnes homines pertransisse. In quo notandum, quod ibi et conjunctio vacat, sicut in multis locis, et in apostolicis dictis hoc sæpe comperies. † Disputamus per quem in mundum introivit peccatum, ubi si requiratur exemplum imitationis, diabolus invenitur : si

B

C

D

contagium generationis, Adam. Proinde dicens Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, non imitationem, sed generationem volebat intelligi: sicut enim a muliere initium peccati fuit, sic et initium generationis a viro est: prior enim vir seminat, ut femina pariat. Ideo *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit.* Utrum peccatum, an mors, an utrumque per omnes homines pertransiisse dictum sit videtur ambiguum. Sed quod horum sit, res ipsa tam aperta demonstrat: nam si non pertransisset peccatum, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines quantum ad istam conditionem mortalium pertinet morerentur. *In quo.* Hoc est, in Adam. *Omnes peccaverunt.* Quia omnes originali peccato infantes, immunes esse non possunt, nisi ab ejus reatu per Christi baptismum resolvantur. Manifestum est in Adam omnes peccasse, ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos generavit nati sunt sub peccato. *Usque enim ad legem peccatum in hoc mundo fuit.* Hoc dictum est, non quia deinceps in nemine fuit, sed quia non poterat per litteram legis auferri quod solo poterat spiritu gratiæ. *Peccatum autem non deputabatur cum lex non esset.* Quasi ante legem peccatum non fuerit, nec reputatum fuerit, antequam lex daretur Moysi, cum legamus et Cain et Lamech reputatum esse peccatum. Et ne per singulos immoremur, in tantum pro peccatis hominum exacerbatum esse Deum, ut diluvium mundo introduceret. Et rursum Sodomitas igneus imber et sulphurea flamma vastaverat. Quomodo in vindictis talibus negabitur reputatum fuisse peccatum? Putabant se homines apud Deum impune peccare, sed non apud homines. Nec enim naturalis lex penitus obtorpuerat: quia non ignorabant quia quod sibi nolebant fieri, aliis facere non debebant. Non ergo lex naturalis apud Deum reos facere putabatur: ignorabatur enim Deus, qui judicaturus genus humanum, ac per hoc non imputabatur peccatum, quasi peccatum esset apud Deum, incuriosum Deum asserentes. At ubi lex data est per Moysen, manifestum est curare Deum res humanas, et non impune futurum his, qui male facientes in præsenti evadunt. Quippe cum Sodoma et Gomorrha per ignem judicatæ sint perire, quod oblivio quidem texerat, Moyses autem ut confirmaret Deum judicem fore, scribendo manifestavit. Lex autem naturalis tres partes habet, cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur Creator, nec ejus claritas et majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur, modestia gubernante. Tertia vero pars ejus est docibilis, ut creatoris Dei, et exemplum mortis cæteris tradatur. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Quoniam non imputabatur peccatum antequam lex daretur, ipsa usurpationis impunitate regnabat mors, id est, diabolus: omnes enim suos videbat esse, quia *qui facit peccatum servus est peccati:* impune enim peccare putantes, magis delinquebant. Quo facto gaudebat Satanas, quod causa Adæ relictum a Deo hominem in possessione haberet. *Usque ad Moysen.* Nam lege data cœpit non regnare: cœperunt enim scire homines creatorem Deum judicaturum genus humanum, et paulatim ab ejus dominio recedere. Aliter, regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, novum Moysen, atque cœlestem, non susceptorem Testamenti unius, sed auctorem Testamentorum duorum: non famulantem uni legi, sed utrique dominantem: non qui veteres jugo servos genuit, sed qui gratia nos liberos procreavit. *Regnavit ab Adam usque ad Moysen.* Quia nec lex per Moysen potuit regnum mortis auferre ab Adam usque ad Moysen, non super omnes, *sed in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Nam introivit quidem mors in mundum, et in omnes pertransivit, non tamen in omnes regnavit. Aliud est enim pertransire, et aliud regnare: peccatum etenim pertransit etiam in justos, et levi quadam eos contagione perstringit, in prævaricationibus vero, id est, quia se tota mente ac devotione deficiunt, regnum tenet, et omni potestate dominatur. Si vero, ut in nonnullis exemplaribus invenitur, *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem Adæ*, mors ista, quæ in inferno animas detinebat, regnasse dicatur, intelligimus et sanctos quoque sub istam mortem, etiamsi non peccandi, sed certe moriendi lege decidisse. Christum vero idcirco in infernum descendisse non solum ut ipse non teneretur a morte, sed eos qui ibi non tam prævaricationis, ut diximus, crimine quam moriendi ditione habebantur absolveret. Infantes sunt qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, quia non habent actuale, sed originale.

Qui est forma futuri. Sive ideo forma fuit Christi, quia sicut Adam sine coitu a Deo factus est, ita ille ex virgine et Spiritu sancto processit: et sicut ex latere Adam Eva facta est, ita sponsa Ecclesia ex latere Salvatoris formata est. Sive, ut quidam dicunt, *qui est forma futuri*, videns requiri posse e contrario, hoc est, sicut ille peccati caput, ita et iste justitiæ. *Sed non sicut delictum, ita et donum.* Cum superius dixisset Apostolus de Adam, *qui est forma futuri*, videns requiri posse, quod si Adam forma Christi, ergo et in eo quo peccavit, necesse est ut formam Christi habeat: hoc autem de Christo videbatur absurdum, continuo subjungit: *Sed non sicut delictum, ita et donum:* et incipit ex hoc sermone veluti semetipsum explanare, quomodo dixerit formam Christi esse Adam, nec sine arte profunda dicendi Apostolus formam Christi esse Adam posuit, quæ sit per genus similis, forma et specie contraria. Per genus namque similis forma in eo, quod sicut ab uno Adam in plures homines diffunditur. Species vero contraria, quod ex Adam prævaricatione certa peccatores constituti sunt multi, Christi vero obedientia justi constituuntur multi.

Multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures abundavit. Ex his asserit, completa esse, quæ defuisse in prioribus vi-

debantur : nam multum interest, quod ibi in omnes homines dixit pertransisse peccatum : hic vero donum et gratiam Jesu Christi in plures abundasse, cum et omnes homines plures intelliguntur, et plures multos intelligi non videtur absurdum, maxime cum in sequentibus dicat apertius : *Sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam omnes homines in justificationem vitæ.* Et ut evidentius ostenderet, omnes homines, et multos homines idem esse, addit his : *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, sic et per unius obedientiam justi constituentur multi;* quod superius omnes homines dixerat, hic eodem sensu multos nominavit. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, etc. Ut intelligatur, non magis in multos, cum iniqui magis multi sint qui damnabuntur, sed magis abundavit : quia in his qui per Christum redimuntur temporaliter, valet forma mortis ex Adam. In æternum autem valebit vitæ forma per Christum. Quamvis ergo, inquit, Adam futuri forma sit, e contrario tamen plus præstat Christus eis qui regenerati sunt, quam eis nocuerat ille generatis. *Sed non sicut delictum, ita et donum :* quia mors quidem unius delicto regnavit per unum. Qui autem abundantiam gratiæ et doni justificationem accipiunt, non solum ultra non regnat in eis mors, quod et ipsum utique non parvæ esset gratiæ, sed et alia duo eis feruntur bona : unum, quod pro morte in eis regnat Jesus Christus; aliud, quod etiam ipsi regnabunt per unum Jesum Christum. Cum ergo necessario hæc in eos eveniunt, id est, ut regnum mortis effugiant et pro morte regnet in eis Christus : imo ut cum eo ipsi regnent in vita, manifestum est quoniam non sit delictum ita ut donum. Volens autem Apostolus ostendere quanto majora per Christum anima recipit, quam amiserat per Adam, frequentat istos sermones, ut dicat multo magis et abundantiam gratiæ, et doni, et justitiæ, et regnabunt per unum Jesum Christum gratia Dei, quæ pertinet ad remissionem peccatorum per baptismum : donum abundantia donationis Spiritus sancti, quia multa sunt ipsius dona. *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Ex uno ergo quid nisi delicto? quia sequitur : *Gratia autem ex multis delictis in justificationem;* quomodo ex uno delicto in condemnationem? nisi quia fuit ad condemnationem etiam unum originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit. *Gratia* vero ideo *ex multis delictis in justificationem*, quia non solum illud solvit quod originaliter trahitur, sed etiam cætera quæ in utroque homine motu propriæ voluntatis adduntur. Igitur sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, subaudis, pervenerunt : nullus enim hominum, nisi per Adam, trahitur ad damnationem, de qua per lavacrum regenerationis homines liberantur, et nullus hominum ab hac damnatione, nisi per Christum liberatur : ideoque ex utraque parte dicti sunt omnes. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Sicut exemplo inobedientiæ Adæ peccaverunt multi, ita et Christi obedientiæ justificantur multi. Grande ergo crimen inobedientiæ est, quod tantos occidit. *Lex autem subintravit, ut abundaret peccatum.* Ne dicerent Judæi : Sed nobis peccata dimisit. Non, inquit, venit peccata dimittere, sed demonstrare delicta, et dum scienter peccatur, cœpit abundare delictum : ac si diceret, Ut video, lex peccata non abstulit, sed adjecit, non tamen suo vitio, sed illorum. *Subintravit* autem, hoc est, subito intravit, et ita contigit, ut abundaret delictum : quia inimicus plus exarsit, videns hominis curam habere Deum, ut illum etiam per legem reum faceret, ne Deo aspici mereretur. Aliter : ut abundaret delictum; nam abundantius et perniciosius est, quando ab sciente et prævaricante peccatur. Nam prohibente lege violentius peccatur, quam si nulla lege prohibita committantur. *Lex autem subintravit*, lex scilicet membrorum, repugnans legi mentis. Ipsa ergo subintravit legi naturæ, ut abundaret delictum. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Sicut ait Salvator : *Cui plus dimittitur, amplius diligit* (*Luc.* VII). Manifesta est enim quantitas peccati, ut sciretur gratiæ magnitudo. Est autem grandis superabundantia, quod ubi peccatum fuit et mors, ibi nunc est gratia, et justitia, et vita æterna. *Superabundavit gratia.* Donum Dei omnium peccata contexit, ut diaboli invidiam nihil profecisse doceat. Superabundavit ergo gratia, quia peccatum ad tempus regnavit, gratia autem in æternum : Dei enim est regnum gratia regnante, sicut diaboli regnum erat peccato regnante.

CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Quoniam superius dixerat, *quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* Nascentem ex hoc quæstionem nunc sibi ipse proponit : Ergo peccandum est, ut gratia plus abundet? Sed absolutionem citam quæstionis ostendit, cum dicit : *Absit.* Et continuo rationem subjecit, mortuos dicens peccato eos, in quibus abundavit gratia.

Nam qui mortui sumus peccato, quomodo amplius vivemus in eo? Vult tam firmum esse baptizatum, tamque perfectum, quasi qui peccare non possit. Superveniente gratia Dei per Christum, et in nobis per fidem lavacro spirituali regnante, cœpimus vivere Deo, mortui autem peccato, qui est diabolus. Sicut Deo vivere dicitur is qui secundum voluntatem Dei vivit, ita et peccato vivere dicitur is qui secundum voluntatem peccati, id est diaboli, vivit.

An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Observa diligentius ordinem dictorum et consequentiam : comparat enim mortem, quæ per Adam erat, vitæ quæ per Christum est, et dicit : *Non sicut delictum, ita et donum.* Et item post hæc ait legem subintravisse, ut abundaret peccatum : abun-

dante vero peccato, superabundasse gratiam. Et in his solvit quod videbatur esse contrarium, et dicit : *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* Volens rebus ipsis ostendere quid sit mortuum esse peccato, dicens : *An ignoratis, fratres,* etc. ; docens per hæc, quia si quis prius peccato sit mortuus, is necessario in baptismo consepultus est Christo. Si vero non ante quis moritur peccato, non potest sepeliri cum Christo : nemo enim vivens aliquando sepelitur. Quod si non sepelitur cum Christo, nec legitime baptizatur. Et intuere diligentius adhuc consequentiam mystici ordinis; morere prius peccato, ut possis cum Christo sepeliri : mortuo enim sepultura debetur. Si enim vivis adhuc peccato, consepeliri non potes Christo, nec in novo ejus sepulcro collocari, quia vetus homo tuus vivit, et non potest in novitate ambulare, in Christo Jesu, id est, in nomine Jesu Christi. *In morte ipsius baptizati sumus.* Hoc est in similitudinem mortis ejus. Cur Apostolus de baptismo nunc loquens, et de Jesu dixerit, *consepulti sumus per baptismum,* et nunquam dixit, Christo conbaptizati sumus? cum utique non haberetur legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis. Sed intuere prudentiam Pauli : quandoquidem in præsenti loco non tam baptismi rationem quam mortis Christi discutere cupiebat, ad cujus similitudinem etiam nos suaderet mori debere peccato, et consepeliri Christo. Et non erat utique conveniens ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum sanctum. *Verbum caro factum est,* et merito ubi caro est, ibi de morte tractatur. Si mortui sumus peccato et consepulti sumus Christo, et consurreximus cum eo, necessario videbitur secundum hanc formam ostendi, quomodo etiam cum ipso tres dies et tres noctes in corde terræ fuerimus sepulti, et vide si possimus tres dies consepulti Christo facere. Cum plenam Trinitatis confessionem capimus : lux enim Pater, et in lumine ejus, qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Faciamus autem et tres noctes, cum tenebrarum ignorantia, Patrem una cum mendacio, quod ex eo natum est calcamus. Sed et tertio loco spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetis, ut dicant : Hæc dicit Dominus, cum Dominus non misit. Sicut Christus triduana morte sepulcro conditus fuit, ita et nos intra aquæ, id est, intra cognitæ naturæ suæ trina mersione dispositi, dum descendimus, sepelimur; dum emergimus, suscitamur. Vides quid distet inter aquæ interque Spiritus sancti operationem, per quam deduci videmus in tumulum, per spiritum præparari probamus ad regnum, *ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Novitas autem vitæ est ubi veterem hominem cum actibus ejus deposuimus, et induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, et qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum (*Coloss.* III). Sicut autem vetus semper veterascit, et de die in diem semper vetustior efficitur, ita et novus hic semper innovatur, et quotidie, si dici potest, ipsa novitas innovanda est, ut nunquam sit quando hæc innovatio non augescat. Baptismum itaque resurrectionis pignus est et imago, et ideo per aquam celebratur : ut sicut aqua sordes abluit, ita et nos per baptismum ab omni peccato spiritaliter purgatos et innovatos credamus. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus.* Quid est complantari similitudini mortis Christi? quo velut plantam alicujus ostendit mortem Christi, cui nos complantatos vult nunc esse ex succo radicis ejus : radix quippe succrescens producat ramos justitiæ, et fructus afferat vitæ. Quod si vis de Scripturis agnoscere quæ sit ista planta cui complantati esse debemus, et cujus generis arbor, audi quid de sapientia scribitur : Arbor, inquit, vitæ est omnibus sperantibus in se, et qui confidunt in ea tanquam in Domino : Christus ergo virtus Dei, et Dei sapientia, ipse est arbor vitæ, cui complantari debemus, et novo quodam atque amabili dono, mors illius nobis vitæ arbor efficitur. Omnis planta hiemis tempore mortem, resurrectionem veris exspectat : si ergo et nos in Christi morte complantati sumus, in hieme sæculi ejus et præsentis vitæ, etiam ad futurum ver inveniemur fructus justitiæ ex ipsius radice proferentes. *Simul et resurrectionis erimus.* Duplex intelligitur resurrectio, una, mente et proposito ac fide cum Christo a terrenis resurgimus, ut cœlestia cogitemus; altera, quæ generalis omnium erit in carne resurrectio. Vel : *Si enim complantati,* etc., id est, si in baptismo omnia vitia deposuimus, resurgentes in novitate, et de cætero non peccemus, *simul et resurrectionis illius similes erimus,* in corporis scilicet gloria, non in divinitatis natura. *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est.* Vetus homo noster intelligendus est vita prior quam duximus in peccatis, cujus finem et interitum facimus, ubi recipimus in nobis fidem crucis Christi, per quam ita destruitur corpus peccati, ut membra nostra, quæ serviebant peccato, ultra ei non serviant, sed Deo. *Simul crucifixus est.* Scilicet Deo. Per baptismum cum Christo te crucifixum intellige, qui membrum de corpore ejus factus es, et ille quidem innoxium corpus appendit, ut noxium suspendas a vitiis : in quo mysterio Moyses serpentem æneum in deserto suspendit (*Num.* XXI). *Ut destruatur corpus peccati.* Ut destruatur corpus nostrum a servitute peccati, ut fiat mancipium justitiæ, quod solebat esse peccati : *Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. Corpus est peccati.* Id est, iniquitas, cujus caput diabolus, cujus membra enumerat Apostolus esse super terram : *Quæ sunt fornicatio, avaritia, contentio, ira, dolus.* Item secundum Ambrosium : *vetus homo noster,* malos actus crucifixos dicit, id est, mortuos. In cruce autem auctor peccati, id est, diabolus destructus est : qui enim mortuus est, justificatus est a peccato, hoc est, alienus est a peccato, mortuus enim omnino non peccat : ita et qui natus de Deo est, non peccat; crucifixus enim, omnibus membris dolore occupatis, peccare vix poterit. *Si autem mortui sumus cum Chri-*

sto. Præsenti sermone Apostolus conclusionem omnium facit quæ in superioribus astruxerat, et dicit: Si autem mortui sumus cum Christo, per hæc scilicet, quæ superius ostendit. *Credimus et convivemus ei.* Non dixit, et conviximus ei, sicut dixit *mortui sumus*, sed *convivemus*, ut ostendat quia in præsenti mors operatur, vita autem operatur in futuro, tunc scilicet cum Christus manifestus fuerit, qui est vita nostra, abscondita in Deo. Unde consequenter intelligitur quod sicut mortui non sumus, non convivemus, quia hujus non sumus membra. *Scientes quod Christus surgens a mortuis, jam non moritur.* Securitatem de resurrectione Salvatoris ostendit, ad quam sic venire continget, si melioris vitæ fuerit æmulatio: sive jam non potestis iterum baptizari, quia Christus non potest iterum pro vobis crucifigi, sicut dicit ad Hebræos. *Impossibile est, qui semel sunt illuminati*, etc. (*Hebr.* VI). Quibus non pœnitentiam negat, sed iterationem baptismi diffitetur. *Qui enim mortuus est peccato.* Quia ipse peccata nostra portavit, et pro nobis doluit, ne de cætero peccaremus: nec Christus iterum passurus erit, nec mors dominabitur in eum. *Quod autem vivit, vivit Deo.* Vivere autem Deo, ita intelligendum est, quasi expleto eo quod in forma Dei positus, *exinanivit semetipsum, formam servi accepit, et factus est obediens Patri usque ad mortem* (*Philip.* II), rursum permaneat in forma Dei atque æqualis Patri. *Ita et vos æstimate vos mortuos quidem esse peccato.* Non sine causa autem dixit, *existimate vos mortuos esse peccato*, quod melius quidem in Græco habetur: Cogitate vos mortuos esse peccato [a]. Res enim de qua sermo est, in cogitatione consistit, quia hujusmodi mors non in effectu, sed in cogitatione habenda est; qui enim cogitet vel existimet apud semetipsum mortuum se esse peccato, verbi gratia, si concupiscentia mulieris trahat, si argenti, si auri, si prædii cupiditas pulset, et ponam in corde meo quod mortuus sim cum Christo, et de morte cogitem, exstinguitur continuo concupiscentia, et effugatur peccatum. Sed et hoc quod addit, *Viventes autem Deo in Christo Jesu*, non mihi videtur otiosum: simile enim puto esse viventes Deo in sapientia, in pace, in justitia, in sanctificatione, quæ omnia Christus est. In his ergo vivere Deo, hoc est, in Christo Jesu. *Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore.* Mortale corpus est ex causa prævaricationis Adæ, ex fide autem Christi forte creditur in mortale, si non regnet peccatum.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Id est, diabolo: unumquodque membrum, si officium suum in malos usus verterit, arma iniquitatis efficitur, ad justitiam expugnandam.

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes. Peccato scilicet mortui, et justitiæ viventes. *Et membra vestra arma justitiæ Deo.* Ut oculus, qui ante videbat ad concupiscendum, nunc videat nudum ad vestiendum, sic de reliquis membris. *Non estis sub lege.* Non vos vincet peccatum, non enim estis parvuli, sed perfecti, quasi pædagogus puero dicat: Noli facere vitium sermonis, non enim adhuc audis grammaticum, sed oratorem. Si non peccemus, non sumus sub lege, sed sub gratia. Si autem peccemus, vertimur sub lege, et incipiet nostri dominari peccatum, quia *qui facit peccatum, servus est peccati. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege?* Ne dicerent, Ergo cessante vindicta legis impune peccabimus. *Absit.* Quia si peccatis, sub gratia non eritis, sed quasi sub lege, vel sub dominatione peccati. *An nescitis, cui exhibetis vos servos ad obediendum?* Nunc ne aliud profitentes, aliud faciamus, et conservi Dei dicamur, gestis autem zabuli inveniamur, præmonet et denuntiat ejus nos servos esse, cujus voluntatem operibus sectamur: nam hoc Deus accusat, dicens: *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV). Videtur parum integra elocutio, quia sit: Servi estis ejus cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obeditioni: justitiæ per obedientiam, cum ratio poposcerit dici, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati, sive justitiæ. Sed in eo qui per initium sermonis sponte profitetur, arte compositionis requirere superfluum puto, cum sensus habeatur evidentior; hoc autem est quod in hoc loco Apostolus docet, quia unusquisque in manu sua habet et in arbitrii potestate, ut aut peccati servus sit aut justitiæ; sed omnes qui faciunt peccatum, servi sunt peccati. Ad hoc respexit, quamvis non adjecerit: Et omnis qui facit justitiam, servus est justitiæ; quod fortassis putet alius idcirco subrelictum, ut cum sequentibus quasi debeat intelligi, mihi tamen consulte videtur non additum; neque enim dici conveniebat, quia omnis qui facit justitiam, servus est justitiæ, ut *omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Nam et Deus ipse facit justitiam, et non idcirco servus justitiæ dici potest; nam et ipse diabolus sine dubio peccati servus est, quippe qui descendit a servitute justitiæ. *Gratias autem Deo, quia fuistis servi peccati.* Unde vereor ne forte plures simus qui videamur suscepisse doctrinam, justitiæ videamur obedire, corde vero obediamus peccato. Movet me etiam hoc quod non dixit, obedientes ex corde, in quam traditi estis, sed *formam doctrinæ* posuit, nec puto quod unum esse senserit Apostolus doctrinam et formam doctrinæ, quod minus esse sciverit formam quam ipsam doctrinam. Et nunc quidem in præsenti vita dum in corpore sumus, formam doctrinæ habemus, non ipsam doctrinam, sicut alibi dicit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII). Ipsa autem doctrina sit de qua dicitur: *Tunc autem videbimus facie ad faciem.* Unde et in præsenti vita puto quod formam et umbram virtutum tenere possimus, ipsas vero virtutes tunc, cum venerint illa quæ perfecta sunt. Et ob hoc Jeremias fortassis in Lamentationibus dicit: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui dixit: in umbra ejus vivemus in gentibus.* Quod si Christus est justitia, et sapientia, et

[a] Οὕτω δὲ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ.

veritas, amatores ejus videbimur. *Liberati autem a peccato.* Quis est qui liberet a peccato? sine dubio agnitio veritatis : sic enim dicebat Jesus ad Judæos qui crediderant ei : Si credideritis verbo meo, agnoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Hoc est, *humanum dico,* quia nondum ad plenum potestis audire divinum : cum enim multo magis debeatis servire justitiæ quam peccato, cui ante servistis, ego tamen concedo infirmitati vestræ ut tantum justitiæ serviatis; sive ita humana ratione digna loquor, quod omnes mecum sentire possunt et nullus abnuere. Pudorem quemdam per hæc incutit Apostolus auditoribus, ut hoc saltem obsequi debeant justitiæ et sanctificationi, quod prius immunditiæ iniquitatique detulerant. Quid ergo tam humanum, quid tam leve, quid tam sine onere, et quod nulla possit prorsus infirmitas excusare? *Sicut,* inquit, *exhibuistis membra vestra servire iniquitati.* Multo enim amplius et multo intentius honoranda justitia est : si ergo, inquit, humane et communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Dudum requirebant pedes vestri dæmonum templa, nunc currant ad ecclesiam Dei; protendebantur prius manus ut aliena raperent, nunc ut propria largiantur protendantur, circumspiciant pauperes, debiles, egenos, ad miserandum; aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc convertantur ad audiendum verbum Dei, ad explanationem legis, et ad capiendam sapientiæ disciplinam; lingua, quæ conviciis et maledictis, et turpiloquiis consueta est, convertatur nunc ad benedicendum Deum in omni tempore, sermonem sanum proferat et honestum, ut det gratiam audientibus et veritatem loquatur cum proximo suo. Sed quid opus est hæc singula persequi, cum pateat etiam uniuscujusque membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptare virtutibus, et actum quem exhibuit immunditiæ, nunc ad sanctitatem et castitatem convertere? *Itaque et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificatione.* Videtur hic sane justitiam nominasse pro omnibus simul virtutibus, sicut e contrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuisse. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Hoc est, in nullo servientes ei, ita et nunc liberi estote ab omni peccato. Quilibet a Deo est, servus peccati est. Sane notandum est esse et libertatem culpabilem, et laudabilem servitutem : nam liberum esse justitiæ crimen est, servum vero esse laudabile est. Liberi a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; liberi autem non sunt a peccato, nisi gratia Salvatoris; unde liberos a justitia dixit, a peccato autem non liberos, sed liberatos, ne sibi hoc tribuerent. *Quem ergo fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis?* Nullus sine dubio fructus est in ea re quæ per pœnitentiam erubescitur, et cujus etiam recordatio verecunda est. Quadriformis autem varietas in omni iniquitate atque justitia videtur inesse : semen scilicet, arbor, finis, fructus; semen est bona sive mala cogitatio; arbor, bona vel mala voluntas; fructus, opera justitiæ vel injustitiæ, vel justificatio, vel immunditia; finis vero est mors, seu vita æterna. Non est omittendum quod fructus quidem eos, pro quibus nunc erubescimus, in quo sint noluit nominare. Eorum vero fructum qui liberati sunt a peccato, et servi facti sunt Deo, dicit esse in sanctificationem : bonorum enim frequentius quam malorum habenda memoria est. *Nam finis eorum mors est.* Finem dixit exitum vitæ et actuum, cui aut mors, aut vita succedit, sed huic fini mors, a morte autem ad mortem transit. *Stipendium enim peccati mors.* Stipendium pro opere militiæ redditur; peccatum, nam ideo dixit stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. *Gratia autem Dei vita æterna.* Bene autem metaphoram, id est, figuram militiæ ex initio propositam servat, ut militantibus sub peccato rege, imo potius tyrannide, ei a parentibus stipendia debita mortem dicat. Deum vero non erat dignum militibus suis stipendia, quasi debitum aliquod dare, sed donum et gratiam, quæ est vita æterna. Quinque autem species sunt mortis; nam prima mors est separatio animæ a corpore; secunda, separatio animæ a Deo, quæ per peccatum evenit; tertia est secundum illud quod auctor mortis ipsius diabolus mors appellatur; quarta mors nominatur inferni lacus, quo prævaricatrices animæ detinentur. Dicitur vero et illa mors laudabilis, qua peccato quisque moritur et Christo consepelitur.

CAPUT VII.

An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor. Hinc incipit difficultatem legis ostendere, ut illos hortetur ad gratiam sine ejus timore transire, ut animas eorum firmet in doctrina divina, exemploque legis humanæ utitur, ut per terrena suadeat cœlestia. Sciunt enim legem Romani quia non sunt Barbari, sed comprehenderunt naturalem justitiam, partim ex se, partim ex Græcis, sed Græci ex Hebræis; nam lex Romanis ex Athenis allata est. *Quia lex dominatur in homine, quanto tempore vivit.* Non est occultum, omnem vitam hominis esse sub lege naturæ, hæc lex generalis est. Nunc vero aliam proposuit specialem, per quam probare vult assertionem suam. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi.* Hæc lex de Evangelio est, non ex Moyse, neque ex justitia terrena. Suadet ergo Christianis mundum esse a lege factorum, non ab omni lege, nec ultra jam expedire esse sub lege, ne gratiam Dei evacuet reversus in legem. Neque legis erit adulter, sed Evangelii, qui mortua lege junctus Evangelio, postea redit ad legem. Mortua lex dicitur, quando quem continebant reum incognitus est ei : si autem servientes legi accedere se putant ad Evangelium, rei erunt et adulteri : qui viva lege junxerunt se fidei, erunt in utroque adulteri. Scientibus autem legem loquitur Paulus, id est, scientibus quæ sit in lege vetustas litteræ et novitas spiritus. Nam sicut morte viri mulier liberatur a lege conjugis, et sociandi viro alio accepit libertatem, ita anima, cujus

vir lex est, veluti mortua sibi lege secundum litteram, libertatem accepit nubendi alio viro, qui est spiritus legis, spiritus autem Dominus est.

Quod autem dixit: Lex dominatur quanto tempore vivit, non ad hominem, sed ad legem refertur. Hoc enim et in consequentibus indicat, ubi ait: *Vivente viro alligata est legi.* Et ipsius exempli quod assumptum est, plenius is ordo declarat: legem enim viri loco posuit, et de ipsa dicit:

Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Sed quomodo sit mortuus pervidendum est: potest quidem etiam in hoc videri mortuus, cum spiritualis intelligentia excludit, et velut interimit corporalem, et ostendit refugiendam esse occidentem litteram, et sequendum vivificantem spiritum. *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi.* Noluit juxta comparationem legem illis dicere mortuam, sed quod inter Judæos dicere non audebat, intellectui nostro reliquit per corpus Christi. Quomodo Salvator corpus suum zabulo crucifigendum permisit, sciens esse pro nobis contra illum: idcirco per corpus Christi salvos nos dicit factos. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur legi, hoc est, liberatur a lege. Mori autem legi, vivere Deo est. Per corpus itaque Christi hoc consequimur beneficium. Tradens enim corpus Salvator, mortem vicit et peccatum damnavit, id est, diabolum; in ipso enim peccavit diabolus, cum illum innocentem occidit per corpus Christi, in quo corpore *iniquitates nostras tulit, et peccata nostra portavit*, et qui exuit principatus et potestates, triumphans eos in semetipso.

Ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Ille fructificat Deo, qui operibus justitiæ, in pomorum modum, primitus in florem, deinde operibus in fructum, postremo ad summam pervenit maturitatem: nullus enim fructus semper in flore est. *Ut sitis alterius.* Hoc dicit, quia ideo mortui sumus, ut de cætero Christi simus servi solius, et hoc inerit fructificare Deo. Acquiritur enim qui in gratia ejus permanet, dignus resurrectione promissa.

Cum enim essemus in carne. Hoc est, cum essemus in carnali conversatione, passio concupiscentiæ operabatur in oculis, et in cæteris membris cæteræ passiones, quæ tamen per legem ostendebantur esse peccata vitiaque. Per legem erant, hoc est, per legem enim ostendebantur: per legem ostendi, non per legem fieri monstrat; index enim peccati lex est, reos faciens peccatores. Quænam ista lex est, per quam vitia peccatorum operantur? Nunquid lex Moysi, etiam si secundum litteram observaretur, vitia generat peccatorum? Sed in aperto est quod illam legem dicat membrorum quæ resistit legi mentis. Ista ergo lex est quæ facit in his qui secundum carnem vivunt, vitia peccatorum abundare, ut fructificarent morti: ad hoc namque est ista in membris nostris, ut resistentes adversum legem mentis, captivos nos ducat peccato, et hos fructus offerat morti, sive ut fructificaret morti, hoc est, ut fructum faceret morti secundæ. Lucrum enim tunc facit mors, cum peccatur. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis.* Id est, dum remissionem accipimus peccatorum: non enim habet in nos potestatem, infidis autem et peccatoribus dominatur. Lex autem mortis ideo dicta est, quia punit reos mortis.

Nunc autem soluti sumus a lege mortis. Hoc est, nos mortui cum Christo per baptismum sumus, nisi enim quis mortuus fuerit cum Christo, ab ista lege non solvitur.

Ut serviamus in novitate spiritus. Hoc est, spiritualis gratiæ præceptis, non litteræ legis. Lex enim vetus non criminis nomen est, sed temporis vel ætatis. Senuit autem, quia cessavit. Lex autem spiritus est ipsa lex fidei, quia fides in animo est, nec operibus addiscitur, sed corde creditur, et mens ipsa intelligit, naturæ suæ esse quod credit, nec oculis cernitur, nec manibus palpatur. Est et alia interpretatio legis spiritus, ut quia prior lex ab opere malo inhibuit, hæc cum nec in corde debere peccare dicit, lex spiritus vocatur, ut totum hominem faciat spiritualem. Non idcirco nos Christus abstraxit a lege peccati, ut vetustati litteræ serviamus, id est, ut circumcisionem accipiamus, et cætera quæ vetustas legis litteræ continet, sed ut legi Dei in spiritus novitate serviamus, id est, ex omnibus quæ in ea scripta sunt spiritualem sensum Spiritu donante capiamus, sicut idem Apostolus alibi dicit: *Quia velamen est positum in facie Moysi: cum autem conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus spiritus est: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III).

Quid ergo dicemus? Non ergo peccatum est lex, sed index peccati. *Bona autem et justa est lex.* Ostendere enim imminens periculum bonum est, sed hic magis gratias agit, qui ereptus a periculo vivit. *Nam concupiscentiam nesciebam.* Non dixit, Non habebam, non faciebam, sed *nesciebam*, hoc est, nesciebam concupiscentiam esse peccatum.

Occasione ergo accepta per mandatum. Omnem dicens concupiscentiam, cuncta peccata significat.

Sine lege enim peccatum mortuum est. Hic duplici genere intelligendum est, ut et zabulum in peccato sciat significatum. Mortuus dicitur fuisse zabulus, quia cessavit ab illusione hominis, quia securus erat de possessione ejus. Peccatum autem mortuum dixit, quia putabatur quod non imputaretur apud Deum, ideo apud hominem mortuum erat, quasi impune peccaretur: sine lege enim pene lex in oblivionem ierat naturalis, quæ suggerebat quid esset peccatum. Idcirco lex litteræ supra dicta est, ut commemoraret oblitos. Quid est sine lege vixisse, cui lex semper sit? nam quia sine timore Dei vivebat, securus quod non esset Deus judicaturus actus humanos.

Sed ubi venit mandatum, peccatum revixit. In fine oblivionis recognitum est peccatum adveniente mandato, ut omnis qui illud fecerit mortuum se esse cognoscat. Peccatum autem revixit, quia vixerat per

scientiam naturalem, et mortuum fuerat per oblivionem, idcirco dicitur revixisse per legem. *Ego autem mortuus sum.* Mortuus est homo, qui videt se reum apud Deum, qui ante se putabat non futurum obnoxium ex his quæ peccabat.

Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me. Peccatum hoc loco zabulum intellige, qui auctor est peccati, quique decipit hominem suggestionibus malis, ne faciat quod lex præcipit. *Itaque lex quidem sancta.* Ut nihil suspicionis perversæ remaneret in lege, sic illam commendat, ut non solum justam, sed et sanctam et bonam pronuntiet, et *mandatum* bonum : quod enim prohibet malum, bonum est. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Non enim mihi ipsa lex causa mortis existit, sed ego qui peccando invenio mortem. *Sed ut peccatum appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Inimicus, hoc est diabolus, quem in peccato significat, ut appareat esse inimicus, per bonum accepit occasionem operari homini mortem : dum enim ad illicita illum suadet, apparet esse inimicus. *Ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ante legem modum habebat per ignorantiam, supra modum est cum scienter admittitur. *Scimus autem quod lex spiritualis est.* Quia spiritualia mandat, ardua præcipit opera spiritus, prohibens peccata, et ideo non potest impleri.

Ego autem carnalis sum. Ego quicunque legem accipio, et carnaliter vivere consuevi. *Quod enim operor.* Hoc est, carne, sive carnali concupiscentia. *Non intelligo.* Non intelligit quod operatur, quia videt se aliud scire et aliud agere. *Si autem quod nolo illud facio, consentio legi Dei, quia bona est.* Si ipsum malum nolo facere quod committo, utique cum lege sentio, quæ mala non vult, sed prohibet. *Nunc autem non ego operor illud.* Hoc est, secundum spirituale desiderium non ego illud operor. Non ego operor illud, qui velut invitus operor, sed consuetudo peccati, quam tamen necessitatem ipse mihi paravi.

Sed quod habitat in me peccatum. Hoc est, consuetudo peccandi, ab Adam transfusa. Habitat autem quasi hospes, et quasi aliud in alio, non quasi accidentia scilicet non naturalia. Sicut, verbi gratia, si quis jam diu jurare vel irasci consuevit, etiam cum non optat, incurrit. *Scio enim quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Non dixit, Non est caro mea bona, sed quod *non habitat in carne,* hoc est, in carnali concupiscentia, virtutis bonum. *Nam voluntas benefaciendi adjacet mihi.* Est voluntas, sed non est effectus, quia carnalis consuetudo voluntati resistit. *Perficere autem bonum non invenio.* Hoc est, sine adminiculo gratiæ non me video facere bonum. *Non enim quod volo facio bonum.* Semper repetit ut dilucidet : hoc ergo est quod prædictum est, quia ut captivus per supradictas causas illud cogitur facere quod non vult, peccatum quod illius dominetur.

A *Jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Nunquid qui invitum hominem dicit peccare, immunis debet videri? non utique, ipsius enim vitio et desiderio hæc cœpta sunt ; qui nisi mancipasset se per assensum peccato, non illius dominaretur. Primum enim suadet ut victo dominetur. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum.* Legem Moysi asserit voluntati suæ dare consensum contra peccatum quod in carne habitat, quod aliud cogit facere quam vult homo et lex. Hic elocutiones integræ non videntur, sed tali quodam ordine legere debemus, ut intellectus lucidior fiat : Ergo quia malum mihi adjacet volenti facere bonum, invenio legem Dei, et condelector ei secundum interiorem hominem. Per quod ostendit quod interior homo, B hoc est, voluntas, et propositum, quo initium accepit converti ad Dominum, legi Dei consentit, et delectatur in ea, sed, ut diximus, non statim ut voluntatem quis habuerit converti ad bona, etiam usus bonis operis sequitur : cita enim res est voluntas, et sine impedimento vertitur, opus vero tardum est, quia et usum, et artem, et laborem requirit operandi. Verbi gratia : vult aliquis sapiens fieri, nec tamen statim ut voluit sapiens effectus est : voluntas quid præcessit, nec sine voluntate aliquis sapiens fieri potest. Sed tamen cum voluntas fuerit, adhibendus est labor, studium, sollicitudo, vigiliæ, doctrina, institutio ; et vix aliquando usu longo et meditatione continua sapiens efficitur. Iste ordo de pudicitia habendus, et de mansuetudine, et C patientia, et de singulis quibusque virtutibus sciendus est, in quibus omnibus dici convenit, quia *condelector legi Dei,* hoc est, virtutibus, *secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem repugnantem in membris meis.* Aliam legem desideria consueta dicit, vel persuasionem inimici. *Repugnantem legi mentis meæ.* Conscientiæ scilicet naturali, vel legi divinæ, quæ in mente consistit, quod supra dixit : *velle enim bonum adjacet mihi,* hic voluntatem boni legem mentis nominat, quæ lex mentis convenit cum lege Dei et consentit ei. Sed rursum motus corporis et desideria carnis, legem membrorum dicit, quæ captivam ducit animam, et peccati legibus subdit. Et sicut lex mentis, quæ consentit cum lege Dei, si animam potuerit obtinere, ad- D ducit eam ad legem Dei, ita et lex quæ in membris est, et concupiscentia carnis, si seduxerit animam, peccati eam legibus subdit. Cum hæc Paulus, assumpta fragiliore persona, intra hominem haberi certamina docuisset, exclamatione utitur adhuc ex persona illius quem descripsit, et dicit : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vidit se miserum, intra quem tot leges sibi invicem repugnant, tot prælia commoventur, pugnat caro adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem. *De corpore mortis hujus?* Merito corpus mortis appellatur, in quo habitat peccatum, quod est mortis causa, hanc dicit mortem, quam ostendit in nece hominis per peccatum inventam apud inferos. Corpus

autem mortis cuncta peccata significat : multa enim unum corpus sunt, secundum singula quasi membra uno auctore inventa, ex quibus homo ereptus gratia Dei secundam mortem evasit. *Gratia Dei.* Quem lex non potuit liberare. Nunquidnam Paulus nondum erat gratia Dei liberatus? Unde probatur quia ex alterius persona loquitur : *Mente servio legi Dei.* Legi Dei cum dicit, Moysi significat legem et Christi. *Ego ipse*, Id est, qui liberatus sum de corpore mortis. *Carne autem legi peccati.* Id est diaboli, qui per carnem subjectam sibi suggestiones malas ingerit animæ.

CAPUT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Verum est quod nulla erit damnatio eorum qui sunt in Christo, animo legi Dei servientes. Lex spiritus vitæ ipsa est lex fidei quæ, dum mortis peccata dimittit, lex vitæ est, non per litteram constans, sed per spiritum : quia corde creditur, et spiritus est qui credit. Hæc itaque lex in Christo Jesu, hoc est per fidem Christi, liberat credentem a lege peccati et mortis. Lex peccati est, quam in membris dixit habitare. Lex vero mortis Moysi lex est, quia peccatum augebat, ut reum faceret hominem apud legem, ut damnaretur ab ea. Ideoque lex reis mors est, bonis vero spiritualis est. *Aliis* enim est *odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem* (*II Cor.* II). Utrumque continet lex, et litteram occidentem, et spiritum vivificantem. Unde considera ne forte hujus rei formam teneat et illud lignum, de quo scriptum est, sciendi bonum et malum (*Gen.* II). Utrumque in uno, sicut in lege, continetur. *Nam quod impossibile erat legi.* Hoc dicit ut baptizatos securos reddat, quia a peccato liberati sunt : quia *quod impossibile erat legi.* Cui impossibile? nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subjecti eramus peccato. *Ob hoc misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati.* Aliter impossibile erat legi ut homines carnales faceret custodire justitiam mortificandæ carnis, exemplo non dato. *In quo infirmabatur per carnem.* Hoc est, in eo quod lex infirmabatur non in se, sed in illis infirmabatur. Unde subinfert *per carnem*, hoc est : per carnalem concupiscentiam. Quod dixit : *in similitudinem carnis peccati*, ostendit nos habere carnem peccati, Filium vero Dei similitudinem carnis peccati. Nam naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omnino non habuit.

Et de peccato, vel ut verius habetur apud Græcos, *pro peccato*, *damnavit peccatum in carne.* Hostiæ quas pro peccato offerebant in lege, peccati nomine vocabantur, cum ipsæ delicta nescirent, sicut scriptum est : Et imponent manus super caput peccati sui. Sic et caro Christi, quæ pro peccatis nostris oblata est, peccati nomen accepit. Quidam sane dicunt quod peccato Judæorum, quo Dominum occiderunt, peccatum diaboli, quo hominem decepe- A rat, per hominem condemnarit, sicut ad Hebræos dicit : *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium* (*Heb.* II), peccatum peccato proprio condemnavit : Christus enim a peccato crucifigitur, damnavit peccatum in carne : ibi enim damnatus est ubi peccavit, sicut et alio loco ait : *Triumphans illos in semetipso* (*Col.* II). Hoc itaque peccato reus factus Satanas, amisit dominium retentarum animarum, ut jam signatas signo crucis, in quo victus est, in secunda morte tenere non audeat. Damnavit autem peccatum, dum irrita fecit delicta remissione peccatorum concessa. *Pro peccato*, inquit, *damnavit peccatum in carne sua. Ut justificatio legis impleretur in nobis.* Ut quomodo in illis, repugnante carnali consuetudine, impleri non potuit, in nobis saltem impleatur, qui exemplo Christi mortificamus B carnem. Damnatum dicit peccatum, ut impleretur in nobis justificatio legis datæ a Moyse. Quomodo impletur? nisi cum datur remissio peccatorum, ut sublatis peccatis, justificatis appareat, mente serviens legi Dei, hoc est non secundum carnem ambulare, sed secundum spiritum. *Qui enim secundum carnem sunt.* Homo ex spiritu et carne constructus est ; quando ergo carnalia agit, totus caro dicitur : quando spiritualia, totus spiritualis appellatur ; unaquæque enim substantia, cum eam altera in suam ditionem redegerit, et vim quodammodo propriam et nomen amittit.

Quæ carnis sunt sapiunt. Id est, carnalia bona pro summis bonis concupiscunt. *Non enim quod volo hoc facio bonum, sed quod odi malum hoc ago.* Multi C hunc locum ita intelligi debere diffiniunt, ut hoc ipsum Apostolum non ex sua, sed ex peccantium persona dixisse confirment. Quid enim boni quod ille non posset implere? et quid e contrario quod malivolens et odiens admiserit? Ad quam vero peccati legem ille vas electionis, in quo Christus loquebatur, potuit captivus abduci? Non intelligentes, qui hoc diffiniunt, quod supradicta testimonia nonnisi ad solos pertineant perfectos, et eorum tantum qui apostolorum merita subsequuntur, congruant sanctitati. Cæterorum quo pacto, id est, peccatorum personæ poterit convenire quod dicitur : *Non quod volo hoc facio?* Quis enim delinquentium nolens adulteriis fornicationibusque contaminetur? Quis D invitus proximo tendat insidias? Quis necessitate cogatur, ut falso testimonio hominem opprimat furtove decipiat, aut alterius spolium concupiscat? vel sanguinem fundat, et cætera mala perficiat? Superest igitur ut hæc sententia non ex peccatorum persona, sed ex Apostoli, ipsiusque similium dicta esse intelligatur. Sed tamen diligentius indagemus quid sit principale bonum quod Apostolus non poterat perficere cum vellet. Multa enim novimus bona quæ beatus apostolus Paulus omnesque illius meriti habuisse credimus, id est, castitas, continentia, prudentia, sobrietas, temperantia, misericordia, justitia, quæ omnia in Apostolo ejusque similibus fuisse non dubium est. Quod ergo unum optat facere, scilicet

theorica, pro qua vita Maria præfertur Marthæ, ut est. *Maria optimam partem elegit.* Hæc ergo theorica, id est, contemplatio Dei, omnium justificationum genera vel merita præcellit, et illa quidem omnia, quæ in Apostolo fuisse prædiximus, non solum bona et utilia, verum etiam magna atque præclara sunt. Sed sicut, verbi gratia, stanni metallum, quod alicujus utilitatis et gratiæ putabatur, fit argenti comparatione vilissimum ; et rursum, auri contemplatione meritum evanescit argenti, aurum quoque collatione gemmarum, gemmæ vero claritate margaritarum contemnuntur : ita illa ornamenta sanctitatis, quamvis non solum ad præsens bona et utilia sunt, verum etiam donum æternitatis acquirunt, tamen si divinæ contemplationis meritis comparentur, vilia censebuntur, et comparatione theoricæ claritatis fuscantur : multum enim sanctos, quamvis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos, a contemplatione illius boni retrahunt ac tardant.

Nam prudentia carnis mors est. Ipse dicit, prudentiam humanam esse, pro malo vicem reddere. Talis ergo prudentia mortem parit transgrediendo præceptum. Spiritus vero prudentia pacem habet non reddendo vicem, et vitam in futuro percipiet. Prudentia vero a providendo est appellata. Prudentia ideo dicitur cum res stulta sit, quia industria et astutia illorum in eo est ut peccet. Sapere enim sibi videntur, si istud diligentius curent. Est et alia prudentia carnis quæ, mundanis rationibus inflata, negat aliquod fieri quod mundi careat ratione, unde ridet Virginis partum, carnis resurrectionem. *Prudentia autem spiritus vita et pax.* Vere hæc est prudentia quæ vitam requirit, et pacem sequens spiritualem, contemptis illecebris vitæ præsentis, habebit vitam cum pace, id est, sine inquietudine.

Quoniam prudentia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta. Ostendit quid dixerit inimica, ne quis putaret ex adverso aliud venire principium, subjungit et dicit. *Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Ergo facere contra legem, hoc est inimicum esse in Deum, non quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi potest nocere, quisquis resistit voluntati Dei, hoc est enim calcem mittere adversus stimulum. Sic est dictum : *Legi enim Dei non est subjecta*, neque enim potest. Tanquam si diceretur, nix non calefacit, sed resolvi potest et fervere ut calefaciat, sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic et prudentia carnalis, cum anima pro magnis bonis temporalia bona desiderare cœperit contemnere, et spiritualia desiderare, desinit esse carnis prudentia, et spiritui non resistit. Ea namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur ; cum superiora, prudentiam spiritus, non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima vel exuitur, sed ipsius animæ affectatio est, quæ omnino desinit cum se totam ad superna convertit.

Qui enim in carne sunt. Id est, voluntate carnis. A Hic apparet quod non carnem, sed opera carnis accuset. Totus mundus caro est : omne enim visibile carni deputatur, cognita enim sunt carnis, ideoque qui mundanis rebus obtemperat, in carne est.

Vos autem non estis in carne. In carne positi, dicuntur non esse in carne, sed in spiritu, hoc est, spiritualibus occupati. *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* In illo spiritus Dei habitat, in quo apparent ejus fructus, sicut ait ad Galatas : *Fructus autem spiritus est gaudium, charitas*, etc. (*Gal.* II). Hoc ideo ambigue dicitur quia in legem inducti, non adhuc perfectæ fidei erant, sed spem in eis videbat perfectionis, unde aliquando quasi perfectis loquitur, aliquando quasi perfecturis, hoc est, aliquando laudat, aliquando commonet. *Qui enim in carne sunt,* B *Deo placere non possunt.* Id est qui voluptatibus carnis acquiescunt : ne quis enim de his dictum putaret qui de hac vita nondum excesserunt, opportunissime subjunxit : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu :* utique adhuc in hac vita constitutis loquitur. In spiritu enim erant, quia in fide, spe et charitate spiritualium rerum acquiescebant.

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Spiritus autem Christi, humilitatis, patientiæ, omniumque virtutum est, qui dilexit inimicos et pro eis oravit. Spiritum Dei, nunc spiritum Christi dicit : quia omnia Patris Filii sunt. Hoc ergo dicitur, quia supradictis erroribus qui subjectus est, ad Christum non pertinet : spiritum enim ejus non habet, quem ut Filius Dei esset, acceperat. *Hic non* C *est ejus.* Cum in Psalmis dicat : *Meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, et boves* (*Psal.* XLVI). Et si feræ et jumenta ejus sunt, quomodo homines ejus non sunt? Potest et sic intelligi quod qui non habet spiritum Christi, hic non ejus est : nam hic creatura quidem ejus est, sicut silvarum feræ, et jumenta in montibus, et boves, sed discipulus ejus non est.

Si autem Christus in vobis est : corpus quidem mortuum est propter peccatum. Si Christum imitamini, carnalis sensus quasi mortuus vobis non resistit. Vel propter peccatum, etc., hoc est merito peccati. Peccati causa corpus mortuum asserit : corpus autem dicens, totum hominem significat mortuum peccati causa. *Spiritus vero vivit propter justificatio-* D *nem.* Hoc est, spiritus vivit, ut justitiam operetur : non enim hoc solum quæritur, ut a carnalibus cessemus, sed spiritualia faciamus. Mors autem corpori peccati causa, id est, ne peccet, imponitur. Quod si corpus peccato mortuum est, spiritus necessario ad faciendam justitiam vivit. Qui enim in corpore mortuus nec servit peccato, necesse est ut in spiritu vivat et justitiæ serviat. Sic et idem apostolus in quodam loco dicit tradidisse quemdam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.

Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis. Quoniam quidem supra dixerat de his qui ad similitudinem mortis Christi corpora sua mortificant, ne peccent, necessario tunc mentionem ejus facit qui

suscitavit Jesum a mortuis, ut similitudine et pari ratione, qua commortui sunt et consepulti, sciant se per spiritum ejus qui Jesum a mortuis suscitavit vivificandos esse, et ad Christi similitudinem resuscitandos esse a mortuis. Et quatenus id fiat, ostendit; dicit enim : *Propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Unusquisque sic habere in se spiritum Christi probatur. Christus sapientia est : si sit sapiens secundum Christum, et quæ Christi sunt sapiat, habet in se per sapientiam spiritum Christi. Christus est justitia : si quis habeat in se justitiam Christi, per justitiam habet in se spiritum Christi. Christus pax est : si quis habeat in se pacem Christi, per spiritum pacis habet in se spiritum Christi. Sic et charitatem, sic et sanctificationem, sic et singula quæque, quæ Christus esse dicuntur, hic qui habet spiritum Christi, in se habere credendus est, et sperare quod corporale corpus suum vivificabitur, propter inhabitantem in se spiritum Christi.

Et mortalia vivificabit corpora vestra. Quia supra propter peccatum corpus dixerat mori morte secunda, id est totum hominem, hic iterum propter bonam vitam mortalia corpora vivificare promisit, id est totum hominem. Non autem ait *qui suscitavit Jesum Christum ex mortuis*, vivificabit mortua corpora vestra, cum supra dixisset *corpus mortuum ;* sed *vivificabit*, inquit, *et mortalia corpora vestra*, ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cum animale resurget spirituale, et mortale hoc induetur immortali, absorbebitur mortale a vita.

Ergo, fratres, debitores sumus non carni. Hoc totum ait, ut ostendat eis legem non esse necessariam, quæ carnalibus data est. Spiritum Christi habitare in nobis, et dona spiritus in nobis collata superius docuit : consequenter ergo nunc addidit, quia debitores eorum sine dubio quæ a spiritu consecuti sumus. Carni autem, inquit, non sumus debitores, neque enim propterea fecit nos Deus ad imaginem suam, ut carnis servitio essemus obnoxii, sed ut potius creatori suo anima deserviens, ipsa servitio ac ministerio carnis utatur. Sed fortasse dicat aliquis : Quomodo non sumus debitores carni, cum victum ei et indumentum providere naturæ necessitate cogamur? Non ergo hoc negat nos esse debitores, sicut alibi dicit : *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Non utique negat curam carnis habendam in necessariis, sed in concupiscentiis.

Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Nihil verius quam si secundum carnem vixerimus, moriemur. Adam enim prævaricans vendidit se peccato, carni deputatus. Omne enim peccatum caro est, propterea enim quod deforis peccatum tantum est. *Si autem per spiritum facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hoc est, si spiritualibus actionibus carnis opera subjeceritis, vivetis. Notandum sane opera carnis, non substantiam condemnari ; mortificat autem quis hoc modo actus carnis. Fructus est spiritus charitas ; odium carnis est actus : odium igitur per charitatem mortificatur et exstinguitur. Gaudium similiter fructus est spiritus ; tristitia vero hujus sæculi, quæ mortem operatur, carnis est actus : hæc ergo exstinguitur, si sit in nobis gaudium spiritus. Pax fructus est spiritus ; dissensio et discordia, carnis est : sed certum est discordiam mortificari posse per pacem ; sed et cætera vitia cæteris virtutibus mortificantur. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Hos dicit spiritu Dei agi, in quorum actibus consilia principum et potestatum hujus mundi non videntur : in quorum enim videntur, non sunt filii Dei, sed Zabuli.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Judæi acceperunt, spiritum qui illos ad servitutem cogeret per timorem. Timere enim servorum est ; diligere, filiorum. Qui ergo opera charitatis voluntate nolebant, timoris vindictæ necessitate coguntur. Nos vero omnia voluntarie operemur, ut filios nos probemus. Hoc ergo est quod docet Paulus : Qui posteaquam commortui sumus Christo, et spiritus ejus factus est in nobis, non iterum spiritum servitutis in timorem, hoc est, non rursum parvuli et initia habentes effecti simus, sed quasi perfecti semel.

Jam accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus : Abba pater. Neque enim pater alius quisquam, nisi filius, vocat : Abba pater. Qui vocat patrem, filium se profitetur : debet ergo in moribus similis inveniri, ne pro nomine quoque in vacuum usurpato, majori pœnæ subjaceat. *Abba pater*, hic duo verba unum significantia posuit, propter duos populos in unum redactos, ut unum semen Abrahæ fierent.

Ipse spiritus testimonium reddidit spiritui nostro, quod sumus filii. Testimonium adoptionis quod habemus spiritum, per quem ita oramus : tantam enim arrham non poterant, nisi filii accipere.

Si autem filii, et hæredes. Cum Deus Pater nullo modo mortuus dici possit, Christus ejus Filius mortuus dicitur. Causa incarnationis quidem est, ut hic qui mortuus est, semper viventis hæres esse dicatur, cum hæredes utique non nisi mortuorum sint. Sed hæc causa humanitatis est : nam apud Deum, quæ apud nos hæreditas dicitur, donum est patris in filios obedientes transfusum. Hæres quis efficitur Dei, cum quæ Dei sunt meretur accipere, id est, incorruptionis et immortalitatis gloriam, thesauros sapientiæ et scientiæ reconditos.

Cohæredes vero Christi. Cum *transformabit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori gloriæ suæ*, sicut Apostolus ad Hebræos dicit, *Testamentum testatoris morte firmatur* (*Heb.* IX) : propterea mortuo pro nobis Christo, novum testamentum esse asserit, cujus similitudo vetus testamentum erat, in quo mors testatoris per victimam præfigurabatur. Si ergo quæratur quomodo simus secundum verba ejusdem Apostoli cohæredes Christi, fiatque hæres Dei, cum hæreditas morte decessoris firma teneatur, nec ullo alio modo hæreditas possit intelligi, respondetur, ipso quidem mortuo nos factos esse

hæredes, quo filii etiam ejus dicti sumus. *Non jejunant*, inquit, *filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus.* Hæredes ergo ejus dicemur, quia reliquit nobis pacis ecclesiasticæ possessionem, quod testatus est dicens : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Cohæredes autem ejus efficimur, quoniam videbimus eum sicuti est. Hæreditatem nos ejus patris quomodo morte adipiscimur? quia mori non potest, quandoquidem, inquit, ipse fit hæreditas nostra, secundum illud quod scriptum est : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV). Sed quomodo convocati sumus adhuc parvuli, et ad spiritualia contemplanda minus idonei? Usque ad humillimas nostras cogitationes se misericordia divina porrexit. *Cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est.* Convenienter enim dicitur moriturum esse quod auferetur : ut quomodo cum cernere niteremur quod non evidenter atque perspicue cœperamus, ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate, et idem ipse fit hæreditas, cum facie ad faciem possidetur : non quia ipse moriatur, sed quia imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur, et tamen nisi illa prior nos nutriret, ad illam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei. Quod si etiam de Domino nostro Jesu Christo, non secundum Verbum in principio Deum apud Deum, sed secundum puerum, *qui proficiebat ætate et sapientia* (*Luc.* II), pius intellectus admittit, propria illa susceptione servata, quæ communis ei cum cæteris hominibus non est, manifestum est cujus tanquam morte possideat hæreditatem; non enim nos cohæredes ejus esse possumus, nisi et ipse hæres sit. Si autem pietas non admittit ut primo ex parte videret homo Dominicus, deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit, corpore suo intelligitur hæres, id est, Ecclesia, cujus cohæredes sumus, quamvis ex nobis constet. Sed rursum quæri potest cujus morte simus nos etiam hæreditas Dei, secundum illud : *Et dabo tibi gentes in hæreditatem* (*Psal.* II), nisi forte hujus mundi, quo prius tanquam dominante tenebamur. Post autem cum dicimus : *Mundus mihi crucifixus est et ego mundo* (*Gal.* VI), possidet nos Christus, mortuo illo qui nos possidebat, cum ei renuntiamus, morimurque illi et ipse nobis.

Si tamen compatimur. Videamus ergo quid sit compati. Compati est persecutiones tolerare, et carnem crucifigere cum vitiis et concupiscentiis. *Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Hinc vult futuram gloriam commendare, ut præsentes pressuras facilius toleremus. Nihil quidem dignum inveniri vel comparari ad futuram gloriam potest : in quo enim mortale immortalibus conferas? aut invisibilibus visibilia? aut æternis temporalia? aut perpetuis caduca? Puto quod in præsenti vita consolatio quæ datur justis, secundum mensuram cruciatuum detur. Gloria vero futura, de qua dicit Apostolus, quæ revelabitur in nobis, non secundum mensuram passionum : *Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Diversi hunc locum diversis modis exponunt. Sive omnis creatura resurrectionis tempus exspectat, quia tunc in melius commutabitur; sive angelica rationalis creatura : Petrus enim dicit etiam angelos desiderare gloriam sanctorum. *Revelationem filiorum Dei exspectat.* Hoc est, cum revelabuntur ea quæ præparata sunt his qui filii Dei merebuntur esse; aut certe cum, sublato ab his velamine quo obteguntur, manifesti fuerint ipsi qui filii Dei sunt. Quæ autem est creatura quæ revelationem filiorum Dei exspectat? Hæc, inquit, quæ vanitati subjecta est. Subjecta autem non ea conditione, ut maneat semper subjecta vanitati, sed cum quadam spe. Quæ autem spes, ita commemorat, dicens : *Quoniam et ipsa*, inquit, *liberabitur a servitute.* Quid est ergo quod vanitati subjecta est, nisi quia quæ generat caduca sunt : operatur enim ut fructus faciat corruptibiles. Omnia enim quæ nascuntur in mundo, infirma, caduca, et corruptibilia, ac per hoc vana sunt, quæ statum suum tenere non possunt. *Non* autem *sponte subjecta est vanitati*, non enim sibi proderit quod subjecta est, sed nobis, et *propter eum qui subjecit eam in spe :* quoniam contradicere non potest creatura creatori suo, ejus causa subjecta est in spe. Vide ipsius solis et lunæ, ac stellarum cœli, et totius mundi ministeria, quomodo subjecta sunt vanitati, corruptionique deserviunt. Ad usum namque hominum alunt segetes, fructus producunt arborum, herbamque camporum, atque eosdem in se revertentes anni circulos volvunt : reparant enim quæ prætereunt, et præterire rursum quæ reparata sunt sinunt. Ipsos quoque angelos huic rationi credo subjectos, etiam non volentes, *sed propter eum qui subjecit in spe : voluntati enim ejus quis resistit?* Ego etiam de archangelis tale aliquid intelligere propheticis invitor eloquiis. Quid enim tantæ vanitatis et tantæ corruptionis invenies, quam bella gerere in hoc mundo, pugnas adversum me, regnum, et gentes commovere? Vide ergo quod in his præcipuum archangelici operis habetur officium, sicut Daniel propheta testatur, cum dicit, quia archangelus loquatur ad eum, qui diceret ei quod pugnaret adversum principem Persarum : *et nemo*, inquit, *fuit mihi in adjutorio, nisi Michael princeps vester* (*Dan.* X). Ergo per singula deprehenditur rationabilis *creatura vanitati esse subjecta, non volens, sed propter eum qui subjecit in spe.* Spes namque est ab his rebus corporeis et corruptibilibus aliquando cessandum : hanc enim habet exspectationem creatura ista rationalis, ut revelatio fiat filiorum Dei, propter quos angeli mittuntur in ministerium, ut et ipsi cum his quibus ministraverunt hæreditatem capiant salutis, ut cœlestium et terrestrium fiat unus grex et unus pastor, *ut sit Deus omnia in omnibus. Omnis enim creatura congemiscit, et comparturit, et dolet.* Sicut gaudent angeli super pœnitentes, ita dolent super

converti nolentes. Requirendum est cur in superioribus nominaverit creaturam, et nunquam dixerit, *omnis creatura*, ad ultimum vero dicat : *Scimus enim quoniam omnis creatura congemiscit, et condolet*, hoc est, quæ necessitati corruptibilis corporis subjacet. Omnis autem creatura est, quæ dolentibus condolet, et quæ gementibus congemiscit. Omnis autem creatura superior agones et certamina nostra spectat, et condolet cum vincimur, cum vincimus congaudet. Ipsa igitur elementa cum sollicitudine opera sua exhibent, quia et sol et luna non sine labore statuta sibi spatia implent, et spiritus animalium magno gemitu arctatur ad exhibenda servitia, satis de nostra salute sollicita sunt, scientes ad suam liberationem proficere, si modo nos citius agnoscamus auctorem.

Non solum autem illa. Non solum angeli, qui beniguiores sunt nobis, de hujusmodi dolent, *sed etiam nos*, qui jam spiritum habemus, de talibus ingemiscimus. *Primitias spiritus habentes.* Hoc ergo quod in eos præ cæteris sublimius et præclarius collatum est, sancti Spiritus donum appellavit, et ideo dicitur, *sed et nos ipsi*, in quo specialiter designare videtur apostolicam dignitatem. *Nos ergo*, inquit, *ipsi*, hoc est, apostoli, *primitias habentes*, qui electi sumus ad hoc, ut primitias spiritus acciperemus, nos ipsi *intra nos gemiscimus.* In tantum, inquit, nulla creatura est quæ doloribus et gemitibus vacet, ut etiam nos ipsi, qui summa a Spiritu sancto et electa dona percepimus, tamen exspectantes redemptionem corporis nostri, necessario dolemus et gemiscimus. Scrutare librum Quæstionum, ut scias quid de hac lectione beatus Augustinus sentiat. *Spe ergo salvi facti sumus.* Hoc dicitur quia sperando quod promisit Deus in Christo, meritum nobis fecimus ut liberemur. Ergo in spe liberati sumus, quia non aliud putamus quam credimus. *Spes autem quæ videtur, non est spes.* Quod videtur, non speratur, sed proprium est ac possidetur. Nulla enim in rebus visibilibus Christianis spes est, nec nobis præsentia promissa sunt, sed futura. *Non est spes.* Nihil est ergo prorsus sperandum in futuro de his quæ videntur. *Oculus* enim *non vidit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* Videt autem oculus cœlum et terram. Non ergo oportet hoc quod videtur credi præparatum esse a Deo his qui diligunt eum, sed cœlum quidem, imo potius cœlos multo eminentiores et celsiores quam est istud firmamentum quod videri potest. Et terra speranda est, non tamen hæc arida quæ oculis subjacet, sed illa erit mansuetorum terra quam oculus non vidit. *Spes quæ videtur, non est spes.* Tunc ergo erit res, quæ nunc spes est, cum apparuerit quid erimus, id est, similes illi, quoniam videbimus eum sicuti est. Manifestum est non esse spem quæ videtur, sed quæ non videtur, ac per hoc sperantes præmiis reficiendi sunt, quia quæ non vident sperant. *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Ideo fides per patientiam grandis est præmii, quia quod non videt, credit, et quasi jam acceperit, ita secura est de nondum acceptis, sicut dicit ad Hebræos : *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem* (*Hebr.* x). Spes enim sine patientia esse non novit, per patientiam exspectamus : hæc exspectatio patientia est.

Similiter enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Quia quæ ante petuntur quam peti debeant, et sunt contraria, non sinit fieri. Quæ autem sit infirmitas nostra, Dominus docet eum dicit : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* xxvi). Ergo infirmitas nostra ex carnis infirmitate descendit. Ipsa enim est quæ concupiscit adversus spiritum, et dum concupiscentias suas ingerit, virtutem et libertatem spiritus impedit, et sinceritatem orationis suffocat. Sed ubi viderit Spiritus Dei laborare spiritum in adversando carni et adhærendo sibi, porrigit manum, et adjuvat infirmitatem ejus; et velut magister ejus suscipiens rudem discipulum et ignorantem penitus litteras, ut eum docere possit et instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, et ipse prius dicere nomen litteræ, ut respondendo discat, et fit quodammodo magister ipse incipienti discipulo similis, ea loquens et ea meditans quæ incipiens loqui debeat ac meditari. Quid orare, quid a Deo petere oporteat ignoramus : interdum enim quæ contraria saluti sunt petimus vel cupimus infirmitate cogente. Sicut enim quis in ægritudine corporis positus non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsentis infirmitatis desiderium suggesserit, poscit a medico, ita et nos in hujus infirmitate languentes, interdum a Deo petimus quod non expedit nobis. Infirmitatem nostræ orationis ignorantiam significare declaravit : fallimur enim putantes quæ poscimus prodesse, cum non sint. Denique eidem Apostolo deprecanti ut tentationes a Deo cessarent, quia crebræ erant, dictum est a Domino : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* xii).

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hic gratiam Spiritus Spiritum nominavit; postulat autem, quia postulare nos facit gemitibus qui enarrari non possunt. Sicut tentare nos dicitur Deus, ut sciat, hoc est, scire nos faciat quales sumus. Sed et usu communi quo aliquis fieri jubet, ipse dicitur operari, ut : ille ædificavit domum, aut, ille codicem fecit, cum nec ille scripserit, nec ille struxerit. *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Ostendit quidem, non tam verba nostra in oratione, quam cor mentemque perpendi : ipse enim est qui scrutator est cordis et renum. *Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Hoc dicit, quia si imperite precati sunt, non illis obest, quia propositum cordis eorum sciens Deus, non illis imputat quæ adversa postulant, sed ea annuit quæ danda sunt a Deo amantibus; unde et Dominus ait : *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis ab eo* (*Matth.* vii). *His qui*

secundum propositum vocati sunt sancti. Secundum quod proposuit salvare sola fide quos præscierat credituros, et quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificabit operantes.

Quos præscivit et prædestinavit. Hos quos præscivit futuros devotos sibi, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda. Puto quod sicut non de omnibus dixit, *quos prædestinavit*, ita nec de omnibus dixit, *quos præscivit*. Non enim secundum opinionem vulgi communem putandum est bona malaque præscivisse Deum, sed secundum sanctæ Scripturæ consuetudinem sentiendum est. Observet enim qui studiosus est in Scripturis, sicubi invenit Scripturam dicere quod malos præscierit Deus, sicut in præsenti loco de bono manifeste dicit : Quia *quos præscivit, prædestinavit conformes imaginis Filii Dei,* de bonis tantum dici ; cæteros vero non præscire, sed nescire dicitur Deus : *Novit enim Deus qui sunt ejus.* Ad eos autem qui non sunt digni ut sciantur a Deo, Salvator dicit : *Discedite a me, quia nunquam cognovi vos, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Non quod aliquid potest illam naturam, quæ ubique est, subterfugere, sed quia omne quod malum est, scientia ejus vel præsentia habetur indignum. Fortassis ab attentis lectoribus etiam hoc requiri videbitur, cur non dixerit conformes filii, sed *conformes imaginis.* Et quamvis arduum hoc videtur et difficile, tamen vide si possumus illud dicere : Quia specialis et propria imago, quæ eam totam atque ex integro suscipit, et in semetipsa formabitur, ipsa Jesu anima dicenda est, quæ semper omnia verbo ac sapientiæ Dei ita coaptat, ut nullo prorsus ab hujus similitudine decolor habeatur : ita ut quicunque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quæ primo loco et super omnes cæteros Filii Dei imago est : ita ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, in his videlicet quorum conformatione imaginis Filii Dei primatum tenet. *Similes ei erimus,* id est, Deo, sed tantummodo Filio, qui solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus fuerat, et resurrexit, atque ad suprema provexit. Et in ista parte imago Filii Dei facti sumus, quia sicut ille habet, sic et nos conformes facti immortale habebimus corpus, non Patris imaginis ac Spiritus sancti.

Ut sit primogenitus in multis fratribus. Recte *primogenitus,* qui ante creaturam non factus, sed natus est. Est et primogenitus in regeneratione spiritus ; est primogenitus ex mortuis, cujus natura mori ignorat : est primogenitus, post victoriam ascendens in cœlos ; primogenitus igitur in omnibus frater noster dicitur, quoniam homo dignatus est nasci ; Dominus vero, quia Dominus noster est.

Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Quos præscivit credituros, hos vocavit. Vocatio autem volentes colligit. Ergo vocantur per prædicationem ut credant ; credentes justificantur per baptismum, glorificantur in virtutibus gratiarum, sive in resurrectione futura. Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda præmóecit, postmodum prædestinatio retribuenda describit. Illa prævidet merita, hæc prædestinat præmia. At adversum eos qui nobis hujusmodi suscitant quæstiones etiam hoc possumus dicere : Si quos præscivit, illos et prædestinavit : non autem omnes prædestinavit, ergo non omnes præscivit, et secundum eos erunt aliqua quæ ignorat Deus. Si vero prænoscere secundum hoc accipiatur quod prædiximus, hoc est in affectum recipere, sibique sociare, verum erit, quod sicut non omnes prædestinavit, ita neque omnes prænovit : sic enim et Jesus dicitur non cognovisse peccatum, hoc est, qui nescierit homicidium, vel adulterium, et his similia. An neque adhæsit ei peccatum, sicut scriptum est : *Qui servat mandatum, non cognoscet verbum malum,* hoc est, non recipiet verbum malum. Illos *vocavit.* Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum quem sciat adjuvare.

Quid ergo dicemus ad hæc ? Hoc est beneficia quæ prædicta sunt. Deus quomodo pro nobis sit, manifestum est ex his quæ supra exposuit, id est, quod spiritus Dei habitat in nobis, et quod spiritus Christi, vel Christus, in nobis est, quod *spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in nobis.* Vel spiritu Dei agimur. Vel quod *spiritum adoptionis accepimus.* Vel quod *sumus filii Dei et hæredes et cohæredes Christi ;* vel primitias spiritus accepimus ; vel quod nobis omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum : vel quod *secundum propositum vocati sunt,* et præcogniti, et prædestinati, et sanctificati, et glorificati. Horum omnium memoriam faciens, et simul omnia repetens ait : *Quid ergo dicemus ad hæc ?* hoc est ad hæc omnia quæ supra diximus, quia si sic Deus pro nobis est ut hæc nobis cuncta concesserit, quis esse adversum nos poterit ? Non quod omnino neminem nobis dicat adversum, alioquin quomodo stabit quod dictum a Petro : *Adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem transdevoret* (*I Pet.* V). Sed hoc est quod ostendit, quia, Deo agente pro nobis, contemptibilis et nullus efficitur adversarius vester, dicente David : *Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo ?* (*Psal.* XXVI.) *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Pro omnibus ergo tradidit eum, non solum pro sanctis, non solum pro magnis, sed pro minimis omnino, qui sunt in Ecclesia. Tradidit Filium proprium Pater, et ideo etiamsi minorum aliquem et infirmorum lædat quis percutiens infirmam conscientiam, in Christum peccare dicitur, quoniam quidem scandalizet animam pro qua Christus mortuus est. *Quomodo non per illum omnia nobis donavit ?* Quid potest habere charius quod nobis neget, qui Filium suum non negavit ? *Quis accusabit adversus electos Dei ?* Multa sunt in Scripturis quæ nisi proprio modo enuntientur, in contrariam recedunt sententiam, sicuti est : *Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus, qui justificat.* Quod si quasi

confirmative observato genere pronuntiationis suæ dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est ac si diceret. Deusne est, et subauditur, non utique, sed justificat. Quos ergo Deus elegit credentes, ac signis et virtutibus justos ostendit, quis de pristinis audebit accusare delictis? vel pro contemptu legalium mandatorum? Videtur mihi quod ait : *Quis accusabit adversus electos Dei?* de diabolo dicere : nullus enim electus, et ita magnus, quem ille non audeat accusare, nisi illum solum qui peccatum non fecit, qui et dicebat : *Nunc venit princeps mundi, et in me nihil invenit* (*Joan.* XII). Sed diligentius intuere quod non dixit Apostolus : *Quis accusabit adversum* vocatos, sed *adversum electos;* nisi enim fueris electus, et in omnibus te probabilem exhibueris Deo, habebis accusatorem. Si enim causa tua mala est, quid tibi proderit advocatus, etiamsi Jesus sit qui interpellet? Jesus enim veritas est, non potest ergo pro te veritas fallere. *Deus qui justificat*, hoc in Isaia propheta est, quod hic quasi suum ponit quia omnino est alius, qui quidem nos arguet, ne forte nos ipse Deus accuset, sed non potest quos justificat accusare simul.

Jesus autem Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ut cum ipso simus ubi ipse est. Solent Ariani ex interpellationis causa movere calumniam, dicentes : Quod qui interpellatur, interpellante sit major. Quibus respondendum est, Deum oblivionem non pati, ut cum illis moveatur semper quos elegit. Sed hoc est interpellare eum, dum semper Patri hominem quem suscepit quasi nostrum pignus ostendit et offert, ut verus pontifex et æternus.

Quis ergo nos separabit a charitate Dei? Post tanta præclara beneficia vel promissa, quæ poterit tam gravis esse pressura quæ nos ab ejus charitate divellat? *Tribulatio?* id est, omnis malorum perpessio. *Angustia?* Carceris.

Periculum? Maris, sicut scriptum est in psalmo videlicet quadragesimo tertio. *Quia propter te mortificamur*, hoc est, non propter aliud crimen, sed propter eum qui dixit : *Beati estis cum vos oersequuntur*, etc. *Tota die :* non enim sufficit mihi una hora mori pro Christo vel cruciari, sed tota die, hoc est, omni vitæ meæ tempore ; et ideo : *In his omnibus*, inquit, *superamus*. Non nostra virtute, sed propter eum qui nos dilexit, sed in his omnibus superamus, hoc est, has tribulationes pro nihilo ducimus.

Qui nos dilexit. Etiam ut moreretur pro nobis, et quando pro ejus nomine morimur, tunc maxime triumphamus.

Confido enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, etc. Pro certo confido quia nec si mihi quis mortem minetur, nec si vitam promittat, nec si se angelum dicat a Domino destinatum, nec si se angelorum principem mentiatur, nec si in præsenti honorem conferat, nec si polliceatur gloriam futurorum, neque si virtutes operetur, nec si cœlum promittat, et in inferno deterreat, vel profunditatem scientiæ suadere conetur, unquam nos poterit a Christi secernere charitate.

Neque creatura alia. Omnem pene creaturam nominavit, et non fuit hic contentus, nisi adderet : etiam si sit alia creatura, nec ipsa poterit separare. Nimirum hyperbolice hoc dicit Apostolus, hoc est, non solum per ea quæ accidere possunt, sed nec per ea quidem quæ evenire omnino non possunt, ullo pacto a Dei charitate deflectemus : verbi causa, ut si alia nobis daretur vita quam hæc quæ a Deo data est, aut si futurorum spes alia nobis promitteretur, vel altitudo, vel etiam creatura, quæ pro nobis congemiscit, quod fieri utique non potest, nec hæc quidem a charitate Dei separare nos possunt. Cum pro his, inquit, omnibus beneficiis, quæ consecuti sumus, fixi et radicati sumus in charitate Dei, quis nos ab ea poterit separare? Tribulatio si venerit : *In tribulatione dilatasti me* (*Psal.* IV). Angustia si fuerit mundi, et ex necessitate corporis veniens, sapientiæ Dei et scientiæ latitudinem requiremus, in qua nos angustare non potest mundus ; fames si adfuerit, turbare me non potest : habeo enim panem qui de cœlo descendit, et reficit esurientes animas, nec aliquando potest panis iste deficere, est enim perfectus et æternus ; et nuditas non me confundit, indutus sum enim Dominum nostrum Jesum Christum, et habitaculum nostrum quod de cœlo est semper indui spero. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XII). Periculum non timebo : *Dominus* enim *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* (*Ephes.* V.) Gladius terrenus terrere me non potest : habeo enim meum, *gladium spiritus, quod est verbum Dei*, qui est *penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV) : si ergo gladius mundi venerit super cervices meas, majorem mihi conciliat charitatem. Dicam namque ad eum, sicut scriptum est : *Propter te mortificamur tota die :* dum enim illius amore pendimus pœnas, sensum doloris non recipimus : illius enim charitas, qua nos dilexit et nostrum ad se rapit affectum, cruciatum corporis et dolorem sentire nos non facit : ideo ergo in his omnibus superamus. Item : *Neque creatura alia.* Quod ita potest intelligi, quando quidem sciebat Apostolus, multas et innumerabiles creaturas Dei, quarum etiam ipse non omnem, sed ex parte ceperit scientiam, quarumque non solum species, sed et nomina in præsenti sæculo ignorarentur

Confido enim. Confidentia est enim hæc de sponsione Christi, quia promisit in tribulatione adjuvare se dedicatam sibi fidem. Neque angelus, hoc est, nec si se angelus nobis ostendat ad seducendos nos, subornatus fallaciis patris sui diaboli, prævalere debebit adversum nos. Neque si virtus ab aliquo facta sit, sicut dicitur de Simone Mago in

secundum propositum vocati sunt sancti. Secundum quod proposuit salvare sola fide quos præscierat credituros, et quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificabit operantes.

Quos præscivit et prædestinavit. Hos quos præscivit futuros devotos sibi, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda. Puto quod sicut non de omnibus dixit, *quos prædestinavit*, ita nec de omnibus dixit, *quos præscivit*. Non enim secundum opinionem vulgi communem putandum est bona malaque præscivisse Deum, sed secundum sanctæ Scripturæ consuetudinem sentiendum est. Observet enim qui studiosus est in Scripturis, sicubi invenit Scripturam dicere quod malos præscierit Deus, sicut in præsenti loco de bono manifeste dicit : Quia *quos præscivit, prædestinavit conformes imaginis Filii Dei,* de bonis tantum dici ; cæteros vero non præscire, sed nescire dicitur Deus : *Novit enim Deus qui sunt ejus.* Ad eos autem qui non sunt digni ut sciantur a Deo, Salvator dicit : *Discedite a me, quia nunquam cognovi vos, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Non quod aliquid potest illam naturam, quæ ubique est, subterfugere, sed quia omne quod malum est, scientia ejus vel præsentia habetur indignum. Fortassis ab attentis lectoribus etiam hoc requiri videbitur, cur non dixerit conformes filii, sed *conformes imaginis.* Et quamvis arduum hoc videtur et difficile, tamen vide si possumus illud dicere : Quia specialis et propria imago, quæ eam totam atque ex integro suscipit, et in semetipsa formabitur, ipsa Jesu anima dicenda est, quæ semper omnia verbo ac sapientiæ Dei ita coaptat, ut nullo prorsus ab hujus similitudine decolor habeatur : ita ut quicunque summam perfectionis ac beatitudinis consectatur, ad illius imaginem ac similitudinem tendat, quæ primo loco et super omnes cæteros Filii Dei imago est : ita ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, in his videlicet quorum conformatione imaginis Filii Dei primatum tenet. *Similes ei erimus,* id est, Deo, sed tantummodo Filio, qui solus in Trinitate corpus accepit, in quo mortuus fuerat, et resurrexit, atque ad suprema provexit. Et in ista parte imago Filii Dei facti sumus, quia sicut ille habet, sic et nos conformes facti immortale habebimus corpus, non Patris imaginis ac Spiritus sancti.

Ut sit primogenitus in multis fratribus. Recte *primogenitus,* qui ante creaturam non factus, sed natus est. Est et primogenitus in regeneratione spiritus; est primogenitus ex mortuis, cujus natura mori ignorat : est primogenitus, post victoriam ascendens in cœlos ; primogenitus igitur in omnibus frater noster dicitur, quoniam homo dignatus est nasci ; Dominus vero, quia Dominus noster est.

Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Quos præscivit credituros, hos vocavit. Vocatio autem volentes colligit. Ergo vocantur per prædicationem ut credant ; credentes justificantur per baptismum, glorificantur in virtutibus gratiarum, sive in resurrectione futura. Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit. Illa prævidet merita, hæc prædestinat præmia. At adversum eos qui nobis hujusmodi suscitant quæstiones etiam hoc possumus dicere : Si quos præscivit, illos et prædestinavit : non autem omnes prædestinavit, ergo non omnes præscivit, et secundum eos erunt aliqua quæ ignorat Deus. Si vero prænoscere secundum hoc accipiatur quod prædiximus, hoc est in affectum recipere, sibique sociare, verum erit, quod sicut non omnes prædestinavit, ita neque omnes prænoscognovit : sic enim et Jesus dicitur non cognovisse peccatum, hoc est, qui nescierit homicidium, vel adulterium, et his similia. An neque adhæsit ei peccatum, sicut scriptum est : *Qui servat mandatum, non cognoscet verbum malum,* hoc est, non recipiet verbum malum. Illos *vocavit.* Vocare est cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum quem sciat adjuvare.

Quid ergo dicemus ad hæc ? Hoc est beneficia quæ prædicta sunt. Deus quomodo pro nobis sit, manifestum est ex his quæ supra exposuit, id est, quod spiritus Dei habitat in nobis, et quod spiritus Christi, vel Christus, in nobis est, quod *spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in nobis.* Vel spiritu Dei agimur. Vel quod *spiritum adoptionis accepimus.* Vel quod *sumus filii Dei et hæredes et cohæredes Christi ;* vel primitias spiritus accepimus ; vel quod nobis omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum : vel quod *secundum propositum vocati sunt,* et prænogniti, et prædestinati, et sanctificati, et glorificati. Horum omnium memoriam faciens, et simul omnia repetens ait : *Quid ergo dicemus ad hæc ?* hoc est ad hæc omnia quæ supra diximus, quia si sic Deus pro nobis est ut hæc nobis cuncta concesserit, quis esse adversum nos poterit ? Non quod omnino neminem nobis dicat adversum, alioquin quomodo stabit quod dictum a Petro : *Adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem transdevoret* (*I Pet.* V). Sed hoc est quod ostendit, quia, Deo agente pro nobis, contemptibilis et nullus efficitur adversarius vester, dicente David : *Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo ?* (*Psal.* XXVI.) *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Pro omnibus ergo tradidit eum, non solum pro sanctis, non solum pro magnis, sed pro minimis omnino, qui sunt in Ecclesia. Tradidit Filium proprium Pater, et ideo etiamsi minorum aliquem et infirmorum lædat quis percutiens infirmam conscientiam, in Christum peccare dicitur, quoniam quidem scandalizet animam pro qua Christus mortuus est. *Quomodo non per illum omnia nobis donavit ?* Quid potest habere charius quod nobis neget, qui Filium suum non negavit ? *Quis accusabit adversus electos Dei ?* Multa sunt in Scripturis quæ nisi proprio modo enuntientur, in contrariam recedunt sententiam, sicuti est : *Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus, qui justificat.* Quod si quasi

confirmative observato genere pronuntiationis suæ dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est ac si diceret. Deusne est, et subauditur, non utique, sed justificat. Quos ergo Deus elegit credentes, ac signis et virtutibus justos ostendit, quis de pristinis audebit accusare delictis? vel pro contemptu legalium mandatorum? Videtur mihi quod ait : *Quis accusabit adversus electos Dei?* de diabolo dicere : nullus enim electus, et ita magnus, quem ille non audeat accusare, nisi illum solum qui peccatum non fecit, qui et dicebat : *Nunc venit princeps mundi, et in me nihil invenit* (*Joan.* XII). Sed diligentius intuere quod non dixit Apostolus : *Quis accusabit adversum* vocatos, sed *adversum electos;* nisi enim fueris electus, et in omnibus te probabilem exhibueris Deo, habebis accusatorem. Si enim causa tua mala est, quid tibi proderit advocatus, etiamsi Jesus sit qui interpellet? Jesus enim veritas est, non potest ergo pro te veritas fallere. *Deus qui justificat*, hoc in Isaia propheta est, quod hic quasi suum ponit quia omnino est alius, qui quidem nos arguet, ne forte nos ipse Deus accuset, sed non potest quos justificat accusare simul.

Jesus autem Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ut cum ipso simus ubi ipse est. Solent Ariani ex interpellationis causa movere calumniam, dicentes : Quod qui interpellatur, interpellante sit major. Quibus respondendum est, Deum oblivionem non pati, ut cum illis moveatur semper quos elegit. Sed hoc est interpellare eum, dum semper Patri hominem quem suscepit quasi nostrum pignus ostendit et offert, ut verus pontifex et æternus.

Quis ergo nos separabit a charitate Dei? Post tanta præclara beneficia vel promissa, quæ poterit tam gravis esse pressura quæ nos ab ejus charitate divellat? *Tribulatio?* id est, omnis malorum perpessio. *Angustia?* Carceris.

Periculum? Maris, sicut scriptum est in psalmo videlicet quadragesimo tertio. *Quia propter te mortificamur*, hoc est, non propter aliud crimen, sed propter eum qui dixit : *Beati estis cum vos oderint et persequuntur*, etc. *Tota die :* non enim sufficit mihi una hora mori pro Christo vel cruciari, sed tota die, hoc est, omni vitæ meæ tempore ; et ideo : *In his omnibus*, inquit, *superamus.* Non nostra virtute, sed propter eum qui nos dilexit, sed in his omnibus superamus, hoc est, has tribulationes pro nihilo ducimus.

Qui nos dilexit. Etiam ut moreretur pro nobis, et quando pro ejus nomine morimur, tunc maxime triumphamus.

Confido enim quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, etc. Pro certo confido quia nec si mihi quis mortem minetur, nec si vitam promittat, nec si se angelum dicat a Domino destinatum, nec si se angelorum principem mentiatur, nec si in præsenti honorem conferat, nec si polliceatur gloriam futurorum, neque si virtutes operetur, nec si cœlum promittat, et in inferno deterreat, vel profunditatem scientiæ suadere conetur, unquam nos poterit a Christi secernere charitate.

Neque creatura alia. Omnem pene creaturam nominavit, et non fuit hic contentus, nisi adderet : etiam si sit alia creatura, nec ipsa poterit separare. Nimirum hyperbolice hoc dicit Apostolus, hoc est, non solum per ea quæ accidere possunt, sed nec per ea quidem quæ evenire omnino non possunt, ullo pacto a Dei charitate deflectemus : verbi causa, ut si alia nobis daretur vita quam hæc quæ a Deo data est, aut si futurorum spes alia nobis promitteretur, vel altitudo, vel etiam creatura, quæ pro nobis congemiscit, quod fieri utique non potest, nec hæc quidem a charitate Dei separare nos possunt. Cum pro his, inquit, omnibus beneficiis, quæ consecuti sumus, fixi et radicati sumus in charitate Dei, quis nos ab ea poterit separare? Tribulatio si venerit : *In tribulatione dilatasti me* (*Psal.* IV). Angustia si fuerit mundi, et ex necessitate corporis veniens, sapientiæ Dei et scientiæ latitudinem requiremus, in qua nos angustare non potest mundus ; fames si adfuerit, turbare me non potest : habeo enim panem qui de cœlo descendit, et reficit esurientes animas, nec aliquando potest panis iste deficere, est enim perfectus et æternus ; et nuditas non me confundit, indutus sum enim Dominum nostrum Jesum Christum, et habitaculum nostrum quod de cœlo est semper indui spero. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XII). Periculum non timebo : *Dominus* enim *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* (*Ephes.* V.) Gladius terrenus terrere me non potest : habeo enim meum, *gladium spiritus, quod est verbum Dei*, qui est *penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV) : si ergo gladius mundi venerit super cervices meas, majorem mihi conciliat charitatem. Dicam namque ad eum, sicut scriptum est : *Propter te mortificamur tota die :* dum enim illius amore pendimus pœnas, sensum doloris non recipimus : illius enim charitas, qua nos dilexit et nostrum ad se rapit affectum, cruciatum corporis et dolorem sentire nos non facit : ideo ergo in his omnibus superamus. Item : *Neque creatura alia.* Quod ita potest intelligi, quando quidem sciebat Apostolus, multas et innumerabiles creaturas Dei, quarum etiam ipse non omnem, sed ex parte ceperit scientiam, quarumque non solum species, sed et nomina in præsenti sæculo ignorarentur

Confido enim. Confidentia est enim hæc de sponsione Christi, quia promisit in tribulatione adjuvare se dedicatam sibi fidem. Neque angelus, hoc est, nec si se angelus nobis ostendat ad seducendos nos, subornatus fallaciis patris sui diaboli, prævalere debebit adversum nos. Neque si virtus ab aliquo facta sit, sicut dicitur de Simone Mago in

aere volasse; nec si in altitudine se nobis ostendat, de qua dicit Apostolus : An ignoratis altitudinem Satanæ? a juvatione nos Domini Jesu debebit auferre. Neque si per phantasiam profundam, qua seducere meditatur, nobis ostentet horrorem mirandum. Neque si futura nobis spondeat, quæ promisit Ævæ, assensum dabimus illi. Nec si arte et subtilitate astutiæ suæ aliam creaturam adjungat adorare, sicut junxerunt Jamnes et Mambres palam Pharaone, conveniens est ut per hæc a Deo creatore nos evocet, quem ignoravimus creaturam condidisse in æternum existentem. Quibusdam videtur *aliam creaturam* de idolis dictum, sed non est verum, quia hanc debuit significare quam sub admiratione seductionis videtur fingere Satanas.

CAPUT IX.

Veritatem dico in Christo Jesu. Contra Judæos acturus, primum illis satisfacit, non se odii causa hæc dicere, sed amoris, eo quod doleat illos Christo non credere, ad quos primum salvandos advenerit. Videamus quare dixerit *Veritatem in Christo*, quasi ostendens esse aliquam veritatem quæ non sit in Christo, et vide si possumus tali modo veritatem quæ in Christo est ab ea quæ non est in Christo distinguere : veritas ergo Christi esse credenda est, ubi et reliquæ virtutes, quæ Christus esse describitur, id est, ubi justitia, ubi pax, ubi est verbum Dei, ubi est et veritas Christi. Est autem veritas et injusta, ut si, verbi causa, dicamus : Dæmonium illud Pithonis, quod in Actibus apostolorum refertur in ancilla quadam habitasse et clamasse ad apostolos quod hi servi Dei summi sunt, qui annuntiant hominibus viam Dei. Erat veritas in his verbis, verum enim erat quod dicebatur, sed non erat ista veritas in Christo, et propterea conversus ad eam Paulus dixit : *Obmutesce, et exi ab ea.* Et ideo Apostolus ad distinctionem veritatis ejus, quæ extra Christum est, in Christo loquitur veritatem. Sed et hoc quod dicit : *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto*, similem mihi videtur habere intelligentiam: reddit enim testimonium conscientia etiam gentibus, secundum quod in superioribus idem Apostolus ait : *Testimonium reddente eis.* Nam non potest dici quod in malis actibus in Spiritu sancto conscientia testimonium reddat, ubi cogitationes inter se invicem sunt accusantes. In Apostolo vero, ubi cogitatio jam non habet quod accuset, recte conscientia in Spiritu sancto testimonium reddit.

Quoniam tristitia mihi est, et continuus dolor cordi meo. Esto, habeas tristitiam, esto, dolorem capias de perditione fratrum tuorum, qui sunt cognati secundum carnem, nunquid eo usque ut optes anathema fieri a Christo? Et quid tibi prodest illorum salus, si tu a salute separaberis? et quod salvaveris alios, si ipse pereas? Non, inquit, ita est, sed ego a Magistro et Domino meo [didici] A quia *qui vult animam suam salvam facere, perdet eam;* ideo et mihi videtur ille hæc omnia præmisisse, quod nulla possint a Dei charitate divellere, ut cum se offert anathema pro fratribus suis, non lapsum ejus passibilem judices, sed sicut ille qui inseparabilis a Patre est per naturam, et immortalis in mortem venit, et ad inferna descendit, ita et iste imitando Magistrum cum separari a Christi charitate non possit, a Christo anathema fiat pro fratribus suis, devotione utique, non prævaricatione. Hieronymus in libro Quæstionum ad Algasiam : *Optabam enim anathema esse pro fratribus meis.* Cerne Apostolum, quantæ charitatis in Christo sit, ut pro illo cupiat mori, et solus perire, dummodo in illum credat omne hominum genus : perire B etiam non in perpetuum, sed impræsentiarum. Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur. *Optabam*, inquit, non opto, qui scit fieri non posse effectum, tamen dilectionem circa genus humanum ostendit.

Qui sunt cognati secundum carnem. Qui propinquos et fratres appellat secundum carnem, in spiritu a se ostendit alienos. *Quorum adoptio est filiorum.* Quæ significantius Græce dicitur υἱοθεσία, de quibus quondam Dominus loquebatur : *Primogenitus meus Israel.* Adoptati enim sunt filii Israel a Deo tunc *cum divideret Excelsus gentes, et dispergeret filios Adam secundum numerum angelorum* [*filiorum Israel*], *et facta est portio domui Jacob funiculus hæ-* C *reditatis ejus Israel* (*Deut.* XXXIII). Adjecit adhuc ut et alios pro his dolere faciat, dicens : *Et glòria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa.* De gloria datæ legis sæpe jam dictum est, sicut et ipse Apostolus dicit : Si enim quod evacuatur per gloriam est, hoc est Vetus Testamentum, multo magis quod manet in gloria est, Evangelii scilicet prædicatio. Sed quod dicit, Testamentum et legislatio, unum fortasse dicere nonnullis videtur : lex enim quæ data est ipsa etiam Testamentum appellatur. Sed ego hanc esse distinctionem puto, quod legislatio quidem una fuerit, et semel habita per Moysen. Testamenta vero frequenter statuta sunt : quoties enim peccaverunt et abjecti sunt, toties exhæredati videntur. Et rursus quoties repropitiatus D dicitur Deus, revocavit eos in hæreditatem suæ possessionis, toties reparasse testamenta, et hæredes eos scripsisse credendus est. Obsequium sacerdotalia dicuntur officia. Promissiones, quæ patribus factæ sunt, et separatim dandæ his qui per fidem filii dicuntur Abrahæ.

Quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem. Hoc est, Abraham, Isaac, Jacob et cæteri. *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Super omnia, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* II). Hæc sunt omnia super quæ dixit Deus, Christus est : nulla autem discretio est, quia qui adorat Filium adorat et Patrem : et qui servit Patri servit et Filio. *Non*

enim excidit verbum Dei. Apostolus hanc sententiam profert de reprobatione Judæorum, et de electione gentium in fidem secus Judæos; quod plangit Apostolus dicens: *Quoniam tristitia est mihi.* Hic etiam incipit ratiocinare quare, alto et justo judicio Dei repulsis Judæis, gentes sint intromissæ: quia superius dixerat dolere se quod genus Israel proprio vitio excluderetur a regno, quorum hæc omnia fuerant: hic ostendit illos qui non crediderunt, non esse filios Abrahæ, ne omnibus Judæis prædicare putaretur et objiceretur illi: Nunquid ergo Deus mentitus est Abrahæ?

Nec enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ. Hoc est quod vult intelligi, non ideo dignos posse omnes quia filii sint Abrahæ: sed illos esse dignos qui filii promissionis sunt, id est, quos scit Deus promissionem suam suscepturos, sive ex Judæis, sive ex gentibus: hi enim digni sunt dici Israelitæ, id est, videntes Deum. Nam de Isaac utique omnes hi filii sunt Abrahæ, quia omnis propago generis Judæorum per Isaac est: sed quia, sicut dixi, hi sunt vere filii Abrahæ, qui promissionem sequuntur quæ in Isaac facta est. Ac per hoc reliqui filii non sunt dicendi Abrahæ: Abraham enim credens Isaac accepit propter fidem, quia credidit Deo, in quo mysterium futuræ fidei designatum est, ut illi essent fratres Isaac qui eamdem fidem haberent in qua Isaac natus est, quia Isaac habuit typum Salvatoris. Natus est ex repromissione, ut qui credidit Christum Jesum promissum Abrahæ, hic filius sit Abrahæ, frater vero Isaac. *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* In Isaac solo vocati sunt etiam tunc filii Abraham, non etiam in Ismael, cum et ipse ex ejus stirpe descendat: Ismael enim secundum usum carnalem natus est ex ancilla, Isaac vero super naturam ex senibus, ex repromissione Dei est generatus. Ita nunc Christianos promissio facit filios Abrahæ, qui meruit fide ut pater sit plurimarum gentium. *Promissionis enim verbum hoc est.* Proposuit ergo Apostolus persequi, quia licet repudiatus sit populus Israel per infidelitatem, non tamen promissiones Dei quæ erga eos habitæ fuerant, decident et frustratæ sint: docetque quia cum multi fuerint filii Abrahæ, in solo Isaac sit facta promissio. *Non enim, inquit, qui filii carnis, hi sunt filii.* Contendit ostendere quomodo Isaac non filius sit carnis, sed sit filius Dei, et redit ad ea quæ de ipso in Genesi scripta sunt. *Promissionis, inquit, verbum hoc est: Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius.* Non ergo, inquit, per ordinem nativitatis carnalis Isaac nascitur: Quippe cum et Abraham emortui jam corporis haberetur, et vulva Saræ emortua esset, sicut supra dictum est, sed per virtutem ejus qui dixit: *Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius.* Merito ergo non carnis, sed filius dicitur, qui ex adventu et sermone nascitur Dei. Hæc ergo, inquit, ratio, non solum de Isaac, sed et de Jacob recipienda est: Nam et Rebecca, inquit, non secundum carnalis nativitatis ordinem protulit partum. Cum enim ex uno concubitu Isaac geminos concepisset, nondum partu edito, neque ullis actibus puerorum bonis malisve inter homines habitis, erga Jacob divina habetur electio, et dicitur, *quia major serviet minori: Jacob dilexi, Esau autem odio habui:* Seir, pilosus; Edom, sanguineus. *Ad hoc tempus veniam.* In Genesi ita legitur hæc sententia, trium Abrahæ loquentium in valle Mambre qui dixerunt ad eum: *Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit: In tabernaculo est. Cui dixit: Revertens veniam ad te tempore isto, et habebit filium Sara uxor tua, et erit Saræ filius.* Hic ostendit posteriorem populum more Isaac esse promissionis, hoc est, in Genesi, quod præfiguratum in Christum est, ut futurus Christus promitteretur filius Abrahæ, in quo promissionis verbum impletur, ut in Christo benedicerentur omnes gentes terræ. Quando enim promissio facta est Abrahæ, in qua promissione et audivit Abraham: Quia *in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, Christus utique illi promissus est ex traduce Isaac, in quo hoc completum videmus. *Non solum autem illi, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Hoc est, non solum Isaac et Ismael, qui quamvis uno patre, diversa tamen matre generati sunt, non sunt unum apud Deum, sed etiam Jacob et Esau, qui ex uno sunt de Rebecca nati concubitu, antequam nascerentur, apud Deum fidei sunt merito separati, ut propositio jam maneret. Ita ergo et nunc quos præscivit de gentibus credituros, elegit, et ex Israel rejecit incredulos. Non tantum ergo Sara in typum dicitur generasse Isaac, sed et Rebeccam uxorem Isaac. Sed alia causa est in Isaac, alia in Jacob et Esau, quia Isaac in figura Salvatoris natus est, Jacob et Esau duorum populorum habent typum, id est credentium et non credentium. Ut ex uno sint diversi, sint tamen unum. In singulis enim et gens significatur, ut unius generis dicantur, qui in causa fidei unum sunt, vel perfidiæ, unus enim significatur in multis, non per traducem carnis, sed per communem causam, quæ ex Esau et Jacob laudatur. Omnes ex eo nati, filii ejus merito dicendi sunt, aut quia Esau displicuit, omnes ex ejus origine reprobi sunt, cum videamus et de Jacob traduce natos factos perfidos, et Esau fideles, et Deo charos. Nam quia de Jacob multi sunt perfidi, dubium non est. Omnes enim Judæi non credentes ex eo habent originem: et quia de Esau sunt boni et fideles, probat Job, qui est filius Esau, quintus ab Abraham, hoc est, nepos Esau. *Ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Quæ intelligitur prima geminos edidisse, in eo quod quasi novum aliquid accesserit, præterita Deum interrogaret. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori.* Præscientia Dei flagitatur in his causis, quia non aliud potest evenire quam novit Deus futurum. Unum elegit præscientia et alterum sprevit; et in illo quem elegit, propositum Dei manet, quia aliud non potest evenire quam scit, et proposuit, ut salute dignus sit. Et in illo

quem sprevit, simili modo manet propositum, quod proposuit de illo, quia salute indignus erat. Sciendo enim quid unusquisque illorum esset facturus, dixit : Ille erit dignus qui erit minor; et qui erit major, erit indignus salute; hoc quasi præscius, non personarum acceptor, dicit : Nam neminem damnat antequam peccet, et nullum coronat antequam vincat. Præscientia enim diffinitum habet, qualis uniuscujusque futura voluntas sit in qua mansurus est, per quam damnatur aut coronatur. Denique quos scit in bono mansuros, frequenter ante sunt mali : et quos malos scit permansuros, aliquoties sunt prius boni. Unde cessat querela, quia Deus personarum acceptor non est.

Major serviet minori. Majorem populum Judæorum minori Christiano serviturum dicit. Aut *major*, id est, Idumæus populus, *serviet minori*, id est Israelitico populo.

Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid mirum est si justitia diligat innocentiam, et si respuat iniquitatem apud quem etiam futura sunt facta? Sed requirendum quare hoc dicatur, cum alibi scriptum sit : *Non est acceptio personarum apud Deum* (*Malach.* I). Si quis habet duos debitores, et alteri vult dimittere debitum, ab altero exigere, cui vult donat, sed neminem fraudat. Ambo gemini natura filii iræ nascebantur : nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed quod dixit : *Miserebor cui misertus ero*, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Sentiens autem quemadmodum hoc quod dictum est permoveret eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ,

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? Absit? Iniquitas enim videtur, ut sine ullis bonorum malorumve operum meritis, unum Deus diligat, alterum oderit. Qua in re, si futura opera vel bona ejus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret : *non ex operibus*, sed diceret ex futuris operibus : eoque modo istam solveret quæstionem : Moysi enim dicit : *Miserebor cui misertus ero* (*Exod.* XXXIII). Hoc in Exodo dictum est, quando ad rationem vituli Deus in populum vindicare proposuit. Hæc elocutio ita intelligenda est : Cujus justitiam esse cognovero, cujus promptam fidem videro, quem præceptis meis obedire perspexero, quem meam voluntatem facere probavero.

Et misericordiam, inquit, *præstabo cui miserebor.* Id est, cum collatam a Deo misericordiam subdita et sollicita mente servaverit, ampliorem consequetur. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex persona contradicentis sibi dicit Apostolus : *Nunquid iniquitas est apud Deum?* et initiis respondet : *Absit*, ut ad omnia cætera, quæ ex persona contradicentis objicienda sunt, ab Apostolo semper responderi videatur : *Absit.* Iste ergo qui contradicit utitur Moysi verbis, quibus dicit ad eum Deus : *Miserebor cujus misertus ero.* Quod si ita est, inquit, *non* ergo *volentis, neque currentis* est salus, sed ejus cui miseretur Deus. *Nam et Pharaoni inquit Deus : Quia ad hoc ipsum te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ut ex hoc videatur ostendi quia si ad hoc electus est Pharao ut per eum virtus Dei omnibus declaretur, non fuit in sua potestate quod periit. Et addit post hæc omnia :

Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat. Hoc est, inquit, quod asseverasti qui contradicis : quod sine causa conqueritur, et arguit homines Deus. Si enim ipse quem vult eligit, et quem vult abjicit, *Voluntati ejus quis resistet?* Per quæ omnia illud sine dubio contradictio ista molitur, quod in hoc non sit libertas arbitrii, nec habeat unusquisque sui potestatem ut salvetur, aut pereat. Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum. *Non volentis, neque currentis*, etc. Cum procul dubio si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, neque ad palmam supernæ vocationis Dei pervenire, nisi voluntate cucurrerit : quomodo non volentis, neque currentis est, nisi quod ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Domino præparatur? Et in alio loco Apostolus dicit : *Deus enim, qui operatur in nobis et velle et operari.* Alioqui si propterea dictum est, *non volentis*, quia ex utraque sit, id est, ex voluntate hominis et Dei misericordia. Ut sic dictum accipiamus, *non volentis, neque currentis*, tanquam diceretur, Non sufficit hominis voluntas sola, si non sit etiam misericordia Dei : non ergo sufficit sola misericordia Dei, nisi sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si recte dictum est : Non volentis hominis, sed miserentis Dei est, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non e contrario recte dicitur : Non miserentis Dei, sed voluntatis est hominis? quia id misericordia Dei non implet. Porro si nullus dicere Christianus audebit : Non miserentis Dei est, sed voluntatis hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intelligatur : *non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam præparat ad adjuvandum, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia : quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa : nam utrumque legitur in sanctis eloquiis : *Et misericordia ejus prævenit me, et misericordia ejus subsequetur me;* nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique volentibus pie vivere, nisi ut Deus operetur in eis et velle? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, a quo factum est ut velimus? Oremus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia ejus præveniat eos, sicut prævenit nos. Oremus pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos. Item *non volentis,*

neque currentis; nam libero arbitrio male utens nomo, et se perdidit, et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, neque seipsum poterit resuscitare cum occiderit : ita cum libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est liberum arbitrium : *a quo*, enim *quis devictus est, huic et servus addictus est*, sed ad benefaciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat, cujus illa vox est : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis : Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Qui vult et qui currit, hoc videtur esse quod est ille qui plantat : et eum qui rigat nil esse dicit Apostolus, non quo nihil habeant, sed quoad comparationem Dei qui incrementum operi vel effectum dat, illi nihil esse ducantur. *Quia in hoc ipsum te excitavi ut ostendam in te virtutem meam.* Hoc autem fecit Deus more sapientissimi patrisfamilias, qui unicuique servorum suorum opera virtutibus et artibus eorum convenientia proponit. Si quis vero inobediens et rebellis corrigi verberibus noluerit, pœna digna ei promittitur et mors, ut cæteri servi illas pœnas videant, et terrore correpti similia committere non audeant. Sic nimirum Pharao rebellis, decemque plagis percussus, corrigi non valuit, donec iram judicis emeruit, per quam suum populum emendare Deus voluit. Ponamus ergo patremfamilias istum, id est Deum, vel regem, vidisse tempus quo emendari deberent hi qui in ejus mores ac disciplinam multa commiserant, et eis dedisse aliquem durissimum, et his ipsis qui corripiendi sunt multo duriorem, qui pro sceleribus suis jam non sit dignus emendatione, sed morte. Volens vero interitum ejus ad emendationem proficere cæterorum, mittit eum ad illos quos morte ejus corrigi cupit, et dicit ei : Quia *ad hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam.* Vide enim quod non dixit, Ad ipsum te feci, ne ad conditorem referri culpa videretur, sed ait : *Ad hoc ipsum te suscitavi*, ut per animi tui malitiam, quam infrenis et sine Dei timore vivendo quæsisti, et in alios irrogetur utilis ac fructuosa correctio, et in te ipsum, ad posteritatis exemplum, famosissimus conferatur interitus. Cum Dei misericordiam commendasset, in eo quod ait : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, deinde, ut etiam commendaret judicium, quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed judicium debitum : non est quippe iniquitas apud Deum, continuo subjunxit atque ait : *Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc te excitavi.* Quibus dictis utraque concludens, id est, ad misericordiam et judicium. *Ergo*, inquit, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Miseretur scilicet magna bonitate, et obdurat nulla iniquitate, ut neque liberatus de suis meritis glorietur, neque damnatus nisi de suis meritis conqueratur : sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreaverat massam, ab origine ducta causa communi. Ergo per misericordiam, cui vult miseretur, et per judicium, quem vult obdurat, nec tamen inique aliquid facit. Vis scire quia divina moderatio in Pharaone causam induratæ mentis operatur : id est, ipse Pharao in decem plagis positus cum percuteretur, mitigabatur; cum relaxaretur, ingravabatur, ac impium divina severitas inclinabat, bonitas obdurabat : castigante Deo populum, dimittebat, parte revocabat. Perspicue quomodo rebellem spiritum cœlestis lenitas obdurat, accedentibus mitescit flagellis, recedentibus insolescit. Dei patientia induratus est Pharao, cessante enim plaga Dei durior fiebat; et quamvis sciret eum non converti, tamen etiam in ipso suam clementiam voluit demonstrare. *Et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ut in hoc cæteræ gentes addiscerent non esse alium Deum præter hunc qui Judæorum erat : ad hoc ergo servatus est Pharao, ut multa signa et plagæ ostenderentur in illo, quasi jam mortuo : suscitatus autem dicit ei quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit ut vivere videretur. *Quid igitur queritur adhuc?* Tanquam propterea non videatur esse malus culpandus, quia Deus cui vult miseretur, et quem vult obdurat. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Hoc loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendæ rationis repressisse audaciam contradictoris. Sed magnum habet pondus quod dictum est : *O homo, tu quis es*, etc. Et ut in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocaret hominem : verbo quidem sed reipsa magna conredditio rationis; si enim hæc non capit, *quis est qui respondeat Deo?* si capit, magis non invenit quod respondeat. Vide enim universum genus humanum tam justo judicio divinoque in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam. Et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis atque damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, quod etiam justos debitum judicium Dei damnaret, nisi in ejus debitum misericordia subveniret, ut volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur : et *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nec Apostolus hoc loco sanctos prohibuit a quærendo, sed eos qui nondum sunt in charitate radicati et fundati, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, quæ in eodem loco exsequitur. Non ergo prohibuit a quærendo qui dicit : *Spiritualis autem omnia judicat, ipse autem a nemine judicatur.* Quos ergo prohibuit, nisi luteos atque terrenos qui, nondum intrinsecus generati atque nutriti, imaginem illius hominis portant qui primus factus est *de terra terrenus?* Talibus dicit Apostolus : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se fingit, Quare sic me fecisti?* Quandiu ergo figmentum es, nondum perfectus filius, quia nondum hausisti plenissimam gratiam, qua nobis data est potestas filios Dei fieri, qua possis audire : *Jam non aitam vos servos* (*Joan.* 1), *Tu quis es qui respondeas,*

et velis nosse Dei Filium? Legimus et in Evangelio eos qui proterve et infideliter inquirebant a Domino *in qua potestate hæc faceret, et quis ei dedisset potestatem hanc* (*Matth.* XXI), responsione quidem indignos habitos. Similiter quoque et in præsenti loco, motum videmus Apostolum, et adversum insolentes quæstiones per ea quæ respondit proponentis contumaciam confudisse : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Certe hoc est homo apud Deum quod apud figulum lutum; et sicut servus nequam, si forte videlit domino fieri debere aliquod opus, quod et rationis et utilitatis plenum sit, ille autem operari nolens ea quæ is jubet, discutere incipiat, et requirere a domino ut quid hoc opus fieri jubes? cui prodest? ubi necessarium est? contumaci servo quæ erit tam digna responsio, nisi ut dicatur ei : *Tu quis es qui respondeas Deo?* ita placet, ita Domino videtur. Si fidelis servus et prudens interroget, volens intelligere et mirari sapientiam Domini, quod dicatur ei : *Tu quis es?* denique cum Daniel propheta voluntatem desiderasset agnoscere : unde et *vir desideriorum* appellatus est, non est ei dictum, *Tu quis es?* sed missus est angelus, qui eum de omnibus Dei dispensationibus et judiciis edoceret (*Dan.* IX). Et nos si aliquid de secretis Dei et reconditis desideramus agnoscere, desideriorum et non contentionum viri sumus, occultius in divinis litteris inserta Dei judicia fideliter et humiliter requiramus, propterea namque et Dominus dicebat : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* XV). Legentem hæc meminisse convenit attentius similitudinis illius, quia in superioribus libris apostolici sermonis dispensatione posuimus : ut tanquam regiæ cujusdam domus, quæ multiplicibus sit ingressibus egressibusque distincta, et ex uno in aliud conclave ita transeatur ut vix ingredientis indicia aut egredientis appareant : ita etiam Paulum divinorum secreta paululum quidem subaperientem videri, non tamen plane aperteque pandentem. Denique cum pro his quæ superius dixerat de Isaac, et de Jacob, quid per electionem exposito Dei antequam aliquid operis boni malive gessissent Deus dixerit, vel de illo : *Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius.* Vel de hoc : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Cum in præsenti autem capitulo introduxisset aliquam personam, velut contradicentem sibi, et quæstiones moventem, et diceret : *Nunquid iniquitas est apud Deum?* et si *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est :* et si Pharaonem propterea elegit, ut in ipso potentiam suæ virtutis ostenderet, et si ipse cujus vult miseretur, et quem vult indurat : utquid de omnibus, inquit, queritur, et cur qui peccat culpatur? cum talis de uno quoque ipsius voluntas habeatur. Hæc ergo et his similia commoventi, atque in hujusce mysterii cubiculum protervius et importunius ingerenti, cum increpatione dignissimæ exclamationis occurrit : *O homo, tu quis es, qui* contra *respondes Deo?* quasi diceret, Tu quis es, qui te in aulam regis immergis, et interioris cubiculi ausus es secreta penetrare? *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me feciisti sic?* (*Isai.* XLV.) Hoc de Isaia propheta est, quod hic proprium quasi ponit, per quod ostendit, contra auctorem opus ejus non posse : in potestate enim auctoris est qualem velit condere creaturam. Quid sibi vult homo de hac massa perditionis, ut Deo respondeat, et dicat : Quare sic me fecisti? Si vis ita cognoscere, noli esse lutum, sed efficere filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus : non autem, ut tu cupis, antequam credant divina nosse cupientibus.

Aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. De Pharaone facile respondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei cederet. *Ex eadem enim massa.* Id est, peccatorum et misericordiæ vasa protulit, quibus subveniret cum deprecarentur filii Israel. *Et vasa iræ.* Quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem et populum ejus, qui quamvis essent utrique peccatores, et propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis subveniret : aliter illi, quorum injustis oneribus ingemuerant. *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam.* Quia illum diu sustinuit blasphemantem, et duris operibus suum populum affligentem; præterquam quod innoxiam ætatem parvulorum crudeliter jusserat enecari. Vasa autem misericordiæ Israelitas dicit, qui digni erant misericordia, quia et minora admiserant, et graviter fuerant afflicti. Sæpe de incompositis elocutionibus Apostoli, defectibusque earum commonuimus, quod in præsenti loco nihilominus invenitur : non enim redditur ad aliquid hoc quod ait in principio capituli, quod si volens Deus, verbi causa, ut in aliis ipse dixit : *Quod si primitiæ, sancta est et massa.* Nihil mortale reddit, sed quasi vagam conjunctionem istam reliquit, quæ etiamsi non assumatur, lucidior absque ea dabitur intellectus. Verbi causa, ut ita legamus : *Volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, in perditionem apta, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ.* In quo videtur intelligi quia, dum sustinet Deus et patienter fert incredulos et infideles, notam facit hominibus et patientiam et potentiam suam. Patientiam, dum diu sustinet si forte resipiscant et convertantur; potentiam, dum aliquando punit. Et rursus in vasis misericordiæ, hoc est, qui semetipsos emundaverunt, notas facit divitias gloriæ : quæ vasa non irrationabili aliqua, aut fortuita gratia, sed quoniam a peccati sordibus se expurgaverant præparavit in gloriam. Notam ergo facit Deus potentiam suam, dum impios castigat et corripit, ut secundum Scripturæ sententiam, dum flagellatur pestilens, innocens astutior fiat (*Prov.* XIX). Quidam vero a superioribus repetunt : *O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? Quod si volens Deus ostendere iram*, etc. Patientia et longanimitas est Dei, quæ sicut malos præparat ad inter-

itum, ita et bonos præparat ad coronam : divitiæ autem gloriæ sunt, dignitas multiplex præparata credentibus. Eo ipso quod ait : *In multa patientia*, satis significavit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit, ut opportune tunc vindicaret, quando illorum vindicta subvenienda erat : his qui liberantur innotescunt divitiæ Dei, cum erga eos qui inter homines spernuntur, et humiles sunt, misericordia ejus ostenditur quod non in divitiis suis, nec in potentia sua, sed in Domino sperant : sicut et tunc Hebræorum gens dispersa inter homines et abjecta, a Deo misericordiam consecuta est. Ita ergo etiam populus gentium qui spernebatur et desperabatur ab his qui in circumcisione gloriantur, misericordiam consecutus est. *Vocabo non plebem meam, plebem meam.* Apertum est de gentibus dictum, quia prius non erat plebs Dei, postea autem ad opprobrium Judæorum misericordiam accipientes vocatæ sunt, ut in loco ubi non vocabatur plebs Dei vocarentur ibi filii Dei vivi : prius enim nusquam vocabantur filii, nisi in Judæa, hoc est, in Hierusalem, ubi domus Dei erat; ut : *Notus in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV). *Isaias autem proclamat pro Israel*, hoc est, clamat pro his qui credunt in Christum, hi enim vere Israelitæ, sicut dicit Dominus ad Nathanael? *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I). *Reliquiæ salvæ fiant.* Paucitatem eorum credituram esse demonstrat. Providens de futuris propheta videbat quod plurimi ex Israel futuri erant vasa iræ non credentes vitæ suæ, sed Dominum majestatis crucifigentes, illi qui non salvantur, tanquam arena maris sunt : reliquiæ vero salvæ fiant, tanquam stellæ cœli sunt : utrumque enim promissionis, quæ ad Abraham facta est, continet sermo : *erit*, inquit, *semen tuum sicut arena maris.*

Verbum enim consummans et brevians in æquitate. Historiæ habet hoc sensus ; Sicut ego verbum abbrevio et cito diffinio, ita Deus hoc omni velocitate perficiet. In prophetia autem breviatum verbum Novum Testamentum accipitur, quia in eo omnia breviter comprehensa sunt et clausa. Salvari hos promittit, quos reliquos dicit per verbum quod brevlavit Dominus super terram, hoc est, per fidem, cum sublatis omnibus neomeniis, et sabbato, et circumcisione, et lege escarum, et oblationibus pecorum, sola fides proposita est ad salutem quæ abbreviata est ex lege : quia quæ in fide sunt habentur, dicente Salvatore : *De me enim scripsit Moyses.* Sive verbum breviatum est totius doctrinæ, ut quod prius lex et prophetæ continebant in latitudine præceptorum, veniens Dominus pronuntiaret, et diceret : *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum : in his duobus mandatis pendet omnis lex et prophetæ* (*Matth.* XXII), in quo evidenter prophetas et legem duobus his sermonibus brevlavit. Potest et breviatum verbum dici symboli, quod credentibus traditur, in quo totius mysterii summa paucis connexa sermonibus continetur.

Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, etc. (*Isai.* I). Quia non est pusill

Hierusalem, quæ propter notitiam Dei non immerito excelsa dicta est, in qua Salvator a Deo Patre positus prædicator, offensio factus est Judæis, dum se Filium Dei prædicat, natum de Spiritu sancto ex muliere. Per corpus autem contra scandalum passi sunt, et dicebant : *Nonne mater ejus et fratres ejus apud nos sunt* (*Marc.* VI)? quomodo ergo hic dicit, quia de cœlo descendit? Hæc itaque petra scandalum est Judæis et petra offensionis, quæ petra sine dubio corpus intelligitur Salvatoris, hæc excisa sine manibus, propterea quod sine viro de Spiritu sancto nata est. *Omnis qui credit in eum non confundetur.* Non Judæus solus, sed omnis qui crediderit, de pristinis delictis non confundetur.

CAPUT X.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, etc. In his quæ nuper exposita sunt, multis testimoniis adversum Israel usus est prophetarum, ita ut proferret de Isaia : *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset semen*, etc., propterea solari nunc rursus populum volens, et per hoc invitare ad fidem, dicit : *Fratres, voluntas quidem cordis*, etc., et causam cur voluntas sua et obsecratio pro illis apud Deum habeatur, ostendit. *Testimonium enim*, inquit, *perhibeo illis, quod æmulationem*, etc. Quamvis, inquit, tot et tantis sint involuti peccatorum suorum malis, tamen, quia ineffabilis zelus et æmulatio Dei est apud illos, hæc me commovit causa obsecrare Dominum pro ipsis, ut vel in fine aliquando perveniant ad salutem : habent enim zelum Dei, sed non secundum scientiam. Et probat quomodo non secundum scientiam zelum Dei habeant : *Quia ignorantes*, inquit, *Dei justitiam, suæ justitiæ obtemperant.* Non multum ergo prodest habere zelum Dei, et non habere scientiam zeli. Denique Judæi putantes se zelo Dei agere, sacrilegi exstiterunt in Filium Dei, quia non secundum scientiam zelati sunt : sicut Phinees, filius Eleazar, qui secundum scientiam zelatus interemit Madianitam pariter et Israelitam fornicantem cum ea. Poterat autem dicere et de aliis Apostolus qui charitatem Dei habent, sed non secundum scientiam : si enim habeat quis affectum erga Deum, ignoret autem *quia charitas patiens est, benigna est, non invidens, non perperam agens, non inflata, non est ambitiosa, non quærens quæ sua sunt*, hæc et his similia si in charitate non habeat, solo affectu diligat Deum competenter, et ad ipsum dicetur quia charitatem Dei habet, sed non secundum scientiam. Similiter autem dici potest et de alio qui fidem Dei habet, sed non secundum scientiam, si ignoret quia *fides* Dei *sine operibus mortua est.* Potest et de alio dici qui castitatem habet, sed non secundum scientiam, quippe si ab hominibus laudari vult. Et alius abstinens potest dici, sed non secundum scientiam, si propterea ut hominibus appareat. Et sic per singula quæque quæ gerimus. Denique et apostoli dicebant ad Salvatorem : *Auge nobis fidem* (*Luc.* XVII) : hoc est, habentes eam fidem quæ non est secundum scientiam, habeamus eam fidem quæ est secundum scientiam. Interim Judæis testimonium perhibet Paulus quod æmulationem Dei, licet non secundum scientiam, tamen quia utcunque habeant causam docet Apostolus, qua obsecratione pro illis offerret Deo : melius est enim habere zelum Dei, licet non secundum scientiam, quam penitus non habere. *Sed non secundum scientiam.* Veteris scilicet legis, quæ prophetavit quod crederet totus mundus Christo adveniente : sed non cognoverunt quia Christus advenit. *Ignorantes justitiam Dei.* Ignorantes enim hunc esse Christum quem promiserat Deus, alterum exspectandum dicebant, huic justitias suas quas ex lege habebant anteponentes, qui est Dei justitia in fide : justitia enim ipse est, quia quod promiserat Deus, in ipso implevit. *Finis enim legis Christus.* Hoc est, perfectionem legis habet qui credit in Christo ; cum enim nullus justificaretur ex lege, quia nemo implebat legem, nisi qui speraret in promissionem Christi, fides posita est, quæ crederet pro perfectione legis, ut in omnibus prætermissis fides satisfaceret pro tota lege. *Moyses enim scripsit.* Ipse Moyses distinxit inter utramque justitiam, fidei scilicet atque factorum, quia altera operibus, altera sola credulitate justificet accedentem. *Quoniam qui fecerit ea vivet in eis.* Id est, vindictam legis effugiet et bona terræ accipiet. Quidam ex hoc loco putant Judæos præsentem tantum vitam ex legis operibus meruisse, quod verum non esse Domini verba declarant, qui de vita interrogatus æterna, mandata legis opponit, dicens : *Si vis in vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX). Unde intelligimus quod qui suo tempore legem servavit, æternam vitam habuit. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit.* Id est Moyses. *Ne dixeris in corde*, etc. Hoc est, nec de passione, neque de ascensione ejus, quia a semetipso factum est, in corde tuo debeas dubitare. Quod ergo ait, *Ne dixeris in corde tuo*, exceptis his quæ media interserit, *hoc est Christum deducere*, vel a mortuis reducere, de Deuteronomio videtur assumptum, ubi hoc modo scriptum est : *Mandatum hoc quod ego mando tibi hodie, non est superexaltatum a te, nec longe a te : non est in cœlo, ut dicas : Quis ascendet a nobis in cœlum, et accipiet illud nobis, ut audientes faciamus illud? neque trans mare, ut dicas : Quis transibit nobis mare, et accipiet illud, ut audientes faciamus illud? Verum juxta te est valde in ore tuo, et in manibus tuis, ut facias illud* (*Deut.* XXX). Justitiam hanc dicit esse fidei, si non dubitet de spe Dei quæ in Christo est, quia ideo passus est, ut exspoliatis inferis, virtute Patris devicta morte resurgens, cum animabus ereptis in cœlum ascenderet. *Sed quid dicit Scriptura?* Hoc est, ut ascendamus deducere Christum, confitendo eum nostro ore, quod est quasi cœlum nostrum, et intremus in abyssum nostri cordis, de quo oportet nos revocare Christum, ut quod corde credimus, ore confiteamur. Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia non est longe ab animo nostro vel ore, quod nobis dicitur ut credamus : quamvis enim oculis

non videatur, a natura tamen animorum et loquendi ratione non discordat quod credimus. In ipsa enim natura inserta sunt velut semina, quæ auditu et voluntate ex cultura fructificant testimonium creatoris, hoc est, verbum fidei. Nullum opus dicit, sed solam fidem dandam in causam Christi.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum. Quæ superius locutus est, hic illa manifestavit : hanc esse regulam fidei, credere Dominum esse Jesum, et non erubescere quia Deus illum ex mortuis deduxit in cœlum, confiteri *Quod Deus illum suscitavit a mortuis.* Certum est quia suscitavit eum, ad justificationem sui credit : alioqui quid proderit scire me et credere quod Jesum Deus suscitavit a mortuis, si in me ipso eum non habeam suscitatum? Ego si in novitate vitæ non ambulo, et vetustate peccandi consuetudinem non fugio, nondum mihi Christus resurrexit a mortuis. Ad hunc autem sensum ea conveniunt quæ sequuntur. *Dicit enim Scriptura.* In Isaia : *Quia omnis qui credit in eum, non erubescit* (*Isa.* XLV). Erubescit autem omnis qui peccat, sicut et Adam peccavit, et erubuit, et abscondit se. Qui ad hunc rubórem peccati incurrit, credere non videtur.

Corde enim creditur ad justitiam. Ergo si fides sufficit ad justitiam et confessio ad salutem, inter Judæum et Gentilem credentes nulla discretio est. *Omnis qui credit non confundetur.* Cum examen cœperit fieri omnium rerum in die judicii, et omnia falsa commenta vel dogmata in confusionem deduci, tunc in Christum credentes gaudebunt videntes omnibus manifestari quia quod crediderunt verum est : aspicient enim inter cæteros se gloriosos et prudentes, qui æstimati fuerant contemptibiles et stulti. Illic enim est vera probatio, ubi et remuneratio et condemnatio. *Non est enim distinctio Judæi et Græci.* Generaliter autem confundi propter diffidentiam dicit aut sublimari causa credulitatis, quia sine Christo apud Deum nulla salus, imo pœna est. *Dives in omnes qui invocant eum.* Unus Dominus omnium et abundantiam misericordiæ et salutem habet unde largiatur. Non dixit, Dominum divitem credentibus, sed invocantibus illum : credentibus enim sola datur remissio peccatorum. Sequitur autem ut precibus deditus liberetur a malo, et possit consequi quod promisit Deus toto corde vigilantibus. Hæ sunt divitiæ Domini, si justitia nobis, et veritas, et sapientia, et sanctificatio, quod totum est Christus Dominus, dominetur. Hæ enim sunt ejus divitiæ, utpote in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Videtur mihi grande aliquod in Scripturis divinis sub invocationis nomine designari : non enim de qualibuscunque viris, sed ingentibus et præcipuis scribitur, quia Enos *primus cœpit invocare nomen Domini* (*Gen.* IV).

Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Joel.* II). Apud Joelem prophetam hoc scriptum est : *Quomodo ergo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Christum enim Judæi non credíderunt, et ideo nec invocant eum in quem non crediderunt. In hoc autem arctissima eos conclusione constringit : Salus, inquit, non est nisi invocanti ; nemo vero invocat qui non credit : ergo quia non creditis, non invocatis ; et quia non invocatis, non salvamini.

Sed quomodo, inquit, *credent ei quem non audierunt?* Possumus sic intelligere, ipsum in carne positum, vel Apostolos ejus prædicantes de eo audire noluerunt. Potest autem et hoc intelligi, quia etiam nunc Christus semper tanquam verbum et ratio unicuique loquitur in corde, et de pietate docet, de justitia, de castitate, de pudicitia, et de omnibus simul virtutibus protestatur, sicut et ipse dicit : *Oves meæ vocem meam audiunt* (*Joan.* XXX). Sic denique in corde Pauli loquebatur, ita ut ille diceret : *An experimentum ejus quæritis qui loquitur in me Christus?* Sequitur : *Quomodo autem audient sine prædicante?* In hoc magis prædicantium sermone Christum ostendit audiri, in quibus secundum ea quæ supra diximus, Christus loqui et docere monstratur.

Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur? Difficultas mihi quædam in hoc sermone videtur exsurgere. Si enim ita intelligamus quod propterea non prædicent quia non mittantur, nullo autem prædicante non audiant, non credentes enim non invocabunt, non invocantes non salvabuntur, colligitur ex his, ut causa qua non sunt salvati, ad vitium redeat auctoris qui non miserit prædicantes. Sed magis ad illum nos, qui rectior est, in intelligentiæ tramitem deflectamus, et quod dixit, *Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur?* sic accipiamus, quasi dicat Apostolus : Nos præcones et prædicatores Christi non possumus prædicare, nec annuntiandi nobis virtus ulla subsisteret, nisi adesset nobis ipse qui misit. Quod si prædicantibus audire non vultis, vestra jam culpa est; et si audientes non creditis, et non credentes non invocatis, salvi esse nequitis. Quia ergo missi sunt ad prædicationem, idcirco de his qui ab ipso missi sunt scriptum est : *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Hoc propheta dicit Nahum. Pedes dicendo, adventum significat apostolorum circumeuntium mundum et regnum Dei prædicantium : adventus enim ipsorum illuminavit homines, viam ostendens qua itur in pace ad Deum. Aut certe pedes in hoc loco pro sensibus posuit : de his pedibus et in Evangelio Salvator ait : *Sicut ego Dominus et magister lavi pedes vestros, et invicem lavate pedes alter utrum : exemplum enim dedi vobis* (*Joan.* XIII). Videamus quod sit istud exemplum, quo magistri discipulorum lavare debeant pedes, aut de qua aqua lavare. Si quis inveniat aquam vivam, et si quis accipiat de baptismo, et aqua illa fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, iste de hac aqua doctrinæ spiritualis potest lavare pedes discipulorum, et omnes ex animo ipsorum immunditias sordesque diluere; et hoc faciens, datum a magistro implevit exem-

plum. Quæ autem bona sint quæ evangelizant (quamvis hoc ipsum quod dicit evangelizare, interpretatur, bona annuntiare), quæ sint tamen bona quæ bonis addidit, requiramus. Unum et verum bonum est Deus, cujus imago bonitatis est Filius, et Spiritus ejus qui dicitur bonus : illud ergo unum, quia in Deo Patre, et Filio, et Spiritu sancto est, bona nominavit; hoc est enim quod annuntiant evangelistæ secundum præceptum Dei et Salvatoris nostri dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Exemplum vero hoc de Isaia videtur assumptum; sed ibi propheta ad ipsum Dominum evangelizandi officium retulit. Ita enim ait : *quia ego ipse qui loquebar ecce adsum. Quam pulchri in montibus ut pedes evangelizantis auditum pacis, ut evangelizantis bona* (*Isai* LII)! Verum mihi videtur Paulus, quia propheta dixerat, *ut pedes evangelizantis bona*, et hoc quasi ex alterius comparatione commemorasse, velut si diceret : Ita adero, ut homo qui evangelizat pacem et evangelizat bona.

Sed non omnes obediunt Evangelio. Ergo si nec illi omnes obedierunt ad quos isti missi sunt, quanto minus isti ad quos nemo est destinatus. *Quis credidit auditui vestro?* Firmavit exemplo prophetico Judæos esse contradictores evangelicæ veritatis : hunc autem numerum tangit qui fidem non recipit, quod ponit Apostolus, quia Isaias dixerit : *Domine, quis credidit auditui nostro? Quis* pro raro dictum est. Et observare debemus quod sermo hic in Scripturis interdum pro raro, interdum pro nullo omnino ponitur. Verbi gratia, ut cum dicitur : *Quis sapiens, et intelligit hæc?* Ubi vero dicitur : *Quis ascendit in cœlum, hoc est, Christum deducere; vel quis descendit in abyssum, hoc est, Christum a mortuis reducere?* Hic *quis* nullus intelligitur : nullus enim est qui ascendit in cœlum Christum inde deducere. Nunc ergo *Domine, quis credidit auditui nostro?* quod dicit Isaias, rarum quemque significat. Videtur tamen Isaias hæc ex persona apostolorum prophetare, quibus creditum fuerat prædicationis officium; nam et ipsi cum raritatem credentium de populo Israel viderent, dicunt ad Dominum : *Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Quia nisi dicatur aliquid, nec audiri potest, nec credi. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Hoc de Psalmo XVIII assumitur, ubi ait : *Non sunt loquelæ, neque sermones.* In quo pro linguarum et sermonum varietate Gentes sine dubio intelliguntur, et dicitur quia apostolorum Christi in omnem quidem terram sonus exierit, in fines vero orbis terræ, non sonus, sed verba pervenerint : quod ita intelligi potest, quia terram imperitos quosque et indocibiles omnes dicat, ad quos non verba, in quibus ratio fidei commonetur et explanatio sapientiæ, sed sonus fidei communi et simplici prædicatione pervenerit. Finem vero orbis terræ, eruditores quosque appellaverit; finis enim perfectionem indicat rerum. Ad hos ergo tales non solum vocis, sed verba et rationem pervenisse pronuntiat : quod utique audientes sermonem fidei etiam perscrutari possunt. *Sed dico : Nunquid Israel non cognovit?* Gentes scilicet esse vocatas ad fidem. Videtur ea quæ superius dixit de Gentibus prolocutus : nunc vero, ut sibi moris est, etiam de Israel subjungit, et vult quod inexcusabilis sit Israel testibus idoneis comprobare. *Ipse, inquit, Moyses dicit*, ex persona Dei : *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*, de Christianis sine dubio dicens, qui a Deo ad æmulationem prioris populi increduli concepti et assumpti sunt. *Ad æmulationem vos adducam.* Quia per se Judæi in ira missi excruciantur, quando audiunt prophetas et legem ad nos pertinere qui Christum credimus. *In gentem insipientem.* Hoc est, sine lege et non adorantem Deum verum. *Isaias autem audet et dicit.* Dicit Apostolus de Isaia quia audet et dicit : hoc indicat, quia mortem contemnens et persecutiones quæ inferebantur, quamvis sciret sibi imminere periculum, audet tamen et prædicat Verbum Dei. Et ex persona Christi dicit : Hic Israel carnalis est, hoc est, Abrahæ filius, sed non secundum fidem : nam Israel verus et spiritualis est, qui credendo videt Deum. *Inventus sum ab his qui me non interrogabant.* Quia non Deum sed dæmonia interrogabant, per augures et astrologos, atque aruspices idolorum. *Ad Israel autem quid dicit?* Superiora quidem ad Gentes, sequentia vero exponit ad Israel esse referenda. *Tota die expandi manus meas.* Hoc est, toto tempore mirabilia vel plagas extendi : nec sic crediderunt. Certum est autem quod gentes erant quæ Christum nec quærere noverant, nec de eo interrogare didicerant; invenerunt tamen quem non quæsiverunt, quia ipse eos quæsivit prior. Pastor enim bonus et ovem quæ perierat requisivit, et sapientia est quæ drachmam perditam quærens invenit. Judæi autem interrogant Scripturas de eo, et inveniunt quia crux ejus Judæis est scandalum. Ideo dicit ad eos : *Tota die expandi manus meas*, hoc est cum penderet in cruce, illi non solum invenerunt eum, sed insuper dixerunt ei : *Si Filius Dei es, descende nunc de cruce, et credimus.* In exemplaribus autem Hebræorum non habet contra dicentem, Apostolus autem secutus LXX interpretum veritatem in suis Scripturis, sicut illi interpretati sunt, ponit.

CAPUT XI.

Dico igitur : Nunquid repulit Deus hæreditatem suam? Quia satis illos humiliaverat, modo quasi bonus doctor consolatur eos, ne illos nimium exacerbare videretur. *Absit.* Non omnes, ait, repulit, nisi illos qui non crediderunt. *Nam et ego Israelita sum.* Quia non idcirco expulsi sunt, quod genus sunt Israel. Non ergo repulit Deus plebem suam, quam præscivit esse credituram. Et ut hoc probaret exemplo, subjungit, dicens : *Nam et ego Israelita sum. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura* (*III Reg.* XIX)? Ne videretur parvum quod exemplo sui non esse repulsam plebem Dei docebat Apostolus, validiora requi-

rit exempla, dicit : *An nescitis*, etc. In quibus docet, quod propheta aliquando Deo repletus, cùm apud Deum querelam populi prævaricatoris exponeret, qui non solum prophetas occidisset et altaria subvertisset, verum et Eliam, qui videbatur solus superesse ex prophetis Domini, conaretur exstinguere, Domino dicebat : *Et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum ? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal.* Aperta sunt hæc. Ostendit enim non solum Eliam remansisse, qui devotus Deo non adoraverit idola, sed multos qui in fide Dei permanserunt. Huic rei et historiæ congruit quod multi per speluncas occultati sint, propter Achab regem Samariæ et Jezabel uxorem ejus, qui per pseudoprophetas credentes Dei prophetas persequebantur, et populum ad idololatriam cogebant. Quid autem et ipse numerus septem millia virorum indicet, videamus. Septenarius numerus ad requiem pertinet : in septima enim requievit Deus. Audi ergo quomodo Christus credentes sibi invitat ad requiem, et dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego reficiam vos.* Ad istum ergo septenarium numerum pertinet omnis qui veniens ad Christum deposuit onera peccati, et requiem salutis invenit. *Sic igitur et hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt.* Reliquias dicens eos qui ex circumcisione remanserunt, tam apostolorum quibus se quoque annumerat, quam et cæteros qui cum ipsis secuti sunt fidem Christi. Quod dicit *secundum electionem gratiæ Dei salvas factas esse reliquias*, non mihi videtur esse superfluæ lectionis adjectio : potuit enim dicere, reliquiæ per gratiam, et sine electione, et cum electione. Nam omnes quidem qui per fidem salvantur, per gratiam sine dubio salvantur : qui autem per electionem gratiæ salvantur, perfectiores animæ mihi videntur ostendi. *Si autem gratia, non ex operibus.* Sciendum est opera quæ Paulus repudiat et frequenter vituperat, non esse opera justitiæ quæ mandantur in lege, sed ea quibus hi, qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur : id est, vel circumcisionem, vel ritus sacrificiorum, vel observationem sabbatorum et neomeniarum. Hæc et ejusmodi ergo sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse salvari, et de quibus in præsenti loco dicit, quia non ex operibus, etc. *Alioqui gratia non est gratia.* Hoc est, si ex operibus salvæ factæ sunt, non erit gratia, sed merces operis : quia a gratuito munere gratia appellatur. *Quid enim ? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus ; electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt.* In his Apostolus Israel in duas divisit partes, quarum unam electionem vocat, quæ consecuta sit quod quærebat ; aliam cæteros appellat, qui non solum consecuti non sunt quod quærebant, sed excæcati sunt spiritu compunctionis. Ideo autem totus Israel non est consecutus justitiam, quia illam non ex fide quærebant, sed ex solis operibus legis se justificari putabant, cum maxima legis mandata contemnerent, unde a Salvatore arguuntur : *Culicem linquentes, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII). *Dedit illis spiritum compunctionis.* Hoc est, spiritum erroris vel infidelitatis, seu invidiæ. *Oculos ut non videant, et aures ut non audiant.* Quæstio nobis quomodo de bono digne dictum videatur, quod ipse dederit oculos residuo Israel quibus non videat et aures quibus non audiat : et vide ne forte hæc magis retributio sit et merces incredulitatis, secundum ea quæ in superioribus exposuimus, ubi quia non probaverunt Deum habere in notitia, *tradidit illos Deus in reprobum sensum :* hinc etenim oculus et auris cordis, non corporis dicitur, quibus excæcati sunt, et non audiunt, hi utique Christum videntes in corpore, et audientes doctrinam ejus, nec credere operibus quæ videbant, nec verbo quod audierant obedire voluerunt. *Usque in hodiernum diem.* Hoc est, usque convertantur, sicut de velamine cordis ad Corinthios dicitur (*II Cor.* III). Vel : *Usque in hodiernum diem*, hoc est, usque ad consummationem sæculi. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Quia in passione Christi lætati sunt pascha comedentes : hoc enim de illis prophetatur qui Salvatorem aceto et felle potabant. Quod dicit, *fiat mensa eorum in laqueum et captionem*, non habetur scriptum in Psalmo, neque in nostris Septuaginta interpretum exemplaribus, neque in Hebræorum. Sed rursum in Psalmo habetur : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum* (*Psal.* LXVIII). Apostolus autem non posuit, *coram ipsis*. Ergo sciendum quod auctoritas apostolica nunquam Hebræorum exemplaribus fidem facit, nec verbis semper interpretum servit, sed Scripturarum sensum verbis quibus competit explicat. Omne quod appellatur Vetus Testamentum mensa est Israel, in qua mensa, si quis volebat edere verbum Dei, appositis sibi legis et prophetarum sermonibus pascebatur. Et hanc puto esse mensam, de qua dicit Salomon : *Si redieris cœnare ad mensam potentis, intelligibiliter intellige quæ apponuntur tibi, et mitte manum tuam, sciens quia talia te parare oportet ?* Omnis ergo Scriptura mensa est sapientiæ. Aliter, *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum ;* hoc impletum est quando occisi sunt in vindictam crucis pascha manducantes, in laqueum scilicet obsidionis ? Sive in laqueum mensa divinæ Scripturæ Judæis efficitur, quando ea quæ de Christo prophetata sunt, non nisi ad litteram perverse interpretantur, in captionem scilicet transmigrationis, quæ sub Tito et Vespasiano facta est. Potest autem et illa captio mensæ hujus videri, quia Dominus eos cepit, cum ad eos dixit : *Quid vobis videtur de Christo ?* Sequitur : *Et non potuerunt ei respondere verbum* (*Luc.* IV). *Et in retributionem.* Hoc est, in mali operis vindictam : fit autem et in scandalum mensa hoc modo. Ex Scripturis didicerunt Judæi, *quia Christus in æternum manet ;* Jesum vero videntes in carne, et non solum in carne, sed in morte, et morte crucis, scandalizabantur in eum, nescientes quia *etsi passus est*

ex infirmitate carnis, sed vivit ex virtute Dei. Dorsum eorum curvatum est semper. Neque enim debent ultra cœlum despicere, qui in escatorem cœli peccaverunt: sed dorsum significat fortitudinem Judæorum ad servitutem redactam extraneis gentibus. *Dico enim, nunquid sic offenderunt ut caderent?* Id est, non ita propter improbitatem suam cæcati sunt, ut curari non possint : sicut et Zabulon legimus cecidisse, dicente Isaia propheta : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer* (*Isai.* IV)? Casum apostaticum significavit : non ergo hos sic offendisse dicit ut caderent, sed offensionis suæ causa ad tempus obtusos. *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.* Quomodo ex illorum delicto salus gentibus detur ostendit, hoc est, ut conversionem gentium videntes, et testamentum Dei, quod ipsi prius acceperant, illis traditum, et legem et prophetas apud eos majore et digniore haberi observantia, zelum capiant etiam in novissimis saltem temporibus. Et sicut nunc illorum lapsus salutem gentibus dedit, ita gentium fides et conversatio Israeli æmulationem conversionis et salutis conferat : usque adeo illos dilexit, ut propter salutem illorum gentes vocaret, quo eas videntes ad regnum Dei admitti, vel sic facilius convertantur. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum.* Si delictum illorum tantum vobis profuit, ut sine operibus legis vos illis faceret cohæredes ; et si pauci eorum credentes omnes vos ad salutem vocarunt, quanto magis si omnes crederent prodesse vobis poterant per doctrinam. Considera in his Dei sapientiam, quomodo apud Deum ne ipsa quidem delicta et lapsus inutiliter cedunt : sed cum unusquisque ex propositis in voluntate vel libertate delinquat, dispensatione divinæ sapientiæ hoc ipsum, in quo illi damno suæ negligentiæ pauperes fiunt, alios divites facit. *Vobis autem dico gentibus : Quandiu quidem ego sum gentium Apostolus.* Quandiu in corpore fuero constitutus. *Honorificabo ministerium meum.* Dum exemplo meo plures eorum salvare contendo. Ostendit gentibus, quonam affectu diligat Judæos ; nam ministerium suum, quod Apostolus gentium est, honorificat, si propter affectum generis sui data opera etiam Judæos acquirat ad fidem : honorificatior enim fit, si et illos, ad quos non missus est, lucretur ad vitam. Patribus enim in laude maxima erit, si fratres invenerit qui perierant. Quid tam dignum quam ut unusquisque ministerium suum, quod Dei providentia suscepit, exornet? Exornat autem et illustrat ministerium, qui bene ministrat : sicut ex contrario dehonestat ministerium suum, et notabile facit, qui negligenter et indigne ministravit. Verbi causa, ministerio Ecclesiæ diaconus, inquit, bene ministravit, bonum sibi grande acquirit, et multam fiduciam in fide Christi Jesu : si vero non bene ministravit, hoc est, si non se talem exhibuerit qualem describit Apostolus : Gravem, *non multo vino deditum, non turpis lucri appetitorem, sed habentem ministerium fidei in conscientia pura* (*I Tim.* III), non jam bonum grande, sed jam malam sibi pœnam conquirit, tanquam qui contumeliam fecerit divino ministerio, quod similiter de cæteris et omnibus ecclesiasticis gradibus intelligendum est. *Si quo modo ad æmulandum carnem meam provocem.* Hoc est, ut omni modo talem me exhibeam, quatenus me desiderent imitari. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi.* Unde Gentibus assumptio, nisi ex illorum viverent morte, ex Judæis mortuis? Christus vel apostoli vita fuerunt Gentibus, si quos inde liberavero, ad vestram proficient vitam. Si ergo, inquit, Israelitæ hujus gentis adjectio reconciliationem præstitit mundo, et tanta fuit erga gentem istam gratia, quæ sublata ab ea universum mundum Deo reconciliare sufficeret, quantum putas tunc merebit mundus, cum etiam gens ista reconciliari meruerit? Et quid aliud sit, quod ex reconciliatione Israel mundus acquirat breviter ostendit, dicens : *Vita ex mortuis.* Tunc enim erit assumptio Israel, quando jam et mortui vitam recipient, et mundus ex corruptibili incorruptibilis fiet, et mortales immortalitate donabuntur. Absurdum namque videretur, si cum offensio ipsorum reconciliationem mundo donaverit, assumptio ipsorum non majus aliquid mundo et præstantius largiretur. *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Hoc est, si qui crediderunt pauci sancti sunt, et omnes sancti si credant. Quod unius substantiæ est, unum est; ideoque ostendit non posse indignos dici ad fidem hos quorum jam parentes adepti sunt fidem : quia si pars Judæorum credidit, cur non et alia pars posse credere dicatur? *Et si radix sancta est, et rami.* Immutatis verbis eadem repetit, ut sensum commodet duobus exemplis. Radix patriarcharum, hoc est, primi et novissimi sancti ex ipsis. Radicem vero hanc quidam Abraham, alii Seth, alii unum aliquem ex patribus ponunt. Ego autem radicem aliam, quæ sancta sit, et sanctas primitias nescio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum ; ipse est enim primitiæ omnium, vel delibatio secundum id, quod alibi de eo dicitur : *Qui est primogenitus omnis creaturæ* (*Col.* I), huic namque radici, omnis qui salvatur, inseritur : et hac deliberatione sancta omnis massa humani generis sanctificatur. Et sicut radix sancta manentibus in se ramis sanctificatis pinguetudinem præbet, dum per Spiritum suum sanctum adhærentes sibi vivificat, verbo excolit, sapientia floridos reddit, et in omnium virtutum plenitudine afferre fructus uberes facit, ita et ipse dicat de eis : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI). Etenim si rami qui fracti sunt, propter incredulitatem fracti sunt ; et qui stant, fide stant : qui salvi erunt in quo stant, nisi in Jesu Christo? et quis alius est, a quo per incredulitatem fracti sunt, nisi ipse cui non crediderunt? Sed tamen ex tempore adventus ejus multus oleaster inseritur huic radici, vel ramis ejus, apostolis scilicet et prophetis, et qui inseruntur eis, socii fient radicis pinguedinis Christi. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.* Hoc est non

propter te illi fracti sunt, sed propter illos tu insertus es, quia illi fracti. *Tu autem cum oleaster esses.* Oleaster, olea quidem, sed inculta ac silvestris. *Noli gloriari adversus ramos.* Hoc est, noli de illorum perditione gaudere, alioquin audies: Quia non illi per te stant, sed tu per illos; nec illis vitam præstas, sed illi tibi. *Dicis ergo: Fracti sunt rami ut ego insererer.* Dicis illos ideo fractos, ut tu inseraris: videamus si propterea, et non magis *propter incredulitatem suam* ceciderunt. *Tu autem fide sta.* Quia Judæi per diffidentiam lapsi sunt, hos fide dicit stare, quia cum prius jacerent, credendo stare cœperunt. *Noli altum sapere, sed time.* Id est, noli dicere quod fidem Abrahæ habeas, ultra populum Judaicum fidelem. Quidam hunc locum non intelligentes, nec attendentes causam vel personas, de qua et de quibus loquitur Apostolus, putant hic sapientiam esse prohibitam: quod si ita est, secundum illos invenietur sibi ipsi esse contrarius, cum hic vetet quod alibi, ut Ephesii et cæteri accipiant, magnis supplicationibus a Domino deprecatur. *Noli ergo altum sapere*, hoc est, noli contra eos esse superbus, sed cave ne tu offendas. Memento quod *omnis qui se exaltat, humiliabitur:* nam possibile est etiam te peccare. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Hoc est, si illis non pepercit propter incredulitatem, quia ex radice sancta sunt, quanto minus tibi si peccaveris? *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei.* Bonum Deum gentibus esse testatur: quia cum idola sequerentur, et nec sic requirerent, ipse ultro vocavit illos, et peccata remisit eis. Judæis autem severus est, et excæcavit illos, quia donum Dei spreverunt; potest enim Deus iterum inserere illos. Apud homines quidem impossibile est aridos surculos reformare, apud Deum autem omnia possibilia atque facilia. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro.* Quia jam olim patres eorum per naturalem legem degeneraverunt a natura, et per successiones peccandi consuetudine permanente, quasi naturaliter amari et infructuosi esse cœperunt. *Et contra naturam insertus es in bonam olivam.* Contra naturam olivæ est inserere oleastrum, quia magis solet ramus radicis vim mutare, quam radix ramorum in suam vertere qualitatem. Ideo insertum dicit oleastrum, ut surculus fructum radicis afferat, socius ejus effectus. Olivam fidem, per quam Abraham justificatus est, accipiamus: oleastrum vero, quia sterilis et infructuosa natura est, perfidiam significat. Ac per hoc si hi qui semper inimici Dei fuerunt, conversi in fidem Abrahæ inserti sunt ex cujus origine non sunt, quanto magis Judæi, si post diffidentiam credant, paternæ reddendi sunt naturæ, inserti iterum in suam promissionem? Sed nec hoc quidem lateat nos in hoc loco, quod non eo ordine Apostolus olivæ et oleastri similitudinem posuit, quo apud agricolas habetur: illi magis olivam oleastro inserere, et non olivæ oleastrum solent, Paulus vero apostolica auctoritate ordine commutato, res magis causis quam causas rebus aptavit.

A *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc.* Adhuc ad eos qui ex gentibus crediderunt, quasi elatos et superbientes adversum ramos qui fracti sunt, et putantes quod hoc non Dei bonitate et ineffabili dispensatione sapientiæ ejus, sed suis meritis consecuti sunt, ut, illis detractis, ipsi cum essent oleastri insererentur in bonam olivam. Mysterium autem dicit arcanum, quod hominibus ignoratum est, quare salvatæ sunt Gentes, quia occasionem eis salutis etiam cæcitas præstitit Israel. Est mysterium quod ignorabatur ab his qui insultabant hujusmodi, quomodo in dispersione filiorum Adam, cæteris quibusque gentibus secundum angelorum numerum distributis, propria quædam pars facta est Israel, ad quos et repromissiones bonorum, et testamenta, et legislatio facta est. Manente ergo illa parte Domini in statu B suo, possibile non erat nos, qui eramus gentes, introire in hæreditatem Dei, et in sceptri ejus jura succedere. Sequitur: *Ut non sitis vobis ipsis sapientes.* Hoc est, ne secundum humanam sapientiam dicatis: Nos Deus elegit, et illos abjecit. Quia insultare lapsis et gloriari adversum ramos qui confracti sunt, non fit per Dei sapientiam, sed per humanam, mutabilem et ignorantem mysterium Dei. Quod enim secundum Deum sapit, in beneficiis Dei non insultat abjectis: sed cum timore gratias agit misericordiæ largientis. *Quia cæcitas ex parte Israel contigit.* Id est, non omnibus patitur Deus, sed aliquibus ex Israel fieri cæcitatem. Aut in tantum Israel et delicta et perfidia occupaverat, ut C veniret tempus quo gentes omnes admitterentur in vitam, et ita omnis Israel per fidem solam salvaretur, quomodo gentium plenitudo, ut æquales essent in Christo qui æquales fuerant in delictis. *Donec plenitudo gentium intraret.* Id est, multitudo credentium ex omni gente. Non omnes omnino gentes, juxta figuram synecdochen. *Sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat et auferat iniquitates ex Jacob* (*Isa.* LXXIX). Quod si vis, inquit Apostolus, scire quomodo etiam post cæcitatem salvandus sit Israel, audi quomodo scriptum sit: *Veniet ex Sion qui eripiat*, etc. Sciendum sane est quod de propheta Isaia unum testimonium istud Paulus assumpsit, pro eo quod dixit Apostolus: *veniet ex Sion*, scriptum D inveniet, *propter Sion.* Et quod ait hic, *cum abstulero peccatum eorum*, ibi omnino scriptum non est, sed nec apud Hebræos quidem, Apostoli tamen auctoritate sumptum est. Verum meminisse debemus quod præsentem locum Apostolus quasi mysterium haberi voluit: quo scilicet hujusmodi sensus, fideles quique et perfecti inter semetipsos velut mysterium Dei silentio tegant, nec passim imperfectis et minus capacibus proferant. Mysterium regis, ait Scriptura, celare bonum est (*Tob.* XII). *Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Novum scilicet Testamentum, quod promittit Jeremias, quod non nisi novi, abolitis per baptismum peccatis, accipiunt: *Fratres secundum Evangelium inimici propter vos.* Causa incredulitatis inimici sunt Evangelio, ut

gentibus error et delictum illorum aperiat viam ante tempus intrandi ad fidem, sicut supra memoravi. Hoc dicit ut non insultet his quorum delictum profuit gentibus : illis enim insultandum est quorum peccatum obfuit aliquibus. Eadem persequens, adhuc de Israel et gentibus Apostolus, et ramis oleastri, qui insultabant ramis olivæ, defractis, imputans etiam hoc addidit : quia Israel secundum Evangelium quidem inimicus factus est Deo, quia non credidit Christo : quantum autem spectat ad honorificentiam patrum, electus et charissimus habetur apud Deum. Sed et quod dicit : *Propter vos;* quorum saluti scilicet invident, prohibentes apostolos gentibus loqui, et persequentes qui annuntiant Christum. Secundum reliquias vero, quæ salvandæ dicuntur, in quibus electio credentium subsecuta est ex Israel. *Charissimi propter patres.* Quorum scilicet fidem sequentes, credunt in eum qui suscitavit Christum Jesum a mortuis. *Sic enim aliquando et vos non credidistis Deo.* Post hæc etiam latentes et profundiores incredulitatis eorum aperit causas, et dicit : Quia sicut vos Gentes quondam non credebatis Deo, nec tamen idcirco penitus reliquit vos Deus. *Sed aliquando ad ultimum misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum.* Occasio tamen conferendæ in vos misericordiæ populi Israel incredulitas exstitit, ita etiam nunc hi qui de populo Israel non crediderunt, non usque relinquuntur in incredulitate sua. Postquam plenitudinis gentium impleta fuerit dispensatio, etiam ipsi misericordiam consequentur. *Sine pœnitentia enim sunt donationes et vocationes.* Si crediderint, illis non poterunt imputare peccata, quia Deum non pœnitet Abrahæ semini promisisse. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Non vi inclusit, sed ratione, quos invenit in incredulitate, hoc est Judæos omnes et gentes conclusit, quia ante Judæi peccatores tantum erant, non etiam perfidi. Postquam autem Christo non crediderunt, gentibus sunt æquales, ut omnes similiter misericordiam consequantur. Hoc est, omnia conclusisse in incredulitate, ut tunc decretum donum a Deo veniret, quando omnes diffidentia laborarent, ut gratia muneris esset gratissima. Itaque nemo se jactet : miserum est enim superbum esse eum cui ignotum est : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Miratus tantum profundum, nullis præcedentibus meritis gentes intromissas, et in perfidia Judæos derelictos ; unde exclamat dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Laudat sapientiam Dei, quæ tam diu exspectavit secundum præscientiam, donec omnes misericordia indigerent ; ut hominibus de falsa jactantia gloria tolleretur. Excelsum et immensum Deum in divitiis sapientiæ et scientiæ suæ, cum omni laude gratiarum actionis testatur : est enim consilium et judicium ejus incomprehensibile. Nam ab initio sciens conversationes et opera hominum, quia neque sola severitate justitiæ salvari posset humanum genus, neque sola misericordia ad profectum meritorum pervenire, unoquoque tempore decrevit quid esset prædicandum, ante tamen permittens unumquemque sibi : quia natura ipsa duce, cognitio justitiæ obtorpuerat, consuetudine delinquendi data lex est, ut humanum genus terroris metu lege frenaretur : quia non se cohibentes rei tenebantur a lege prædicta. Misericordia est, quæ ad se confugientes salvaret, refugientes autem cæcaret ad tempus, ad promissionem eorum gentes, quæ prius justitiam Dei datam per Moysen sequi noluerant, advocans, ut horum saluti dum invident, ipso zelo ad radicis salutaris originem se reformarent promissi in lege. Hæc est *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, qui tam Judæos quam gentes manifestata providentia acquisivit ad vitam. Considerans sanctus apostolus, tantas esse bonitatis Dei divitias, et tantum divitiis sapientiæ opus erga rationabiles agi creaturas, et quod tantum Deus *dives est in misericordia*, et *dives in omnes qui invocant eum*, et tantæ sunt bonitates ejus, et longanimitates, et sapientiæ, repente ut interioribus eas cordis oculis intuens, immensitatemque earum perspiciens, stupore simul ac pavore perculsus, exclamet et dicat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia ejus ! Judicia Dei abyssus multa*, ad liquidum enim comprehendi non possunt. *Inscrutabilia.* Ut scrutari judicia ejus, quibus unamquamque animam atque naturam rationabilem dispensat, nemo sufficiat. Sed requirendum quare dicat inscrutabilia esse judicia Dei, cum Psalmographus dicat : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Ad quod ita respondendum est. Nam addendo *oris tui* quæ scripta sunt a prophetis, et quæ facilia sunt ad intelligendum significat. *Et investigabiles viæ ejus*, hoc est cogitatio dispensationum ejus, sive viæ Domini, scilicet misericordia et judicium. *Quis enim cognovit sensum Domini ?* An nemo cognovit ? Nam in præsenti ipse Paulus sciebat, qui aliis ostendebat : sive sine lege ipsius per se nemo cognovit, hoc certe de creaturis dicit : quippe cui nihil sit cum creatura commune. *Quis enim cognovit sensum Domini ?* hoc in Isaia scriptum habetur. Manifestum est, solum Deum esse qui novit omnia consilia, et hunc unum esse qui nullius eget, quia ab ipso sunt omnia, et per hoc consilium ejus a nullo nec metitur, nec comprehenditur, quia inferiora superioris sensum capere non possunt. Denique Judæis non credentibus impossibile videbatur, consilium et voluntatem Dei esse ad redemptionem gentium. Simili modo et gentibus arduum et incredulum Judæos, qui non crediderunt, Salvatore posse converti, et credere ut salvarentur. *Aut quis consiliarius ejus fuit ?* Hoc est, quasi minus ipse consilio sufficiens, indigeret alterius, sed consilii participem nullum quidem inter creaturas esse pronuntiat : consilium vero sapienti necessarium in sapientia sua est, qui est Christus, et in sanctitate est Spiritus sanctus. *Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?* Nemo enim aliquid factori suo prior contulit, quippe cum etiam hoc ipsum unusquisque

a Conditore suscepit. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Vides quomodo in ultimo ostendit quod in omnibus quæ supra dixerat segregaverit mysterium Trinitatis, nam cum dixit: *Altitudo divitiarum*, Patrem ex quo omnia dicit esse, significat: et sapientiæ altitudinem, Spiritum sanctum, qui etiam alta Dei novit et declarat. Verumtamen quod dicit, *ex ipso*, hoc ipsum quod sumus indicat; *per ipsum* autem, quod per ejus providentiam dispensamur in vita; *in ipso* vero, quod perfectio omnium, et finis in ipso erit, tunc cum Deus erit omnia in omnibus. Ab ipso omnis creatura accipit initium, et per ipsum regitur, et in ipso omnia concluduntur, nec ipse continetur ab ullo. *In sæcula.* Propter hoc quod perfectio omnium non intra unum sæculum concluditur, sed in multa protenditur. *Amen.* Ut intelligamus per illum ad istam beatitudinem veniendum, de qua scriptum est in Apocalypsi.

CAPUT XII.

Obsecro itaque, fratres, per misericordiam Dei. Non per salutem illorum, neque per Christum obsecrat, quamvis misericordia Dei in Christo sit, tamen per misericordiam Dei orat illos, per quam ex mortuis vivere cœperunt, ut memores ejus sollicite agant circa obsequium ejus a quo illis data est, per quem ex impiis gratis justificati sunt. Cum per omnem textum Epistolæ in superioribus docuisset Apostolus quomodo a Judæis ad gentes, a circumcisione ad fidem, a littera ad spiritum, ab umbra ad veritatem, ab observantia carnali ad observantiam spiritualem religionis summa translata sit, et hæc ita ad futura propheticis vocibus ostendisset designata: jam nunc spiritualis hujus observantiæ, ad quam cultus Dei ritum docuit esse translatum, aggreditur mores et instituta sancire, et ait: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei.* Et hæc doceo, non quasi imperans: nihil enim proficit legis imperium, sed quasi qui officium suscepimus reconciliando vos Deo. Quid est autem quod vos obsecro? *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem;* non animalium, sicut in veteri lege, quæ tamen, licet in figura fierent, immaculata offerebant et viva. *Rationabile obsequium vestrum.* Omne opus bonum tunc placet Deo, si rationabiliter fiat: nam alias mercede privatur: ut pote si quis hominum causa jejunet, bonum obsequium insipienter facit. Obsequium hic cultum dicit, qui cultus, quoniam dudum in corporibus multorum pecorum consistebat, nunc, inquit, in corpore rationabilis hominis offeratur, et corpora magis vestra quam pecorum fiant sacrificium Deo. Pro viribus autem explanare tentabimus quomodo unusquisque rationabili obsequio cultus Dei exhibeatur. Si superbiam corporis sui vincat, immolat vitulum; si iracundiam superet, arietem jugulat; si libidinem vincat, holocaustum offert hircum; si vagos et lubricos cogitationum resecet volatus, columbas et turtures immolaverit. Nunc autem Paulus obsecrat in Christo credentes, ut A corpora sua exhibeant *hostiam viventem, sanctam, placentem Deo. Viventem* dicit *hostiam*, quæ vitam, hoc est Christum, in se gerit; *sanctam* dicit, in qua Spiritus sanctus habitat, ut Apostolus dicit: *An nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Placentem Deo*, ut pote a peccatis et vitiis separatam. Hæc autem omnia rationabilis est cultus Dei. Potest enim pro tali cultu reddi ratio, et ostendi quia dignum est Deo tales hostias immolare: arietes autem, et hircos, et vitulos immortali et incorporeo Deo offerri, nulla ratio honesta sinit. *Et nolite conformari huic sæculo.* In quo ostendit esse quamdam formam hujus sæculi, et aliam esse sæculi futuri. Vide ergo ne forte cum venit ira in cor tuum, conformem te faciat huic sæculo. B Similiter autem et concupiscentia mala, et avaritia, cæteraque quibus præsens sæculum delectatur, formam tibi sæculi præsentis imponant. Si vero e contrario mansuetudo, patientia, lenitas, continentia, fides, veritas cæteræque virtutes habitent in sensu tuo, conformem te futuri sæculi facient, et ita pulchram animæ tuæ speciem reddent, ut Verbum Dei quo despondet eam sibi in misericordia et fide, dicat ad eam: *Tota es formosa, proxima mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Renovatur autem sensus noster per exercitia sapientiæ, et meditationem Verbi Dei, et legis ejus intelligentiam spiritalem, et quanto quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quantoque altius intellectus ejus accedit, tanto novior sem- C per efficitur. *Quod bonum, et placitum, et perfectum.* Hoc est, quod bonum sit, et melius, et optimum, verbi causa: Bonum conjugium, melius autem continentia, optimum virginitas. *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi.* Prohibitus humana sapientia, quæ præter legem est, non sensu proprio loqui se dicit, sed auctoritate gratiæ spiritualis. Hæc gratia peritia intelligitur doctrinæ Dominicæ, per quam humilitati studendum tradit. Videndum est quia Paulus, sicut et alias dicit, *non in suasoriis sapientiæ carnalis verbis*, sed per gratiam quæ sibi data est, loquitur. Est enim multa differentia per gratiam loquentis, et per humanam sapientiam. Denique compertum est, nonnullos eloquentes et eruditos D viros, cum multa in Ecclesiis dixerint, et ingentem plausum laudis acceperint, neminem tamen auditorum ex his quæ dicta sunt, compunctionem cordis accipere, nec proficere ad fidem, nec ad timorem Dei incitari: sæpe autem viros non magnæ eloquentiæ, nec compositioni sermonis studentes, verbis simplicibus et incompositis multos infidelium convertere. Denique scriptum est quia et Joseph *invenit gratiam in conspectu principis carceris*, et Esther invenit gratiam apud regem. Reperimus autem nos in quodam secretiore libello Scripturarum, quasi angelum quemdam gratiæ, qui etiam vocabulum ex gratia traheret? Anachel enim dicitur, quod interpretatur gratia Dei. Hoc ergo Scriptura illa continet quod missus esset a Domino iste angelus ad Esther, ut ei

gratiam daret apud regem. Videamus quid est quod per gratiam quæ data est sibi Apostolus dicit : *Omnibus qui sunt inter vos, non plus*, inquit, *sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Videtur adhuc ad superbientes ramos oleastri, et insultantes ramis qui de bona oliva defracti sunt, etiam hunc aptare sermonem, et dicere eis : Non debere plus, hoc est, superbe sapere. Ego autem dico quia et hæretici plus sapiunt de Christo quam oportet sapere, qui negant eum in carne venisse, et natum esse ex Virgine, sed cœleste ei corpus assignant. Plus vult sapere qui illa scrutatur quæ lex non dicit; unde et Salomon ait : *Altiora te ne scruteris, et majora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper* (*Eccl.* III). Aperte ostendit hoc nos debere sapere, quod justitiæ terminos non egrediatur, *sed sapere*, inquit, *ad sobrietatem*, quod in Græco dicitur σωφροσύνη, in nostris codicibus, hoc est, in Scripturis divinis, sobrietas a majoribus interpretatum est : ab aliis tamen eruditis viris temperantia ponitur. Sapere ergo ad temperantiam, hoc est, ut in omnibus, vel quæ agimus, vel loquimur, vel sentimus, temperantiam teneamus. *Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Mensuram fidei*, virtutum intelligenda est gratia, quam non nisi fideles accipiunt. *Sicut divisit Deus mensuram fidei*, hoc est, ut sciat unusquisque et intelligat quæ in eo sit mensura gratiæ Dei, quam consequi meruit per fidem. Interdum enim accepit quis a Deo ut sapiat in opere charitatis, aut ut sapiat in officio visitandi, aut erga viduarum et pupillorum defensionem, aut erga hospitalitatis sollicitudinem : hæc ergo singula divisit unicuique Deus secundum mensuram fidei : sed si is qui accipit gratiam ut denuo alicui horum sapere velit, et non intelligat mensuram gratiæ sibi datæ, sed velit sapere de sapientia Dei, de verbo doctrinæ, de profundioris scientiæ ratione, in quo gratiam non accepit, et non tam discere velit quam docere quæ nescit, iste cum minus sapiat, plus vult sapere quam oportet : non enim sapit ad temperantiam, ut custodiat unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Verum, ut evidentius adhuc de iis Apostolus assignaret, introducit exemplum, dicens : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus.* Per comparationem corporis eos ad concordiam cohortatur, ne vel hinc moveantur, quia dona accipere diversa, et omnia habere singuli non poterant, ne superbirent nullius egentes, nec omnes eadem, ut corporis Christi nobis similitudo demonstretur. *Membra autem omnia non eumdem actum habent.* Non enim potest oculus audire, nec auris videre, etc. *Sic singuli alter alterius membra.* Ut præstando alterutrum quod habemus, magis ac magis charitas confirmetur, ordinatissime per hæc componens omne corpus Ecclesiæ : ut sicut proprios actus habent, et officiis suis unumquodque deservit, nec tamen possibile est ut non consensu mutuo sibi invicem cedant; ita, inquit, et in Ecclesia, quæ est corpus Christi, diversos singuli habemus actus, verbi gratia : alius omne studium erga sapientiam Dei et doctrinam verbi adhibet, et in meditatione legis divinæ die ac nocte persistit, et est magni hujus corporis oculus; alius erga ministerium fratrum et indigentium curam et est sancti corporis ejus manus; alius studiosus auditor est verbi, et auris est corporis : alius ad videndos decumbentes et requirendos tribulantes, et positos in necessitatibus eruendos est impiger, qui pes sine dubio ecclesiastici appellatur corporis : et ita invenies unumquemque propensius erga unum aliquod officium et specialius operam dare, cætera vero sequentia habere. Quomodo autem corpus istud in Christo sit, id est, in veritate, et sapientia, et justitia, et sanctificatione, quæ omnia Christus est, sæpe jam diximus. *Habentes autem donationes diversas.* Cum dixisset singulos quosque credentium membra esse unius corporis Christi, nunc quasi diversorum membrorum diversitatem operis enumerat, et verbi causa, velut oculorum, ita menti, quæ est interior oculus, prophetiæ assignat officium, et alii tanquam manui ministerium ascribit, et alii tanquam linguæ doctrinam tribuit, similiter etiam cætera secundum rationem mensuræ fidei. Nunc autem illa officia deputata membris merito fidei enumerat, ut quod viderit membrorum, quod sibi deputatum officium est, non perstrepat alteri, cui videt aliud traditum, sed congaudeat ut corpus Ecclesiæ sit perfectum. *Sive prophetiam secundum rationem fidei.* A prophetia incipit, quæ prima probatio est, rationabilem esse fidem nostram; denique credentes accepto spiritu prophetabant pro modo capientis, hoc est, causa quantum exigit propter quam datur. Prophetia intelligenda est, quam docet Paulus, non illa per quam dicitur, Hæc dicit Dominus. *Sive ministerium in ministrando*, hoc est, ministerium sacerdotale, vel diaconatus officii ministratio. Possumus hæc omnia ad illam regulam revocare, quæ superius est dicta, hoc est, *non plus sapere quam oportet sapere*, ut verbi causa dicamus : non debere eum qui ministrat in ministrando plus sapere quam oportet sapere; et qui docet, in doctrina non plus sapere quam oportet sapere : multi enim accepto ministerio vel accepta doctrina plus sapuerunt quam oportuit sapere, et elati in arrogantiam, vel in delicias resoluti præcipites corruerunt. *Sive qui docet, in doctrina?* Similiter dicitur adjuvari doctorem in doctrina, ut in quantum fides ejus est ad docendum, in tantum inspiretur ad tradendam doctrinam cœlestem. *Sive qui exhortatur in exhortando.* Qui docet major est eo qui exhortatur : exhortari enim possunt etiam minus periti, lacessit enim fratres ad bonum aut incredulos ad fidem. *Qui tribuit in simplicitate.* Qui tribuit indigentibus et præstat, oportet, inquit, ut in simplicitate cordis hoc faciat, hoc est, ne videatur quidem benefacere indigentibus, corde vero laudem quærat ab hominibus. Non ergo simplicitas est, si aliud agi videatur in manibus, et aliud quæratur in corde. *Qui præest in sollicitudine.* Qui præest in Ecclesia vel fratribus, debet esse sollicitus, non de sæcularibus,

sed de Ecclesiæ necessitatibus : qui Ecclesiæ præsunt, recipiant sollicitudinem, qualem Apostolus dicit : Concursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Quis infirmatur et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ?* (*II Cor.* II.) *Qui miseretur in hilaritate.* Videtur fortassis unum atque idem esse, quod supra diximus, qui distribuit in simplicitate, et hic qui miseretur in hilaritate, sed mihi videtur unum fortasse opus esse, non tamen et operis ipsius unum effectum : aliud est enim dare indigenti, et aliud est affectu misericordiæ cum indigente partiri in hilaritate : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). *Dilectio sine simulatione.* Tota puritas debet esse in Christiano, sicut Deus pura lux est : fingere enim servorum est ; ut diligamus non lingua tantum, sed opere et veritate, ita ut etiam, si necesse fuerit, pro nobis invicem moriamur. *Adhærentes bono.* Non magnum dicit vitare malum, nisi adhæreat quis bono : nec benignum esse fraternitatis amorem, si non mutuis se obsequiis prævenerint. Observandum etiam hoc quod sicut in aliis dicit : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI), ita et hic dicit, *adhærentes bono*, sine dubio ut contingat nobis unum esse cum bono, *Charitate fraterna invicem benigni.* Ita vos diligite, quasi ex una matre generati. *Honore mutuo prævenientes.* Hoc est, quod et Dominus docuit, cum notaret Scribas et Pharisæos, prima sibi loca in conviviis vindicantes, ut cum vocatus fueris tu ad cœnam, in novissimo loco recumbas (*Luc.* XIV). *Sollicitudine impigri.* Ne per sæculi sollicitudinem pigri in Dei opere efficiamini vel inertes. *Spiritu ferventes.* Quia frigidos Dominus non amat, et in tepidis nauseatur. Tunc plane spiritu fervemus, si sæculo frigeamus. *Domino servientes.* Non sæculo, nec vitiis, sed omnia propter Dominum facientes. *Spe gaudentes.* Spe gaudet, qui non respicit ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur exspectat, et qui scit *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). *Orationi instantes.* In quo enim non sufficit humana fragilitas, auxilium Dei orationibus implorandum est. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Manifestum est quia qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vitæ sanctorum, ut hoc sit memorem esse et communicatorem, imitari actus illorum. Aliter, memores sanctorum communicantes : hoc est ministrantes eis qui, propter Christum omnia contemnentes, alienis ad tempus indigent ministeriis. *Hospitalitatem sectantes.* Non illud solum ostendit ut venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed et quæramus et solliciti simus, et sectemur, ac persequamur ubique hospites, ne ubi forte in plateis sedeant, ne extra tectum lateant. Recordare Lot, et invenies quod non illum hospites, sed ipse quæsierit hospites, et hoc erat hospitalitatem sectari. *Benedicite persequentibus vos.* Sermo benedictionis in Scripturis diverse invenitur, nam et benedicere inter homines vel cætera quæ creaverit invenitur Deus, et homines vel cæteræ creaturæ Deum benedicere jubentur : sed Dei quidem benedictio aliquid muneris semper his qui ab eo benedicuntur impertit. Homines vero Deum benedicere, pro eo quod est laudare et gratias referre dicuntur. Sed in hoc prohibet Apostolus, ne pro maledictis maledicta reddamus, sed faciamus quod ipse de semetipso scribit, ubi dicit : *Maledicimur et benedicimus* (*I Cor.* IV). *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Non cum illis qui flent mortuos suos jubemur, aut qui flent damna sæcularia, scientes quia hujus sæculi tristitia mortem operatur ; non sunt ergo lacrymæ cum talibus, sed cum illis flendum est, de quibus dicit Dominus : *Beati qui flent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). *Gaudete cum gaudentibus*, id est, gaudio spirituali, in bono proximi, et in conversatione ejus ad Deum. *Id ipsum invicem de vobis sentientes.* Sermo iste non natura sui, sed interpretatione obscurus factus est : hoc est enim quod dicit, ut ita de fratre sentiamus, ut de nobis ipsis, et ita velimus proximo, sicut et nobis volumus, ut Dominus in Evangelio dixit : *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII). *Id ipsum*, id est, compati in fratris tribulatione. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Alta sapere, superbe sapere est, ut elatio sit in animo ut præsumens forte de incolumitate actus sui, non condoleat fratri, sed exprobret peccatum, quod denotat Dominus dicens : *Ejice trabem de oculo tuo, et tunc* videbis ejicere *festucam de oculo fratris tui* (*Luc.* VI) ; ipsa enim elatio peccatum est. *Sed humilibus consentientes*, id est, ut deposita superbia alienam causam suam faciat, et suam alienam. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Hoc in Isaia scriptum est (*Cap.* V), quod hic Apostolus quasi suum ponit : Nolite in humana sapientia gloriari, sed stulti estote sæculo, ut Domino sitis sapientes, sicut scriptum est : *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XCIII). Qui sibi prudens videtur, hic cum arrogantia stultus est : nec potest veram Dei sapientiam scire, qui suam stultitiam quasi sapientiam colit. Ergo qui apud seipsum sapiens est, non potest esse sapiens apud Deum. *Nulli malum pro malo reddentes.* Si malum inferre peccatum est, et reddere malum, non ut quibusdam videtur justum est, sed simile peccatum est, et ut ego arbitror etiam gravius : nam ille qui malum prior intulit, non sentit malum esse quod fecerat ; qui autem reddit malum, eo ipso quod ad ulciscendum motus est, confessus est sensisse se malum esse quod reddidit. *Nemini malum pro malo reddentes.* Hoc est quod dicit Dominus : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum*, etc. Mandatum enim in lege erat : *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Hæc quantum videtur justitia est, sed ut abundet justitia Christianorum, docentur non reddere malum pro malo, ut perfecti esse possint. *Providentes bona.* Providere est futura ante oculos habere, ut ea gerantur quæ possint, postquam facta fuerint, in reprehensionem

non venire, sed magis laudi esse, sive apud Deum, sive apud homines, ne quis existimet quia apud Deum illicita non displicent, idcirco non curandum, si fratri scandalo sint. Hoc ergo præmonet, quia illud fieri debet quod et Deo non displicet, et fratri scandalum non sit. Coram hominibus providet quis bona, ut non placeat singulorum vel vitiis, vel moribus, alioquin contraria erit illa Apostoli sententia quæ dicit : *Ego, si hominibus placere vellem, Christi servus non essem* (*Gal.* 1). *Si fieri potest quod ex vobis est*, etc. Quod vestrum est, vos cum omnibus pacem habetote, et dicite cum Propheta : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CIX). Optantes conversionem eorum atque salutem, sicut in vobis est ut fieri possit. Quomodo potest fieri ut pacem cum omnibus habeamus ? et quid faciemus de Scriptura quæ dicit : *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX). Ideo ergo bene Apostolus addit, *quod ex vobis est*, hoc est proposito vestro et fidei vestræ convenit : cum malis enim habere pacem et societatem, fidei vestræ proposito fideique convenit. Quamvis et alio in loco possit haberi distinctio : aliud est enim crimina amare, aliud homines diligere : Qui homines, creaturam Dei diligit ; qui crimina diligit, diaboli sectatur inventa. Qui ergo perfecti sunt, hoc ipsum quo oderunt crimina, homines amant, et odio habentes in eis illud quod peccant, illud quod Deus creavit amare non desinunt. *Non vosmetipsos vindicantes, sed date locum iræ.* Aut a fugiendo, aut a permittendo noceri, hi qui seipsos mox vindicant quomodo locum dant iræ ? Verbi causa : manum manui non referunt, aut convicio convicium reddunt, iræ illius qui fecit injuriam, pertranseundi et evanescendi locum dederunt : nemo enim ita rabidus invenietur qui, illata injuria, si invicem non recipiat, iterum sæviat, sed quasi effuso ac digesto furore necessario mitescat. Est ergo grande lucrum, ubi et multitudo compescitur peccatorum, et injuriam passi patientia probabilis apud Deum. Est autem et hoc modo iræ locum dare, pro his quæ inferentur injuriis, quod hi qui peccant secundum Pauli sententiam, *iram sibi thesaurizant in die iræ*, tunc *reddet* Deus *unicuique secundum opera sua. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Noli illi negare quod Deus nulli negat, quamvis sit blasphemus et impius. Non solum vindictam Deo reservari debere ostendit, sed et beneficia dare inimicis. *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Fortassis isti carbones ignis qui congregantur super caput inimici, in adjutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri ut animus ferus ac barbarus inimici, si beneficium nostrum sentiat, si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compunctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat : et hoc ipso ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commissi conscientia torqueat et adurat, et isti erunt carbones ignis, qui super caput ejus ex nostra misericordia, et pietatis opere congregantur. Aliter, si inimicus bona pro malis recipiens, nulla malitiæ suæ pœnitentia movetur, ipse sibi thesaurizat iram. Caput vero principale cordis appellatur, et merito caput dicitur, cujus intellectu et prudentia membra reguntur universa. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Vincitur a malo, qui a malis provocatus reddit malum. Bono autem vincit malum, qui acceptis malis restituit bona. Certum est enim hanc esse mali naturam, ut ex similibus sui augeatur et crescat, sicut ignis, si ei ignem jungas ; sicut noctis tenebris si aeris nubilum sociatur. Bonum vero si adhibeas, exterminatur malum. Contraria namque contrariis perimuntur, sicut per aquam ignis exstinguitur, per lucem tenebræ fugantur.

CAPUT XIII.

Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Omnis hæc causa adversus illos prolata est qui se putabant ita debere libertate Christiana uti ut nulli honorem deferrent aut tributa dependerent. Quocunque ergo modo eos humiliare desiderat, ne forte propter superbiam magis quam propter Deum contumeliam patiantur. Ideoque docet illos humilitate tempus redimere. *Non enim est potestas, nisi a Deo.* Quid, et illa potestas, quæ servos Dei persequitur, fidem impugnat, religionem subvertit, a Deo est ? Ad quod respondendum quod etiam talis potestas a Deo data est, ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum. *Itaque qui resistit potestati.* Non hic de illis potestatibus dicit, quæ persecutiones inferunt fidei : ibi enim dicendum : Deo obtemperare magis oportet quam hominibus (*Act.* v), sed de istis communibus dicit quæ non sunt timori boni operis, sed mali, quibus utique qui resistit, sibi damnationem pro gestorum suorum qualitate conquirit. *Nam qui principantur non sunt timori boni operis, sed mali.* Malus debet timere potestatem : nam bonus non habet quod timeat, quia si juste occidatur, gloriatur. *Vis autem non timere potestatem*, hoc est, accipe consilium meum, et nunquam timebis. Quod autem dicit de potestate : *Fac quod bonum est ?* In die judicii, et habebis laudem ex ea, altius mihi requirendum videtur : non enim consuetudo est potestatibus sæculi laudari hos qui non fuerint criminosi ; nam peccantes quidem puniunt, nec peccantes vero collaudare eis mos est nullus. Ergo sciens Paulus quod omnes qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur, unumquemque enim in judicio illa lex sine dubio arguet secundum quam vixit. Ostendimus autem Spiritum sanctum in multis humanæ legi locum dedisse. Certum enim est quia in die judicii habebit etiam ex ipsis legibus laudem apud Deum is qui nihil contra statuta commiserit, cum ei dicetur : *Euge, serve fidelis, intra in gaudium domini tui. Et habebis laudem ex illa.* Laus ex potestate tunc fit, cum quis innocens invenitur. *Si autem malum feceris time.* Nam in te habet officium si peccaveris, nec tibi proficit ad mercedem, sive sacerdotes portant gladium spiritualem, sicut Petrus

percussit Ananiam, et Paulus Magum. *Dei enim minister est tibi in bonum.* Quia pro tua sollicitus est quiete, quoniam futurum judicium Deus statuit, et nullum perire vult in hoc sæculo, rectores ordinavit, ut terrore interposito hominibus velut pædagogi sint erudientes illos, quos servent, ne in pœnam futuri judicii incidant. *Ideoque subditi estote non solum propter iram.* Recte dixit *iram*, id est, ultionem præsentem : ira enim judicium parit, sed et propter judicium futurum, ubi accusante conscientia punientur. Ob hoc mihi videtur dicere : Ideo necesse est subditos esse, non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam. Conscientiæ quoque quis subditur, cum habet in se quo accusetur a conscientia. His ergo etiam tributa pendimus, dum adhuc secundum carnem vivimus, et quæ carnis sunt cogitamus : nam si vineam Domini colamus, et vitam veram, quæ est Christus, exerceamus in nobis, de ista vinea non ministris sæculi tributa pendimus, sed ipsi Domino fructus in tempore reddimus, secundum quod ipse Salvator in Evangelio dicit : Quia colonis malis vineam tulit, et dabit eam aliis colonis, *qui reddent ei fructus in tempore suo* (*Luc.* xx). *Reddite ergo omnibus debita.* Potest etiam eleemosyna debitum appellari, dicente Scriptura : Inclina pauperi aurem tuam, et redde debitum tuum. *Cui tributum, tributum*, hoc est, reddite tributum, cui reddendum est tributum. Tributum est quod manu tribuitur. Vectigal autem quod vehiculis vehitur. Primum ea quæ sunt potestatis regiæ debite exsolvi jubet, quia major his necessitas est. *Cui timorem, timorem.* Potestati timorem exhibendum dicit, quia timor prohibet peccatum, deinde Domino, parenti terreno, ut gratias agat, a filio, a servo Christiano. *Cui honorem, honorem.* Potest hic honor circa eos esse qui sublimes videntur in mundo, ut videntes humilitatem servorum, Christum laudent potius quam vituperent doctrinam evangelicam. *Nemini quidquam debeatis.* Hic incipit prædicare charitatem. Pacem vult fieri, si potest, cum omnibus, dilectionem vero cum fratribus, et hic tamen honore servato. Idcirco autem debitores dicit, quia homini qui dignus est honore sive præsenti sive futuro, dignum est et justum inclinari. Illi enim quis inclinatur, a quo honorem accipit, idcirco debitor dicitur : si enim non hoc feceris principi tuo, superbies : aut enim merito quis, aut ætate honorandus est. *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Legem datam a Moyse implebit, qui proximum diligit ; nam novæ legis mandatum est etiam inimicos diligendos ; aliter secundum parabolam Domini sine discretione cunctis misericordiam fieri jubentem, omnis homo proximus censendus est. Quomodo possit quis legem in uno sermone complere plenissimam reddit rationem, dicens : *Dilectio proximi malum non operatur : et ideo plenitudo legis est dilectio.* Ponit enim per singula mandata legis dilectionem, et vide quam facile cuncta complentur. Nunquid enim qui diligit proximum occidere eum potest ? non etiam. Et iterum, nunquid qui proximum suum diligit, in uxorem ejus adulterium committit ? Nunquam profecto. Sic et in cæteris. Hoc ipsum intelligendum est hoc verbo *restauratur :* quia in proximi dilectione omnis justitia recapitulatur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hoc in Levitico (*Cap.* xvi) scriptum est. *Et hoc scientes tempus.* Hæret cum superioribus, ubi dixit : *Subditi estote. Quoniam hora est jam nos de somno surgere.* Ut ad perfectiora tendatis : non enim debetis semper parvuli et lactentes esse. Ergo de somno inertiæ et ignorantiæ consurgite, jam enim scientia lucet. *Nunc enim propior est salus nostra, quam cum credidimus.* Quotidie propior est nostra salus, sicut et Dominus cum consummationis sæculi signa distingueret, dixit : *Cum audieritis hæc omnia, allevate capita vestra, quoniam appropiat redemptio vestra* (*Luc.* xii). *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Comparat diei scientiam, et ignorantiam nocti. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Cum ignorantia abjiciamus simul et opera ignorantiæ, et arma lucis, hoc est, opera luminis induamus ; qui enim male agit, odit lucem : qui vero veritatem facit, venit ad lucem. Tenebrarum sunt opera vitia carnis, arma vero lucis gesta sunt bona. Boni ergo actus arma lucis sunt ; impugnant enim tenebras, quæ sunt vitia carnis. Quæ sint autem opera tenebrarum quæ abjicienda sint, consequenter enumerat et dicit : *Non in comessationibus.* Comessationes autem, sicut inhonesta et luxuriosa convivia, quibus necessario comes est turpissima temulentia, et quid aliud subsequitur, nisi cubilia et impudicitiæ. *Non in contentione et æmulatione.* Recte ab his coerceri monet, quia omnis contentio et zelus inimicitiam parit : hæc enim omnia tenebras vocat, quæ ad lucis præmia pervenire non possunt

Sed induite vos Dominum Jesum Christum. Frequenter diximus, Christum sapientiam esse, et justitiam, et sanctificationem, et veritatem, et omnes simul virtutes, quas utique qui assumpserit, Christum dicitur induisse. Si enim hæc omnia Christus, necessario qui hæc habet, habet et Christum : qui autem hæc habet, carnis curam in concupiscentiis non facit : *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Sic Salomon ait : Post concupiscentias tuas ne eas. In hoc necessaria non prohibuit sed concupiscentiæ resecavit.

CAPUT XIV.

Infirmum autem in fide accipite. Hoc est, Judæum, nuper in Christum credentem nequaquam offendite, sed adjuvate, ut arundinem quassatam non confringatis (*Matth.* xxi). *Non in disceptatione.* Ne dixeritis et, vel ne imputetis, quod non oporteat fieri quæ carnaliter observat ; nam quo pacto ausi sumus ferre sententiam de alterius corde quod non videmus ? *Qui autem infirmus est, olus manducet.* Hinc probatur, quia non de Judæis, ut quidam putant, sed de abstinentibus dicat ; non enim carnes secun-

dum legem mundas, sed sola olera manducabant. *Qui manducat, non manducantem ne spernat.* Habebant inter se scandala : illi illos quasi carnales judicabant, et illi illos tanquam stultos irridebant, et superstitiosos putabant. *Deus enim illum] assumpsit.* Hoc est, ita illum Deus vocavit in unitatem fidei, sicut et te. *Tu quis es qui judicas ?* Cujus auctoritatis es, ut judices eum quem non judicat lex ? Unde Jacobus ait : Qui judicat fratrem judicat legem, scilicet sapientiorem se judicat lege. Cæterum ipse Paulus contra mandatum facientes judicavit, et aliis judicandi tribuit facultatem. *Suo Domino stat aut cadit.* Hoc est, sive vivit, sive moritur, quia et ille propter Deum abstinet, et ille secundum Deum non abstinet. *Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.* Qui tres pueros leguminibus pastos meliores apparere fecit quam illos qui de mensa regis edebant, potest et illos facere diutius in corpore stare vel statuere, hoc est, in fide robusta ponere. *Nam alius judicat diem inter diem.* Subaudis jejunare, hoc est, modicum edere. Judæi in escis diem inter diem judicare non poterant. Ergo de jejunio et abstinentia dicit, quæ non sunt sub certo modo legis redacta : unusquisque tantum faciat quantum potest, et quantum mercedis habere voluerit. Unde sequitur, ut unusquisque id faciat in tali causa duntaxat, quod melius judicaverit. *Et qui manducat, Domino manducat.* Quia propter Deum manducat, ut prædicando evangelium possit habere virtutem, per quam conversi gratias referant Deo, non suæ gulæ studens, sed aliorum saluti. *Eo qui non manducat, Domino non manducat.* Quia per exemplum illius multi salvantur. Et gratias agit Deo, hoc est, non solum labiis, sed exemplis et operibus. *Nemo*, fidelium *sibi vivit, et nemo sibi moritur.* Quia Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed illi. Cavendum est autem, ne nos e contrario aut nobis vivamus manducando, aut propter homines moriamur jejunando. *In hoc enim vixit Christus et mortuus est.* Adventus Christi et vivos inveniet, et mortuos suscitabit, quoniam vivis ostendit viam salutis, et se obtulit pro eis, mortuos vero liberavit de inferno, tam vivorum quam mortuorum dominatur ; ex perditis enim iterum reformavit sibi illos in servos. Puto quod duobus modis constat in omnem creaturam Christi dominatio : uno quo vi majestatis et necessitate potentiæ dominatur ; altero, quo rationabilis spiritus exspectat, ut sponte veniat, ut voluntate et non necessitate bonum quærat, et docendo magis quam imperando, invitando potius quam extorquendo persuadeat. Inde denique usque ad mortem dignatur volentibus peccato et vitiis immori, derelinquere exemplum, et propter hoc in præsenti loco Apostolus dicit idcirco eum mortuum esse et vixisse, ut et vivorum, et mortuorum dominetur : vivorum profecto illorum, qui resurrectionis ejus exemplo novam et cœlestem in terris exigunt vitam ; mortuorum illorum, sine dubio, qui mortificationem Christi in corpore circumferunt, et mortificant membra sua quæ sunt super terram.

Tu autem quid judicas fratrem tuum ? Docet non oportere in hac re judicare, quia nec continetur in lege ; propterea Deum judicem exspectemus. *Et confitebitur omnis lingua Deo.* Hoc est, tria genera filiorum Noe, de Sem enim 27, de Cham 22, de Japheth 22 linguæ, hoc est 72 natæ sunt. *Sed in hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Hoc est, ut non carnem manducetis coram abstinente quolibet, vel coram infirmo Judæo in fide. *Nam si propter escam frater tuus contristatur.* Non dixit, propter jejunium ; sed ne illum qui aut infirmatur, aut abstinet, tuo exemplo provoces aut compellas.

Jam non secundum charitatem ambulas. Quia invitus manducat, quod illi non expedit. Etiam non diligis proximum sicut te, si non illius utilitatem cogitas quasi tuam. *Noli cibo tuo illum perdere.* Non dixit abstinentia tua, sicut quidam volunt. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Bonum, hoc est, libertas, quam habemus in Domino, ut omnia nobis munda sint ; non ea ita debemus uti, ut videamur propter gulam et epulas ambulasse. Bonum nostrum, hoc est, doctrina Dominica, cum sit bona et salutaris, non debet blasphemari per rem fragilem : blasphematur autem, cum dubitatur de Dei creatura. *Non est enim regnum Dei esca et potus.* Hoc est, non propter escam justificamur, etc. Sed et hoc notandum, quia non dixerit jejunium et sobrietas non est regnum Dei, sed esca et potus. *Sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Quæ per abstinentiam facilius custoditur. Ubi vero justitia, sicut se proximum diligendo, ibi et pax : et ubi pax, ibi et gaudium spirituale, quia ex dissensione semper tristitia et molestia generantur. *Itaque quæ pacis sunt sectemur.* Hoc est, ut non invicem de hujusmodi judicemus. *Et quæ ædificationis sunt invicem custodiamus.* Hoc est, quæ fratrem non offendunt, ædificat autem abstinentia. *Noli propter escam destruere opus Dei.* Hominem scilicet creatum a Deo. *Omnia quidem sunt munda.* Repetit quod superius dixerat, ne creaturam damnare videatur. *Bonum enim est non manducare carnem, et non bibere vinum.* Exponit quid sit per quod offendi dicebat infirmum : offenditur sensu, scandalizatur fide, quæ est offensio major. *Aut infirmatur.* Scilicet pudicitia ; *vinum* enim *et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes* (*Eccl.* XIX). Quod autem dixit : *Habes penes teipsum.* Jactantiam resecat, ne magis in ostentatione sit, quam virtute quod credimus, vel quod non mordet conscientiam in eo quod facit. *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Hoc est, qui non suam firmitatem probando se considerat, sed alterius infirmi salutem. *Qui autem discernit : Si manducaverit damnatus est.* Id est, qui se ita dijudicat : idipsum est enim discretio et judicium, quia et judicium discernendo fit, et discretio judicando ; vel, discernit credens malum esse illud, vel illud manducare, et tamen manducat contra fidem suam, jam damnatus est.

Quia non ex fide. Quæ per charitatem operatur; quidquid enim alium destruit, ex fide non est, et idcirco peccatum est.

CAPUT XV.

Et non nobis placere. Id est, ut propria commoda quærentes, nostram faciamus voluntatem.

Ad bonam ædificationem. Ostendit modum placendi et causam, ne ad vanam gloriam placeamus. Simul et cum dicit: *Bonam ædificationem*, esse ostendit et malam, ut est illud: *Ædificabitur ad manducandum idolothyta.*

Etenim Christus non sibi placuit. Ideo vos qui membra Christi estis, non debetis placere vobismetipsis. Imitator et discipulus Christi non quærit suum commodum: ille enim ob aliorum salutem etiam mortuus est, et improperia amarissima supportavit dicentium: *Vah! qui destruebas templum Dei*, etc. (*Marc.* xxv). Quod si requiras cur exemplum, quod e psalmo protulit, ita habeat, quasi improperia, quæ improperantur Deo, ceciderint super Christum (*Psal.* lxviii), ita possumus explanare, quod sicut dixit: *Qui me recipit, recipit eum qui me misit* (*Matth.* x), ita et hoc accipi potest: Quia qui mihi improperat, improperat ei qui misit me.

Ut per patientiam et consolationem Scripturarum. Per Scripturarum consolationem et solatia, spem futurorum patientissimi exspectamus, sicut scriptum est: *Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est in illis scandalum* (*Psal.* cxviii). Hoc est, qui consolatione legis utuntur, moveri nulla tentatione possunt, ut per exempla patientiæ et consolationis eorum quæ scripta sunt, speremus consolationem et in præsentibus, et sicut Lazarus in futuro. Magni etenim causa solatii est, si quod nos patimur, Dominum nostrum et sanctos ejus sciamus esse perpessos. Item et consolationem Scripturarum, id est, ut ipsa exhortatione proficiamus ad spem, non diffidentes de promissis, si adhuc tardent. *Spem habeamus.* Id est, promissionis, ut spes præmii solatium sit laboris.

Secundum Jesum Christum. Ut unusquisque quærat alterius salutem quasi suam, sicut Christus sua morte omnes salvavit a morte. *In uno ore honorificetis Deum.* Unum os dicitur, ubi unus atque idem per diversorum ora sensus et sermo procedit. *Propter quod suscipite invicem.* Propter honorem Dei invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi: qui nos suscepit in se, cum essemus impii, quanto ergo magis nos invicem, ut similes nostri sustinere debemus! *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis.* Iterum utrumque populum ad unitatem hortatur. Consentio vobis, o Judæi, quia Christus vobis promissus, ad vos venerit primum, et Gentes propter misericordiam Dei vocatæ sunt, tamen unum estis corpus effecti: *Non enim venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis. Ad confirmandas promissiones patrum.* Ut videlicet impleret quod promisit patribus: *Cui plus dimittitur, plus diligit. Sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, Domine.* Hoc est, faciam gentes confiteri tibi in gentibus, Domine. Vox Christi est ad patrem. Tulitque Judæis arrogantiam, cum de Gentium salute dicit esse prædictum: Christus autem in Gentibus confitetur eos misericordiam consecutos, quia et ipsi sunt in corpore ejus per baptismum.

Lætamini, gentes. Hoc in Deuteronomio scriptum est. *Cum plebe ejus.* Hoc est, cum Israel. *Erit radix Jesse.* Radix Jesse est arbor David quæ fructum fecit per ramum, qui est Maria virgo, quæ Christum genuit. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio.* Omne gaudium fidelium in spe debet esse futura. *Deus spei*, id est, in quo speratur vita futura. Ibi autem omne gaudium, ubi pax est: nullum vero in dissensione gaudium, sed universa mœstitia. *In virtute Spiritus sancti.* Si enim qui credit virtute Spiritus sancti munitur, certum est quod plenitudinem gaudii semper habeat, et plenitudinem pacis. Aliter. *Et virtute Spiritus sancti*, quia abundantia spei in Spiritus virtutibus consistit et signis.

Certus sum autem et ipse de vobis. Bonus doctor laudando provocat ad profectum, ut erubescant tales non esse, quales ab Apostolo esse putabantur.

Et repleti omni scientia. Hoc est, Veteris et Novi Testamenti. *Audacius autem scripsi vobis.* Ideo magis scribendi fiduciam habui, quia novi vos ut prudentes cito accipere rationem, sicut scriptum est: *Argue sapientem, et amabit te* (*Prov.* ix). *Tanquam rememorans.* Hoc est, recordans vos esse prudentes, sive ut non ignaros doceo, sed ut scientes commemoro.

Propter gratiam quæ data est. Non propter commoda terrena, vel laudem, sed ut impleam officium quod accepi.

Sanctificans evangelium. Meo exemplo sanctum esse demonstrans. Quidam enim ut humanum contemnunt, quod prædicant ut divinum, et ita fit ut res sancta videatur esse non sancta, cum non perficitur sancte. Unde dicitur: *Sanctificate jejunium*, hoc est, sanctum facite, sive monstrate. *Ut fiat oblatio Gentium accepta.* Ut exemplo meo Gentes efficiantur hostia Deo accepta, non igne sanctificata, vel suscepta, sed Spiritu sancto, sicut scriptum est: Quia *sedit super apostolos quasi ignis, et visæ sunt illis variæ linguæ* (*Act.* ii). *Habeo igitur gloriam in Christo.* Sciendum sane est quia hic Latini *gloriam* pro *gloriatione* posuerunt: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Gloriam igitur habeo ad Dominum, licet apud homines infamer et maculer.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Non ausus sum dicere aliquid me in his duntaxat rebus propria virtute fecisse, et non omnia per me esse Dominum operatum. Signa minora, hoc est sanitates vivorum. Prodigia majora, veluti est suscitatio mortuorum. Signa vocantur, in quibus sit aliquid mirabile, indicant quoque aliquid futurum. Prodigia vero in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur.

Sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt de eo, intelligent (*Isai.* LII, 5). Ostendit suum laborem ante prædictum. *Videbunt.* Videtur Christus in apostolis per virtutes quas in ejus nomine faciebant. *Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos.* Fundavi ecclesias occupatione detentus in his regionibus, Achaiæ, et Macedoniæ, vel ab Hierusalem in Illyricum. *Sed cum proficisci cœpero in Hispaniam.* Utrum vero in Hispaniam venerit, incertum habetur. *Spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc.* Quia ita vos exhibetis, ut nec apud vos locum aut necessitatem habeam diutius remorandi, ideo et ex parte illis fuisse dicit, quia credere non indigebant, sed tantummodo confirmari ; sive ideo ex parte, quia nulla magnitudo temporis faciat charitatem. *Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis.* Sancti erant in Hierusalem, qui omnibus suis distractis, et ante apostolorum pedes depositis, orationi, lectioni ac doctrinæ vacabant.

Probaverunt enim Macedones. Probaverunt autem hoc sibi utile fore, si collationem aliquam sumptuum facerent sanctis. *Quod autem placuit Macedoniæ et Achaiæ.* Subtiliter ac verecunde dum Corinthios laudat, hortatur Romanos : facilius enim devotæ mentes ad benefaciendum exemplis quam sermonibus invitantur. *Quomodo si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles.* Id est doctrinæ et orationis. Reliqui doctores ex ipsis habebant, et socii fuerant pinguedinis radicis : ideoque unusquisque, qui quo abundat, debet alteri impartire.

In abundantia benedictionis Christi veniam. Quia abundantius in adventu meo Christus in vobis benedicetur : sive benedictionis, id est gratiæ Christi. *Obsequii mei oblatio.* Id est eleemosyna quam porto. *Accepta.* Grata. *Ut cum gaudio veniam ad vos.* Si videlicet sancti acceperint hanc eleemosynam. *Ut refrigerer vobiscum.* Non corporalem utique requiem quærit Paulus, sed illam quæ consolationem habet ex Deo, sicut et ipse in primis hujus Epistolæ partibus dixit : *Consolari in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam.*

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Deus pacis Christus est, qui non nisi in pacificis habitat. Pulchre autem in pace finivit, duobus populis ad pacis concordiam revocatis

CAPUT XVI.

Commendo vobis Phœbem sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris. Hoc jam quasi finito textu Epistolæ, ut solent, commendationis vel salutationis gratia subter adnexuit. *Quæ est in ministerio Ecclesiæ.* Sicut etiam nunc in Orientalibus locis diaconissæ mulieres in suo sexu ministrare videntur in baptismo sive in ministerio verbi, quia privatim docuisse feminas invenimus, sicut Priscilla, cujus vir Aquila vocabatur : hi duo cæsum Paulum virgis, vino oleoque, et aliis rebus medicati sunt. Hanc ministram esse Ecclesiæ Cenchris ait ; et quia multis adjutorio fuit, etiam ipsa ad adjuvandum peregrinationis causa dicitur. Cenchris portus Corinthi, quia omnes qui ad Corinthum veniunt, mansionem Cenchris habent. *Ut assistatis ei.* Sive sumptibus, sive solatio adjuvetis eam.

Adjutores meos. Id est in opere doctrinæ. Omnes autem quos salutat, intelligimus ex hominibus fuisse peregrinis, per quorum exempla ac doctrinam, non absurde existimamus credidisse Romanos. *Qui est primitivus Asiæ.* Hoc est qui primus credidit Christo in Ecclesia. *Quæ multum laboravit in vobis.* Docet et in hoc debere etiam feminas laborare pro Ecclesiis Dei. Nam et laborant, cum docent adolescentulas sobrias esse, diligere viros suos, filios enutrire, pudicas esse, castas, domum bene regentes, benignas, subditas viris suis, hospitio recipere, sanctorum pedes lavare.

Cognatos meos. Potest quidem fieri, ut et secundum carnem isti cognati fuerint Pauli, et ante ipsum crediderint in Christo. *Qui sunt nobiles in apostolis.* Et nobiles habiti sunt in apostolis Christi, de quibus possibile est et illud intelligi, quod fortassis ex illis septuaginta duobus, qui et apostoli nominati sunt fuerint, et ideo nobiles suorum et in apostolis dicat, et in his apostolis qui ante eum fuerunt. *Concaptivos.* Tolerando ab Judæis persecutiones. *Salutate Ampliatum.* Hunc quasi amicum salutat, sed in Domino amicum, non tantum qui interfuerit labori ejus aut captivitati. *Adjutorem meum.* Adjutor autem apostoli in Christo, non alius intelligitur quam apostolici operis particeps. *Probum in Domino.* Hoc est probatum, qui in multis tribulationibus probatus est. *Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo.* Quoniam nihil otiosum et in litteris apostolicis additur vel minuitur, istos qui sunt vel de domo, vel de familia Aristoboli, non frustra, neque dilectos, neque probos, neque adjutores in Christo nominat, sed forte qui nihil tale habebant in meritis, idcirco eos solo titulo salutationis honoravit. Aristobolus iste intelligitur congregator fuisse fratrum in Christo. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo.* Videntur quidem plures fuisse ex domo, vel familia Narcissi, sed non omnes in Domino fuisse, et ideo addidit, eos salutandos esse qui sunt in Domino. *Salutate Rufum.* Huc usque Judæos, nunc Romanos salutat. *Et matrem ejus et meam.* Ætate, non partu. *Salutate Asyncritum*, etc. De istis simplex est salutatio, nec aliquid eis insigne laudis adjungitur. Suo exemplo nos docet quales amicos debeamus nostris litteris salutare : non divites sæculi facultatibus, vel dignitatibus honoratos, sed gratia ac fide locupletes. *Herman.* Puto autem quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui pastor appellatur, quæ scriptura valde mihi utilis videtur, et ut puto divinitus inspirata ; quod vero nihil ei laudis ascripsit, illud declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse conversum. *Salutate Philologum.* Hi homines unanimes intelligiuntur fuisse, quos hac causa simul salutat, quorum meritum ex his qui simul cum eis erant dignoscitur ; sanctos nuncupat eos, ut merito

illos salutare videatur. *In osculo sancto.* Ex hoc sermone, aliisque nonnullis similibus, mos ecclesiis traditus est, ut post orationem osculo se invicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet ut casta sint oscula quæ in ecclesiis dantur, tum deinde ut simulata non sint, sicut fuerunt Judæ, qui osculum labiis dabat et proditionem corde tractabat. Osculum vero fidelis primo, ut diximus, castum sit, tum deinde pacem in se simplicitatemque habeat, in charitate non ficta. *Fratres, obsecro vos, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Alienus vobis sit, nec omnino recipiatur inter vos qui certamina commovet, qui serit jurgia, qui lites excitat, et studia contentionis exercet. Qui enim tales sunt, Christo Domino nostro qui est nostra pax, non serviunt. De illis dicit qui ex circumcisione illo tempore venerant, jejunia et abstinentiam destruentes, et neomenias, et sabbata, et cæteras ferias ventris gratia prædicabant, dissentientes ab apostolica doctrina, et fratribus offendicula præparantes. *Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est.* Hoc est, si illis obedistis quibus obedire non debuistis, quanto magis nobis obedire debetis! Subtiliter sane Paulus indiscretam et facilem Romanorum obedientiam notat, eamque asserit ubique non laudatam, sed pervulgatam : sed ne eos rursum, si pro hoc apertius castigaret, inobedientes efficeret, addidit :

In vobis igitur gaudeo. Gaudet Paulus super obedientes, certus quod cum docuerit eos non vulgari obedientia, quam incaute omnibus præbent, uti debere, sed illa sola qua obedire oportet Deo magis quam hominibus, relictis cæteris ipsa sola utantur. *Volo enim vos sapientes esse in bono.* Simile est hoc illi dicto, quod ad Corinthios scribit, dicens : *Malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* (*I Cor.* XIV). Sed et illud quod Dominus ait : *Quia filii hujus sæculi prudentiores sunt quam filii lucis in generatione sua* (*Luc.* XVI). Huic convenit dicto : Filii autem sæculi hujus prudentiores sunt in malitia, pro eo quod aliquid semper profundius et subtilius inveniunt in ea, unde plus noceant et vehementius lædant. In bono autem stulti sunt : vix enim inveniunt quid faciant boni. E contrario vero Paulus vult nos sapientes esse in bono, hoc est semper plus invenire aliquid, plus exquirere, et profundius cogitare quid faciamus boni, ita ut, etiamsi impediamur per alicujus malitiam ab opere bono, nos si sapientes sumus excogitemus quomodo si bonum opus non possumus, vel sermonem bonum proferamus : quia si nec hoc licet, votum saltem bonum et animum demonstremus. Sic ergo *sapientes esse in bono* debemus, *simplices in malo*, ut si pulsamur malitia et injuria, non simus callidi et versuti artes et argumenta quærentes, quibus reddere malum pro malo, et nequitiam pro nequitia debeamus. Sed in tali loco meminisse debemus illius sententiæ, quæ dicit: *Si quis vult sapiens esse apud Deum, stultus fiat in hoc mundo* (*I Cor.* III). Simus ergo stulti, accipientes injuriam, et non reddentes, ut sapientes simus apud Deum, qui dixit : *Mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus* (*Ezech.* IX). Quomodo potest idem ipse et sapiens esse et stultus? Respice ad artes istas quæ in usu hominum habentur, quomodo ille qui, verbi causa, sapientissimus grammaticus, in arte fabrili insipientissimus : vel rursus sapientissimus gubernator, quomodo in arte medicinæ invenitur insipiens : sic ergo possibile est in his quæ ad Deum pertinent esse sapientem et in his quæ ad sæculum pertinent insipientem. *Deus autem pacis conterat Satanam.* Ut est illud : *Dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones et serpentes* (*Luc.* X). *Sub pedibus vestris velociter.* Hoc est sensibus mundis et simplicibus. Videtur mihi in hoc loco dixisse *Satanam*, omnem spiritum qui credentibus adversatur. Satanas enim nostra in lingua adversarius interpretatur. Quidquid ergo animæ tendenti ad Deum resistit et adversatur, et quidquid paci ejus contrarium est, hoc ei Satanas esse nominatur. Ideo denique præmisit, dicens : *Deus pacis*, hoc est, Deus cui pax placet, conterat eum qui contrarius est paci, et dissensiones operatur. *Salutat vos Timotheus.* Huc usque salutatos, nunc salutantes dicit. Videtur mihi de his quos sequestravit ab omni catalogo salutantium plus aliquid sensisse. Denique Timotheum adjutorem suum dicit et omnes simul cognatos suos. Et quidem de Timotheo plenissime refertur in Actibus apostolorum, quod fuerit Derbensis cujusdam filius mulieris Judææ fidelis, ex patre gentili. Lucium quidam perhibent esse Lucam, qui Evangelium scripsit, pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum Græcam Romanamque proferri. Sosipater vero qui his jungitur, suspicor quod sit in Actibus apostolorum scriptus : *Sosipater pater Pyrrhi Beroensis :* hi cognati sunt fide catholica Paulo. Jason autem Thessalonicensis erat. *Ego Tertius.* Proprium nomen est non ordinis, sicut ex Græco codice evidenter cognoscitur, ubi scriptum est : Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος, *qui scripsi epistolam in Domino*, id est in adjutorio Domini. *Salutat vos Caius.* Fertur majorum traditione, quod hic Caius primus episcopus fuerit Thessalonicensis ecclesiæ. *Hospes meus.* Cum quo maneo nunc in hospitio. *Erastus arcarius civitatis.* Ipsum puto esse Erastum, quem dicit quia remansit Corintho, videtur dispensator civitatis ostendi. Sed non puto quod ex hoc officio magnopere Paulus mentionem ejus in Epistola sua fecerit, nisi forte aliquid in eo amplius sensit, et arcarium eum, id est dispensatorem illius civitatis dixerit, cujus artifex et conditor Deus; et ideo nec nomen posuerit cujus civitatis, sed tantum eum arcarium nominaverit. *Gratia Domini nostri Jesu Christi.* Sciendum sane est quia omne quod habent homines a Deo gratia est; nihil enim ex debito habent : quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei. Item : *Gratia Domini nostri Jesu Christi :* hæc est subscriptio manus ejus in omnibus

Epistolis, et in ea etiam commemorat beneficia Christi. *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta evangelium meum.* Subaudis *commendo vos*, hæretque cum superioribus, ubi dixit: *Commendo vobis Phœben sororem nostram*, etc. Duas mihi causas Paulus videtur ostendere quibus roborantur hi qui in fide evangelii confirmantur : unam qua eis prædicatio Pauli, quæ est et Christi prædicatio, innotescit; et aliam qua revelatur eis sacramentum, quod omnium temporibus sæculorum in silentio habitum est. *Nunc vero.* Hoc est in adventu Christi, et præsentia corporali manifestum est et apertum, et quantum exspectat non sine idoneis testibus, sed Scripturis propheticis astipulantibus declaratum existit, ut per prædicationem quidem evangelii, Gentes ad obedientiam fidei vocarentur; ex revelatione vero sacramenti agniti a Dei sapientia gloria et claritas soli sapienti Deo redderetur in sæcula sæculorum. *Mysterii.* Absconditæ vocationis Gentium ad fidem Christi. *Quod temporibus æternis in silentio fuit.* Quod scirent quidem prophetæ; ex Scripturis enim propheticis manifestatur, sed hominibus, id est vulgo non manifestaverint, nec patefecerint, sed silentio texerint. *Secundum præceptum æterni Dei.* Usquequo tempus adesset ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis, et manifestaretur omnibus Gentibus ad obedientiam fidei. *Soli sapienti Deo.* Sapientem Deum non ita accipias, quasi quem sapientia fecerit sapientem, ut inter homines habetur. Sapiens enim inter homines dicitur unusquisque ex participatione sapientiæ; Deus vero non quasi qui ex sapientia sapiens factus sit, sed qui auctor et genitor sapientiæ, sapiens appellatur. Merito soli sapienti Deo. Solus est enim ita sapiens Deus, ut sapientiam ipse magis genuerit, cum ex sapientia factus sit sapiens. *Cui gloria.* Recte ei gloria per Jesum Christum refertur, qui ita sapientem esse solum Deum, ut ipse sapientiam genuerit Christum Jesum qui est Dei virtus, et Dei sapientia, declarat. *In sæcula sæculorum.* Moris est divinæ Scripturæ immensitatem per hoc temporum designare.

Amen. Aut quasi ad confirmationem omnium quæ superius scripta sunt in fine posuit, per quod vernaculo Hebræorum sermone vera et fidelia esse, quæ sunt scripta signaret.

Achaia, frater meus, vel Dominus quis. Andronicus, decorus quod standum. Apelles, congregaris eos. Apollo, mirabilis. Arethe, distentio. Aquila, dolens vel parturiens. Arabes, humiles vel campestres. Appia, continens vel libertas. Arastus, frater videns, vel mons operis amplioris. Aristarchus, suscitans coronam. Aristobulus, suscitans dolore germen. Archippus, longitudo operis. Barnabas, filius consolationis. Bithynia, filia speciosa. Corinthus, oritur ipse. Corinthii cives, sive decuriones eorum. Claudius, spes tranquillitatis. Cilicia, cœtus, vel luctus, vel assumptio, vel vocatio, lamentabilis. Colceia, vox facta. Crispus, sciens. Chloes, investigantes, vel omnes, sed melius conclusio, vel consumptio. Damascus sanguinis potus. Demas, silens. Erastus, frater meus videns. Epaphroditus, frugifer. Epaphra, videns, vel recens. Evodiam, apprehendentem Dominum. Ephesum, voluntas ejus, sive consilium meum. Philetus, declinans. Philologum, ore principium. Galatia, magnifica vel translatio. Junia, incipiens. Julium, incipientem. Lucius, ipse suscitans. Onesimus, respondens. Philippenses, os lampadum. Persida, tentans. Priscilla, agnoscens. Philemon, mire donatus. Paulus, mirabilis. Quartus, plangens superflue. Saulus, tentatio respicientis vel securitas. Saul, expetitus vel petitio. Silvanus, missus. Sodoma, pecus silens. Sosthenis, gaudium da mihi. Sosipater, narrans. Sosipatruus, salvans dispersos. Thessalonicenses, festinantes. Tharsis, exploratio gaudii. Tertius, adjungens vel applicans se. Thessalonicam, festinam umbram statuere. Tyberius, visio ejus, sive bonitas ejus. Tyranni, continentes. Timotheus, beneficus. Titus, quærens, vel bonum. Tychicus, tacens. Urbanus, luce gaudens.

II.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM.

Paulus vocatus Apostolus. Quod nomen suum præponit Epistolis, auctoritatis esse noscendum est: sicut reges longe positi his qui sub eorum potestate sunt scribunt, et quia minoribus epistolas mittunt, sua his nomina præponunt.

Vocatus. In via, vel Benjamin, vel in præsentia Dei. Porro quod ait, *Apostolus*, cujus autem? *Christi Jesu :* tale mihi videtur, quasi dixisset : Præfectus prætorii Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberii Cæsaris? Ut enim judices hujus sæculi, qui nobiliores esse videntur, ex regibus quibus serviunt et ex dignitate qua intumescunt vocabula sortiuntur : ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, Apostolum se Christi titulo prænotavit, ut et ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. *Et Sosthenes frater.* Hunc idcirco secum scribentem inducit, quia et ipsis doctor erat, et pro his valde sollicitus. *Ecclesiæ Dei.* Notat Ecclesiam quæ non est Dei, ut : *Odivi ecclesiam malignantium (Psal.* XXI). *Cum omnibus qui invocant nomen Domini.* Hoc est, non solum opto ut gratia et pax vobis multiplicetur vocatis sanctis,

sed omnibus qui invocant nomen Domini nostri. *In omni loco.* In tota Corinthia. *Ipsorum.* Id est, Corinthiorum. *Et nostro.* Quia nostrum est quod ipsorum est. Aliter, invocare nomen Domini proprie est sacerdotum. Unde scriptum est: *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII). Quem sacerdotem fuisse probatur, quia Heli sacerdoti successit, et hostias offerebat, et de eo Dominus ait: *Suscitabo mihi fidelem sacerdotem.* Qui licet non ex genere Aaron, tamen de tribu Levi in Paralipomenon fuisse describitur. Hieronymus in tractatu libri Isaiæ: In Epistola quam scripsit Paulus ad Corinthios, cum ad unius scribatur populum civitatis, pro varietate habitantium, id est, sanctorum et peccatorum, nunc laudat eos, nunc corripit, nunc dolet, nunc reprehendit, nunc provocat ad continentiam, nuptias non recusat, retrahit ab idololatria, instruit in resurrectionem, digamiæ porrigit manum, ne locum tribuat fornicationi. *Gratias ago Deo meo.* Ut solet primum provocat profectum laudando, et dicit se quidem gaudere de eorum scientia, sed scire illos debere quia vera scientia non inflat, neque dissentit. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Testimonium Christi est totum Evangelium, vel illud: *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Ita ut nihil vobis desit.* Unde Salomon ait: *Venerunt mihi omnia bona cum illa. Exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Ille vere exspectat adventum Domini, qui in omnibus præparatus est. Ideo autem revelatio dicitur adventus Domini, quia modo absconditus est a nobis. *Qui et confirmabit vos.* Sua scilicet doctrina. *Usque in finem.* Vel vestræ præsentis vitæ, sive perfectionis. *Sine crimine.* Principali. *Fidelis Deus.* Qui reddet vobis mercedem sicut promisit. *Per quem vocati estis.* Ut: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum* (*Joan.* VI). *In societatem Filii ejus.* Si enim socii fuerimus passionum, erimus socii in gloria. *Obsecro autem vos, fratres.* Hucusque cum laude præfatio: hinc jam contra dissensiones aggreditur, ut idem ipse dicit: *Unum sit verbum, et unus sensus in omnibus vobis. Schismata.* Contentiones pro doctoribus. *Significatum est mihi ab his qui sunt Chloes.* Quæritur quomodo Apostolus credit de absentibus, cum scriptum sit: *Ne credas auditui vano.* Sed hanc gratiam ipse habebat ut sciret quid absentes agerent, ut ad Colossenses dicit: *Et si corpore absens, spiritu tamen præsens.* Chloes, civitas Colossensium est.

Ego quidem sum Pauli. In Apostolorum personis hoc de pseudoapostolis dicit, qui per sapientiam mundi circumveniebant eos, ut unusquisque se diceret esse hujus, cujus doctrinam diligebat, cum diversas doctrinas haberent. Si ergo de veris apostolis non permittit dici, quanto magis de falsis dici non licebit? Item. *Ego quidem sum Pauli.* Hac causa prohibitum est, duos episcopos esse in una civitate, ut Hieronymus dicit in tractatu Epistolæ ad Titum. *Ego autem Christi.* Pauci dicebant, quod omnes dici debuerunt. *Divisus est Christus?* Dividitur corpus, cum membra dissentiunt. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Ideo in solo Christo gloriandum vobis est, quia ipse vobis hæc duo, id est crucem et baptismum tribuit, non Paulus, nec Apollo. *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi.* Idcirco neminem vestrum baptizavi, ne quis me putaret in meo nomine baptizasse. *Nisi Crispum et Caium.* Qui se non dicunt in meo nomine baptizatos. *Non enim misit me Christus baptizare.* Non usurpavi minora facere, qui potui implere majora. Item: Qui ad majora mittitur, minora non agit. *Sed evangelizare.* Quod majus est, *ut portet nomen meum coram regibus et gentibus. Non in sapientia verbi.* Mundanæ philosophiæ, in qua vos gloriamini. *Ne evacuetur crux Christi.* Id est, ut non eloquentiæ fides crucis Christi deputetur, quia crucem Christi evacuat, qui aures hominum declamatione permulcet: quia auribus sapientium hujus sæculi displicet dicere Dominum, qui fecit cœlum et terram, posse crucifigi; et tamen si hoc dici evitetur, evacuatur crux Christi. *His autem qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est.* Quia diabolum superavit et mortem. *Perdam sapientiam sapientium.* In Isaia sic legitur: *Peribit* enim *sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur* (*Isai.* XXIX). *Ubi sapiens?* Subauditur apparebit? Sapiens, ex gentibus. *Scriba?* Doctor legis ex Judæis. *Conquisitor hujus sæculi?* Qui quærit de occultis naturis hujus sæculi. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum.* Factura mundi Dei sapientia est fabricata, in qua per sapientiam naturalem, quæ ad hoc data et creata fuerat, debuit cognosci ipse qui fecerat: sed quoniam non cognoverunt homines, alia illis succurritur medicina. Ergo per sapientiam suam intelligendum, per naturalem sapientiam, quæ ad hoc data est ut cognoscatur Deus; quæ naturalis sapientia, et Dei sapientia dici potest, quod a Deo sit creata, aut certe Dei sapientia fons est et creatrix naturalis in hominibus sapientiæ.

Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Non quod vere stultitia sit prædicatio crucis, sed quia secundum putationem infidelium sic haberetur. *Quoniam Judæi signa petunt.* Ut ad Christum dicunt: *Quod signum ostendis nobis* (*Matth.* XIV)? Hoc autem faciunt ex consuetudine prophetarum, qui sæpe signa ipsis faciebant Judæis. *Et Græci sapientiam.* Artis scilicet dialecticæ et humanæ sapientiæ rationem. *Judæis quidem scandalum.* Judæi scandalizantur, si audiunt Christum a se crucifixum. Sive scandalum illis est audire Christum mori potuisse, quem illi quasi immortalem exspectant, dicebant enim: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: non intelligentes, quia primum illum pati oportebat, et sic intrare in gloriam suam. *Gentibus autem stultitiam.* Hoc est, Deum credere crucifixum. *Ipsis vero vocatis.* Id est, credentibus ex utrisque. *Christum Dei virtutem.* Judæis petentibus signa, quæ devicta morte homi-

nem revocant ad vitam. *Et Dei sapientiam.* Græcis quærentibus sapientiam, quæ nos a dominatione diaboli liberavit.

Quia quod stultum est Dei. Velle crucifigi. *Sapientius est hominibus.* Quia crux Christi diabolum fefellit, et vicit, hominesque liberavit, quod nemo hominum per sapientiam suam potuit. *Et quod infirmum est Dei.* Id est, mori fortius est hominibus: quod enim nec gigantes evadere potuerunt, infirmitas crucifixi evasit. *Videte enim vocationem vestram.* Ac si diceret: Videte eos per quos vocati estis ad fidem, quod non sapientes, sed stulti, et piscatores erant, quando et ipsi vocati sunt. Aliter: Videte vocationem vestram, hoc est, in vobis ipsis, o Corinthii, probate quod dico, quod stultos vos vocavit, et non sapientes.

Quia non multi sapientes. Hoc contra illos oblique qui se legis peritos, et fortiores apostolis et nobiliores ex sacerdotali stirpe descendere jactabant. *Sed quæ stulta sunt mundi.* Stulta, id est, corda, vel ingenia. *Ut confundat sapientes.* Id est, sæculares, dum non ipsos elegit. *Et ea quæ non sunt.* Id est, sapientia, fortia, nobilia. *Ut ea quæ sunt.* Talia, hoc est, sapientia, fortia, nobilia dissiparet. *Qui factus est nobis sapientia.* Qui sibi semper sapientia fuit, nobis factus est sapientia, ut nos faceret sapientes, et justos, et sanctos. *In Domino glorietur.* Non enim sibi, sed Deo dona quæ accepit reputet.

CAPUT II.

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non cum eminentia sermonum. Noluit pomposum eloquentiæ sermonem jactare in prædicatione divina mysteriorum Dei, hoc est, incarnationem Christi, et vocationem Gentium. *Et hunc crucifixum.* Quod stultum apud homines videtur esse. *Et ego in infirmitate.* Non jactantia, sed humilitate, seu quod nec plagas, et vindictam potenter in aliquos dedi. *Timore.* Ne vos Christum negaretis. *Et tremore.* Ne meo aliquo exemplo offenderem vos.

Et sermo meus. Id est, quotidiana exhortatio. *Prædicatio mea.* Publica coram populo doctrina. *Non in persuasione humanæ sapientiæ.* Quia dialectici erant Corinthii, noluit apud illos disputatione uti, ne hoc quoque illis nova aliqua philosophia videretur, sed magis illis virtutes et miracula monstravit. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Ac si diceret, ne putetis nos sapientiam non habere, quia nos habemus sapientiam divinam, sed vos eam nunc capere non potestis, quia adhuc lacte nutrimini, et in fide parvuli comprobamini. *Neque principum.* Hoc est, regum, vel philosophorum, qui in hoc sæculo primatum tenere videntur. *Dei sapientiam.* Christum qui est absconditus ab incredulis et insipientibus. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Hoc est, Pilatus, et Caiphas, et Herodes, et principes sacerdotum, vel dæmones. Unde Apostolus de principibus et potestatibus hujus sæculi dicit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Et contra Marcus evangelista de dæmonibus ait: *Sciebant enim ipsum esse.* Si dæmones sciebant, quomodo potestates ignorabant? Quibusdam videtur principes et potestates hujus sæculi, Judæorum majores et principes dixisse, qui juxta Petri Apostoli dicta, ignoraverunt quod malefacerent: ait enim: *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis hoc malum, sicut et principes vestri* (*Act.* III). Judæorum principes hi fecerunt, non tamen hujus sæculi principes dici potuerunt, quippe qui in potestatem redacti fuerant Romanorum, profitentes non se habere regem nisi Cæsarem, hi autem principes, quos alio loco signavit Apostolus dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi tenebrarum harum rectores* (*Ephes.* VI). Si ergo hi sunt principes, qui nescientes Dominum majestatis Christum esse, illum crucifixerunt quomodo a dæmonibus potuit sciri? Non aliter scierunt dæmones, quam sciebant principes hujus sæculi: sciebant enim ipsum esse qui promissus erat in lege per signa prophetiæ, non tamen mysterium ejus, quod Filius Dei erat, ex æterno sciebant, neque sacramentum incarnationis. *Nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Pro unitate personæ, et Deus dicitur crucifixus, et Filius hominis esse in cœlis, cum quando ista dicebantur Dominus esset in corpore. *Quod oculus non vidit.* In Isaia sic habetur: *A sæculo non audierunt auribus, neque perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te* (*Isai.* LXIV). Ergo memoratorum principum mens hæc videre non potuit, quia credere noluerunt. Quidam sane dicunt: Oculus non vidit virginem peperisse; non auris audivit illud: *Tunc justi fulgebunt sicut sol* (*Matth.* XIV). *Qui habet*, inquit, *aures audiendi audiat. Nec in cor hominis ascendit* (*Rom.* VIII), cohæredes Christi futuros. Quid videt oculus? Colores. Quid audit auris? Crimina. Quid in cor hominis ascendit? Sapientia. Præcellentius est autem omnibus, quod præstat Deus diligentibus se in vitam æternam. Item quid est quod Apostolus dicit ex Isaia propheta; quod oculus non vidit? Hoc sensu Apostolus dixisse credendus est, quod carnalibus oculis, et aure carnali, et cogitatione mortali, non possunt spiritualia comprehendi, dicit enim Apostolus: *Nobis autem revelat Deus per Spiritum suum* (*I Cor.* III). Si autem revelatum est Apostolo, intelligere debemus, quod et ille aliis revelavit, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, hoc est, non merito nostro, sed sua gratia, quia per fidem accepimus Spiritum sanctum, qui voluntatem Dei nobis ostendit. Sancti videbunt, quod Paulus testatur: nobis autem revelavit per Spiritum sanctum, quod futuri sumus, ut Joannes testatur, quia eum videbimus sicut est. *Quis enim scit hominum quæ hominis sunt.* Id est, quæ cogitationes versantur in homine. *Nisi spiritus hominis.* Hoc est, conscientia, ut Hieronymus exponit. *Non doctis humanæ sapientiæ verbis.* Quæ vobis annuntiamus, non a philosophis, vel grammaticis, sed a

Spiritu Dei eruditi sumus. *Spiritualibus.* Hominibus, qui capere possunt. *Spiritualia.* Documenta. *Comparantes.* Prædicantes.

Animalis autem homo, etc. Qui spiritum Dei non habet, animalis est, qui ritu animalium vivit, sola commoda carnis sectans. Animalis enim habet animam, non habet intellectum, ideo non percipit quæ sunt spiritus Dei, id est, spiritualia, quæ spiritus docet, verbi gratia, quomodo Christus incarnatus sit, vel quid gratiæ credentibus confert crux Christi. *Stultitia enim est illi.* Primo stultitia est illi, quando audit natum Dominum, et passum, et resurrexisse; secundo, contemnere quæ sua sunt; tertio præbere maxillam, et cætera similiter. *Spiritualis autem omnia dijudicat.* Quia omnia discernit, et intelligit, et sensus illius non intelligitur ab homine carnali. *Quis enim cognovit sensum Domini?* Nisi videlicet spiritualis homo. *Nos autem sensum Domini habemus.* Dum spirituales sumus? Hoc autem dicit, ne putarent quod ille deficeret ad docendum, cum ipsi imbecilles essent ad audiendum.

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Infirmis in fide, et contentiosis.

Quasi parvulis. Non ætate carnali, sed in Christo. Si ergo parvuli adhuc illi sunt qui omnem malitiam abjecerunt, quia nondum sunt in virtute perfecti, quid de illis censendum est quibus omni malitia dominatur? *Lac.* Rudem doctrinam. *Non escam.* Obscura mysteria solidamque doctrinam. *Æmulationes.* In mente zelus. *Contentiones.* Verbo erga magistros.

Secundum hominem. Carnalem conversationem, non secundum Deum. *Nonne homines estis?* Vult eos plus esse quam homines. *Quid est ergo Apollo?* Si nos nihil sumus, vel quos ministros ipsi constituimus, quanto magis pseudoapostoli quibus credidistis? *Et unicuique sicut Dominus dedit.* Hoc ipsum non ex nobis, sed Dei donum est, ut per manus meas signa fierent, quæ vos excitarent ad fidem; et Apollo sua vos doctrina firmaret : quia sicut plantatio sine aqua, sic fides sine doctrina marcescit. Si ergo et plantatio et fons Dei est, quid nobis ascribitis, quasi aliquid nostra virtute fecerimus? *Ego plantavi.* Fide. *Apollo rigavit.* Baptismo, vel doctrina. *Sed Deus incrementum dedit.* In bonis operibus. *Ita neque qui plantat est aliquid.* Nisi Dominus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarii sumus in agro alieno, alienis utimur ferramentis : nihil habemus proprium, nisi mercedem nostri laboris. *Dei enim sumus adjutores.* Plantantes et rigantes vineam ejus. *Dei ædificatio estis.* Hoc est templum Dei. *Alius superædificat.* Id est, Apollo, vel alius quilibet doctor. Quomodo superædificat? ut diligenter doceat, et rationabiliter.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere. Non est alius Christus, quem possit vobis aliquis prædicare, præter Jesum, cui fide firmissima credidistis. *Aurum, argentum, lapides pretiosos.* In Ecclesia tria genera sunt bonorum : est bonum, et melius, et optimum. Quod autem primo aurum posuit, ut sermo melius texeretur, id ad fortitudinem, non ad speciem comparavit : quia argentum fortius auro, ideo meliori ponitur loco. Tria e contrario genera malorum : malum, pejus, pessimum, quæ lignis, feno, stipulæ comparantur. Aut certe aurum, pœnitentes significat; argentum conjugatos; lapides pretiosi virgines. Item, ligna virginitas, sed imperfecta; fenum, irrationabile matrimonium; stipula pœnitentia, sed non vera. Item aurum, cogitationes bonas; argentum, sermones justos; lapides pretiosi, opera perfecta : ligna, vana opera, non integra materia; fenum, vanas cogitationes, quæ materia sunt fructuum; stipula, otiosa verba, arida, sine fructu. *Et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Aurum et argentum non solum non arderunt per ignem, sed et splendidiora radiabunt : ligna vero et cætera concremabuntur. Sed examinationem judicii igni voluit comparare, juxta consuetudinem Scripturarum. *Sic tamen quasi per ignem.* Quia igne purgatorio judicii probabitur. Augustinus autem aliter exponit : Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo dicitur : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccl.* XXVII). Iste ignis in hac interim vita facit, quod Apostolus dicit : sic accidet duobus fidelibus, uni cogitanti quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri cogitanti quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est, ædificanti ligna, fenum, stipulam : illius opus exuritur, quia ea dilexit quorum amore cruciaretur. Exuritur autem hujus, quoniam sine dolore non pereunt quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius maluit carere quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat cum amittit salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem, quia urit eum dolor rerum quas dilexerat amissarum, non subvertit fundamenti stabilitatem. *Nemo vos seducat.* Ac si diceret : Dum templum Dei estis, nemo vos violet per mundanam sapientiam. *Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo.* In humana sapientia. *Stultus fiat.* Hoc est, credat Deum crucifixum, quod stultitia est Gentibus, percutienti præbere alteram maxillam, non reddat malum pro malo : quæ omnia quasi stulta esse videntur : *Sapientia enim hujus mundi.* Hæc est : malum pro malo reddere : vel philosophorum inflata scientia atque ventosa. *Nescitis quoniam templum Dei estis.* Ac si diceret : Ideo aurum, et argentum, et lapides pretiosos superædificate, quia templum Dei estis, et dum non bene ædificans privabitur, quanto magis violans peribit? Violat vero corpus suum peccando, sive Ecclesiam per malam doctrinam seducendo, sive exemplum perversum ostendendo. *Reprehendam sapientes.* Ad effugien-

dam manum Dei nulla suffragabitur illorum astutia. Sive hoc sub Christo impletur, quando vincebat Scribas et Pharisæos, astute tentantes eum in quæstionibus.

Nemo glorietur. Ut est illud : *Maledictus qui habet spem in homine* (*Jer.* XVII), in doctore Paulo, et Apollo, et pseudoapostolo. *Sine vita.* Dum per illam servitis Deo, ut mereamini vitam futuram. *Seu mors.* Quæ porta est per quam itur ad regnum. Ergo omnia creata sunt propter sanctos, quia cum nihil habeant, cuncta possident.

CAPUT IV.

Ut ministros Christi. Non ut fundamentum. *Hic jam.* Id est, in ministerio prædicationis, vel in præsenti sæculo. *Quæritur.* A nobis dispensatoribus. *Ut fidelis quis inveniatur.* Hoc est ut unusquisque dispensator fidelis fiat ; ac si diceret : Hoc tantum quærimus, ut fideles inveniamur, et non quærimus laudari a vobis : unde subjecit : *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer.* Laude dignus. *Aut ab humano die.* Sed Domini die, id est, die judicii ; non ab humano die, in præsenti sæculo judicari, hoc est, laudari appeto. *Sed neque meipsum judico.* Hoc est, ego qui conscientiam meam optime novi, neque aliis me excellentiorem esse judico. *Nihil enim mihi conscius sum.* Unde super omnes debeam gloriari. Si hoc Paulus dicit, quid a nobis dici debeat cogitandum est. *Sed non in hoc justificatus sum.* In quo me quidam laudant : quia ita quisque aliena laude non justificatur, ut nec maculatur infamia. Unicuique apud Deum quod est, non quod dicitur, imputatur. *Occulta tenebrarum.* Id est, opera quæ in tenebris aguntur. *Propter vos.* Propter vestram utilitatem. *Nihil enim mihi conscius sum.* Id est, in aliquo criminali peccato, postquam per gratiam Salvatoris liberatus sum, et ab omni peccato purgatus. *Sed non in hoc justificatus sum.* Licet non sim mihi conscius in aliquo capitali crimine, non tamen ob hoc, perfectam justitiam mihi vindico, propter levia et minima peccata, quibus nullus sanctus in præsentis vitæ curriculo carere potest.

Ne supra quam scriptum est. Ut supra scripsi : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et : *Nemo glorietur in nomine.* Et : *Nolite judicare ante tempus. Quis enim te discernit ?* Aliis scilicet meliorem esse ; aut quis te discernit a massa perditionis, nisi Deus ? non merita tua, neque scientia. Et tanquam respondenti : Fides mea me discernit, merita mea, propositum meum : statim occurrit Apostolus : *Quid autem habes quod non accepisti ?* Quid habes ex teipso nisi peccatum ? *Jam saturati estis.* Doctrina. *Divites.* In sapientia. *Sine nobis regnatis.* Non indigentes nostra doctrina, exemploque. *Nos stulti.* Ironice loquitur : aut increpantis affectu pronuntiandum est

Utinam regnaretis ! Id est, utinam non essetis falsa gloriatione decepti ! forsitan simul regnassemus. *Puto enim, quod Deus nos.* Non ut vos qui regnatis apostolos novissimos, nos omnium ultimos ad Gentes tanquam ad mortem direxit. Novissimos autem dicit tempore, non merito. Sed quidam ex vobis putant nos esse novissimos apostolos, nec dignitatis merito primis apostolis comparandos, qui præsentem in carne Dominum comitati sunt. Primi autem apostoli prophetæ intelliguntur, qui missi sunt a Deo. Novissimi vero duodecim apostoli, aut primi duodecim apostoli, qui ante passionem suam a Domino electi sunt. Novissimi autem Paulus, et Barnabas, et Apollo, qui postea sunt electi. Vel novissimos, non ad ordinem, sed ad ministrationem pertinet, quasi dixisset novissimos esse miseros, et ultimos omnium, sicut statim subjungit. *Spectaculum facti sumus.* Omnes spectant nostras injurias. *Et angelis et hominibus.* Bonis videlicet et malis. *Nos stulti propter Christum.* Hoc est, in tormentis positi pro Christo. Ironice quæ videtur confirmare, negat ; et quæ videtur negare, confirmat. *Vos autem prudentes in Christo.* Ut putatis. *Nos infirmi.* Dum nolumus reddere malum pro malo. *Vos nobiles.* Vobis nobilitatem terrenam vindicatis. *Usque in hanc horam.* A quo tempore cœpimus prædicare usque nunc. Item : Vos autem prudentes in Christo, hoc est, vos ita vultis Christiani esse, ut prudentiam sæculi teneatis

Peripsema. Abjecti, humillimi. Peripsema, rasura, aut limatura cujuscunque rei. *Non ut confundam vos hæc scribo.* Ac si diceret : Non pro gloriatione operum meorum bonorum hæc dico ; sed hæc potius commemoro, ne vos gloriemini in mundana sapientia. Poterant confundi de sua gloria, si eos non relèvaret : non enim ruborem illorum cupiebat, sed perfectionem : *Decem millia.* Finitus numerus pro infinito. *Pædagogorum.* Doctorum, nutrientium et custodientium vos in fide Christi.

Ego vos genui. In novam vitam reformavi. *Imitatores mei estote.* Quia bonorum filiorum est bonos imitari parentes. *Qui vos commonefaciat vias meas.* Et meis litteris, et suo exemplo docebit : aliud enim sine alio perfectum esse non potest. *Tanquam non venturus essem ad vos.* Hinc incipit causam fornicationis arguere. *Inflati sunt quidam.* In humana scilicet sapientia : quia omni peccato, et viro accipienti uxorem patris sui vos consentitis. Et in sapientia humana vos contenditis, quasi non peccata essent. *Virtutem.* Operum et fidei. *Non enim in sermone.* Nihil enim prodest doctrina sine justitiæ operibus, ei qui non facit quod faciendum docet. *Regnum Dei.* Id est, acquisitio regni Dei. *Quid vultis.* Benignus magister est, qui discipulorum correptionem in eorum posuit voluntate.

In virga veniam. Id est, vindicta : quali virga Petrus ad Ananiam et Saphiram, et ipse Paulus ad Magum usus est.

CAPUT V.

Et vos inflati estis. Quia vana scientia inflamini, et curam de his qui pereunt non habetis, ut aut

corrigantur, aut ab Ecclesia separentur. *Et non magis luxistis.* Quia boni pastores semper pro populi peccatis flent. *Præsens autem spiritu.* Præsentem dicit spiritu, ne ex solo auditu absentem damnare putaretur : secundum illud Elisæi dicentis ad Giezi : *Nonne spiritus meus tecum erat in via ? Cum virtute Domini nostri.* Qui pro me erat præsens, litterarum mearum auctoritate, per quam Domini quoque virtus assistere judicetur. *Tradere hujusmodi hominem Satanæ.* Id est, tortori diaboli, ut tormento carnis spiritus salvaretur : oportebat enim ut per diabolum sanaretur, qui per Diabolum peccavit. *Non bona gloria vestra.* Dicendo, *Ego sum Pauli*, etc. Non bona, dum non corrigitis adulterium. *Totam massam.* Ecclesiæ. *Corrumpit.* In Græco, fermentat [ζυμοῖ]. *Vetus fermentum.* Fornicationem. *Ut sitis nova conspersio.* Ut in gratia sacri baptismatis conspergamini, sicut conspergitur farina aqua. *Azymi.* Sine fermento peccati. *Etenim pascha nostrum.* Ideo debetis azymi esse, quia Judæi quando agnum immolabant, azyma comedebant, sic et nos debemus. *Sed in azymis sinceritatis.* Similitudine Hebræorum : quia ipsi postquam immolabatur agnus, et post diem Paschæ azyma comedebant per septem dies : sic nos vero agno immolato, tota vita nostra, quæ septem diebus peragitur, azymis bonorum operum vescamur. *Et veritatis.* Id est, æquitatis judicii. Si enim lactuca erat cum filiis Israel pro fermento, ne cibum insulsum comederent pro celeritate ambulandi, sic æquitas judicii et sinceritatis cum Christianis. *Scripsi vobis.* Pro scribo. Vel ideo præteritum dicit, quia cum legerent, tempus scribendi præteritum esset. *Non utique fornicariis hujus mundi.* Quod luce clarius est. Ab illis enim olim separati estis, et idcirco nolite iterum illis commisceri. *Si quis frater nominatur.* Id est, solo nomine appellatur cum fornicator detegatur, aut fur, ab hoc separari jubemur. *Qui foris sunt.* Infideles extra Ecclesiam. *Qui intus sunt.* Hoc est, fideles intra Ecclesiam. *Eos autem qui foris sunt Deus judicabit.* Foris Ecclesiam sunt hæretici, Judæi, Gentiles.

CAPUT VI.

Audet aliquis vestrum, negotium habens adversus alterum, judicari apud iniquos. Notandum quod aliquando Apostolus in media causa quam agit, quosdam inserat sensus, et de latere jactet : quibus explicitis, rursum revertitur. *Audet ergo aliquis vestrum*, etc., contra scilicet præceptum Domini dicentis : Si quis vult tecum contendere judicio, tunicam tuam dimitte ei, et pallium.

An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt. Sicut Dominus apostolis promisit, dicens : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), omnibus hoc promittens, qui apostolos fuerint imitati. Si ergo sancti de hoc mundo judicabunt, cur de minimis vestris negotiis non judicant ? *In vobis judicabitur.* Id est, per vos. *Angelos judicabimus.* Illi angeli judicabuntur in judicio, in comparatione sanctorum hominum ad acquirendum multos ad vitam per cœlestem doctrinam. *Qui contemptibiles sunt in Ecclesia.* Hoc est, qui minimi sunt in Ecclesia, aut certe qui injurias suas contemnunt ; ac si diceret : Qui minores sunt in ecclesiis, et nullis magnorum donorum pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenus per quos nequeunt majora, minora bona suppleantur, quos contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, cum dicit : *Si non est inter vos sapiens quisquam.* Qua ex re quid aliud colligitur, nisi ut hi causas terrenas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam accipiunt ? Qui autem spiritualibus addicti sunt, terrenis non debent negotiis implicari. Ac si apertius diceret : Qui penetrare intima sapientiæ nequeunt, saltem necessaria foris operentur. Item contemptibiles, qui minores sunt in doctrina, quos dona spiritualia non exornant. Vel contemptibiles, id est, sancti qui a vobis despiciuntur.

Ad verecundiam vestram dico. Nam erubescere debetis eo quod nemo sit inter vos tam sapiens, qui noverit causas inter fratres discernere. *Et hoc apud infideles.* Duplex peccatum est, et quod judicio contenditis, et quia apud infideles ad jurgia provocatis. *Jam quidem omnino delictum est in vobis.* Ideo hoc iterat : nam potuit putare, judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo peccatum esse extra Ecclesiam velle judicari, nisi adjungeret : *Jam quidem omnino delictum est inter vos, quia judicia habetis vobiscum.* Et ne quisquam hoc ita excusaret, et diceret justum se habere negotium, et iniquitatem se pati quam vellet a se judicum sententia amoveri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, et ait : *Quare non magis injuriam accepistis ?* Ut impleretur illud : *Si quis vult contendere judicio tecum, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* v). Sed tamen talia negotia per infirmos judicari in Ecclesia secundum indulgentiam concessit fratribus inter fratres judicantibus : extra Ecclesiam vero judicari terribiliter vetat. *Sed vos fraudatis.* Cum illatam injuriam secundum præceptum Evangelii et Domini exemplum patienter sustinere deberetis, vos e contrario non solum non suffertis, sed etiam non facientibus irrogatis. *Et hoc fratribus.* Id est, vobis, quibus nec quidem vicem reddere inimicis concessum est. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ?* Ac si diceret : Dum iniqui regnum Dei non possidebunt, nolite vos ipsi iniqui fieri fraudando, et injuriam faciendo. *Nolite errare.* Hoc est, seduci, existimantes de multis, et non etiam de uno peccato puniendos. Aut nolite errare vosmetipsos et alios iniquos putantes regnum Dei possidere. *Et hoc aliquando fuistis.* Sed nunc non estis. Nolite ergo timere de præteritis, tantum ne post baptismum criminosum aliquid committatis. Molles sunt, cum quibus virile perficitur scelus, et quorum virilia in pueritia castrabantur, ut semper essent imberbes, et muliebria, hoc est, mollia corpora haberent. Hi ergo apud gentiles in honorem

Matris deorum castrabantur : et Augustinus in libro septimo de Civitate Dei ostendit dicens : His autem amputatur virilitas, ut nec convertantur in femineam, nec viri relinquantur. Et iterum de mollibus : Eidem Matri magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecrati sunt, qui mense in extremum [hesternum] diem mediis capillis, et facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo per plateas viceasque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter viverent, exigebant. Nihil Varro dicere voluit, nec uspiam legisse me commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. *Sed ablati estis.* Scilicet per baptismum. *Sed sanctificati estis.* Per Spiritum sanctum ac verbum. *Sed justificati estis.* In bonis operibus. *In nomine Domini.* Id est, in confessione nominis Domini. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quæ de fornicatione tractat, vult materiam fornicationis, id est, gulæ intemperantiam ostendere, simul atque destruere. Licet ergo nobis manducare et bibere ; sed si subjecerimus nos comessationibus, ipsum licitum perducet nos ad illicitum, hoc est, ad fornicationem : ita et de omnibus intelligendum est quæcunque peccata non sunt, occasiones possunt tamen dare delictorum. *Sed ego sub nullius redigar potestate.* Id est, cibi et rei licitæ redigar potestate, hoc est, non mei dominabitur : non enim sic succumbam ut serviam. Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestate se redigit, quia semetipsum a licitis restringendo, ea quæ delectata promerent, despecta transcendit. *Esca ventri.* Id est, convenit vel creata est. *Sed Domino.* Hoc est, ad serviendum Domino, vel ut sit templum Domino. *Et Dominus corpori.* Quasi proprio templo. *Deus autem suscitavit Dominum Jesum.* Quia caput nostrum suscitavit, et nos quoque membra ejus, si per sanctitatem fuerimus, suscitabit. Ergo debemus membra nostra sanctificare, ut in eo manere mereamur. *Corpora vestra membra Christi sunt.* Quia omnis Ecclesia corpus est Christi ; singuli autem membra : caput autem Christus est. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Abscindens me a corpore Christi, faciam membra meretricis ? Non dixit fornicatoris, ut ostenderet eum ejusdem esse criminis et nominis, cujus illa est ; apud homines enim minus videtur viri quam mulieris admissum. *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur ?* Corporis unitate per immunditiam. *Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Hæc est prima prophetia Adam. Quomodo autem cum uxore licita, sic et cum meretrice una caro efficitur, propter amorem illicitum. *In carne una.* Propter conjugalem connexionem, aut in generando et concipiendo filio. *Fugite fornicationem.* Id est, mente, et loco, ut fugit Joseph. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo.* Nunc ostendit quantum reatum fornicatio habet, quæ illis per consuetudinem levis videbatur. Quid si homo seipsum occiderit ? Quid si ebriosus et gulosus fuerit ? Nunquid a . . . . . , in corpus suum non peccat? Fornicatio est foras exire a *legitimo* conjugio. Omne autem peccatum potest ab uno committi, qui membrum dici potest. non tamen corpus. In fornicatione autem duo pereunt, etiam totum corpus. Grande ergo malum est, in quo duæ animæ pereunt vel moriuntur. Vult ergo gravare fornicationis causam, quæ illis per consuetudinem levissima videbatur. Aut *in corpus suum peccat* : quia hoc vitium magis voluptatem carnis præstat, quam cætera vitia. Lege Augustinum. Corpus vero templum Dei est ; Deum ergo decet habitare in domo sua, non peccatum, nec diabolum. Quod si in vobis Spiritus sanctus est, scitote quod non ad fornicationem facta sunt membra vestra, sed ad laudem Dei, vel ad serviendum Deo. *Non estis vestri.* Qui non est suus, non debet sibi vivere, sed illi cujus sanguine emptus est. *Empti enim estis.* Non auro, non argento, sed sanguine Christi. Sanguis ægrorum aliis nocet ; sanguis vero Christi mundum redemit. *Glorificate Deum.* Hoc est, agite ut glorificetur Deus per opera vestra. *Et portate.* Spiritum scilicet sanctum cujus superius membra vestra templum esse testati sumus.

CAPUT VII.

De quibus autem scripsistis mihi. Huc usque gratis docuit, nunc ad interrogata respondet. Nunc autem incipit de conjugiis tractare ; ante enim expugnavit illicita, quam de licitis loqueretur. Corinthii namque ad Paulum epistolam miserunt, ut illos doceret, si post acceptam fidem licitum esset uxores dimittere, aut quomodo uxores licite haberentur. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Bonum fuerat illud quod vobis in primordio prædicavi, hoc est, secundum conjugii usum non tangere mulierem ; sed quoniam multos continentes huic doctrinæ loco scripsistis refragari, concedatur remedium ne fornicando moriantur. Ergo Apostoli hoc exemplo in primis virginitas et continentia prædicanda est. Sed objicere amatores luxuriæ solent : Ut quid ergo prima Dei benedictio *Crescite et multiplicamini*, concessit ? Ut terra scilicet repleretur. Quia jam impleta est, debemus ab incontinentia nos temperare. *Suam.* Non alienam. *Uxorem.* Non uxores. Similiter autem et uxor virum. In hoc optimum legitimumque conjugium videtur, quando hi ambo secundum Apostolum in sua voluntate fiunt. *Mulier sui corporis potestatem non habet.* Scilicet ad continentiam carnis, nisi ex consensu viri. *Nolite fraudare.* A debito conjugii. *Ad tempus.* Hoc est, specialibus alternisque diebus, aut quadragesimali tempore, vel ad tempus orationis, sive per dies purificationis. *Ne tentet vos Satanas.* Ne uno se subtrahente alter fornicetur, et Satanas tentandi locum inveniat.

Secundum intelligentiam. Infirmis hoc indulgeo, non perfectis præcipio, qui omnes homines velim me imitari. *Sicut meipsum.* Id est, viduum, seu castum, virginemque, quod magis creditur. *Alius qui-*

[a] Videtur hic aliquid deesse.

dem sic. In castitate. *Alius vero sic.* In matrimonio. *Melius est enim nubere.* Ante votum. Dicit autem melius esse nubere, in comparatione deterioris ac pejoris rei, nisi culpa scilicet ad conjugium veniant, si tamen nondum meliora devoverunt, quam uri vel ardore effrenatæ libidinis, vel infernali igne post fornicationem. *His autem dico, qui matrimonio.* Proprie loquitur ad conjunctos, ne dimitterent uxores, et alias ducerent, aut pulchras, aut divites, sicut Judæi faciebant. *Non ego, sed Dominus.* Qui dixit: *Qui dimiserit uxorem sine causa, facit eam mœchari* (*Joan.* XVI). *Manere innuptam.* Id est, ut non nubat alii viro. *Aut viro reconciliari.* Quia melius est, si ad virum suum reverlatur, quam ut alii viro nubat. *Nam cæteris.* Qui videlicet neque ambo Christiani sunt. Quapropter? Scilicet ut dimittatur conjux infidelis, ut in consequentibus Apostolus dicit, quamvis melius sit non dimittere. Attamen non licet secundum præceptum Domini ut dimittatur conjux, nisi causa fornicationis. Fornicatio est etiam ipsa infidelitas. Dicimus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti; sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quia sic fortasse possit fidelis fieri. *Alioqui filii vestri immundi essent.* Ac si dixisset; si permitterem virum infidelem cum filiis suis discedere a muliere fideli, filii ipsius viri immundi essent. Item si ambo infideles essetis necessario filii vos imitarentur, nunc autem forsitan fidelem imitabuntur. *Nunc autem sancti sunt.* Quia fideles per prædicationem suorum parentum. Item filii vestri immundi essent, si infidelem parentem comitarentur jam non baptizati, aut, si baptizati essent, ex Christianitate in paganismum transirent infidelem parentem sectando. Non ergo ab invicem discedant. *Non est enim servituti deditus frater.* Hoc est, ut serviat et pereat propter alterum infidelem; non enim ita ligatus est in hujusmodi causa, quasi vere illi servire necesse sit, et propter alterum interire. *In pace enim vocavit vos.* Cæterum non ad dissidium sumus vocati; pltro ergo discedere non debemus. Ad id autem redit quod prædixit, ne discedendi præparetur occasio. *Nisi unicuique sicut Dominus divisit.* Nisi hoc unum scis, quod unicuique est sicut Dominus illi divisit. *Sicut vocavit Deus.* Sive cum fideli conjuge, sive etiam cum infideli, sive sine uxore, sive in præputio, sive in circoncisione, sive servus, sive liber. *Ita ambulet.* Hoc est, conversetur. *Circumcisus aliquis vocatus est.* Infert subito parabolam circumcisi, ethnici, servi, et liberi, et sub metaphora eorum de nuptis disputat et innuptis. Ac primum quia nonnullos hanc intelligentiam reprehensuros arbitror, interrogare libet, quæ sit consequentia, ut de maritis et uxoribus disputans repente transiret ad comparationem Judæi, et ethnici, servi et liberi, et rursum hac disputatione finita, rediret ad virgines dicens *De virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Ergo *circumcisus aliquis vocatus est,* id est, castus sine muliere, quoniam A instar circumcisionis est non habere uxorem, dum mulier quasi membrum corporis est viri, et una sunt caro. At vero uxorem habere instar præputii est : quia sicut plenitudo corporis est in præputio, ita in conjugali consortio. *Non adducat præputium.* Id est, uxorem, ut diximus. Aliter : Non putet se superflue circumcisum, ne de hoc pœniteat : fuit enim necessarium suo tempore. Sive hoc modo : Non adducat præputium, ut quis sine legis ceremoniis viyat, quia tum quibusdam apostoli permittebant opera legalia custodiri, ne subito a lege retracti scandalum paterentur. *Non circumcidatur.* Hoc est, non dimittat uxorem. *Circumcisio nihil est.* Id est, virginitas, vel castitas, sine bonis operibus. *Et præputium nihil est.* Conjugium absque operibus. B *Servus vocatus es.* Id est, conjugatus. *De libertate.* Id est, de continentia. *Sed et si potes liber fieri.* Hoc est, si potes habere dissidii occasionem, et repellere eam abs te, magis utère legitimo conjugio. Servus conjugatus, libertus est Domini; quoniam enim fuit in conjugio, in paganismo tunc servus fuit, quia non legitimo usus est conjugio : quoniam vero ad fidem Christi vocatus est, libertus Domini est, dum legitimo conjugio utitur : nam libertus est liber de servo factus. *Similiter et quilibet.* Id est, a conjugio servus est Christi, quia virgines et conjugales serviunt Christo. *Nolite fieri hominum servi.* Dum scilicet Christi sanguine empti estis. *De virginibus autem præceptum non habeo.* Scriptis respondet, quia illi dicebant Ubi præcepta est virginitas? ut C superfluum demonstraret, quod sub præcepto non est. Ita virginitatem prætulimus, ut tamen nuptiarum ordinem servemus : quia si Dominus virginitatem imperaret, condemnare videretur conjugium, et seminarium hominum excideret, unde virginitas procreata est. Quare præceptum Domini de virginibus non habuit, quia majoris mercedis est quod non cogitur, sed offertur. *Existimo enim.* Hic *existimo* non pro dubio ponitur, sed pro certo. *Propter instantem necessitatem.* Id est, dolorem parturiendi et servitutis in matrimonio. *Quoniam bonum est homini.* Duplex bonum est, et sollicitudinibus mundi carere, et virginitatis præmium exspectare. *Noli quærere solutionem.* Nisi forte ex consensu illius. *Solutus es ab uxore.* Per continentiam, vel morte ipsius. *Et* D *si acceperis uxorem, non peccasti.* Id est, ante votum virginitatis. *Et si nupserit virgo, non peccabit.* Id est, antequam voverit virginitatem, quia nuptiæ per se peccatum non habent, sed per sollicitudinem sæculi sæpe peccatum incurrunt. Aliter illos dicit non peccare si nubant, quia nondum voverunt Deo castitatem, cæterum qui vel in corde suo promisit, si aliud fecerit, *habet damnationem, quia primam fidem irritam fecit;* quod enim erat licitum, per votum sibi fecit illicitum, sicut Ananias et Sapphira. *Tribulationem carnis habet.* Maledicto Evæ subjacentes per sollicitudinem sæculi, tribulationem et tristitiam patientes. *Hujusmodi.* Id est, virgines nubentes. *Ego autem vobis parco.* Hoc suadeo vobis, quod minus

laboris, et quod plus præmii habet. *Itaque dico, fratres.* Hic omnes ad continentiam hortatur. *Fratres* autem dicit, ut libentius audiant. *Tempus breviatum est.* Dicamus breve, etiamsi nongentis viveremus annis, ut antiqui homines; tamen breve putandum esset quod haberet aliquando finem; nunc vero quod brevis sit non tam lætitia quam tribulatio nuptiarum, quid accipimus uxores quas cogimur amittere? *Quasi non habentes.* Ille uxorem habens, sed quasi non habet, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat creatori. *Flet quoque, sed tanquam si non fleat.* Qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. *Gaudet quoque tanquam si non gaudeat.* Qui sic temporalibus bonis hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret, et in hoc quod mentem gaudio sublevet, hanc continuo pondere providi timoris premat. *Emit quoque quasi non possidens.* Qui et ad usum terrena præparat, et tamen cauta cogitatione prævidet, quod hæc citius derelinquat. *Mundo quoque utitur, sed quasi non utatur.* Qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc non sinit suæ menti dominari, sed ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alia tendentis frangant. Aliter: Sunt qui patiuntur labores et pressuram in præsenti quasi non paterentur: quia ista in brevi spatio pertransibunt et finientur. Sic et sequentia exponi possunt. *Præterit enim figura hujus mundi.* Hoc sæculum quasi umbra pertransit. Nolite ergo de eo multum esse solliciti, ne possessionem perdatis æternam, et figuram quærentes incipiatis amittere veritatem. Hic enim mundus imago futuri est. Si ergo talis est imago, ipsa veritas qualis est? Unde si hoc tam impense diligitis, quanto magis illud impensius amare debetis; nam secundum hoc nos dimissuros quotidiana morientium exempla testantur? An forte nos solos esse credamus immortales, quasi non simus ex hominibus generati. Item, *Præterit enim figura hujus mundi.* Si mundus transit, quo universa clauduntur, imo figura et conversatio hujus mundi quasi nubes præterit, et inter cætera mundi opera, et nuptiæ præteribunt. Si enim mors finis est nuptiarum, cur necessitatem in utilitatem non vertimus? Divisa est mulier et virgo, id est, dissimiles sunt. *Ut sit sancta et corpore et spiritu.* Quid prodest carnem habere virginem, si menti quis nupserit, ut sit frequens oratio? impedit enim conjugium jugitatem orationis. *Si quis.* Id est, pater. *Turpem se videri existimat.* Turpis videbitur, si cum ad perfectam ætatem pervenerit, neutrum deliberet, vel virginitatem servare, vel nubere, si nubere volenti non permittat, et illa fuerit fornicata. *Quod vult.* Id est, pater vel filia faciat, id est pater non peccat, si ipsa puella nubat. *Qui autem statuit in corde suo.* Id est, si pater quisque disposuit. *Firmus.* Id est, dum consentit ei filia sua. *Non habens.* Id est, pater. *Necessitatem.* Quia non cogitur a filia sua, ut daret eam viro. *Potestatem autem habet.* Ipse pater. *Suæ voluntatis.* Ut faciat quod voluerit de filia sua. *Judicavit.* Præfatus pater. Aliter ut Hieronymus exponit: Si quis, hoc est, quisquis homo; super virginem, id est, carnem propriam suam; quid vult ipse homo, id est, virginitatem an conjugium; quia liberum arbitrium habet, non peccat, quia matrimonium non est peccatum. *Statuit.* Id est, permanere in virginitate. Non habens necessitatem, quia non cogitur a carnali voluptate. Potestatem habet, id est, facere quod vult. *Mulier vincta est legi.* Nunc incipit de digamis et viduis. *Liberata est.* A vinculo conjugali libera facta secundum legem post mortem viri, si nec tunc potuerit se continere. *Cui voluerit nubat.* Tantummodo Christiano, non Gentili, tantum in Domino propter continentiam. *Puto enim quod et ego spiritum Dei habeam.* Ideo sic loquitur, quasi dubie, ne jactanter de se loqui videatur. *Spiritum Dei habeo.* Hoc est, nolite contemnere, quia non ex me hoc ipsum est quod dico, sed spiritus Dei est, qui loquitur in me, quem contemni non expedit.

CAPUT VIII.

De his autem quæ idolis immolantur. Subaudis, dico, de quibus scripsistis mihi. Hic autem Paulus scriptis Corinthiorum respondet, quia illi epistolam scripserunt ad eum, ut sciret quid facerent. Nam alii eorum in templis idolorum idolothyta manducabant, ut contemnerent idolum; quidam vero qui erant infirmi in fide et conscientia, non audebant manducare, et contristabantur valde alios videntes coram se manducare, qui dicebant: Quia omnis creatura bona sit, et nihil sit idolum; et hac imagine magis quam ratione veritatis errabant. Idolothytum, id est, idolum occisum, vel immolatum. Θύω Græce, occido. Itaque solas carnes immolatas hoc nomine significabant. *Scimus quia omnes scientiam habemus.* Hoc est, non plus illi sciunt qui inflati sunt, quam vos. *Scimus.* Id est, quod nihil sit idolum. Scientia autem sine charitate inflat per superbiam. Illa scientia inflat, quæ ex sensu proprio et humano descendit, et quæ conjecturis magis utitur quam exemplis. *Charitas vero ædificat.* Quia non quærit quæ sua sunt, sed quæ ædificant fratres. Illius ergo charitas ædificat qui dicit: Licet me non impediat manducare idolothyta, tamen propter idolum, ne aliis displiceat, non manducabo. *Quod si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit.* Hoc est, si quis sibi videtur sapiens, et si quem inflat scientia. *Quemadmodum oporteat eum scire.* Id est, sine elatione, cum humilitate et charitate. *Si quis autem diligit Deum.* Ille diligit Deum, qui ædificat fratres. *Hic cognitus est ab eo.* Hic diligitur a Deo, ut est illud: *Novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus.* Nunc repetit quod superius dixerat, et quid sit evidentius ostendit. *Quia nihil est idolum.* Sive in cœlo, id est, angeli; aut sidera cœli, ut Saturnus; sive in terra, ut idola. *Sed non in omnibus est scientia.* Non omnes sciunt quod propter contemptum idoli hoc facitis, sed putant vos propter venerationem hoc facere. *In*

conscientia usque adhuc idoli, quasi idolothytum manducant. Adhuc si habent in conscientia idolothytum, quomodo antequam crederent manducabant. *Et conscientia ipsius, cum sit infirma, coinquinatur.* Declinando : ad idololatriam per malum exemplum vestrum, aut putando aliquid religionis esse in vescendis idolothytis. *Esca autem nos non commendat Deo.* Sed charitas ædificans fratres. *Qui habet scientiam in idolo.* Hoc est, quod idolum nihil sit, et quod munda sit omnis visibilis creatura, nonne conscientia ejus id putabit, quod idolis immolare sit licitum? *Ædificabitur.* Corroborabitur, suscitabitur. *Et peribit infirmus.* Dum contra fidem et conscientiam manducat. *Omne autem quod ex fide non est peccatum est. In tua conscientia.* Quia firmiter credis idolum non esse. *Percutientes conscientiam eorum infirmam.* Nondum validam in fide Christi. *Non manducabo carnem in æternum.* Dat exemplum de se, sed tamen quod licitum erat non facit, ne aliis offendiculum faceret.

CAPUT IX.

Non sum liber? Liber sum omnia visibilia manducare, dum apostolis dicitur : *Manducate quæ apud illos sunt. Non sum apostolus?* Ita legendum est : Nunquid non sum apostolus? Suum illis exemplum replicat, quod cum habuisset omnia in potestate, noluerit facere quod illi licebat, propter aliorum salutem. *Opus meum,* id est, apostolatus mei opus. *Etsi aliis non sum apostolus.* Id est, Judæis, ad quos non sum missus, sive cæteris gentibus præter vos. *Nam signaculum.* Indicium apostolatus est, quod vos per me credidistis, signis et virtutibus provocati. *Mea defensio.* Mea defensio apud illos qui dicent : Qualis est Paulus, utrum apostolus est, an non? Hic respondebitur quod Paulus apostolus sit Corinthiorum. *Nunquid non habemus.* Ego et Barnabas? *Potestatem.* Nobis a Deo concessam. *Manducandi.* De vestris, ut dignus est operarius mercede sua. *Mulieres.* In Græco sorores [ἀδελφή], non mulieres legitur. *Circumducendi.* Per provincias ad ministrandum. *Sicut et cæteri apostoli.* Nonnullos contemnit, sed suum dat exemplum. Illi enim fidelioribus prædicabant : et apud Judeos antiqua consuetudo erat, ut necessaria doctoribus a discipulis præberentur, quod gentes adhuc rudes poterat scandalizare. *Quis plantat unquam?* Per comparationem vineæ et gregis, populum vult intelligi, sicut scriptum est : *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Psal.* LXXIX) : Et : *Dabo vobis pastores secundum cor meum* (*Jer.* III). *Non alligabis os.* Hoc est, non fraudes doctorem cibo et vestimento. *Bovi trituranti* (*Deut.* XXV). Id est, doctori triticum virtutum a palea vitiorum separanti. *Quoniam in spe.* Debet fructum laboris sperare. *Qui arat.* Id est, prædicat. *Si alii potestatis vestræ participes sunt.* Pseudoapostoli, qui nihil utilitatis præstiterant. *Ne quod offendiculum demus evangelio Christi.* Ne per nos pseudoapostolis occasio cupiditatis detur, aut ne alii dicant, quod causa avaritiæ prædicemus evangelium Christi. *In sacrario.* In templo, vel in tabernaculo. *Quæ de sacrario sunt edunt.* Quia quæ offerebant filii Israel ad templum, hi qui in templo erant manducabant. *Et qui altari deserviunt.* Id est, sacerdotes et levitæ. *Gloriam meam.* Præmium quo gloriatus sum, non comedere de evangelio. *Evacuet,* Si necessaria ministret. *Si enim evangelizavero, non est mihi gloria.* Hoc est, si evangelizavero ut ista fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, et finem evangelii in cibo, et potu, et vestimento locavero. Sed quare non est gloria? *Necessitas enim mihi,* inquit, *incumbit.* Id est, ut ideo evangelizem. *Væ enim mihi,* inquit, *si non evangelizavero.* Sed quomodo debet evangelizare? scilicet ut in ipso evangelio, et in regno Dei ponat mercedem : ita enim potest non coactus evangelizare, sed volens. *Si enim,* inquit, *volens hoc facio, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Id est, si coactus inopia earum rerum quæ temporalis vitæ sunt, necessario prædico evangelium, alii per me habent mercedem evangelii, qui evangelium ipsum me prædicante diligunt : ego autem non habeo, qui non ipsum evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporibus constitutum, quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque evangelium, sed tanquam servus, cui dispensatio credita est, ut tanquam alienum eroget, nihil inde ipse capiat præter cibaria, quæ de participatione sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus, quanquam alio loco et dispensatorem se dicat. Potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem, in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait : *Dispensatio mihi credita est,* talem dispensationem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat. *Ut non abutar potestate mea.* Sive, ne utar potestate qui accepi vivere de fructu evangelii, sive dum voluero accipere, vilem faciam potestatem meam, cum propter ventrem docere existimor. *Nam cum liber essem.* Id est, licita edendo propter doctrinam. *Ab omnibus.* Id est, necessitatibus. *Omnium me servum feci.* Omnibus compassus sum. *Et factus sum Judæis Judæus.* Circumcidendo scilicet Timotheum, quod tempore gratiæ sciebat esse superfluum.

Tanquam sub lege essem. Id est, caput radendo, et purificando se in templo. *Tanquam sine lege essem.* Quia non tam legalibus doctrinis quam rationalibus argumentis illos ad fidei credulitatem provocabam, sicut dicit in Actibus apostolorum : *Circuivi aras vestras, et inveni aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo* *Act.* XVII). Cumque de eorum superstitione sermonem fuisset orditus, tanquam et ipse sine lege esset, sub occasione profani illius tituli fidem Christi intulit, dicens : *Quod ignorantes vos colitis, hoc ego annuntio vobis.* Et post pauca, velut si divinæ legis penitus esset ignarus, gentilis poetæ versum potius quam Moysi aut Christi maluit proferre sententiam : *Et sic quidam,* inquiens, *vestrorum poetarum dixit : Ipsius enim genus sumus.*

Factus sum infirmis infirmus. Dicens de matrimo-

nio, revertitur in idipsum; et sic propter infirmos olera manducavi, cum possim securus carnibus vesci. *Omnia omnibus factus sum.* Ac si diceret : Ut in brevi comprehendam quod per partes dixi, *Omnia omnibus factus sum*, non mentientis astutia, sed compatientis affectu; id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum malis tanquam si sua essent, misericordem medicinam procurando, hæc aliis faciens quæ sibi ab aliis fieri vellet, si hoc illi opus esset. *Ut particeps ejus.* Id est, mercedis ejus efficiar. *Nescitis quod hi qui in stadio currunt.* Stadium est octava pars milliarii, 125 passus habens : passus vero quinque habet pedes. Hic autem stadio cursum justitiæ vel fidei comparavit. Bravium est lamina argentea ad palmæ mensuram, quæ a rege militibus datur : et est sermo Græcus. *Sic currite.* Per viam mandatorum in abstinentia, cæterisque virtutibus, sicut in theatro quidem omnes currunt, sed unus accipit palmam. Currentis credendo, spe-rando, desiderando, corpus castigando. *Ut comprehendatis.* Coronam vitæ æternæ, de qua ipse dicit : *Reposita est mihi corona justitiæ. Non quasi in incertum.* Non enim in incertum currit, qui ad cœlestem Hierosolymam festinat: incertum vero est, qui in stadio currunt; utrum percipiant palmam, an non: *Non pugnat aere cædens.* Hoc est, non inania consectans, sicut qui in agone contendit, aerem verberat telis.

CAPUT X.

Nolo enim vos ignorare, fratres. Hic comparat duas plebes, Veteris videlicet et Novi Testamenti, et exemplo prioris terret secundum populum. *Quod patres nostri omnes sub nube fuerunt.* Ideo hoc dicit, ne quis confidat in eo solo quod baptizatus est, aut in esca spirituali; aut potu; et putet sibi Deum parcere, si criminosum aliquid committerit. Aliter. Patrum promisit exemplum; tunc ista merito profutura, si præcepta servarentur. Sicut enim de Ægypto a servitute Pharaonis Israel liberatus est, sub nube et in Moyse baptizatus est; ac in desertum venit, sic nos a tenebris peccatorum liberati a servitute veritatis, atque sub nube; hoc est, divino auxilio sumus. *Et omnes in Moyse.* Id est, in merito et potestate Moysi, mystice in Christo.

Baptizati sunt in nube. Baptizati sunt figuraliter, quia nubes proprium humorem portabat; mystice : *in nube*, id est in Spiritu sancto. *Et in mari.* Mystice in baptismo. *Escam spiritualem.* Ideo manna spiritualis cibus dicitur, quia spiritualiter per angelos ministratum fuit : ut : *Panem angelorum manducavit homo*; sive quia figuravit spiritualia, id est corpus Christi. Similiter et potus dicitur spiritualis: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.* Quia Christus postmodum erat secuturus, cujus figuram tunc petra gerebat, idcirco dixit, *consequente eos petra.* Alii putant, quod fluvius secutus sit eos per desertum. *Sicut illi concupierunt.* Carnem, ut : *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum. Et surrexerunt ludere* (*Exod.* xxxii). Id est, vitulum adorare. *Et ceciderunt* (*Num.* xxvi). Per angelum hoc factum est. *Neque tentemus Dominum.* Dicentes : *Nunquid potest Deus parare mensam in deserto* (*Psal.* lxxix)? *Et a serpentibus perierunt.* Propter quos æneus serpens factus est. *Neque murmuraveritis.* In tribulationibus pro Christo. *Ab exterminatore.* Id est, ab angelo percutiente eos in extremis castris per ignem, cui plagæ succurrit Aaron cum thuribulo offerens pro eis.

Ad correctionem nostram. Si enim parvulis adhuc et rudibus non pepercit, quanto magis nobis, qui legem perfectionis accepimus non parcet, si talia fecerimus? *In quos fines sæculorum devenit.* Id est, in quos tota perfectio temporum cadit, vel qui summus in fine sæculi. *Itaque qui se existimat stare.* Id est, forti conscientia manducando idolothyta, nunc incipit reverti ad superiora. *Videat ne cadat.* Offendendo infirmum. *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana.* Id est, quæ per fragilitatem, et insciantiam fit, et non ex consilio et perseverantia : humanum est enim peccare, diabolicum est perseverare. Aliter : *Tentatio vos non apprehendit nisi humana.* Dicitur nobis pugnam carnis non sustinentibus per beatum Apostolum, cum his inter quos fornicatio nominatur : *Tentatio vos non apprehendit nisi humana* : non enim metuimur meritis roboris conquisito graviores pugnas nequitiarum cœlestium experiri, qui carnem fragilem resistentem spiritui nostro subjugare non quivimus. Quod Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro indicativo optativum modum, id est, *tentatio vos non apprehendat nisi humana*, quod ab ipso dici manifestum est, non optantis, sed pronuntiantis, vel exprobrantis, affectu. *Fidelis autem Deus est.* Qui se pollicitus est sui nominis causa in tribulationibus adfuturum, ut ibi : *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal.* xxxiii). *Sed faciet cum tentatione etiam proventum.* Illud faciet provenire, quod possitis sustinere. *Fugite ab idolorum cultura.* Non vescendo idolothytis. *Quasi prudentibus loquor.* Suadet ut prudentibus, quo libentius audiatur. *Nonne communicatio est sanguinis Christi?* Sicut ipse ait : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Quasi dixisset : Sicut e contrario calix idolorum dæmonum communicatio, ita et panis idolothyti dæmonum participatio esse monstratur. *Quoniam unus panis.* Sicut enim panis ex multis granis copulatur, sic nos ex multis gentibus, fidelibusque in unum corpus Christi congregamur. *Unum corpus multi sumus.* Si cum idololatris de uno pane comedimus, unum cum illis corpus efficimur. *Videte Israel secundum carnem.* Id est, hospitalis Israel, carnalis Israel, carnales hostias offerebat; spiritualis spiritualia sacrificia offert Christo. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Sicut illi edentes hostias participes fiebant divini altaris, ita isti similiter idolorum. *Quid ergo dico?* Prævenit, ne quis diceret : Ergo dicis vim aliquam habere idolum, vel posse polluere. Non, inquit, idolum insensibile polluit, sed dæmones qui templis præsident ad homines defraudandos et suo servitio mancipandos.

An æmulatur Dominum? Nunquid non irritamus eum ad zelum contra nos, et ad iracundiam provocamus hoc facientes. *Nunquid fortiores illo sumus?* Hoc est, nunquid possumus furorem ejus sustinere pro hoc nobis quod facimus? Aliter: *An æmulamur Dominum?* id est, nunquid exemplum Domini habemus: qui conversatus in carne, nunquid comedit idolothyta? *Nunquid fortiores illo sumus*, fide et scientia, ut faciamus quod Dominus ipse non fecit, nec manducavit, quasi diligentiores Deo essemus? *Omnia mihi licent.* Id est, omnia quæ lege non prohibentur, licent: quia per se non habent peccatum; sed non semper expediunt, quia occasionem nonnunquam generant delinquendi, vel offendendi fratres. Omne autem quod expedit licet, non omne quod licet expedit. *Omne quod in macello venit manducate.* Si vultis manducare carnes, saltem de macello comportatas; nolite in idolio comedere, et nolite interrogare utrum immolatæ sint: ne cognoscentes vos, omnia immolata esse respondeant, et non possitis propter conscientiam manducare. *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Si Domini sunt, munda sunt omnia simpliciter utentibus; et plenitudo ejus, id est, omnia quæ in terra sunt. *Et ibitis.* Non dixit ire? quia tunc debet Christianus ire ad infidelem, si bonum esse profectum, id est, si scit posse eum lucrari. *Nolite manducare.* Ne quis putet illa vos quasi sancta comedere. *Propter eum.* Infidelem. *Non tuam.* Qui fortis es. *Sed alterius.* Infirmi, ne vel vos blasphemet, vel ipse idolis immolata comedat. *Utquid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?* Hoc est, ad quem profectum mihi libertate mea, ut me alius reprehendat? *Ab infideli conscientia.* Id est, vituperantis. *Judicetur.* Id est, blasphemetur: Si enim idola detestamur, quare idolothytis vescimur? *Si ergo gratiæ participo.* Non ideo sub gratia sumus, ut libertatis specie occasionem demus infidelibus blasphemandi.

Quid adhuc blasphemor? Id est, irritando contra me blasphemiam, non me oportet blasphemiam præbere de beneficiis Dei. *Pro eo quod gratias ago.* Id est, manduco idolothyta cum gratiarum actione. *Omnia in gloriam Dei facite.* Hoc est, nihil faciatis, nisi in quo glorificetur Deus. *Sine offensione estote.* Quia et Judæi tanquam de idololatriis scandalum patientes, credere non audebant: Gentes vero cum in colendis idolis firmabantur, et Christiani tali destruebantur exemplo.

Sicut et ego omnibus placeo per omnia. Cur alibi dicit: *Si hominibus placerem, servus Christi non essem* (*Gal.* I)? Placet ergo Paulus et non placet: placet exhibendo pietatem; et non placet, quoniam nulli consentit in malis. *Quid mihi utile est.* Id est carnalibus commodis.

CAPUT XI.

Imitatores mei estote. Sine offensione estote, sicut et ego sum. *Laudo autem vos.* Quid est quod subito laudat, quos ante vituperavit? Idem ubi legis præcepta non habet, blandimentis provocat ad ratio- A nem. *Aut prophetans velato capite.* Id est, futura prædicans; ideo autem non velato capite vir præcipitur orare, quia nulla potestas mulieris debet esse super virum. *Mulier vero velato capite.* Dum illa sub potestate viri est. *Deturpat caput suum.* Notat consuetudinem Corinthiorum, qua mulieres eorum intecto capite ad ecclesias veniebant, gloriantes in crinibus: quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat videntibus: et viri comam nutrirent indifferenter, et vescebantur in templis, et inflati sapientia sæculari, resurrectionem carnis negarent. *Quoniam imago est et gloria Dei.* Ergo, sicut inter imaginem et eum cujus imago est nullum velamen interponitur, ita vir non debet velamen habere, quia nulla creatura inter ipsum et B Deum interposita est, si generaliter ad naturalem viri gloriam respexeris. *Sed mulier propter virum.* Id est, adjutorium viri, ut: *Faciamus ei adjutorium simile sibi. Propter angelos.* Id est, sacerdotes, vel ministros altaris, vel omnem clerum, qui Dei præcepta annuntiat, sicut scriptum est: *Quia angelus Domini exercituum est*, ne videlicet carnali concupiscentia eorum impediantur sensus: sive propter honorem angelorum, qui Ecclesiæ assistere perhibentur. Item Hieronymus in expositione Ezechielis: *Cumque ingredientur portas atrii in interioribus, cidares lineas habent super capita sua.* Si virorum est, secundum Apostolum non operire caput, videtur esse contrarium quomodo nunc sacerdotes capite tenus, vel cidare operti videntur. Sed si legamus diligentius, ex prioribus solventur præsentia: supra enim C dicitur, quando ministrant in portis atrii interioribus et intrinsecus: si enim ingrediamur ad sancta, et stemus in conspectu Domini, capita nostra operire debemus: quia *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Denique et feminalibus utimur intrinsecus, ne ulla in conspectu Domini pollutæ conscientiæ et operis nuptialis turpitudo appareat.

Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Consolatur eas, ne nimium mulieres gravasse videatur: et dicit quod nec alterum tantum Deus elegit ut alterum reprobaret, quia non pro uno, sed pro utroque sexu Christus pas- D sus est.

In Domino. Id est, in fide et unitate Domini. Aliter: Nec vir sine muliere, nec mulier sine viro nasci potest, et hoc in Domino, id est, in potestate Domini. *Vos ipsi judicate.* In ipsorum judicio ponit, ut ex sua conscientia convincantur.

Ignominia est illi. Comam videlicet nutrire ad similitudinem mulieris, licet Nazaræi, ut comam nutrirent, ex Dei præcepto devotissime faciebant. *Si quis autem videtur contentiosus esse.* Prævenit illos, ne quis diceret, Ubi hoc scriptum est? vel ne aliis argumentis huic rationi resisterent, ac se diceret: Nos diximus quæ nobis honesta videbantur et justa: si quis autem volens acquiescere veritati, quærit quid respondeat, sciat se responsione indignum, qui magis contendere paratus est quam doceri. *Talem con-*

suetudinem. Sive contendendi, sive talia faciendi. *Hoc autem præcipiens.* Id est, qui primus hortatur de ordine virorum et mulierum. *Non laudo.* De consequenti causam dicit. *Sed in deterius convenitis.* Hic enim tria principalia peccata in eis reprehendit, ut in sequentibus demonstrat, quod cibum corporalem in ecclesia sumebant, quod ante communionem corporis Christi ipso cibo vescebantur, quod nihil pauperibus dabant, et quod contentiosi erant. *Oportet enim hæreses esse.* Non quod hæreses Deo placeant, sed quod per eas fideles exercentur, ut qui Deo noti sunt, hominibus manifestentur : unde enim gubernator laudabitur, si navis in portu vel in tranquillitate consistat? *Ut et qui probati sunt.* Sive doctores in resistendo, sive fideles in permanendo. *Suam cœnam præsumit.* Quia ante sacrificium edebant, et pauperibus nihil afferebant, neque impertiebant. Apud Corinthios quondam, ut alii asserunt, prava invaluit consuetudo, ecclesias passim dehonestare conviviis, in quibus vescebantur ante Dominicam oblationem, quam cœnam noctibus adoriebantur; cumque divites ebrii ad Eucharistiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos vero iste, ut referunt, de gentili adhuc superstitione veniebat, unde etiam in quibusdam locis per Ægypti vel Syriæ loca, die Sabbati nocte, post cœnam dicitur ad ecclesiam conveniri. *Aut ecclesiam Dei contemnitis?* Facientes eam triclinium epularum. *Accepit panem.* Id est, in convivium, ut vos facitis : hinc jam de sacramentis quasi oblitos commemorat, quam magnum sit hujus mysterii sacramentum. *Hoc facite, et dixit, accipite, hoc est corpus meum.* Quasi Paulus : Cavete ne illud corpus indigne comedatis, dum corpus Christi est : indigne hoc comedetis, si pauperes confundatis, sique escam aliquam ante spiritualem et Dominicam cœnam sumatis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Suam memoriam nobis reliquit, quemadmodum si quis peregre proficiscens, aliquod pignus ei quem diligit derelinquat, ut quotiescunque illud viderit, possit ejus beneficia et amicitiam recordari, quoniam ille si perfecte dilexit, sine ingenti desiderio et fletu illud non potest videre. *Hic est calix Novi Testamenti.* Quia Vetus hoc per sanguinem brutorum animalium portendebatur. Ideo autem calix testamenti vocatur, quia testatus est, post paululum passionem futuram, et nunc testificatur factam. *In meo sanguine.* Vetus et Novum per sanguinem dedicatur, quia sine morte firmum esse non potest testamentum, secundum Epistolam ad Hebræos. *Reus erit corporis et sanguinis Domini.* Quasi illum occiderit, ut Judæi, qui tanti mysterii sacramentum pro vili despexerunt. *Probet autem.* Id est, mundet : nam si in linteum, vel in vas sordidum nemo illud mittere audet, quanto magis in cor pollutum? *Non dijudicans corpus Domini.* Id est non discernens ipsum a cibo communi. *Ideo inter vos multi infirmi.* Id est, dolore totius corporis. *Et ægri.* Id est, imbecilles quibusdam membris, ut cæci et claudi : erat igitur præsens correptio et nunc est, et multi talia patiuntur; sed putamus consuetudinem esse potius quam culpam. Tribus sane causis infirmitates adveniunt corporales : aut ex tentatione, sicut Job et Tobiæ; aut ex peccato, sicut Assa regi, qui dolore pedum ægrotans mortuus est, quem ei Dominus immisit, quia amicitiam Benadab regis Syriæ habebat : aut ex aliqua intemperantia, ut Timotheo et his qui jubentur medicum honorare. Huic tantum causæ humana potest succurrere medicina. *Dum autem judicamur a Domino.* Id est, per aliquam præsentem infirmitatem corripimur. Correptio paternæ pietatis est, ut pœniteamus, ne cum infidelibus mundi damnemur. *Judicem exspectare.* Id est, usquequo sacrificium accipiatis. *In judicium.* Id est, in vindictam, *Cætera vero.* Id est, de ipsius mysterii sacramentis.

CAPUT XII.

De spiritualibus autem. Nunc de divisionibus gratiarum prædicit, et de volentibus novis loqui linguis. *Ad simulacra muta.* Hoc dicit ut cognoscant, qui ante misericordiam illius fuerunt, muta adorando idola : et ut sciant quanta munera illis per Spiritum sanctum collata sunt. *Prout ducebamini.* Id est, a magistris et aruspicibus et philosophis. *Nemo in spiritu dicit anathema Jesu.* Quia fortasse alii per spiritum diaboli dixerunt anathema Jesu, quasi dixisset, Si aliquis dixerit anathema Jesu, non spiritu Dei, sed spiritu diabolico loquitur. Anathema, perditio, detestatio interpretatur. Jesum tamen in spiritu Dei [non] loquitur, quandiu paganus est. *Et nemo potest dicere Dominum Jesum.* Id est, corde, ore, opere. Mos est Scripturarum dicta pro factis ponere : ergo dicere, invocare est, vel credere Dominum Jesum, hoc est, ut ipse sit servus Domini Jesu, ac Dominus ejus Jesus. *Nisi in Spiritu sancto.* Id est in dono Spiritus sancti : Unde statim disserit, quibus et quot donis Jesum quisque fateatur, dicens : *Divisiones autem gratiarum sunt : idem autem spiritus.* Ne tot putarentur spiritus quot sunt dona. Gratiarum vocabulum spiritui gratis inspiranti omnia dona convenit. *Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* Dominus, qui servis suis diversas ministrationes et ecclesiastica officia largitur. *Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Id est, insignium virtutum ac miraculorum Deo nomen competit, qui potentialiter hæc per suos electissimos operatur. Hæc itaque tria nomina, id est, spiritus, et Dominus, et Deus, Spiritui sancto conveniunt, qui gratis et non merito cuncta spirando ac servus ministrat et potentialiter quasi Deus perficit. *Manifestatio spiritus.* Unumquodque donum, per quod se manifestat. *Ad utilitatem.* Non ad inanem gloriam, ut vultis variis loqui linguis, sed ad utilitatem incredulorum et infidelium. *Sermo sapientiæ.* Sapientia pertinet ad intellectum æternorum. Scientia vero ad ea quæ sensibus corporis exprimuntur. *Gratia curationum.* Ut quis curet ægros. *Operatio virtutum.* Opus virtutum est dæmones ejicere vel mortuos suscitare. *Alii discretio svi-*

ritusm. Ut quisque sciat quod spiritus suggerit aliquid agendum esse vel non. *Alii interpretatio sermonum.* Hoc est, ex alia in aliam linguam aut difficilium sermonum explanatio. *Operatur unus atque idem spiritus.* Potest unus esse, licet diversus, ut unus mihi illam rem heri donavit, vel ministravit, et unus hodie : nam talis locutio etiam de diversis personis potest convenienter intelligi, sed ne diversus spiritus aliqua successione temporis, vel sui mutatione intelligeretur, signanter ab Apostolo hoc additum est : *Atque idem spiritus.* Ne quia diversa sunt dona, diversus spiritus ac varius putaretur. Sed unus et idem semper sine ulla mutabilitate cum Patre et Filio manens prout vult, non ait, ut homines merentur, quia dona diversa et indignis tribuuntur, ut est illud : *Nonne in tuo nomine dæmonia ejecimus* (*Matth.* VII)? Et sicut alibi scriptum est : *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III). *Sicut enim corpus unum est.* Per comparationem corporis ostendit, non naturam membrorum, sed officia esse diversa, et neminem curare debere cujus sit officii, dum omnes eodem spiritu animentur. *Et omnes unum spiritum potaverunt.* Id est, doctrinam spiritus, quam Christus fluminibus aquæ comparavit dicens : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). *Ita et Christus.* Notandum quod tota Ecclesia cum suo capite Christus appellatur : nam ut corpus non est unum membrum, ita non potest totum corpus unum officium agere, hoc est, ut totum corpus vel videat, vel audiat, sed unumquodque membrum suum officium habet. *Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore.* Pes Ecclesiæ dici solet, qui ad intercedendum egreditur; manus, ille qui operatur; os, ille qui docet vel qui loquitur linguis. *Num ideo non est de corpore?* Decebat enim non esse de corpore Ecclesiæ, qui hanc, quam alii acceperant, gratiam non habebant. *Si totum corpus oculus.* Hoc est, si omnes doctores sunt. *Ubi auditus?* Id est, ubi sunt auditores? *Si totum auditus.* Si omnes sunt auditores. *Ubi odoratus?* Hoc est, quis erit boni odoris malive discretor? *Nunc autem posuit Deus membra.* Id est, in prima conditione hominis. *Non potest oculus.* Id est, vir theoricæ vitæ. *Dicere manui.* Homini actualis vitæ. Ideo invicem indigemus, ut magis ac magis charitas confirmetur : nam si unus omnia haberet, adversus cæteros inflaretur. *Infirmiora membra.* Venter et cætera intestina. *Necessariora.* Id est, dum vitam corporis custodiunt. Itaque membra quæ spernitis in Ecclesia, majoris utilitatis approbantur; si in corpore sine manibus pedibusque vivitur, sine intestino omnino non vivitur. *Abundantiorem circumdamus honorem.* Dum cautius vestimentis et diligentius custodiuntur. *Quæ autem honesta sunt.* Id est, quæ per se pulchra sunt, ut caput et manus. *Et cui deest.* Id est, honestas. *Abundantiorem honorem tribuit.* Hoc est, minoribus Ecclesiæ membris majora dona concedens, ut qui honore minor erat, gratia abundet. *Si dixerit auris.* Id est, sapiens auditor. *Oculus.* Doctor, quique futura prævidet. *Ut non sint schismata in corpore.* Id est, ut pro invicem solliciti simus, dum altero indigeamus. *Sive lætatur.* Incolumitate. *Congaudent omnia membra.* Ut Sallustius ait : Corde lætante vultus floret. *Vos autem estis corpus Christi.* Nunc physicam similitudinem mystice explanat. *Secundo prophetas.* Novi Testamenti, ut fuit Achab et filii Philippi. *Deinde virtutes.* Facientes majora signa, ut mortuos suscitare. *Gratias curationum.* Ut leprosos mundare. *Opitulationes.* Id est, eleemosynæ erga pauperes. *Gubernationes.* Ecclesiarum Dei. *Nunquid omnes apostoli?* Sicut nec totum corpus oculus est. Quod enim in singulis hominibus universa dona Spiritus sancti esse non possunt, non Spiritus sancti, sed hominis infirmitati deputandum est. *Æmulemini.* Id est imitemini *Charismata meliora.* Id est, dona meliora quam loqui linguis. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Id est, charitatem, per quam pervenitur ad Deum.

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar et angelorum. Id est, non solum omnium linguis, sed etiam si quæ angelorum linguæ. *Et noverim mysteria omnia.* Id est, notitiam omnium secretorum, hic et in futuro. *Et omnem scientiam.* Id est, Veteris et Novi Testamenti. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Hoc est, si non propter Deum, sed propter gloriam humanam. *Et tradidero corpus meum ita ut ardeam.* Id est, in martyrium, si in ipso martyrio adversus fratrem retineam iram : contemnens eum qui jussit nos malitiam proximi oblivisci, et in ipsa etiam morte prævaricator existens. *Charitas patiens est.* Quia multa mala æquanimiter tolerat. *Benigna.* Etiam inimicis. *Charitas non æmulatur.* Bona alterius. *Non agit perperam.* Id est, contra rationem, ut Gennadius dicit. Vel perperam, vitiose, corrupte. *Non quærit quæ sua sunt.* Non quærit quod sibi tantum utile, sed quod multis. *Non irritatur.* Ad jurgia. *Non cogitat malum.* Non solum non facit, sed nec cogitat. *Congaudet autem veritati.* Quia ut sit diligens, cæterum per hoc quod rectum aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. *Omnia suffert.* Suffert injurias, satisfacienti credit. *Omnia sperat.* Ejus emendationem, et donec corrigatur patienter exspectat. Aliter, omnia sperat, id est, præmia. *Omnia credit.* Promissa a Deo, ac retributa malis et bonis. *Omnia sustinet.* Id est, promissa. *Charitas nunquam excidet, sive prophetiæ evacuabuntur.* Superveniente enim completione, cessabit prophetia, quia nihil futurum erit. Sive linguæ cessabunt, quia tunc non necessariæ erunt. *Sive scientia destruetur.* Id est, imperfecta et dubia. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Hic physice loquitur. Nam præsens tempus ætati parvuli comparat, futurum vero tempus viro perfecto. *Videmus nunc per speculum.* Nostræ scilicet mentis, vel divinæ Scripturæ. *In ænigmate.* Id est, obscuritate. *Tunc autem*

facie. Nostræ mentis. *Ad faciem.* Dei. *Tunc autem cognoscam.* Deum, et quæ sunt Dei. In tantum cognosco, quantum potest de Deo mens humana cognoscere : nullus enim Deum, sicut est, scire potest. Item, tunc cognoscam, hoc est, sicut me perfecte Dominus novit. Ita tunc ego, in quantum creaturæ potest intellectualis, quæ sunt divina cognoscam. *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* Non sit, in tantum cognoscam, quantum a Deo cognitus sum, sed, *sicut et cognitus sum* : et *sicut* non æqualitas, sed similitudo ostenditur. *Tria hæc.* In præsentia *tria hæc*, in futuro sola charitas permanebit. *Major est.* Ergo quod semper erit, quam quod aliquando cessabit.

CAPUT XIV.

Æmulemini spiritualia. Id est, spiritualia dona vos quærere non prohibeo, id est, etiam loqui linguis. *Sed magis ut prophetetis exhorter.* Id est, prædicetis. Ideo autem prædicatio prophetia dicitur; sicut enim prophetia in futuris temporibus continetur, ita et prædicatio in præsenti corrigit, et præteritas passiones sanctorum in memoriam revocat, et de pœnis præmissisque futuris terret ac solatur. *Qui enim loquitur lingua.* Id est, ignota qualibet lingua. *Non hominibus loquitur.* Dum non intelligunt, quia barbara est. *Sed Deo.* Qui intelligit, sive dum per hoc ipse magnificatur. *Nemo enim audit.* Id est, intelligit. *Spiritu enim loquitur mysteria.* Spirituali dono præditus, vel suo spiritu loquitur. *Loquitur ædificationem, exhortationem, consolationem.* Exposuit quot modis intelligenda sit prophetia. Quicunque ergo hæc habet, prophetæ dicendus est. *Ædificationem.* Suadendo fidem. *Exhortationem.* Exempla sanctorum Patrum proponendo. *Consolationem.* Præmia cœlestis regni promittendo. *Seipsum ædificat.* Dum solus ipse intelligit vel glorificatur. *Ecclesiam ædificat.* Dum multis proficit. *Nisi interpretetur.* Ex ignota lingua in aliquam notam. *Major est enim qui prophetat quam qui loquitur.* Lingua. Sicut profectu sic et merito major est. *Nunc autem fratres si venero ad vos lingua loquens.* Suo exemplo hortatur eos, illud non pro magno quærere quod non prodest Ecclesiæ. Quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? In revelatione. In allegorico sensu, cum aliquid ex futuris revelatur, sicut ipse Paulus dicit : *Patres nostri sub nube fuerunt*, quod significat baptismi sacramentum. *Aut in scientia.* Id est, tropologico vel morali sensu, ut *omnis vir orans vel prophetans velato capite, deturpat caput suum. Aut in prophetia.* Id est, anagogico sensu, ut est illud : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus*, ubi futuram corporum resurrectionem prophetat. *Aut in doctrina.* Id est, in historia secundum litteram, ut est, *In hoc enim vixit Christus, et mortuus est, et resurrexit, ut viventium et mortuorum dominetur*, ubi nuda historia docetur. *Eritis enim in aera loquentes.* Hoc est, si etiam tam multa loquamini, ut genera sunt linguarum, quid proderit? cum omnia in aëra silvantur, et nulli proficiant, et nihil eorum sine voce sit : proprium est enim unicuiusque linguæ habere vocem. *Ero cui loquar barbarus.* Omnis enim sermo qui non intelligitur barbarus judicatur. *Et ideo qui loquitur lingua.* Id est, ignota. *Oret ut interpretetur.* Oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur, ut grammatica verba quæ dicturus sit intelligantur, vel oret ut illi interpretandi gratia donetur. *Nam si orem lingua.* Mihi ignota. Nunc divertit sermonem ad seipsum : *Si enim sine fructu est.* Mens in ipso homine, si absente mente et intellecta spiritus oret, quanto magis quæ ignorantur ab auditoribus dicit non prodest? *Mens autem mea sine fructu est.* Dum non intelligo quod loquor : est autem spiritus vis quædam animæ mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. *Orabo spiritu.* Oratio hoc loco oris narratio intelligitur. Ergo orabo spiritu, hoc est, ignota lingua in spiritu meo expressa eloquar. *Orabo et mente.* Id est, intellecta mentis meæ aliis prædicabo : qui enim interpretatur, necesse est ut ipse prius intelligat quod aliis dicturus est. Non ergo sufficit ut quis solo spiritu aliena lingua loquatur, nisi mens et intellectus accesserit, quatenus ipse cognoscat quid loquatur, aut aliis interpretando patefaciat. *Cæterum si bene dixeris spiritu.* Id est, sine interpretatione, quatenus aliis clarescat quod loqueris. *Quis supplet locum idiotæ?* Quod ipse diceret idiotæ, id est, nuper baptizati, et qui nullam præter propriam intelligit linguam, quod proprium est auditoribus. *Quomodo dicet Amen.* Hoc est, quomodo tuæ benedictioni perhibebit testimonium, vel consensum, cum ignoret ipsius linguæ qualitatem? *Nam tu quidem bene gratias agis.* Quod superius dixerat, *si benedixeris spiritu*, hoc ipsum exponit : nam benedicere spiritu, est gratias agere, licet ignota idiotis lingua. *Gratias ago Deo, quod omnium vestrum linguis loquor.* Hoc ideo dicit, ne putarent quod ipse linguas ignoraret, et propterea linguas condemnaret. *Sed in Ecclesia volo sensu meo quinque verba loqui.* Mavult pauca verba lucida sensu recto loqui, quam innumerabilia obscura et incognita, quæ auditores non ædificant : quia meliora sunt pauca verba quæ prosunt, quam multa quæ non prosunt. *Nolite pueri effici sensibus.* Ac si diceret : Puerilis est variarum linguarum cupiditas, in qua sola delectatio est, non utilitas, nisi accedat interpretatio. Aut *nolite pueri effici sensibus*, sed scire debetis quare datæ sunt linguæ. *In lege scriptum* (Isai. XXVIII). Legem vocat prophetiam Isaiæ. *Quoniam in aliis linguis.* Ideo hoc dicit ut ostendat quod in isto tempore linguis aliis non indigetur, dum multi fideles sunt, et unaquæque lingua doctorem habet ex se. Nam linguæ in principio ideo datæ sunt, ut infideles crederent ipsarum admiratione, atque sua lingua docerentur. Unde sequitur : *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus.* Hic ergo ostenditur crescente fide signa cessare, quando infidelium causa danda esse

prædicentur. *Prophetiæ.* Id est prædicationes. *Non infidelibus.* Qui adhuc non recipiunt. *Sed fidelibus.* Dum recipiunt et credunt. *Nonne dicent quod insanitis?* Sicut Judæi Apostolis dixerunt: *Nonne musto repleti sunt isti* (*Act.* II)? *Occulta cordis ejus.* Quoniam ejus conscientia per doctrinam pulsatur. *Manifesta fiunt.* Sibi ipsi in sua conscientia, aut aliis pure confitendo. *Quid ergo est, fratres.* Id est, quid ergo faciendum, vel quid dicimus esse tenendum? *Psalmum habet.* Id est, intellectum psalmi, vel nihil habet nisi cantare psalmum. *Doctrinam habet.* Historica gesta narratis, vel sermone quotidiano mores corrigit. *Apocalypsin habet.* Revelationem mysteriorum, aut si aliqua visio illi revelatur. *Interpretationem habet.* Ea quæ obscura sunt dilucidatis. *Linguam habet.* Id est, variis loquentis linguis. *Et unus interpretetur.* Unus quilibet ex ipsis tribus. *Sibi autem loquatur.* Id est, in sua conscientia. *Et Deo.* Qui scit. *Quod si alii revelatum fuerit.* Si sedit sedens plus quam ille qui prædicat. *Ut omnes discant.* Taceildo. *Et omnes exhortentur.* Prædicando. *Et spiritus prophetarum prophetis subjectus est.* Quia spiritualis gratia, qui suis [quæ fuit] in prophetis, subjecta est nobis apostolis, et apostolicis viris, ac prædicatoribus. Sive, spiritus humilitatis et charitatis, qui est in prophetis, id est, prædicatoribus, debet subjectus esse aliis prophetis, id est, prædicatoribus, et idcirco alter utrum sibi invicem cedant: ut uno loquente prior taceat, quia Deus qui in ipsis est, non est dissensionis, sed pacis. Itaque per hæc omnia hortatur eos ad concordiam, ne magnitudine donorum et sapientiæ hastantur discordiæ. *An a vobis Verbum Dei processit?* Numquid a vobis doctrina Christi initium sumpsit? *Aut in solos vos devenit?* Id est, ut neminem vos sinatis prædicare? *Propheta.* Id est, prædicator. *Aut spiritualis.* Id est, linguis loquens. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Ex hoc probatis verum esse prophetam, si ista cognoverit. Si quis autem ignorat hæc, ignorabitur, et a nobis et a Deo, licente eis qui se in ejus nomine prophetasse dicent: *Nescio vos* (*Matth.* v). *Omnia vestra honeste.* Nihil perverso ordine, aut per contentionem, aut inanem gloriam facitis. *Mulieres taceant.* Supra dixit. *Prophetæ duo aut tres dijudicent*: scilicet ne putarentur feminæ in hoc concludi, ideo subjungit et dicit: *mulieres taceant.* Sicut et lex dicit ut in Genesi: *Sub viri potestate eris, et erit reversio tua ad virum tuum, et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III). Turpe est enim mulieres in ecclesia loqui. Alibi autem concedit eas docere suam prudentiam et castitatem, sed hoc privatim.

CAPUT XV.

Notum autem vobis facio. Nunc de resurrectione incipit disserere, quam quidam Corinthiorum negabant. *Quod et accepi.* Per revelationem. *Secundum Scripturas.* Prophetias, ut: *Traditus est propter iniquitates nostras* (*Isai.* XI). *Et quia sepultus.* Ut est illud, *Et erit sepulcrum ejus gloriosum. Et quia surrexit tertia die.* Sicut in Osee: *Vivificabit nos in biduo, die tertia resurgens* (*Ose.* VI): *Plus quingentis fratribus.* Hoc quidem factum esse credimus, licet in Evangelio non sit scriptum. *Deinde Jacobo.* Alphæi filio, qui se testatus est a coena Domini non comesurum panem, usquequo videret Christum resurgentem: sicut in Evangelio secundum Hebræos legitur. *Tanquam abortivo.* Id est, de cujus vita desperabatur. *Visus est et mihi.* Id est, vel in templo Hierusalem. Hoc ideo dicit, ne putarent eum audita potius quam visa narrare. *Vacua non fuit.* Id est, sine fructu et inutilitate, sicut in illo qui abscondit talentum in terra: *Sed plus illis omnibus laboravi.* Hoc est, quod neque cessaverit ab Evangelio prædicando, neque tamen ab Evangelio vitam suam sustentaverit. *Obiimi.* Id est, apostolatum. *Sicut prædicavimus.* Id est, quod Christus resurrexit, et omnes per illum resurgent. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Alterum ab altero pendet: nec utrumque negare, aut utrumque confiteri necesse est. *Si vero caput resurrexit, quomodo membra non resurgent? Neque Christus resurrexit.* Cum ipse mortuus est secundum carnem. *Adhuc enim estis in peccatis vestris.* Quia non justos vos efficit resurrectio Christi, de qua Paulus dicit: *Resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Item estis enim adhuc in peccatis vestris, quia si mentitus est post triduum resurrecturum, mentitus est se etiam peccata dimittere, quod absit. *Et qui dormierunt in Christo.* Id est, qui in Christo mortui sunt: sine causa enim hanc vitam perdiderunt, si vitam æternam non habebunt. *Miserabiliores illius omnibus hominibus.* Si in hac vita tantum sperantes sumus, nulla præmia sperantes vitæ futuræ. *Nunc autem Christus resurrexit, a mortuis.* Id est, quod nullus Christianus dubitat. *Primitiæ dormientium.* Quia prius in incorruptione surrexit; si ergo caput resurrexit, necesse est etiam ut ea membra cætera subsequantur. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur.* Quia sicut ille morientium primus fuit, ita et iste resurgentium. *In suo ordine.* In suo scilicet honore, vel ordine, tempore servato, quia primitiæ Christus. *Deinde hi qui sunt Christi.* In quo taceatur de resurrectione mortuorum infidelium, quia non ad gloriosam vitam resurgent. *Deinde finis.* Mundi ac mundanæ conversationis. *Cum tradiderit.* Cum quasi laborem et opus suum. *Regnum.* Id est, Ecclesiæ Deo assignaverit, et in illius contemplationem perduxerit. *Deo Patri.* Deo Christo secundum humanitatem, et Patri secundum deitatem. Traditio regni nostra est perfectio, cum etiam ex integro filii esse meruerimus, ut Joannes: *Videbimus,* inquit, *eum* (*Joan.* V). Regnum Dei naturaliter quidem per omnia est, sed tunc proprie regnare dicitur, cum illi homines fuerint voluntate subjecti; sicut regnum diabolicum, cum illi se homines sponte subjecerint. *Cum evacuerit omnem principatum.* Nam evacuatis peccatis, evacuabuntur a nobis omnes contrariæ potestates. *Omnem principatum.* Id est, ab eo qui nobis sequentibus principatur. *Et potestatem.* Qua

nos eorum dominatui subjecti sumus. *Et virtutem.* Qua nos vicerunt : virtus enim eorum nostra peccata sunt. *Oportet enim illum regnare.* Istud de homine dictum non negamus, de eo qui passus est crucem, qui postea sedere jubetur a dextris. Quid sibi vult hoc quod ait : *Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus?* Nunquid tam diu regnaturus est Dominus, donec incipiant inimici sub pedibus ejus esse, et postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet? cum utique tunc magis regnare incipiat. *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus.* Id est, aut voluntate, aut necessitate subjectos. *Sub pedibus ejus.* Aut sub Christi humanitate, aut sub apostolis, quibus mundum peragravit. *Destruetur mors.* Id est, diabolus, qui auctor est mortis, sive mors corporis destruetur sorbente immortalitate : potest hic excludi hæreticus, ne ipsum patrem subjiciendum Christo dici putaret. *Tunc et ipse subjectus erit illi, qui subjecit sibi omnia.* Hoc dicit pro parte humanitatis, vel pro membris Ecclesiæ. Aliter, subjectio non semper ad diminutionem honoris pertinet, sed etiam ad charitatis officium, maxime cum et spiritus prophetarum prophetis dicatur esse subjectus, ut non sit Deus dissensionis, sed pacis, cum et ipse Dominus Joseph et Mariæ scribatur fuisse subjectus. *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Salus, vita, victus, et copia, gloria, et honor, et pax, et omnia bona. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus,* id est, ut jam quasi commortui cum illo simus, quid ergo prodest nobis mundo mori, si hunc contemptum voluptatum vita non sequitur æterna? Aliter, *pro mortuis,* id est, operibus quæ generant mortem. *Ut quid periclitemur?* Si nihil esset in futuro, nonne eramus stulti ut tantas tribulationes pro aliis pateremur? *Quotidie morior pro vestra gloria* [a]. Id est, causa vestræ gloriæ: semper enim sum paratus, et quotidie me exspecto pro vestra gloria moriturum. *Per* non semper significatio juramenti est : nam si dicam, Per puerum misi, non statim per puerum jurasse putabor. *Quam habeo in Christo.* Bonus enim doctor particeps est gloriæ discipulorum. *Si secundum hominem.* Hoc est, si nihil remunerationis a Deo pro hoc certamine spero. *Quare pugnavi Ephesi contra bestias?* Id est, hæreticos, et sævos homines. An ut hominibus placerem? *Manducemus.* Increpat exemplo prophetæ (*Isa.* XXII), gulæ deditos desperatione futurorum. *Nolite seduci.* Id est, ab his qui talia dicunt. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Hieronymus in expositione Epistolæ ad Titum dicit : Ad Corinthios quoque de Menandri [b] comœdia versum sumpsit iambicum : *Corrumpunt mores bonos.* Mos est apostolis de mundana sapientia accipere testimonia, et si non ad auctoritatem, tamen ædificationem, ut illud Virgilii in Actibus apostolorum : *Ipsius enim genus sumus. Sobrii estote.* Non seducat vos ignorantia resurrectionem negantium. *Ignorantiam Dei.* Id est, putantes Deum non posse suscitare. *Sed dicet aliquis.* Ipse sibi ex contradicentium persona proponit. *Quomodo resurgent mortui?* Id est, dum corpora in pulverem redeunt. *Quali autem corpore redeunt?* Hoc est, utrum ut sepeliantur, sic resurgunt? verbi gratia : Si cæcus et leprosus sepelitur, utrum idem cæcus et leprosus resurget? Atque his duabus interrogationibus statim respondet, dicens . *Insipiens tu.* Quia non attendis quid quotidie coram tuis oculis geritur. *Quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur, et quod seminas? non corpus.* Ad illud respondet quod præmisit : quali autem corpore veniunt? *Non corpus quod futurum est.* Ac si diceret, Non spicam seminas in terram, sed granum et sicut cum grano secundior cum granis resurget arista, ita et incorruptibile corpus in gloriæ resurget augmento. *Deus autem dat illi corpus.* Id est, ab initio disposuit ut omnia semina cum putruerint, in amplius reformentur. *Proprium corpus.* Non alienum, sed secundum genus suum proprium : ut pote triticum de tritico, hordeum ex hordeo, sic homines sua propria corpora recipient, non aliena. *Non omnis caro eadem caro.* Tota comparationis hujus diversitas ad hoc valet, ut credas unum genus facile reparare posse, qui tanta fecit ex nihilo, sive tantam meritorum ostendit esse distantiam justorum a peccatoribus, quantum distant cœlestia a terrestribus : et ipsorum inter se justorum in tantum distare fulgorem ostendit quantum differunt luminaria a luminaribus. *Corpora cœlestia.* Ut sol et luna, ita et resurrectio mortuorum, non omnium, sed tantummodo sanctorum. *Seminatur in contumelia.* Quid tam ignobile, ut cadaver? *Seminatur in infirmitate.* Id est, doloris et mortis. *Surget in virtute.* Sanitatis et immortalitatis. *Seminatur corpus animale.* In corporibus resurgentium tanta felicitas erit, propter quod et spiritualia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus anima non est, ita tunc corpus spirituale erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ non aggravat animam et vitam, quibus caro adversus spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus, quia cœlestia corpora perhibentur, propter quod dictum est : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et tanquam exponens quid dixerit, neque corruptio incorruptionem possidebit, et quod prius regnum Dei, hoc posterius incorruptionem; quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Idem in libro de generibus visionum : Corpus quod futurum est in resurrectione mortuorum, spirituale appellat Apostolus, ubi ait : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale,* eo quod miris modis ad omnem felicitatem et incorruptionem spiritui subdatur, et sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificetur spiritu : non quod in-

[a] Sedulium legisse *per vestram gloriam* patet ex commentario.

[b] Menandri Arati in Phœnomenis.

corpoream substantiam sit habiturum, neque enim et hoc corpus quod nunc habemus animæ habet substantiam. *Sicut scriptum est.* Id est, in Genesi (*Cap.* 1). *Et factus est homo in animam viventem.* In spiritum vivificantem. *Novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Non prius, sed quod spirituale est : sicut prior est terrenus Adam, et posterior cœlestis, ita prius animale, posterius spirituale corpus accipimus. *De cœlo cœlestis.* Non quod corpus de cœlo attulerit, sed quod conceptus sit de Spiritu sancto. *Sicut portavimus imaginem terreni.* Peccator imaginem Adæ, portat justus vero imaginem Christi. Ergo sicut portavimus veterem hominem ante baptismum, ita et post baptismum portemus novum. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Id est, vitia et opera carnalia, quæ postea nomine corruptionis appellat : frequenter enim Scriptura carnem pro operibus carnis nominat, ut alibi : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Sed non omnes immutabimur.* In gloriam et vitam æternam : quia de morte in mortem transire non est immutatio : nam gehennalis pœna mors secunda est, ideo peccatoribus immutatio non deputatur. *Et in ictu oculi.* Per ictum oculi nimiam brevitatem vult significare momenti, ut quanta sit potentia ex resurrectione cognoscas. *In novissima tuba.* Id est, voce archangelica, ut : *Media nocte clamor factus est* (*Matth.* xxv). *Et mortui resurgent incorrupti.* Id est, quia mortem carnis ultra non habebunt, aut cum integritate membrorum suorum resurgent. *Oportet enim.* Id est, necesse est fieri, quod Deus promisit. *Absorpta est mors.* Hoc in Osee prophetia scriptum est. *Ubi est mors.* Jam vivemus, jam non moriemur in illo qui pro nobis mortuus est et resurrexit. *Aculeus autem mortis peccatum.* Stimulus vel sagitta mortis peccatum est, per quod animæ jugulantur. *Virtus vero peccati lex.* Dum fortius et violentius fit peccatum per scientiam commissum. *Victoriam.* Vel peccati contra legem commissi, vel illam qua mors absorbebitur in victoria. *Stabiles.* Id est, in fide resurrectionis permanentes. *Abundantes in opere Domini.* Id est, ne sit fides vestra mortua. *Non est inanis.* Propter spem resurrectionis.

CAPUT XVI.

Nam de collectis, quæ fiunt in sanctos. Nunc incipit de sumptibus qui, per singulas ecclesias collecti, in Hierosolymam sanctis pauperibus mittebantur. *Per unam sabbati.* Una sabbati, Dominica dies est, ut Dominica die semper paulatim congregarentur per tempus, ne plus gravarentur : ideo autem in Dominico hoc permissum est, quia non opus est servile eleemosynam congregare. *Gratiam.* Eleemosynam, quia gratis datur. *Quod si dignum fuerit.* Ut eos ad largiorem provocaret collationem, infert : *Quod si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt.* Id est, si talis fuerit oblatio vestra, quæ mea quoque mereatur prosecutione deferri. *Ostium enim mihi,* etc. Hoc est, aditus prædicandi, fideique ipsorum. *Per Epistolas hos mitto.* Ad commendandos eos in Hierusalem. *Cum fratribus.* Id est, mecum exspectantibus, sive commeantibus. *Vigilate.* Oculis scilicet mentis, ad astutias diaboli præcavendas. *Subjecti sitis ejusmodi.* Id est, ut consilium eorum vos regat. *Laboranti.* In ministerio prædicationis. *Quod vobis deerat.* Id est, quod mihi a vobis deerat de necessariis, ipsi suppleverunt. *Maranatha.* Syrum est, et interpretatur, Deus noster venit, quasi ergo aperte Apostolus diceret : Qui non amat Dominum, sit perditio, id est, pereat in adventu Domini. *Charitas mea.* Id est, ut quomodo ego vos diligo, ita et vos invicem diligatis. *In Christo Jesu.* Id est, non secundum sæculi charitatem. *Amen.* Confirmatio benedictionis.

III.

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Non hominum voluntate. Simul et ostendit, non sine Patris voluntate se missum a Christo, ut : *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Ecclesiæ Dei.* Signanter dixit *Dei,* quia est Ecclesia quæ non est Dei, id est, hæreticorum et malignantium. *Pater misericordiarum.* Id est, a quo est omnis misericordia. Multas dicit autem misericordias, quia multæ sunt humanæ miseriæ. Sed requirendum quare de misericordia et consolatione in primis dicit, quia de misericordia et consolatione eorum hanc Epistolam scripsit. *Totius consolationis.* Perfectæ consolationis : nam homo ex parte consolatur. *Ut possimus et ipsi.* Propterea consolamur et liberamur, ut et nos alios consolari et de tristitia liberare possimus. Aut ita formam dat nobis alios consolandi. *Per exhortationem.* Qua ipsi a Domino consolamur : agnoscimus quod Deus timentium se neminem derelinquat, et multo magis in futuro remuneret, quando nos in præsenti etiam non deserit. *Abundat etiam consolatio nostra.* Ut : *Dominus mortificat et vivificat.* Ut Petrus de carcere liberatus, ut ipse Paulus in visione Domini voce confirmatus in templo. *Pro vestra exhortatione.* Quia vos ad salutem hortamur : sive ut nobis exemplum tolerantiæ præbeamus. *Sive exhortamur.* Ideo liberamur, ut ipsa re confirmemini non pertimescere tribulationes, sive ut vos hortemur patienter ferre illa, quæ et præsentem consolationem obtinent et futuram. *Non enim volumus ignorare vos.* Suas

passiones narrat, ut illi se ad illarum comparationem parva pati cognoscant. *Onerati sumus.* Ipso pondere passionum. *Supra vires.* Nisi Dominus adjuvasset. *Ut tæderet nos etiam vivere.* Id est, ut mori omni desiderio cuperemus. *Responsum mortis habuimus*, etc. Id est, ipsa mors docuit nos omne humanum auxilium defecisse, et ab illo sperandum esse remedium cui etiam suscitare possibile est. Aliter, mortem quasi ante oculos habere se dicit, denique eripi de ipsa pressura, resuscitatum se asserit: aut certe minantibus eis mortem, responsum mortis habuerunt. *Et adhuc eripiet.* Scit se multa passurum, qui sperat se etiam liberandum. *Adjuvantibus etiam vobis per orationem.* Multum valet oratio Ecclesiæ, quæ etiam Petrum de carcere liberavit. *Ut ex multarum personis fácierum, ejus quod in nobis est donationis per multos pro nobis gratiæ referantur.* Hoc dicit sensus, ut ex multorum conventu pro eo quod vobis donamur, Domino gratiæ referantur. Aliter *per multos*, qui sunt ejus donationis et gratiæ participes, quæ in nobis est. *Nam gloria nostra hæc est.* Ideo in ipsis passionibus gloriamur, quia conscientia nostra minime nos reprehendit, quod nec temporalis gloriæ, vel lucri causa docere videamur. *In simplicitate.* Non aliud ore dicentes, et aliud corde retinentes. *Abundantius autem ad vos.* Id est, dum necessaria ab aliis accipimus, a vobis autem nihil. *Non enim alia scripsimus.* In hoc apparet quia non in carnali sapientia, sed in simplicitate et sinceritate et gratia Dei prædicavi vobis, dum non aliud legistis in Scriptura sacra; qui enim habet carnalem sapientiam commutat quod verum est, causa placendi hominibus et cupiditatis. *Ex parte.* Quod quædam pars ex vobis intelligit nostram doctrinam et simplicitatem, sive quod etiam nunc multi vestrum integre et perfecte non sapiunt, sed ex parte. *Gloria vestra sumus.* Sic gloriantur discipuli de bono magistro, quomodo et magister in bonis discipulis gloriatur. Unde Salomon dicit: *Gloria senum filii filiorum, et gloria filiorum patres eorum. In die Domini.* Quando et veri magistri et boni discipuli probabuntur. *Et hac confidentia.* Quia gloria vestra sumus. *Ut secundam gratiam haberetis.* Quia priorem in priore meo habuistis adventu, sive ut secundam gratiam præsentiæ meæ post litteras habeatis, aut gratiæ pœnitentiam post baptismum. *Nunquid levitate usus sum?* Quia promissum non impleverat, ne levitatis putaretur excusat. *Aut quæ cogito secundum carnem cogito?* Secundum carnalem scilicet voluntatem: carnale est enim nulla majore causa existente, non facere quod promittitur, sicut multi carnales homines facere solent. *Ut sit apud me est et non.* Quia qui secundum carnem cogitat, fit apud illum *est et non*, id est, verum et mendacium. Carnalis enim cum aliquid proponit, si ei aliud aliquid supervenerit quod magis commodis carnis proderit, suo proposito non constringitur: non sic qui spiritualiter cogitat. *Est* autem *et non* dicitur, quando quod spondendo promittitur, non implendo denegatur. *Dei enim Filius.* Ac si diceret: ab illo discimus ut non mentiamur; sicut enim ille non mentitur, sic nos membra ejus. *Non fuit in illo est et non.* Si in Christo non fuit *est et non*, quare cum promisisset se ire ad centurionis puerum, non perrexit? sed adfuit spirituali gratia, qui non adfuit corporali præsentia: quod etiam de Paulo similiter dicere possumus. *Sed est in illo fuit.* Hoc est, incommutabilis veritas. Sicut illud Moysi: *qui est, misit me.* Ille enim vere est, qui semper idem est. *Quotquot enim promissiones . . . . in illo est.* Quia per illum impletæ sunt. *Ideo et per illum.* Christum: nam per ipsum incarnatum omnes figurationes legis, et promissiones Dei veræ sunt et impletæ. *Amen.* Verum, vel est *amen*, id est, veritatis impletio. *Ad gloriam.* Per nos. Omnis veritas promissionis Patris in Christo est, quæ per nos ad Dei gloriam prædicatur. *Qui confirmat nos.* Ac si diceret: Non possumus ire ad vos et prædicare vobis, nisi quando Dominus voluerit. Et ideo non levitate usus sum non veniendo ad vos. *Et qui unxit.* Spiritu sancto. *Et qui signavit.* Signo crucis in fronte; illud autem signatur, quod aliquid intrinsecus continet pretiosum; unde subjungit: *Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum invoco.* Reddit causam non impleti promissi, hoc est, non suæ levitati, sed illorum infirmitati asserit deputandum. *Parcens vobis.* Ne in vobis acrius vindicarem. *Non veni ultra.* A Macedonia, in qua scripsit hanc Epistolam. Et sic disponendo, *non veni Corinthum ultra.* Ergo ire distulit, ut tunc iret quando emendatiores essent. *Nam fide statis.* Ideo non dominamur vestræ fidei, sed adjutores tantum sumus.

CAPUT II.

Si enim ego contristo vos. Duriter increpando vos. Sed propterea hoc facio, ut possim gaudere de vobis. *Et quis est qui me lætificet?* Nullus est, nisi quos contristo: et tunc me lætum facietis, si emendaveritis ea pro quibus contristo vos. *Nisi qui contristatur ex me?* Si enim contristatur, intelligit se peccasse; sic æger qui dolorem sentit potest percipere sanitatem, et ad medici lætitiam pertinere. *Tristitiam.* Non emendandi vos. *Super tristitiam.* Meæ pressuræ in Asia. *Confidens.* Confido quod me taliter diligitis, ut meum gaudium vestrum esse ducatis. *Per multas lacrymas.* Flens vestra peccata. *Si quis contristavit.* Filius, qui thorum patris polluit. *Nonne contristavit.* In quantum ipse tristis pœnituit. *Sed ex parte.* Ex ea sola parte qua sibi nocuit, non ea qua tristificus pœnituit. *Ut non onerem omnes.* Ideo scribo vobis eum recipi, ut non oneremini, et multum contristemini, si per durissimam increpationem de salute sua desperavit. *Sufficit.* Cum pœnituit. *Ne forte abundantiore tristitia.* Hoc est, ne forte per dispensationem indulgentiæ. *Absorbeatur.* Gurgite vitiorum, et a diabolo persuasus, ad infidelitatis et blasphemiæ majora præcipitia deducatur. *Ad hoc enim scripsi.* Hanc secundam Epistolam. *Ut cognoscam experimentum.* Id est, ut videam si quomodo Deo obedistis in vindicando, ita obediatis indulgendo. *Propter*

vos. Id est, ne vos gravemini vel contristemini. *In persona Christi.* Quia vice fungimur Christi, vel in persona Christi, qui dixit: *Quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis. Ut cum circumveniamur a Satana.* Per nimiam increpationem, ut peccatores desperent. *Nec enim versutiæ ejus ignorantur.* Astutia diaboli est ut sub specie justitiæ fallat incautos, id est, vertendo bonum in malum, hoc est, pœnitentiam in desperationem. *Cum autem venissem Troadem.* Modo illis vult probare, quanto amplius eos diligat, quorum causa tantum sollicitus est, ut cum illi omnia prospera sint, nullam requiem habuerit, quia Titum quem ad eos videndos miserat, non invenit, timens scilicet quod eos minime correxisset, quia nondum ei quidquam renuntiaverat Titus. *Ostium.* Opportunitas prædicandæ fidei, quia Deus corda eorum aperuit. *Eo quod non invenerim Titum.* Id est, quod non redisset ad me, quatenus me de vobis faceret certiorem. *Sed valedicens eis.* Quamvis habuerim occasionem prædicandi in Macedonia, per quam a vobis Titus erat utique rediturus: vicinior est enim Macedonia Achaiæ quam Troadi. Denique dum ibi esset, Titum postea advenisse dicit. *Triumphat nos.* Hoc est, triumphare nos facit de tribulationibus per Christum, sive in nobis ipse triumphat, quod alii credunt in virtute Christi. *Et odorem notitiæ suæ.* Sicut sentitur antequam videatur illud, cujus odor est, sic odor notitiæ Dei antequam Deus ipse videatur, per prædicationem apostolorum sentitur, ut est illud: *In odorem unguentorum tuorum currimus.* Odor autem dicitur, quia primo credentes aliquid tanquam per modicum odorem sentire volebant. *Odor bonus.* Bona fama est. Per Christianos vero qui male vivunt, nomen Domini blasphematur, super bonos laudatur. *Odor mortis.* Id est, animæ, vel corporis. *In mortem.* Ut Petrus Ananiam et Saphiram multavit. *Odor vitæ in vitam.* Id est, corporis et animæ, sicut umbra Petri sanabat infirmos. Aliter: Amasti bene agentem, unxisti bono odore: invides et detrahis bene agenti, mortuus es bono odore. *Et ad hæc quis idoneus?* Id est, ad hæc ministranda et facienda quis potest tam idoneus esse quam nos qui ad hoc sumus electi? *Adulterantes verbum Dei.* Pseudoapostolos tangit, humanum sensum divinæ prædicationi miscentes, ut est: *Caupones tui miscent aquam vino. Sicut ex Deo.* Hoc est, ex Deo processit doctrina quam scimus, ipso præsente, in persona loqui Christi, id est, sicut ipse prædicavit?

CAPUT III.

Incipimus iterum nos ipsos commendare? Non ut commendemus nos vobis, ista docendo laudare nos volumus, sed hæc ne ab aliis seducamini cogimur memorare. *Commendatitiis epistolis.* Quos non commendat gratia virtutum, illos digne commendant epistolæ amicorum. *Epistola nostra vos estis.* Ut alibi: *nam signaculum apostolatus mei vos estis* (*I Cor.* IX). *Inscripta cordibus nostris.* Id est, in nostro amore conclusa, et in spiritu vinculo charitatis expressa. *Epistola Christi.* Id est, imago Christi per nos informata, ut sicut portavimus imaginem terreni, ita et portemus imaginem cœlestis. *Ministrata a nobis.* Per prædicationem. *Non atramento.* Sicut commendatitiæ epistolæ. *Sed in tabulis cordis. Ut:* *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XI). *Fiduciam autem talem.* Hoc est, quia quia novimus vos per nos credidisse, vel quia nos non humana epistola, sed gratia Dei commendat. *Sed sufficientia nostra.* Id est, doctrina, quæ nobis a Deo donata est. *Novi Testamenti.* Evangelii. *Non litteræ.* Id est, legis. *Sed spiritus.* Id est, gratiæ ministrantes? *Littera enim occidit.* Quomodo ergo alibi dicit legem esse spiritualem? Sed spiritualibus spiritualis est. Cæterum peccatores occidit, ut, quicunque hoc vel illud commiserit, *morte moriatur*; gratia vero impiam convententem justificat. *Quod si ministratio mortis.* Lex quæ mortificat peccatores. Ceterum ipse eam et sanctam, et justam, et bonam alibi appellat. *Ita ut non possent filii Israel.* Significat quia postea futurum Christum videre non potuissent. *Quæ evacuatur.* Quia gloria legis per gloriam Evangelii evacuatur, sed ita evacuatur, ut perficiat sicut infantiam ipse dixit evacuari in viri perfecti ætatem, semen quippe evacuatur in fructum. *Ministratio spiritus.* Id est, prædicatio spiritualis legis. *In gloriam nostram.* Scilicet quandoque futuram, quæ, ut perfecta, non poterit evacuari. *Si enim ex ministerio damnationis.* Exposuit quod superius dixerat, litteram occidere, ministrationem esse mortis, scilicet damnando peccatores. *Ministerium justitiæ.* Quod ministrat justitiam dimittendo peccata. *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte.* In comparatione evangelicæ gloriæ umbratur gloria legis, sicut orto sole obtunditur lunæ lumen, cum tamen suo tempore magnum habeat fulgorem. *Si enim quod evacuatur.* Hoc est, Vetus Testamentum. Evacuatur autem in neomeniis et sabbatis, et talibus observationibus. *Quod manet.* Id est, Novum Testamentum, quod est initium vitæ æternæ. *Habentes igitur talem spem.* Futuræ gloriæ: quia spe salvi facti sumus. *Et non sicut Moyses.* Id est, non ita agimus: quia omnes jam Christiani vident gloriam Christi, sancto Spiritu revelante, licet ex parte, quia non est nunc velamen super faciem Christi. *Usque in finem ejus.* Videlicet vitæ ejus; ita et lex non intelligitur usque in finem, id est, usque dum Christus credatur. *Quod evacuatur.* Quod velamen nunc evacuatur in Christo. *Idipsum velamen.* Scilicet infidelitatis, cujus figuram ille gestabat in facie. *Quod non revelatur.* Dum non credunt in Christum. *Velamen.* Ignorantiæ et infidelitatis. *Conversus fuerit.* Judæus infidelis. *Dominus autem spiritus est.* Nihil ergo per obscurum velatum, sed sensus spiritualis apparet. *Ubi autem spiritus, ibi libertas.* Liber est spiritus, et idcirco non potest velamen accipere, cum magis omnia ipse revelet. Qui ergo spiritum Dei habet, omnia illi nuda sunt et aperta, quia spiritus omnia scrutatur. *Nos autem revelata facie Domini*

gloriamur. Videmus nunc, dixit, *per speculum in ænigmate.* Certum est, quod speculo nisi imago cernitur : hoc ergo facere conati sumus, ut per hanc imaginem, quod nos sumus, videremus utcunque a quo facti sumus. *Tanquam per speculum.* Hoc significat etiam illud quod ait Apostolus : *Nos autem revelata facie gloriam Domini videmus.* Speculantes dixit speculum videntes, non de specula prospicientes, quod in Græca lingua non est ambiguum, unde in Latinam translatæ sunt apostolicæ litteræ. Quod vero ait, *in eamdem imaginem transformamur*, utique imaginem vult intelligi eamdem, dicens istam ipsam scilicet quam speculamur, quia eadem imago est et gloria Dei. Transformamur ergo de forma in formam, mutamur atque transimus de forma obscura in formam lucidam, quia et ipsa imago Dei. *De gloria in gloriam.* De gloria creationis in gloriam justificationis, vel de gloria fidei in gloriam speciei. De gloria in qua filii sumus, in gloriam qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quod vero adjunxit. *Tanquam a Domini spiritu.* Ostendit gratum nobis conferri tam optabilis transformationis bonum.

CAPUT IV.

Non deficimus. In tribulationibus nostris. *Occulta dedecoris.* Id est, omnis peccati. *Non ambulantes in astutia.* Id est, non turpis lucri gratia prædicantes. *Adulterantes.* Hoc est falsa permiscentes. *Sed in manifestatione veritatis.* Ut ita manifestum sit apud homines verum esse quod dicimus, ut etiam eorum conscientia testimonium nobis perhibeat. *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Ordo est : In quibus Deus excæcavit sensus infidelium hujus sæculi. *Quid est imago Dei.* Hoc est, imago substantiæ Dei expressa, sicut scriptum est ad Hebræos. Sed hæc imago æqualis est ipsi Patri. *Non enim nosmetipsos prædicamus.* Id est, laudamus. Qui enim propria commoda quærit, non Christum, sed se prædicat. *Propter Jesum.* Hoc est, propter amorem Christi populum ejus conquirentes. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere.* Ut : *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I). *Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Id est, ut sciatis claritatem ejus. *In facie Jesu.* Hoc est vice Jesu : ut pro quo legatione fungimur. *Habemus autem thesaurum in vasis fictilibus.* Thesaurum gratiæ spiritualis in fragili corpore bajulamus, in quo etiam cum alios sanemus, ipsi aliquoties infirmamur ; ut quod facimus non nostræ virtutis, sed Dei esse noscatur. *In vasis fictilibus.* Hoc est, in corporibus fragilibus. Hinc Isaias dicit : *Absconde hunc librum in vase fictili*, id est, Evangelium. *Sed non coangustamur.* Propter spem cœlestium præmiorum. Aporia vulnus, angor, tristitia. *Non destituimur.* Id est, Dei auxilio non deserimur. *Humiliamur.* Coram regibus et judicibus. *Sed non confundimur.* Quia ipse loquitur per nos, ut : *Nolite putare quomodo, aut quid loquamini* (*Matth.* X). *Manifestetur.* In resurrectione. *Mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* Quia parati sumus semper mori pro illo, sicut ille pro nobis mortuus est. *Ut et vita Jesu Christi manifestetur in corporibus nostris.* Si enim commorimur ei, vita ei in corpore nostro manifestabitur in gloria resurrectionis.

Vita autem in vobis. Ideo morimur, hoc est, parati sumus ad mortem, dum evangelizamus ut vos vitam possideatis æternam, et bene sit vobis. *Habentes eumdem spiritum.* Fidem incarnationis Christi, sicut patriarchæ et prophetæ priores, de quibus dicitur : *Sic enim persecuti sunt prophetas. Credidi* (*Psal.* CXV). Ut : *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* X). *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum.* Firmiter tenentes hanc fidem, a qua nec morte divellimur.

Omnia enim patimur propter vos. Omnia enim ideo patimur, quia fideliter vestram salutem quærimus et optamus. *Ut gratia abundans.* Est sensus : Ut per multitudinem credentium propter abundantem gratiam, gratiarum actio abundet in gloria. *Propter quod.* Id est, propter vos, et propter gloriam Dei. *Exterior homo.* Id est, vivum corpus. *Interior homo.* Id est mens, ubi imago Dei reformatur. *Supra modum.* Tribulationis : nulla enim comparatio æternis ad temporalia potest esse. *Æternum pondus.* Quia illud leve dixerat, ideo hic pondus posuit, servans metaphoram stateræ. *Quæ enim videntur, temporalia sunt.* Sive bona, sive mala sint, sive prospera, sive adversa. *Quæ autem non videntur.* Præmia et pœnæ.

CAPUT V.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur. Domus nostra, inquit, terrenum corpus, in quo in hoc sæculo adhuc corruptibiliter habitamus. Si ante adventum Domini vel passionibus, vel conditione naturæ fuerit dissolutum, cœlestem incorruptionem ex Deo, corpore reviviscente, sumemus. *Etenim in hoc.* Id est in corpore. *Ingemiscimus.* Id est, desiderio flemus. *Habitationem nostram.* Spirituale corpus. *Quæ de cœlo est.* Id est, quam in cœlo habebimus. *Si tamen vestiti, non nudi, inveniemur.* Nam etsi volumus æterna vita et immortalitate vestiri, tamen timemus hac vita nudari. Non enim volumus cum dolore, et morte istam amittere, etsi nos ab ipsa gravati ingemiscimus, sed *ut absorbeatur quod mortale est a vita* æterna sine mortis labore.

Eo quod nolumus exspoliari. Id est, corpore nostro. *Sed supervestiri.* Id est, in immortalitate superveniente, absque separatione sarcinæ tunicæque corporis nostri. *Ut absorbeatur mortalitas.* Hoc est, sicut a vitæ sanitate infirmitas, ita immortalitate mortalitas absorbeatur. *Qui autem perfecit nos.* Ideo Deum dicit hoc facere, ne cui impossibile videretur. *Qui dedit nobis pignus spiritus.* Id est, ut credamus absorbendam esse mortalitatem. Vel ut sciamus, quia templum sui spiritus perire non patitur. *Peregrinamur a Domino.* Quia non sumus adhuc in hæreditate paterna. *Audemus ergo.* Id est, prorsus hoc audenter eligimus. Sicut alibi ait : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I). *Peregri-*

nari de corpore. Bene ait peregrinari, quia ad id A *sumus.* Quia eis pseudoapostoli exempla veterum proponebant, ait Christum carnaliter cum Judæis circumcisum omnia celebrasse, sed nunc jam istam non novimus, quia post resurrectionem Christi Novum est Testamentum. Aliter : Etsi ante resurrectionem secundum carnalem fragilitatem et indigentiam Christus vixerat, tamen post gloriam illius resurrectionis, nihil imbecillitatis in eo est. *Nova creatura.* Id est, Ecclesia per sanguinem Christi renovata. Aut si quis credit in Christo, nova est creatura, per sacramentum baptismatis renovata. Ac sicut novitate vitæ intelligens vetera suo tempore defuncta fuisse, ita modo novo more vivendum, vitam transire, peccatum videlicet Adæ et vetus lex.

Omnia nova. Id est, evangelia, mandata et vita B nova in Christo secundum corpus et animam, et spiritum, et mentem. Gratias autem Deo, cum non a nobis sit hoc tam magnum beneficium. *Ministerium reconciliationis.* Id est opus, vel officium evangelizandi. *Quoniam Deus erat in Christo.* Tribus modis Deus erat in Christo. Primo, secundum infinitatem omnis creaturæ, quod ubique est, ut : *Nonne ego impleo cœlum et terram?* Eo autem modo est Deus etiam in peccatoribus. Secundo, juxta sanctificationem et peculiarem inhabitationem qua in sanctis est, ut est illud : *Inhabitabo in eis, et inter eos ambulabo.* Tertio, secundum plenitudinem divinitatis, quod Christo sigillatim convenit, juxta illud quod *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Tanquam Deo exhortante.* Id est, non C ex nobis loquimur, sed ex Deo. *Cum qui non noverat peccatum.* Hoc est, Pater pro nobis Christum, qui peccatum nesciebat, *Peccatum fecit.* Quia sicut hostia pro peccato oblata peccatum vocabatur in lege, sicut in Levitico scriptum est : *Et imponet manum super caput peccati sui,* ita et Christus pro peccatis nostris oblatus, peccati nomen accepit. *Ut nos essemus justitia Dei.* Non nostra, non in nobis, sed in ipso, id est, in Christo, quasi membra in capite.

CAPUT VI.

Adjuvantes. Id est, exemplo. *Et obsecramus.* Id est, verbo doctrinæ. *Gratiam Dei.* Indulgentiam peccatorum in baptismo. *Tempore enim, inquit.* Sicut Deus Pater per Isaiam (*Is.* XLIX, 8). *Acceptabili tempore.* Id est, Novi Testamenti. *Exaudivi te.* Ad Christum ejusque D Ecclesiam hoc dicitur. *Ecce nunc dies salutis.* Nunc autem dicit : *Nemo enim in inferno confitebitur tibi.*

Nemini dantes ullam offensionem. Id est, neminem malo exemplo lædentes. Sic enim non vituperabitur ministerium prædicationis nostræ. *Sicut Dei ministri.* Dei ministri debent prout possibile est, Deum imitari. *In necessitatibus.* Per aliquam vim illatis. *In angustiis.* Angustia est omnis egentia. *In lacerationc.* Id est, membrorum. *In laboribus.* Seu manuum, sive huc et illuc discursuum. *In castitate.* Corporis ac mentis. *In scientia.* Scripturarum. *In longanimitate.* In sustinentia longa. *In Spiritu sancto.* Dum dignos nos ejus habitaculo præparamus. *In charitate non ficta.* Verbo non tantum diligentes,

Ideo contendimus. Jam modo tales esse actu conamur, quales futuri sumus in regno, natura incorporales sine dubio et perfecti. *Absentes.* Id est, in præsenti vita. *Sive præsentes.* In futura beatitudine, ut : *Placebo Domino in regione vivorum* (*Rom.* XIV). *Ante tribunal Christi.* Pro magnitudine potentiæ sedentis magnitudo tribunalis et terror judicii æstimanda sunt. *Scientes ergo.* Scientes quantus metus sit divini judicii, hominibus suademus ut caveant. *Deo autem manifesti sumus.* Si non et nos formidamus, vel qua causa suademus. *Manifestatos esse.* Id est, probatos. *Gloriandi pro nobis.* Contra pseudoapostolos, qui eis primo per detractionem odium apostolorum volebant inserere. *Ut habeatis vos.* Ut sciatis B quid respondere debeatis contra pseudoapostolos. *Qui in faciem.* Qui in superficie tantum et in hypocrisi, non in pura conscientia, nec in virtute Dei sese jactant. *Sive ergo mente excedimus Deo.* Evangelium dicit : *Videbitis cœlum apertum, et angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis.* Audi in uno loco ipsum apostolum ascendentem et descendentem in una sententia. *Sive enim,* inquit, *mente excedimus Deo, sive temperantes sumus vobis.* Quid est, *mente excedimus,* ut illa videamus quæ non licet et homini loqui? Quid est, quod *temperantes sumus vobis? Nunquid judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum?* Si ipse enim Dominus ascendit et descendit, manifestum est quod et prædicatores ipsius ascendunt in illumi- C natione, descendunt in prædicatione. Verbum *ecstasis* Græce, Latine quantum datur intelligi, verbo uno exponi potest, si dicatur *excessus.* In excessu vero mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna. In hac ecstasi fuerunt omnes sancti, quibus arcana Domini mundum istum excellentia revelata sunt. Hoc ergo ait, *sive mente excedimus Deo,* id est, ad meditationem Dei. Ille enim videt quod videmus in mentis excessu; ille solus revelat secreta sua, quippe hoc ille loquitur, qui se dicit abreptum esse, et ablatum usque ad tertium cœlum, et audisse ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui. Tantus autem fuit ille mentis excessus, *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. Charitas enim Christi urget nos.* Ascendere mente ad cœlum, et descendere ad terram ad proximos. *Ut et qui vivunt.* Ei debemus vitam nostram, qui illam in omnibus sua morte servavit. Si quis ergo potius suam quam Dei voluntatem facit, sibi vivit, et non illi.

Qui mortuus est, et resurrexit. Propter calumniam semper morti resurrectionem adjungit. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem.* Id est, dum Christus pro nobis mortuus est secundum carnem, id est, carnaliter viventem, vel secundum observationes veteris legis in sabbatis et neomeniis, et reliquis. *Et sic cognovimus secundum carnem Chri-*

sed opere et veritate. *In virtute Dei.* Non nostra facultate, sed auxilio Dei. *Per arma justitiæ.* Quæ ad Ephesios describit, quæ sunt, loricæ justitiæ, fidei scutum, zona continentiæ, calceati pedes in præparatione evangelii pacis, galea salutis, gladium verbi Dei. *A dextris et a sinistris.* Hoc est, ne prosperis elevemur, ne frangamur adversis. *Per gloriam.* Virtutum a Deo. *Et ignobilitatem.* Id est, carcerum. *Per infamiam.* Cum blasphemamur ab inimicis. *Et bonam famam.* Cum laudamur ab amicis et fidelibus.

Ut seductores et veraces. Hoc est, ab aliis ut veraces laudamur, ut seductores ab aliis infamamur : quæ omnia æqualiter ferimus, nec extollunt nos laudantes nec dejiciunt detrahentes, quia solet utraque pars aliquando mentiri. Unde ad conscientiam redeuntes, non debemus fidem aliis magis accommodare quam nobis. *Sicut ignoti.* Id est, perfidis et ingratis. *Cogniti.* Fidelibus et justis. *Quasi morientes.* Hoc est, usque ad mortem pervenimus, et ecce vivimus; sicut quando lapidatus est, et mortuus æstimatus, surgens docebat in Lystris. *Sicut egeni.* Rebus corporalibus. *Multos autem locupletantes.* Eleemosynis, divitiis cœlestibus. *Et omnia possidentes.* Nam excepto quod omnia Dei nostra sunt, nemo plus habet quam qui nullius eget : ille enim nullius eget, qui præter necessaria nihil requirit. Per prospera et adversa in alio loco idem Apostolus se transisse describit, cum dicit : *Per arma justitiæ, quæ a dextris sunt, et a sinistris,* id est, *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces,* etc. Omnia ergo quæ prospera reputantur, dextræ dicuntur partis, quæ sanctus Apostolus *gloriæ* et *bonæ famæ* vocabulo designavit; illa etiam quæ existimantur adversa, quæ per *ignobilitatem* et *infamiam* evidenter expressit, quæque a sinistris esse describit, efficiuntur vere perfecto arma justitiæ, si allata sibi magnanimiter sustentaverit, quod videlicet per hæc dimicans, et istis ipsis quibus impugnari putatur adversis tanquam armis utendo, eisque velut areu, vel gladio, scutoque validissimo contra illos qui hæc ingerunt communitus, profectum suæ patientiæ ac virtutis acquirat, gloriosissimum constantiæ triumphum ex ipsis quæ lethaliter inferuntur capiens hostium telis. Nec prosperis duntaxat elatus, nec dejectus adversis, sed itinere plano, ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu, nequaquam lætitia superveniente quasi in dexteram motus, nec ingruentibus adversis, tristitiaque dominante velut ad lævam rursus impulsus.

Os nostrum patet ad vos. Ita summus vestro profectu ad uberem prædicationem provocati, ut tacere penitus non possimus : profectus enim discipuli provocat os magistri, et cor dilatat atque amplificat, id est, facit sensibus abundare. *Non angustiamini in nobis.* Ac si dicat, non nos angusti in doctrina, sed vestra viscera non recipiunt. *Eamdem autem habet mercedem.* Quia similis retributio doctoris, et obedientis discipuli, ut : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ,* etc. (*Gal.* v). *Dilatamini.* Id est, lato corde ac mente spiritualem accipite doctrinam. Cum autem dilatantur, imperat quid faciant. *Et nolite jugum ducere cum infidelibus.* Quia jugum simul non trahunt, nisi ejusdem generis pares. Non ergo arandum, jugato bove simul et asino. *Aut quæ societas luci?* Id est, sanctis, ut : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v). *Cum tenebris.* Id est, peccatoribus, ut : *Fuistis aliquando tenebræ. Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Belial diabolum significat, interpretaturque absque jugo. *Vos enim estis templum Dei vivi.* Cum ubique Deus est, tamen in illis proprie habitare se dicit, qui ejus gratia perfruuntur. *Habitabo in illis.* Hoc ex Isaia sumptum est : *Et ero illorum Deus.* Deus natura omnium est, voluntate vero paucorum. *Exite de medio eorum.* Non tantum loco, quantum simili conversatione ac familiaritate. *Et immundum.* Id est peccatum. *Et ero vobis in patrem.* Si vos parentes infideles abdicaverint, me patrem habebitis sempiternum, ut : *Pater meus, et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* (*Psal.* xxvi). *Dicit Dominus.* Ne cui impossibile videretur, addidit *omnipotens. Hæc ergo promissa habet.* Id est, *Et ero illorum Deus.*

CAPUT VII.

Mundemus nos. Talem hospitem, id est, Deum recepturi. *Ab omni inquinamento.* Inquinamentum carnis est peccatum quod per carnem admittitur; spiritus vero, quod sola cogitatione peccatur. *In timore Dei.* Non propter laudem hominum, vel timorem. *Accipite nos.* Hoc est, capite quod dicimus, sive quod vivimus, ut exemplum nostrum teneatis.

Neminem circumvenimus. Malo scilicet exemplo, ut per avaritiam aliquid ejus tolleremus. *Neminem corrupimus.* Id est, mala doctrina. *Non ad condemnationem dico.* Hoc est, non me excusando vos tales expono; non enim possum de vobis hoc sentire quos diligo, ut superius memoravi, sive, dilectio tantum facit habere fiduciam. *Prædixi enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum.* Id est, epistola nostra vos estis, *scripta in cordibus nostris. Multa mihi libertas.* Id est, multam mihi fiduciam dedistis loquendi, quia in omnibus obedistis, sive, quod multum me a vobis diligi non ignoro. *Multa gloriatio pro vobis.* Id est, ad alias ecclesias. *Repletus sum consolatione.* Id est, audiens profectum vestrum et emendationem, post multam tristitiam consolatione repletus sum.

Superabundo gaudio. In tantum gaudeo, ut omnium pressurarum obliviscar. *Nam et cum venissem in Macedoniam.* Vult illis ostendere, quantam pressuram magnitudo gaudii superaverit. *Foris pugnæ.* Id est, contra infideles. *Intus timores.* Id est, propter falsos fratres. *Non solum autem in adventu ejus.* Hoc est, non solum qui desideratus advenit, sed etiam qui vestrum profectum nuntiavit, propter quod ejus maxime expectabamus adventum. *Vestrum desiderium.* Id est, ad bona perpetranda, vel propter adventum meum. *Vestrum mœrorem.* Pro-

pter peccata, vel absentiam meam. *Vestram æmulationem pro me.* Id est, qui vice mea æmulati estis Dei æmulatione peccantes. Sane triplex est æmulatio, aut imitationis, aut invidiæ, aut zeli. *Et contristavi vos.* Et si me pœnituisset, eo quod durius vos corripuerim, tamen vester facit profectus ut non me pœniteat. Quasi medicus dicat : Licet doleam tam ardenti me usum esse cauterio, sed nunc gaudeo, non quia doluistis, sed quia dolor ille profuit ad salutem.

Pœnitentiam in salutem. Ea est enim pœnitentia diabolica adversa saluti, si quis de bono opere pœnitet. *Sæculi autem tristitia.* Sæculi tristitia est, aut de amissis rebus propriis, aut de alienis invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri. *Mortem operatur.* Id est, desperatione torqueri, vel mortem animæ : secundum Deum autem tristitia est, sive sua, sive aliena lugere commissa. *Quantam efficit in vobis sollicitudinem.* Id est, ut caveatis, ne de cætero peccetis. *Sed excusationem.* Id est, non superbiam, aut contemptum, sed satisfactionem. *Sed indignationem.* Id est, adversum peccantes, non negligentiam. *Sed timorem.* Id est, timorem Dei, non securitatem. *Sed desiderium.* Scilicet bonorum operum, non fastidium. *Sed æmulationem.* Id est, contra peccantes, ne ultra peccent, non remissionem. *Sed vindictam.* Id est, non veniam noxæ, sed vindictam salutarem in eum qui inter vos peccatum commisit.

Exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. Id est, peccato illius, qui uxorem patris stupravit. Ideo incontaminati estis, quia eum corripuistis. Ideo consolati sumus, dum vos castos probatis esse negotio. *Magis gavisi sumus super gaudium Titi.* In hoc amplius gratulati sumus, quia ita a vobis Titi spiritus est refectus, ut nunquam de ejus mente possitis recedere : profectus quippe discipulorum spiritualia gaudia sunt magistrorum. *Et si quid apud illum.* Quasi peritus medicus ait, qui vulnus jam prope sanatum blandis unctionibus fovet, ut facilius cauterii ustura sanetur. *Quoniam cum timore.* Timebant enim contristare quem dilexerant. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.* Ideo gaudeo, quia omnia quæ de vobis audio, credo et confido vera esse.

CAPUT VIII.

Notam autem facio vobis. Nunc incipit de eleemosynis, et ad æmulationem Macedonum provocat eos. *Gratiam Dei.* Id est, eleemosynam. *In multis probatus.* In fame, quæ facta est sub Claudio Cæsare. *Profunda paupertas.* Id est, nimia. *In divitiis simplicitatis.* Multum quidem pauperes sunt in terrena facultate, sed in magna simplicitate sunt divites, cupientes plus dare quam quod habeant, ac propterea Deus magis animam probat, quam quod porrigitur dextera. Qui enim quantum potest facit, totum facit. *Quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt.* Verbis præposteris hoc dicit, *testimonium illis reddo*, quoniam secundum virtutem facientes, supra virtutem voluntarii fuerunt. *Cum multis precibus orantes.* Multum quærentes nos rogaverunt, ut gratanter quod offerebant susciperemus in ministerium sanctorum. *Et non sicut speravimus.* Amplius enim quam speravimus fecerunt. *Ita.* Id est, in tantum æmulati sunt, *ut rogaremus Titum. Et scientia.* Scientia est Deum nosse, virtus vero colere. Sicut ergo in itinere celebrando nihil prodest viam nosse, nisi conatus ac vires suppetant ambulandi, ita vere scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat.

Ut ex hac gratia. Id est, faciendæ eleemosynæ. *Abundetis.* Id est, ne cum in aliis vincatis, in hoc ab aliis superemini. *Non quasi imperans dico.* Hoc est, non impero, nec exigo, sed consilium do, ut sicut in multis formam aliis præbuistis, ita et in isto opere præbeatis. Est enim ingenita pietas in vobis, ut ab aliis eam discere non indigeatis. *Qui propter vos pauper factus est.* Ergo si ipse Dominus vos divites bonis cœlestibus fecit, sic et ipsum vos ditate; ipsi enim datur quidquid ejus pauperibus porrigitur (*Matth.* xxv). *Et consilium.* Id est, imperium. *Sicut et velle cœpistis.* Ostendit quosdam posse facere non volentes, cum aut importunitas petentis, aut auctoritas præcipientis exegerit. *Non enim ut aliis sit remissio.* Non dico, ut vobis nihil servetis, sed quod utrisque sufficiat. *Sed ex æqualitate.* Omnes enim æqualiter dabunt, si unusquisque tantum dederit quantum potest. Aliter : *Ex æqualitate*, hoc est, quo modo vos illorum vitiis spiritualibus, ita et illi vestris carnalibus fruantur. Aliter : *Ex æqualitate*, id est, ut vobis et illis sufficiat, ita distribuite. *Illorum abundantia.* Id est, doctrina et oratione.

Ut fiat æqualitas. Id est, sufficientia utrisque in spiritualibus et carnalibus bonis. *Sicut scriptum est.* Hoc de manna Dei dicitur, quod populus accepit in deserto : cujus exemplo docemur, quod omnis superabundantia generet vermes : simul et ostenditur quæ Deus dat omnibus æqualia esse debere, et propter hujus testimonii auctoritatem vult nobis Apostolus præsentia omnia esse communia, ut perfecti doctrinam non abscondant, et habentes substantiam mundi non denegent eis victum. *Eamdem sollicitudinem.* Id est, quam habeo. *Consolationem.* Id est, exhortationem ad docendum vos. *Accepit.* Id est, a Deo, vel a nobis. *Sed cum sollicitior esset.* Id est, qui aliorum eleemosynas æmulatus est. *Destinatam.* Id est, propositam, seu aptatam. *Devitantes hoc.* Ne quis dicat : Quomodo Christus legem implevit, cum non videamus Christianos tantum eleemosynam facere, quanta fieri in lege præcepta est? *Misimus autem cum illis.* Id est, Tito et Luca. *Et fratrem nostrum.* Quidam hoc de Apollo asserunt dictum. *Nunc vero multo sollicitiorem.* Eum probamus, confidentes quia vestra obedientia provocetur, sive quam audivit a Tito, sive qua per se ipse est probatus. *Sive pro Tito.* Quod dicit hoc est, ut tam Titi causa qui eorum obedientiam collaudaverat, quam eorum qui ad ipsos fuerant pariter destinati, ita se exhibeant, ut et charitatis sinceritatem, et apostolicæ pro ipsis

gloriæ veritatem in conspectu omnium comproba- A rent.

CAPUT IX.

Ex abundantia est mihi scribere. Id est, plus quam scripsi. *Parata est.* Id est, ad dandam eleemosynam. *Et vestra æmulatio.* Id est, imitatio. *Nam Achaia.* Tota provincia, cujus caput estis, per vos ad hoc ministerium provocata est. *In hac parte.* Id est, præparandæ eleemosynæ. *Erubescamus nos.* Id est, ego et Titus. *Hanc benedictionem.* Ideo benedictionem eleemosynam vocat, ne parva fiat; quod enim benedicitur, ad abundantiam benedicitur. Ideo benedictio abundans eleemosyna vocatur.

Sive hanc benedictionem. Id est, benedictam Deo consecratamque eleemosynam. *Sic quasi benedictionem.* Ita enim benedictio erit, si grato animo tri- B buatur. *Hilarem enim datorem diligit Deus (Eccli.* XXXV). Avarus autem hilariter dare non novit. *Nunc circumventionem.* Id est, fraudationem. *Qui parce seminat.* Hoc est, qui parce et avare tribuit eleemosynam. *Parce et metet.* Id est, præmia in futuro. *Et qui seminat in benedictione.* Hic apparet, quod in hoc loco benedictio abundantiam significat. *Secundum propositum cordis.* Id est, voluntarius, non coactus. *Hilarem enim datorem.* Secundum sententiam Salomonis: *In omni dato hilarem facito vultum tuum. Potens est Deus.* Hoc dicit, ne inopiam formidarent. *Dispersit.* Id est, divisit, ut multis proficiat. *Justitia ejus manet.* Quare justitiam, et non misericordiam dicit? Quia pauperibus dare justum est. Nam te oportet, ut quod Deus tibi gratis dedit, pau- C peribus tu gratis des. Jus enim est, ut des egeno, qui partem illius tecum habes. *Manet.* In æterna retributione.

Qui autem administrat semen seminanti. Hoc est, Deus qui dedit tibi unde dispenses, esurire te minime permittet. *Incrementa frugum justitiæ.* Fruges justitiæ sunt facultates, cum juste dispensantur. Cum vero aut inique corraduntur, aut ad avaritiam vel superbiam possidentur, fruges iniquitatis fiunt. *In omnem simplicitatem.* Ut simplici oculo bonæ intentionis erogetis, cum multiplici ea fenore recepturos. *Non solum supplet.* Duplicem potestis habere mercedem, et refectionem sanctorum, et gratiarum in Domino actionem, et in ipsorum oratione hæc omnia operatur. *Ministratio hujus officii.* Quæ etiam abun- D dat ipsorum pauperum oratione pro vobis. *Desiderantium vos.* Id est, amantium. Quis enim non desideret talem propter gratiam et misericordiam eminentem? *Gratias autem Deo.* Qui tantam nobis gratiam pietate sua ferre dignatus est.

CAPUT X.

Ipse autem ego Paulus. Qui prius rogavi fratres, ut irent et obsecrarent vos, hoc autem per meipsum, non per fratres. *Obsecro vos per mansuetudinem.* Ea vos mansuetudine rogo, qua Christus cum se posset de injuriosis ulcisci, noluit, ut vel sero corrigerentur. Mansuetudo autem in corde, modestia in verbis est.

Qui in facie quidem humilis sum. Semper sanctorum præsentia propter nimiam humilitatem minus intelligentibus potest esse contemptui. Absentes vero, si necesse fuerit, confidenter suam indicant potestatem, qui præsentes sic sunt quasi nihil possint habere virtutum, si tamen nihil vindicandum reperiant in subjectis. *Audere in aliquos.* Vindicare in peccantes.

Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. Qui putant eos cæteris hominibus nihil amplius habere virtutis. *In carne enim ambulantes.* In corpore videmur incedere, sed ut Dei ministri spiritualiter militamus. Arma quippe militiæ nostræ non sunt facta de ferro, nec manu hominis fabricata sunt, sed potentia Dei, qui plus verbo valemus, quam alii homines armis corporeis possunt. *Ad destructionem munitionum.* Muniunt enim et circumdant doctrinam suam falsi doctores astutia argumentisque, quæ aries apostolicus destruit virtute gratiæ spiritualis, sicut et illum Magum vias Domini subvertentem perversis disputationibus verbo delevit.

Et omnem altitudinem. Id est, superbiam. Quid enim tam superbum, quam divinis contradicere præceptis? *Quæ sunt secundum faciem videte.* Manifesta est rei probatio, et facillima intellectu. Sive ab hypocritis vos cavete, qui in præsenti gloriantur. *Si quis confidit se Christi esse.* Nemo tam stultus quam qui se solum servum Christi esse gloriatur. *Si enim abundantius gloriatus fuero.* Hoc est, et si me magis potestatem a Christo accepisse dixero quam cæteros apostolos. *Non erubescam.* Qui et verum dicam, et non meæ gloriæ, sed vestræ ædificationis causa compulsus hæc facio. *Graves.* Longitudine. *Fortes.* Dura increpatione. *Non enim audemus.* Scilicet ita Deum contemnere, ut coæquemur aliquibus, qui suis malunt laudibus quam Dei gratia commendari. Nec de nobis possumus majora jactare quam sumus.

Et comparantes nosmetipsos nobis. Id est, non majoribus, sicut illi pseudoapostoli, cum nihil sint, apostolis se non modo æquant, sed etiam anteponunt. *Non in immensum gloriabimur.* Id est, super id quod possumus, nihil supra humanam mensuram facimus, sed in apostolatus gratiam, quantum nobis Dominus donare dignatus est, per quam etiam vobis Corinthiis prædicavimus. Nec enim hoc ipsum usurpatione fecimus, sed præcepto Dei. *Non enim quasi non pertingentes usque ad vos.* Id est, per Dei consilium ac præceptum superextendimus nos, hoc est, ut sine præcepto Dei quadam usurpatione nosipsos vestros doctores, superiores, ac sublimiores quam vos constitueremus. Nam se Apostolus superextenderet, si non Dei præcepto seipsum eorum magistrum constitueret. *Usque ad vos enim pervenimus.* Dei scilicet præcepto. Aliter. *Non enim superextendimus.* Id est, non ad alios transivimus. *Quasi non pertingentes usque ad vos.* Id est, ut vobis dimissis atque imperfectis, quasi non per divinum

præceptum ad vos non perveniremus, ad alios transiremus.

Non immensum gloriantes. Immensum est in alienis laboribus gloriari aliorum doctorum. *Spem autem habentes crescentis fidei.* Id est, non munera a vobis, sed mercedem a Deo vestræ fidei exspectamus. *Secundum regulam nostram.* Hoc est regula nostra, post aliorum salutem ad alios transire. Aut secundum regulam nostram, id est, non secundum alienam.

In abundantia etiam. Non enim usque ad vos sufficit pervenisse, sed cum vestra fides creverit, ad alios transibimus. *Non in aliena regula.* Sicut pseudoapostoli in præparatis jam ab aliis gloriantur impudenter. *Qui autem gloriatur.* Etiam qui debet gloriari, in Domino cujus in eo virtutes operatæ sunt, B glorietur. *Quem Dominus commendat.* Id est, virtutibus signorum et doctrinæ.

CAPUT XI.

Utinam sustineretis. Id est, sustinete me vel modicum, qui alios multum sustinere consuevistis. *Insipientiæ meæ.* Id est, gloriationis, quæ quasi quædam insipientia videtur esse. Insipientem se dicit, quia illi necesse erat aliqua de se dicere, licet vera, ut ostendat quam vere insipientes sint, qui falso se laudant.

Sed et supportate me. Stultitiam meam sustinete, dum pro amore vestro hoc dico. *Æmulor enim vos.* Non stimulo livoris inflammor, sed vos tanquam pater divina æmulatione custodio, ut possim vos immaculatos Christo conjungere, tanto majore C studio conservatos, quanto meliori estis sponso jungendi.

Timeo ne sicut serpens seduxit Evam. Sicut enim serpens majora promisit, ut propria subtraheret, sic majora hæretici quam quæ doctrina Christi habet promittunt, ut sanam doctrinam corrumpant. Simplex autem sensus est verus sensus, nulla falsitate intermixta compositus atque corruptus. *Alium Christum.* Meliorem nostro Salvatore. *Aut alium spiritum.* Hoc est, si vobis aliquid amplius gratiæ præstiterint quam per nos accepistis, recte eos nobis præponi forsitan pateremini. *Existimo enim me in nullo inferiorem a magnis apostolis.* Quanto magis ab his qui nihil sunt. Sive ne putetis vos quam illos qui- D bus Petrus et cæteri apostoli prædicaverunt minus aliquid accepisse. *Sed non scientia.* Ut pseudoapostoli, qui cum sint scientia imperiti, in sermone tumido gloriantur.

In omnibus autem manifesti sumus. Ostendit integritatem suam, qua secundum Deum omnia fecerit, cum nec avaritiam nec gulam, nec gloriam ab eis aliquando quæsierit. *At nunquid peccatum feci?* Si forte hoc solum peccavi, qui propter vos et illicita et concessa contempsi. *Est veritas Christi in me.* Sicut Christus quod semel statuit non mutavit, nec est aliquando mentitus, sic faciam. *Hæc gloriatio.* Id est, nihil a vobis recipiendi. *Deus scit.* Quod vos diligo. *Ut amputem occasionem.* Reddit hic causam A quare non acceperit, ut adversarii, qui docerent gulam, avaritiamque sectarentur, quærentes per Paulum aditum invenire lucrandi, non haberent; ut hic si vel panem acciperet, illi aurum licentius exigerent. Ideo tollit occasionem Apostolus, ut in hoc appareat, quod propter Dominum docent, si a discipulis nihil expetunt.

Operarii subdoli. Subdolus est, qui aliud fingit dum aliud agit. *Quorum finis secundum opera ipsorum.* Mala opera malus finis exspectat. *Iterum dico vobis.* Jam superius dixerat: *Sustinete me modicum*, et non reddiderat rationem, quod zelo Dei eos zelaret, et non gloriæ desiderio esset de se aliquid narraturus, ne in ejus odium versi, falsos apostolos sequerentur.

Ne quis existimet insipientem. Ne me aliquis ex vobis putet quod jactantiæ causa, et non alicujus profectus meipsum glorior. *Velut insipientem accipite.* Hoc est, audite me quasi insipientem, non revera insipientem, sed quasi insipientem.

Quod loquor. Id est, laudem meam. *Non loquor secundum Deum.* Videtur [*Deest* insipiens, vel *quid simile*] esse, ut homo seipsum laudet, licet verum dicat, nisi propter aliorum utilitatem, Deique gloriam hoc faciat. *Secundum carnem.* Id est, secundum nobilitatem carnalem. *Libenter enim suffertis insipientes.* Ideo dixi: *Accipite quasi insipientem*, si vos suffertis insipientes, id est, pseudoapostolos. *Si quis vos in servitutem redigit.* Id est, veteris legis et Judaismi. *Si quis devorat.* Id est, muneribus. *Si quis accipit.* Pecuniam vestram. *Si quis extollitur.* Id est, Judaica superbia vel scientia, vel de generis nobilitate. *Si quis in faciem vos cædit.* Hoc est, si quis etiam præsentes vos objurgat.

Secundum ignobilitatem dico. Ignobilitas quippe maxima est, si filii Dei de terrena nobilitate se jactant. *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.* Id est, quasi nos in ista parte ab illis minus aliquid habeamus. *Audeo et ego.* Id est, possum audere gloriari, si volo. *Hebræi sunt.* Id est, linguam Hebræam habent. *Israelitæ sunt.* Ideo addit, quia multum gloriabantur in hoc nomine, cujus interpretatio est, vir videns Deum.

Ut minus sapiens. Notandum si quis de Christi saltem ministerio glorietur, non sapienter hoc faciet. *In laboribus plurimis.* Quorum species enumerat. *In plagis.* Sicut cæsus est in Creta. *Supra modum.* Fortitudinis meæ. *In mortibus.* Id est, exspectatione mortis.

Quinquies quadragenas. Quinquies flagellatus sum quadraginta percussionibus juxta legem, non enim plagæ secundum legem quadragesimum numerum excedunt. *Una minus.* Id est, causa nobilitatis meæ, quia mos erat apud Judæos, ut servi quadraginta percussionibus, liberi vero triginta et novem flagellarentur plagis; quinque vicibus trigenas et novenas, quasi transgressor legis accepi, quia lex quadraginta diebus in monte Sina data est.

Ter virgis cæsus sum. Id est, a gentibus. *Semel la-*

pidatus sum. Id est, a Judæis in Lycaonia civitate, sicut in Actibus apostolorum legitur. *Periculis in civitate.* Id est, Hierusalem a contribulibus illatis. *Periculis in mari.* Id est, in mineribus tempestatibus, quasque supra dixi. *In falsis fratribus.* Qui nostram explorare subintroierunt libertatem. *In laboribus.* Id est, manuum. *In miseriis.* Id est, inopia cibi et vestimenti. *In fame et siti.* Ex necessitate. *In jejunio.* Ex voluntate. *Præter illa quæ extrinsecus sunt.* Id est, quæ per consuetudinem leviora esse videntur : in proprio enim corpore sustinuit prædicta, non sic supposita. *Instantia mea.* Id est, qua insto semper, ut omnes audiant evangelium et credant.

Quis infirmatur. Cum infirmantibus infirmor, cum pereuntibus perire me compatior ; sic uror tristitia, ut animo ardere me sentiam.

Quis scandalizatur. Id est, animo, fide, opere. *Si gloriari oportet.* Jam si gloriari necesse est, in his quæ non ad lætitiam, sed ad meliorationem pertinent gloriabor. *Infirmitatis meæ.* Omnes superiores necessitates uno infirmitatis nomine definiuntur, eo quod humanæ imbecillitati ista prævaleant.

Scit quod non mentior. Rem quasi difficilem dicturus, quod Judæi contra eum etiam principes Gentium concitassent, ante implorat testimonium Dei, ne jactantiæ putaretur, quod adversus eum etiam regna surrexerint, et nihil potuerint prævalere. Hæc autem omnia ideo dinumerat, ut ostendat quid inter veros falsosque apostolos intersit. Aut idcirco Deum testem invocat, ut visiones quas sequenter exponit credantur.

Præpositus gentis. Id est, præpositus gentis illius, ubi regnaret Aretha. *Et per fenestram.* Id est, domus adhærentis muro.

CAPUT XII.

Non expedit mihi. Id est, non mihi expedit, quia qui necessitate compellor, sed vobis in me gloriantibus contra hæreticos.

Veniam autem ad visiones. Ideo hoc dicit, ne quis ei objiceret : Quid in his gloriaris, cum multa sint flagella peccatoris? *Ad visiones.* Quæ in somnis vidi. *Et revelationes.* Absque somno. *Domini.* Sibi infirmitates reputat, Domino visiones ascribit.

Scio hominem. Hoc de se humilitatis causa, quasi in alterius persona loquitur. *Sive in corpore*, etc. Putabat quod in corpore erat quia non sensit mortem : putabat se extra corpus fuisse, pro excelsitate, atque evidentia visionis. *Tertium cœlum.* Ubi angelicæ virtutes continentur, intelligitur.

Et scio hominem hujusmodi. Quod iterum repetit, ostendit aliam visionem fuisse. *In paradisum.* Id est, Adæ, vel cœlestem.

Verba inaudita. Id est, sive quæ nulli fas est dici, sive quæ impossibile est humanam naturam capere. *Parco autem.* Quia sufficiunt manifesta, etiam si celentur occulta, ne quis existimet me angelum, vel Deum esse, non hominem. *Et ne magnitudo revelationum extollat me.* Quanta putatis esse quæ celo, ut merito mihi esset stimulus necessarius, qui me hominem esse semper demonstrat.

Angelus Satanæ. Sive diabolus, qui tribulationes et plagas suscitabat, sive dolor capitis, qui Satanas, vel contrarius sanitati dicitur esse : vel lex in membris posita legi mentis quæ contraria, de qua alibi dicit : *Video aliam legem in membris meis.*

Sufficit tibi gratia. Id est, ad me glorificandum, et ad utilitatem multorum, tibique a stimulo ad protegendum. *Gratia mea.* Id est, gratia apostolatus quam donavi tibi. *Nam virtus.* Id est, animæ, vel sanandi alios. *In infirmitate.* Id est, carnis. *Libenter itaque gloriabor.* Id est, postquam cognovi prodesse quod nocere putabam. *In contumeliis.* Non in honoribus. *In necessitate.* Non in otio, sed in necessitate famis et sitis.

Pro Christo. Non pro aliquo crimine. *Cum infirmor tunc potens sum.* Maxima potentia est infirmari pro Christo, et magnæ divitiæ indigere. *Vos me coegistis.* Id est, ut me gloriarer, dum pseudoapostolos sese gloriantes recepistis. *Commendari.* Id est, laudari. *Nihil minus fui.* Virtute et doctrina non solum se pseudoapostolis excellit, sed etiam bonis coæquavit, ne aliud quærerent quam quod ipse docuerat.

Etsi nihil sum. Pro humilitate hoc dicit : vel, et si nihil sum, ut pseudoapostolis videtur. *In omni patientia.* In hoc apparet, quod per patientiam signa fiunt.

Virtutibus. Id est, sanitatibus. *Non gravavi vos.* Id est, non accipiens a vobis stipendia militiæ meæ. *Donate mihi.* Ironice loquitur. *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.* Primo ad illos venit, quando ipsis præsentialiter prædicavit; secundo voluit ire cum prima epistola, vel per ipsam epistolam ; tertio quod paratus erat ire cum hac epistola, vel per hanc epistolam, quod credibilius.

Sed vos. Quærens salutem vestram. *Ego autem libenter impendam.* Hoc est, quidquid habeo boni exempli, et laboris prædicationis meæ, impendo, id est, solvo. *Et plusquam vossum impendar.* Perfecta enim dilectio non solum totum quod habet impendit, sed etiam libenter ipsa superimpenditur, si necesse est. *Dolo vos cœpi?* Est interrogatio. Per omnia se purgat, ipsorum semper conscientiam testem invocans.

Nunquid circumveni vos? Id est, nunquid aliquis a vobis abstulit ad me perferendum? *Eodem spiritu.* Id est, sancto. *Eisdem vestigiis.* Id est, exemplis. *Quid excusemus nos.* Id est, purgemus nos et laudemus, ut vobis placeamus, non coram Deo.

In præsentia Dei. Patris, quem fallere impossibile est. *In Christo.* Id est, in persona Christi ideo mendacium non loquimur.

Et ego inveniar a vobis qualem non vultis. Vel severus in vindicta : hic autem blandimentis minæ junguntur. *Contentiones.* Præferendo magistros magistris. *Æmulationes.* Minorum contra majores. *Animositates.* Elationes animorum. *Dissensiones.* In cor-

dibus. *Super immunditia.* Id est, fornicatione contra naturam. *Et fornicatione.* Adulterio. *Immundicitia.* In consanguineos.

CAPUT XIII.

Prædixi enim. In prima epistola. *Et prædico.* In hac epistola, antequam veniam ad vos. *Qui in me loquitur Christus.* Qui potest in vos vindicare, nisi pœnitentiam agatis. *Non infirmatur.* Id est, in vindicta super vos, vel in virtutibus, quas operatus est in vobis. *Nam etsi crucifixus.* Quod crucifixus est, nostræ infirmitatis est, et quod vivit, suæ virtutis est.

Sed vivemus cum eo ex virtute Dei. Dabit nobis virtutem, ut possimus vindicare in vos : vel in illo vivemus in futura beatitudine. *Si estis in fide.* Quæ per dilectionem operatur. *Non ut nos probati appareamus.* Si enim aliquid mali feceritis, nos vindicando apparebimus probati; sed malumus vel non vindicando in vos nos reprobos videri, tamen ut vos quod bonum est faciatis. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem.* Cum vos non merueritis vindictam, super vos dare non possumus.

Gaudemus enim cum nos infirmi fuerimus. Si non sit necesse ut nostra virtus appareat, sicut Petri apparuit in Anania, et Saphira.

Infirmatur. Non dando vindictam. *Vos hic fortes estis.* Id est, in fide, et in bonis operibus. *Vestram consummationem.* Id est, perfectionem. *In ædificationem.* Ut vos de cætero emendetis, et alii formident peccare. *Sit non in destructionem.* Ad quam sibi pseudoapostoli potestatem suscipiunt. *Gaudete.* In tentationibus. *Perfecti estote.* In bonis operibus. *Deus pacis.* Qui est pax. *Et dilectionis.* Qui est dilectio et charitas. *In osculo sancto.* Id est, non subdolo.

IV.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus non ab hominibus. Hoc est, non ab humana præsumptione, ut dicunt illi. Hoc contra eos qui Paulum dicunt subito prorupisse in apostolatum, vel a majoribus ordinatum. Ergo non ab hominibus, vel per apostolos alios.

Neque per hominem. Ut Aaron per Moysen. Quatuor sunt apostolorum genera. Unum, quod *neque ab hominibus, neque per hominem est, sed per Jesum Christum et Deum Patrem*, ut Isaias et cæteri prophetæ, et ipse Paulus. Aliud, quod a Deo, sed per hominem, ut Jesus filius Nave a Deo, sed per Moysen. Tertium, quod ab hominibus, et non a Deo, cum vel hominum favore aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos non judicio, sed redempto favore vulgi in sacerdotium subrogari. Quartum, quod neque a Deo, neque ab homine, neque per hominem, sed a semetipso, ut omnes pseudoprophetæ et pseudoapostoli.

Sed per Jesum Christum. Qui Petrum et cæteros apostolos elegit. *Et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Quo ostenditur una operatio Patris et Filii. *Qui suscitavit eum a mortuis.* Ideo commemorat Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, ut per hunc virtutem sui apostolatus commendet, dum ab ipso Patre missus est. *Gratia vobis.* Quia gratis nobis donantur peccata. In hoc subaudis, *precor multiplicetur. Et pax.* Qua remissis omnibus delictis fuerant reconciliati Deo. *Qui se dedit.* Ostendit beneficia Christi, quibus existebant ingrati, in lege quæ peccatoribus data fuerat vivere cupientes. *De præsenti sæculi malo.* Id est, de malis sæculi operibus : mundus enim bonus est. *Secundum voluntatem Dei.* Id est, non secundum facultatem et merita nostra. *Amen.* Conclusio præcedentis prologi. *Miror quod sic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud evangelium.* Nescio quæ vos aura a fidei rectitudine deflectit. *Quod non est aliud.* Nam evangelium verum aliud esse non potest, nisi Christi : quod enim veritati contrarium, evangelium non est dicendum. *Et volunt avertere evangelium Christi.* Evangelium ad legem revocant, dum litteram tantum sequuntur; posteriora in faciem ponunt, et quod in facie, post tergum faciunt. *Sed et si nos.* Id est, evangelizaverimus.

Anathema. Detestatio. *Sicut prædiximus.* Id est, præcedenti testimonio. *Et nunc iterum dico.* Quia repetitum fortius commendatur. *Modo enim hominibus suadeo, an Deo?* Hoc est, nunquid propter homines vos suadeo, quod propter traditionem Judæorum ante faciebam? Ostendere vult se odia hominum non timentem, libere defendere veritatem.

Si adhuc hominibus placerem. Id est, si Judæis placerem. *Christi servus non essem.* Quia asserorem legem et in fide evangelii Christo non servirem. *Quia non est secundum hominem.* Id est, quia neque a me finxi. *Neque edoctus sum.* Neque aliquis me docuit ut intelligerem parabolas, et obscura evangelii. *Sed per revelationem Jesu Christi.* In via Damasci, vel Spiritus sancti revelatione. *Audistis enim conversationem meam.* Ostendere vult quia firmiter tenuerit Judaismum, et fideliter pro traditionibus Patrum expugnaverit Ecclesiam : ut intelligamus eum non potuisse inde humano consilio, nisi revelatione divina separari.

Quoniam supra modum. Aliorum persecutorum. *Paternarum traditionum.* Id est, non Dei mandatorum. *Qui me segregavit.* Id est, elegit. *Ab utero matris.* Unde apparet, quod quamvis non ab utero statim in apostolatum vocatus est, tamen in præscientia electus

est. Et hic quæritur, cur Paulus ab utero segregatus Ecclesiam persequitur, et Petrus a Christo electus, abnegat Christum : scilicet ut sciant compati infirmis, et ut ostenderet exemplum pœnitentiæ p g [*Id est*, per gratiam] dicendo : *Saule, Saule*, qui etiam me in præscientia ab utero segregaverat, quoniam ut voluit fecit quod sciebat esse futurum.

In me. Id est, per me. *Non acquievi carni et sanguini.* Sive ut ego eo melius habens non contuli, vel nihil ab apostolis didici, ut alii putant. Non contulit plane Paulus post revelationem Christi cum carne et sanguine, quia noluit margaritas projicere ante porcos, sed paulatim de carne et sanguine vertit in spiritum. Aut *non acquievi carni et sanguini*, id est, Judaico generi. *Neque veni in Hierusalem ad antecessores meos apostolos.* Id est, ad dicendum. *Sed abii in Arabiam, et reversus sum Damascum.* Quæritur quomodo Paulus dicit se non venisse in Hierosolymam, duæ [quæ] vero factæ sunt ei insidiæ in Damasco (*Act.* IX). Ideo ergo Lucas prætermisit de Arabia, quia nihil dignum forsitan in Arabia Paulus perpetravit. *Sed abii in Arabiam.* Sed de Damasco in Arabiam ivi protinus, ut docerem quod mihi a Domino fuerat revelatum.

Deinde post triennium veni Hierosolymam. Ostendit se non indiguisse doceri, qui jam tribus prædicaverat annis. *Videre Petrum.* Id est, videndi gratia, non discendi. *Et mansi apud eum diebus quindecim.* Septem et octo significat Vetus et Novum Testamentum, propter sabbatum, et octavum diem resurrectionis Dominicæ.

Alium autem apostolum non vidi. Ne ab aliis discere videretur. *Nisi Jacobum fratrem Domini.* Ne autem hic Jacobum putes filium Zebedæi, lege Actus apostolorum, qui jam ab Herode fuerat peremptus; sic enim in Actibus legitur : *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio* (*Act.* XII). Eusebius in libro secundo Historiarum dicit : Deinde occiderunt Judæi Jacobum, qui dicebatur frater Domini, pro eo quod esset filius Joseph, qui Christi quasi pater habebatur, quoniam desponsata ei fuerat virgo Maria. Hunc, inquit, Jacobum, qui et Justus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito et insignis vitæ privilegio, primum historiæ tradiderunt suscepisse Ecclesiæ quæ Hierosolymis est sedem.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Quæ scribo vera sunt, et Deo testante confirmo. *Eram autem ignotus facie.* Hoc ideo dicit, ne quis putaret eum ab illis evangelium didicisse. *Et in me magnificare Deum.* Qui solus potest hoc efficere.

CAPUT II.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam. Quoniam de oneribus legis quæstio movebatur.

Cum Barnaba. Id est, circumciso. *Et Tito.* Ex Gentibus præputium habente. *Et contuli cum illis evangelium.* Non didici tantum, sed contuli. *Seorsum autem.* Id est, secreto per Judæos adhuc judaizantes. *Ne forte in vacuum currerem.* Judaizantes amputabant libertatem nostram, qui non sumus sub lege circumcisionis. *Quibus ad horam cessimus.* Qui nec Titum circumcidimus. Male in Latinis codicibus legitur, *quibus ad horam cessimus.* [*Græce legitur* : οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ. *Quales aliquando fuerint.* Quando eos Dominus sua præsentia docuit. *Nihil mea.* Doctrina. *Interest.* Id est, refert, vel distat. *Deus enim personam hominis non accipit.* Quia nec tempus præjudicat fidei, nec persona labori. *Dexteras dederunt.* Quod est signum pacis et unitatis. Consenserunt enim ita nos docere debere. *Mihi et Barnabæ.* Ambo enim missi erant, ut Gentibus prædicarent. *Tantum ut pauperum memores essemus.* Vel sanctorum qui erant Hierosolymis, qui omnia sua distribuentes ad apostolorum pedes pretia deponebant, vel quorum bona fuerant a Judæis invasa, sicut legimus ad Hebræos. *Sed cum venisset et Petrus.* Galatarum infirmitas eum compellit narrare, quod non solum cæteri apostoli nihil ei contulerint, nec minor eis fuerat, sed ipse in Petro aliquid correxit, qui princeps apostolorum fuit. Aliter licet dextras concordiæ et pacis mihi dederunt, tamen Petro restiti, videns quod contra Evangelii regulam ageret. Hoc autem totum agit ut ostendat se nunquam circumcisionis fuisse factorem, quod de illo falsi apostoli confingebant.

Quoniam reprehensibilis erat. Id est, dignus reprehensione. *Cum Gentibus manducabat.* Ut in vase demonstratum. *Et simulationi ejus.* Id est, hypocrisi, dum aliud coram Deo credebat, et aliud coram hominibus agebat

Ita et Barnabas. Qui tunc mecum ad Gentes missus fuerat. *Dixi Petro coram omnibus.* Dum enim coram omnibus culpa commissa fuit, coram omnibus argui debuit. Ideo autem hoc dixit, ut Judæis de circumcisione superbia, et Gentibus desperatio tolleretur. *Si tu cum sis Judæus gentiliter vivis.* Hoc est, si tu non tenes quod natus es, quomodo illos facis tenere quod nati non sunt? Rationem reddit, non injuriam facit.

Gentiliter. Id est, non Judaice, hoc est, non ex operibus legis, sed sola fide. Sic et Gentes vitam in Christo invenisse tu nosti. *Quomodo Gentes cogis Judaizare?* Id est, dum te subtrahis tanquam a peccatoribus. *Judaizare.* Id est, honorem dare circumcisioni, et litteram observare. *Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores.* Nos, inquit, ego et tu Petre; illius miscuit personam et suam, ne illi facere videretur injuriam. Hieronymus de hac quæstione dicit, quod subtiliter hoc fecit Paulus, non vere Petro resistendo, sed in forma vituperat Petrum, alios per eum observantes litteram percutiendo. Cur enim ille vituperet Petrum consentiendo Judæis, dum ipse circumcidit Timotheum per Judæos? Augustinus vero asserit, quod vere Paulus Petrum reprehendit, nec falsum sit quod superius

in hac Epistola dixit : *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quod non mentior :* non enim ita laudandi sunt sancti viri ut frangatur Scriptura. Sicut alii dicunt Petrum Deum non negasse, et in hoc mendacem faciunt Salvatorem dicentem : *Ter me negabis. Quoniam non justificatur homo ex operibus legis*, vel sabbatis, et circumcisione, cæterisque quæ non per justitiam, sed ad edomandam populi duritiam sunt mandata. Sive non justificatur, hoc scilicet tempore Novi Testamenti.

Nisi per fidem Jesu Christi. Nam patriarchæ et prophetæ non ex operibus legis, sed ex fide justificati sunt. *Inventi sumus et ipsi peccatores.* Dum nec ipsis operibus legis justificatur homo. *Nunquid ergo Christus minister peccati est?* Hoc est, si hos pro quibus passus est, non absolvit, tanquam non valens indulgere.

Ego enim per legem legi mortuus sum. Per legem Christi, legi litteræ, sive per ipsam venientem ipsi mortuus sum, quia ipsa se cessaturam esse prædixit. *Ut Deo vivam.* Qui legem suam innovavit.

Cum Christo crucifixus sum. Qui omnibus peccatis quibus lex data est, sum mortuus. Ergo lex mihi minime necessaria. *Vivo autem.* Vivo hic vita spirituali. *Jam non ego.* Id est, vetus homo, vel non mea facultate. *In fide vivo Filii Dei.* Id est, in sola fide, qui nihil debeo legi. *Non irritam facio legem Dei.* Hoc est, non debeo illi esse in gemitum, qui me tantum dilexit, ut pro me etiam moreretur. Abjecta enim et irrita gratia est, si mihi sola non sufficit. Irritam ergo gratiam facit, qui post evangelium vivit in lege, et peccatis post baptismum sordidatur. Hucusque contra Petrum. Nunc ad Galatas sermonem retorquet.

CAPUT III.

O stulti Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Hoc non est contrarium verbo Salvatoris, quo fratrem fatuum vocari prohibuit : qui more diligentis bene corripit, sicut Dominus dicit : *Et vos sine intellectu estis, et modicæ fidei.* Jus enim est magistris peccantes increpare discipulos. *Quis vos fascinavit?* Quis vobis invidit? Fascinatio enim Græce invidia interpretatur. *Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est.* Vel quibus per meam prædicationem ita manifestata est passio ejus, ut ipse ante vos sententiam damnationis excepit. *Et in vobis crucifixus.* Quasi apud vos omnia facta sint. Sive sic : Quem vere pro damnato et mortuo etiam nunc vilem habetis, dum putatis eum vobis non sufficere ad salutem. *An ex auditu fidei?* Si enim ex merito fidei Spiritum sanctum accepistis, quid vobis lex amplius dare poterit? *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis.* Magna stultitia est in servitutem Veteris a libertate Novi Testamenti et gratiæ divertere. *Nunc carne consummamini.* Id est, in legem carnalem euntes. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Galatæ in crucifixum credentes, a Judæis et Gentibus tormenta et opprobria multa perpessi sunt. Dicit ergo tanta sine causa pro Christo tolerastis, si tamen non iterum corrigatis. *Si tamen* in hoc non dubitantis sermo est, sed potius confirmantis, secundum illud : *Si tamen justum est apud Deum retribuere his qui vobis tribuant tribulationem. Operatur virtutes in vobis.* Ostendit Galatas accepto per fidem Spiritu sancto dona habuisse virtutum, vel prophetiam et genera linguarum. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Non dixit operatus est per legem, sed sola fide credidit, hoc est, quod exiit de terra sua in terram quam ignorabat; quod Saram nonagenariam et sterilem credidit esse parituram; quod in Isaac vocaretur sibi semen, et quod obtulit filium suum. *Providens hoc Scriptura.* Non quod atramentum et membrana, quæ insensuales sunt, possint futura prænoscere, sed quod Spiritus sanctus, et sensus qui in littera latet, futura prædicant. *In te.* Non lege : sed in te, hoc est, in fide tua, qui es caput fidei. *Benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Non una gens tantum Judaica, sed omnes gentes. *Sub maledicto sunt.* Quia ita prævaluit consuetudo peccandi, ut nemo jam perficiat legem, sicut Petrus Apostolus ait : *Quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus* (*Act.* XV). Si qui vero justi non erant maledicti, non ex operibus legis, sed fidei gratia salvati sunt. *Sed qui facit illa.* Mandata legis. *Vivet in eis.* Carnali scilicet vita, quia non est reus mortis, dum implet mandata legis. *Christus redemit nos de maledicto legis.* Emere et redimere hoc est : quia qui emit, alienum; qui autem redimit, id est, proprium quod suum fuit, et suum esse desivit.

Maledictus omnis qui pendet in ligno. Non ideo maledictus quia pependit, sed ideo pendet quia maledictus. Ille negat Christum maledictum, qui negat Christum mortuum. Qui autem confitetur mortuum, et negare non potest mortem de peccato esse, et ob hoc etiam ipsum peccatum vocari, audiat ipse Apostolum dicentem : *Quo modo vetus homo noster simul cum illo crucifixus est*, et intelliget quod maledictum Moyses dixerit (*Deut.* XXI). Ideoque secutus Apostolus ait de Christo : *Factus pro nobis maledictum*, sicut non timuit dicere : Pro omnibus mortuus est, hoc est, non mortuus quia maledictus, quia mors ipsa ex maledicto est, et maledictum est esse peccatum, sive ipsum quo fit ut sequatur supplicium, sive ipsum supplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Quod autem additum est, *omnis*, ut diceretur : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, non sane Moyses minus prævidit etiam justos in cruce futuros; sed bene prævidit hæreticos veram mortem Domini negaturos, et ideo volentes ab hoc maledicto Christum sejungere, ut a mortis etiam unitate sejungerent? Si enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec vere crucifixus est. Ac per hoc additum est *omnis*, ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si a maledicto, quod morti conjunctum est, insipienti honorificentia separetur. *Ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.* Quæ per Joelem omni carni pro-

missa est, vel universo generi humano, ut : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* (*Joel.* II). *Fratres secundum hominem dico.* Hoc est, humano utor exemplo. Sive *secundum hominem* : nam excelsiorem et profundiorem sensum habeo in his promissionibus, si dicerem ; tamen non profunda profero, sed quæ potest homo intelligere. *Nemo irritum facit.* Quasi dixisset : Si hominis testamentum nemo spernit, quanto magis Dei testamentum, hoc est, promissionem! Ac si diceret : Quamvis lex data est antequam impleretur promissio, tamen non in illa lege impleta est Abrahæ promissio, sed ad hoc tantum lex data est, ut per illam aloremur, donec adveniret promissio. Simplex autem sensus, qui est in hoc loco textus, talem vim habet, ut docet Apostolus, non posse per legem quæ postea data est, repromissio, nec quæ antea facta sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus præjudicare. *Non irritum facit.* Id est, quæ post tantum temporis data est lex, testamentum illud non potest evacuare, quod Abraham Deus confirmavit in Christo. *Ad evacuandam promissionem.* Vel ut non postea impleretur promissio post datam legem, quasi in illa impleretur. *Quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex.* Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit 430 annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, ut Scriptura testatur Exodi. Quorum tamen summam annorum, chronographi a 75 anno nativitatis Abraham, quo terram repromissionis intravit, computant sequentes editionem Septuaginta interpretum, quæ dicit : *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitaverunt in Ægypto, et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum anni* 430. Quam necessario sequendam et ipsa Hebraica veritas ostendit, quæ narrat Caath filium Levi, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse annos 133, et filium Amram patrem Moysi annos 137, et ipsum Moysen 80 fuisse annorum tempore egressionis de Ægypto, quia nimirum horum summam annorum constat 430 implere non posse. Annuit autem horum translationi et Apostolus, cum ait : *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, etc. Abrahæ autem per repromissionem, id est, non per legem, quæ nondum erat, sed per repromissionem : ut : *In semine tuo benedicentur omnes termini terræ.*

Quid igitur lex? propter transgressionem posita est. A latere venientem quæstionem sibi ipse proponit : Quare ergo data est lex, dum non illa promissio est, nec implet promissionem, nemoque per eam salvatur? ad quod respondet : *Lex propter transgressionem posita est*, et mortis pignus fuit, donec veniret semen. Hic autem hyperbaton est, ex omni parte confusum, est enim hic ordo : Lex posita in manu mediatoris propter transgressionem, disposita per angelos. *Disposita per angelos.* Quia per angelos lex ministrabatur. *In manu mediatoris.* Sive Moysi, ut quidam putant. Nam et Moyses, aiunt, inter Deum et populum medius fuit; sive Christi. *Deus autem.* Id est, Christus. *Unus est.* Ideo hoc addidit, ne quis putaret Christum ab unitate divinæ naturæ divisum, quia mediatoris suscepisset officium. *Lex ergo adversus promissa Dei? absit.* Quia nec lex prohibuit, ut promissa quæ prædicta sunt postea complerentur.

Sed concluait. Id est, deprehendit, Ostendit arguendo peccata, quia vetus lex peccatum non delulerat, sed ostendit omnia sub peccato, dicendo : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, id est Veteris Testamenti. *Ut repromissio.* Id est, *in semine tuo benedicentur omnes gentes. Ex fide.* Id est, ut sola fide salvarentur credentes. *Sub lege custodiebamur.* Hoc est, servabamur a lege huic fidei, quæ erat suo tempore revelanda. *Conclusi.* Id est, unius Dei. *Itaque lex pædagogus.* Ad disciplinam nos arctius retentans perfectam doctrinam vero magistro reservabat. *Non sub pædagogo sumus.* Nam perfectæ ætatis discipuli non indigent pædagogo. *Omnes enim filii Dei estis.* Ad hoc valet, ne Gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub pædagogo, et ideo se filios non putarent, sed per fidem induendo Christum omnes sunt filii, non naturæ, ut unicus qui etiam sapientia Dei est, præstante mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Christo induti sint, qui in Christum crediderunt, et idea Dei filii fratresque mediatoris effecti, in qua fide non est distantia Judæi neque Græci.

Non est Judæus neque Græcus. Ante enim non solum inter Judæum et Græcum, sed etiam inter tribum et tribum erat diversitas magna. Sed notandum, quod in hoc tres differentias, generis videlicet, conditionis, et sexus posuit. *Omnes enim vos unum.* Etsi omnes unum corpus Christi effecti estis. *Abrahæ semen ejus.* Ut tres hæredes non ex carnali semine, sed ex divina promissione generati.

CAPUT IV.

Dico autem quandiu parvulus est. Parvulus filius vel populus, propter unam fidem ad unum semen Abrahæ pertinens, sed partim sub pædagogo fuit ex parte Judæorum, partim sub elementis hujus mundi, quibus tanquam procuratoribus serviebant ex parte Gentium. *Nihil differt a servo.* Quia filius sub correctione disciplinæ, est quomodo servus. *Sed sub curatoribus.* Qui hæreditatem puero custodiunt.

Et actoribus. Qui eum ad bonos mores cogunt. Item, sub tutoribus, vel angelis, vel prophetis, quorum verbis in adventum Salvatoris quotidie erudiebantur.

Sub elementis hujus mundi. Quibus quasi diis usque ad adventum Christi Gentiles serviebant. Alii legem et eloquia prophetarum, quibus quasi quodam alphabeto erudiebantur, dicunt. *Factum sub lege*, quia circumcisus est, et hostia pro illo oblata est, quia si sub lege factus non esset, Judæi in eum credere non poterant. *Ut adoptionem filiorum.* Nos enim beneficio et dignatione misericordiæ ejus Dei sumus filii. *Recipiemus.* Non accipiamus, sed reci-

pianus, ut significaret et hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. *Clamentem.* Nos clamare suscitantem. *Abba pater.* Consuetudo Scripturæ est, ut Hebræum verbum cum interpretatione ponat, ut in Genesi est, *mesech vernaculus. Imo cogniti estis a Deo.* Quia non illum vos quæsistis, sed ille vos perditos requisivit : non quod tunc cognovisset illos Deus, præcognitos videlicet ante constitutionem mundi, sed quia tunc ipsi eum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant. Maluit Apostolus tropice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se præstitit, et maluit verbum suum corrigere quo dixit : *Nunc autem cognoscentes Deum*, quasi hoc minus recte dixerit, quod proprie dixerat, et dicere *imo cogniti estis ab eo*, quem sine revocatione sibi arrogare se potuisse quod eis posse ille donaverat. *Ad infirma et egena elementa.* Quæ nunc infirma et egena dicit, superius mundi elementa posuit. Infirma autem dicuntur, quia nihil possunt his qui se adorant. Egena vero, quod divina gubernatione egeant. *Dies observatis.* Sunt quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis æstimaret enim quod magnum peccatum sit dies observare et menses, et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum doctrinas vanas hominum fausta vel infausta existimentur tempora, nisi mali hujus magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus? qui talibus ait : *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Nihil enim profeci vos faciendo Christianos, si ista iterum observetis.

Estote sicut et ego. Vel veteres errores relinquite, sicut et ego reliqui, vel in omnibus imitatores mei estote. *Quoniam et ego sicut et vos.* Id est, errans fui aliquando, vel homo sum sicut et vos. *Nihil me læsistis.* Id est, ut merito putaretis me inimicitiarum, et non salutis vestræ causa moveri. Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta ejus laboremque disperdat. *Scitis quia per infirmitatem carnis.* Vel passionibus, vel dolore corporis ; ac si diceret : Ideo dico quod non me læsistis, quia quomodo vobis prædicavi infirmus fui, et tamen nec me tunc læsistis, neque sprevistis, sed mihi compassi estis.

Et tentationem vestram. Tentati sunt enim cum persecutionem pateretur Apostolus, utrum desererent eum, an charitate amplecterentur ; et dicit : Neque sprevistis, ut non susciperetis communionem periculi mei : grandis itaque tentatio discipuli est, si vir sanctus aut infirmetur, aut impune lædatur.

Quæ ergo est beatitudo vestra? Vel illa quam in vobis in initiis laudabam, nunc nulla est. *Quoniam si fieri posset oculos eruissetis.* Hoc hyperbolice pro maxima dilectione dictum est. *Verum prædicans vobis.* Non quidquid verum, sed ut non circumcidantur. *Æmulantur vos.* Id est, invident vobis, qui carnales vos de spiritualibus facere conantur. *Non bene.* Id est, dum seducere vos volunt. *Ut illos æmulemini.* Id est, ut sub jugo legis teneamini. *Charismata.* Id est, dona. *Æmulamini.* Id est, sectamini. *Filioli mei quos iterum parturio.* Id est, per hanc epistolam, quia prius parturivi vos per evangelium genitos in lucem veritatis, sed eundo in veterem legem, vanasque hominum doctrinas, novam vitam, Christique formam perdidistis ; sed nunc vos iterum parturio, ut per pœnitentiam renascamini. *Et mutare vocem.* Id est, quia magis viva quam mortua prodest.

Quoniam confundor in vobis. Confunditur, quia filii effecti servi esse cœperunt. *Quoniam Abraham duos filios habuit.* Dedit autem regulam ex hoc loco Apostolus, intelligendi allegoricas rationes, scilicet ut manente historiæ veritate, figuras Testamenti Veteris exponamus ; nam cum dixisset Abraham duas uxores veracissime habere, postea quæ præfiguraverint demonstravit.

Unum. Ismael. *De ancilla.* Id est, de Agar Ægyptia. *Et unum.* Isaac. *De libera.* Id est, Sara. *Secundum carnem.* Id est, secundum usum carnalem Ismael natus est, quia Abraham carnalem concupiscentiam in juventute habens, de juvenili ancilla eum genuit, ...* enim repromissionis suscitavit illum ex senili præsteritique matre, aliud ex alio significantia, quia qui litteram sequitur, filius est Agar ; qui vero intelligentiam spiritualem, filius liberæ. *Nam hæc sunt testamenta.* Per ancillam vetus lex designatur : per liberam, nova lex ; filii autem Agar, filii Veteris legis sunt, in servitutem generandis : filii autem liberæ, filii Novi Testamenti intelliguntur. *In servitutem generans.* Judæi nactu etiam in præsenti cogebantur ut servi ; nos vero præmiis invitamur ut liberi. *Sina enim mons est in Arabia.* Hoc dicit, quia sicut confinis est Sina et Hierusalem, terminus enim tribus Juda pertingit Sina montem, qui est in extremo Arabiæ, ita utraque conveniunt in figuram Agar, id est, Veteris Testamenti. Sina videlicet in quo lex data est, et Hierusalem in qua lex custodita et impleta est. *Serviens.* Terrestris Hierusalem. *Cum filiis suis.* Id est, Judæis. Item secundum Ambrosium apta est similitudo Agar ad Vetus Testamentum, eo quod in illo sit data loco, qui locus ad gentem pertinet illam, unde erat et Agar : Agar enim Ægyptia erat, et tamen ex Arabia fuerat, quoniam non modica pars Ægypti in Arabia concludebatur. Nam quod dicit : *Affinis est ejus, qui nunc est Hierusalem*, de Agar dicitur, quoniam illa quæ apud nos est Hierusalem, hoc est, quæ in sæculo hoc esse videtur, æquam virtutem habet ad Agar. Sara autem Hierusalem cœlestem significat. Quod autem dicit :

Et servit cum filiis suis. Non de Agar dicit, sed ad testamentum quod datum est in Sina redigit illud. *Quæ autem sursum est Hierusalem.* Id est, quam præfiguravit Sara cum filio, vel spiritualis Ecclesia, quæ mater est, tam Gentilium credentium, quam

etiam Judæorum, cujus filii servi esse non possunt : bene autem addit *sursum*, quia Christiana Ecclesia spe et conversatione cœlesti desiderio sublevabatur, ut *nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III). Quatuor figuræ, ut historia, allegoria, tropologia, anagoge, hoc solo nomine quod est Hierusalem significantur. Nam secundum historiam civitas est Judæorum ; secundum allegoriam Ecclesia Christi ; secundum anagogen civitas Dei illa cœlestis, quæ est mater omnium nostrum ; secundum tropologiam anima hominis, quæ frequenter hoc nomine aut increpatur, aut laudatur a Domino. *Lætare sterilis.* Hoc in Isaia scriptum est (*Isai.* LIV). Hoc autem vel Ecclesiæ ex Gentibus, vel Hierusalem cœlesti congruenter aptatur : utraque enim sterilis erat, Ecclesia quidem Gentium, quod nec spirituales per baptismum filios Deo peperit ; nec non cœlestis Hierusalem apostaticis angelis derelicta, hominibusque vacua usque ad adventum Salvatoris sterilis permanebat.

Quæ non paris. Pro non pariebas. *Erumpe.* In gaudium. *Et clama.* Id est, in tuba doctrinæ, vel jubilo lætitiæ exsulta. *Desertæ*, id est, Ecclesiæ. *Quam ejus*, id est, synagogæ, vel terrestris Hierusalem. *Quæ habet virum*, id est, sermonem legis. *Persequebatur eum*, id est, Isaac : In Genesi quidem hoc scriptum est : *Quia luserit cum Isaac Ismaël* (*Gen.* XXI). Sed Apostolus ostendit, non simplicem lusum fuisse, quem persecutionem appellat : unum intelligitur, quia scurrilem eum et levem, sicut ipse erat, facere cupiebat, ne illi posset in hæreditate præferri, ipeo Abraham de ejiciendo eo vocem Saræ jubetur audire.

Secundum spiritum. Id est, secundum promissionem et virtutem spiritus. *Ita et nunc.* Hoc est, ita et isti servos sibi similes vos facere nituntur. *Non enim hæres erit.* Sic filii circumcisionis increduli atque hæretici, cum filiis gratiæ Novi Testamenti hæredes non erunt.

CAPUT V.

State. Id est, in fide Evangelii. *Christus vobis nihil proderit.* Si solum illum ad salutem vestram sufficere non putetis. *Quoniam debitor est universæ legis.* Qui caput operum legis, vel circumcisionem suscipit, necesse est ut cætera membra sustineat, ne maledictioni subjaceat. *Nos enim in spiritu.* Vel spirituali gratia et conversatione, non littera.

Neque præputium. Id est, ne aliquis præputium tantum sufficere putaret circumcisione evacuata. *Currebatis.* Id est, fidei passibus. *Persuasio vestra non ex eo est, qui vos vocavit.* Persuasio hæc, quam nunc sequimini, non est ex eo qui in principio vos vocavit, sed ex his qui postea vos conturbarunt : Non ut male in Latinis codicibus legitur, *persuasio vestra ex Deo est. Modicum fermentum totam massam fermentat.* Ne quis diceret : Cur omnes corripis, cum non omnes erraverunt? Ostendit quod modicum erroris fermentum totam possit Ecclesiæ massam corrumpere. Parva scintilla mœnia urbis, latissimos saltus, regiones consumit ; unius pecudis scabies totum maculat gregem. Ita doctrina perversa ab uno egrediens, multos invadit auctores. *Fermentat* [ζυμοῖ]. Non ut male in Latinis codicibus, *corrumpit. Ego confido de vobis in Domino.* Non per conjecturam, sed spiritu prophetico pronuntiat, Galatas ad veritatis viam reversuros. *Nihil aliud sapio.* Id est, nisi quod doceo per epistolam. *Si circumcisionem prædico.* Hoc ideo dicit, quia quidam ex ipsis dicebant, quod Paulus observaret circumcisionem, dum circumcidit Timotheum. *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Vel scandalum quod patior propter prædicationem crucis evacuatum est, si non crucem prædico, sed circumcisionem. *Utinam abscindantur.* Hoc est, utinam a malo in bonum convertantur, vel utinam totis potius virilibus suis castrentur, qui modicam corporis sui partem circumcidi prædicant. Aliter, utinam aliqua vindicta tales a vobis penitus separentur, ne vos ultra conturbent.

Vos enim in libertatem vocati estis. Potest locus iste sic melius explanari, quasi unum corpus se invicem complectens et non discrepans. *Fratres, de servitute legis vocati estis.* In libertatem evangelii. Unum obsecro vos, ne libertate pro licentia abutamini, detisque occasionem carni et luxuriæ ; quin potius discite, quia libertas hæc major sit servitus. An lex ab invitis extorquebat obsequium hoc?

Per charitatem vobis serviatis invicem. Vos autem, fratres, propterea secundum legem spiritualem debetis vivere, ut desideria carnis non perficiatis. Caro enim frigus timet, fame attenuatur et vigiliis, etc. E contra spiritus quæ carni contraria sunt expetit. Ita fit, ut non ideo quia sub servitute legis esse cessastis, putetis vos esse liberos, quia non statim etsi lex non imperat natura cessavit, non enim ita de servitute in libertatem vocati sumus, ut carni serviamus. *Sed per charitatem spiritus.* Id est, non superbiam insinuo sub specie libertatis, sed spontaneum volo esse servitium. *Quod si mordetis.* Id est, oculum reddentes pro oculo, vel blasphemiam. *Ne ab invicem consummamini.* Id est, ne aliquis alicui causa mortis existat. *Spiritu ambulate.* Id est, spiritualibus desideriis et operibus. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Non quod caro sine anima concupiscat, sed ipsa anima, quoniam carnalia cogitat, caro dicitur : quoniam vero spiritualia, unus cum Deo fit spiritus. Item *caro concupiscit adversus spiritum*, hoc est Scripturæ carneus intellectus adversus allegoriam spiritualem. In hoc loco carnem non hominem, vel non hominis substantiam, sed voluntatem carnis et desideria pessima debemus accipere, sicut spiritum non aliquam substantiam, sed animæ desideria bona et spiritualia designare, quem idem Apostolus superius evidenter expressit, ita incipiens : *Dico hoc, spiritu ambulate, et desideria carnis ne perficiatis.*

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Spirituali, vel Spiritu sancto. *Manifesta autem sunt opera*

carnis. His tantum manifesta sunt, qui in Christo credunt. Plurimi quippe gentilium in suis ignominiis gloriantur. Hic opera carnis magis videntur mihi ad simplicem carnem, et spiritus intelligentiam, quam ad carnem legis, et parvulos in Christo referri. *Adulterium.* Superflue in Latinis codicibus legitur, *adulterium.*

Fornicatio. A legitimo conjugio declinatio. *Immunditia.* Ut masculi in masculos turpitudinem operantes.

Luxuria. Quæ in duas species, in gulam et fornicationem dividitur. *Iræ.* Inter iracundiam et iram hoc interest, quod iracundus semper, iratus pro tempore concitatur. Quærendum est quomodo hæc opera carnis vocat, cum multa ex his etiam animæ sint opera, sicuti ira, et cætera similia. Itaque quo modo caro, id est, carnale desiderium regnat, etiam animæ opera illi deputantur: quomodo vero spiritus regnat, si qua bona opera caro fecerit, in fructibus spiritus reputantur. *Sicut prædixi.* Cum præsens inter vos eram. *Fructus spiritus est charitas.* Mater in primis debuit numerari. *Gaudium.* Spirituale. *Pax.* Etiam cum odientibus pacem. *Patientia.* Multas injurias patienter sustinere. *Benignitas.* Semper bene velle facere.

Bonitas. Bonum facere omnibus. *Modestia.* Nulli injuriam irrogare. *Lenitas.* Nec læsus irasci. *Continentia.* In cibo et conjugio. *Castitas.* Virginitas corporis et mentis. *Adversus hujusmodi virtutes non est lex.* Non enim ista lex prohibet, sed qui talibus pollent supra legem sunt. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Si omnia simul vitia sunt crucifixa, si et caro quasi pendens in ligno non concupiscit, ad quid est nobis lex necessaria, quæ data est ad vitia coercenda?

CAPUT VI.

Si autem spiritu vivimus. Hoc est, si spiritualem vitam habemus, spiritualiter conversemur, et non legi carnaliter serviamus. Inanis gloriæ cupidus est, qui alterius quamvis veram doctrinam evacuare conatur. *Provocantes alios in iram.* Instigantes. *Fratres, etsi occupatus fuerit homo.* Hoc illis dicit, qui non fuerant persuasi, ut præventos corrigant mansuete. *Considerans teipsum.* Hic Paulus ab aliis arguitur, quod post pluralem singularem numerum posuit; sed tamen Hebræus in vernaculo doctissimus profundos sensus aliena exprimere lingua non valet, nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto. *Ne et tu tenteris.* Quia et ipse homo cum sis, potes in aliquo præveniri, et adjutorio indigere, sicut sani infirmos sustinent, et mortuos sepeliunt, quia et ipsi infirmari et mori posse se credunt. *Invicem onera vestra portate.* Compatiendo peccantibus. *Legem Christi.* Lex Christi charitas est, ut: *Mandatum novum do vobis. Nam si quis ex Israel.* Qui se putat non posse tentari, sive qui plus de se laudanti se quam conscientiæ credit. *Cum nihil sit.* Eo ipso quo arrogans est. *Probet.* Id est, conscientiæ testimonio examinet. *In semetipso.* Id est, in sua conscientia. *Et non in altero.* Id est, in alterius adulatione. Bonum enim alterius non illum adjuvat, sicut nec malum ejus illum infuscat. *Onus suum portabit.* Id est, qui meruerit vindictam, sustinebit eam, sic et qui præmium. *Communicat autem is qui catechizatur.* Superius spirituales docuerat, ut instruerent in spiritu lenitatis; nunc imbecillioribus imperat, ut sicut ipsi a magistris spiritualia metunt, sic magistris carnalia præbeant. *Nolite errare.* Ac si aliquis diceret: Non habeo unde doctori meo communicem. *Deus non deridetur.* Ipse scit si habes, an non.

Quæ enim seminaverit homo. Roborat eos ad considerationem earum rerum quas non vident, per eas quas vident. *In carne sua.* Id est, in carnalibus desideriis. Aut *in carne sua*, id est, in avaritia carnali non communicando doctori. *De carne metet.* De ipsa avaritia. *Corruptionem.* Id est, defectionem divitiarum. *In spiritu.* Id est, in spiritualibus desideriis, vel in spirituali largitate. *Metet vitam.* Largitatis retributionem. *Non deficientes.* Indeficientem enim justitiam indeficiens præmium subsequitur: qui enim perseverarit usque in finem, salvus erit. *Ad domesticos fidei.* Domesticos fidei supradictos magistros nominavit. *Videte qualibus litteris scripsi mea manu.* Intelligite si istæ litteræ carnalem circumcisionem probant an non. Ab hoc loco usque ad finem manu sua scripsit, ostendens superiora ab aliquo arata.

Quicunque placere volunt. Id est, quicunque Judæis carnalibus placere desiderant. *In carne.* Id est, in littera carnali. *Non patiantur.* Scilicet a Judæis. *Ut in vestra carne glorientur.* Hoc est, de carne vestra circumcisa laudem apud Judæos habeant, sive quod discipulos ad se traxerint. *Nisi in cruce.* Id est, in carne vestra gloriabor, nec in mea doctrina, sed in fide crucis, per quam mihi omnia peccata dimissa sunt, ut ego mundo morerer et ille mihi.

Mundus Crucifixus est. Ut me non teneat. *Et ego mundo.* Ut eum quasi mortuum non teneam, neque concupiscam.

Sed nova creatura. Id est, si quis renatus in Christo nova conversatione utatur. *De cætero nemo mihi molestus sit.* Id est, nemo mihi resistat interrogando, Quare hoc dicis? *Ego enim stigmata.* Id est, signa et characteres non circumcisionis, sed crucis et passionis Domini in corpore meo circumfero, ut, *Ter virgis cæsus sum*, et reliqua.

V.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

Refert Scriptura, testante Hieronymo, quod Paulus Ephesi triennio prædicaverit Jesum Christum. Inter omnes Pauli Epistolas vel maxime et verbis et sensu involuta est. *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Id est, ex voluntate Dei Patris. Ergo per voluntatem Dei, non meis meritis. *Sanctis.* Non omnibus Ephesiis, sed his qui credunt in Christo. *Et fidelibus.* Omnes sancti fideles sunt, non omnes fideles sancti. Qui etiam catechumeni possunt ex eo quod Christo credunt fideles dici, non tamen sancti sunt, quia non sunt per baptismum sanctificati. Non solum ergo sanctis, sed etiam fidelibus, qui non adhuc sanctificati sunt, Paulus gratiam Christi exoptat.

Qui sunt in Christo Jesu. Plures fideles sunt, sed non in Christo: verbi gratia, si quis fideliter reddat depositum. Ad distinctionem ergo posuit, in Christo. *Gratia vobis et pax.* Gratia et pax, sive utrumque tam ad Patrem quam ad Dominum Jesum, sive ad singulos singula referenda sunt, ut gratia ad Deum Patrem, pax vero referatur ad Christum, siquidem sequitur: *In laudem et gloriam, et gratiam, in qua gratificavit nos in dilecto*, ut gratia Patris sit, quod filium pro salute nostra mittere dignatus est; pax vero Filii, in eo quod per ipsum Patri reconciliati sumus, destructo medio pariete. *Benedictus Deus.* Quod nos benedictos facit. Laudat Deum, quod donaverit infra scripta. *Et Pater Domini nostri.* Hoc est, qui est et Pater Domini nostri Jesu Christi, vel benedictus Deus ejus qui assumptus est hominis, et Pater ejus qui in principio apud Deum erat. *Qui benedixit nos omni benedictione salutari.* Vel in omni abundantia et gratia, non in una, sed in cunctis benedictionibus; non quod omnes omnia consequamur, sed dum singuli singulas, vel plures habemus, omnes per singulas possidemus. *In cœlestibus.* Id est, ipse Deus qui est in cœlestibus. Aliter, non in carnali prosperitate, nec in terrena abundantia, sed in cœlestibus donis virtutibusque nos benedixit. *In Christo Jesu.* In capite namque omnia membra benedixit. *Sicut elegit nos in ipso.* Sic nos benedixit, sicut elegit nos. *Ante mundi constitutionem.* Cui omnia futura præsentia facta sunt.

Ut essemus sancti et immaculati coram ipso. Id est, non in hypocrisi coram hominibus. Quærendum quare hoc dicat, cum scriptum sit: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII), in præsenti scilicet vita. Cæterum ad hoc nos elegit, ut essemus sancti et immaculati in futura vita, quoniam Ecclesia Christi non habebit maculam, neque rugam, licet etiam in præsenti vita justi, et sancti, et immaculati, quamvis non ex toto, tamen ex parte non inconvenienter dici possunt. Inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod sanctus immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus vero non statim sanctus, sed sicut parvuli quoque immaculati sunt, qui integri sunt corpore, tamen non sancti, quia sanctitas voluntate comparatur. *In adoptionem filiorum.* Nam Salvator ejus natura filius est, nos vero adoptione. *In ipsum.* Id est, Christum, ut simus membra ipsius. *Secundum propositum vero sanctum.* Id est, non secundum meritum nostrum. *In laudem.* Id est in gloriam, id est, ut laudemus gloriam gratiæ ipsius. *In qua gratificavit nos.* Id est, in qua gratos nos sibi fecit.

In dilecto. Ab omnibus subauditur: nam etiam ab impiis Christus diligitur. Nam cum sit Christus sapientia veritas, pax, gaudium, quis hunc etiam impiissimus non diligat? *Secundum divitias cognitionis gloriæ.* Id est, ut *Copiosa apud Deum redemptio* (*Psal.* CXXIX). *Quæ superabundavit in nos.* Hoc est plus quam abundavit, ut non solum a morte redemptis gratis peccata dimitteret, sed etiam tantam nobis sapientiam donaret, ut voluntatis ejus occulta mysteria nosceremus. *In omnia sapientia.* Visibilium et invisibilium. *Et scientia.* Tantum visibilium: non tamen in nobis est hæc omnis sapientia et scientia, sed in Deo. *Mysterium voluntatis.* Scilicet redemptionem nostram per suum sanguinem. Sed Deus in omni sapientia sua hæc fecit.

Quod proposuit in eo. Inter propositum et prædestinationem hoc interest, quod prædestinatio est alicujus rei præfiguratio, multos annos in mente ejus qui destinat quod futurum sit. Propositum vero, cum vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequitur effectus. Item prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia vero est ipsa donatio. *In dispensatione plenitudo temporis.* Id est, postquam venit plenitudo temporum, quoniam omnis jam dispensatio temporum legis et naturæ, prophetarumque transacta est.

Recapitulare omnia in Christo. Pro *recapitulare* in Latino codice scriptum est *restaurare*. Sensus atque in præsenti loco iste est: Omnis dispensatio quæ ante mundum, et postea cœpit esse in mundo, tam invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Domini pollicebatur. Itaque universa mysteria et omnis dispensatio vetustatis, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlis, in Christi passione brevi recapitulatione completa sunt. Verbi gratia: Sicut Isaac oblatus præfigurat Salvatorem (*Gen.* XXII), et Abel a Cain occisus. Instaurantur quæ in

cœlis sunt, cum id quod in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur vero quæ in terra sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt in æternam vitam, a corruptione vetustatis renovantur. *In quo etiam nos sorte.* Id est, gratuita gratia. *Vocati sumus.* Id est, qui nos qui ex Judæis Christo credimus. *Prædestinati.* Id est, præparati.

Nos qui ante speravimus in Christo. Nos apostoli vel Judæi, qui priores Gentibus credidimus Christo, sive ex lege exspectavimus Christum. *In quo et vos charissimi.* In quo etiam vobis Gentibus annuntiata est salus. Hucusque alloquitur specialiter qui in Epheso erant Judæos, de sacramento incarnationis Christi; deinde Gentes, ut sint grati de beneficiis Dei. *Signati estis.* Ubi imago quæ perdita est, reparata est. Primus homo ad imaginem et similitudinem Dei conditus est; secundus in secunda generatione cum Spiritum sanctum acceperit, figuram Conditoris accepit. *Spiritu promissionis.* Qui omni carni per Joelem prophetam promissus est: *Ut effundam de spiritu meo super omnem carnem.*

In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Quos redimendo suo sanguine acquisivit, ut etiam in hoc laudemus gloriam ejus, quod non Deo, sed laudatoribus prosit. *Non cesso gratias agens.* Non cesso agens et faciens, per solœcismum, pro, *non cesso gratias agere et facere.* Notandum vero, quia fidem et charitatem habentibus, sapientiam a Deo deprecatur: noverat enim eam adjutricem omnium esse virtutum. *Pater gloriæ.* Id est, secundum divinitatem. Christus enim gloria Patris est, sicut et sapientia. *Deus Domini nostri.* Id est, secundum carnem. *Et revelationis.* Id est, ut revelata facie gloriam Domini contemplemini. *In agnitionem ejus.* Id est, ut perfecte cognoscatis magnitudinem ejus atque virtutem, qua potest promissa præmia vel implere pœnas. Magnitudinem, qua cum ubique sit, nihil eum potest omnino latere; qui enim hoc cognoverit pro certo, nullo poterit in loco peccare; nam qui humanum testimonium erubescit, multo magis divinum poterit revereri. Unde et Joannes apostolus omnem qui peccat, Deum non cognovisse confirmat. *Oculos cordis.* Id est, non corporis: spiritualia enim promissa non nisi spiritualibus oculis pervidentur. *Ut scitis quæ sit spes vocationis.* Si enim sciretis ad quantam spem vocati estis, omnem spem sæculi facile contemnetis: et si divitias hereditatis Dei videretis, omnis terrena vobis horrebit hæreditas. Nemo enim regnum cum opibus suis sperare curat esse, etsi mediocrem substantiam possidere dignatur. *Et constituens ad dexteram tuam.* Non quod Pater nolens ponat et in eo sedeat, et Filium ad dexteram habeat, sed per humanam similitudinem potentiam demonstrat divinam. *Super omnem principatum, et potestatem, et virtutem et dominationem.* Novem angelorum scimus ordines, angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim, seraphim. Qui minima nuntiant, angeli; qui summa, archangeli vocantur. Virtutes, per quos signa et miracula fiunt. Potestates, super virtutes adversas, quorum potestate virtutes adversæ refrenantur, ne corda hominum quantum volunt tentent. Principatus, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt. Dominationes sunt, qui etiam principatus et potestates dissimilitudine alta conscendunt, quibus cætera agmina ad obedientiam subjecta sunt. Throni sunt, qui tanta divinitatis gratia replentur ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia discernat. Cherubim quoque, id est, plenitudo scientiæ sunt qui tanto perfectiori scientia pleni sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur. Seraphim autem, id est ardentes vel incendentes, qui tanto magis Conditoris sui ardent amore, quanto hunc vicinius vident, inter quos et Deum nulli alii spiritus intersunt. *Et dedit ei nomen.* Id est, filius. *Quod est super omne nomen.* Ut: *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum* (*Psal.* CXXXVII). *Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Id est, sub dominatione humanitatis ejus: contrarium videtur esse, quod alibi ait: *Necdum videmus ei omnia subjecta*, etc. Aut secundum prescientiam id quod futurum est, quasi jam factum esset commemorat, secundum eum sensum, quem exposuimus: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus;* aut certe si de præterito accipiendum est, sic debemus accipere, quod etiam ea quæ non sunt ejus voluntati subjecta, naturæ conditione deserviunt: verbi causa, dæmones, Judæi, Gentiles. Sic intelligo: *Et dedit caput super omnem Ecclesiam.* Id est, non solum hominum, sed etiam angelorum. *Qui per omnia in omnibus adimpletur.* Nam quando omnes crediderint, tunc erit corpus ejus perfectum in omnibus membris; totus enim in membris omnibus, non in singulis adimpletur, ne ulla sit diversitas membrorum; aut omnia, id est, dona in omnibus, quia singula dona, vel plura per partes sunt in singulis. Nam in alio Deus justitia est, in alio castitas, in alio temperantia est.

CAPUT II.

Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris. Incipit collecta beneficia replicare, ut ad officium mandatorum et contemplatione donatæ indulgentiæ avidius concitentur, παραπτώματα hoc est, delicta, quasi initia peccatorum sunt, dum cogitatio tacita subrepit; ἁμαρτία vero peccata sunt, cum quod opere consummatum pervenit ad finem. *Secundum principem.* Id est, diabolum. Multi sane opinantur quod diabolus in hoc aere satellitibus suis ad decipiendos diversis peccatis homines diviserit potestatem. *Et cogitationum.* In Græco mentium [διανοιῶν], quod ad dogmata pertinet contraria veritati. *Et eramus natura filii iræ.* Id est, quod ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam: non est enim homo qui non peccet. Filii iræ, sive perditionis, sive diaboli, qui ira dicitur, propter eam quam exercet adversus homines feritatem. *Deus hoc.* Hoc vocat. *Per multam charitatem.* Nimiæ charitatis est, rebelles servos quasi filios diligere. *Con-*

vivificabit nos. Id est, in justitia peccata per baptismum et fidem dimittendo et purgando. *Et conresuscitabit.* Quia quod in capite præcessit, certum est in membris aliquando futurum. *Simulque fecit.* Pro faciet. *Abundantes divitias.* Id est, quod daturus sit, quæ nec oculus vidit nec auris audivit. Vere abundans gratia est, quæ nec solum peccata donavit, sed etiam cum Christo resuscitatos in dextra Dei in cœlestibus collocabit. *Per fidem.* Id est, non per opera. Sed ne sibi salutem ipsam fide arrogaret securus, adjunxit : *Et hoc non ex vobis*, quoniam ipsa fides non ex vobis, sed ex eo qui vocavit nos. *Ne quis glorietur.* Id est, suis meritis, et non a Deo esse salvatum. *Creati in Christo.* Id est, renati per baptismum. *Memores itaque estote.* Commemorat illos de quanta ignobilitate ad summam regni producti sint dignitatem, ut non sint ingrati beneficiis largitoris. *Quæ dicitur circumcisio.* Id est, non virtute, sed nomine. *In carne.* Id est, non spiritu. *Manufacta.* Id est, manu humana facta, non spiritu Dei in corde.

Alienati a conversatione Israel. Id est, qui tunc erat populus Dei. *Et peregrini.* Etiamsi ex parte credebatis, proselyti tamen, id est, advenæ habebamini. *Sine Deo.* Errantes. *In hoc mundo.* Nullos falsos Deos colentes, unum verum Deum amisistis. *Gratis longe.* Deus cum ubique sit præsens, longe tamen ab impiis dicitur.

Facti estis prope. Id est, ut Judæis æquaremini, qui cum Deo erant. *In sanguine Christi.* Id est, credendo vos ejus sanguine et passione liberatos. *Ipse est enim pax nostra.* Ipse est reconciliatio utriusque populi adinvicem et ad Deum. *Et medium parietem maceriæ.* Medius paries, et sepis, et materia onera legis erant, duos populos dividentia, et ideo ipse paries inimicitiæ nominantur.

Solvens inimicitias. Id est, circumcisionem, etc., quæ non tam Dei voluntas, quam temporis ratio a populi duritia exegerat. Aliter, solvens inimicitiam, id est, sapientiam carnis, quæ inimica est Deo. *In carne sua.* Id est, passione carnis suæ. *Legem mandatorum.* Id est, in qua sunt mandata, circumcisio, et sabbata, et neomeniæ. *Decretis.* Id est Evangelii dogmatibus evacuans. Item, *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Cæterum tota intelligentia ad angelos transferenda est, virtutesque cœlorum, et ad animas humanas, quod in suo sanguine terrena et cœlestia copulavit, quæ inter se ante dissidebant, et bonus pastor morbidam ad montes revectans ovem, fecerit esse cum cæteris; atque ita crux Domini non solum terrestribus, sed etiam cœlestibus profuit. Idem in expositione Habacuc : *Ipse solvit enim medium parietem Israel*, id est, obscuritatem veterum prophetarum, et omnia antiquæ legis aperuit sacramenta. Quod autem ait, *Ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem*, magis videtur superiori de Judæis et Gentibus sensui convenire, sic intellige : Hominem juxta imaginem et similitudinem Dei factum, eamdem per reconciliationem formam recepturum, quam et nunc angeli habent, et ipse perdiderit; *novum* autem *hominem*, qui quotidie renovatur et habitaturus est in novo mundo. Aliter, *in unum novum hominem*, id est, in unum populum Christianum effectum : in uno spiritu pulchre tres personas dicit. *In accessu duorum populorum.* Id est, totius Christiani populi generis humani. *Ergo jam non estis hospites.* Ad id quod præmiserat : *hospites testamentorum Dei*, nunc respondet : *Sed estis cives.* Præmiserat, *alienati a conversatione Israel.* Hic locus adversum eos vel maxime facit, qui diversas naturas nituntur introducere. Quomodo enim peregrini facti sunt cives sanctorum, et quomodo domestici Dei fuerunt quondam alienati a conversatione Israel, si non potest natura vel in melius, vel in pejus mutari? *Supra fundamentum apostolorum.* Apostoli fundamentum sunt, vel Christus fundamentum est apostolorum. Christus est fundamentum qui etiam lapis dicitur angularis, duos conjungens et continens parietes. Ideo hic fundamentum et summus est lapis, quia in ipso et fundatur, et consummatur Ecclesia. Summus hic angularis lapis, quia populum utrumque continet; sive juxta interpretationem cœlestia jungit atque terrena. Christus est lapis pretiosus de monte, reprobatus a Pharisæis legem ædificantibus.

In templum sanctum in Domino. In templo sancto non possunt lapides poni nisi sancti. Ad comparationem templi Hierosolymæ dicit exstrui corpus Christi, id est, Ecclesiam, ut multo majorem munditiam et sanctitatem habeat veritas quam imago. Sensuum magis in Apostolo quærendus est ordo quam verborum.

CAPUT III.

Hujus rei gratia. Id est, hujus rei, quam superius memoravi, quod Filius Dei et gentes salvaverit, et Judæos et utrosque fecerit unum. *Ego Paulus.* Id est, cognovi mysterium, vel docui. *Vinctus Christi.* Id est, Christi amore ligatus Romæ. *Si tamen audistis.* Si tamen firmiter retinetis me in vobis dispensationem accepisse doctrinæ. *Notum mihi factum est mysterium.* Id est, Judæos et Gentes unum populum esse factum in Christo. *Sicut supra scripsi.* In superioribus hujus epistolæ; quoniam dixit : Ut *notum faceret vobis sacramentum voluntatis suæ. In brevi prout potestis.* Non quoniam poteram ego scribere, sed quoniam vos assequi valebatis. *In mysterio Christi*, non in eloquentia sæculari. *Non est agnitum filiis hominum.* Signanter et caute ait filiis hominum fuisse absconditum sacramentum, non tamen filiis Dei, patriarchis et prophetis, de quibus ait : *Ego dixi : Dii estis.* Aliter : Quoniam revelatum est apostolis, ignorabant prophetæ; aliud est enim spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Unde et Joannes major omnibus Prophetis esse dicitur, quia quem cæteri prophetaverunt, ipse conspexit, et digito demonstravit dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In Spiritu esse Gentes cohæredes.* Per Spiritum mihi revelatum

est, sive in Spiritu, illos sociatos esse, non carnis circumcisione. *Cohæredes.* Id est, Israelis, vel quod melius est, Christi : ut hæreditas Deus nostra sit, et cohæres Christus. *Et concorporales.* Id est, unius corporis ; non solum cohæredes, quod possunt diversi generis esse ; non solum concorporales, quia id possunt ejusdem generis filii, non ejusdem substantiæ et gloriæ. Ideo sequitur : *Et compartícipes promissionis secundum operationem virtutis ejus.* Cujus virtus me confirmat, sive cujus virtutes meum confirmant evangelium. *Mihi enim minimo omnium sanctorum data est gratia hæc.* Non puto Apostolum cum mentis suæ concordasse secreto, ut vere omnibus sanctis minimum se esse dixerit ; verbi gratia, his qui erant in Epheso, Corintho, Thessalonica, vel in toto orbe. Quod cum humilitatis indicium sit se omnibus sanctis minimum dicere, mendacii est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud in lingua promere. Sed hoc præcepto Domini fecit Paulus, dicentis : *Qui vult in vobis major esse, fiat omnibus minor : et qui vult esse primus, fiat omnium novissimus* (*Marc.* IX). Omnibus enim qui se propter Christum infirmos esse cupiebant, apostolus Paulus infirmior erat, et idcirco major omnibus. *Plus*, inquit, *aliis laboravi. Evangelizare investigabiles divitias Christi.* Quæritur, si investigabiles, cur evangelizantur in populo? Si absconditæ, qua ratione per Paulum referuntur? Hic ergo investigabile absconditum dupliciter sentiendum : quod investigabiles ante divitiæ fuerunt, et tunc post Domini apertæ sunt passionem ; aut certe, quia natura sua homini investigabiles erant, hæc Deo revelante, in quantum tamen possumus, nobis sunt cognita.

Et illuminare omnes. Tunc illuminat, quando Gentes et Judæos ad fidem Christi vocat. *Sacramenti absconditi.* Id est, Incarnationis Christi et vocationis Gentium ad fidem, prioribus temporibus soli Deo cognitum erat. *Ut innotesceret principibus.* Ut per me his qui rebus cœlestibus, donisque per omnem Ecclesiam principantur, multiformis sapientia innotescat. Item : Si principibus et potestatibus in cœlis (licet quidam principem aeris istius et angelos ejus interpretantur), ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis patriarchis et prophetis ignota fuit? quos supra non ignorasse mysterium Christi, sed ita ut apostoli, nescisse monstravimus. Ex quo intelligimus, quia crux Christi non solum nobis, sed et angelis profuit, et aperuit sacramentum quod ante nesciebant. Denique interrogant : Quis est iste rex gloriæ? *Quam fecit.* Quam olim Deus in sua mente decrevit. *In quo habemus libertatem.* Id est, conscientiam puram, vel conscientiæ puritatem. *Et accessum.* Id est, ut noster ad Deum sensus accedat. *Propter quod peto.* Sed magis gloriari debetis, intelligentes me tanta absque certæ spei fiducia sustinere non posse, quæ apud infideles pœnæ, apud fideles victoriæ sunt. *Quæ est gloria vestra.* Pro : *quæ sunt. Ex quo omnis paternitas.* Hoc solus *pater* omnium præstat cæteris, ut patres dicantur ; sive per naturam pater Domini, sicut cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt. Quoniam autem nos, qui non sumus de genere Abraham, si fidem illius habuerimus, filii Abraham vocamur, et patriarchas et prophetas patres vocamus, ita puto angelos et habere principes sui generis, quos patres gaudeant habere in cœlestibus. *In interiore homine.* Ubi interior per fidem robustus est, ibi habitat Christus, non ubi exterior saginatur. *Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo.* Quidam dicunt, quod latitudo spatiosa via, quæ ducit ad mortem, intelligatur, longitudo vita æterna, altitudo cœlestes virtutes, profundum contrariæ inferorum virtutes ac potestates, ut scilicet horum omnium notitiam habentes, noverint quid eligant, vel quid refutent. Nulla rotunditas longitudinem et latitudinem habet, altitudinem quoque et profundum, sed ex universis partibus coæqualis.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Hoc est, ut digni simus, per scientiam et bonam conversationem habere Christi supereminentem charitatem. Supereminet autem scientiæ charitas Christi, cum ex ipso nascatur, sicut supereminet fructus. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quia non prodest scientia sine charitate. Plenitudo namque donorum Dei non erit, si charitas desit. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Redit ad id, quod supra dixit : *Propterea flecto genua*, etc. Nuncque subinfert. *Ei autem*, etc. *Secundum virtutem, quæ operatur in nobis.* Non secundum merita nostra. *In omnia sæcula sæculorum.* Immensa beneficia immensis laudibus sunt celebranda.

CAPUT IV.

Ego vinctus in Domino. Carcere scilicet vinctus, vel quod melius est, Christi charitate. Quidam vinculum animæ corpus dicunt. *In Domino.* Id est, non meo delicto, vel obsecro vos in Domino. *Ut digne ambuletis.* Id est, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. *Et mansuetudine.* Mansuetus nulli nocet. *Sufferentes invicem in charitate.* Quia sufferunt philosophi, sed non in charitate. Nos vero non ut laudemur, sed ut ille, quem sustinemus proficiat, diligentes sustinere debemus. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Nec dicentes : *Ego Apollo, ego Cephæ* (*I Cor.* I). Quidam hic non Spiritum sanctum, sed mentis affectum dicunt, ut : *Erat illis cor unum, et anima una. Unum corpus.* Id est, Ecclesia unum consensum debet habere in uno corpore, omnium compago membrorum, quæ ad unam spem sunt vocata salutis. *Et unus spiritus.* Id est, quamvis multa largitur. *Unum baptismum.* Quamvis sub tribus personis datur. Et hoc contra Valentinianos, qui duo baptismata dicunt. *Qui super omnes est.* Super omnia Pater, quia auctor est omnium. *Per omnes.* Filius, quia per ipsum creata sunt. *In omnibus.* Spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur, et templum ejus sumus. *Unicuique autem no-*

vivificabit nos. Id est, in justitia peccata per baptismum et fidem dimittendo et purgando. *Et conresuscitabit.* Quia quod in capite præcessit, certum est in membris aliquando futurum. *Simulque fecit.* Pro faciet. *Abundantes divitias.* Id est, quod daturus sit, quæ nec oculus vidit nec auris audivit. Vere abundans gratia est, quæ nec solum peccata donavit, sed etiam cum Christo resuscitatos in dextra Dei in cœlestibus collocabit. *Per fidem.* Id est, non per opera. Sed ne sibi salutem ipsam fide arrogaret securus, adjunxit : *Et hoc non ex vobis*, quoniam ipsa fides non ex vobis, sed ex eo qui vocavit nos. *Ne quis glorietur.* Id est, suis meritis, et non a Deo esse salvatum. *Creati in Christo.* Id est, renati per baptismum. *Memores itaque estote.* Commemorat illos de quanta ignobilitate ad summam regni producti sint dignitatem, ut non sint ingrati beneficiis largitoris. *Quæ dicitur circumcisio.* Id est, non virtute, sed nomine. *In carne.* Id est, non spiritu. *Manufacta.* Id est, manu humana facta, non spiritu Dei in corde.

Alienati a conversatione Israel. Id est, qui tunc erat populus Dei. *Et peregrini.* Etiamsi ex parte credebatis, proselyti tamen, id est, advenæ habebamini. *Sine Deo.* Errantes. *In hoc mundo.* Nullos falsos Deos colentes, unum verum Deum amisistis. *Gratis longe.* Deus cum ubique sit præsens, longe tamen ab impiis dicitur.

Facti estis prope. Id est, ut Judæis æquaremini, qui cum Deo erant. *In sanguine Christi.* Id est, credendo vos ejus sanguine et passione liberatos. *Ipse est enim pax nostra.* Ipse est reconciliatio utriusque populi adinvicem et ad Deum. *Et medium parietem maceriæ.* Medius paries, et sepis, et materia onera legis erant, duos populos dividentia, et ideo ipse paries inimicitiæ nominantur.

Solvens inimicitias. Id est, circumcisionem, etc., quæ non tam Dei voluntas,' quam temporis ratio a populi duritia exegerat. Aliter, solvens inimicitiam, id est, sapientiam carnis, quæ inimica est Deo. *In carne sua.* Id est, passione carnis suæ. *Legem mandatorum.* Id est, in qua sunt mandata, circumcisio, et sabbata, et neomeniæ. *Decretis.* Id est Evangelii dogmatibus evacuans. Item, *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Cæterum tota intelligentia ad angelos transferenda est, virtutesque cœlorum, et ad animas humanas, quod in suo sanguine terrena et cœlestia copulavit, quæ inter se ante dissidebant, et bonus pastor morbidam ad montes revectans ovem, fecerit esse cum cæteris; atque ita crux Domini non solum terrestribus, sed etiam cœlestibus profuit. Idem in expositione Habacuc : *Ipse solvit enim medium parietem Israel*, id est, obscuritatem veterum prophetarum, et omnia antiquæ legis aperuit sacramenta. Quod autem ait, *Ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem*, magis videtur superiori de Judæis et Gentibus sensui convenire, sic intellige : Hominem juxta imaginem et similitudinem Dei factum, eamdem per reconciliationem formam recepturum, quam et nunc angeli habent, et ipse perdiderit; *novum* autem *hominem*, qui quotidie renovatur et habitaturus est in novo mundo. Aliter, *in unum novum hominem*, id est, in unum populum Christianum effectum : in uno spiritu pulchre tres personas dicit. *In accessu duorum populorum.* Id est, totius Christiani populi generis humani. *Ergo jam non estis hospites.* Ad id quod præmiserat : *hospites testamentorum Dei*, nunc respondet : *Sed estis cives.* Præmiserat, *alienati a conversatione Israel.* Hic locus adversum eos vel maxime facit, qui diversas naturas nituntur introducere. Quomodo enim peregrini facti sunt cives sanctorum, et quomodo domestici Dei fuerunt quondam alienati a conversatione Israel, si non potest natura vel in melius, vel in pejus mutari? *Supra fundamentum apostolorum.* Apostoli fundamentum sunt, vel Christus fundamentum est apostolorum. Christus est fundamentum qui etiam lapis dicitur angularis, duos conjungens et continens parietes. Ideo hic fundamentum et summus est lapis, quia in ipso et fundatur, et consummatur Ecclesia. Summus hic angularis lapis, quia populum utrumque continet; sive juxta interpretationem cœlestia jungit atque terrena. Christus est lapis pretiosus de monte, reprobatus a Pharisæis legem ædificantibus.

In templum sanctum in Domino. In templo sancto non possunt lapides poni nisi sancti. Ad comparationem templi Hierosolymæ dicit exstrui corpus Christi, id est, Ecclesiam, ut multo majorem munditiam et sanctitatem habeat veritas quam imago. Sensuum magis in Apostolo quærendus est ordo quam verborum.

CAPUT III.

Hujus rei gratia. Id est, hujus rei, quam superius memoravi, quod Filius Dei et gentes salvaverit, et Judæos et utrosque fecerit unum. *Ego Paulus.* Id est, cognovi mysterium, vel docui. *Vinctus Christi.* Id est, Christi amore ligatus Romæ. *Si tamen audistis.* Si tamen firmiter retinetis me in vobis dispensationem accepisse doctrinæ. *Notum mihi factum est mysterium.* Id est, Judæos et Gentes unum populum esse factum in Christo. *Sicut supra scripsi.* In superioribus hujus epistolæ; quoniam dixit : Ut *notum faceret vobis sacramentum voluntatis suæ. In brevi prout potestis.* Non quoniam poteram ego scribere, sed quoniam vos assequi valebatis. *In mysterio Christi*, non in eloquentia sæculari. *Non est agnitum filiis hominum.* Signanter et caute ait filiis hominum fuisse absconditum sacramentum, non tamen filiis Dei, patriarchis et prophetis, de quibus ait : *Ego dixi : Dii estis.* Aliter : Quoniam revelatum est apostolis, ignorabant prophetæ; aliud est enim spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Unde et Joannes major omnibus Prophetis esse dicitur, quia quem cæteri prophetaverunt, ipse conspexit, et digito demonstravit dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In Spiritu esse Gentes cohæredes.* Per Spiritum mihi revelatum

est, sive in Spiritu, illos sociatos esse, non carnis circumcisione. *Cohæredes.* Id est, Israelis, vel quod melius est, Christi : ut hæreditas Deus nostra sit, et cohæres Christus. *Et concorporales.* Id est, unius corporis ; non solum cohæredes, quod possunt diversi generis esse ; non solum concorporales, quia id possunt ejusdem generis filii, non ejusdem substantiæ et gloriæ. Ideo sequitur : *Et compartícipes promissionis secundum operationem virtutis ejus.* Cujus virtus me confirmat, sive cujus virtutes meum confirmant evangelium. *Mihi enim minimo omnium sanctorum data est gratia hæc.* Non puto Apostolum cum mentis suæ concordasse secreto, ut vere omnibus sanctis minimum se esse dixerit ; verbi gratia, his qui erant in Epheso, Corintho, Thessalonica, vel in toto orbe. Quod cum humilitatis indicium sit se omnibus sanctis minimum dicere, mendacii est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud in lingua promere. Sed hoc præcepto Domini fecit Paulus, dicentis : *Qui vult in vobis major esse, fiat omnibus minor : et qui vult esse primus, fiat omnium novissimus* (*Marc.* IX). Omnibus enim qui se propter Christum infirmos esse cupiebant, apostolus Paulus infirmior erat, et idcirco major omnibus. *Plus*, inquit, *aliis laboravi. Evangelizare investigabiles divitias Christi.* Quæritur, si investigabiles, cur evangelizantur in populo? Si absconditæ, qua ratione per Paulum referuntur? Hic ergo investigabile absconditum dupliciter sentiendum : quod investigabiles ante divitiæ fuerunt, et tunc post Domini apertæ sunt passionem ; aut certe, quia natura sua homini investigabiles erant, hæc Deo revelante, in quantum tamen possumus, nobis sunt cognita.

Et illuminare omnes. Tunc illuminat, quando Gentes et Judæos ad fidem Christi vocat. *Sacramenti absconditi.* Id est, incarnationis Christi et vocationis Gentium ad fidem, prioribus temporibus soli Deo cognitum erat. *Ut innotesceret principibus.* Ut per me his qui rebus cœlestibus, donisque per omnem Ecclesiam principantur, multiformis sapientia innotescat. Item : Si principibus et potestatibus in cœlis (licet quidam principem aeris istius et angelos ejus interpretantur), ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis patriarchis et prophetis ignota fuit ? quos supra non ignorasse mysterium Christi, sed ita ut apostoli, nescisse monstravimus. Ex quo intelligimus, quia crux Christi non solum nobis, sed et angelis profuit, et aperuit sacramentum quod ante nesciebant. Denique interrogant : Quis est iste rex gloriæ ? *Quam fecit.* Quam olim Deus in sua mente decrevit. *In quo habemus libertatem.* Id est, conscientiam puram, vel conscientiæ puritatem. *Et accessum.* Id est, ut noster ad Deum sensus accedat. *Propter quod peto.* Sed magis gloriari debetis, intelligentes me tanta absque certæ spei fiducia sustinere non posse, quæ apud infideles pœnæ, apud fideles victoriæ sunt. *Quæ est gloria vestra.* Pro : *quæ sunt. Ex quo omnis paternitas.* Hoc solus *pater* omnium præstat cæteris, ut patres dicantur ; sive per naturam pater Domini, sicut cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt. Quoniam autem nos, qui non sumus de genere Abraham, si fidem illius habuerimus, filii Abraham vocamur, et patriarchas et prophetas patres vocamus, ita puto angelos et habere principes sui generis, quos patres gaudeant habere in cœlestibus. *In interiore homine.* Ubi interior per fidem robustus est, ibi habitat Christus, non ubi exterior saginatur. *Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo.* Quidam dicunt, quod latitudo spatiosa via, quæ ducit ad mortem, intelligatur, longitudo vita æterna, altitudo cœlestes virtutes, profundum contrariæ inferorum virtutes ac potestates, ut scilicet horum omnium notitiam habentes, noverint quid eligant, vel quid refutent. Nulla rotunditas longitudinem et latitudinem habet, altitudinem quoque et profundum, sed ex universis partibus coæqualis.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Hoc est, ut digni simus, per scientiam et bonam conversationem habere Christi supereminentem charitatem. Supereminet autem scientiæ charitas Christi, cum ex ipso nascatur, sicut supereminet fructus. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quia non prodest scientia sine charitate. Plenitudo namque donorum Dei non erit, si charitas desit. *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Redit ad id, quod supra dixit : *Propterea flecto genua*, etc. Nuncque subinfert. *Ei autem*, etc. *Secundum virtutem, quæ operatur in nobis.* Non secundum merita nostra. *In omnia sæcula sæculorum.* Immensa beneficia immensis laudibus sunt celebranda.

CAPUT IV.

Ego vinctus in Domino. Carcere scilicet vinctus, vel quod melius est, Christi charitate. Quidam vinculum animæ corpus dicunt. *In Domino.* Id est, non meo delicto, vel obsecro vos in Domino. *Ut digne ambuletis.* Id est, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. *Et mansuetudine.* Mansuetus nulli nocet. *Sufferentes invicem in charitate.* Quia sufferunt philosophi, sed non in charitate. Nos vero non ut laudemur, sed ut ille, quem sustinemus proficiat, diligentes sustinere debemus. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Nec dicentes : *Ego Apollo, ego Cephæ* (*I Cor.* I). Quidam hic non Spiritum sanctum, sed mentis affectum dicunt, ut : *Erat illis cor unum, et anima una. Unum corpus.* Id est, Ecclesia unum consensum debet habere in uno corpore, omnium compago membrorum, quæ ad unam spem sunt vocata salutis. *Et unus spiritus.* Id est, quamvis multa largitur. *Unum baptismum.* Quamvis sub tribus personis datur. Et hoc contra Valentinianos, qui duo baptismata dicunt. *Qui super omnes est.* Super omnia Pater, quia auctor est omnium. *Per omnes.* Filius, quia per ipsum creata sunt. *In omnibus.* Spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur, et templum ejus sumus. *Unicuique autem no-*

strum data est gratia secundum mensuram. Nunc de differentia donorum dicit, ne ab hoc invidi fiant invicem, cum Christus singulis dividit. *Secundum mensuram.* Tam nostræ capacitatis quam illius largitatis. Quamvis immensus est Deus, tamen juxta mensuram gratiam donat, id est, ut capere possimus. *Captivitatem.* Nam quos diabolus tenebat in morte, Christus captivavit ad vitam. *Dedit dona.* In Psalmo ait : *Accepisti dona* (*Psal.* LXVII). Ipse ergo et dat, et in suis membris accipit. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit?* Exponit, cur dicatur ascendisse, quem ubique esse non dubium est. Secundum formam scilicet servi, ad quam non localiter, sed dignanter descenderat. *Super omnes cœlos.* Nunquid corporaliter super omnes cœlos, quos philosophi sphæras vocant, transiens, stetit in summo cœli fornice? Aut certe omnia corporalia contemnens, et æterna contemplans, super cœlos, id est, super invisibilia sedisse credendus est? quod ego melius puto. *Ut adimpleret omnia.* Ut non solum prophetas compleret, sed etiam has occultas dispensationes : neque scire possumus, quomodo et angelis in inferno sanguis Christi profuerit

Et ipse dedit quosdam. Nunc tractat donorum prædictorum differentiam secundum mensuram donationis Christi. *Alios pastores et doctores.* Non autem ait alios pastores et alios doctores; sed alios pastores et doctores, ut qui pastor est, debeat esse doctor. *Alios vero evangelistas.* Omnis apostolus evangelista est, non omnis evangelista apostolus. *Donec occurramus omnes in unitate fidei.* Ex libro de Civitate Dei vigesimo secundo : Si dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumcunque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse capillum non periturum esse promiserit. Restat ergo, ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex sit mortuus, vel fuerat habiturus, etiamsi est ante defunctus. Atque illud quod commemoravit Apostolus de *mensura ætatis plenitudinis Christi*, aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, ut illo capite populi Christiani accedente, omnium perfectione membrorum ætatis ejus mensura compleatur; aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec infra, nec ultra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ejus ætate et robore, ad quam usque Christum hic pervenisse cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam sæculi hujus doctissimi hominum juventutem : quæ cum fuerit proprio spatio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis ætatis. Et ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ, sed *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, id est, in eo debet esse, qui est vir perfectus, caput et corpus, quod constat omnibus membris, quæ suo tempore complebuntur. Quotidie enim eidem corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, cui dicitur : *Vos estis corpus Christi, et membra. Secundum operationem*, inquit, *in mensuram uniuscujusque partis.* Si ergo est mensura uniuscujusque partis, ita totius corporis, quod omnibus suis membris constat, est utique mensura plenitudinis Christi, de qua dictum est, *in mensura ætatis plenitudinis Christi.* Quam plenitudinem etiam illo commemoravit loco, ubi ait de Christo : *Et ipsum dedit super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet.*

Parvuli fluctuantes. Instabiles adinstar fluctus, qui a vento movetur.

Et circumferamur omni vento doctrinæ. Ut non simus ignorantes, nec dubie vacillantes, et more imperiti gubernatoris omnis doctrinæ vento nostræ fidei vela pandentes, ne facile naufragemus, aut ad portum perfectionis nunquam pervenire possimus. *Et astutia.* Id est, dialecticæ artis.

Veritatem autem facientes. Omnia in veritate propter charitatem Christi, et nihil in hypocrisi facientes. *Per omnia.* Incrementa seu dona, vel opera. *Ex quo totum corpus compactum.* Singulis membris, id est, justis quibuslibet. *Et connexum.* Nervis et cute. *Per omnem juncturam.* Membrorum scilicet a capite usque ad pedes, ex capite connexum corpus per omnem juncturam, vel subjunctionem operationis crescit, dum se alterutrum membra ædificant diligendo, ita ut unumquodque membrum in sua membra augeatur, hoc est, ut qui est per sapientiam oculus, in eorum numerum crescat, qui oculi officium erunt, et singula suo loco proficiant membra.

In charitate. Dum dicit in charitate, ad sensum pertinet, quia hoc totum spiritualiter intelligendum est. Hæc idcireo apud nos obscura sunt, quia metaphorice dicuntur.

Hoc igitur dico et testificor in Domino. Quos superius rogaverat, hic Domini obtestatione constringit : hoc ergo dico vobis, qui occursuri estis in mensura ætatis plenitudinis Christi.

Ne ambuletis sicut gentes ambulant, qui desperantes semetipsos. Id est, nullam spem cœlestium præmiorum habentes. *Et avaritia.* Non ad avaritiam, ut sonat, simpliciter pertinet, sed ad libidinem atque luxuriam, quod nonnunquam luxuriando patiuntur. *Non ita didicistis Christum.* Discere Christum, idem est, et sapientiam audire. *Si tamen illum audistis.* Si autem omnes, qui Christum audire videntur, audirent, nunquam ad Ephesios, et certe illos, quibus sacramenta Christi revelaverat Apostolus, diceret : *Si tamen illum audistis. Et in illo docti estis.* Aliquando per semetipsum docet nos in cordibus nostris, aliquando per doctores.

Sicut est veritas in Jesu. Nam sancti per speculum et ænigmata vident, in Jesu autem veritas. *Secundum desideria erroris.* Facions omnia secundum desideria cordis carnalium cogitationum.

Et induite novum hominem. Id est, Christum, cujus conversatione induimur. *Qui secundum Deum creatus est in justitia.* Ecce manifestum est, quod

amisit Adam justitiam et sanctitatem, et veritatem. *Justitia.* In judiciis. *Sanctitas.* In operibus. *Veritas.* In verbis. *Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo.* De Zacharia sumptum. *Quia sumus invicem membra.* Non possunt alterutrum membra se fallere, neque laniare, ita et vos. *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV). Evidenter hoc dicit vitiis et furori vestro, ne conniventibus vobis sol justitiæ Christus incipiat propter iracundiam vestram mentibus obscuratis occidere, et discedente illo locum diabolo in vestris cordibus præbeatis. Aliter : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Jacob.* IV), hoc est, ut ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur. *Neque locum detis diabolo.* Porta enim diaboli peccatum est, quemadmodum Spiritus sancti justitia. *Qui furabatur, jam non furetur.* Hoc est, alienos labores aliquando direptos, nunc suo labore compenset, et operando tribuat indigentibus, qui multos furando fecit egentes. *Magis autem laboret, et operans manibus.* Operatur bonum, qui declinat a malo, et facit bonum, et operatur in agro animæ suæ, ut spiritualibus panibus impleatur, et possit commodare esurienti et necessitatem sustinenti, dans in tempore cibaria cœlestis dogmatis conservis suis. Si autem talis est qui operatur bonum, ergo et is qui furatur consequenter verba furatur et dogmata, de furto vivens, de furto sibi cervicalia consuens, et Scripturarum pannos hinc inde colligens, ut possit tunicam facere conscissam. Diabolus est Græcum verbum quod Latine dicitur criminator, lingua vero Hebraica Satanas appellatur adversarius, sive contrarius. Et ab Apostolo Belial, id est, absque jugo, quod de collo suo Dei ejecerit servitutem, quem Aquila *apostatam* transtulit. *Operans manibus quod bonum est.* Non quod malum, ut sunt multæ inhonestæ vel malæ artes, ut maleficia, etc. *Sed si quis bonus.* Sermo qui docet virtutes. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Non quod ipsa Spiritus sancti substantia contristari potest, cum habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant, profectu fidelium et bonis operibus. Et ideo necesse est ut etiam constristentur lapsu vel peccatis eorum de quorum fide ac pietate gaudeant : quæ tristitia laudabilis est quia venit ex dilectione quam Spiritus sanctus infudit. Propterea et ipse spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent, quo dono tam boni sunt, ut eos mali mœstificent, hi maxime quos bonos fuisse sive noverunt, sive crediderunt : quæ profecto tristitia non solum non culpanda, verum etiam præcipue laudanda atque prædicanda est. Item : *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Hominibus loquentes, comparationes inducit humanas, ut ex nobis intelligamus quantam Spiritui sancto injuriam faciamus cum donum ejus in nobis aliqua peccati sorde polluimus. *In quo signati estis.* Signati autem sumus Spiritui sancto. *In die redemptionis.* In die baptismi. *Amaritudo.* Rancor in corde. *Ira.* Quæ in vultu appareat, furore restincto desiderat ultionem. *Indignatio.* Est ex superbia, cum aliquem judicamus indignum, et ideo nolumus eum sustinere. *Clamor.* Scilicet ille qui ex furore descendit. Cæterum Isaias bene clamare jubetur, et ipse Dominus in templo clamabat : *Qui sitit, veniat et bibat* (*Joan.* VII). Peccatum perpetrare crimen est; peccatum prædicare, clamor. *Cum omni malitia.* Comprehendit omnia mala, dicendo *malitia.* Aut malitia est, quæ inimico vicem reddere potest. *Estote autem invicem benigni.* Postquam vitia eradicavit, virtutes plantat, ut Jeremias dicit : *Ut evellas et plantes. Benigni.* Ex corde. *Misericordes.* Operibus. *Donantes.* Id est, remittentes peccata.

CAPUT V.

Estote autem imitatores Dei. Indulgendo peccata, ut est : Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34).

Et tradidit semetipsum. Ergo sicut ille animam suam pro nobis tradidit, ita et nos pro fratribus animas ponamus. *Oblationem et hostiam.* Omne sacrificium oblatio vocatur, hostia vero de vivis; at in Christo continetur utrumque, quia ipse oblatus est et vivus. *In odorem suavitatis.* Odor suavitatis charitas est. *Fornicatio autem.* Omnia crimina breviter comprehendit, duas criminum designando radices, id est, fornicationem et avaritiam. *Et omnis immunditia.* Titillatio carnis, et fluxus sanguinis ex qualicunque attritu ventris.

Aut turpitudo. Id est, libidinosa cogitatio. Inter stultiloquium et scurrilitatem hoc interest quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet. Scurrilitas vero de prudenti mente descendit, et consulto appetit quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus. Verum et hæc a sanctis viris propellenda, quibus magis convenit flere atque gaudere.

Sed magis gratiæ actio. Non ut Deo gratias agamus, sed ut grati sive gratiosi simus apud homines, ut : *Sit sermo vester sale conditus. Hoc enim scitote.* Hoc contra illos agit qui solam fidem posse sufficere dicunt. *Aut avarus.* Qui sic honorat divitias ut deos. Nam in avaro idololatria est, quod scripturam ipsius nummi colit, ut voracium Deus venter est, ita cupidorum Deus dicitur pecunia. *In filios diffidentiæ.* In Sodomitas, vel in eos qui diluvio perierunt. Notandum est quod sex vitiis supra prohibitis, fornicatione, immunditia, avaritia, turpitudine, stultitia, scurrilitate, nunc tantum tria posuerit, fornicationem, immunditiam et avaritiam, quibus qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi et Dei non possit habere. Si enim ita stultiloqui et scurræ alieni essent a regno Dei, quomodo iniquos specialiter separavit, videretur sententia esse crudelis, non ignoscere imbecillitati fragilitatis humanæ, cum etiam per jocum nos dicta damnarent. Qui enim in ser-

mone non labitur, perfectus est. Neque vero ista dicentes locum stultiloquio et scurrilitati damus, dum non excludantur a regno, sed quoniam apud Patrem diversæ sunt mansiones, et *stella a stella differt in gloria, sic et resurrèctio mortuorum*, quamvis aliquis a fornicatione, immunditia atque lascivia alienus sit, tamen si stultiloquus fuerit et scurra, non tenebit eum locum quem possessurus erat si hæc vitia non haberet : respondeat, quia stultiloquium et scurrilitas non eumdem habeant reatum quem fornicatio, immunditia et avaritia, nunquid et turpitudinem cum tribus superioribus debuit nominare? Ad quod dicendum hic turpitudinem significare absconditam cogitationem, cui inflammatur sensus noster ad libidinem, et carnis titillationibus anima ignita succenditur, et nihilominus Dei timore in judicio refrenatur : et quomodo stultiloquium et scurrilitas, sic ista turpitudo non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. *Participes eorum.* Fornicatio, immunditia, avaritia. *Filii lucis.* Id est, Christi, vel fidei, vel scientiæ. *In omnibus bonitate.* Id est, in benignitate ad omnes, ut : Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v). *Justitia.* Operum et judiciorum. *Et veritate.* Verborum. *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* Quia videtur tota scatere sententia, ordine tenenda est : Nolite fieri participes eorum, probantes quid sit beneplacitum Deo; etsi enim aliquando eratis tenebræ, nunc lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Fructus lucis ostendite, in bonitate, et justitia, et veritate. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Id est, quia lux non potest communicare cum tenebris. Tenebrarum opera sunt, quæ ad tenebras ducunt. *Redarguite.* Id est, peccantes, dum lux estis. *Quæ enim in occulto fiunt.* Fornicatio, immunditia, avaritia. *Ab eis.* Filiis scilicet diffidentiæ. *Etiam dicere.* Aliquando nominat turpia propter utilitatem, aliquando pro verecundia non nominat. *Omnia quæ arguuntur.* Quæ occulta fiunt a filiis diffidentiæ, ut ex eo quod corripiuntur, mutentur in melius, et mutata manifestentur in publico, et publicata fiant lumen. *Omne autem quod manifestatur, lumen est.* Incipit lumen esse cum crediderit, et vobis adjungitur.

Propter quod dicit : exsurge a mortuis. Ego secundum ingeniolum meum omnes editiones veterum Scripturarum, ipsa quoque Hebræorum volumina diligenter eventilans, nusquam hoc scriptum reperi, nisi forte hoc dicamus, quemadmodum olim prophetæ in concione populi loquebantur : *Hæc dicit Dominus.* Et : *Quoniam Dominus locutus est*, ita et Apostolum Spiritu sancto plenum, repente in verba quæ in se Christus loquebatur, erupisse atque dixisse : *Hæc dicit Dominus.* Nec non et illud est disserendum, quomodo uni atque eidem dicatur, quasi dormienti : *Surge qui dormis*, quasi mortuo, exsurge a mortuis. Igitur quia et spiritus est hominis, quem semper in bona parte scriptum invenimus, et anima, cujus infirmitates et mortes legimus peccatorum, id quod nunc dicitur : *Surge qui dormis*, refertur ad spiritum. Et quod sequitur : *Exsurge a mortuis*, animæ coaptatur : *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur :* Spiritus mortem nunquam legimus. Christus vero lux vera orietur ei, qui surrexit a mortuis, et ex mortuis fuerit suscitatus.

Quomodo caute ambuletis. Non ad insidias faciendas, sed ad cavendum peccatum, ut est illud : *Astutus dirigit gressus suos* (*Prov.* XIV). Aliter caute, id est, discernentes bonum et malum.

Redimentes tempus. Hoc est, pœnitentia residuo tempore in bonis operibus perseverantes, tempus præteritum in peccatis redimentes, quod tempus malitia hominum venditum erat.

Quoniam dies mali sunt. Per metanomiam, pro his qui in diebus sunt, quia dies mali esse non possunt. *Sed intelligentes.* Id est, scrutamini legem, in qua voluntas ejus continetur. *Et nolite inebriari vino.* Quomodo non possumus duobus dominis servire, Deo et mammonæ, sic non possumus spiritu impleri pariter et vino : qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, mansuetudinem, verecundiam, castitatem; qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem : hoc quippe æstimo uno verbo significare luxuriam.

In psalmis. Hymni sunt, qui fortitudinem et majestatem Dei prædicant, et ejusdem semper vel beneficia, vel facta mirantur, quod omnes psalmi continent, quibus alleluia vel propositum, vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quod faciendum et quod vitandum sit, noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale canticum canit, vel certe propter simpliciores manifestius, quod volumus, eloquamur. Psalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur et psallere, et laudare Deum, magis animo quam voce debemus, hoc est quippe quod dicitur : *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes pro omnibus.* Id est, quæ accidunt vobis, sive prosperis, sive adversis.

Subjecti invicem in timore Christi. Propter timorem Christi fiat subjectio, dum illum offendere timemus. Audiant hoc episcopi, audiant presbyteri, audiat omnis ordo doctorum, subjectis suis esse subjectos, et imitentur dicentem Apostolum : *Cum enim liber essem ex omnibus, omnium meipsum servum feci, ut omnes lucrifacerem.* Et in alio loco : *Servite invicem.* Salvator quoque formam servi accepit, ut serviret discipulis suis, et pedes eorum lavit. Hoc interest inter gentium principes et Christianorum, quod illi dominantur subditis, nos servimus, et in [hoc] majores sumus, si minimi omnium fuerimus. *Mulieres viris suis.* Hucusque in commune, nunc singulatim unumquemque docet, ut debita officia singulis non cessent.

Sicut Christus caput est Ecclesiæ. Id est, quomodo in Christo et Ecclesia sancta conjunctio, sic in viro et muliere debet esse sancta copula. *Ipse salvator*

corporis. Id est, Ecclesiam Christus salvavit, vel vir salvator corporis mulieris in necessitatibus et doloribus dum infirmioris sexus est. *Viri, diligite uxores vestras.* Sanctus amor hic intelligendus, ut voluptates resecentur, ut prægnantes ad partum usque non coeant.

Sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Ita et vos pro sanctitate uxorum, nec mori, si necesse fuerit, recusetis. *Ut eam sanctificaret.* Aqua enim lavit corpus, animam doctrina : ita et vos corpora uxorum continentia, et animam mundate doctrina. *In verbo vitæ.* Id est, in doctrina per baptismum, vel verbum quod cantatur a sacerdote ad baptismum. *Ut sit sancta.* Id est, anima. *Et immaculata.* Id est, corpore. *Sed nutrit et fovet.* Ut uxoribus vestimentum et victum et quæ necessaria sunt præbeamus. *Sicut Christus Ecclesiam.* Ut : *Quoties volui congregare filios tuos,* etc. (*Luc.* XIII). *Quia membra sumus.* Membra ejus debent in omnibus eum imitari, de carne ipsius sive hominis, quem assumpsit ex Maria, sive Ecclesiæ.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam. Spiritualiter reliquit Christus Deum Patrem, et matrem Hierusalem cœlestem, et venit ad terras ad Ecclesiam. *Et adhærebit uxori suæ.* Spiritualiter Ecclesiæ Christus ex utroque populo collectæ. *Sacramentum hoc magnum est.* Sunt enim alia minora sacramenta. *Verumtamen singuli.* Hoc est, licet in Christo et Ecclesia dixerim, tamen oportet servari in conjugio. *Ut unusquisque uxorem sicut semetipsum diligat. Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII), juxta interpretationem Salvatoris. Proximus est omnis homo. Nulla ergo erit inter uxorem et quorumlibet hominum dilectionem differentia charitatis? quod dicere absurdum est : in proximo enim similitudo ponitur, ut sic eum diligas sicut te, et cupias esse salvatum : in uxore autem comparationis adverbium dicitur. *Sicut* non similitudinem, sed probationem et confirmationem sonat, sicut de Christo dicitur : Quasi unigeniti a Patre. *Uxor ut timeat virum.* Duæ significantiæ in verbo timoris sunt : Una est qua servi spiritum servitutis habent in timore; altera pro reverentia dici potest, ut uxor revereatur virum suum.

CAPUT VI.

Filii, obedite parentibus. Id est, in parentibus ea quæ non sunt Domini contraria voluntati.

Quod est mandatum primum. Quæritur quare nunc dixerit : *quod est mandatum primum,* cum sit quartum vel quintum : Primum enim mandatum est : *Non erunt tibi dii alieni præter me* (*Exod.* XX). Ideo alii distinguunt, quod est mandatum primum in repromissione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissionem. Sed videntur mihi non observasse subtiliter, sed in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim, *Non facies tibi idola, neque omnem similitudinem,* usque, *et facio misericordiam his qui diligunt me,* etc. Observa verba sponsionis, faciens misericordiam, etc. Forsan ergo quia decalogus exeuntibus de Ægypto, et prima lex data est, unumquodque mandatum decalogi primum est, ad comparationem eorum præceptorum quæ postea in lege scriptâ sunt. Qui priorem excusationem defendit, in secundo mandato non seorsum dicet, sed sub uno textu atque sermone non tam promissionem datam, quam sententiam et laudes Dei esse finitas, facientis misericordiam, etc. *In simplicitate cordis.* Id est, deposita priore superbia et simulatione. Hic autem providet Apostolus, ne doctrina Christi in aliquo blasphemetur, si credentes servi dominis inutiles fiant.

Sicut Christo. Pulchre addidit, *sicut Christo,* ut scilicet non audiat servus carnalem dominum, si contraria præceptis Dei voluerit imperare.

Non ad oculum. Præsentibus tantum dominis. *Sicut Domino.* Domino servit, qui cum bona voluntate animi servitium dominis facit. *Cum bona voluntate.* Non cum murmuratione, ne apud homines gratia, et apud Deum mercede privemini. *Remittentes minas.* Ne vestræ malitiæ imputetur, si effugerint. *Quia illorum et vester Dominus est in cœlis.* Id est, sicut super servos vindicare potestis, magis autem super vos vindicare potest Deus. *Personarum non est acceptio apud Deum.* Qui solus tantum vindicat voluntates, et juxta eas deteriori præfert meliorem, eligens facta, non homines.

De cætero. Post specialia mandata virorum ac mulierum, nunc generaliter omnes admonet. *Rectores hujus mundi.* Qui regunt in aere suos angelos. Diabolus enim suis angelis [Satellitibus] diversa officia divisit; aut rectores hujus mundi, id est, amatorum et carnalium hujus mundi.

Tenebrarum harum. Tota ista terrena vita tenebræ dicitur : lux quippe lucet in tenebris.

In cœlestibus. Id est, in aere discurrentibus. *In die malo.* Diem autem malum præsens tempus ostendit, de quo supra dixerat : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt,* propter angustias et vitæ hujus labores, aut certe consummationis atque judicii, quando diabolus inimicus et vindex sua nos cupiet in parte retinere.

State ergo. Ne moveamini de acie, sed stabilem figite gradum super petram Christum.

Succincti lumbos. Zona continentiæ : quia igitur lumbi in generatione semper accipiuntur et semine, videtur nobis accinxisse lumbos suos, qui nequaquam uxori debitum reddit, nec servit libidini. *In veritate.* Non in hypocrisi, nemo enim coronabitur, etc. *Loricam justitiæ.* Sicut lorica multis circulis et hamulis intexitur, ita justitia diversis virtutum connectitur speciebus.

Scutum fidei. Sine scuto omnis armatus inermis est; ita et hæ virtutes sine fide salvare non possunt, in omnibus certaminibus fide muniamur. *Et calceati pedes.* Docet fiduciam prædicationis opportunæ et importunæ, ut calceatus audenter ambulet.

Sumite, inquit, *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita restinguere.* Ergo fides est quæ,

excipiens ardentissima libidinum tela, metum futuri judicii ex cœlestis regni credulitate mortificat. *Et loricam*, inquit; charitas ipsa nempe est quæ vitalia pectoris nostri circumdans atque communiens, lethalibus perturbationum objecta vulneribus, contrarios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum jacula zabuli penetrare permittit, omnia suffert, omnia patitur, omnia sustinet.

Et galeam spei salutis. Galea capitis est munimen: quia ergo caput nostrum Christus est, debemus semper istud spe futurorum bonorum, velut inexpugnabili galea, in cunctis tentationibus ac persecutionibus communire, et principaliter fidem ejus illæsam atque integram custodire; aliis enim membris truncatum quempiam licet et debilem, possibile tamen est utcunque superesse, sine capite vero, nemini vel brevis vitæ spatium prorogatur.

Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Penetrabilius namque est *omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis* (*Hebr.* IV), dividens scilicet et abscindens quidquid in nobis carnale terrenumque reperit.

Per omnem orationem. Semper hunc gladium portare vel postulare.

A *Ad apertionem oris mei.* Ut: *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* L), etc

Cum fiducia. Sine metu persecutionis. *Omnia nota faciet Tychicus.* Dupliciter intelligendum: vel ideo Tychicus missus est ad Ephesum ut nuntiaret eis vincula Apostoli ad fidem Evangelii profecisse, eo tempore quo ad Colossenses scripsit, dicens: *Omnia vobis nota faciet Tychicus* (*Col.* IV); grandis enim consolatio erat audire populum Romanum in domina urbium triumphantem de vinculis: vel certe ob id Tychicus missus est, ut conversationem Pauli, quam ignorabant, annuntiaret eis, quasi quoddam vivendi exemplar daret discentibus gesta Apostoli atque virtutes, et cum imitari volentibus, nec parva esse poterat consolatio

B *Pax fratribus et charitas.* Pax, et charitas, et fides, perfectum faciunt Christianum: tam enim sine fide infructuosa est charitas, quam fides sine charitate vel pace. Nam charitas major est pace: potest enim odio non haberi quis, non tamen et amari. *In incorruptione.* Sive castitate, sive in quorum corde nullo adulterino sæculari amore Christi delectatio violetur.

VI.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis. Metropoli Macedoniæ.

Cum gaudio. Non cum tristitia alicujus peccati vestri. *Super communicatione vestra.* Quia mihi communicatis in Evangelio prædicando.

A primo die. Quo accepistis fidem. *Usque in diem Christi.* Usque in adventum Christi. *Sicut justum.* Charitas enim omnia sperat. *Eo quod habeam vos in corde.* In tantum vos diligo, ut mihi memoriam vestri nec vis tribulationis, nec sollicitudo defensionis auferat. *In defensione.* Quia defendo Evangelium adversus hæreticos. *Et confirmatione.* Id est, exemplo et doctrina. *Socios gaudii mei.* Hoc sentio de vobis et credo quia sicut meæ tribulationis socii estis, ita Evangelio credidisse, ut etiam in tribulationibus meis pro ejus defensione mecum pariter gaudeatis. *Quemadmodum desiderem.* Diligam. *In visceribus Christi Jesu.* Sive ejus inesse visceribus, sive ita vos desidero, tanquam viscera Christi. *In scientia.* In agnitione Dei. *Et omni sensu.* Mysteriorum. *Ut probetis.* Id est, sciatis. *Potiora.* Id est, altiora mysteria. *Fructum justitiæ.* Bonis operibus. *In gloriam.* Ut glorificetur Deus in actibus vestris. *Scire vos volo.* Tribus causis hoc dicit, ut magnificaret potentiam

C Dei, ut exemplum fieret aliis, ut consolaretur Philippenses, mœstos de vinculis et tribulatione ejus in Roma.

In omni prætorio. In domibus regum, ubi prætores solent esse.

Abundantius ut auderent. Vinculorum meorum exemplo sunt incitati, dum me pro Christo viderent libentissime sustinere. *Alii quidem propter invidiam.* Hic subjungit quatuor ordines prædicantium verbum Dei. Propter invidiam, hoc est, dum mihi apud credentes gloriam auferre se putant, ne solus mihi vindicare videar scientiam prædicandi.

Aliqui autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quia alios salvare volentes Christum annuntiant. *Alii ex charitate.* Id est, ut mihi adjutores

D fiant, quia sciunt me a Deo ad defendendum Evangelium ordinatum. *Non sincere existimantes presuras se suscitare vinculis meis.* Alii vero dolose prædicant ad me gravandum, quasi plures discipulos facientem, et doctrina mea totum orbem implere cupientem, ut ex hoc saltem mihi major invidia cumuletur vel pressura. *Quid enim? Dum omnimodo.* Non mihi cura est qua mente prædicent, dummodo quod cupio, Christi nomen omnibus innotescat, quapropter et modo gaudeo et in futuro gaudebo. *Sive occasione.* Odii vel invidiæ contra me. *Et in hoc*

gaudebo. Vinculo vel opere prædicationis ebrum. *Nam scio.* Quod mihi nocere putant in salutem proveniet, quia non solum per verbum et passionem meam, sed etiam per odium Christi Ecclesia augmentatur.

Subministrationem. Ideo subministratio dicitur, quia non quod adversarii volunt, sed aliud in occulto spiritus subministrat.

Expectationem. Id est, patientiam. *Quia in nulla confundor.* Tormento, neque in vita, neque in morte, neque in contumeliis, neque in opprobriis nos omnibus erubescimus. *Sed in omni fiducia.* Nulla res me poterit deterrere.

Et nunc magnificabitur Christus in corpore mea. Inimicis suis insultat, quod ei nocere non valeant. Si enim eum occiderint, martyrio coronabitur : si B servaverint, Christum annuntiando plurimum faciet fructum

Sive per vitam. Ad prædicationem.

Sive per mortem. Id est, pro illo in martyrio.

Mihi enim vivere Christus est. Non alia causa vivere volo, nisi Christi, id est, ut ejus corpus ædificem. *Fructus operis.* In ædificationem aliorum. *Et hoc confidens scio.* Spiritu prophetico promittit. *Et gaudium fidei.* Ut per profectum de fructu fidei vestræ gaudium habeatis. *Per meum adventum iterum ad vos.* Hoc pro consolatione eorum dicit, quia suo spiritu pervenit ad eos, licet non corpore. *In uno spiritu.* Ut : *Erat eis cor unum et anima una* (*Act.* IV).

Unanimes. Quia omnis pugna unanimiter aggressa C victoriam parit. *Quæ est illis causa perditionis.* Id est, tentatio qua terrent vos. *Et hoc a Deo.* Qui vult suos coronari probatos, sicut Job permittitur tentari. *Non solum ut in eum credatis.* Non solum ut fidei meritum, sed etiam martyrii meritum præmium habeatis, dum vos tentari Deus patitur ut vincatis.

Idem certamen habentes quale et vidistis in me. Nihil novum patiemini, sed hoc quod et præsentes vidistis in me, et nunc absentes de me audistis me. Non sit ergo vobis indignum illa pati, in quibus conspicitis nos gloriari.

CAPUT II.

Si qua ergo consolatio in Christo. Rogo vos hoc D mihi præstate, ut gaudium meum unitatis dilectione impleatis. *Si qua est consolatio in Christo*, id est, consolamini me umbra Christi, pro vobis passum, si vos consolatus est Christus. *Si qua allocutio charitatis.* Si aliquam charitatem ei rependere vultis. *Si qua societas spiritus.* Si spiritum ejus in vobis esse cupitis. *Si qua viscera misericordiæ.* Si in eum misericordes estis. *Implete gaudium meum.* In talibus discipulis doctor exsultat.

Eamdem charitatem habentes. Ergo nolite scindere charitatem sentiendo diversa. *Non quæ sua sunt singuli considerantes.* Non quæ vobis solis expediunt, sed quæ aliis prosunt. *Hoc sentite in vobis, quod et* A *in Christo Jesu.* Vult ostendere Christum non propter se, sed propter alios passum; sive, tam humilis sensus in vobis sit, quam fuit in Christo.

Qui cum in forma Dei esset. In forma Dei erat, et videns unius hominis delicto mortem regnare per populos, creaturæ suæ non oblitus est. *Nec rapinam duxit se æqualem esse Deo.* Quia vere secundum divinitatem æqualis erat Patri. *Sed exinanivit semetipsum.* Non substantiam evacuans, sed honorem inclinans. *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Naturam hominis induendo. *Mortem autem crucis.* Qua morte nulla formidolosior erat. *Propter quod et Deus illum exaltavit.* In resurrectione et ascensione, et cæteris : ita et nos si exaltari cupimus, exemplo Christi fratribus serviamus

Et donavit illi nomen. Quod est Filius. *Quod est super omne nomen. Cui enim angelorum dixit : Filius meus es tu* (*Psal.* II)? itaque donavit illi nomen, non quod ante non habuit. Unde rectius locus hic secundum humanam naturam intelligendus est, quam divinam. *Omne genu flectatur.* Non ad corporis genua, sed ad humilem subjectionem inclinationemque mentis pertinet.

Cœlestium. Id est, angelorum. Cœlestes autem genua flectere dicuntur more precario, non quod haberent genua, qui incorporales sunt, sed, ut diximus, pro humili subjectione et adoratione dicitur.

Terrestrium. Hominum. *Infernorum.* Angelorum qui præsunt infernalibus locis. *In gloria Dei Patris.* In natura et gloria Deitatis. *Cum timore.* Non cum negligentia, sed sicut ait Job : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job.* IX). *Vestram salutem operamini.* Hoc est, custodite per bonum opus salutem a Deo vobis donatam. *Sine murmurationc.* De gravitate præceptorum Dei, vel de pressura tribulationum. *Et hæsitatione.* Qui murmurat de præceptis, hæsitat de promissis.

Ut sitis sine querela. Apud homines et Deum. Quod conqueritur Deus sæpe de hominibus in Scripturis, apparet quod nolint credere et recte vivere. Unde fideles et facientes voluntatem Dei conversari dicuntur sine querela, quod de illis Scriptura non queratur.

Et simplices. Nihil præter voluntatem Dei facientes vel scientes, sicut filii Dei immaculati, qui cum sit purus et sanctus, filios non potest habere degeneres. *In medio generis.* Judæorum et gentium.

Pravi. Mente. *Perversi.* Operibus. *Sicut luminaria*, ut : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

Ad gloriam mihi. Gloria enim patris filii filiorum ut ait Salomon (*Prov.* XVII). *Non in vacuum cucurri.* Qui talem populum Deo acquisivi. *Sed et si immolor super sacrificium vestrum.* Sed etiam si occidar, quia sacrificium et obsequium fidei vestræ obtuli Deo. Vincit profectus vestri gaudium tristitiam pœnæ vel mortis, sive jam non timeo mori sacrificio vestræ fidei consummato, sive quia vestræ fidei ministravi.

Nam omnes sua. Commoda quærunt, nolentes pro aliena laborare salute.

Et commilitonem meum. Propter honorem, quia ipse acceperat in illis apostolatus officium. *Ut mox videro quæ circa me sunt.* Hoc est, si liberer ab hac catena, vel non. *Et ministrum negotii mei.* Id est, qui mihi vestra vice ministrat. *Et mœstus erat, propterea quod audieritis illum infirmatum.* Tristitiæ vestræ causa mœstus fuerat. Non esse contristandum de mortuis Apostolus significat, nam desperantium est contristari. Et ipse inquit de Epaphrodito : *Infirmus fuit prope mortem, sed Deus misertus est illi, non solum autem illi, sed et mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem.* Quomodo ergo contristandum vetat, cum ipse contristandum se, si mortuus fuisset, declarat? Aliter de morte Epaphroditi si provenisset contristandum significavit, et aliter prohibet contristandum. Nam hic propter solatium adjutorii ejus quo utebatur in Evangelio, si mortuus fuisset, contristandum se dicit, nos autem contristari prohibet, ne obitu quasi exstinctos et perditos lugeamus, desperantes de resurrectione. Aliud est igitur solatium requirere quasi absentis, et aliud dolore jam non futuri : hic cessat consolatio, illic excluditur. *Et ego sine tristitia sim.* Id est, pro gaudio vestro in adventu ejus. *Accessit sicut usque ad mortem.* Qui vincto mihi in carcere non timuit ministrare.

CAPUT III.

Eadem vobis scribere. Id est, eadem documenta repetere, quæ jam præsens dixeram. *Vobis autem necessarium.* Sicut horto crebrius irrigari necessarium est. *Videte canes.* Cavete pseudoapostolos, Evangelium Christi lacerantes. *Videte concisionem.* Quia concisio potius quam circumcisio sunt dicendi.

Nos ergo circumcisio sumus. Nos sumus veri Judæi, qui non unius membri pellem, sed totius carnis vitia resecamus, illi vero concisio. *Qui spiritu.* Id est, mente, non littera Deo servimus. In Græco, melius, *spiritui*, id est sancto, qui est Deus. *Non confidentes in carne.* In carnali circumcisione, nos enim circumcisio. *Ego magis circumcisus octava die.* Ne aliquis putaret ideo se non gloriari, quia non fuerit circumcisus circumcisione octavi diei, non post aliquot annos, ut aliquis peregrinus circumciditur.

De tribu Benjamin. Quæ semper fuit cum tribu Juda conjuncta. *Hebræus ex Hebræis.* Non ex gentibus proselytis. *Pharisæus.* Non quasi indoctus, sed peritus legis. *Sed quæ lucra mihi fuerunt.* Ad comparationem inventi auri contemnitur æramentum, quamvis utrumque ab uno sit conditum, et pro temporis qualitate necessarium.

Et arbitror ut stercora. Stercora sunt quæ ejiciunt homines vel cætera animalia ex utero, cum quod forte et solidum est ad confirmandum et satiandum corpus remanet intus, sic littera legis ejicitur, et sensus spiritualis ad cibum animæ in corpore Ecclesiæ remanet. Hieronymus in expositione Habacuc : Nou Veteris Testamenti doctrina, sed Pharisæorum, et præcepta hominum, et deuterosis Judæorum stercora dicuntur ab Apostolo.

In fide ad cognoscendum illum. Ut : *Nisi credideritis non intelligetis.*

Et virtutem resurrectionis. Ut sciam viam resurrectionis ejus, quia ideo resurrexit ut et nos similiter resurgamus : qui autem vere cognoscit, satis agit omnino ne peccet.

Et societatem passionum ejus. Si quomodo occurram ad resurrectionem, etc. Si compatimur et convivemus. Si quomodo habeam gloriam in resurrectione : non enim particeps gloriæ resurrectionis erit, qui nunc ad configurationem mortis ejus non vult pervenire.

Non quod jam acceperim. Perfectionem, quam omnis homo] et universa creatura per gratiam et non ex merito possidere potest. Aliter, *non quod acceperim*, quia finis mundi nondum advenit, sed in spe quod credimus, non in re. *Aut jam perfectus sim.* Adhuc de hac perfectione, et de tali resurrectione suspensus sum. *Si comprehendam.* Si comprehendam meritum apostolatus, in quo apostolatu a Christo sum comprehensus. *Non arbitror comprehendisse.* Se humiliando omnibus gloriam tulit [tollit], et universos provocat ad profectum.

Unum autem. Subaudis, arbitror comprehendisse, hoc solum scio, quia quotidie proficio, et præteritum laborem non computans ad priora festino. *Sive legis obliviscens.* Ad perfecta Evangelii præcepta me teneo. *Bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Quando sanctis dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus.* Hoc est, quicunque volumus esse perfecti. Aut, perfecti sumus ex parte, non ex toto. *Hoc sentiamus.* Non comprehendisse perfectionem. Aut vetera obliviscenda, et nova sectanda, vel futura præmia semper cogitemus. Vel sic se habet sensus hujus loci, ut ad comparationem hominum cæterorum, qui non habent curam vel notitiam Scripturarum, nec mysteriorum Dei, se et similes sui perfectos dicat. Ad comparationem autem scientiæ divinæ majestatis dicit se non accepisse perfectionem scientiæ, nec perfectum esse in scientia.

Et si quid aliter sentitis. Hoc est, si nec plene futura intelligitis. *Hoc vobis Dominus revelabit.* Scilicet in futuro, ipsis rebus præsentibus. Aut, si quid aliter sentitis præter quod dico, hoc est, putando vos comprehendisse perfectionem, hoc vobis Deus revelabit, id est, vos nosse imperfectos esse. *Verumtamen ad quod pervenimus.* Ad cognitionem licet imperfectam, seu ad fidem.

Et in eadem ambulemus. Non enim scire sufficit absque facto. *Et cognoscite.* Honorate, et imitamini. *Qui sic ambulant.* Sicut et nos. *Sicut habentes formam nostram.* His tantummodo credite qui formam exempli nostri portant. *Multi enim ambulant.* Pseudo-apostoli, a quibus cavete ne vos seducant.

Et gloria in confusione. Quia gloriantur in cir-

cumcisione vitiisque. *Conformabit.* Post resurrectionem. *Corpori gloriæ.* In monte scilicet Thabor. *Secundum operationem.* Secundum hanc potentiam, quia sibi cuncta subjecit, etiam hoc illi possibile est.

CAPUT IV.

Gaudium et corona mea. Propter vos enim in præsenti lætificor, et in futuro coronabor. *Evodiam rogo et Syntichen deprecor.* Hæ mulieres scientes erant legis, quas similiter ut istos eadem sentire commonet et hortatur. *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Ne moleste ferant sua nomina in hac Epistola non comprehensa, scripta dicit in cœlis. *Gaudete in Domino.* Non in terrena felicitate. *Semper.* Tam in prosperis quam in adversis.

Et iterum dico gaudete. Repetit, ut magis ac magis confirmetur gaudium. *Dominus prope est.* Scit quid opus sit vobis antequam petatis eum. *Nihil solliciti sitis.* Quid manducetis, aut quid induamini (*Matth.* v), hæc enim gentes inquirunt. *Sed in omni oratione.* Lege epistolam ad Timotheum : obsecrationes fiunt pro peccatis præteritis vel præsentibus, orationes pro adipiscendis quæ speramus.

Postulationes. Cum pro aliis intervenimus. *Gratiarum actiones.* Cum pro immensis Dei beneficiis grates laudesque rependimus. *Quæ superat omnem mentem.* Non solum hominum, sed etiam angelorum. *De cætero, fratres.* Id est, ad extremum omnium, ut omnia breviter comprehendam, vel de reliquo vitæ nostræ.

Quæcunque sunt vera. Permanentia, vel carentia mendacio. *Pudica.* Moribus. *Sancta.* Sine immunditia. *Justa.* Debita. *Amabilia.* Deo. *Quæcunque bonæ famæ.* Ut est illud : Provide bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Si qua virtus. Tolerantiæ. *Si qua laus.* Bonæ conversationis. *Didicistis.* Verbo. *Accepistis.* Exemplo. *Audistis.* Auribus. *Vidistis.* Oculis. *Hæc agite.* Non enim sola sufficit cogitatio. *Quoniam tandem refloruistis.* Hoc est, iterum flore boni operis florere cœpistis, dando mihi quod prius dabatis, hoc est, eleemosynam ministrando.

Pro me sentite. Id est, mihi eleemosynam date. *Sicut ante sentiebatis.* Eleemosynam mihi tribuentes antequam tribulationibus occupati fuissetis. *Non quasi propter penuriam dico.* Non propter meam inopiam, sed propter vestrum profectum dico me esse gavisum.

Ego enim didici. A Christo omnia æquanimiter ferre sum doctus. *Scio humilitatem.* Non desperans fame. *Scio abundare.* Quia non extollor in abundantia. *In omnibus.* Id est, bonis, sive prosperis, vel adversis. *Scitis autem et vos Philippenses, quando profectus sum.* Scitis quia vos solos, a quibus sumptus acceperimus elegimus, fideliores omnibus vos judicantes.

In ratione dati. Eleemosynæ donatæ. *Fructum abundantem.* Mercede cœlesti pollentem. *In odorem suavitatis.* Odor suavitatis non in re oblata, sed in mentis oblatione consistit. *Hostiam acceptabilem.* More veterum oblationum. *Impleat omne desiderium vestrum.* Quia ut perfecti alia desiderare non poterant, nisi quæ sunt secundum divitias Dei, non sæculi, et quæ ad gloriam pertinent Christi. *Qui de Cæsaris sunt domo.* Qui nuper ex Cæsaris Neronis familia Christo crediderunt.

VII.

IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Paulus, et Sylvanus, et Timotheus. Quod non dicit *apostolus*, significat auditorum perfectionem.

Et Sylvanus, et Timotheus. Hi specialiter nominantur, quod eorum doctores erant. *Charitatis et patientiæ spei.* Qui perfectæ charitatis est, sustinet omnia patienter, propter spem futuram. *Sed in virtute.* Id est, signorum, miraculorum.

Et Spiritu sancto. Cujus virtutem per signa monstravimus. *In plenitudine multa.* In perfectione justitiæ, conversationis et vitæ.

Cum gaudio Spiritus sancti. Sicut apostolos legimus fecisse. *A vobis enim diffamatum est.* Id est, vestro exemplo cæteræ provinciæ ad credendum sunt provocatæ. Nam natura famæ est, sive bonum vel malum nuntiantis, ubique omni celeritate discurrere.

Aliquid loqui. De vestra scilicet laude. *Qui eripuit nos.* Dimittendo peccata, et doctrina sua, et exemplo.

CAPUT II.

Non inanis fuit. Non est inanis sermo quem implet constantia passionis. *Ante vexati.* Multa enim passi sumus, antequam ad vos venissemus.

Sicut scitis in Philippis. Quia aliquanti vestri viderunt nos Philippis passos, non expavisse persecutiones, nec prædicare cessasse.

In multa sollicitudine. Id est, non negligenter, nec transitorie, sed in multa sollicitudine. *Non ex errore.* Id est, perversæ doctrinæ. *Neque ex immunditia.* Id est, avaritiæ seu perversi operis. *Neque in dolo.* Sermone adulationis, aut non contra conscientiam nostram docentes ac suadentes. *Sed sicut probati sumus.* Sicut probavit nos Deus dignos esse ad prædicandum Evangelium.

Neque in occasione avaritiæ. Omnis qui adulatur, aut propter avaritiam, aut propter vanam gloriam

adulatur. Ille ergo probatur propter Deum docere, qui istam non quærit. *Sed fuimus parvuli inter vos.* Id est, humiliantes nos, et nec debitum quærentes honorem. *Tanquam si nutrix foveat filios suos.* Humilians se in omnibus parvulo coæquat, ut illos ad majora sua imitatione perducat. Nam et balbutit interdum lingua, et mandducare fingit, et cum eo [eis] lente ambulare consueseit. Ita nos omnia fecimus per quæ proficere poteratis. *Sed etiam animas nostras.* Ut: *Ego sum pastor bonus, bonus autem pastor ponit animam suam pro ovibus suis* (*Joan.* x). *Charissimi.* Propter fidem et conversationem nostram. *Laborem nostrum.* Id est, manuum. *Fatigationem.* In itineribus ad prædicandum Evangelium. *Ut nullum vestrum gravaremus.* Non gravat Corinthios, propter pseudoapostolos munera quærentes; hos autem non gravat, ut inquietos qui erant ex illis exemplo suo coerceret.

Quam sancte. Secundum mentem. *Juste.* Secundum bona opera. *Et sine querela.* Non alios gravando in sollicitudinibus. Si quis enim sanctus fuerit doctor, non tamen sine querela est, si alios sollicitudinibus supra modum aggravat. *Verbum auditus Dei.* Id est, quod primum de Deo audistis, sive ut audiretis Deum. *Non ut verbum hominum.* Ut verbum hominum acipit, qui contemnit. Vos autem ita credidistis, ut ab ipso Deo vos audire putaretis. *Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa.* Id est, quibus dicitur: Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. *Qui et Dominum occiderunt.* Quid mirum si nos persequuntur, qui nec Domino pepercerunt. *Prohibentes nos gentibus loqui.* Non solum Judæos impediunt, sed etiam gentibus invident ad suorum cumulum peccatorum. *Prævenit enim super illos ira Dei.* Sive quia prædico qua pœna capti sunt, sive quia ablatus non credentibus est intellectus, sive hic prophetizat vindictam crucis quasi prius facta esset. *Usque in finem.* Usque dum credunt, vel usque ad diem judicii, ut: *Opprobrium sempiternum dedit illis* (*Psal.* LXXVII). *Ego quidem.* Festinavi. *Paulus.* Non aliquos a me nuntios destinavi. *Impedivit nos Satanas.* Tribulationibus persequentium, sive omnis labor contrarius Satanas dici potest. Nam Satanas aliquando non potest impedire virtutem animi; quæ autem ad labores corporis pertinent, sæpe potest impedire. *Quæ enim spes nostra?* Non immerito vos deseramus, per quos et lætitiæ gaudium speramus, et gloriæ coronam non sustinentes, non patiemur ut nemo ad vos veniret.

CAPUT III.

Solitarii. Maluimus enim soli remanere quam nescire quid agatis. *Et misimus Timotheum.* Quæritur quomodo Timotheus missus sit, qui pariter scriptus est. Non ergo hac vice missus sit, sed prius. *In hoc.* Labore, ut: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, etc. (*Matth.* x). *Positi sumus.* A Deo. *Prædicabamus vobis.* Ut non vos ipsa novitas deterreret, sed magis prophetiam nostram firmaret, sicut et Dominus passurum se ante prædixit. *Labor noster.* Doctrina nostra. *In omni necessitate.* Omnem necessitatem et tribulationem non sentimus, pro multitudine gaudii status vestri. *Quoniam nunc vivimus.* Etiamsi occidamur, vivimus, quorum vita in vestra firmitate consistit. *Super omne gaudium.* Triplicem, ostendit, causam lætitiæ nobis vestra conversatio præstat, quia et vos profecistis, et Dominus per vos benedicitur, et aliis præbetis exemplum. *Quæ desunt fidei vestræ.* Non ipsa fides deest, sed confortatio, ut in fide permaneant usque in finem. *Dirigat viam nostram.* Id est, remotis diabolicis scandalis, quibus noster impediatur adventus. *Vos autem Dominus multiplicet.* Sicut et nos multiplicavit in charitate. *Sine querela.* Id est, peccati principalis apud Deum et homines. *Cum omnibus sanctis.* Sive angelis, sive hominibus.

CAPUT IV.

De cætero ergo rogo, fratres. Post laudem et confirmationem incipit exhortatio. *Abundetis magis.* Quia cum ætate fidei debent augere profectum et mores, sicut accessu carnalis ætatis et corpus crescit et studium. *A fornicatione.* Tam spirituali quam corporali. *Suum vas possidere.* Proprium suum corpus sive conjugem caste habere. *Quæ non noverunt Deum.* Auctorem castitatis. *Ut ne quis supergrediatur.* Ne quis suam conjugem derelinquens, alterius polluere quærat uxorem, sive in quolibet negotio ne quis alterum fraudet, ut qui pecuniam suam non ad usuram dederat. *Non hominem spernit, sed Deum.* Non mea verba despicit, sed ejus qui in me loquitur Christi, cujus spiritui injuriam facit omnis qui non sancte conversatur. *A Deo didicistis.* A Christo, qui dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Matth.* XXV). Et ideo novum est, ut pro alterutro moriamur, quia hoc Vetus non jusserat Testamentum. *In universa Macedonia.* Id est, non in Thessalonica tantum. *Ut abundetis magis.* Hoc est, etiam ignotos quosque diligatis. *Ut quieti sitis.* Quidam eorum inquiete per diversorum discurrebant domus, aliqua etiam ad religionis opprobrium ab infidelibus postulantes, quam causam plenius ad eosdem exsequitur.

Et ut vestrum negotium agatis. Necesse est enim otiosum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, novitates etiam rumorum sectari, causarum fabularumque occupationes conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ad facultatem, qua diversorum valeat domus penetrare. Qui hæc omnia facit, inhoneste ambulat. Honeste hic ambulat processionis, et visitationis et Dei verbi causa ambulans.

Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. Id est, ne vos ipsi denotent, qui præstare videntur.

De dormientibus. Id est, de mortuis dormiunt, quas certum est resurgere.

Verbo Domini, Ut: *Qui credit in me etsi mortuus fuerit, vivet. Verbo Domini*, qui in Paulo loquebatur illud quod sequitur. *Quia nos qui vivimus, qui resi-*

dui sumus in adventu Domini, non prævenientes eos qui dormierunt. Hoc autem dicendum reputat secum his quos vivos inveniet dies judicii, dum adhuc vivunt in corpore. Aliter Verbum Domini est : Non prævenimus eos qui dormierunt, quia tam velox erit resurrectio eorum quam nostra assumptio.

In jussu Dei, ut : *Mortui audient vocem Filii Dei* (*Joan.* v). *Et in voce archangeli*, hoc est cœlestium virtutum, aut in manifestatione vocis archangelicæ ; aliter, in voce Christi, sive Michaelis, aut Gabrielis, quod interpretatur fortitudo Dei, qui dicit : surgite, expergiscimini. *In tuba.* In clamore. *Descendet de cœlo.* In aera, sive supra montem Oliveti, unde corpus ejus elevatum est, ibi præsentia ejus demonstratur.

Resurgent primi. Non tempore, sed primatu gloriæ. *Rapiemur in nubibus.* Sicut corpus Domini in nube elevatum est. In hoc autem velocitatem resurrectionis significat ; unde Isaias dicit : *Sancti sperantes in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ volantes*, etc. (*Isai.* XL).

CAPUT V

Sicut fur. Quando omnes scierit dormire securos in nocte, ut : *Media nocte clamor factus est*, etc. (*Matth.* XXV). *Pax et securitas.* Post occisum Antichristum. *Tunc repentinus eis superveniet interitus.* Ut in diebus Noe et Sodomorum contigit. *Sicut dolor partus.* Sicut illa veniente partu dolores non effugit. *Non estis in tenebris.* Non estis ignorantes, ut nesciatis vos semper debere esse paratos. *Filii lucis.* Scientiæ, vel Christi. *Filii diei.* Veritatis. *Noctis.* Dæmonis, vel peccati. *Tenebrarum.* Ignorantiæ. *Sed*

Deest fortassis *habentes.*

vigilemus. Id est, oculos semper ad Dominum vigilantes [a], vel elevantes. *Et sobrii simus.* Ne curæ hujus vitæ inebrient mentem nostram. *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt.* Ideo occisi et ebrii sunt, quia in tenebris sunt, sed hic magis nox et ebrietas allegorice pro ignorantia et libidine accipienda sunt. *Induti loricam.* Quia alii nudi sunt qui ebrii sunt.

Fidei et charitatis. Omnis justitia fide et charitate constat, quam loricæ alibi comparavit. *Qui mortuus est pro nobis.* Id est, ne nos moreremur. *Ut sive vigilemus, sive dormiamus.* Hoc est, ut sive in corpore, sive extra corpus inveniamur, semper cum ipso vivamus. *Ut noveritis.* Honorificetis. *Laborant.* Scilicet in doctrina. *Pacem habete cum illis.* Etsi contrapia vestris moribus dixerint, *Corripite inquietos.* Vagos huc et illuc discurrentes. *Pusillanimes.* Id est, intentione desperantes vel deficientes. *Suscipite.* Sustinete. *Patientes estote.* Etiam ad correptos, quia impatientia non corrigit, sed irritat. *Invicem et in omnes.* Non solum in vos Christianos, sed in omnes homines. *Spiritum.* Loquentem varias linguas, vel spiritum exhortantis, nolite perversis quæstionibus opprimere. *Prophetias nolite spernere.* Sive futura prædicantes, sive præterita disserentes. *Tantum ut probetis.* Si legi non sunt contraria quæ dicuntur, et si quid tale fuerit refutate. *Omnia probate.* Si a diabolo, an a Deo sint. *Integer spiritus.* Mens in qua est imago Dei expressa, sive formata. Alii spiritum conscientiam dicunt, ut : Nemo scit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in eo est. *Fidelis est.* Et verax in promissionibus.

VIII.

IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Gratias agere debemus Deo. Qui sibi talem Ecclesiam quæsivit. *In exemplum justi judicii Dei.* Ut exemplum detis justum Dei judicium exspectandi, quem ita creditis venturum. *Si tamen justum est.* Hic *si tamen* confirmantis est, non dubitantis, quasi dicat, si tamen fons justitiæ potest judicare quod justum est. Nam sicut indubitanter pro nomine Domini patientibus requiem, ita incunctanter tribulationem his qui eos tribulant repromisit. *In flamma ignis.* Id est, ut ignis ante ipsum præcedat. Quod si potuit flamma Dei imperio tres pueros omnino non tangere, quare non eadem potentia aliis sævior, aliis mitior, fieri posse credatur? *Et qui non obediunt ejus Evangelio.* Peccatores licet non fuerint. *A facie Domini.* Ut illud : *Ite, maledicti, in ignem æternum. Mirificari in omnibus.* Cum ipse in suis glorificandus erit membris, quæ solis splendore fulgebunt. Tunc enim mirabuntur impii et irrisores humilitatis in subitatione salutis insperatæ justorum. *In quo et oramus.* In exspectatione illius diei judicii. *Ita et glorificetur nomen Domini.* Ut Christi nomen in vestris actibus clarum sit, et nos in ejus signis et virtutibus gloriosi simus.

CAPUT II.

Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini. Primum, vel secundum, quo vobis charius nihil esse sum certus. *Et nostram congregationem.* Quando a quatuor ventis cœli congregabuntur electi : Ut ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ (*Matth.* XXIV). *Neque per spiritum.* Neque signa vos terreant tanquam per spiritum facta, quia hoc et Salvator præmonuit. *Neque per verbum.* Ne sermo dialecticæ fallaciæ vos seducat ullo modo sub qualibet specie boni vel mali. *Quasi instet dies Domini.* Dicendo : Ecce est Christus hic, vel illic. *Quoniam nisi venerit discessio* [Al., *dissensio*]. Hoc est, nisi Antichristus venerit, non veniet Christus. Quod autem *discessio-*

nem hic dicit, alibi eum *refugam* appellavit in Latinis exemplaribus. Utrumque autem ita intelligendum est, quod nisi venerit refuga veritatis, sive sui principatus desertor, sive discessio gentilium a regno Romano, sicut in Daniele per bestiæ imaginem dicitur. *Homo.* Antichristus. *Peccati.* Diaboli scilicet. *Super omne quod dicitur Deus.* Super omnem videlicet potentiam et æternitatem se jactabit. Et sacramenta culturæ divinæ corrigere, vel augere se dicat. Et templum Hierosolymæ reficere tentabit, omnesque legis cæremonias restaurare, tantum ut veritatis Christi Evangelium solvat, quæ res Judæos eum pro Christo suscipere persuadebit, in suo non in Dei nomine venientem. *Quid detineat.* Hoc est, quæ mora est ut veniat. *Ut reveletur.* Id est, Antichristus. *Suo tempore.* Id est, apto tempore. *Jam enim mysterium iniquitatis operatur.* Antichristus per sua membra agit, ut Joannes dicit : *Multi Antichristi facti sunt* (*Joan.* II). In his ergo mysterium iniquitatis operatur, qui falsis doctrinis ejus pervium faciunt iter, quos beatus Joannes in mundum dicit exisse. Sicut enim Christus nunc per membra sua operatur, sic Antichristus. *Qui nunc.* Rex Romanorum. *Tenet.* Regnum. *Teneat.* Regnum suum. *Donec de medio fiat.* Hoc est, donec regnum, quod nunc tenet, de medio auferatur, priusquam Antichristus reveletur. Aliter : Ut qui nunc tenet, id est, Nero, teneat tunc ejusdem nominis alter Nero. *Donec de medio*, hoc est, regno mediante illius tunc Neronis, nascatur Antichristus in medio regno alterius tunc Neronis. Hoc de imperio Romano dictum est, et propterea Paulum non id aperte scribere voluisse dicunt, ne calumniam incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum. *Spiritu oris sui.* Ut Isaias dicit : *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium* (*Isa.* XI). *Prodigiis mendacibus.* Præstigiosis, sicut ante prædictum est, dabunt signa, ita ut seducantur, si fieri potest, etiam electi, per phantasticam virtutem, sicut Jamnes et Mambres coram Pharaone fecerunt. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris.* Id est, permittet venire; nam si Deus mittit, non est operatio Satanæ.

Ut judicentur. Pœnam patiantur. *Consenserunt iniquitati.* Homini diabolica arte fallenti. *In constitutionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.* Ad hoc enim vocati sumus, ut Christi gloriam acquiramus. *Scimus enim quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Dominus noster Jesus Christus, et Deus Pater, contra Arianum, qui ideo Patrem majorem putat, quia prior in Scripturis soleat nominari. *Et dedit consolationem.* Promissionem, sive consolatorem spiritum. *Et spem bonam.* Quia potest et spes mala esse.

CAPUT III

De cætero, fratres, orate pro nobis. Dat humilitatis exemplum, et occasionem charitatis, ut pro alterutro audacius oremus. *Et glorificetur.* Auditorum profectu. *Fidelis est Deus.* Id est, qui non relinquit nisi relinquentes se. *Et patientia Christi.* Sicut Christus patientiam habuit.

Denuntiamus autem vobis, ut abstrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Quia in primis lenius commonuimus, et tamen emendare se noluerunt, ut vel hoc modo quo sancti se ab eis separant, erubescant. Hujus plane loci auctoritate subtrahendus est ab omni Christiano qui non secundum apostolica præcepta incedit. In prima rogat, hic denuntiat; in illa blandientis affectus est, in hac obtestantis severitas et minantis. *Denuntiamus vobis fratres.* Quia prius rogantes contempsistis audire, saltem nunc denuntiamus voci obedire. Ipsamque denuntiationem non nudo verbo, sed cum obtestatione nominis Domini nostri Jesu Christi terribilem infert, ne forte simplicem, velut humana voce prolatam, rursum contemnerent. *Imitari nos.* Qui sumus forma credentium. Non quia non habuerimus potestatem, non quia indignus est operarius mercede sua, sed ut nos formam daremus vobis ad imitandum nos, ne cui occasionem avaritiæ, vel otii, quod fons est inquietudinis, præberemus. *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Aut sedeant quieti, aut si veri sunt apostoli, nos sequantur, si non avaritiæ, sed Dei causa ambulare se ducunt. *Ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Comitatur enim loquacitas inquietudinem et instabilitatem. *Suum panem.* Non alienum. *Nolite deficere bene facientes.* Aliis qui non sunt hujusmodi; aliter, etiam hujusmodi benefacite, licet eis non commisceamini. *Ut erubescat.* Ut non penitus abscindatur.

Corripite ut fratrem. Æger enim curandus est, non negandus, ne in apostasiam inquietudo vertatur. *Ipse autem Dominus pacis.* Ut possitis omnes curare pacifice. *Quod est signum.* Agnitionis. *In omni Epistola ita scribo.* Sic enim subscribebat, excepta Galatarum, quam ex integro propria manu subscripsit, ut post eam nec sibi, nec angelo crederent.

IX.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus. Hac vice apostolatus auctoritate utitur : in aliquibus enim auditores reprehendit. *Audita fide vestra.* Non visa, vel cognita, quia ad hos non pervenit. *Propter spem.* Non propter hominum laudem, sed propter vitam æternam, quæ est in Christo. *In cœlis.* Ut est : *Exsultate quia merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* V). *Sicut in omni*

mundo. Synecdochice, pro parte maxima mundi. *Fructificans et crescens.* Aliud XXX, aliud LX, aliud C, secundum parabolam seminantis (*Matth.* XIII). *Et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Ille gratiam in veritate cognovit, qui ejus beneficia malis actibus non evacuavit. *Qui est pro vobis fidelis minister Christi.* Fideliter pro vobis in oratione incumbens, ministerium Christi exhibet voluntate. *In spiritu.* Id est, in spirituali dilectione. *Et postulantes.* Pro his virtutibus quæ sequuntur. *Ut impleamini agnitione voluntatis.* Quia aliter voluntatem ejus non potestis facere, quod Propheta intelligens dicebat ad Dominum : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* (*Psal.* CXLII). *In omni virtute.* Exsuperando vitia spiritus et carnis. *Secundum majestatem.* Per auxilium. *In omni patientia et longanimitate cum gaudio.* Ibi vera est longanimitas et patientia, ubi aliquis etiam gaudet se sustinere quod patitur. *Sorti sanctorum.* Sortem hæreditatis Scriptura cognominat, quia Jesus terram divisit in sorte. *In lumine.* Fidei et sapientiæ. *Et transtulit in regnum.* In Ecclesiam præsentem, regnumque cœlorum. *Filii dilectionis suæ.* Hoc est, filii dilecti sui, ut : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Qui est imago Dei invisibilis.* Similitudo est in habitu formæ, æqualitas in mensura magnitudinis et parvitatis, imago in expressa re de altera ; nam duo ova similia et æqualia possunt esse, non est tamen imago, quia alterum non est expressum de altero, in filiis vero imago potest esse. Christus autem non solum imago est Dei Patris quia de illo est, et similitudo quia imago est, sed et æqualitas tanta, ut nec temporis intervallum impedimento sit. *Primogenitus universæ creaturæ.* Primogenitus secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed dicitur juxta illud : *Filius meus primogenitus Israel* (*Exod.* IV). Aut primogenitus dicitur, quia ante omnem creaturam divinitate natus est, vel primogenitus nominatur universæ Ecclesiæ. *Primogenitus ex mortuis.* Incorruptibilitatis gloria. *Ut fiat in omnibus.* Tam visibilibus, quam invisibilibus ; sive mortuis, sive vivis. *Primatum tenens.* Sive secundum carnem, sive secundum divinitatem. *Complacuit.* Patri. *Omnem plenitudinem.* Habet divinitatis : in aliis, hoc est, apostolis, patriarchis, prophetis, gratia fuit ex parte ; in Christo autem tota divinitas abundat. *Reconciliari omnia.* Cœlestia et terrestria, quæ vitæ dissonantia olim dissidebant. *Per sanguinem crucis ejus.* Hoc est, per sanguinem qui effusus est in cruce. Notandum quare non dicit per crucem, sed *per sanguinem crucis :* aliud namque est crux in alto stans, aliud sanguis decurrens ; ascendens ergo in crucem, quasi cœlestia obtulit et sanavit, sanguis autem ejus de summo stillans sanavit terrestria, et hoc in sanguine hostiarum præfigurabatur, de quo aliud super altare offerebatur, et aliud ad basim altaris fundebatur. *Reconciliati in corpore.* Ecclesiæ. *Stabiles.* In charitate. *In universa creatura.* Scilicet rationali, ut : *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Minister.* Prædicator. *Et adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi.* Patitur enim Paulus in suis membris ea quæ desunt passionum Christi : omnia enim quæ potuit adimplere in vita passionum Christi assecutus est, adhuc tamen mori restat, ad quod paratus erat. *Secundum dispensationem Dei.* Doctrinæ evangelicæ, quam vobis gentibus visus sum erogare. *Divitias majestatis.* Quia idem Deus omnium, dives in omnes qui invocant illum. *Quod est Christus.* Ipse est enim mysterium. *Corripientes.* Propter mala opera, ut : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). *Omnem hominem.* Servos et liberos, nobiles et ignobiles. *Et docentes.* Id est, ad bonum faciendum, ut *fac bonum. In omni sapientia.* Veteris et Novi Testamenti. *Contendens.* Contra hæreticos et dæmones. *In virtute.* Potentiæ ejus, in signis et miraculis.

CAPUT II.

Volo autem vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro his qui sunt in Laodicea. Quæ est civitas in Asia Minore. *Hoc ita dico.* Quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, ut sermonem, vel sensum philosophiæ, qui contra illum est, non solum non miremini, sed etiam stultitiæ deputetis. *Sed spiritu vobiscum sum.* Habebant hanc gratiam Apostoli, ut alibi positi, quid alibi ageretur agnoscerent, sicut Elisæi spiritus cum Giezi fuit in via (*IV Reg.* IV). *Et supplens.* Id est, litteris implens quod corporali præsentia non possum implere. *Radicati.* Fide. *Et superædificati.* Virtutibus aliis : nam secundum robur fundamenti validi supercrescit ædificium. *Et confirmati fide.* Bonorum scilicet futurorum spe. *Abundantes in illo in gratiarum actione.* Id est, semper crescentes in illo, et pro omnibus beneficiis ejus gratias referentes. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Contra philosophos agit, quorum omnis pene disputatio de elementis est, ex visibilibus creaturis, et qui ex rebus naturalibus virtutem æstimant Dei, dicentes, ex nihilo fieri nihil posse ; et : animam, aut initium non habere, aut esse mortalem ; et : virginem parere omnino non posse, sed et Deum ex homine nasci, mori atque resurgere, credere stultum esse. Aliter, inanem seducat fallaciam, id est, Judaismum. *Secundum traditionem hominum.* Sæculares litteras. *Elementa.* Mandata carnalia. *Non secundum Christum.* Non secundum fidem Evangelii Christi. *Omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Sciendum corporale aliquid vel proprie dici, cum de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est : Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum corpus, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia quæ umbris illis figurata sunt, ac si quodam modo illarum umbrarum ipse sit corpus, hoc est, figurarum et significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsæ figuræ significationesve translato vocabulo utique non proprie dictæ sunt um-

bræ, ita quod ait plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare, translato verbo usus est. *In exspoliatione.* In circumcisione Christi, per quam totum veterem exspoliastis hominem. *Consepulti in baptismo.* Quia peccata sepeliuntur in baptismo. *Et surrexit.* In novitatem vitæ. *Operationis Dei.* Id est, resurrectionis Christi. *Convivificavit.* Auferendo causas mortis, id est, peccata. *Delens chirographum quod adversum nos erat.* Chirographum dicit maledictum legis, unde alibi ait: Christus nos redemit de maledicto legis, quo continetur: *maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Quidam vero dicunt chirographum esse, quasi scriptam quamdam apud Deum, memoriam peccatorum; unde ipse in Cantico dicit: *Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Et Jerem. ait: *Peccatum Judæ scriptum est in stylo ferreo, in ungue adamantino* (*Jer.* XVII). Etiam hæc ergo deleta est in cruce, dum dimissis peccatis, etiam memoria est abolita peccatorum. Aliter chirographum dicit, quod adversum genus humanum diabolus alta memoria reconditum habebat. *Affigens illud cruci.* Quia nos de ligno tulimus illud chirographum, ideo non potuit deleri, nisi affigeretur ligno, ut dicit: *Tulit peccata nostra super lignum* (*I Petr.* IV). Nam titulus qui scriptus est super crucem, istum titulum chirographi delevit. *Exspolians principatus.* Dæmones, quia prædam generis humani ab eis rapuerat. *Traduxit.* Alligavit. *Et captivavit.* Mortem. *Fiducia.* Sine timore. *Palam.* Non latenter. *Triumphans illos in semetipso.* Devicit palam, et crucifixus *confusione contempta* triumphavit; non occidendo, sed moriendo; nec vim inferendo, sed sustinendo, ut nobis, confracta omni superbia, vincendi daret exemplum. *Nemo vos judicet.* Nullum enim in hoc debet esse judicium, quod cum umbra esset, cessavit corpore veniente, quia imagine non est opus, veritate præsente. *Corpus autem Christi.* Id est, rei veritas. *Nemo vos seducat in humilitate.* Nemo ficta humilitate superbus, et angelos videre se mentiens, frustra super homines jactet, quia visiones a suo loquitur corde. Sive nemo tam humilis sibi et religiosus videatur, ut Angelos qui Deum vident, se videre mentiatur. *Sensu carnis suæ.* Non spiritualiter intelligens. *Non tenens caput.* Christum non credens, qui omnium sanctorum caput est. *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum.* Quicunque igitur extra hoc corpus est, quantumlibet se jactet, ille non vivet, quia caput non habet Christum, qui est vita. *Crescit in augmentum Dei.* In augmentum corporis illius, quod est Ecclesia. *Ne tetigeritis.* Judæis dicit. *Neque gustaveritis.* Immundos cibos secundum legem. *In interitu ipso usu.* Ideo non debent pro magno haberi, quia intereunt et vadunt in secessum ventris. *Quæ sunt rationem quidem habentia.* Hoc est, videntur habere aliquam rationem, si mystice et non secundum solam litteram exponantur, et ut non ad honorem vel ad saturitatem ventris historialiter fiant.

CAPUT III.

Si ergo consurrexistis cum Christo. Consequenter primo commortuos, deinde consurrexisse nos dicit, nec solum terræ mori, sed etiam cœlo vivere nos hortatur: Nihil, inquit, terrenum vos ambiatis, neque mortale quæratis. *Quæ sursum sunt sapite.* Hoc est, cœlestem sectamini sapientiam, sed nos nunc celerius humanæ sapientiæ studium impendimus. *Mortificate igitur membra vestra quæ sunt super terram.* Prius ergo quam cætera persecutemur, quæ ista sint membra quæ mortificare præceperit, indagemus. Neque enim beatus Apostolus abscissionem manuum aut pedum præceptione compellit, sed corpus peccati, quod utique constat ex membris, quantocius destrui desiderat; de quo corpore alibi: *Ut destruatur*, inquit, *corpus peccati.* Et quæ sit ejus destructio consequenter exponit: *Ut jam*, inquit, *non serviamus peccato;* a quo liberari etiam cum ejulatu postulat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis* (*Rom.* VI)? Hoc itaque corpus peccati multis vitiorum membris probatur exstructum, et ad ejus pertinet portionem quidquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur, cujus membra rectissime super terram esse dicuntur; non enim possunt hi qui eorum ministerio utuntur veridice profiteri, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Primo itaque fornicationem credidit inferendam, quæ carnali permixtione perficitur. Tertium peccati membrum libidinem ponit, quæ in secessibus animæ coalescens, accedere cupit etiam sed sine passione corporis non potest: libidinem enim ab eo quod *libeat* dictam esse non dubium est.

Concupiscentiam malam. Quæ non solum ad prædictam impudicitiæ passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri potest, quæ corruptæ tantummodo voluntatis est ægritudo, de qua Dominus in Evangelio: *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum, mœchatus est illam* (*Matth.* V). Fornicationis autem genera sunt tria. Primum, per quod commixtio utriusque sexus perficitur. Secundum absque femineo tactu, quo Her, filius Judæ patriarchæ a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur. Tertium, quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus inquit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, mœchatus est illam.* Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo exstinguenda pronuntians: *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem*, etc. *Quæ est idolorum servitus.* Cernis itaque ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum servitus Apostoli voce pronuntietur, eo quod figura Dei imagine prætermissa, quam devote serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro, et diligere pro Deo maluit, et intueri. *Indignationem.* Ipsa est quæ inebriat mentem. *Nolite mentiri.* Filios enim veritatis non licet mentiri. *Qui renovatur in agnitione Dei.* Cum quis cognoveri

cujus imago est, et in quantum potest nititur simulare. *Ubi non est masculus.* Quia apud Deum non prædicatur sexus, vel genus, vel patria, vel conditio, sed sola conversatio : nam carnalis est ista diversitas. *Sed omnia in omnibus Christus est.* Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit, illaque unitas, quæ nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre in nostrum fuerit sensum mentemque transfusa, id est, ut quemadmodum nos ille sincerâ et pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectione jungamur. *Induite ergo vos sicut electi Dei.* Illa deponentes, hæc induite cum estis electi. *Sufferentes invicem.* Exemplo Christi, qui infirmitates nostras portavit. *Quod est vinculum perfectionis.* Charitas enim multa membra in unum colligit corpus. *Et pax Christi.* Qui pro omnibus mortuus est, et suos dilexit inimicos. *In cordibus vestris.* Non in facie fallaciter arridente, vel sermone doloso. *Grati estote.* Beneficiis Christi. In nonnullis exemplaribus habetur : *Et gratia estote;* hoc est, nolite legi assimilari, quæ vicem reddit, sed gratiæ, quæ ignoscit etiam inimicis. *In nomine Domini.* Id est, ad gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi facite omnia. *Gratias agentes Deo.* Qui Filium suum ad hæc docenda destinare dignatus est. *Sic oportuit in Domino.* In his quæ Deo placent. *Nolite amari esse ad illas.* Vult cessante voluptate non contumelias et odium, sed dilectionem crescere. *Patres, nolite provocare ad indignationem filios vestros.* Ne exasperati iracundi fiant, qui exemplo vestro patientiam discere debuisA sent. *Timentes Dominum.* Qui ubique semper videt, et odit omne quod fictum est. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Etiamsi ingratos dominos habeatis, nolite putare infructuosum esse servitium, quod propter Deum exhibitum, cœlesti remuneratione pensabitur. *Qui enim nocet, recipiet id quod inique gessit.* Sive servus qui Dominum contempserit, sive Dominus qui contra servum inique egerit. *Et non est personarum acceptio apud Deum* (*I Petr.* II). Hoc dicit, ut consolationem haberent, scientes suam injuriam non esse apud Deum inultam.

CAPUT IV.

Domini, quod justum est et æquum, servis præstate, scientes quoniam et vos Dominum habetis in cœlo. B *Orationi instate.* Nunc generalis exhortatio subsequitur. *Sermo vester semper in sale sit conditus.* Id est, gratum proferte sermonem, sale sapientiæ et rationis conditum, ne stulta nostra religio a philosophis et gentibus æstimetur. *Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Aliter enim paganis, aliter Judæis, aliter hæreticis, et cæteris contradicentibus veritati.

Quæ circa me sunt. Securos illos vult esse de sua incolumitate, ne hac essent tristitia occupati. *Concaptivus meus.* Simul vinctus erat, sive compatiebatur charitatis affectu. *Consobrinus Barnabæ.* Filius sororis Barnabæ. *Qui ex vobis.* De vestro genere. *Hierapoli.* Civitate, in qua sepultus est Joannes Baptista. *Vide ministerium.* Hic diaconus fuisse perhibetur. C *Memores estote vinculorum meorum.* Sive orate, ut reddar vobis; sive imitamini tolerantiam meorum passionum.

X.

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi, secundum imperium Dei. Non secundum præsumptionem meam. *Et Salvatoris.* Unum imperium Patri et Filio esse demonD strat. *Qui est spes nostra.* Id est, in quem speramus. *Timotheo.* Iste Timotheus episcopus fuit in Epheso ut in libro Historiarum dicitur. *Gratia et misericordia.* Misericordiam addit propter ejus honorem nimiamque ejus dilectionem. Aut quia Timotheus stomachi dolore laborabat, ideo misericordia indiguerat. *Sicut rogavi te.* Addit infra hoc præceptum : *Commendo tibi, fili Timothee,* hoc est, sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, sic et *hoc præceptum* iterum *commendo. Neque intenderent fabulis.* Quas deuteroses appellant. Unde in Evangelio docentes doctrinas hominum, condemnantur. *Et genealogiis.* Id est, generationibus antiquorum, in quibus sibi summam scientiam vindicant, si omnes generationes enumerant. *Finis autem præcepti.* Hoc est, adimpletio, quia in præcepto mendacium non invenitur, et finem habet in charitate, non ut genealogiæ. *Præcepti* autem dicit omnium mandatorum, ut est : *Omni consummationi vidi finem latum. Charitas igitur.* Dilectio Dei et proximi. *Finis præcepti est.* In qua tota lex pendet et prophetæ. Hæc si de corde puro sit, difficile delinquere poterimus. *De corde puro.* Sine vitiis. *Et conscientia bona.* Ut conscientia tua testimonium perhibeat charitati. *Et fide non ficta.* Ne aliud corde, aliud ore proferamus. *Bona est lex.* Hoc dicit, ne quis putaret eum spernere legem. *Quia justo lex non est posita.* Novam legem implentibus, lex vindictæ non est posita. *Plagiariis.* Qui innocentibus plagas inferunt. *Evangelium gloriæ Dei.* Per quod glorificatur Deus, sive in quo narratur de gloria Dei. *Quod ignorans feci.* Levius ergo esse peccatum ignorantiæ demonstrat. *Superabundavit gratia.* Non solum peccata dimisit, sed bona dedit. *Fidelis sermo.* Quem omnes credunt, et omnium conscientiæ verum

esse cognoscunt. *Et omni acceptione dignus.* Id est, auribus et corde acceptabilis. *Ut peccatores salvos faceret.* Ut : *Non veni vocare justos, sed peccatores. Quorum primus ego sum.* Ante Paulum non erant peccatores? Certe vel ipse Adam ante omnes, et plena peccatoribus deleta diluvio terra, et deinceps quam multi? Unde ergo verum est, Ego primus sum? Primum se dixit non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine, magnitudinem sui peccati attendit, unde primum se dixit peccatorum, quomodo dicuntur inter advocatos, verbi gratia, primi : Primus est iste, non quia plures annos habet ex quo causas agit, sed quo cœpit cæteros superare. Primum ergo se dixit, quia nemo acerbior inter persecutores erat, qui primitivam Ecclesiam post ascensum Domini persecuti sunt. *Ad informationem.* Ad exemplum, ut nemo desperet. *Regi autem sæculorum honor.* Qui mihi tribuit veniam non merenti.

Hoc præceptum commendo tibi. Hucusque de statu suo quomodo debeat adversariis respondere; hinc dat auctoritatem ordinandi docendique. *Secundum præcedentes prophetias.* Secundum quod etiam hoc officium habebat gratiam prophetandi. Sive prophetiæ vocantur, quæ in baptismo, vel in ordinatione de eo prophetice cantata sunt, id est, quia in illo completa sunt; sive prophetiæ prædicationis intelliguntur. *Habens fidem.* Pro armis. *Et bonam conscientiam.* Implens quod docet. *Quam quidam repellentes.* Male vivendo. *Circa fidem.* Quæ est quasi quædam navis. *Quos tradidi Satanæ.* Ut ex præsenti correptione discant futurum judicium non negare. Traditi sunt autem ad emendandum, non ad perdendum.

CAPUT II.

Primum ergo omnium obsecro fieri obsecrationes. His verbis Apostolus quadripartitam orationis speciem evidenter distinxit; sed tamen vobis indagandum est, quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur. *Obsecrationes* itaque sunt, imploratio seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus, vel præteritis admissis unusquisque compunctus veniam deprecatur. *Orationes* sunt, quibus aliquid offerimus, seu vovemus Deo : Græce enim oratio [προσευχή], votum Latine sonat. Oramus enim cum renuntiantes huic mundo spondemus nos mortificatos cunctis actibus et conversationi mundanæ. Oramus, cum promittimus nos firmissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum e corde nostro radices iræ, sive tristitiæ vovemus funditus eruendas. *Postulationes.* Quas pro aliis quoque, dum sumus in fervore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi parte poscentes : et ut ipsius Apostoli verbis eloquamur, cum *pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro omnibus qui in sublimitate sunt* supplicamus. *Gratiarum actiones,* quas mens vel cum præterita Deo recolit beneficia, vel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum quæ et quanta præparaverit Deus his qui diligunt illum prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert. *In omni pietate et castitate.* Ad hoc vult nos esse quietos, ut pietati et castitati, non dissensioni atque luxuriæ tranquillitas nostra proficiat. *Hoc enim acceptum est.* Id est, ut etiam pro talibus oretur. *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Si ipsi jam vocanti Deo consentire voluerint, aut *omnes homines,* scilicet prædestinatos; sive *omnes homines,* hoc est, omnem sexum, gentem, conditionem, etc. *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum.* Ac si diceret, ideo omnes vult salvare, quia unus Deus omnes creavit, et unus mediator recreavit. *Homo Christus Jesus.* Quia de traditione erat dicturus, ideo hominem solummodo nominavit. *Cujus testimonium.* Ut est : *In hoc enim veni ut testimonium perhibeam veritati. Veritatem dico.* Quod in hoc positus sum, ut doctor Gentium sim. *Orate in omni loco.* Non ut Judæi, qui in templo tantum Hierusalem adorandum dicebant. *Non in tortis crinibus.* Ne occasionem dent concupiscentiæ. *Mulier discat.* A viro suo. Honorem Deo tribuimus, quando pro collatis bonis dignas gratias referimus; gloriam vero, cum nostris bonis operibus ipse glorificatur. *Docere autem mulieri non permitto.* Id est, publice non permittitur : nam filium vel fratrem debet docere privatim. *Sed esse in silentio.* Ne mysterium sibi usurpando superbiat, taceat in Ecclesia. *Adam enim primus formatus est.* Reddit causas cur eas velit esse subjectas, scilicet quia posteriores in factura sunt, et priores in culpa. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Ex libro de Genesi ad litteram undecimo. *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei. Mulier autem gloria viri est,* non quod mens feminæ eamdem imaginem capere non possit, cum in illa gratia dicat nec masculum esse, nec feminam, sed quia fortassis illa hoc nondum perceperat, quod sit in agnitione Dei, et viro regente ac dispensante paululum fuerat perceptura. Neque enim frustra et illud Apostolus ait : *Adam enim primus formatus est, deinde Eva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta est. In prævaricatione facta est.* Ut per illam etiam vir prævaricaretur. Nam et ipsum dicit prævaricatorem, ubi ait : *In similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri;* seductum tamen negat : nam et interrogatus non ait : Mulier quam dedisti mihi, seduxit me, et manducavi, sed : *Ipsa mihi,* inquit, *dedit a ligno, et manducavi* (*Gen.* III). Illa vero : *Serpens,* inquit, *seduxit me.* Ita Salomon, vir tantæ sapientiæ, nunquidnam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperierat atque deflebat mortiferas delicias contristaret. Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab

ejus alienaretur animo, et omnino illis interest discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico inimicus fiat : quod eum facere non debuisse divinæ sententiæ justus exitus indicavit. Ergo alio modo quodam etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, qua idem quod suadebatur cum falsum esset, verum putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerat, quod sciret eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. In prævaricatione mulier seducta fuit, sed non ideo desperet mulier, quia per baptismum, quod est filiorum Dei veneratio, et ipsa salvabitur, non Eva, sed credens mulier : quia Eva ad exemplum adducta est creationis, nec de ipsius salute proprie tractabatur. *Si permanserint in fide.* Sicut superius de plurali numero mulierum ad singularem transivit, dicens : *Mulier in silentio discat*, ita et hic redit ad pluralem.

CAPUT III.

Humanus sermo : Si quis episcopatum desiderat. Prius laicos instituit, de quibus optimi quique in sacerdotium eliguntur, et sic dicit quales debeant ordinari. *Bonum opus desiderat.* Ad boni operis desiderium provocatur, non honoris. *Oportet enim hujusmodi irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Primum itaque sine crimine sit, quod puto alio verbo ad Timotheum irreprehensibilem ordinatum, non quo eo tantum quo ordinandus est sine ullo sit crimine, et præteritas maculas nova conversatione deleverit, sed ex eo tempore quo in Christo renatus nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præesse Ecclesiæ, auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit? Aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat eadem se admisisse quæ corripit? Quod autem ait ante gradum : *Unius uxoris virum*, sic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem, sed quo is possit ad monogamiam et continentiam coarctari, qui sui exemplo præfuerat in docendo. Esto quippe aliquem adolescentulum conjugem perdidisse, et carnis necessitate superatum, accepisse uxorem secundam, quam et ipse statim amiserit, et deinceps vixerit continenter ; alium vero usque ad senectutem habuisse matrimonium, et uxoris usum, ut plerique æstimant, felicem, nunquam a carnis opere cessasse : quis nobis videtur de duobus melior esse, pudicior ac continentior? Utique qui infelix etiam in secundo matrimonio fuit, et postea pudice et sancte conversatus est, et non is qui ab uxoris amplexu nec senili est separatus ætate. *Ornatum.* Id est, his omnibus spiritualibus ornamentis. *Hospitalem.* Laicus enim unum, aut duos, aut tres, aut paucos recipiens, implevit hospitalitatis officium : episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. *Docibilem.* Id est, sapientem. *Non vinolentum.* Ut fiducialiter possit corripere ebriosos. *Non percussorem.* Ne sit petulans ad cædendum. *Sed modestum.* Qui omnia facit cum mensura. *Non neophytum.* Id est, nuper instructum. *Ne in superbiam elatus.* Id est, ne nuper renatus cito possit per ignorantiam extolli, et putet se non tam ministerium humilitatis quam administrationem sæcularis potestatis adeptum, et condemnationem superbiæ mereatur sicut diabolus, qui per jactantiam judicatus atque dejectus est. *Ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Ut non vituperetur ministerium nostrum. *Ab his qui foris sunt.* Judæis infidelibus, et Græcis, et paganis. Omnes enim naturaliter norunt culpare vitia, et laudare virtutes. *Diaconos similiter pudicos.* Hoc est, oportet similiter eos irreprehensibiles esse, ut episcopi eligantur. Sed quæritur cur de presbyteris nullam fecerit mentionem. Sed etiam ipsos in episcoporum nomine comprehendit. *Non bilingues.* Quia susurro et bilinguis multos conturbat pacem habentes. *Non turpe lucrum sectantes.* Turpe lucrum est, de cœlestibus mysteriis terrena sectari. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Id est, ut non propter lucrum Christum prædicent, et pro Christo laborent, ut non quæstum esse existiment pietatem. *Mulieres similiter pudicas.* Similiter eas ut diaconos eligi jubet. Unde intelligitur quod de his dicat, quas adhuc hodie in Oriente diaconissas appellant. *Diaconi sint unius uxoris viri.* Non ut haberent dicit, sed ne duas habuerint. *Qui enim bene ministraverit.* Ostendit non ministerium tantum, sed qualitatem ministerii præmium promereri. *Et multam fiduciam in fide.* Et apud Deum petendi, et apud homines docendi, et etiam arguendi. *Columna et firmamentum veritatis.* Id est, in qua nunc sola veritas stat firmata, quæ ante in lege erat posita. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum.* Cum te oporteat Ecclesiam Christi docere, non est tibi ambiguum quid doceas, dum manifeste apparet, quod magnum est sacramentum. Dicitur hoc sacramentum, quod primitus occultabatur. *Quod manifestatum est in carne.* Quod nunc in carne Christi declaratum est, magis videlicet primo et pastoribus. *Justificatum est in spiritu.* Justum esse in spiritu demonstratum est, in forma scilicet columbæ, sive quod prophetatum est per Spiritum sanctum. *Apparuit angelis.* Quando dicebant : *Gloria in excelsis Deo ;* et quando illi in eremo ministrabant, in dieque ascensionis. *Assumptum est in gloria.* Ut apostolis videntibus ascendit in cœlum.

CAPUT IV.

Spiritus autem. Sanctus. *Manifeste dicit.* Per ipsum scilicet Paulum prophetalem inducit affectum, quomodo antiqui dicebant : Hæc dicit Spiritus sanctus. *Quia in novissimis temporibus.* Postquam de sacramento intimavit, nunc indicat quod illud sacramentum hæreticorum nubibus obscuratur. *In hypocrisi.*

Id est, aliud in corde, aliud in labiis proferentes, vel retinentes. *Cauteriatam.* Vitiatam, vel maculatam. *Prohibentium nubere.* Id est, cum ipsi nubant, ut: *Qui prædicas non furandum, furaris* (*Rom.* II). Illi autem hoc non amore castitatis et abstinentiæ faciebant, sed ut sanctiores cæteris viderentur. *Per verbum Dei.* Id est, quo sanctificatur cibus ac benedicitur. *Hæc proponens fratribus.* Libram justitiæ in omnibus tenens, et omnia rationabiliter et moderate dispensans. *Verbis fidei.* Verba proprie fidei sunt traditio symboli: bona vero doctrina, qua vita instituitur Christiana. *Inanes fabulas.* Arte compositum mendacium. *Pietas autem ad omnia.* Et ad præsens tempus, et in futurum. Nam et ipsa vidua et in præsenti est pasta, et merces ejus manet in ævo. Unde Salomon ait: *Longitudo dierum in dextera ejus* (*Prov.* III). *Fidelis sermo.* Quem de pietate prædixit, *fidelis*, id est, verax apud omnium bonorum conscientiam, et cui nemo bonus resistat. *Qui est salus omnium.* Omnium in præsenti. *Fidelium.* Etiam in futuro. *Hæc præcipe, et doce.* Præcipe, ut fiant; doce, quo modo fiant, vel quali præmio remuneranda sunt. *Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Primo lege, deinde exhortare ut fiant, postremo doce quomodo intelligantur obscura, ut possint fieri quæ leguntur. *Noli negligere gratiam.* Ille negligit gratiam, qui acceptum talentum non exercet. *Per prophetiam.* Id est, benedictionem. *Cum impositione manuum.* Mearum. *Presbyterii.* Episcopi. *Hæc meditare.* Omnis enim perfectus ex meditatione descendit. *In his esto.* Non enim omnis in his est qui meditatur. *Ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* Hoc est, ut exemplo tuo omnes ad meliora proficiant. *Attende tibi et doctrinæ.* Primo tibi, deinde doctrinæ, ut ubique sollicitus et te actu salves, et illos doctrina pariter et exemplo.

CAPUT V.

Seniorem ne increpaveris. Ne indigne ferens se a juniore correptum, exasperetur, et non proficiat. *Sed obsecra.* Ut suo quasi pater ex senio [exemplo] instituat juniores. *Juvenes ut fratres.* Fratres ut coævi, liberi vel commonentur similiter ut sorores. *Viduas honora.* Id est, necessaria eis præbendo, solatia conferendo. *Quæ vere viduæ sunt.* Id est, sine viro nuptiisque. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet.* Tandiu regat domum, quandiu edocet filios parvulos, aut nepotes, ut quod a parentibus pietatis acceperit, filiis reddat: ita tamen, ut non hac excusatione avaritiæ studeat, sed sufficientiam tantum sibi servet et liberis, ne in eis ipsa occasionem det sæculo serviendi.

Desolata. A conjugio maritali. *Et instet orationi.* Qualis fuit Anna filia Phanuel, tales præcepit honorari, quæ in templo die et nocte orationi vacabat. *Vivens mortua.* Secundum animam; ergo si quæ in deliciis est mortua, quanto magis quæ in peccatis versatur? *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet.* Si quis viduas abjicit, aut pupillos, vel maxime parentes et pauperes, deterior est infideli, quia etiam illi naturaliter habent circa proximos pietatem; sive si qua vidua filios orphanos negligat, hujus sententiæ crimen incurrit. Simul notandum est quosdam fideles esse in nomine, qui infidelibus conversatione pejores sunt. *Vidua eligatur.* In ministerium diaconatus, vel ut sustentetur opibus Ecclesiæ. *Non minus annorum sexaginta.* Nam juniores viduæ possunt ad suum opus laborare, ut non aggravent Ecclesiam. *Unius viri uxor.* Unde intelligitur, quod illa quæ cum plurimis viris fuit, vidua non sit. *Tribulationem patientes.* In carcere vel ægritudine positis. *Si omne opus bonum subsecuta est.* Breviter universa concludit. *Juniores autem viduas.* Id est, minoris ætatis quam sexaginta annorum. Tales ergo devita aliis in ministerio diaconatus præponere, ne malum pro bono detur exemplum. *In Christo nubere.* Id est, in societate Christi, et statu viduitatis nubere volunt.

Quia primam fidem. Id est, fides qua se viduas promiserant permansuras. Hæc autem regula non solum in viduis, sed etiam in virginibus continentibusque servatur.

Otiose discurrunt. Divino minime timore detentæ, nec mariti potestati subjectæ, nullaque cura domesticæ occupationis astrictæ. *Curiosæ.* Id est, de rebus sibi non pertinentibus loquentes. *Volo ergo juniores.* Id est, non volentes. *Nullam occasionem dare.* Hoc est, ne per illarum incontinentiam religio blasphemetur. *Adversario.* Id est, diabolo, vel cuilibet perverso homini. *Jam enim quædam conversæ sunt.* Reddit causam quare eas nubere velle prædixerat. *Ut his quæ vere viduæ sunt sufficiat.* Id est, quæ omni auxilio desolatæ sunt. *Duplici honore.* Magno honore, vel propter gradum officii et doctrinæ. *Boni trituranti.* Id est, doctori prædicanti: *Ut et cæteri timorem habeant.* Videntes te nemini pepercisse.

Sine præjudicio. Ut Salomon ait: *Cum consilio omnia fac. In declinatione.* Ut: *Neque ad dextram, neque ad sinistram declines. Neque communicaveris peccatis alienis.* Si enim cito ante tempus manus cuidam imposueris, peccatis ejus communicabis. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt.* Statim in ipsa examinatione apparent.

Præcedentia. Antequam quis gradum ecclesiasticum accipiat. *Ad judicium. Manifesta sunt ad judicium*, hoc est, sive dum dejecti excommunicantur, sive dum plagis præsentibus prædamnantur. *Quosdam autem et subsequuntur.* Post ordinationem sciuntur aliorum peccata, quæ celaverunt ante ordinationem, ideo prædixit: *Sine præjudicio nihil faciens. Et manus cito nemini imposueris*, donec scias si lateant peccata, an non. *Subsequuntur.* Hoc est, sive subsequitur in futurum judicium, sive hic diu latere non possunt. Non ergo debent facile ordinari. *Similiter et facta bona manifesta sunt. Non enim potest abscondi civitas supra montem posita* (*Matth.* V), sed etiam quæ ad tempus latent, non possunt diutius occultari.

CAPUT VI.

Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Id est, ne videantur per religionem in deterius profecisse. *Qui autem fideles habent dominos.* Hoc est, ne sibi æqualitatem vindicent, eosque contemnant, quorum fratres sunt per fidem. *Beneficii.* Fidei et baptismatis.

Exhortare. Præmium ostendendo. *Et superbus nihil sciens.* Super alios se extollens, cum non sit desursum veniens quem prædicat sapientia. *Sed languescens.* Quia nec solidæ veritatis scientia convalescit, sed diversis occasionibus languet, et pugnas verborum observat. *Suspiciones malæ.* Sive hæresim de altero suspicantur, sive audientes putant deficere veritatem. *Existimantes quæstum esse pietatem.* Quia putant quæstus sui causa novum venisse testamentum. *Est autem quæstus magnus.* Multum acquirit, qui habet pietatem cum sufficientia, non luxuriæ, sed naturæ: quia quæ tantum naturæ sufficiunt, pietas exigit.

Nihil enim intulimus in hunc mundum. Nudi nati sumus, nudi etiam morituri (*Job.* I): quidquid enim hic invenitur, hic relinquitur. Non est nostrum, quod non semper nostrum est. Ergo illas divitias acquiramus, quas nobiscum ad cœlestem patriam ferre possimus.

Et desideria multa. Divitiarum enim desideria nunquam satiantur. *Quæ mergunt in interitum.* Dum ambitione honorum tumentes, in cœlos usque elevati usque ad inferos demerguntur. Sive desiderantes alienas opes, ut Achab, usque ad homicidium perveniunt. *Radix enim omnium malorum cupiditas.* Merito initium omnis peccati superbiam diffinivit Scriptura, dicens: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccl.* X). Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud, quod ait Apostolus: *Radix omnium malorum avaritia est,* si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque aliquid appetit amplius quam oportet propter excellentiam suam et propter quemdam propriæ rei amorem, cui sapienter nomen Latina lingua indidit, cum appellavit *privatum.* Specialis vero avaritia quæ usitatius appellatur amor pecuniæ, cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi, dicendo: *Radix omnium malorum est avaritia.* Hac etenim diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Radix excisa semper densos reparat ramos; evellenda est ergo radix, ne rami superflue excidantur: quia in transgressione Adæ multa erant vitia, ut est: *Si de hoc ligno gustaveritis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen.* III). Denique cum dixerit *aperientur,* hic ostenditur cupiditas; et quando dixerit *gustaveritis,* hic gula videtur; et quando dixerit *eritis sicut dii,* ibi superbia revelatur. *Et inseruerunt se doloribus multis.* Quanto amplius habuerint, tanto plures sollicitudinum sustinent cruciatus.

Sectare autem. Id est, in his esto dives. *Justitiam.* In judiciis. *Certamen fidei.* Id est, ut fidem defendas.

Apprehende vitam æternam. Ut illi cupiunt temporalem tenere. *Coram multis testibus.* Coram sacerdotibus, vel ministris virtutibus cœlestibus. *Præcipio tibi.* Præcipit autem auctoritate magistri. *Sine macula.* Maculat enim quodammodo, et reprehendi facit mandata, qui peccat.

Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato. Dicens ad Pilatum: *Ego ad hoc veni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam veritati,* scilicet pro ea etiam moriendo. *Qui solus habet immortalitatem.* Id est, non accipit. *Quem vidit hominum nemo.* Nemo vidit sicuti est, sed unusquisque pro merito. Nam et solem tanto amplius vident singuli, quanto purior fuerit acies oculorum. *Non superbe sapere.* Raro enim invenies divitem, nisi superbum. *Ad fruendum.* Id est, non ad occultandum, vel ad negotiandum. *Neque sperare in incerto divitiarum.* De quibus incertus es utrum illæ tibi, an tu illis celerius subtraharis. *Veram vitam.* Id est, futuram, affirmat præsentem vitam non esse veram. *Depositum custodi.* Id est, commendatum a nobis serva mandatum, sive fidei depositum custodi. *Fallacis scientiæ.* Dialecticæ. *Gratia tecum.* Permaneat in æternum.

XI.

IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ. Quam promittit Christus condignum exhibentibus promissione servitium. *Cui servio a proavis meis.* Id est, a patriarchis. Nam et ego Ecclesiam Christi non malevolentia, sed legis æmulatione vastabam. *In conscientia pura.* Nullum habens criminale peccatum.

Quod sine intermissione habeam tui memoriam. Eo quod meruisti, ut te cogitem semper. *Memor lacrymarum tuarum.* Quas me abeunte a te fudisti. Unde et me ad tristitiam provocasti, quam tua opto præsentia relevari. *Ut gaudio implear.* Propter tuam iterum præsentiam. *Ut resuscites gratiam Dei.* Hoc est, ut de die in diem studium prædicandi renoves. *Per impositionem manuum.* Id est, juxta ordinationem tuam in episcopatum. *Spiritum timoris.* Ut timeamus persecutores, qui nos prohibent prædicare. *Sed virtutis.* Id est, fiduciæ prædicandi. *Et dilectionis.* Ut sive pro Deo, sive pro alterutro libenter etiam

moriamur. *Et sobrietas.* Ut omnia sobria mente faciamus. *Noli ergo erubescere.* Non te pudeat prædicare, et testificari Christum crucifixum meque vinctum pro eo.

Sed collabora. Mecum simul. *Secundum virtutem Dei.* Quæ nos confortat virtutibus per nos factis. *Ante tempora sæcularia.* Ut : *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem.*

Qui destruxit quidem mortem. Peccatum et diabolum. *Illuminavit autem vitam.* Ostendit quomodo vita et incorruptio quæreretur. *Sed non confundor.* In tentationibus et in catenis. At nos e contrario solis opprobriis confundimur. *Scio enim.* Christum cui credidi, id est, scio eum fidelem et potentem. *Depositum meum.* Animam vel præmium. *Exemplum habe.* Regulam custodi. *Sanorum verborum.* Quæ parant sanitatem. *Bonum depositum.* Doctrinam, vel mandatum, seu gradum. *Scis hoc, quod averterunt se a me.* Idcirco te commoneo, quia quos me non putabam deserere, dereliquerunt. *Omnes.* Pro parte. *Ex Asia.* Minore. *Onesiphori domui.* Non sibi soli, sed omni domui ejus.

CAPUT II.

Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu. Et quæ audisti a me per multos testes. Sive præsentibus multis tibi dedi mandata, qualiter docere debeas; sive quæ dixi, multis prophetarum testimoniis et exemplis confirmavi. *Hæc commenda fidelibus hominibus.* Qui fideliter possunt Dei gratiam dispensare, hoc est, solius Dei causa prædicare. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Comparatione militantium utitur, et ostendit multo magis nos a negotiis sæcularibus liberos esse debere, ut Christo placeamus, cum etiam sæculi milites a reliquis actibus vacent, ut possint regi suo placere perfecte. *Cui se probavit.* Se obtulit. Nemo enim, inquit, duobus dominis servire potest. *Nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* Alia comparatione idipsum dicit : multi enim certant, sed ille solus qui tota virtute vicerit coronatus erit. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.* Ne quis diceret : Unde ergo victurus sum, si me totum occupavero in doctrina? ostendit eum primitias frugum a populo debere percipere, mercedem quam a Domino messis percipiet in futuro.

Intellige quæ dico. Quia parabolam dixit. *Memor esto Christum Jesum resurrexisse.* Hoc est contra illos qui carnis resurrectionem negabant, et adversus illos qui negant Christum in carne venisse, quos Jesus antichristos appellat; vel sicut ille post mortem resurrexit, ita et tu habebis solatium post tribulationem.

Secundum evangelium meum. Secundum quod me prædicare non nescis. *Sed sermo Domini non est alligatus.* Quia præsentes doceo fiducialiter, et literis absentes confirmare non cesso. *Propter electos.* Id est, ut sim exemplum electis. *Ut et ipsi salutem consequantur.* Id est, sustinentes meo exemplo tentationes. *Ille fidelis permanet.* Nam omnia quæ promisit, implebit, quia veritas contra se non faciet, ne se negare videatur. *Commone.* Id est, impera.

Testificans. Id est, fortiter docens. *Coram Deo.* In voluntate Dei. *Non per contentionem.* Ne tibi nullus credat contendenti. *Probabilem exhibere Deo.* Hoc est, ita vive, ne dicta factis deficientibus erubescas. *Stulta autem et inaniloquia devita.* Hoc est, irreligiosas hæreticorum fabulas, qui negant resurrectionem. *Proficient.* Crescent.

Et sermo eorum sicut cancer serpit. Cancer esse dicitur vulnus, quod in mamillis nascitur feminarum, quibus nisi cito subventum fuerit, cum virus ad cor serpserit, nullum ultra remedium est. Ita hæreticorum sunt colloquia vitanda, ne per aures irremediabiliter vulnerent mentes.

Jam factam esse resurrectionem. Id est, eo quod succedunt filii post parentes. Aut illi tantum resurrexerunt, de quibus in Evangelio : *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Aut factam esse resurrectionem.* Id est, animas in alia corpora transire putantes, secundum Platonicum errorem. *Sed firmum fundamentum Dei stat.* Quia ii in quorum corde fides Christi fundata, non sunt seducti, vel moti. *Novit Dominus qui sunt ejus.* Hoc testimonium in Numeris scriptum est. *Qui sunt ejus.* Id est, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, sicut Moysi tempore ii qui a Dathan et Abiron subversi non sunt, non simul cum impiis perierunt, Deo illos optime cognoscente. *Et discedat ab iniquitate.* Ut non simul pereat cum iniquis. *Qui nominant nomen Dei.* Dum illud sanctum et justum sit. *In magna autem domo.* Magnam domum non Ecclesiam dicit, ut quidam putat, quæ non habet maculam, neque rugam, sed mundum in quo zizania sunt mista tritico. Nam resurrectionem negantes certum est in Ecclesia esse non posse. *Vasa aurea.* Sensum mundum habentes, vel apostoli. *Argentea vasa.* Loquelas habentes doctrinæ. *Alia quidem in honorem.* Vitæ æternæ. *In contumeliam.* Pœnæ. *Si quis emundaverit se ab istis.* Id est, si quis a doctoribus se hæreticis emundaverit, et crediderit resurrectionem futuram, et judicium Dei, per hoc omne opus bonum implere contendet. *Juvenilia desideria fuge.* Id est, fornicationem. *Pacem cum his qui invocant Dominum.* Ad illos enim pax jungenda est, qui jungunt se Domino. *De corde puro.* Id est, non tantum labiis.

Servum autem Domini. Servum Christi, qui non clamabit, neque contendet. *Sed modestum esse ad omnes.* Non solum ad amicos. *Docibilem.* Qui bene alios doceat. *Cum modestia.* Id est, non cum furore.

CAPUT III.

Hoc autem scito, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Non sit tibi hoc mirum, quod quotidie pejora perveniunt. *Seipsos amantes.* Non Dei gloriam, sed suam quærentes. *Parentibus.*

Id est, et corporalibus, et spiritualibus non obedientes. *Sine affectu.* Misericordiæ. *Incontinentes.* Per luxuriam. *Speciem pietatis.* Id est, in habitu, seu doctrina. *Abnegantes.* Operibus. *Qui penetrant domus.* Ad prædicandum vel seducendum. *Et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis.* Id est, impunitatem illis et veniam promittentes, sive infirmas animas quæ feminis comparantur, hæretica perversitate corrumpunt. *Semper discentes.* Nova semper discere cupientes.

Quemadmodum enim Jamnes et Mambres restiterunt Moysi. Hi sunt magi, qui fecerunt signa in Ægypto contra signa Moysi. Et hæc nomina inveniuntur non in libris legis, sed Paulus protulit, sive per Spiritum, sive per peritiam aliarum Scripturarum.

Circa fidem. Quia non intrant in fidem, sed foris sunt. *Non proficient.* Ad nocendum aliis. *Sicut et aliorum.* Id est, magorum fuit, cum confessi sunt digito Dei se fuisse superatos.

Tu autem assecutus es meam doctrinam. Id est, idcirco tibi non timeo, quia scio te doctrinam et vitam meam cognovisse optime. *Et ex omnibus liberavit Dominus.* Ita et de omnibus te eripiet. *Et in errorem mittentes.* Ut est : *Non solum non intratis in regnum cœlorum, sed intrantes prohibetis* (*Matth.* XXIII). *Et credita tibi.* A Deo per nos. *Sciens a quo didicisti.* Sive a vero apostolo, sive per legem a Deo. *Per fidem quæ est in Christo Jesu.* Sine fide enim Christi litteræ legis non jam sufficiunt ad salutem. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Docere convenit de his quæ agi debent. Arguere vero peccatores, corrigere vero pœnitentes, erudire, adducere hominem ad justitiam.

CAPUT IV.

Testificor coram Deo et Jesu Christo. Contestatur illum per universa quæ credit religio Christiana, ut verbum Dei instanter annuntiet. *Qui judicaturus est vivos et mortuos.* Quia vivos inveniet, et mortuos suscitabit.

Insta. Commode. *Opportune.* Opportunum est libenter audientibus; importunum vero invitis et nolentibus prædicare. *Argue.* Peccatores. *Obsecra.* Seniores. *Increpa.* Superbos et resistentes. Sed hæc omnia cum patientia, et secundum doctrinam perfice legis.

Magistros. Hæreticos. *Pruriens.* Placentes auribus scilicet auditorum. Aliter : Prurientes auribus, hoc est, ipsi auditores auribus considerantes. Pruritus est enim incendium carnis, sine effusione sanguinis vel seminis, sic verbum hæreticorum sollicitat aures audientium sine veritate prædicationis.

Ad fabulas autem convertentur. Ad fabulosas assertiones.

Ministerium tuum imple. Scilicet episcopatus, non enim semper ero in corpore ut valeam commonere. *Certamen bonum certavi.* Modo jam confidenter hoc dicit in extremo vitæ limite constitutus, comparatione utitur sane in agone certantium. *Certavi.* Contra octo vitia, dæmones, hæreticos, persecutores. *Cursum consummavi.* In mandatis divinis. *Fidem servavi.* Suscepti officii fidem in finem usque servavi. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Id est, hucusque labores passus sum, nunc autem mercedem exspecto. *Justus Judex.* Qui non personas, sed merita respiciet. *Festina ad me.* Ab Epheso ad Romam. *Demas me dereliquit, diligens hoc sæculum.* Necesse enim erat, ut diligens sæculum relinqueret sæculum relinquentem : omne enim animal ad simile sibi jungitur. *Titus in Dalmatiam.* Isti autem missi sunt et deseruerunt. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum.* Penula est enim lacerna in modum cucullæ. Item lacerna stola, aut genus cucullæ subtilis. Penula Latinum est, id est, lacerna clarata. *Reddat illi Dominus secundum opera ejus.* In hoc prophetat, non optat, secundum Hieronymum, ut in tractatu Ecclesiastici ipse ait. *Verbis meis.* Quanto magis tuis?

In primâ defensione. Quando defendi in Roma evangelicam fidem, secundo anno Neronis. *De ore leonis.* Neronis. *Ab omni opere malo.* Ab insidiantium malignitate. *Erastus.* Pauli discipulus. *Claudia.* Quædam mulier. *Cum spiritu tuo.* Quia carne mortuus spiritualiter vivis.

XII.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

CAPUT PRIMUM.

Hanc Epistolam scribit de Nicopoli, quæ in Actiaco littore sita est, ad Titum discipulum suum, quem Cretæ reliquerat, ad ecclesias instruendas.

Paulus servus Dei. Id est, non peccati, aut veteris legis. *Apostolus autem Christi.* Quia ab ipso missus fuit prædicare. *Secundum fidem electorum Dei.* Id est, secundum eamdem fidem, qua credentes electi sunt, cum cognoscerent veritatem. *Et agnitionem veritatis.* Quam prædico, ut agnoscant veritatem Novi Testamenti, relicta littera. *Quæ secundum pietatem est.* Non severitatem veteris legis. Aliter : Hæc est plane veritas, quæ non habet pietatem; verbi gratia, si quis grammaticam noverit artem et dialecticam, ut inter falsa et vera dijudicet, absque pietate notitia veritatis dele-

ctat ad præsens, sed æternitatem non habet præmiorum.

Ante tempora sæcularia. Ante mundi omnia tempora, apud se proposuit per Filium salvare credentes. *Tempora autem sæcularia dicit.* Hoc est, quæ multis sæculis cyclisve ab initio mundi revolvuntur : sunt etenim tempora quæ non sunt sæcularia, ut unius horæ, vel diei tempus, quæ non sæculis sed momentis constant. *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione.* Attende textum et ordinem lectionis : quoniam vita æterna, quam non mendax Deus ante sæcula æterna promisit, non alia sit absque verbo Dei : *Manifestavit enim*, inquit, *temporibus suis verbum suum*, quod in principio erat apud Deum Patrem. *Secundum imperium Salvatoris nostri Dei.* Cum Paulum et Barnabam segregari præcepit, ut Gentes docerent. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ.* Postquam credentium dura corda mollierat, tam in signis quam sermone, et fundamentum fidei jecerat, id est, Christum, reliquit Titum Cretæ discipulum, ut rudimenta nascentis ecclesiæ confirmaret, ipse pergens ad alias nationes. Quod autem ait : *Ut ea quæ desunt corrigas*, ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis, et licet ab Apostolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. *Corrigas.* In Græco autem supercorrigas [Ἐπιδιορθώσῃ]. *Unius uxoris vir.* Id est, quo possit ad monogamiam et continentiam alios cohortari, qui sui exemplum præferat in docendo. *Filios habens fideles.* In domo propria prius doctrina sua noscatur. *Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem.* Ipsum dicit episcopum, quem prius presbyterum nominavit, antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et dicerent in populis : *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, et schismatum semina tollerentur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserat Ephesum, et vocaverat presbyteros ejusdem ecclesiæ, quibus postea inter cæteros sic locutus est : *Attendite vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum.* Et hic diligentius observato, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea episcopos dixerit. Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos episcopos. Paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. *Non iracundum.* Iracundus est, non qui aliquando irascitur, sed qui semper ad levem responsionis auram quasi a vento folium movetur. *Non percussorem.* Id est, ne aliorum conscientiam mala conversatione percutiat. *Non turpis lucri cupidum.* Turpis lucri appetitio est plus quam necesse est de præsentibus cogitare.

Sed hospitalem. Hucusque quid non debeat habere episcopus sive presbyter, nunc quid habere debeat explicatur. *Benignum.* Ante episcopatum. *Justum.* In judiciis. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Non fabulas sæculares. *Et seductores.* In Græco, mentium deceptores [ψευσπάται]. *Maxime qui de circumcisione sunt.* Id est, qui humanas potius traditiones quam divina mandata loquuntur. *Qui universas domus subvertunt.* De ciborum differentia, et de circumcisione, et sabbato tractantes, et hoc non zelo Dei faciunt, sed turpis lucri gratia. *Dixit quidam ex illis proprius illorum propheta.* Quoniam ad exitum sermonis, et ad continentiam loci pertinet hoc quod ait : *Dixit quidam ex illis proprius illorum propheta*, videtur ad eos referre de quibus superius est locutus : *Maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*, ut sequatur : *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta.* Quia vero in nullo prophetarum qui apud Judæam vaticinati sunt, hic hexameter versiculus reperitur, videtur mihi duplicîter legendum, ut hoc quod ait : *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta*, id est, Cretensium. Sed quia multa in medio sunt, et hoc absurdum videtur, et forte nemo recipiat, propterea cum superioribus quæ magis vicina sunt aliter aptandum est, ut legamus : *Sunt autem multi et non subditi, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta.* At id quod ait : *Proprius eorum propheta*, non ad Judæos specialiter, qui maxime de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui, et mentium deceptores, qui utique quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. *Cretenses semper mendaces.* Hoc Epimenides sive Callimachus Cyrenensis, de Laudibus Jovis contra Cretenses dixit, qui dicebant apud eos sepultum quem raptum putabant in cœlum. Hunc totum versiculum Epimenides de oraculis scriptitans dixit; et proprium vitium gentis, quod est mendacium, arguit. Et ideo hoc versiculo Paulus abutitur scribens ad Titum ut falsos Cretensium doctores proprio in suo doctore conterat; quem ideo prophetam dicit, sive ad id alludens, quod tales Christiani tales mereantur habere prophetas, quo modo et prophetæ erant Baal; sive vero quia de oraculis scripserat atque responsis, quæ futura multo ante prædicebant. Denique ipse liber Oraculorum titulo prænotatur. *Malæ bestiæ, ventres pigri.* In Cretensibus arguitur falsitas et ferocitas, ac ingluvies et pigritudo. *Testimonium hoc verum est.* Quod dixit de illis proprius eorum propheta. *Non intendentes Judaicis fabulis.* Si quis post adventum Christi circumciditur, Judaicis servit fabulis. *Et mandatis hominum.* Traditionibus hominum. *Adver-*

santium se a veritate. Novi scilicet Testamenti. *Omnia munda mundis.* Quia adhuc secundum legem *immunda* vocabant. *Omnia munda.* His videlicet qui in Christo credunt, et sciunt omnem creaturam bonam esse, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. *Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Propterea etiam quæ sunt munda per naturam, eis immunda fiunt, non quo vel mundum aliquid vel immundum sit, sed pro qualitate vescentium, et mundum mundis, et immundum contaminatis fiat, alioqui infideles quosque et pollutos, etiam panis benedictionis et calix Dominicus non juvat, quia *qui comederit indigne de pane illo, et de calice biberit, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Communia autem et illicita in lege prohibebantur; adventu Christi purgata sunt omnia : quæ ille mundavit, nos communicare nunc possumus : in nobis utique est vel munda comedere, vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura : si autem immundi et infideles, fiunt nobis universa communia, sive per inhabitantem in cordibus nostris hæresim, sive per conscientiam delictorum. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.* Æstimant quidem in eo Deum tantum negari, si in persecutione quis a gentibus comprehensus renuerit Christum. Ecce Apostolus omnibus quæ perversa sunt factis Deum asserit denegari. Christus sapientia est, justitia est, veritas est, sanctitas est, fortitudo est : negatur per insipientiam sapientia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis, toties Dominum negamus; ut e contrario quoties bene agimus, Dominum confitemur. Nec arbitrandum est in die judicii illos tantum a Dei filio denegandos, qui martyrio Christum negaverunt; sed per omnia opera, sermones, cogitationes Christum vel negatus negat, vel confessus confitetur. Est et quædam laudanda negatio, de qua et ipse Paulus apostolus ait : *Apparuit enim gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in præsenti sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quam negationem qui negaverit, et sequi Salvatorem voluerit loquentem : *Quicunque voluerit venire ad me, abneget semetipsum*, et sic exutus veterem hominem cum operibus ejus, et indutus novum sequatur Dominum suum. Quomodo autem quis se abneget contemplandum est. Pudicus fornicatorem, quod prius fuerat negat, sapiens imprudentem, justus injustum, fortis infirmum. Et ut in commune de omnibus loquar, toties nos negamus, quoties, vitia priora calcantes, desinimus esse quod ante fuimus.

CAPUT II.

Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam.

A Aliud est enim sanam doctrinam loqui, aliud ea quæ sanæ doctrinæ conveniunt docere : quia in altero simplex tantum est institutio; in altero cum eo quod doceas vitæ quoque correptio : *Qui enim solverit unum de mandatis mînimis, et docuerit sic, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V). Salvatore præcipiente discipulis, non solum in meditatione Scripturarum eos laborare debere, ut quæ scripta sunt replicent, et condant in memoria thesaurôs, sed prius faciant quæ præcepta sunt. *Quicunque ergo fecerit et docuerit, ille magnus vocabitur in regno cœlorum.* Nisi enim supergressa fuerit justitia nostra Scribarum ac Pharisæorum justitiam, non possumus ingredi in regnum cœlorum. Qui supra Moysi cathedram sedentes, dicunt et non faciunt, et
B alligant onera importabilia quæ cervicibus hominum imponunt, et ipsi minimo digito nolunt ea contingere. Hoc igitur nunc Apostolus discipulum suum docet, ut ea loquatur quæ sanæ doctrinæ conveniunt, quia tunc doctrinæ fit sanitas, cum doctoris doctrina pariter et vita consentiunt.

Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Generaliter Tito ante præcipiens quid loqui deberet ad cunctos, in eo quod ait : *Tu vero loquere ea quæ decent sanam doctrinam*, nunc per singulas species quid unamquamque ætatem deceat, exprimit. Primum senibus viris convenientia, secundo, anus quid deceat, tertio quæ adolescentibus apta sunt, tam maribus videlicet quam feminis mandata subjicit, extremo de servis. *Senes ut sobrii*
C *sint.* Id est, non luxuriosi. *Pudici.* Non libidinosi. *Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes ut prudentiam doceant.* Hoc est, ita sint ut viri senes, in omnibus sobriæ, et honestæ, pudicæ, sanæ in fide, et charitate, et patientia, et pro sexu suo habeant hoc proprium : *Ut sint in habitu sancto.* Id est, non in tortis crinibus. *Non criminatrices.* Blasphematrices, vel accusatrices : hoc utique quia ipsæ adolescentiam jam transgressæ sunt, de adolescentularum ætatibus non disputent, et dicant : Illa sic ornatur, illa sic comitur, sic illa procedit; amat illum, amatur ab illo. Cum etiam si hæc vera sint, non tam apud cæteros debeat accusare quam ipsam secrete
D Christi charitate corripere, et magis docere ne faciat, quam in publico accusare quod fecerit. *Non vino multo servientes.* Signanter et expresse ait : *Non vino multo servientes.* Servitus enim quædam est, et extrema conditio, vino sensus hominis occupari, et non suum esse, sed vini. *Bene docentes filias suas ut prudentiam doceant.* Quia docuit quales primo anus esse deberent, et post quæ cum senibus viris habent communia, etiam propria eorum exposuit, ut honestæ, et habitu sancto, et omni decore sint plenæ, nec accusatrices, nec aliis detrahentes, nec vino sensibus occupatis, nunc consequenter doctrinæ eis frena permittit, ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet doceant ea quæ bona sunt. Licet enim alio loco dixerit : *Docere*

mulieribus in congregatione non permitto, sic intelligendum est, ut in viros illis sit doctrina sublata. Cæterum adolescentulas doceant quasi filias suas, primum castitatem, quia adversum hanc magis in ætate florente pugnat inimicus, et virtus ejus omnis contra feminas in umbilico ventris est, deinde ut ament viros suos, diligant filios. Quæ doctrina est amare viros, cum hoc non in eloquio docentis, sed in corde amantis sit constitutum? Vult eas amare viros suos caste; vult inter virum et mulierem esse pudicam dilectionem, ut cum pudore et verecundia, et quasi necessitate sexus reddat potius debitum viro quam ipsa exigit ab eo. *Et filios suos ament.* Id est, ut eosdem in Dei erudiant disciplina.

Ut non blasphemetur nomen Domini vel verbum. Verbum Domini blasphematur, vel cum contemnitur Dei prima sententia, et pro nihilo ducitur; vel Christi infamatur evangelium, dum contra legem fidemque naturæ, ea quæ Christiana est, ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat, cum etiam gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturæ. *Juvenes similiter exhortare, ut sobrii sint.* Sicut in eo quod supra præceperat, dicens: *Anus similiter in habitu sancto*, similitudinem anuum dixeramus ad senes necesse referendam, ita nunc in eo quod intulit, *Juvenes similiter hortatur, ut pudici sint*, similitudinem juvenum ad anus, et per anus ad senes arbitramur aptandam, ut senum habeant sobrietatem, et honesti sint, et pudici, et sani in fide, et charitate, et patientia: anuum in habitu sanctitatem habeant, ut *non* sint *accusatores*, *non vino multo servientes*, *bene docentes*, et cætera. Proprium adolescentiorum hoc posuit, ut pudici sint in omnibus, tam scilicet mente quam corpore, tam opere quam cogitatione, ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Et licet quidam de Latinis ita æstiment legendum: *Juvenes similiter hortare ut pudici sint*, ut postea inferant, *in omnibus te ipsum formam præbens bonorum operum*, tamen sciamus *in omnibus* ad superiores esse referendum, id est, *hortare ut pudici sint in omnibus*. Sciendum quoque hoc, quod continentia non solum carnis opere et animi concupiscentia, sed in omnibus rebus necessaria sit: ne honores indebitos appetamus, ne accendamur avaritia, ne ulla passione superemur. *In omnibus te ipsum præbens formam bonorum operum.* Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit quam verbo. Denique qui impudicus est, quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus infirmus est ex auctoritate cohortandi: ut e contrario quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem compellere.

In integritate. Id est, in virginitate. *In gravitate.* Id est, mentis pudicitia. *Illuxit enim gratia Dei et Salvatoris nostri.* Ideo omnes indifferenter doce. *Omnibus hominibus.* Nullam conditionem excipiens. *Et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.* Ne justitia temerata sit, pietas adjungitur. *Et mundaret sibi populum acceptabilem.* Caveamus ergo, ne beneficium irritum faciamus. *Hæc loquere.* Doctrina. *Exhortare.* Exemplo. *Argue.* Eos qui non ita vivunt. *Cum omni imperio.* Sic intelligo quod ait: *Argue cum omni imperio*, ut specialiter ad increpationem, et non ad duo superiora in commune referatur; neque convenit dicere, exhortare cum omni imperio, sed tantummodo, increpa cum omni imperio. *Nemo te contemnat.* Id est, talem te exhibe, ut contemni non possis.

CAPUT III.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse. Ut in Evangelio dicitur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Luc.* xx). *Dicto obedientes.* Si bonum fuerit quod præcipiunt: si vero malum, responde eis de Actibus apostolorum: *Obedire oportet Deo magis quam* principibus vel *hominibus* (*Act.* xv). *Non litigiosos.* Nam Christi, id est, pacis filios non oportet litigare.

Ad omnes homines. Non solum ad bonos vel amicos. *In malitia.* Cum persequeretur Ecclesiam. *Odibiles.* Odientes invicem. Quæ major potest malitia et invidia esse, quam contra absentes epistolas sumere, et odisse Christianos, et consequenter ab hominibus odium promereri? Sive sub persona sua de aliis loquitur. *Cum autem benignitas et humanitas apparuit.* Diligentius attendamus, et inveniemus in præsenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe atque clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti, quam effudit in nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, justificavit nos in vitam æternam. *Secundum spem vitæ æternæ.* Id est, non secundum carnalem hæreditatem. *Fidelis sermo est.* Ad superiora jungendum est, ubi ait, hæredes simus.

Et de his. Id est, de supradictis. *Volo te confirmare.* Id est, confirmare, non inscientem instruere. *Stultas autem quæstiones.* Plurima exempla sunt quærentium non recte Deum. Judæi prave quærunt Deum, sperantes eum inveniri posse sine Christo. Hæretici vano sermonum strepitu concrepantes, quærunt quem invenire non possunt. Philosophi quoque et barbari, de Deo varia sentientes, quærunt Deum; sed quia non recte quæsierunt, fuerunt eorum fatuæ quæstiones, putantium Deum humanis sensibus posse comprehendi. Ab his igitur nos Paulus revocat. Quod autem ait: *Genealogias, et contentiones, et rixas, quæ non veniunt ex lege, devita*, proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactitant et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum: quæ quia barbara sunt, et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis. Et si forte erravimus in accentu, extensione et brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maxime in spirationibus, et quibusdam rasura gulæ litteris proferendis. Hoc autem evenit vel maxime quod Se-

ptuaginta interpretes per quos in Græcum sermonem lex divina translata est, specialiter ה heth litteram, et ע ajin, et cæteras istiusmodi, quia duplici aspiratione in Græcam linguam transferre non poterant, aliis litteris expresserunt. Verbi causa, ut *Rahel*, *Rachel* dicerent, et *Jeriho*, *Jericho*, et *Hebron*, *Chebron*, et *Seor*, *Segor*. In aliis vero eos conatus iste defecit. Nam nos et Græci unam tantum litteram, S, habemus, illi vero tres, סשׁש, quæ diversos sonos possident : Et *Sion* per ס scribitur, *Israel* per ש, et tamen non sonat hoc quod scribitur. *Seon* rex Amorrhæorum per ס litteram et pronuntiatur et scribitur. Si igitur a nobis hæc nominum et linguæ idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebræis, solent cachinnum attollere, et jurare se penitus nescire quod dicimus. Est alia occasio superbiæ : quemadmodum enim nos qui Latini sumus, Latina nomina et origines de lingua nostra habentia, facilius memoriæ tradimus, ita illi a parva ætate vernacula sui sermonis vocabula peritissimis sensibus imbiberunt, et ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos suum putes referre nomen. Si ea forte non ita novimus, putant se in nominibus referendis, et in supputatione annorum, et in nepotibus ac pronepotibus, avis, proavis, atavis doctiores. *Et contentiones.* Dialecticorum, quorum Aristoteles princeps est. *Sunt enim inutiles.* Quid enim prodest scire quot annos vixerit Mathusalam, quoto ætatis suæ Salomon anno sortitus sit conjugem?

Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita. Nec circa ipsos nos occupari permittit, si correpti non corrigantur, ne tempus inani contentione perdamus.

Proprio judicio condemnatus. Propterea a semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia per sacerdotes de Ecclesia repelluntur. Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes : quæ recessio proprie conscientiæ videtur esse damnatio.

Cum misero ad te. Ex quo paternos Pauli in Cretenses probamus affectus. Necessarium habebat Titum; tamen non eum vult ad se venire, nisi in locum ejus Artemas aut Tychicus successor advenerit, ne absque doctore relinquerentur. *Nicopolim.* Ipsa est quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superavit, nomen accepit. *Et Apollo.* Apollo vir Alexandrinus, ex Judæis episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis doctore putandum est transisse, et Pauli epistola dissensionibus quæ Corinthi fuerant intemperatis, rursum Corinthum revertisse. *Præmitte.* Ut nihil eis desit. Præcipit Tito, ut quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, ut non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quæ ad viaticum necessaria erant. *Discant autem et nostri bonis operibus præesse.* Nostros suos vocat, qui in Christo crediderant, qui quia Christi erant, recte Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem, doce eos non esse infructuosos ; sed evangelistis, et apostolicis viris, qui bonis operibus serviunt, ministrare.

Ut non sint infructuosi. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.

XIII.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

CAPUT UNICUM.

Paulus vinctus. In carcere vel in catena. *Christi Jesu.* Id est, pro confessione nominis Christi. *Philemoni dilecto.* In Græco non habes dilecto, sed diligibili [τῷ ἀγαπητῷ]. Inter dilectum autem et diligibilem hoc interest, quod dilectus appellari potest etiam ille qui dilectionem non meretur. Diligibilis vero is tantum qui merito diligitur.

Et Archippo commilitoni nostro. Hic diaconus erat, de quo ad Collossenses : ait : *Dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Et in omnes sanctos.* Qui diligit caput, diligit et membra. *Quia viscera.* Non tantum corpora, sed viscera sanctorum, id est, quos hospitio recipiens per te refecisti.

Quod ad rem attinet. Scilicet Christianæ pietatis.

Propter charitatem magis obsecro. Cum nobis fiduciam causa ipsius dederit imperandi, tamen charitate faciente obsecrare maluimus quam jubere. *Cum sis talis.* Moribus talis, quales illi qui in senectute etiam pro Christo vincula non recusant. *Nam tu senex es ut ego, nunc autem vinctus Jesu Christi.* Etsi ambo senes sumus, tamen te in aliquo quod nunc vinctus sum Christi, supero. Hoc addit ad cumulandum verba, ut non negetur petitio.

Quem ego genui. Quia eum credentem ei in carcere baptizavit. *Nunc autem et mihi utilis.* Postquam credidit mihi. *Et tibi.* Ac si diceret, quia tua vice mihi ministravit. *Ut pro te mihi ministret.* Ex hoc cognosce qualis sit, qui ita mihi placuit, ut possim eum credere tua vice mihi ministrare.

In vinculis evangelii. Quæ patior propter dilectio-

nem evangelii. *Sed sine consilio tuo.* In hoc exemplum dat nobis, nullius servum fraudare. *Forsitan enim ideo discessit ad horam a te.* Hoc est, fortasse hoc Dei providentia procuravit, unde nonnunquam malum occasio bonorum fit, ut fuit Joseph fratribus suis : sic nunc iste si non fugisset, Deum non invenisset, si Paulum in vinculis non vidisset, fidem non recepisset.

Ut in æternum illum recipias jam non ut servum. Id est, fratrem in Christo reciperes, non secundum conditionem servitutis, quæ temporalis est. *Sed pro servo fratrem.* Quia servus recessit, frater autem in Christo revertitur. *Si autem nocuit aliquid tibi, aut debet.* Fugam furto comulans, quædam domestica rapuit a domino. *Hoc mihi imputa.* Id est, quod Onesimus furto rapuit, ego spondeo redditurum, hujus sponsionis epistola hæc, et manus propria testis est. *Ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.* Hæc autem dico quasi ad extraneum loquens. Cæterum si ad jus meum redeam, propter sermonem Christi, quem evangelizavi, et Christianus effectus es, te mihi ipsum debes : quod si tu meus es, et tua A omnia mea sunt; si autem tua omnia mea sunt, Onesimus quoque, qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo; sed voluntati tuæ relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo.

Te fruar in Domino. Id est, in voluntate Domini. *Viscera mea.* Onesimum, quem Paulus in vinculis Christi genuit. *Simul et para mihi hospitium.* Quod amplitudine sui multorum audientium possit esse capax, ut in ipso Paulus doceret plurimos.

Salutat te Epaphras concaptivus meus. Vinctus Romæ cum Paulo. *In Christo Jesu.* Non alicujus criminis causa, sed fidei societate. Aliter simul Epaphras, in Geschalis oppido Judææ cum parentibus Pauli a Romanis captus, et in Tharsum Ciliciæ translatus. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum* B *spiritu vestro.* In toto quidem homine, et in omni parte sanctorum gratia est Domini nostri Jesu Christi, sed a meliori et a majori parte, id est spiritu, de toto homine dicitur. *Cum spiritu vestro.* Cum autem in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, ut caro spiritui serviat, et anima non jungatur a carne.

XIV.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.

Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis. Quoniam apud Hebræorum ecclesias destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis, et veritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte prælati utilitatem excluderet lectionis. Tota intentio beati Apostoli fuit in hac epistola Hebræos, id est, gentem suam ad Christi convocare fidem, eminentiamque gratiæ, quæ per fidem data est, a legalibus discernere umbris, quæ angelicis ministrationibus fuerunt. Idcirco primo posuit prophetas diversis modis patribus locutos esse, dicens : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus nostris in prophetis.* Proinde non secundum hoc solum eminentia Novi Testamenti declaratur, quia patribus D quidem prophetæ missi sunt, nobis autem Filius, sed quod etiam prophetarum vel patriarcharum nemo nisi in similitudinibus vidit Deum, Filium vero unigenitum incarnatum esse, atque in ea carne visum constat, qua idem homo a verbo Dei susceptus, unigenitus est Filius Dei. Ideo hinc addixit : *Novissimis autem diebus locutus est nobis in Filio. Multifarie,* id est, multis et variis locutionibus, ut decem verba legis, et alia pene innumerabilia testimoniis variis commendata. *Multisque modis.* Ostensionibus, id est, multis formis in quibus loquebatur : nunc autem in hominis et hospitis forma, ut Abrahæ; nunc in forma militis, ut Jesu; nunc in igne, ut Moysi in rubo; nunc in nube et aliis signis; ali- C quando per semetipsum loquitur, ut est : *Audiam quid loquatur in me Dominus;* aliquando per angelum loquitur; aliquando per subjectam creaturam, ut in nube : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III); aliquando lucidis, ut : *Si audiretis me, bona terræ comeditis;* aliquando obscuris, ut : *Gladius vos devorabit.* Olim Deus locutus est duobus modis; locutioque divina distinguitur, cum aut per semetipsum loquitur, aut per angelicam creaturam ad nos verba promuntur. Cum autem per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis et syllabis cor docetur. Cum vero per angelum, aliquando verbis sine imaginibus, aliquando imaginibus et rebus sine verbis.

Patribus nostris. Abraham, Isaac, et Jacob, et Loth, et Moysi. Et habebis sibilum quando dicis in prophetis, id est, a nominativo prophetia. Aliter *patribus*, qui cominus fuerunt in tempore prophetarum, id est, toti plebi Israel, et tunc dicis in prophetis sine sibilo. *Novissimis diebus.* Novi scilicet Testamenti, ut : *Melior est finis orationis quam principium*, ut Salomon ait : quia firmius est quod non audimus, quam quod illi olim audierunt. *In Filio suo.* Hoc dicitur secundum assumptionem carnis, ut : *Qui proprio Filio suo non pepercit* (*Rom.* VIII). *Suo.* Id est, proprio. Multi enim filii gratia, hic autem natura est. *Quem proposuit.* Secundum carnem, quia secundum divinitatem non constitutus, sed constitutor dicitur. *Hæredem omnium.* Alii post patrem hæredes sunt, hic autem vivente Patre hæres est. *Omnium.* Visibilium et invisibilium, cœlestium et ter

restrium, ut ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). *Per quem.* Secundum divinitatem. *Etiam fecit, et sæcula.* Tempora, aut creaturas, ut: *In principio fecit Deus cœlum et terram. Qui est splendor gloriæ.* Patris splendor: quia sicut splendor a sole non separatur, sic ipse splendor paternæ gloriæ ab ipso Patre inseparabilis est. *Et imago substantiæ ejus expressa.* Ejusdem naturæ et substantiæ formam signatam et expressam habet. *Portans quoque omnia.* Gubernans, quia nisi ab eo portarentur, laberentur. *Verbo virtutis suæ.* Seipso, qui et verbum est et virtus. *Purgationem peccatorum perficit.* Sacerdotes enim in veteri lege non per semetipsos, sed per hostias hominum peccata auferebant: hic autem sacerdos exstitit et hostia, purgavitque peccata per sanguinem et gratiam baptismi. *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Hucusque breviter Paulus dixit de divinitate et humanitate Christi, ut de his primitus indicaret Judæis, deinde per epistolam de his redderet rationem. *Tanto melior angelis effectus.* Quare non eum meliorem prophetis dixit, id est, legem ministrantibus, dum Christum prius prophetis prætulit? Ideo, quia vetus lex per angelos ministrata est, nova autem per Christum. Ergo hoc dicit, ut præcellentiam Novi Testamenti ostenderet, dum Christus angelos præcellit. *Filius meus es tu.* Secundum divinitatem. *Ego hodie genui te.* Quia in æternitate semper natus est. Aliter: *Ego hodie genui te*, secundum incarnatam humanitatem intelligendum est. *Ego ero illi in patrem.* Hoc in libris Regum et Paralipomenon legitur (*II Reg.* II). *Cum introducit primogenitum in orbem terræ.* Id est, Mariæ; vel cum ducat de ejus incarnatione in terra. *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Nam licet incarnatus, adoratus est ab angelis, quanto magis secundum divinitatem? *Qui facit angelos suos spiritus.* Duplex angelorum officium est: aut enim spiritum consolationis, aut ignem vindictæ hominibus ministrant, ut Hieronymus dicit. Aliter hic hyperbaton est, et est ordo: Qui facit spiritus suos angelos, id est, ut sint angeli, hoc est, nuntii supernæ voluntatis. Nam *angelus* officii est nomen, non naturæ; nam omnes virtutes cœlestes naturaliter *spiritus* appellantur. *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.* Significat autem principatum Christi super angelos. *Virga æquitatis.* Virgam, sceptrum regni et potestatis intelligimus, qua Deus alios remunerat, alios condemnat, reddens unicuique secundum opera sua. *Unxit te Deus.* O Deus. *Oleo lætitiæ.* Spiritu sancto. *Præ consortibus tuis.* Regibus, sacerdotibus prophetis. *Et tu in principio.* In Filio. *Terram fundasti.* Stabilem eam fecisti super stabilitatem suam. *Et opera manum tuarum sunt cœli.* Spiritus sancti, qui etiam digitus dicitur. Notandum quod hic prius dicit *terram*, deinde subinfert, *sunt cœli.* Sermo enim divinus aliquando de terrestribus ad cœlestia mentem elevat, aliquando de cœlestibus ad terrestria descendit, ut currus Eliæ de cœlo emissus, et in cœlum iterum cum gloria elevatus est. *Ipsi veribunt.* Quia figura eorum in melius transformabitur, non autem substantialiter interibunt. *Tu autem idem ipse es.* Non dicit, eras, vel eris, sed es. *Et anni tui non deficient.* Id est, æternitas tua. *Sede a dextris meis.* Ideo a dextris dicit, quia nihil est in cœlestibus sinistrum. *Donec ponam inimicos tuos.* Donec eos superatos et subjectos in vindicta sub te habeas in futuro. *Scabellum pedum tuorum.* Pedes Domini ejus incarnatio intelligitur, sive apostoli et sancti.

CAPUT II.

Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus. Dum ministri spiritus nobis serviunt, et hæreditatem salutis capimus; vel conjunge hoc ad qualitatem omnium supradictorum. *Abundantius* autem dixit, id est, diligentius, dum major est auctoritas nostræ legis, quam auctoritas angelorum ministrantium veterem legem. *Ne forte efluamus.* Ne a salute discedendo pereamus. *Etsi omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* Id est, per legem acceptam. Inobedientia vero legem non suscepit. *Quæ cum initium accepisset.* Ut: *Exinde cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). *In nobis.* In omnibus Christianis fidelibus. Nam se conjungit cum reliquis fidelibus. *Contestante Deo signis.* Præsentibus. *Et portentis.* De futuris ostensa. *Et variis virtutibus.* Sanitatibus, ut: *Dæmones ejicite, leprosos mundate, mortuos suscitate* (*Matth.* X). *Secundum suam voluntatem.* Secundum voluntatem Dei, non secundum meritum, vel facultatem nostram. *Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ.* Sed Christo subjecit Deus orbem terræ futurum, id est, Ecclesiam post peractum judicium multiformem. *De quo loquimur.* Dicendo: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Testatus est autem in quodam loco.* Spiritus sanctus per prophetam. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis.* Aliud est homo, et aliud est filius hominis. Adam enim non genitus, neque ex homine factus; Christus vero ex homine suscepit carnem. Sed quod ait: *Quid est homo?* dignitatis significatione interrogat. *Quoniam visitas eum.* Scilicet in passione, vel resurrectione. *Minorasti eum paulo minus ab angelis.* Assumendo carnem, patiendo crucem, quod utrumque angelis evenire non potest. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Omnis creatura homini servit, ut est: *Et dominetur piscibus maris, et volatilibus cœli* (*Gen.* I). Sed quamvis hæc Adam conveniunt, et unicuique homini, hic tamen secundum sensum Pauli tantum Salvatori competit. Ergo *constituisti eum super opera manuum tuarum*, ut: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). *In eo enim quod omnia sibi subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* Præter eum qui sibi subjecit omnia. *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei.* Quia non simul impletur prophetia; licet enim ei subjiciuntur multi, alii tamen non, in judicio vero omnia ei subjicientur. *Ut gratia Dei.* Gratia Dei Filius Dei dicitur, quia per suam gra-

tiam gratis peccata dimisit, nullis præcedentibus hominum meritis. *Pro omnibus gustaret mortem.* Celeritas mortis in gustu significatur, ut : *Et cum gustasset, noluit bibere* (*Matth.* XXVII). *Decebat enim eum propter quem omnia.* Restaurata sunt, sive in cœlis, sive in terris. *Et per quem omnia.* Consistunt, sive dum per ipsum facta sunt. Aliter : *Per quem omnia*, id est, creata sunt. *Propter quem omnia*, id est, propter gloriam ipsius facta sunt omnia. *Per passionem consummari.* De humilitate mortalis carnis in gloria resurrectionis exaltari, in exemplum eorum quos adducet in gloriam. Aliter *consummare*, ipsum videlicet salutem perficere. *Qui enim sanctificat.* Christus. *Et qui sanctificatur.* Homo justificatus per fidem. *Ex uno omnes.* Id est, Deo Patre, sive ex Adam. Hic autem ostenditur secundum carnem ex una eademque massa et Christum esse qui sanctificat, et nos qui sanctificamur ab eo. *Non confunditur.* Christus. *Fratres eos vocare.* Dum scilicet unum habent Patrem Deum. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Apostolis et omnibus sanctis. *In medio Ecclesiæ.* In conventu et in cordibus eorum. *Laudabo te.* Faciam te sanctos laudare. *Et iterum : Ego ero.* Vox Christi. *Fidens in eum.* Patrem. *Ecce ego et pueri mei.* Hoc in Isaia habetur. *Pueri mei.* Apostoli omnesque in Christum credentes ; non autem secundum ætatem, sed secundum innocentiam pueri dicuntur. *Communicaverunt carni et sanguini.* Omnes communiter carnem habuerunt et sanguinem. *Particeps eorumdem.* Puerorum assumendo carnem et sanguinem. *Ut per mortem destrueret eum.* Ut suis armis diabolus vinceretur, quibus aliis insultabat. *Mortis imperium.* Mittere in mortem, pœnamque perpetuam. *Obnoxii erant servituti.* Vel veteris legis, sive peccati. *Nusquam enim angelos apprehendit.* Non enim in angelica forma venit in mundum, quia non ad redemptionem angelorum venit ; sed ideo carnem apprehendit, ut per quam peccatum admiseramus, ipsa redimeremur. *Sed semen Abrahæ.* Hoc est, assumendo carnem de genere Abrahæ : pro toto autem genere semen Abrahæ dicitur. *Unde debuit per omnia fratribus similari.* Verum corpus hominis, animamque sumendo. *Fidelis pontifex.* Hoc est, verus et potens, et idoneus implere suum officium. *In eo enim.* Corpore seu jure. *Potens est eis qui tentantur auxiliari.* Non ut pontifices legis.

CAPUT III.

Unde fratres sancti vocationis cœlestis participes. Ut : *Venite ad me, omnes qui onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Vel : *Venite, benedicti*, etc. *Considerate apostolum.* Missum a Patre. Hæc dicens, ostendit Jesum obedisse Patri usque ad mortem, et fidelem fuisse ei, et nos admonet, ut capiti nostro pareamus, id est Christo. *Et pontificem confessionis nostræ.* Fidei nostræ. *Qui fidelis est ei.* Patri. *Qui fecit illum.* Sacerdotem esse ex semine David secundum carnem. Ipse itaque fidelis ei, ut scriptum est de eo : *Ut faciam voluntatem tuam* ; et illud : *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Matth.* XIV). *Sicut et Moyses.* Fidelis fuit. Aliter hoc interrogantis affectu pronuntiandum est. *Si fiduciam et gloriam spei usquè ad finem firmam retineamus.* Per fiduciam fides, per gloriam spei spes, per finem charitas intelligitur, ut : *Finis præcepti est charitas.* In his domus supradicta continetur, quia fides fundamentum est, spes vero paries, charitas culmen eminet. *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus.* Dum domus Domini esse non possumus, nisi illa retineamus ; vel dum talis apostolus et pontifex Filius est. *Hodie si vocem ejus audieritis.* Hodie significat omne tempus quo vivimus in præsenti. Vel *hodie*, in Novo Testamento, ac si *heri* sit Vetus, quasi dixisset : Si heri vocem Domini non audistis, tamen si eam hodie audieritis, nolite obdurare corda vestra. Tres autem requies Apostolus in subsequentibus ostendit : unam sabbati, qua Dominus requievit ab operibus suis ; secundam terræ repromissionis ; tertiam, cœlestis regni requiem. *Secundum diem tentationis in deserto.* Ad aquam contradictionis, quando populus murmuravit, et Moyses dubitavit. *Probaverunt me.* Exploraverunt me. *Et dixi.* Cognovi. *Semper errant corde.* Licet oculis magnalia viderunt. *Sicut juravi.* Id est, immobiliter proposui, vel destinavi. *In ira mea.* In vindicta. *Si intrabunt in requiem meam.* Id est, non intrabunt : quia genus juramenti, interrogationisque, et negationis est. *In requiem meam.* Id est, in terram repromissionis, quæ requies Israel erat post laborem deserti, in figuram vitæ æternæ, sanctis post mundi labores donatæ. *Donec hodie cognominatur.* Præsentis vitæ tempus. *Participes enim Christi effecti sumus. Unum corpus effecti sumus cum illo*, id est, concorporales illi secundum interiorem hominem facti conformes illius gloriæ et immortalitatis. *Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.* Quasi dixisset : Si credamus quod ille quia coæquabilis est Patri, initium carnis sumpsit ex matre, et si credamus resurrectionem ejus, per quam magna virtus facta est, id est, salus et resurrectio omnium ; sive si credamus humanitatem ejus et divinitatem. *Retineamus.* Id est, per fidem credamus. *Nolite obdurare corda vestra.* Admonet Apostolus fideles Judæos et Gentes, ut caveant ne præceptum Domini prævaricentur, ut in requiem Dei, id est, regnum cœleste ingredi mereantur, qui de Ægypto transierunt. *Sed non omnes.* Exacerbaverunt, præter duos tantum, id est, Caleph et Josue.

CAPUT IV.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione. Desperando de vita futura, vel non sectando opera, quibus ad illam requiem pervenitur. *Deesse.* Scilicet requiei. *Sermo auditus.* Id est, doctrina legis. *Quemadmodum dixit.* Id est, quemadmodum illi non introierunt in requiem, sic nos e contrario intrabimus in requiem. *Et quia de operibus requievit Deus.* Sicut enim Deus die septimo requievit ab omnibus operibus bonis, ita erit requies æterna, cum consummata fuerint opera, quæ ab initio facta sunt. *Et*

in isto rursum. In isto psalmo post legem. *Si introibunt in requiem meam.* Hic *si* pro affirmatione positum est, quasi diceret : Si introibunt, bene habebunt. *In requiem meam.* Id est, in terram viventium. Hic autem virtus propheticæ sententiæ secundum Apostolum est, ut ostendat requiem æternam. *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam.* Credentes propter eos qui venerant ex Ægypto. *Introire.* Dum illi introierunt. *In illam.* Requiem scilicet beatæ vitæ. *Iterum alium diem.* Id est, requiem æternam, non illam terræ repromissionis. *Terminat.* Deus prophetam. *Post tantum temporis.* Post tot annos egressionis filiorum Israel de Ægypto. Ex quo manifestum est, quod non de requie terræ repromissionis dixerit. *Itaque relinquitur sabbatismus.* Id est, æterna requies, quam Judaicum sabbatum significavit. *Populo Dei.* Id est, omnibus recte credentibus. *Qui enim ingressus est in requiem ejus.* Per mortem temporalem. *Etiam ipse requievit ab operibus suis.* Id est, ab hujus mundi laboribus. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Cum alacritate mentis per fidem cum operibus curramus. *Vivus est enim sermo Dei.* Hic ostenditur eumdem nos habere judicem, qui illos propter illorum incredulitatem damnavit. Sermo enim Dei Filius Dei est, sive Evangelium. *Et efficax.* Id est, potens ad inferendam vindictam vel beatitudinem. *Et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Id est, ad vindictam super corpus et animam. *Omni gladio.* Quoniam tantum corpora gladio secantur. *Ancipiti.* Id est, bicipiti. *Usque ad divisionem animæ ac spiritus.* Id est, carnalium ac spiritualium cogitationum; scit enim et probat quid interest inter animam ac spiritum : non quod aliud est anima, aliud spiritus, quantum ad substantiam pertinet. *Compagum quoque ac medullarum.* Per similitudinem corporis de anima loquitur. *Et est discretor.* Idem sermo vivus. *Cogitationum.* In anima. *Et intentionum.* In spiritu. *Omnia autem nuda et aperta sunt.* Duobus modis res corporalis celatur : latens sub tecto, ideo dicit nuda ; aut conclusione, ideo ait aperta. *Oculis ejus.* Id est, inspectionibus divinis. *Ad quem nobis sermo est.* De quo, hoc est, Christo, quoniam reddituri sumus coram ipso rationem de omnibus quæ gessimus. Itaque ad quem nobis sermo est, ac si diceret : Hic Deus est de quo loquimur. *Qui penetravit cœlos.* Morte sacerdotis, ultra velum in sancta sanctorum intrantis. *Tentatum autem per omnia.* Esuriendo, sitiendo, etc. *Ad thronum gratiæ.* Ubi ipse nunc sedet, ne damnemur dum sedebit in throno æquitatis suæ. *Ut misericordiam consequamur.* Id est, peccatorum indulgentiam. *Et gratiam inveniamus.* Vitæ æternæ. *In auxilio opportuno.* Sive in præsenti tempore, ut Apostolus dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Aut in periculo die judicii : ut adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

CAPUT V.

Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Quod de omnibus oblationibus dicitur. Aliter *dona*, id est, aurum et argentum, et cætera donaria. *Sacrificia.* Quæ ad cibum tantum pertinent de pane, verbi gratia, et vino. *Qui ignorant.* Deum. *Et errant.* A mandatis legis. *Quoniam et ipse.* Sacerdos. *Circumdatus est.* Ideo oportet eum condolere, infirmitate scilicet carnis. *Secundum ordinem Melchisedech.* Quia Melchisedech vinum et panem obtulit Abraham, in figuram Christi corpus et sanguinem suum Deo Patri in cruce offerentis. *Qui in diebus carnis.* Quibus in carne conversatus est. *Preces.* Verbis. *Supplicationes.* Genu flexo. *Liberare.* Per resurrectionem. *Cum clamore valido.* Dicens : *Pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*Marc.* XIV). *Et lacrymis.* Pro nostra salute, non timore mortis profusis. *Et exauditus est.* A Deo Patre, angelo eum confirmante. *Pro suo reverentia.* Illius apud Patrem, vel pro reverentia Patris apud illum, dicendo : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* Est autem reverentia mistus dilectioni pavor. *Didicit obedientiam.* Expertus est obedientiam, ut : *Factus obediens Patri usque ad mortem. Et consummatus.* In passione, ut : *Inclinato capite tradidit spiritum. Causa salutis æternæ.* Quia non æterna salus per alios sacerdotes ministrabatur. *Juxta ordinem Melchisedech.* Eusebius dicit in libro Historiarum : Hic Melchisedech in divinis voluminibus sacerdos fuisse Dei summi refertur. Sed qui non oleo communi perunctus sit, neque qui ex successione generis susceperit sacerdotium, sicut apud Hebræos fieri mos erat : et ideo secundum ordinem ipsius sacerdos futurus dicitur Christus, qui non olei liquore, sed virtute cœlestis spiritus consecretur. *Et in interpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis.* Non quod valeret Apostolus per spiritum interpretari, sed quod imbecilles erant auditores ad audiendum sermonem.

Quæ sint elementa. Rudia documenta fidei. *Propter tempus.* Quia longum tempus est ex quo didicistis fidem.

Expers est sermonis justitiæ. Id est, perfectæ scientiæ.

CAPUT VI.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem. Fidei initium, aut de incarnatione et passione ejus loqui. *Ad perfectionem feramur.* Ad perfectam fidem cum bonis operibus feramur, aut de ejus nativitate quædam loquamur, sive de arcano mysterio incarnationis Dominicæ disseramus.

Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Id est, post acceptam semel fidem et pœnitentiam, non iterum de pœnitentia, et de fide Trinitatis, et baptismo, et impositione manuum, et resurrectione, et judicio vos instruamus. Nam hæc omnia quasi lac sunt, et ad initium fidei pertinent. *Ab operibus mortuis.* Quæ interimunt animam. *Et*

fidei ad Deum baptismatum. Pluraliter loquitur, pro varietate accipientium. A

Impositionis quoque manuum. Scilicet episcopi. *Et hoc faciemus.* Scilicet ad perfectionem feramur. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati.* Sicut enim impossibile est Christum iterum crucifigi, ita criminosi homines non possunt iterum baptizari. Non autem in hoc pœnitentiam excludit de peccatis, sed sicut secundum humanam nativitatem impossibile est homines iterum carnaliter nasci, ita secundum spiritualem regenerationem homines non possunt rebaptizari. *Et participes facti sunt Spiritus sancti.* Habentes diversas donationes Spiritus sancti.

Virtutesque sæculi venturi. Scilicet resurrectionis, et præmiorum, et vitæ post mortem. *Iterum renovari.* B Per baptismum, vel per hostias carnales, sed per solam fidem Christi, quæ per dilectionem operatur. *Ad pœnitentiam.* Id est, per pœnitentiam. Quid ergo? Exclusa est pœnitentia? Absit, sed impossibile est renovari, hoc est, per baptismum renasci. *Rursum crucifigentes.* Non vere, sed quasi crucifigentes. Sicut enim semel Christus mortuus est carne, id est, in cruce, ita nos semel morimur peccato in baptismate.

Et ostentui habentes. Id est, quasi despectui. *Terra enim sæpe venientem.* Per metaphoram loquitur. Nam hic terram fideles homines appellat, qui de imbre doctrinæ Christi irrigantur, et faciunt fructum, alium centesimum, etc.

Et generans herbam. Florentes virtutes. *Accipit* C *benedictionem.* Abundantiam fructuum mystice, ut: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. *Proferens autem spinas.* Curas hujus sæculi. *Ac tribulos.* Peccatorum; sic per metaphoram loquitur de peccatore, qui vitiis et peccatis nexius tenetur, cui dicitur: *Ligatis manibus pedibusque, ejicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII). *Cujus consummatio in combustionem.* Quia peccatores igni inexstinguibili comburentur.

Confidimus autem de vobis. Ideo hoc addidit, ut bene agerent. Bonus doctor laudando eos provocat ad profectum. *Et viciniora salutis.* Subaudi, consequi. *Et si ita loquimur.* Exprobrantes vobis, quod facti estis quibus lacte opus sit. *Qui ministrastis sanctis.* Habitantibus Hierusalem. *Et eamdem sollicitudinem ostentare.* Eleemosynæ et doctrinæ. *Ad expletionem fidei.* Per bona opera. *Usque in finem.* Ut: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth.* X). *Ut non segnes efficiamini.* Pigri in mandatis Dei. *Hæreditabunt promissiones.* Nondum enim omnes promissiones completæ sunt. *Juravit.* Firmiter promisit. *Per semetipsum.* Ut: *Vivo ego, dicit Dominus. Nisi benedicens benedicam tibi.* Genus est juramenti, ut est illud: *Si introibunt in requiem meam.* Non enim *nisi* semper pro dubitatione ponitur, nam hic pro affirmatione est positum. Aliter: *Benedicens benedicam te*, id est, in sanctis et fidelibus, qui stellis cœli comparantur.

Et multiplicans. Id est, numerosa peccatorum progenie, qui arenæ maris assimilantur. *Et sic longanimiter.* Patienter, id est, Abraham. *Ferens.* Per trecentos annos. *Ut per duas res immobiles.* Deus, et promissio et juramentum Dei. Item duas res immobiles dixit, Dei Patris promissiones de Filio suo, et adventum ipsius Filii in hunc mundum pro salute nostra. *Qui confugimus.* Id est, ab Judaismo et Gentilitate. *Quam sicut anchoram habemus.* Similiter quomodo anchora navim in tempestate maris, sic spes hominem in tentationibus mundi fundat. Et ista anchora non in mare mittitur, sed in cœlum, ad interiora præmia capessenda. *Usque ad interiora velaminis.* Nostram anchoram sursum mittimus ad interiora cœli, sicut anchora ferrea mittitur ad interiora maris. *Secundum ordinem Melchisedech.* Non secundum ordinem Aaron, quia ex tribu Levi introiit Jesus, id est, sicut pontifex semel introibat intra velum sanctuarii, sic Christus introivit semel in cœlum.

CAPUT VII.

Hic enim Melchisedech rex Salem. Salem est oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem; et ostenditur ibi palatium Melchisedech ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam; ad quam civitatem etiam legitur Jacob descendisse; quæ fuit in terra Chanaan regionis Sichem. *Sacerdos Dei summi.* Non idolorum et dæmonum. TLH per T mysterium crucis Christi designatur, quia Christi passio nos liberat a dominatu quinque carnalium sensuum quibus captivati sumus per fidem sanctæ Trinitatis cum bonis operibus, quæ sunt X et VIII, hoc est, ter sex. Nam Abraham secum in prælio contra quinque reges Syriæ CCCXVIII vernaculos habuit. *A cæde regum.* Quinque regum Syriæ, quia Loth, filium fratris, Abraham cum sua pecunia eripuerat. Occisis autem ab Abraham in via, prædamque magnam ab eis rapuit. *Et benedixit.* Melchisedech. *Ei*, Abrahæ. Melchisedech, quasi *melchos sadec*, id est, rex justitiæ interpretatur, quod mystice Domino Salvatori congruenter aptatur, qui est quoque rex pacis. *Sine patre.* Id est, sine patre sacerdote de tribu Levi. *Sine matre.* Similiter de tribu Levi. *Sine genealogia.* Ex sacerdotali tribu. *Neque initium dierum.* Hic ostenditur istum Melchisedech non fuisse Sem. Nam initium dierum Sem Scriptura describit, Melchisedech vero nec initium dierum habere describitur. Aliter: *Nec initium dierum*, id est, electionis ejus in sacerdotium administrandum ætate legitima annorum XXV vel potius XXX secundum Hebraicam veritatem, ut Hieronymus in tractatu Ezechielis. *Neque finem.* Ipsius ministerii L anno. Tunc enim cessabant sacerdotes ministrare, sed custodes vasorum erant; hæc Origenes dicit. Hunc Melchisedech, alii angelum, alii Spiritum sanctum propter excellentiam suam esse suspicantur: quod absit. Hebræi vero hunc affirmant esse Sem filium Noe, quem vivum fuisse dicunt in tempore Abrahæ, habens tunc annos an-

tiquitatis CCXC : Apostolus vero ostendit non ex Sem fuisse, ex quo Abraham fuit, sed ex Cham, cujus posteritatem Scriptura non memorat. Quisquis enim ille est, de Gentibus fuit. Omnis enim primogenitus cum gentibus sacerdos vocabatur. Et non quod ille patrem et matrem non habuisset, dicitur sine patre et sine matre; sed quia genealogia illius in Genesi non annumeratur, sed subito introducitur. *Assimilatus autem Filio Dei.* Quia et ipse sine patre in terra, et sine matre in cœlo, sine genealogia secundum divinitatem, ut : *Generationem ejus quis enarrabit ?* Similiter sine initio secundum divinitatem, et sine fine. *Manet sacerdos in perpetuum.* In prolixum temporis spatium, non unius tantum anni curriculo, aut usque ad quinquagesimum annum. *Intuemini autem quantus sit hic.* Convertit sermonem ad Hebræos, quibus hanc epistolam scripsit, ac si diceret : Intelligite quam magnus sit hic sacerdos, qui figuram Christi gestavit, dum tam magnus patriarcha ei decimas dedit ex melioribus quæ habebat Abraham patriarcha. Ergo si Melchisedech excellentior sit quam Abraham, sicque Christus secundum ordinem Melchisedech sacerdos manet in æternum, concluditur quod Christus excellentior sit quam Abraham, in quo Judæi se jactant. *Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes.* Hinc more suo per dialecticam loquitur, dicendo et quidem de filiis Levi, ne quis Levi sacerdotium Melchisedech præcellere putaret : et secundum solitam objectionem Leviticum sacerdotium prius exaltat, quod Dei mandato non ab aliquibus, sed a Dei populo, id est, filiis Abraham decimas accipere jubentur, cui tamen sacerdotem Melchisedech superexaltat, quem genus non nobilitat, et qui a patre, a quo omnes nobilitantur, id est, Abraham, decimas sumpsit. *Et cui Levi.* Quamvis in patre decimas dedit. *Decimas sumere a populo.* Tanta est enim sacerdotii excellentia. *Quanquam et ipsi.* Pro, *quoniam. Cujus autem generatio non annumeratur in eis.* Filiis Levi, quoniam Christus non e tribu Levi, sed magis de tribu Juda esse perhibetur; vel quoniam Christi generatio secundum divinitatem non ex eis numeratur.

Decimas sumpsit Abraham. His ergo duobus modis sacerdotium filiorum Levi Melchisedech suo sacerdotio superexaltat : quia decimas ab Abraham omnium sacerdotum patre accipere meruit, et quia hunc qui repromissiones accepit benedixit. *Et hic quidem.* Filii Levi, et in veteri lege. *Decimas morientes homines accipiunt.* Filii Aaron, qui mortales homines sunt. *Ibi autem.* Id est, in Psalmo. *Contestatus est.* Spiritus sanctus per os David. *Quia vivit.* Ut : *Tu es sacerdos in æternum. Et ut ita dictum est per Abraham.* Hoc est, per Abraham decimas dedit Levi ad Melchisedech; quia quod Abraham obtulit, Levi secum obtulit, dum in lumbis ejus fuit. *Qui decimas.* Levi. *Accepit.* Postea a populo Israel. *Decimatus est.* Decimas dedit ad Melchisedech. *Ad hunc in lumbis Abraham positus.* Ut sit verbum deponens *decimor, decimaris.* Aliter secundum Augustinum : Abraham et Levi decimati sunt a Melchisedech, propter panem et vinum a Melchisedech acceptum. Ipsaque decimatio quædam præfiguratio erat futuræ medicinæ per Dominum Salvatorem, idcirco Levi in Abraham decimatus est, quia curaretur. Non autem Christus decimatus est, quamvis et ipse fuerat in lumbis Abrahæ secundum originalem substantiam, per quem humanum genus curaretur. In quo Christi excellentia sacerdotii ostenditur, cum in lumbis Abrahæ non necesse habebat decimari. *Secundum ordinem Melchisedech.* Habens regale sacerdotium sicut Melchisedech. *Et non secundum ordinem Aaron.* In observationibus legalibus. *Translato enim sacerdotio.* A Levi et Aaron. *Ad Melchisedech.* Ad Christum. *Necesse est, ut legis translatio fiat.* Neque enim potest sacerdos esse sine lege, et testamento, et præceptis. *In quo enim.* In Christo, hoc est, quod secundum ordinem Melchisedech sacerdos sit in æternum. *De alia tribu est.* Juda, et non Levi. *Exsurgeret alius sacerdos.* Propter sacerdotes Leviticos. *Mandati carnalis.* Quia non per hominem pontifex ordinatus est. *Vitæ insolubilis.* Id est, æternæ vitæ, ut : *Tu es sacerdos in æternum. Contestatur enim.* Spiritus sanctus per David. *Reprobatio quidem fit.* Ut gratiæ locus daretur. *Propter infirmitatem ejus.* Quia neminem potuit salvare. *Et inutilitatem.* His videlicet, qui in Christo non crediderant. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quia usque ad passionem Christi in infernum omnes ibant, postea autem cœlos penetrant. *Introductio vero melioris spei.* Melior est enim spes, qua vita æterna speratur, quam illa qua bona terræ exspectantur. *Juravit Dominus.* Per semetipsum. *Et non pœnitebit eum.* Sicut pœnituit eum hominem fecisse, et Saul ordinasse in regem. *In tantum.* Ut sacerdotium ejus maneret in æternum, velut cum jurejurando stabiliretur. *Melioris testamenti.* Novi et vitæ æternæ, quod multos ad perfectum duxit. *Sponsor.* Promissor. *Quod morte prohiberentur.* Hic ostendit non sacerdotium secundum ordinem Levi manere, sed Christi sacerdotium perpetuum esse. *Accedens per semetipsum ad Deum.* Ut : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Semper vivens.* Non ut alii sacerdotes. *Innocens.* Nulli nocens. *Impollutus.* Sine peccato. *Segregatus a peccatoribus.* Quod nullum in eo peccatum fuit. *Excelsior cœlis factus.* Id est, angelis et firmamento, ut : *Adorent eum omnes angeli ejus. Qui non habet quotidie.* Ut sacerdotes legis. *Necessitatem.* Immolandi, offerendi. *Sermo autem juris jurandi.* Qui dicit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Filium in æternum perfectum.* Sacerdotem.

CAPUT VIII.

Capitulum autem super ea quæ dicuntur. Summam vel recapitulationem. *Qui sedet in dextera sedis magnitudinis.* Secundum suæ majestatis excellentiam. *Sanctorum minister.* Sive sanctorum hominum secundum suam misericordiam; sive minister

eorum quæ Sancta sanctorum dicuntur. *Et tabernaculum.* Spiritus animarum sanctarum, templique multiformis Ecclesiæ, in quo Deus inhabitat. *Ad offerenda munera.* Aurum et argentum. *Et hostias.* De oblationibus vivis. *Nec esse sacerdos.* Id est, ipse Dominus Salvator, qui sic non esset necessarius, si per alios justificatio fieri posset. *Qui exemplari et umbræ serviunt cœlestium.* Exemplaria dicuntur, quia cœlestium exempla ostendebant. Umbræ autem in comparatione supervenientis veritatis. *Cœlestium.* Spiritualium donorum, quæ nobis per Christi sacerdotium donantur. Aut cœlestium, id est, operum, quia ex his cœlestia promerentur. *Tabernaculum.* Exemplar Ecclesiæ. *Facies omnia.* Tam de tabernaculi constitutione, quam de hostiis sacrificiis quæ in eo immolarentur. *Secundum exemplar.* Quia prius formam ejus in mente perspexit in monte, antequam ipsum tabernaculum faceret. *Nunc autem melius est sortitus ministerium.* Ac si diceret : Dominus Jesus Christus melius sortitus est ministerium Novi Testamenti, ubi peccata nostra remittuntur, et vita æterna promittitur, non tantum bona terræ. *Nam si illud prius culpa vacasset.* Ac si diceret : Si legis prioris observatores inculpabiles essent, nec secunda lex demum inquireretur. *Vituperans enim eos dicit.* Deus per Jeremiam prophetam : *Et consummabo.* Lege veteri transeunte, perfectiorem legem introducam, ubi non figura, sed veritas ostendetur. *Domui Juda.* Ecclesiæ Deum confitenti. *Testamentum Novum.* Evangelium, et legem gratiæ, hoc est, ut quicunque ex omnibus gentibus in Christo crediderint, filii Abraham secundum spiritualem generationem vere sint. *Quod feci patribus eorum in die.* Quinquagesimo post Pascha die in monte Sina. *Et ego neglexi eos.* Reliqui eos secundum desideria cordis eorum. *Post dies illos.* Veteris Testamenti. *In sensibus eorum.* Non in tabulis lapideis. *Superscribam eas.* Id est, super legem naturæ et litteræ. *A majore.* Divite, nobili, sene. *Usque ad minorem.* Egenum, ignobilem, juvenem.

CAPUT IX.

Habuit quidem et prius testamentum. Ac si diceret : Fuerunt in tabernaculo vasa Dei, quod apud homines magnum ac mirabile videtur. Sed tamen illa omnia umbræ erant bonorum futurorum. *Constitutiones culturæ.* Circumcisionem, sabbata, neomenias, hostiasque corporales. *Sanctumque sæculare.* Tabernaculum, quod erat pro tempore. Non sic Sancta sanctorum æterna. *Tabernaculum primum.* Quod mystice significat præsentem Ecclesiam. Candelabrum vero carnem Christi, septem donis Spiritus sancti resplendens, vel ipsa septem dona. *Et mensa.* Aurea in aquilonari parte tabernaculi, significans sacram Scripturam : *Propositio panum.* Mystice corpus Christi, seu doctrina apostolica intelligitur. *Quod dicitur Sancta Sanctorum.* In quod solus sacerdos semel in anno introibat. Secundum tabernaculum, Hierusalem cœlestem significat. Aureum vero thuribulum, corpus Christi cum divinitatis splendore. Arca vero, ipsa Ecclesia secundum mysticum sensum, anima secundum tropologicum exprimitur, aut certe arca Testamenti caro Salvatoris Christi animadvertitur, in qua manna divinitatis inhabitat. *Urna aurea.* Humanitas Christi cum divinitate. *Virga Aaron,* regnum Christi significat, vel vexillum crucis. Tabulæ duæ Testamenti. *Cherubim.* Plenitudo scientiæ. *Propitiatorium.* De quo propitiabatur Dominus populo suo. Mystice propitiatorium Dominus Salvator exprimitur, *qui est propitiatio pro peccatis nostris. Ministeria.* Sacrificia. *Semel in anno.* Decima die mensis septimi secundum lunarem supputationem, quæ solemnitas erat sanctificationum. *Non sine sanguine.* Sicut non sine sanguine Christi nos redempti sumus. *Hoc significante Spiritu sancto.* Propterea ista ita constructa sunt in figuram Salvatoris nostræ salutis, quod videlicet Christus pateretur semel pro genere humano. *Sanctorum via.* Introeundi in cœlum. *Et justitiis carnis.* Carnalibus justificationibus per circumcisionem. *Non hujus creationis.* Terrestris tabernaculi. *Et cinis vitulæ.* Vaccæ rufæ, roseæ, carnis Christi. *Qui per Spiritum sanctum.* Quasi per ignem : quomodo hostiæ prius ignem de cœlo accipiebant. *Ab operibus mortuis.* Quæ ducunt ad mortem, sicut si quis in lege mortuum tangeret, mundabatur. *Earumdem prævaricationum.* Quæ deleri non poterant oblationibus prioribus. *Ubi enim Testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.* Animalis cujus sanguis testatur indulgentiam peccatorum. Poterat aliquis ex eo, quod mortuus est Christus, maxime non credere promissiones ejus. Paulus igitur exempla ex communi assumit consuetudine, quibus ostendit tunc firmissimum esse testamentum, morte testatoris intercedente. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est,* quia testamentum tunc firmum erit, postquam homo de hoc sæculo migraverit. Vivens vero quoties voluerit mutabit, ut sequitur : *Alioqui nondum valet.* Quia quandiu vivit testator, potest immutare sententiam, et alios atque alios hæredes ducere in hæreditatem suam. *Unde nec primum quidem.* Tabernaculum. *Sanguinem vitulorum et hircorum.* Quia uterque sanguis sanguinem Salvatoris significat. *Cum aqua.* Mystice baptismatis, vel aquam et sanguinem de latere Christi manantem significat. *Et lana coccinea.* Quæ significat lenitatem charitatis Christi, qui passus est pro nobis, aut certe per lanam coccineam Christi passio designatur. *Et hyssopo.* Quæ herba humilitatem Christi significat ac fortitudinem, qua interiora nostra purgantur. *Ipsum quoque librum.* Deuteronomium, quod significat Evangelium consecratum sanguine Christi. Hic est sanguis Testamenti, sic et Christus dicit : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti* (*Matth.* XXVI). Vasa ministerii significant ministros Ecclesiæ. *Sanguine.* Fide passionis Christi aspersos. *Non fit remissio.* Ex aliqua parte. *Exemplaria cœlestium* Tabernaculum et vasa ministerii.

His mundari. Hostiis præteritis. *Nam ipsa cœlestia.* Opera Novi Testamenti, sive conversamini, ut Apostolus dicit: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III), quæ est vera Christianorum philosophia. Aliter: cœlestia, id est, vasa. *Sed in ipsum cœlum.* Quasi quoddam tabernaculum. *In sanguine alieno.* Hircorum, vitulorum. *Alioquin oportebat eum.* Id est, si una ejus oblatio mundum totum non salvaret ante passionem ejus et post passionem, oportebat eum pati ab origine mundi, dum per singulas generationes homines peccaverunt, quia semper habuisset quod redimeret: sed noluit nisi ut semel tantum passus mundum in consummationem sæculi liberaret. *Secundo.* In die iudicii. *Sine peccato.* Sine similitudine carnis peccati, aut sine oblatione pro peccato. Aliter: sine peccato, exspectantibus se.

CAPUT X.

Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem. Speciem veritatis; umbra etenim fuit non veritas. Nam requiescebant peccata ad tempus, non remittebantur. *Consummare.* Perfectos facere. *Non cessassent offerre.* Non iterum offerrent, si per unam hostiam mundati essent, et quamvis nos non cessemus offerre, tamen idipsum offerimus sacrificium, non alium agnum hodie, alium cras offerentes. *Commemoratio peccatorum.* Commemorantur peccata, dum quotidie et per singulos annos hostia pro peccatis offerebatur. Nos vero in commemorationem Dominicæ semel passionis quotidie nostræque salutis offerimus. *Impossibile est enim.* Si impossibile, cur ergo faciebant propter præfigurationem? Non enim veritas sine præeuntibus figuris venire debuit. *Introiens in mundum.* Christus apparens in carne. *Hostiam.* Vivam. *Et oblationem.* De vino et pane. *Noluisti.* O Pater. *Corpus autem perfecisti mihi.* Corpus ad offerendum, quia hæc est hostia viva Deo placens. *Tunc dixi.* Dum tempus fuit, ut auferrentur umbræ legalium hostiarum. *In capite libri scriptum est de me.* In fronte Geneseos, ut: *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Item: *In principio erat Verbum*, et illud: *Liber generationis Jesu Christi*; et item: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Ut faciam voluntatem tuam, Deus.* Ut corpus quod aptasti mihi pro genere humano offeram, quia hæc est tua voluntas. *Aufert primum, ut sequens statuat.* Ac si diceret: Reprobat Vetus, et affirmat Novum Testamentum. *Sedet in dextera Dei.* Quasi Dominus, nam ministrare famulorum est. *Contestatur autem Spiritus sanctus nobis.* Per Jeremiam, ac si diceret: Quod dicimus, Spiritus sanctus dicit; diximus enim quod consummavit in æternum sanctificatos, et hoc Spiritus sanctus testatur, quod in Novo Testamento non recordabitur Deus peccatorum. *Postquam enim dixit.* Ordo, dicit enim Dominus: *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccata eorum non recordabor amplius*, postquam dixit: *Hoc est testamentum quod testabor ad illos. Ubi ergo horum.* Peccatorum remissio. *Jam non fit oblatio.* Quia non oblatione quæ offerebatur in lege, sed sanguine Christi dimittuntur peccata. Hic ostendit distantiam pontificis, et sacerdotis, et hostiarum, et tabernaculi, et testamenti, et repromissionis, siquidem illa fuerunt temporalia, hæc autem æterna; illa formæ, hæc veritas. *Habentes itaque fiduciam.* Propter remissionem peccatorum, et quod cohæredes effecti sumus. Unde nos plus habemus fiduciam per sanguinem Christi mundari, quam illi qui carnaliter hostias offerebant. *In introitum sanctorum.* In introitum regni cœlestis, vel fidei. *Quam initiavit nobis.* Consecravit, eo quod ipse primus illa via propria carne conscendit in cœlos. *Viam novam.* Aut fidem Christi, aut introitum regni cœlestis. *Aspersi corde a conscientia mala.* Quia fides *sine operibus mortua est* (*Jac.* II). *Et abluti corpus.* Sicut illi ablutiones carnales habebant. Nam foris lavamur aqua, intus autem Spiritu sancto, ut: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc. (*Joan.* III).

Aqua munda. Baptismatis aqua consecrata a benedictionibus. *Confessionem spei indeclinabilem.* Non declinemus ab ea, dum verum erit quod promisit, sicut Israelitæ, qui declinabant. *Fidelis enim qui promisit.* Ut alibi fidelis dicitur, per quem vocati estis. *In provocatione dilectionis.* Ut unusquisque alterum provocet ad charitatem. *Non deferentes collectionem.* Ecclesiam in qua collecti sumus in una fide. *Sed consolamini invicem.* Dicentes: Brevis est tentatio, et longa remuneratio. *Diem appropinquantem.* Sive mortis, sive judicii. *Offerre Deo hostiam.* Scilicet legalem secundum veterem legem. Aut crux secunda nobis ultra non est, huic autem simile est, quod in superioribus dixit: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, iterum renovari. Terribilis quædam exspectatio judicii.* Si autem exspectatio terribilis est, quanto magis ipsa præsentia, quæ consumptura est adversarios? non ita ut non sint, sicut aurum non consumitur in igne, sed quod immundum est in eo. *Communem æstimans.* Putans nihil prodesse effusionem sanguinis Christi. *Et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Legales hostias offerens: vel non credens remissionem peccatorum per gratiam Spiritus sancti. *Mihi vindictam; et ego retribuam.* Vindictam, contumeliam spiritui gratiæ facienti. *In manus incidere Dei viventis.* In potestatem judicii ejus, *qui reddet unicuique secundum opera ejus. Rememoramini igitur pristinos dies.* Hoc dicit, ut perdurantes in tribulationibus essent longanimes, sicut jam post acceptam fidem benefecerunt. *Et in altero quidem opprobriis.* Vocibus. *Et tribulationibus.* Martyriis pressurisque. *Spectaculum.* Propter manifesta opprobria. *Estis effecti.* Ministrando tribulatis. *Confidentiam vestram.* Fortitudinem fidei, et patientiam in tribulationibus. *Nam justus meus ex fide vivit.* Quia vita corporis animæ, vita animæ fides est, a qua si quis se subtraxerit, non placebit Deo.

CAPUT XI.

Est autem fides. In Habacuc sperandarum rerum

substantia. Nam quod videt quis, quid sperat? Sed si quod non videmus speramus, per patientiam exspectemus. *Sperandarum rerum.* Synecdochicos hoc dicit, ab insigni parte fidem definiens. Nam fides est trium temporum : creduntur enim præterita quod fuerint, præsentia quod sint, futura quod erunt. *Fide Abel majorem hostiam quam Cain obtulit Deo.* Meliorem. Abel pastor ovium erat, Cain vero agricola ; sed Abel primitias ovium Deo offerebat, præspiciens et credens, quod Christus postmodum tanquam ovis ad occisionem duceretur. *Per quam testimonium consecutus est.* Ut in Evangelio legitur : *A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ* (*Matth.* XXIII). *Testimonium prohibente muneribus ejus Deo.* Quia ignis descendebat super hostias ejus, sicut dicitur : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain vero non respexit.* Adhuc loquitur, ut : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV). *Fide Enoch.* Propter fidem suam transferri meruit, credens quod Jesus postmodum in cœlum sublevandus esset : ante translationem enim testimonium habuit, ut est : *Ambulavit Enoch cum Domino.* Et alibi : *Et placuit Deo anima ejus* (*Gen.* V). *Quia est et inquirentibus se remunerator fit.* In his duobus modis totum symbolum et plenam fidem habemus. *Fide Noe.* Credens responsum a Deo acceptum. Aliter : Prævidit namque Ecclesiam navigaturam per mare sæculi hujus, ad portum vitæ æternæ. *Per quam.* Fidem. *Condemnavit sæculum.* Peccatores, qui non meruerunt arca salvari. *Fide qui vocatur Abraham.* Signanter ait, vocatur, non enim sic prius vocabatur quando obedivit, sed Abraham tunc nominatus est. *Hæres.* Noe. *Institutus.* Mundi hæres. *Obedivit.* Quando dictum est ei : *Exi de terra tua. Exspectabat enim fundamenta.* Christum, et apostolos, et prophetas. *Civitatem.* Hierusalem cœlestium. *Fide et ipsa Sara.* Ecclesiam gentium respexit de qua dicitur : *Lætare, sterilis quæ non paris. Propter quod et ab uno.* Homine, ex Abraham scilicet et Sara, ut : *Erunt duo in carne una. Et hoc emortuo.* Concupiscentia carnali. *Juxta fidem defuncti sunt.* Qui usque ad mortem fidem servaverunt. *Non perceptis.* Ante mortem repromissionibus. *Et salutantes.* Dicentes : Beata tempora quando hæc ventura erunt. *Et si quidem illius meminissent.* Terræ Chaldæorum, de qua exierunt, id est, de Mesopotamia Syriæ. *Non pudet Deum.* Id est, non confunditur Deus vocari eorum Deus, ut : Deus Abraham, Deus Isaac. *Paravit enim illis Deus civitatem.* Hierusalem cœlestem. *Fide obtulit Abraham Isaac.* Cum tentaretur, ut : *Offer mihi filium tuum Isaac.* Triplex autem bonum fecit, quod filium, et quod unigenitum, et repromissionem in quo accepit offerebat. Hoc autem factum est in figuram Dei Patris, Filium suum pro nostra salute offerentis. Unde sequitur, quod eum in parabolam accepit, hoc est in similitudinem Christi morientis et resurgentis. Sic Christus ait : *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Fide etiam de futuris benedixit Isaac, spiritu prænoscens, quod Jacob figuram Christiani, Esau vero Judaici populi gerebat. *Et adoravit.* Jacob. *Super fastigium virgæ ejus.* Significans quod reges futuri essent adorandi ex genere Joseph, scilicet ex Ephraim, ut Josue filius Nun mystice designans regnum Christi in fine sæculi adorandum, sicut ipse virgam filii sui adoravit. Aliter : In hoc loco quidam frustra simulant adorasse Jacob summitatem sceptri Joseph, quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit, cum in Hebræo multo aliter legatur. *Et adoravit*, inquit, *Israel ad caput lectuli sui*, quod scilicet postquam juraverat ei filius, securus de petitione quam rogaverat, adoravit Deum contra caput lectuli sui. Sanctus quippe Deo deditus, et oppressus senectute, sic habebat lectulum suum positum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ad orationem esset paratus. *Et de ossibus suis mandavit.* Ut : *Extolletis ossa mea hinc vobiscum.* Mystice ossa Joseph ex Ægypto ad terram repromissionis translata, significant Christi mandata ex Judæis in Gentes exitura. *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus.* Significat Christum occultatum ab Abraham usque ad David : primus enim mensis est; dehinc secundus mensis a David usque ad transmigrationem Babylonis ; tertius vero est a transmigratione Babylonis usque ad adventum Salvatoris. *Improperium Christi.* Vel tribulationes pati pro Christo, vel in figuram improperiorum Christi, quod enim postea Christo evenit, ille sustinebat. *Remunerationem.* Mercedem a Christo. *Fide celebravit Pascha.* Per agnum namque cum populo intellexit Christum verum agnum, de quo dicitur : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* V). Prævidit namque quod hi qui in crucifixum crederent, in futuro vindicta carerent. *Ne qui vastabat primogenita.* Id est, angelus. Sic diabolus vastator est, a quo liberamur per sanguinem Christi. Fide prædaverunt Ægyptios, quia crediderunt se iterum in Ægyptum non reversuros. *Fide muri Jericho.* Jericho defectio, vel luna interpretatur, figuram mundi tenens. Septem vero tubas, septem epistolas apostolicas intelligimus, in quibus septiformis Spiritus sancti gratia, doctrinaque intonat. Per septem vero muros, septem principalia vitia designantur. *Fide Raab.* Quæ significat Ecclesiam gentium, suscipiens exploratores, id est, doctores catholicos, vel, ut alii dicunt, Petrum et Paulum, seu duas leges. *Deficiet enim me tempus.* Aut hyperbolica locutio est, aut tempus destinatum, quod ad hanc scribendam epistolam in corde suo proposuit. *De Gedeon.* Id est, quid adhuc dicam de Gedeon cum trecentis viris. *Barach.* Pugnante simul cum Debbora prophetissa contra Sisaram Chananæum. *Jephte.* Offerente filiam suam contraque Moab pugnante. *Obturaverant ora leonum.* Ut Daniel, et Samson, et David, quando pastor ovium fuit. *Exstinxerunt impetum ignis.* Ut tres pueri in camino ignis. *Effugerunt aciem gladii.* Sicut David aciem gladii Saulis effugit. *Convaluerunt de infirmitate.* Ut Ezechias. *Castra verterunt exterorum.* Ut Gedeon, et Ezechias, cæterique. *Acce-*

perunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Ut Elias suscitavit filium viduæ Jonam, et Elisæus filium Samaritis. *Alii autem distenti sunt.* Cruciati sunt, ut Machabæi. *Non suscipientes.* In præsenti vita. *Alii vero ludibria et verbera experti.* Ut Jeremias. *Insuper et vincula, et carceres.* Ut Joseph. *Lapidati sunt.* Ut Naboth. *Secti sunt.* Ut Isaias. Hæc per syllepsin dicuntur, quia verbi gratia, non multi secti sunt, sed unus tantum, id est, Isaias. *Tentati sunt.* Ut Job et Tobias. *In occisione gladii mortui sunt.* Ut Zacharias filius Joiadæ sacerdotis, qui occisus est inter templum et altare. *Circumierunt in melotis.* Ut Elias et Joannes, aliique multi. Est autem melota pellis caprina ex uno latere dependens, qua monachi utuntur Ægyptii. *Quibus dignus non erat mundus.* Præsens videlicet mundus, propter spem supernæ gloriæ. *Non acceperunt promissionem.* Donec advenit Christus. *Ne sine nobis consummarentur.* Hoc est, ne ante nos in regnum Dei cœlestemque cœnam exirent, donec omnes in novo exiremus

CAPUT XII.

Ideoque et nos. Hucusque de fide locutus est, nunc de prædicatione incipit. *Tantam habentes nubem.* Multitudinem, vel collectionem. *Testium.* Patriarcharum et propheterum. *Deponentes omne pondus.* Peccati. Non enim quisquam bene currit cum onere gravi. *Per patientiam curramus.* Per viam, scilicet mortem militiis mandatorum transcurrentes. *Certamen.* Tribulationum pressurarumque in præsenti constitutarum. *Ne fatigemini.* Ne in tentationibus lassescatis. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Hoc est, nondum sanguinem vestrum in martyrio effudistis. *Fili mi, noli negligere.* Hoc per Salomonem dicitur (*Prov.* III). *Disciplinam Domini.* Tribulationem. *Cujus participes facti estis.* Scilicet diaboli. *Omnis autem disciplina.* Omnis a Deo saluberrima correctio. *Fructum pacatissimum.* Æternæ videlicet mercedis. *Remissas manus.* Pigras ad bene operandum, atque laxatas. *Et soluta genua.* Propter confessionem infirmam. *Erigite.* In bonum opus. *Gressus rectos.* Opera recta. *Pedibus vestris.* Sensibus. *Ut non claudicans quis erret.* Inter Deum et idolum, ut aliquando Deum, aliquando idolum adoret, sicuti qui claudicatis in me et Baal. *Neque radix amaritudinis.* Alicujus peccati. *Sursum germinans.* Id est, in superbiam crescens. *Ne quis fornicator.* Esau enim fornicator fuit : nam contra præcepta patris de alienigenis, id est de infidelibus Heth uxorem accepit, et jura primogeniti causa gulæ vendidit. *Qui propter unam escam.* Lenticulam, vendidit primitias suas. Ille autem propter unam escam vendit primitiva, qui animæ suæ virtutes fornicatione perdit. Nam sicut per unam escam unius diei esuries reficitur, sic et per fornicationem unius horæ reficitur desiderium. Unde et Salomon pretium scorti pani comparavit. *Non enim invenit locum pœnitentiæ.* Recte pœnitentiam non invenerunt lacrymæ quæ causa superbiæ et invidiæ fuere. *Non enim accessistis.* Ac si dicat, Non ad visibile et palpabile lumen accessistis, sed ad invisibilem et incomprehensibilem Deum. *Ignem et turbinem.* Hæc omnia fuerunt in monte Sinaï. *Et tubæ sonum.* Id est, angelicæ vocis. *Exterritus sum.* Corde. *Et tremebundus.* Corpore. *Ad Sion montem.* Ad præsentem Ecclesiam. *Et Ecclesiam primitivorum.* Apostolorum qui primi Deo crediderunt. *Melius loquentem.* Quia sanguis Abel accusabat, sanguis vero Christi redemit. Item ut est illud : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). *Ne recusetis loquentem.* Christum. *Cujus vox movit terram.* Montis Sinaï. *Tunc.* Quando lex data est. *Nunc autem.* In Novo Testamento. *Repromittit.* Commovere terram cœlumque. *Dicens.* In Aggæo propheta. *Et ego movebo.* In die judicii. *Ut maneant ea.* Specimina meliora creaturarum. *Habeamus gratiam.* Novi Testamenti, remissionisque peccatorum. *Ignis consumens.* Peccata comburens.

CAPUT XIII.

Mementote vinctorum. In vestra misericordia. *Tanquam in corpore.* Forsitan hæc eadem patiemini. *Honorabile connubium.* Matrimonium legitimum in Domino cum pudicitia fiat. *Et thorus.* Lectus. *Immaculatus.* Sine fornicatione. *Contenti præsentibus.* Ut : *Nolite cogitare de crastino. Præpositorum.* Doctorum vestrorum. *Jesus Christus heri et hodie.* Ac si dicat, ante sæcula, et in sæcula, et post sæcula semper permanet, ut propheta dicit : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI). *Et peregrinis.* Antea non audistis. *Abduci.* A vera doctrina separari. *Quam escis.* Hostiis legalibus seu perversis doctrinis. *Habemus.* Nos fideles. *Altare.* Præter altare Judæorum, unde corpus et sanguinem Christi participamus. *Qui tabernaculo deserviunt.* Veteris videlicet legis. *Exeamus itaque ad eum extra castra.* Despicientes præsentia, et amantes futura. *Improperium ejus.* Crucem et passiones varias. *Hostiam laudis.* Ut : *Immola Deo sacrificium laudis. Fructum labiorum.* Quasi vitulum Deo offerentes. *Et communionis.* Largiendæ eleemosynæ. *Promeretur Deus.* Ut nobiscum sit Deus. *Quasi rationem de animabus vestris reddituri.* Ut : *Quorum animam et sanguinem de manu vestra requiram, dicit Dominus* (*Ezech.* III). *Deus autem pacis.* Deo hoc adjungitur, quia aliquid dissensionis habuerunt. *Pastores.* Ut : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* X). *Testamenti æterni.* Non enim æternum erat Vetus Testamentum. *Aptet vos in omni bono.* Faciat vos aptos esse in omni bono. *Faciens in vobis, quod placeat coram se.* Ut : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est. Ut sufferatis.* Ut avida mente suscipiatis. *Verbum solatii.* Id est, rectæ prædicationis, quod solatium vestris animabus præstat. *Cognoscite.* Illi vos benefacientes. *Demissum.* A me ad vos missum. *Videbo vos.* Id est, conversationem vestram per ipsum intelligens. *Salutant vos de Italia.* Hic evidenter ostenditur, quod hanc epistolam Romæ scripserit.

SEDULII SCOTI

EXPLANATIUNCULA DE BREVIARIORUM ET CAPITULORUM CANONUMQUE DIFFERENTIA.

(Mai., Script. Collect. nova, tom. IX.)

INCIPIT

BREVIARIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Nativitas Christi. Magi cum muneribus veniunt, et reliqua. Perquirendum est quid inter breviarium et capitulum atque canonem distet. His etenim tribus, quasi quibusdam clavibus, cuncta evangelici voluminis arcana reserantur. Nam sublatis breviariis, capitulis et canonibus, omnia confusa erunt et ambigua, et quæ sunt eadem, vel vicina, vel sola, et qui vel quot evangelistæ in quibuslibet sententiis consonent, aut de quibus rebus edisserant, hoc totum sine prædictis clavibus amphibolum erit. Itaque hæc tria propriis differentiis ab invicem discernamus. Breviarium est rerum in contextu Evangelii narratarum compendiosa et brevis expositio. Unde et breviarium brevis causa nominatur, eo quod per hoc totus Evangeliorum textus breviter comprehenditur. Capitulum est quælibet in Evangeliis sententia seu narratio. Canon est titulus, quo cognoscitur concordia evangelistarum, id est quis, vel qui, vel quot evangelistæ unumquodque capitulum ediderunt. Ob necessarias itaque causas hæc tria reperta sunt. Nam breviarium ob hoc repertum est, quatenus ipsæ res quæ evangelico volumine narrantur, hoc breviter præmisso et considerato compendio, citius et lucidius patescant, ut quod in Evangelio quisque invenire desiderat, breviariorum consideratione cum summa facilitate reperiat. Canones ob hanc causam reperti et vocati sunt, quatenus eorum distinctione, concordia evangelistarum, id est qui et quot evangelistæ eadem vel vicina vel sola in Evangeliis capitula dixerunt, agnoscatur. Capitula ob hoc inventa et notata sunt, ut per hæc quælibet sententia vel narratio in quolibet Evangelio agnoscatur. Notandum quoque quod nec capitulum sine canone, nec canon sine capitulo, per totum Evangelii contextum esse possunt, quia hæc duo sibi invicem inseparabiliter connexa sunt. Licet enim fieri possit ut ex negligentia scriptorum, quodvis capitulum numerum sui canonis non habeat subscriptum, vere tamen aliquo canone carere non poterit. At breviarium sine canone vel capitulis subscriptis, licet non absque capitulorum sensu, consistit. Non enim in breviario qui vel quot evangelistæ quolibet sensu ediderunt, neque capitulorum numerus perquiritur : alioquin quomodo contextui evangelico, sic et breviario, uterque numerus canonum et capitulorum superscribendo apponeretur. Quod quia non agitur, manifestum est quod illud in breviario proprie discitur, ut quæ in evangelico textu diversis capitulis et canonibus multiplici narratione exponuntur, ea in breviario, quasi quodam pugillo, brevi assertione demonstrentur.

Illud quoque notandum quod sicut breviarium sine canone et capitulis consistit, sic et capitula sine breviario sæpe posita reperiuntur. Nam in exordio Evangelii secundum Matthæum, in quo ter XIV, hoc est XLII generationes describuntur, duo capitula duoque canones, tertius videlicet ac decimus canon, absque breviario includuntur. Si quidem in eo quod subsequitur, *Christi autem generatio sic erat*, et reliqua, initium breviarii exorditur. Nam ibi nativitas Domini exponitur. Cur autem non a principio XL et duarum generationum breviarium Evangelii secundum Matthæum sumat exordium, investigandum est. Poterat enim tale breviarium, nulla obsistente ratione, sic constare, XL duarum generationum enumeratio, nativitas Christi, et reliqua : sed propter nativitatis Dominicæ excellentiam, ab ultima, id est quadragesima secunda generatione, seu nativitate Salvatoris, exordium breviarii sumpsit. Nec mirum si in breviario sicuti quædam in brevi colliguntur, ita nonnulla causa brevitatis omittuntur, cum utrumque breviarii sit proprium : alioquin breviarium non erit breviarium. Notandum quoque in cæteris evangelistis, quod in his quædam capitula et canones ante initium breviarii posita reperiuntur, ut in exordiis Evangeliorum Marci, Lucæ et Joannis, post quædam capitula vel canones, initia breviariorum exordiuntur. Illud quoque sciendum est quod cum canones et capitula, aliquando in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem cujuslibet sensus adnotentur, breviaria nonnisi in primordialibus sensuum locis exordiuntur. Unde evenit ut ipsa breviaria sæpe in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem capitulorum, sed tamen in principio sensuum, exordia sumant.

ARGUMENTUM IN MATTHÆUM [a].

(Mai., ibid.)

Matthæus sicut in ordine primus ponitur, Evangelium in Judæa primus scripsit : cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit. Duorum patrum in generatione Christi principia præsumens : unius, cujus prima circumcisio carnis ; alterius, cujus secundum cor electio fuit : et ex utrisque patribus Christus ; sicque quaternario denario numero triformiter posito, principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, ex electione in transmigrationis diem dirigens ; atque a transmigratione usque ad Christum definiens, decursam adventus Domini ostendit generationem : ut et numero satisfaceret et tempori ; et sic quod esset ostendens, et Dei opus in se monstrans, etiam in his quorum genus posuit, Christi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus A Christus est, qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit : ut triumphans ea in semetipso, resurgens in corpore, et Patris nomen Patri restituens in filiis ; sine principio, sine fine, ostendens unum se cum Patre esse, quia unus est. In quo Evangelio utile est desiderantibus Deum sic prima, vel media, vel perfecta cognoscere, ut et vocationem apostoli, et opus Evangelii, et dilectionem Dei in carne nascentis, per universa legentes intelligant ; atque in eo quo apprehensi sunt, et apprehendere expetunt, recognoscant. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit, et fidem factæ rei tradere, et operantis Dei intelligendam diligenter esse dispositionem quærentibus non tacere. B

Explicit argumentum.

[a] Argumentum hoc, in quod commentatur Sedulius, exstabat mendosissimum apud Sabatierium, Vulg. vers. T. III, p. 1, quod nos demum nunc emendamus.

EJUSDEM SEDULII SCOTI

IN ARGUMENTUM SECUNDUM MATTHÆUM EXPOSITIUNCULA.

(Mai., ibid.)

Inter argumentum et argumentationem hoc distat quod argumentum est sensus totius orationis, argumentatio vero est argumenti elocutio verbisque competentibus explicatio. In argumentis autem evangelicis hoc præcipue attendendum est quod in his et sermonis brevitas, et sensuum clandestina subtilitas scintillare cernitur ; unde nostrum torpens ingenium ex inertiæ somno suscitant, et ante introitum doctrinæ evangelicæ nos exercitatiores evigilantioresque reddunt, ne lippidulis fortasse oculis, pedibusque sensuum titubantibus, prata Dominica segniter incedamus, sed illustrata mentis acie florida Christi rura, coruscis præcedentibus lucernis, percurramus. Quid etenim sunt argumenta evangelica, nisi quædam cœlestium thesaurorum provenientes lampades simul et aureæ claves gazas reserantes Dominicas? Matthæus ex Judæa, sicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Judæa primus scripsit. Primo notandum quod in hujus argumenti exordio, VII circumstantiæ elucent, quæ sunt : persona, res vel factum, causa, tempus, locus, modus, materia. Persona dignoscitur, cum ipse evangelista proprio nomine Matthæus nominatur : cujus personæ gens et origo ostenditur, cum idem Matthæus ex Judæa fuisse commemoratur. Nec parvæ quoque laudis præconium ipsi personæ cumulatur : Matthæus namque donatus interpretatur, in eo quod ei Dominus VII C præcipua dona largitus fuerit : primum donum, fidem ; secundum, apostolatum ; tertium, virtutes atque miracula ; quartum, linguarum peritiam ; quintum, Evangelium scribere ; sextum, ante cæteros evangelistas primum esse in ordine ; septimum, martyrii gloria coronari. Notandum vero est quod cum ipse evangelista ex tribu Levi fuisse tradatur, hic ex Judæa fuisse refertur. Quod tripliciter intelligi poterit : aut enim ex utraque tribu et Juda et Levi ortus est ; aut, licet prosapia non sit ipse Judæus, tamen ex Judæa fuisse asseritur, eo quod forte parentes ejus, quomodo et multi ex Levi tribu, ibidem habitaverunt. Aut si neque hoc est neque illud, ex Judæa Judæus ob hoc συνεκδοχικῶς nominatur, eo quod omnes Israelitæ generaliter Judæi appellantur. D

Sequitur factum, hoc est Evangelium ab eodem Matthæo conscriptum. Locus facti describitur, cum illud Evangelium in Judæa fuisse scriptum declaratur. Tempus Evangelii conscribendi ostenditur, cum is Matthæus primus ante alios evangelistas suum Evangelium scripsisse perhibetur. Causa ipsius facti manifestatur, cum subjungitur : cujus vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit. Idcirco enim tam magnificum divinumque opus scripserat, quia ex publicanis operibus in apostolatum a Domino electus erat. Itaque a perversis actibus segregatus,

ad actum evangelicum a Domino fuit vocatus. In quo et modus seu qualitas ejusdem facti intenter insinuatur : quomodo enim vel qualiter, nisi ordinate vel veraciter, nisique sapienter suum Evangelium conscripserit, qui a vero Deo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, vocatus atque electus fuit? Porro principalis materia conscribendi Evangelii ostenditur, cum subinfertur : « duorum patrum in generatione Christi principia præsumens. » Non enim ab alia materia, nisi a Salvatoris genealogia, exordium Evangelii sumendum esse censuit : ut dum Christum filium et duorum id est, David et Abraham, originaliter ostenderet, ipsum esse intimaret qui utrisque patribus quondam promissus fuerat. Abrahæ quidem, ut : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ*. David vero : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Ac ne quis dubitaret quanti meriti sint illi duo patres, quorum principia Matthæus in genealogia Christi præsumpsit, continuo exponit cum subdit : « unius, cujus prima circumcisio in carne; alterius, cujus secundum cor electio fuit. » Ex præcedentibus, id est ab eo quod est principia, per syllemsim, principium assumendum est, atque ἀπὸ κοινοῦ participium, quod est præsumens, repetendum est, ut sit sensus : unius, cujus prima circumcisio in carne, principium præsumens, alterius, cujus secundum cor electio fuit, principium præsumens.

Ob quam vero causam Matthæus Abraham et David in genealogia Salvatoris principaliter poneret, ostendit subdens « et ex utrisque patribus Christus. » Siquidem Christus ex utroque patre, id est Abraham et David, secundum carnem exortus est. Oportebat enim ut Salvator noster, qui spiritualis circumcisionis auctor existit, cujus fidei dono nos ab omnibus peccatis circumcidimus, ex Abraham, cujus prima circumcisio per fidem in carne fuit, secundum carnem originem duceret. Et quomodo Deus de Deo natus est secundum divinitatem, ita et rex filiusque Dei ex David rege, cujus secundum cor electio fuit, nasceretur secundum carnem. Quot autem generationibus genealogia Christi in multis patribus contexitur, protinus enumerat subdens : « sicque quaternario denario numero triformiter posito; » et reliqua usque : « generationem. » Facile est quod proloquitur. Nam sic, id est tantum duobus patribus Abraham et David in fronte genealogiæ antepositis, ter XIV, id est XLII, generationes in Dominica genealogia continentur. Atque in ipsa serie triplex ordo dignoscitur. Primus XIV generationes ab Abraham usque ad David. Secundus XIV generationes a David usque ad transmigrationem Babylonis. Postremus a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Sed hunc numerum ac temporis ordinem non sine certi mysterii ratione Matthæus in Christi genealogia digessit, unde subditur, « ut et numero satisfaceret, et tempori. » Numero satisfecit, dum ter XIV generationes in ipsa genealogia posuit; quo numero et decalogus legis et evangelica doctrina exprimitur. Tempori quoque satisfecit, dum Abraham patriarcham in exordio Dominicæ genealogiæ posuit. Nam prima mundi ætas, quasi quædam infantia, ab Adam usque Noe protenditur. Secunda ætas, quæ est veluti ipsius mundi pueritia, a Noe usque ad Abraham computatur. Tertia ætas, quæ est quasi florida mundi adolescentia, ab Abraham usque ad David regem extenditur, quæ quidem ætas habilis ad generandum habetur. Ideoque ab Abraham, quasi ab exordio adolescentiæ mundi, Matthæus ipsas generationes in genealogia Christi congruenter enumerat, quia ipsa ætas ad generandam sobolem apta esse videtur.

Sequitur : « et sic quod esset ostendens, et reliqua usque : « non negaret. » Ob hoc præcipue genealogiam Christi Matthæus contexuit, ut non ore tacito negaret testimonium Christi. Nam testimonium perhibet de Christo, dum in ipsa genealogia ipsum filium David et Abrahæ esse testatur, et præterea conceptionem ejus de Spiritu sancto, et nativitatem ex Virgine, et cætera ejusdem miracula in suo Evangelio narrat. Qui Christus non solum in apostolis Novi Testamenti, suo adventu multa divina operatur, sed a principio, id est a credendi fide, hoc est ab Abrahæ tempore, etiam in his patriarchis et prophetis et justis, quorum genus in Christi genealogia Matthæus posuit, in signis et miraculis potentialiter operatus est. Sanctus itaque evangelista testimonium perhibere de Christo non denegat; sed quod esset ostendens, id est, quod a Domino ex publicanis actibus vocatus sit atque in apostolatum electus, ostendit se apostolicum ministerium accepisse, cum testimonium perhibet de Salvatore. Et Dei opus vel Evangelium Christi in se demonstrat, dum ipsum Evangelium non solum Hebraicis litteris scripserit, sed etiam ut verus apostolus aliis prædicavit. Sequitur : « quarum omnium rerum, » et reliqua usque ; « Deus Christus est. » Illud quod ait ; « necessarium est, » per syllemsin ad omnia conjungendum est ut sit sensus, quarum omnium rerum tempus necessarium est. Ordo quoque et numerus necessarius est. Dispositio vel ratio necessaria est. Quod autem fidei necessarium est, Deus Christus est. Omnes itaque res dicit, cuncta quæ superius in hoc argumento dixerat, hoc est, quod Matthæus ex Judæa primus in Judæa evangelium scripserit, quod a publicanis actibus ad Deum vocatus sit, quod duo principia, id est Abraham et David in generatione Christi præsumpserit, et reliqua consimilia. Quarum omnium rerum tempus necessarium est, id est ad dignoscendum quo tempore hæc gesta sunt. Ut, verbi gratia, a tempore Abraham series genealogiæ Salvatoris exordium sumit, cæteraque consimilia.

Ordo quoque et numerus in supra dictis evidenter cognoscuntur. Ordo, quod Matthæus in ordine primus ante alios evangelistas ponitur. Item quod

ipse prius publicanus, dehinc vocatus atque electus sit apostolus : nec non et ordo in genealogia Salvatoris cernitur, cum ab Abraham usque ad David atque a David in transmigrationis tempus, dehinc usque ad Christum, ordinata genealogiæ series percurrit. Numerus in ter replicatur, id est in XLII generationibus elucescit. Dispositio, quæ significantius ratio nominatur, abdita et occulta causa ipsius temporis vel ordinis seu numeri intelligitur. Nam cum subtiliter discutitur cur a tempore Abraham usque ad David, dehinc a David ad transmigrationem, atque a transmigratione usque ad Christum, tempus et ordo ac numerus XLII generationum, in genealogia Salvatoris causa mysterii disponitur, hoc solum dispositio vel ratio nominatur. Quæ prorsus omnia supradicta omnibus veritatis amatoribus ad cognoscendum dicit esse necessaria. Quod autem fidei necessarium est, Deus Christus est, ac si dicat : Si omnia supradicta de Christo cognoscimus, necessarium est ut ea per fidem firmiter credamus. Quod est autem quod credere debeamus? Illud profecto quod Deus Christus est, id est, quod unigenitus Filius, qui verus et æternus Deus est secundum divinitatem, idem quoque Christus, id est, unctus sit oleo lætitiæ præ participibus suis secundum susceptam humanitatem. Nam hoc totum negotium in genealogia Christi Matthæus ostendit. Quomodo autem qui verus Deus est secundum divinitatem, Christus homo sit secundum carnem, continuo explanat subdens : « qui factus est ex muliere, » et reliqua usque : « in cruce fixit. » Nam qui omnium factor est secundum divinitatem, ipse homo factus est secundum nostræ fragilitatis participationem. Sed cæteri homines ex utroque sexu fiunt; ipse vero, qui supra homines verus Deus est, non ex virili semine, sed de superna Spiritus Dei gratia conceptus ex muliere verus homo est factus. Et qui suæ divinitatis excellentia, summa lex supra legem est, sub lege Mosaica factus est. Ideoque quasi legi subditus octavo die circumcisus est. Et quia ex muliere eum dicit esse factum, ne ulla nuptialis copula in hoc cogitetur, ipsum ex virgine Maria natum esse consequenter asserit. Qui dum secundum divinitatem impassibilis et immortalis existat, tamen ut nos ab æternæ mortis passione et cruciatu eriperet, passus in carne, spontaneam pro nobis mortem susceperat, omnia nostra et originalia et propria peccata in cruce figens.

Sed audisti passum in carne, audi quoque victoriam triumphantis gloriamque ab inferis resurgentis. Nam sequitur : « ut triumphans ea in semetipso, » et reliqua usque « in filiis. » Omnia, inquit, in cruce fixit, ut triumpharet ea, scilicet peccata peccatorumque tormenta, ipsaque dæmonia vincens. Tunc enim triumphator factus est, cum post passionem suam et mortem ad inferos descendens, ipsum qui habebat mortis imperium sua morte detraxit, atque captivam captivitatem ad superos secum A eduxit. Hoc autem fecit, non in aliorum cœlestium vel terrestrium confidens fortitudine, sed in semetipso. Quo triumpho peracto, gloria resurrectionis est ejus subsecuta. Unde ipse resurgens in corpore cunctis credentibus ad vitam æternam prædestinatis, spem gloriæ resurrectionis sua prima resurrectione præmonstravit. Sicque nomen summi patris in patribus, id est, Ecclesiæ pastoribus et doctoribus, sibi Filio quasi capiti Ecclesiæ, ad sui nominis gloriam suamque ad imaginem restituens. Ut quomodo cœlestis Pater natura sit Pater, sic ejusdem Patris dono, pastores Ecclesiæ, per Filii resurgentis gratiam, spirituales Patres nominentur. Quomodo autem nomen Patris summi, catholicæ Ecclesiæ Patribus qui dono superni genitoris patres nominantur, per Filium donatum est, sic et nomen Filii, in multis Ecclesiæ filiis, per eumdem unigenitum Filium Patri restitutum est. Nam per Redemptoris passionem mortemque ac resurrectionem, utrumque donum Ecclesiæ collatum est, ut in Patris et Filii gratiam, multi tam patres quam filii in Ecclesia spirituales superni muneris largitione fiant. Sequitur : « sine principio, sine fine, ostendens unum se cum Patre esse quia unus est. » Brevis superiorum conclusio esse videtur, ac si aperte dicat : Cum Christus ex Virgine sit natus, passus in carne, omniaque delicta in cruce fixit, atque ea triumphans in semetipso propria in carne glorlose resurrexit, sicque spirituales patres et filios in Ecclesia restituit, hisque omnibus a nullo angelorum hominumque sed sola suæ divinitatis potentia gestis, evidentissime ostendit unum Deum se cum Patre esse. Non quomodo carnales filii temporali spatio suis patribus sunt ætate minores; sed sine principio, sine fine, secundum æternam divinitatis substantiam, unus ipse Deus est cum Patre. Quare? Quia unus est. Siquidem unicus est secundum naturam Patris filius. Nam cæteri filii non natura, sed adoptione et gratia, filii Dei nominantur. Hic vero unus est natura Filius.

Itaque decursa secundum Matthæum Evangelii periocha, sequitur totius argumenti anacephaleosis, id est recapitulatio, qua conscripti Evangelii utilitas ostenditur « In quo Evangelio utile est, » et reliqua usque : « recognoscant. » In ipso Evangelio, in doctrina scilicet evangelica, tria quædam utilia esse ad cognoscendum asserit. Id est vel prima, vel media, vel perfecta : et quæ sunt illa prima, media et perfecta, protinus exponit dicens : « ut et vocationem apostoli et opus Evangelii, » et reliqua. Primo namque Matthæus ex publicanis actibus a Domino vocatus est ut esset apostolus. Secundo Christi Evangelium ab eodem est conscriptum, in quo prorsus opere donum perfectæ dilectionis Dei in carne nascentis erga humanum genus, per universa dicta et facta Dominica, quilibet studiose legentes intelligere possunt. Sicque in eodem Evangelio ipsum charitatis donum in quo a Deo apprehensi sunt atque electi, ipsique toto mentis ardore

Deum fontem dilectionis apprehendere expetunt, legendo et perscrutando recognoscant. Licet et aliter prima et media et perfecta intelligi possunt, id est quæque in doctrina evangelica, utilia, utiliora atque utilissima. Ut, verbi gratia, conjugium, viduitas, virginitas, quæ per tricesimum et sexagesimum atque centesimum fructum allegorice designantur. Aliter prima sunt ea quæ in Evangelio a conceptione Domini, [*Cod.*, ac receptione Deum] usque ad ejus baptismum narrantur. Media, quæ a baptismo usque ad imminens passionis tempus in eodem Evangelio continentur. Perfecta, quæ in ultimis Evangelii partibus de ejus passione morteque ac resurrectione conscribuntur. Sequitur: « nobis enim hoc in studio argumenti fuit, » et reliqua usque : « non tacere. » Quia argumentum est oratio, rei dubiæ faciens fidem, ob duas causas hoc argumentum A composuimus. Prima causa est ut nos factæ, id est, cujuslibet gestæ rei, et in Evangelio per Matthæum narratæ, fidem, hoc est, simplicem veritatem rerum gestarum, brevi sermone a genealogia Salvatoris usque ad ejusdem triumphum resurrectionis, summatim hoc argumento monstraremus. Secunda causa est ut illud non taceremus, sed potius lectores hoc argumento admoneremus, quod in omnibus quæ in Evangelio de dictis et factis Dominicis narrantur, operantis Dei mirabilis dispositio a piis quibusdam Deumque desiderantibus diligenter intelligenda sit. Nam in argumentis utrumque necessarium est ut et fides rei dubiæ efficiatur, et certa rerum intelligentia monstretur, quia fidei rerum gestarum intelligentia necessaria est : non enim sufficit credere, B nisi etiam intelligatur quod creditur.

Explicit in argumentum secundum Matthæum.

ARGUMENTUM IN MARCUM.

(Mai., ibid.)

Marcus evangelista, Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israel agens, secundum carnem Levita, conversus ad fidem Christi Evangelium in Italia scripsit, ostendens in eo quid et generi suo deberet et Christo. Nam initium principii in voce propheticæ exclamationis instituens, ordinem Leviticæ electionis ostendit, ut prædicans Joannem prædestinatum filium Zachariæ, in voce angeli annuntiantis emissum, non solum Verbum caro factum, sed et corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum initio evangelicæ prædicationis ostenderet : ut qui hæc legens sciret, cui initium carnis in Deo et Jesu advenientis habitaculum caro deberet agnoscere, atque in se verbum vocis, quod in consonantibus perdiderat, inveniret. Denique et perfecti Evangelii opus intrans, et a baptismo Domini prædicare Deum inchoans, non laboravit, nativitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere ; sed totus in primis expositionem deserti, jejunium numeri, tentationem diaboli, congregationem bestiarum, et ministerium protulit angelorum : ut instituens nos ad intelligendum, ac singula in brevi compingens, nec auctoritatem factæ rei demeret, et perficiendo operi plenitudinem non negaret. Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Sed tantum consentiens fidei prædestinata potuit electio, ut nec C sic in opere verbi perderet quod prius meruerat in genere. Nam Alexandriæ episcopus fuit, cujus per singula opus scire, Evangelii in se dicta disponere, et disciplinam in se legis agnoscere, et divinam in carne Domini intelligere naturam, quæ in nos primum requiri, dehinc inquisita volumus agnosci, habentes mercedem exhortationis : quoniam qui plantat, et qui rigat, unum sunt ; qui autem incrementum præstat, Deus est.

Explicit argumentum.

EJUSDEM SEDULII SCOTI

INCIPIT EXPLANATIUNCULA IN ARGUMENTUM SECUNDUM MARCUM.

Hoc argumentum genus officiumque et electionem Marci evangelistæ prima sui parte declarat, secunda intentionem ejusdem evangelistæ in scribendo Christi Evangelio ostendit, tertia ipsius Marci episcopatus dignitatem cum laudis præconio describit. Postremo qualiter per singula ipsum opus evangelicum intelligere debeamus admonet. Itaque nomen et officium ipsius personæ in argumenti fronte ponitur, cum Marcus evangelista ipse designatur. « Marcus evangelista : » Marcus Hebræo sermone excelsus dicitur ; evangelista Græce bona nuntians D interpretatur. « Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus. » Ob hoc excelsus merito et evangelista fieri promeruit, quia divina præstante gratia prius baptismate in Christo renatus, in divina sapientia instructus est. Sic autem distinguendum est, ut primo pronuntietur « Marcus evangelista, » ac deinde subinferatur : « Dei et Petri in baptismate filius. » Marcus filius Dei est in baptismate, quia baptismatis fonte in Deo renatus, per adoptionis gratiam Filius Dei efficitur. Filius Petri in baptismate esse dicitur, quia ab ipso baptizatus

et instructus, recte spiritualis ejus filius nominatur. De qua re Apostolus : *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* « Sacerdotium in Israel agens secundum carnem Levita. » Pristinum sacerdotale officium et nobilitas carnalis prosapiæ ejusdem Marci ostenditur, ut non immerito ad apicem spiritualis et excellentioris sacerdotii postmodum transcenderet, qui prius carnale sacerdotium juste ac legitime in Israel agebat, cum ex Levi sacerdotali tribu ortus est. Sed quando et ubi Evangelium scripserit, demonstratur cum subditur : « conversus ad fidem Christi Evangelium in Italia scripsit. Tunc, inquit, Evangelium scripsit, postquam ad fidem Christi conversus est. Nam antequam fidem Christi perciperet, digna de Christo scribere non poterat. Locus conscribendi Evangelii Italia esse monstratur, in qua ipsum opus scriptum fuisse traditur : non quod Italico vel Romano, sed Græco sermone, conscriptum sit.

Cur autem Marcus Evangelium scripserit, demonstratur cum subjungitur : « Ostendens in eo opere quid generi suo deberet et Christo. » Nam cum ipse Levita erat, ex qua tribu multi prophetæ orti fuerant, suum Evangelium a voce prophetica rite inchoavit : et tanquam Levitam, de Joanne Baptista similiter Levita et Altissimi propheta, ipsum oportebat prophetica voce testimonium perhibere. Quin etiam cum Christus non solum ex tribu Juda, sed ex tribu quoque Levi carnis originem duxit, ipsi Domino Leviticus evangelista debitor erat ut ejus Evangelium conscriberet. Unde subditur : « nam initium principii in voce propheticæ exclamationis instituens, ordinem Leviticæ electionis ostendit. » Claret namque quod beatus Marcus debitum Levitarum ministerium in opere evangelico demonstravit, dum non alibi exordium sui Evangelii quam in propheticis eloquiis instruere procuravit, et quasi bonus opifex et architectus super prophetarum fundamentum opus evangelicum construere cœpit : non quod prophetæ ex aliis tribubus orti non essent, sed quia præcipue Leviticæ tribui secundum electionem Domini propheticum ministerium fuerat concessum. Non ergo quasi per rapinam indebitum sibi ministerium Marcus usurpavit, sed juxta electionem suæ prosapiæ Evangelium scribere inchoavit.

Quod vero ait « initium principii, » difficile est ad intelligendum. Nam hujus argumenti repertor, usitatius dicere poterat : initium Evangelii, vel principium Evangelii : sed magis abstruse quam usitate eloqui voluit. Sciendum est itaque hanc distantiam esse inter principium et initium, quod principium plures in se sententias comprehendit, initium autem pars est principii, id est quælibet sententiola principalis intra ipsum principium conclusa. Ergo principium Evangelii secundum Marcum totum illud intelligamus quod in quatuor principalibus capitulis de Joanne Baptista refertur. Initium vero inchoamentum esse ipsius principii, id est propheticum illud vaticinium quod de ipso Joanne præcursore Domini quondam fuerat prædictum; hoc est quod sit angelus ante faciem Domini' præmissus, et vox verbum Patris præcurrens. Cur autem in voce propheticæ exclamationis, initium ipsius principii Marcus inchoaret, causa ostenditur cum subditur : « ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ, » et reliqua usque : « ostenderet. » Dum beatus Marcus Joannem præcursorem Domini prædicat, quod angelus sit ante faciem, id est, manifestam apparitionem incarnationis Christi, præmissus, et quod vox sit verbum Patris, conceptione, nativitate, doctrina, baptismate, præcurrens, ibi procul dubio non solum Verbum, id est unicum Dei Filium, carnem sumpsisse ostendit, sed et veram animam inseparabiliter habuisse declarat. Non enim juxta hæreticam pravitatem, Christi divinitas solam sine anima carnem, sed totum hominem secundum corpus et animam assumpsit. In eo autem quod ait « corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum, » non aliud ibi verbum quam divinam vocem intelligere oportet, ut sit sensus, per verbum divinæ vocis, per ipsum verbum, quod nihil aliud est quam divina vox. Verbum namque Patris id ipsum est et vox Patris, per quod verbum quomodo omnia facta sunt, sic anima Christi creata est. Ob hoc namque dicitur : « corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum. » Audito itaque verbi vel vocis nomine, non nobis carnalis consuetudo obstrepat, ut tale verbum vel vocem Patris cogitemus, qualia verba sonantia et transitoria proferimus. Sed hoc melius in sequentibus advertemus.

Nam subditur. « Ut qui hæc legens sciret cui, » et reliqua usque : « inveniret. » Ordo verborum est : Ut qui hæc legens sciret qui deberet scire et prædicare agnoscere initium carnis in Domino, et caro, id est habitaculum Jesu advenientis; atque id se verbum vocis inveniret, quod in consonantibus scilicet aliis evangelistis perdiderat. Aptum, inquit, erat ut Marcus Levita de Domino Salvatore, qui ex Levi ortus est, scriberet, ut quisquis hæc legeret principatum, ordinem et quoddam privilegium Leviticæ electionis pernosceret. Nam quæ congruentius quam Levitæ caro, id est carnalis prosapia et origo, debuit agnoscere initium sumendæ carnis in Domino vel in unitate personæ Domini? Quæ Salvatoris caro, quid aliud dicenda est quam Jesu in hunc mundum advenientis habitaculum, qui habitu carnis inventus est ut homo? Illis enim evangelistis qui ex Levi orti sunt, ut Matthæus et Marcus, dignius quam cæteris, mysterium incarnationis Domini, ex Levi quoque oriundi, scribere congruebat. Aptum quoque erat ut eadem Levitica caro, vel Marcus qui carnalem originem ex tribu Levi traxerat, in se, id est in suo animo et intellectu, verbum vocis inveniret. Ubi nobis est advertendum quod quamvis Joannes Baptista vox, et Christus verbum nominetur, non tamen Christus vocis vel Joannis, sed potius Patris Verbum est vel Filius. Possumus tamen Jesum ipsum verbum vocis, Jesum incongrue dicere verbum

Joannis, qui vox nominatur, quia Verbum vel Christum præcundo prædicabat. Nam verbum vocis, verbum vel sermonem, quem vox loquitur, dicere possumus. Non quod Joannes illud verbum genuerit, sed quod tanquam vox, ipsum Verbum, vel Christum, prophetando antecesserit. Quis enim dubitet quod vox nostra prius sonat, ut postmodum verbum audiri possit?

Illud autem quod ait : « quod in consonantibus perdiderat, » quasi inextricabilis nodus esse videtur. Nam si hujus argumenti effector sic diceret, quod consonantibus prodiderat, ut esset sensus, quod Marcus hoc verbum vocis, vel sermonem Joannis, etiam aliis evangelistis simul cum Marco consonantibus, manifestaverat, facilis intelligentia esset. Sed cum non *prodiderat* sed *perdiderat*, in exemplaribus scriptum habetur, perquirendum est quomodo Marcus hoc verbum vocis in consonantibus aliis evangelistis perdiderit. An forte in ipsis hoc verbum vocis non invenerat, ut hoc sit perdere quod est non invenire? Constat namque quod mysterium incarnationis Christi Marcus Petri apostoli discipulus, tam ex prophetica quam ex apostolica doctrina perceperat. Tamen verbum divinæ vocis, vel Christum, secundum deitatem Verbum esse Patris, in consonantibus evangelistis, vel Matthæo et Luca, qui secundum quosdam, ut ecclesiastica dicit historia, ante Marcum primo sua conscripsere Evangelia, monstratum non invenerat, siquidem hoc verbi mysterium aliquando monstrandum soli Joanni tanquam altius volanti aquilæ fuerat reservandum. Et cum Marcus vocem clamantis, hoc est Joannem, vocem fuisse dictum, etiam aliis evangelistis consonantibus, invenerat, Christum quoque verbum vocis, licet non in aliorum scriptis, tamen in se, id est in sua mente, procul dubio invenit. Quamvis itaque Marcus in consonantibus evangelistis, vel Matthæo et Luca, ipsum Joannem nomine vocis nuncupatum esse invenerat, tamen verbum vocis, vel unicum Dei Filium, nomine Verbi designatum, in consonantibus evangelistis non legerat, dum neque adhuc beatus Joannes arcanum ipsius Verbi mysterium scriptis monstraverat; quod tamen Verbum in se, id est, in suo intellectu, divina revelante gratia, Marcus procul dubio invenerat. Neque enim sanctum evangelistam, qui templum Dei electum erat, mysterium verbi divinæ vocis latebat, quamvis aliorum evangelistarum scriptis hoc verbum non didicerat.

Sequitur : « Denique et perfecti Evangelii opus intrans, » et reliqua usque : « protulit angelorum. » Perfectum Evangelium dicitur quod per triennium et semis post perceptum ab Joanne baptismum usque ad tempus suæ passionis et resurrectionis ab ipso Domino fuerat prædicatum. Ideoque per hominis formam Marcus designatur, cum ea præcipue quæ homo Christus in carne gesserat, breviter enarravit, omisso scilicet Verbi, quod est Christus, mysterio, atque carnis genealogia quam in prioribus evangelistis, id est, Matthæo et Luca, pleniter descriptam esse agnoverat. Totus itaque dicitur vel plenus vel perfectus, quia plena et perfecta de Domino retulit. In primis dicitur, vel in principalibus Evangelii sui locis : non enim per omnia in mediis neque in ultimis locis, totus tota protulit, cum multa in quibusdam tota prætermisit, sed in primis totus hæc tota breviter narravit; expositionem videlicet deserti, jejunium numeri, tentationem diaboli, congregationem bestiarum, et ministerium angelorum. Ubi notandum quare jejunium numeri, et non potius numerum jejunii dixerit, nisi quia eminentior est numerus quam jejunium. Non enim numerus propter jejunium, sed propter sacratum numerum, jejunium illud tot dierum et noctium fuerat transactum. Nam quadragenarius numerus magnum in se mysterium continet, et ab hoc illud jejunium proprii juris est ipsius quadragenarii numeri. Cur autem totus hæc tota protulerit? « Ut instituens, inquit, nos ad intelligendum, » et reliqua usque : « non negaret. » Aptum namque erat ut singula Dominica gesta quasi in brevi pugillo sive tabella astringeret, quia sicut nihil est fastidiosius prolixitate, ita nihil est gratius lucida brevitate. Ut nec sic auctoritatem factæ rei demeret. Auctoritatem nominat auctorale magisterium, quo ex ore Petri apostoli de dictis et factis Dominicis Marcus fuerat instructus. Ergo sicut ex magisterio Petri apostoli ipsam factam rem, id est, gestam Dominicam historiam didicit, sic decurtans, prout Spiritus sanctus ejus intellectum gubernabat, eamdem historiam litteris tradidit, et tamen de ipsis quæ scripserat, tacendo et celando nihil dempserat. Sicque suo operi evangelico perficiendo plenitudinem non negavit, dum plenum opus ex omnibus quæ scribere cœperat, licet brevi sermone, perfecit.

Marcum itaque ad opus evangelicum divina prædestinatione fuisse electum, et quod nulla occasione prædestinatio Domini possit impediri, attendamus in eo quod sequitur. « Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, » et reliqua usque : « episcopus fuit. » Mos fuerat Hebraici populi ut nullus inhonestam habens in corpore maculam, ad sacerdotium perveniret. Quo mystice insinuatum est ut nemo peccatorum maculis contaminatus sacerdotio dignus sit. Quod Marcus secundum litteram attendens, propter humilitatem amputavit sibi pollicem, ne fastigium melioris sacerdotii quasi jam reprobus ascenderet. Sed in eo ipso quo se indignum sacerdotio æstimavit, magis factus est dignus. Nam secundum divinam prædestinationem non utcunque sacerdos vel doctor, sed etiam præclarissimæ urbis Alexandriæ episcopus exstitit, ut qui Græco sermone Evangelium scripserat, Græcis ibidem habitantibus et cunctis Africæ gentibus, quasi terræ inaquosæ, divini dogmatis fluenta ministraret.

His expositis, brevis argumenti conclusio subditur : « cujus per singula opus scire, » et reliqua usque : « volumus agnosci. » His sententiolis omnibus verbum quod est *volumus* per zeugma subnectendum est. Ut sit sensus, cujus per singula opus scire volumus,

et Evangelii in se dicta disponere volumus, et divinam in carne Dei intelligere naturam volumus, quæ nos primum requiri volumus, dehinc inquisita agnosci volumus. Quod vero ait, disciplinam legis nos in Marco agnoscere, tam propheticas sententias quam testimonia ex divina lege sumpta, ubicunque in Evangelio Marci introducuntur, non incongrue accipimus. Sæpe namque nomine legis et Mosaica lex, et prophetia, et psalmus, designantur. Itaque hujus argumenti repertor pro suo labore se mercedem accepturum sperat, ita subjungens : « habentes mercedem exhortationis : qui plantat et qui rigat, unum sunt, qui autem incrementum A præstat, Deus est. » Hunc sensum Apostolus ita scribit : *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Apostolus plantat, dum in vinea Dominica, vel in Christi Ecclesia, fidem radicando laborat : Apollo vero, tam baptismate quam subsequenti exhortationis doctrina, eosdem irrigat ; Deus tamen incrementum fidei suis fidelibus tribuit. Ergo et qui plantat et qui rigat, unum sunt, quia id ipsum credunt, id ipsum desiderant ; si quidem inquirendo, inveniendo, exhortando, docendo, veritatem apprehendere desiderabiliter exoptant. Ex quibus et unus fuit hujus argumenti repertor.

Finit in argumentum secundum Marcum.

ARGUMENTUM IN LUCAM.

(Mai., ibid.)

Lucas natione Syrus, Antiochensis, arte medicus, B discipulus apostolorum, postea vero Paulum secutus usque ad passionem ejus, serviens Domino sine crimine (nam neque uxorem unquam habuit, neque filios), septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui, cum jam scripta essent Evangelia; per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu, in Achaiæ partibus hoc scripsit Evangelium : significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta. Cui, extra ea quæ ordo evangelicæ dispositionis exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum Græcis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem Dei Christi manifestata humanitate, ne Judaicis fabulis attenti in solo legis desiderio tenerentur, ne vel hæreticis fabulis et C stultis sollicitationibus seducti exciderent a veritate, elaboraret : dehinc ut in principio Evangelii, Joannis nativitate præsumpta, cui Evangelium scriberet, et in quo electus scriberet, indicaret ; contestans in se completa esse quæ essent ab aliis inchoata. Cui ideo post baptismum Filii Dei, a perfectione generationis in Christo impletæ, repetendæ a principio nativitatis humanæ potestas permissa est : ut requirentibus demonstraret in quo apprehendens erat, per Nathan Filium introitu recurrentis in Deum generationis admisso, indisparabilis Dei : ut prædicans in hominibus Christum suum, perfecti opus hominis redire in se per filium faceret, qui per David patrem venientibus iter præbebat in Christo. Cui Lucæ non immerito etiam scribendorum apostolicorum Actuum potestas in mysterio datur : ut Deo in Deum pleno, et filio perditionis exstincto, oratione ab apostolis facta, sorte Domini electionis numerus compleretur; sicque Paulus consummationem apostolicis Actibus daret, quem diu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Quod legentibus ac requirentibus Deum etsi per singula expediri a nobis utile fuerat, sciens tamen quo operantem agricolam oporteat de fructibus suis edere, vitavimus publicam curiositatem, ne non tam volentibus Deum videremur, quam fastidientibus prodesse.

Explicit argumentum.

EJUSDEM SEDULII SCOTI

EXPOSITIUNCULA IN ARGUMENTUM SECUNDUM LUCAM.

(Mai., ibid.)

In hujus argumenti exordio, evangelistæ nomen, D genus, patria, et ars humana, cœlestisque disciplina, breviter ostenditur cum dictum est : « Lucas Syrus, Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus usque ad passionem ejus, serviens Domino sine crimine. » Hæc omnia magnam evangelistæ laudem ostendunt. Unde et Lucas elevans vel consurgens interpretatur, quia divina præstante gratia, de vitiis ad virtutum culmina consurgens, ac veritatis lucem elevatis mentis oculis videns, ex corporali medico, in spiritualis medici eminentiam transcenderat. Unde et Syrus nomina tus, quod interpretatur sublimis, scilicet fidei meritis sublimatus. Hic ex paupertatis silentio, quod Antiochia sonat, ad evangelicas delicias translatus est, ut quod prius propter inopiam scientiæ longo silentio propalare non poterat, postmodum cœlesti doctrina opulentus effectus, thesauros evangelicæ doctrinæ largiter dispensaret. Hic primitus apostolorum discipulus, postea Paulum magistrum gentium, quasi gentilis, et virgo virginem secutus fuerat, non tantum ad Evangelii prædicationem, sed

etiam, quod est laude præclarius, usque ad ipsius Pauli sub Nerone principe confessionem. Quod dicitur « serviens Domino sine crimine, » significat quod virgo intactus, sine fornicationis vitio, castam duxerit vitam. Hinc apte sequitur : « nam neque uxorem unquam habens neque filios, septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. » Valde consequens esse videtur, ut si uxorem non habuit, filios quoque non haberet. Quod certus annorum ejus numerus describitur, non vacat a mysterio. Nam denarius numerus propter decalogum perfectionem designat. Septenarius numerus septiformem Spiritus sancti gratiam exprimit. Itaque quia Lucas legis decalogum, præstante Spiritus sancti gratia, impleverat, recte in ejus ætate hic numerus supputatur : unde et Spiritu sancto plenus esse refertur.

Quo vero tempore, vel quo loco, seu pro qua causa, suum scripserit Evangelium, mox declaratur cum subditur : « qui cum jam scripta essent Evangelia, per Matthæum quidem in Judæa, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu, in Achaiæ partibus hoc scripsit Evangelium, significans etiam ipse, in principio ante aliorum evangelistarum Evangelia alia esse descripta. » Tempus et locus conscribendi Evangelii est, quia post Matthæum et Marcum, in Achaia suum scripsit Evangelium. Causa conscribendi Evangelii est quod nonnisi instigante sancto Spiritu illud opus scripsisse commendatur. Sed et aliam multiplicem fuisse causam ejusdem operis adhuc declarat, ita subdens : « cui, extra ea quæ ordo evangelicæ dispositionis exposcit, » et reliqua usque : « elaboraret. » Ordo vel ratio evangelicæ dispositionis illud exposcebat ut non solum tres, id est Matthæus, Marcus et Joannes, sed potius quatuor evangelistæ, adjuncto scilicet Luca, Christi Evangelium conscriberent. Hoc namque apud Deum ante tempora sæcularia fuerat prædestinatum, hoc postmodum per quatuor animalium formas præfiguratum fuit et ostensum. Sed præter illa prædestinata, præfigurata et ostensa, quæ ad ordinem evangelicæ dispositionis pertinent, ea maxime necessaria et multiplex causa hujus evangelici laboris exstitit, quatenus Græcis fidelibus venturi in carnem Dei Christi manifestata esset humanitas

Sed unde illa manifestaretur? « Omni, inquit, prophetatione, » id est, per omnem prophetationem illa fuerat manifestata. Nam, ut beatus Lucas in exordio sui Evangelii pleniter narrat, conceptio et nativitas Dominica, et ab archangelo prænuntiata, et ab omni sexu, tam viris quam feminis, et ab angelis hominibusque, demonstrata est. Sed in his omnibus ob hoc evangelista pro studio elaboravit, ne idem Græci fideles nuper in Christo renati, Judaicis fabulis deciperentur. Constat enim quod usque adhuc reprobi Judæi Christum in carne venisse denegant, et alium Christum venturum esse confingunt : ideoque spreta Christi gratia nequaquam Evangelium, sed sola legis constituta persuadent esse sectanda. Contra hos evangelista Christum jam natum fuisse ostendit, et hoc non sine idoneis testibus astruit, sed omni prophetatione indubitabiliter approbat, ut omne os reprobum obstruatur. Et cum nonnulli hæretici Christum in mundum venisse, non tamen veram carnem habuisse, sed æthereum corpus suum de cœlestibus traxisse dogmatizabant, non minus hos quam illos idem vitulus spiritualibus cornibus convincit, dum Christum secundum carnem et conceptum et ex Maria virgine natum fuisse asserit. Ob hoc itaque cornutus evangelista laboravit, ne alii laborent. Bos spirituali stylo exarante laboravit, ne Græci fideles a veritate discederent, Christumque, qui est veritas, relinquerent, et in erroris flexibus laborarent.

Alia quoque pars causæ ostenditur cum subditur : « dehinc ut in principio Evangelii, » et reliqua usque : « inchoata. » Non solum, inquit, propter Græcos fideles Lucas in opere evangelico laboravit, sed et alia causa ejusdem operis exstitit, hoc est, quod ipse Lucas a beato Theophilo postulatus erat, quatenus Christi Evangelium conscriberet, quod et Lucas in procœmio sui Evangelii indicat, id est Evangelium se Theophilo poscente edidisse, et quod in Spiritu sancto ad hoc ministerium electus fuerat, contestans in se completa esse Evangelia, quæ ab aliis pseudoevangelistis erant non perfecta, sed prave inchoata. Sed in principio sui Evangelii non Christi genealogiam proposuit, quomodo Matthæus in suo fecit Evangelio, sed potius Joannis tanquam præcursoris Domini nativitate, quam in aliis descriptam esse non viderat, præsumpta, sic tandem apto temporis ordine conservato, Christi nativitatem aut genealogiam pleniter enarravit. Unde sequitur : « cui ideo post baptismum Filii Dei, » et reliqua usque : « permissa est. » Non caret ratione quod post Christi baptismum Lucas ejusdem Salvatoris genealogiam edisserit. Hæc namque facultas repetendæ nativitatis humanæ, evangelistæ a Domino concessa est, et quamvis a fine septuagesimæ et septimæ generationis in Christo impletæ, ipsa series genealogiæ per filios in patres ascendendo recurrit, non proprio tamen principio caret. Etenim a principio, id est Christo, qui est totius creationis principium, retrograda genealogia incipit, ut quomodo ad patrem principium recurrit, sic a Christo principio exordium ipsa generationum series sumat.

Sequitur : « ut requirentibus demonstraret, » et reliqua usque : « indisparabilis Dei. » Studiosis et prudentibus evangelista intimare curavit in quo arcano mysterio non per Salomonem, quomodo Matthæus, sed per Nathan filium David, introitum recurrentis in Deum generationis apprehenderat. Sed quomodo ipsa genealogia in Deum recurrit, protinus declaratur cum subditur : « admisso; » hoc est, cum admissione seu receptione in ipsam genealogiam indispertibilis Dei, id est summi Patris, qui est a Filio inseparabilis. Tanquam apertius diceret : Apte Deus

Pater in Christi genealogia admittitur, cum Adam filius in eadem genealogia pronuntiatur, quoniam ipse Pater a Filio inseparabilis est. Alii namque et loco et tempore a filiis suis sunt dispertibiles. Quia vero summus Pater semper in Filio, et Filius in Patre inseparabiliter manet, in eadem filii etiam secundum carnem genealogia pater admitti debuit. Perquirendum tamen est cur per Nathan filium David, introitus recurrentis in Deum generationis exordiri fertur, cum non ab ipso Nathan, sed potius a Christo series generationum recurrere incipit. Nisi forte introitum, non totius genealogiæ initium, sed quolibet in loco in quemlibet patrem, generationis ingressum intelligere debemus. Sequitur : ut « prædicans in hominibus Christum suum, » et reliqua usque : « in Christo. » Pater inter homines Christum suum prædicat, non solum cum ad horam baptismatis vox paterna de nube intonuit dicens : Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacuit, sed et quotidie usque ad consummationem sæculi, unigenitum Filium toto orbe terrarum per ora doctorum evangelizat, quatenus opus perfecti hominis, id est, opus Dei, quod est perfectus homo ad imaginem sui conditoris recreatus, redire in se per Filium faciat, dum nemo venit ad Patrem, nisi per Filium, quomodo nemo venit ad Filium, nisi Pater traxerit eum. Ad hoc enim attinet illud quod protinus adjungitur : « Qui per David patrem venientibus iter præbebat in Christo. » Nam in eo quod Matthæus per patres in filios seriem genealogiæ Salvatoris enarrat, hoc specialiter insinuat, cum per Patris notitiam pervenitur ad Filium. In eo vero quod Lucas per filios in patres recurrit, illud procul dubio indicat quia nemo ad Patrem nisi per Filium venit.

Sequitur : « cui Lucæ non immerito etiam scribendorum apostolicorum Actuum potestas in mysterio datur. » Non sine arcani gratia mysterii, idem Lucas Actus conscripsit apostolicos, cui Deus illi tanquam apostolorum dilecto discipulo, qui nonnunquam gestis eorum intererat, hanc potestatem concesserat. Quod protinus mysterium panditur cum subinfertur : « ut Deo in Deum pleno, » et reliqua usque : « Dominus elegisset. » Nota historia est, sicut in Actibus apostolorum refertur, quod oratione ab apostolis facta, cecidit sors super Matthiam, qui locum Judæ proditoris suppleverat. Unde duodenarius numerus, qui mysticus est, divina disponente Sapientia, fuit completus ; ut non tantum undecim sed potius duodecim apostoli essent. Duodenarius quippe numerus magnum in se continet mysterium, quem tres quater, aut quatuor ter, consummant. Illudque nimirum insinuat quod sanctæ Trinitatis fides per quatuor mundi plagas ore apostolico prædicari deberet, qui duodenarius numerus tunc in apostolis pleniter fuerat completus, Deo in Deum pleno, et filio proditionis exstincto, cum post triumphalem resurrectionis et ascensionis Dominicæ gloriam Christus Deo plenus, discipulis claruit, quando iidem discipuli, viso Domino pleni erant lætitia, pleni Scripturarum scientia, pleni quoque musto spiritualis gratiæ ; qua plenitudine miser Judas caruit, ut cum vitæ auctorem morti tradidit, ipse vitam amitteret, ac pessimam sibi tanquam pessimus mortis occasionem inveniret. Sequitur : sicque Paulus consummationem apostolicis Actibus daret. Sic, id est ut Lucas apostolorum Actus scribendo, in Paulo ipsos Actus apostolicos consummaret, id est in quo ipso finem illorum faceret, quem diu contra stimulum recalcitrantem Dominus elegisset. Hoc ita potest intelligi quod fortasse Dominus Paulum in loco Judæ statim elegisset, nisi quod diu contra stimulum Dei recalcitrabat. Sed hæc cuncta diligentioribus exponenda relinquimus, ne in vulgum cuncta hæc mysteria propalare videamur. Unde etiam hujus argumenti repertor subintulit : « Quod legentibus ac requirentibus Deum, » et reliqua usque : « prodesse. » Hæc, inquit, occulta mysteria utile quidem fuerat ut a nobis per singula exponerentur, quod tamen non egimus, scientes quod operantem agricolam, id est doctorem quemlibet, oporteat non tantum de alienis sed etiam de suis fructibus propriis edere, quatenus copiosum afferat fructum. Nulli namque dubium est quod cibi alienis dentibus commoliti nauseam generent. Quod ne fiat, nos vulgarem vitamus curiositatem, ne fastidiosis lectoribus plus alienæ curiositatis vitio, quam proprio elaborata studio cupientibus, sed potius veritatis amatoribus et inquisitoribus aliquam utilitatem conferre videremur [a].

Explicit in argumentum secundum Lucam.

[a] Hactenus Codex Vat. Pal. sæc. IX, adeoque contemporaneus fere Sedulio ipsi ; desideratur commentarius ad argumentum Joannis.

MAII PRÆFATIO

SEDULII OPUSCULO POLITICO SEQUENTI.

(Mai., Spicileg. Rom., tom. VIII.)

I. Utrum Sedulii Scoti opus *de Rectoribus Christianis* prelo committerem, parumper dubitavi, quia nec deerat qui semel editum diceret, et tamen eruditis plerisque omnibus ignotum erat, neque in publicis bibliothecis, quod sciam, exstabat. De hoc ita scribit Faustinus Arevalus in prolegomenis ad Sedulium seniorem, cap. 2, num. 61. « Goldastus, ut ex Labbeo, num 45, liquet, possidebat ms. opus Sedulii inscriptum *de Regimine principum*. Schoettgenius, qui bibliothecæ Fabricianæ medii et infimi ævi volumen sextum edidit, refert, Sedulium *de Rectoribus Christianis et convenientibus regulis quibus est res publica*

rite gubernanda, Lipsiæ an. 1619 editum in 8, memorati a Fabricio, fortasse in paucis schedis mss. quas ad textum volumen paratas reliquit. Addit Schoettgenius, Freherum ad Petrum de Andlo *de Imperio Rom.*, II, 16, scribere, se anno 1612 hunc librum anecdotum ad prelum parare, ex eodem libello octo distichа adducere Nicolaum Cusanum de Concordantia cathol., præf. lib. III. Non invenio quisnam alius librum viderit, aut de eo locutus fuerit : neque indignum opus certe est quod ad hujus temporis novitates convellendas recudatur. Exstat in codice Vat. Palat. 591, etc. Is, cap. 9, laudat pietatem Caroli Magni, et Ludovici (filii) qui regnare cœpit (post patrem) anno 814; adeoque Sedulius hujus operis auctor ante sæculum IX non floruit, et videtur esse ille ipse quem laudat Hepidamnus, et fortasse Sedulius Scotus, cujus manu Psalterium græcum scriptum recenset Montfauconius Palæogr. Gr., III, 7, p. 236. » Hactenus Arevalus. Unus ergo Schoettgenius Scoti Sedulii hoc editum opus dixit, et quidem alieno testimonio fretus. Jam vero etiamsi id forte dictum sit vere (de quo dubitare licet), nihil tamen impedit quominus liber ex hominum conspectu usuque ereptus, ineditorum instar haberi possit. Nunc ad meas quoque manus Palatinus codex venit, qui non est alius, ut suspicor, quam ille ipse a Goldasto olim in Germania visus : etenim id exemplar anno 1619 in Palatinatu apud Heidelbergam adhuc erat, neque Romam nisi anno 1623 cum Palatina bibliotheca migravit. Cum vero hunc codicem et tantulæ molis et summæ raritatis esse viderem, veritus sum ne quo casu aliquando periret, atque ita opus priscum, et pro illa ætate non contemnendum, sempiterno exitio intercideret. Hæc potior, inquam, graviorque libri imprimendi mihi causa fuit.

II. Etsi autem vocabulum *Scotus* ad Sedullum in codice non adjungitur, attamen de re dubitare prorsus non licet. Etenim Hepidamnus in suis Annalibus ad annum Christi 818 scribit : *Sedulius Scotus clarus habetur*. Item Trithemius (quanquam Sedulios varios confundit) postremum inter Sedulii Opera librum epistolarum recenset, quem ait incipere *Sedulius Scottigena*. Est autem notissimum quot docti viri religiosi sub Carolo ejusque posteris ex Anglia atque Hibernia (quæ tunc erat Scotia) in Gallias ad florentissimam Carolingiorum aulam venerint, præsertim post Alcuini magnam apud eos regnatores gloriam. Annum quoque scripti libri præcise mihi videor deprehendisse. Etenim Sedulius, cap. 9, pag. 28, Carolum Magnum postremum in Romanis imperatoribus nominat, et mox addit, a Deo fuisse *adordinatum* Ludovicum imperatorem. Illud, inquam, vocabulum *adordinatum*, videtur prorsus significare imperii cum patre societatem, quæ cœpit anno 813, Caroli ultimo; sequente enim excessit e vivis, solum post se relinquens Ludovicum imperatorem. Libri igitur ortus extra annum 813 statui vix potest. Hinc etiam factum puto, ut titulus non singulariter *de Rectore Christiano* sit positus, sed pluraliter, quia duo Christiani rectores illo anno erant. Atque hoc opere per imperii provincias vulgato, Sedulii nomen celebre evasit, ita ut auctoris claritatem quinto post editionem anno Hepidamnus adnotaverit. Neque inutilis Ludovico Cæsari liber fuit; etenim his quoque Sedulii præceptis ad regias virtutes informatus, clementissimus et justissimus princeps evasit, et religioni ac prælatis ejus summe addictus. Certe post illos veteres Constantinum ac Theodosium nulli principes religiosiores fuere quam Caroli Magni majores ac posteri, quorum illustrem memoriam et annales retinent et alia innumera monumenta testantur. Est autem hic ipse Sedulius Scotus, cujus in divi Pauli Epistolas exstant Collectanea (*hujus voluminis col.* 9), in Matthæum autem conservabantur Parisiis mss. apud Jesuitas, teste Labbeo. Nobis quidem non injucundum accidit ut tria Sedulii opuscula lectoribus offerremus. I. Expositiones in argumenta Evangeliorum Matthæi, Marci, et Lucæ, quæ tomo IX Script. vet., p. 159-181, exhibuimus (*supra*, *col.* 271). II. Præsens opusculum *de Rectoribus Christianis*. III. Explanationes in præfationes sancti Hieronymi ad Evangelia (*infra*) (*a*).

(*a*) Latinæ eruditionis studiosos nolo hac obiter notitia fraudare, nempe me scholia quædam in prisco codice vidisse ad Mart. Capellam, cujus in calce litteris quadratis legitur hæc inscriptio : *Expliciunt glossæ secundi libri de nuptiis Philologiæ et Mercurii, Mgnei Martiani Felicis Capellæ Afri Carthaginiensis, quas fertur composuisse* Severus *scholasticus urbis Romæ*

SEDULII SCOTI

LIBER

DE RECTORIBUS CHRISTIANIS

AD CAROLUM MAGNUM VEL LUDOVICUM PIUM [a].

(Mai., ibid.)

INCIPIT OPERIS PRÆFATIO SUBSEQUENTIS.

Omne ministerium trifido quod præminet orbe,
Arte gubernandum. Sunt artis plurima dona.
Omnicreans Dominus terras, mare, sidera, cœlos
Arte creat, totum pulchrum regit arteque mundum.
Artibus egregiis sapientia celsa Tonantis
Præposuit hominem cunctis animalibus orbis.
Ars currum regitat, naves ars rite gubernat,
Atque triumphalis res artem bellica spectat.
Indiget artis apes. Sic ut res publica felix
Esse queat, rectore bono populoque beato.
Ob hoc cœlestum transcurrens prata librorum
Florida congessi vobis, rex, inclyta serta,
Quæ capitis vestræ mentis diadema perornent,
Sceptraque glorificent Christi dominantia nutu
Atque salutiferas divini dogmatis herbas
Pollice decerpsi nardo redolente calathis.
Sumite de liquidis Israel fontibus undas
Quæ satient bibulum prædulci rore palatum.
Gloria nam regum, nitidis et stemmata sceptris

[a] Videsis capitulum 9

Dogmata sunt Domini, nec non exempla priorum,
Gestaque nobilium procerum famosa per orbem.
Artibus his vigeat vestri res publica victrix,
Atque gubernetur multis feliciter annis,
Donec sideream vos ascendatis in aulam,
A Juste regnantum qua perpes gloria pollet.

Explicit præfatio.

Tecum principium, finis, rex Christeque, tecum.
Alpha operis famuli sis, Deus, æque tui.

INCIPIUNT CAPITULA EJUSDEM LIBRI.

I. De eo quod pium rectorem, accepta potestate regali, primum dignos Deo et sanctis ecclesiis honores dicare oportet.
II. Qualiter rex orthodoxus semetipsum regere debet.
III. Quâ arte et industria momentaneum regnum stabiliri potest
IV. De regia potestate non tam opibus et fiducia fortitudinis, quam sapientia cultuque pietatis perornanda.
V. Quanta sacri moderaminis sollicitudo erga uxorem et liberos propriosque domesticos ab eodem est exhibenda.
VI. Quales consiliarios et amicos bonum principem habere decet.
VII. Quæ res malos principes faciat.
VIII. De avaris vel impiis regibus, et quanta per eosdem populum mala, vel ipsos ultio divina consequitur.
IX. De rege pacifico atque clementi. Vel quibus danda sunt beneficia.
X. Quot columnis regnum justi regis sustentatur.
XI. De eo quod bonus princeps ecclesiasticis cautis benivola intentaque sollicitudine favere debeat et synodalibus conventibus.
XII. De eo quod saluberrimis antistitum admonitionibus et correptionibus pio rectori obtemperare sit gloriosum.
XIII. De zelo boni rectoris rationabili ac pietati permixto.
XIV. De duce Christiano, ut non in sua et suorum fortitudine, sed in Domino confidat.
XV. De eo quod imminentibus hostilium bellorum frogoribus divinum sit implorandum auxilium.
XVI. De adversis si forte contigerint.
XVII. De non superbiendo post oblatam etiam ab hostibus pacem, seu prostratos hostes.
B XVIII. Gratiarum ac benivola vota post pacem seu victoriam Deo reddenda.
XIX. De privilegiis sanctæ matris Ecclesiæ a pio rectore conservandis, ac dignis ecclesiarum præpositis atque ministris.
XX. Quanta ignominia superbos, qualisque vel quanta gloria hic et in futuro principes orthodoxos comitatur.

INCIPIT LIBER SEDULII

DE RECTORIBUS CHRISTIANIS ET CONVENIENTIBUS REGULIS QUIBUS EST RES PUBLICA RITE GUBERNANDA.

CAPITULUM PRIMUM.

Postquam regale sceptrum regnique gubernacula rector Christianus susceperit, primum quidem gratiarum actiones atque condignos Omnipotenti sanctæque Ecclesiæ honores oportet ut rependat. Res etenim publica tunc suo initio pulcherrime consecratur, cum regia sollicitudo et sacra devotio sancto superni regis timore simul et amore accenditur; cumque de gloriosa Ecclesiæ utilitate provido consilio procuratur; ut quem regalis purpura cæteraque regni insignia exterius condecorant, eumdem laudabilia vota erga Deum et sanctam Ecclesiam interius perornent; quia nimirum ad temporalis regni fastigium tunc insigniter ascenditur, cum omnipotentis regis gloria vel honor pio studio pertractatur. Pius itaque princeps summi donatoris omnium voluntati et sanctis præceptis obedire magnopere studeat, cujus superna voluntate atque ordinatione se ad culmen regiminis ascendisse non dubitat, testante Apostolo qui ait : *Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt* (*Rom.* XIII, 1). Quantum se bonus rector a Deo ordinatum esse cognoscit, tantum pia sollicitudine invigilat, quatenus omnia coram Deo et hominibus secundum trutinam rectitudinis ordinabiliter disponat atque perpenset. Quid enim sunt Christiani populi rectores, nisi ministri Omnipotentis? Porro idoneus et fidelis quisque est minister, si sincera devotione fecerit quæ ei jusserit suus dominus atque magister. Hinc piissimi et gloriosi principes plus se ministros ac servos Excelsi quam dominos aut reges hominum nuncupari et esse exsultant. Unde beatus David rex et propheta eximius sæpe servum Domini se nominat. Nec non et C inclytus Salomon ejusdem filius Omnipotentem deprecans, inter cætera sic ait : *Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus; audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum de qua dixisti : Erit nomen meum ibi* (*III Reg.* VIII, 28, 29).

Unde et celeberrimæ memoriæ magnus Constantinus imperator, credito atque perfecto salutaris crucis et catholicæ fidei mysterio, cum lætanti ejus imperio etiam religio valde florebat, non sibimet arrogans, gratias omnipotenti Deo referebat, quia ministrum opportunum eum habere dignatus fuerat Deus sui consilii. Ecce imperator eminentissimus plus gratulabatur se Dei fuisse ministrum, quam terrenum D habuisse imperium. Hinc ipse, quia minister supernæ voluntatis fuerat, a Britannico mari usque ad loca Orientis regnum dilatavit pacificum; et quoniam Omnipotenti semetipsum subdiderat, cuncta hostilia bella, quæ sub eodem sunt gesta, potentialiter atque fideliter superavit. Construebat et amplis opibus Christi dotabat ecclesias. Hinc ei superna gratia triumphales concessit habere victorias. Quia procul dubio sacri rectores quanto plus se Regi regum hu-

militer subjiciunt, tanto magis ad gloriosæ dignitatis eminentiam sublimiter ascendunt. Quis autem non miretur quantos honores Domino præfatus Salomon rependerit, postquam regni sceptrum Deo auctore suscepit? quam sapientissima devotione templum Domini construxerit atque mirifice ornaverit? quantas denique pacificas hostias Deo obtulerit? Hinc fructum suæ devotionis atque orationis percepit, sicut apparens ei Dominus locutus est dicens : *Audivi orationem tuam et deprecationem quam deprecatus es coram me; sanctificavi domum hanc quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum; et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque, si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea et judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo dicens : Non auferetur de genere tuo vir de solio Israel* (*III Reg.* IX, 3-5). Itaque si ille rex Salomon pro sacra devotione proque construenda domo terrestri Domini, tantam remunerationis gloriam habere promeruit, quam inæstimabilem habebit gloriæ palmam si quis Deo amabilis rector sanctam perornaverit Ecclesiam, quæ est Dei vivi spirituale tabernaculum? Sed hæc quæ breviter stylo prosali diximus, aliqua versuum dulcedine concludamus.

Quisquis florigeri sceptrum fert nobile regni,
Primum Celsithrono vota precesque ferat.
In cujus sacro sunt omnia numine sceptra,
Et pax nobilium, vita salusque ducum.
Nam regale decus radians diademaque regni
Est timor altithroni sanctus amorque Dei.
Lilia florigerum comunt ceu lactea campum,
Ut rosa punicei schematis ore rubet,
Sic justus rector virtutum flore virescit,
Germinet ut fructus mentis in arce sacros.
Pulchra Salomonem decoravit purpura regem,
Nec non Davidis fulgida sceptra patris,
Sed magis interius prudens devotio cordis
Ornavit juvenem glorificando Deum.
Instar luciferi niteat res publica vestri,
Exortuque novo splendida vota gerat.

CAP. II.

Qui apicem regiæ dignitatis, Domino præstante, ascenderit, oportet ut se ipsum primum regat, quem divina dispositio alios regere ordinavit. Rex enim a regendo vocatur. Tunc autem hoc nomine se veraciter appellari intelligat, qui semet rationabiliter gubernare non ignorat. Rex itaque orthodoxus summopere studeat, ut qui subditis bene concupiscit imperare, aliorumque errata disponit corrigere, ipse mala non admittat, quæ stricte malus corrigit, et bona quæ imperat, ante omnes implere contendat. Sex autem modis bonus rector sese laudabiliter regit: primo quidem dum illicitas cogitationes animi severitate reprimit; secundo dum salubria consilia tam ad suam quam ad populi utilitatem pertinentia pertractat; tertio cum otiosa et inutilia seu noxia inanium verborum folia profluere devitet; quarto cum gloriosorum principum prudentiam simul et verba, nec non divinæ Scripturæ eloquia super mel et favum mentis faucibus sapificet; quinto cum perniciosæ actionis omne dedecus perpetrare expavescat; sexto vero cum si qua sunt laudabilia, si qua sunt gloriosæ dispositionis opera magnifica insigniter ostendat, ut qui interius coram Domino devota fulgescit voluntate, exterius coram populo sermone clarescat et opere. Quem decet trinam observare regulam, terrorem scilicet et ordinationem atque amorem. Nisi enim ametur pariter et metuatur, ordinatio illius constare minime poterit. Ergo per affabilitatem et beneficia procuret ut diligatur, et per justas vindictas non propriæ victoriæ sed legi Dei studeat ut metuatur.

Hunc ergo oportet esse humilem in suis oculis, sicut scriptum est: *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* XXXII, 1). Nec solum juste hominibus, sed sui corporis et animæ dominari passionibus, quatenus rector jure queat nuncupari, sicut quidam sapiens ait: Rex erit, qui recte faciet; qui non faciet, non erit. Sit ergo consilio prudentissimus in sermone, nunc ut possit terribilis; sæpius vero gratia dulcedinis affabilis, victor libidinis, superbiæ atque vesanæ ferocitatis, amicus bonorum et inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum, in bello cautissimus, in pace constantissimus, fidelibus promissionibus probatissimus, divina humanis præponens, subjectos deterrens a malo, invitans ad bona, remunerans copia, indulgentia liberans, ex malis bonos, ex bonis faciens optimos. Sit sanctus et utilis rei publicæ, clementia commendabilis, in bonitate conspicuus, pietate, fortitudine, castitate, justitia præclarus, vir optimus et apice principali dignissimus, Dei timorem semper præ oculis habens, et secundum Omnipotentis decreta, justa perpensans judicia, qui dat salutem regibus, et omnia quæcunque vult facit in cœlo et in terra et in omni creatura; quia ipse est Dominus omnium, cui *omne genu* flectitur *cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II, 10), in cujus manu omnis potestas in cœlo et in terra, qui est rex regum, et spes gloriæ juste et pie dominantium.

Qui regit affectus animi, rex jure vocatur,
Et fluxas carnis qui domat illecebras.
Quamvis qui fulvum superat virtute leonem
Rex teneat clarum laudis honore locum;
Sed plus est laudum fastos calcare superbos,
Iram ceu rabidam mitificare feram.
Magnus et ille cluit sævos qui triverit hostes,
Lauriger ac victor clara tropæa refert.
Gloria sed major comptum cœlestibus armis
Hostes aereos vincere posse ducem.
Est magis imperium mentem frenare per artem,
Quam si quis habeat triplicis orbis opes.
Nam templum Domini justi mens regia fulget,
Fit thronus excelsi judicis ipsa Dei.
Comitur illa domus flavo speciosior auro,
Justitiæ solem gaudet habere suum.

CAP. III.

Regnum hujus sæculi momentaneum volubilis rotæ vertigini sapientes esse consimile judicaverunt. Nam sicut omnis rotæ vertigo, quæ superiora habet modo dejicit, et quæ dejecta sunt modo superius extollit, ita subito erectiones, subito elisiones terrestris gloria regni sustinet; unde nec veros, sed imaginarios et citius fugitivos honores habet. Illud enim verum regnum est, quod in sempiternum perdurat; hoc autem quod transitorium est et caducum, non veritatem, sed quamdam mediocriter similitudinem veri et permanentis semper regni ostendit. Sicut enim arcus cœli varios pingens ornatus arcuato curvamine celeriter refugit, ita nimirum sæcularis gloriæ dignitas, quamvis ad præsens ornata, tamen est citius fugitiva. Qua itaque arte et quali industria quantaque sollicitudine hæc instabilitas ad aliquam stabilitatis effigiem refrenatur? Forte vero aut armorum violenta fortitudine, aut pacifica tranquillitatis concordia terrestre regnum stabilitatur? Sed rursus in ipsis armis bellorumque fragoribus grandis instabilitas inesse cernitur. Quid enim incertius est magisque instabile bellicis eventibus, ubi nullus est certus laboriosi certaminis exitus, nulla certa victoria, et sæpe ab inferioribus sublimiores superantur, nonnunquam vero in alterutros vergentia mala eveniunt coæqualia; et qui se præsumebant habituros esse victoriam, utrique in fine non habent nisi calamitosam miseriam. Quanta quoque mala sub ficto nomine pacis proveniunt, quis explicare potest? cum etiam illa pax quæ stabilis ac firma inter bonos esse credebatur, interdum per prava malorum consilia in exitiosas discordiarum tempestates transfertur. Unde in armis instabilitas, in pace transitorium videtur.

Quid ergo aliud restat, nisi ut cor regis et tota spei fiducia non in armorum hominumque fortitudine, neque in pacis transitoriæ fallacia, sed in Omnipotentis clementia figatur? qui regnum quod donavit, sive in adversis sive in prosperis stabilire novit. Cor itaque principis, et fidelis in ministerii regimine devotio, ipsum non deserat a quo tantum beneficium et gloriosum ministerium donatum fuit; ne forte ille summus rector indignatus ab eo abstrahat beneficium quod dederat, si infidelem esse senserit quem tanquam fidelem ministrum ordinavit. Nam si rex terrenus a quolibet sibi homine infideli datam auferre valet potestatem, aliique tribuit quem fideliorem comperit esse, quanto magis supernus universorum donator, quem nullius perfidiæ nubila fallere possunt, potens est a reprobis sua abstrahere beneficia, aliisque præstare quos idoneos suæ voluntatis ministros noverit esse? Unde et impius ille Saul rex Israel privatus fuit regno et vita, quoniam neque fidelis minister exstitit coram Domino. At vero David virum electum secundum cor suum Omnipotens invenit, quem ob hoc in apicem regiæ potestatis sublimavit, quia illum fidelem fore ministrum elegit præsciendo. Itaque prudens rector cor suum in Excelsi gratia stabilire studeat, si transitorium regnum quod est ei commissum, aliquam stabilitatis habere similitudinem desiderat. Et quoniam justus et misericors est Dominus, cui cordis affectu debet inhærere, opera multipliciter exhibeat misericordiæ, ut multam mercedis gloriam metat. Justitiam diligat simul atque custodiat; injusta vero atque maligna opera in subjectis repudiet, ac laudabili zelo, qui est secundum scientiam, corrigat. Qui dum sit in divinis præceptis stabilis, illius regnum magis magisque in hoc sæculo stabilitur, et ad æterna stabilitatis gaudia superno juvamine perducitur.

Ceu rotæ cyclus celeri recursu
Volvitur, summas reprimitque ad ima
Quas rotat partes rapidum per axem
Mobilitate:
Regna sic mundi trifidum per orbem
Gloriæ celsum stabilire culmen
Nesciunt, lapsum sed habere norunt
Aurea sceptra.
Inclytæ plebis fuit Israelis
Floridum regni decus adlevatum
Quando servabant sacrosancta legis
Mystica jura.
Unde pollebat Domini triumphis,
Atque crudeles superabat hostes,
Dum suam plebem pietas Tonantis
Glorificabat.
Rursus, heu! quantis premitur ruinis
Abrahæ sanctum speciale patris,
Dum creatori sua prona tempsit
Subdere colla!
Una sed tantæ medicina gentis
Jam fuit votis rogitare celsum,
Qui potens noscit stabilire regna
Perpete nutu.
Principes terræ Domino potenti
Ferte gaudentes thymiama voti,
Quem tremunt cœli proceres superni,
Magnificate.

CAP. IV.

Omnis autem regia potestas, quæ ad utilitatem rei publicæ divinitus est constituta, non tam caducis operibus ac terrestri fortitudine, quam sapientia cultuque divino est exornanda; quoniam procul dubio tunc populus providi arte consilii gubernabitur, adversarii Domino propitiante profligabuntur, provinciæ regnumque conservabuntur, si regia sublimitas religione et sapientia perornetur. Namque hominis naturam Deus hanc esse voluit, ut duarum rerum ipse homo cupidus et appetens esset, religionis et sapientiæ. Est autem religiosa sapientia saluberrimum decus, devotarum lumen animarum, cœleste donum et gaudium sine fine mansurum. Qui ergo vult gloriose regere, ac sapienter populum gubernare, et vehemens in consiliis esse, a Domino postulet sapientiam, *qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jac.* 1, 5), ipsamque sapientiam studiose, labore simul et amore perquirat; quatenus ei congruat il-

lud quod scriptum est: *Beatus* est *qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia* (*Prov.* III, 13), cæteraque quæ in laudibus sapientiæ describuntur. Ille itaque rector vere beatus est celebrandus, qui splendore illuminatur sapientiæ, quæ est fons consiliorum, fons sacræ religionis, corona principum, origo virtutum, in cujus comparatione omnes pretiosarum claritates gemmarum vilescunt. Hæc cautissima est in consiliis, mirabilis in eloquiis, magnifica in operibus, fortis in adversis, temperans in prosperis, oculosa in judiciis. Hæc suos amatores cœlesti gratia venustat, et tanquam sidereum firmamentum eosdem clarificat, sicut scriptum est: Justi fulgebunt quasi stellæ, et intelligentes quasi firmamentum.

Hæc Salomonem præ cunctis terræ regibus sublimavit, quia illam amavit ab adolescentia sua, et amator factus est decoris ejus. Unde sicut in Regnorum libris legitur, ipsi apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: *Postula quod vis ut* dem *tibi* (*IV Reg.* II, 9). A quo cum Salomon cum esset puer, cor docibile postularet, ut judicare posset populum Domini, et discernere inter malum et bonum, tale responsum a Domino recepit: *Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tibi in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit David pater tuus, longos faciam dies tuos* (*III Reg.* III, 11-14). O quam ineffabile est divinæ largimentum gratiæ! quæ si recto corde et pia intentione poscitur, plus donat quam quod rogatur. Ecce rex Salomon non argentum, non aurum, non alias opes terrenas, sed sapientiæ gazas poposcit a Domino. At qui simplum recte postulaverat, duplum accepit. Nam non solum ditatus est sapientia, sed et sublimatus est indita regni gloria. Unde regibus terræ egregium datur exemplum, quatenus spiritualia dona plus quam carnalia pio desiderio ab Omnipotenti exposcant, si diu et feliciter in hoc sæculo regnare desiderant. Decet igitur amabilem Deo principem discendi habere voluntatem desideriumque cœlestium. Sic enim vere et cor habet in manu Dei, et regnum cum pace multis annorum curriculis, favente Domino, gubernabit.

Qui cupit rector probus esse judex,
Lance qui justi trutinaque gaudet,
Inhians pulchri terebrare falsa
Cuspide veri,
Luminum patrem rutili creantem
Solis ac lunæ nitidique cosmi
Poscat, ut sensis niteat coruscis
Luce sophiæ.
Vota cognoscat Salomonis æqui
Quæ volaverunt subito per æthram,
Ac penetrarunt Domini sabaoth
Aurea tecta.
Ipse percepit docilemque sensum
Mente lustratus, sapiensque factus.
Insuper regni columen gubernat
Gentis Hebrææ.
Quid valet flavi nitor omnis auri?
Ostra quid prosunt rosei decoris?
Gloriæ quid sunt Scythicæque gemmæ?
Quid diadema?
Orba si mentis acies hebescat,
Lumen ut verum nequeat tueri,
Unde discernat bona, prava, justa
Fasque nefasque.
Ergo rectori decus est amare
Te Patris Verbum sapiensque lumen,
Christe, qui sceptris dominaris orbem
Celsaque regna.
Cujus in dextra requies beata
Constat, in læva locupletesque gazæ.
Gloriæ princeps humiles coronans
Tollis opimos.

CAP. V.

Rex pius et sapiens tribus modis regendi ministerium gerit. Nam primo se ipsum, quomodo in superioribus ostendimus; secundo exercitum proprium et liberos suosque domesticos; tertio populum sibi commissum rationali et glorioso moderamine regere debet. Bonum itaque principem non solum sibimet dominari oportet, dum a malis declinet, et quæ bona sunt eligat et firmiter teneat; sed etiam alios sibi conjunctiores, uxorem videlicet, liberos atque domesticos, provida sollicitudine ac familiari charitate gubernet. Hoc autem faciens duplicem thesaurizat sibi gloriæ palmam, ut dum in se bonus et sanctus sit, alios sibi conjunctos bonos faciat et sanctos, juxta Psalmistam, qui ait: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris* (*Psal.* XVII, 27), et reliqua. Non enim sufficit propriam habere honestatem, nisi pudicæ et castæ conjugis, nec non etiam filiorum et comitum ac ministrorum pudore decoretur, dicente David: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* (*Psal.* C, 6). Nam sicut lilium agri aliorum olerum ac violarum multiplici pulchritudine venustatur, et sicut luna stellarum splendore circumstantium gratius emicat, ita nimirum rex justus ac sapiens aliorum societate bonorum perornetur. Is ergo perspicaciter procuret ut non solum nobilem pulchram ac divitem, sed et castam, prudentem quoque atque in sanctis virtutibus morigeram habeat conjugem. Nam quantum conjux jure est conjunctior, tantum aut felle malitiæ noxia fit, aut morum dulcedine mellea. Etenim mulier inepta domus est ruina, divitiarum defectio, iniquorum saturatio, omnium malorum et vitiorum commoratio; quæ diversis superstitionibus multum se exterius ornans, interiora animæ suæ nescit decorare. Quem diligit hodie, odit in crastino. Et sicut quidam ait: Nau-

fragilium rerum est mulier male fida marito. Ita e A contrario casta et prudens mulier utilibus rebus disciplinabiliter intendens, humili facie hilarique sermone pacifice liberos et familiam regit, proque viri salute, si necesse fuerit, suam animam opponit morti, ac divitias quæ sunt mariti sui cum bona fama custodit. Qui est amicus ejus heri, idem amicus ejus hodie. Fit ergo ipsa divitiarum deductio, et domus confirmatio, viri jucunditas, familiæ pulchritudo, omniumque virtutum connexio. Talem autem decet non solum viro suo casta copula esse connexam et subditam, sed pietatis et sanctæ conversationis semper ostendere formam, ac prudentium consiliorum esse repertricem. Sicut enim persuasione malæ conjugis damnosa nascentur pericula, ita prudentis uxoris consilio multa proveniunt utilia quæ sunt B Omnipotenti beneplacita: Unde et Apostolus ait quoniam vir infidelis salvabitur per mulierem fidelem (*I Cor.* VII, 14).

Nec solum infideles, sed etiam sancti et orthodoxi principes mirabilem sæpe in uxoribus perpendunt et auscultant prudentiam, non sexum fragilem considerantes, sed fructus bonorum consiliorum carpentes. Unde et de gloriosi imperatoris Theodosii venerabili conjuge nomine Placilla refertur quod ipse princeps, dum in se bonus et justus et sapiens erat, habebat et aliam utilitatis occasionem per quam de bonis operibus triumpharet. Conjux enim ejus divinas leges cum sæpius admonebat, se ipsam tamen perfectè prius erudiens. Non enim regni fastigiis elevata est, sed potius divino amore succensa. Beneficii namque C magnitudo majus ei desiderium benefactoris adhibebat. Repente namque venit ad purpuram. Claudorum atque debilium maximam habebat curam, non servis, non aliis ministris utens, sed per semetipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, et unicuique quod opus haberet præbens. Sic etiam per ecclesiarum xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, offerens cochlearia, panem frangens cibosque ministrans, calicem deluens, et alia cuncta faciens quæ servis et ministris mos est solemniter operari. His autem qui eam talibus de rebus mitebantur prohibere dicebat: Aurum distribuere, opus imperii est; ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi D omnia conferenti. Nam viro suo sæpe dicebat: Oportet te semper, marite, cogitare quid dudum fuisti, quid modo sis. Hæc si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed imperium quod suscepisti, legaliter gubernabis, et harum rerum placabis auctorem. His ergo sermonibus velut optimam quamdam utilitatem virtutisque abundantiam conjugi suo offerebat.

Rex pius et sapiens terno moderamine regnat
Semet suosque subditos.
Gloria regnantis proba moribus eminet uxor,
Sicut honesta vinea.
Illam nobilitas triplici virtute venustet
Rosis pudici pectoris.
Lactea formoso niteant si colla decore,
Magis nitescat castitas.
Christus ut Ecclesiam sibi casto junxit amore,
Uxor viro sic hæreat.
Mitis simplicitas in cujus mente redundet
Velut columbæ gratia.
Quam decoret pietas, prudentia, sacra potestas,
Esther ut alma floruit.
Vincula pacis ament rex et regina, duobus
Sit fœdus et concordia.
Invida non dirimat geminos discordia pacis
Quos lex superna junxerat.
Disciplina regat quorum præclarè germen
Rami decori floreant.
Aridus ut viridi bene crescat in arbore palmes,
Cultor bonus hoc providet.
Princeps et rectrix populum si rite gubernant,
Suam regant prosaplam.
Abrahæ veluti generosa stirpe creatis
Ornent poles nepotibus.

CAP. VI.

In humanis rebus nulla quidem ars, ut dicunt, difficilior est quam inter turbulentissimas hujus sæculi procellas bene imperare, et providè rem publicam gubernare. Sed hæc ars tunc ad finem perfectionis pervenit, cum ipsa res publica prudentes et optimos consiliarios habet. Trina autem regula in consiliis est observanda; prima quidem ut divina præponantur humanis, cum *obedire oporteat Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29). Si quis ergo navim rei publicæ tanquam bonus gubernator regere feliciter disponit et exoptat, optima Domini consilia, quæ in sacris eloquiis sunt propalata, non negligenter custodiat. Secunda vero consiliorum est regula, quatenus providus rector non tam in suo quam in suorum prudentissimorum innitatur consilio. Unde illa Antonini imperatoris præcipua semper in consiliis fuit sententia: Æquius est ut ego tot et talium amicorum consilium sequar, quam ut tot et tales amici meam unius voluntatem sequantur. Salomone quoque hoc ipsum attestante, qui ait: *Dissipantur cogitationes ubi non est consilium: ubi vero plurimi sunt consiliarii, confirmantur* (*Prov.* XV, 22), et erit salus ubi multa consilia sunt (*Prov.* XI, 14). Nam prudens prudentes in consilium vocat, et sine eorum consilio nihil facit. Stultus vero in semetipso cogitat, et quod sine consilio aliorum cito vult facit. Porro tertia norma in consiliis est obtinenda, ne bonus rector dolosos et perniciosos habeat. Quis enim debet in consiliis malignantium confidere? Nam sicut vallis per campos, et laquei in plateis, et pedicæ ubi non putantur, pedes aliorum retinent, ita impiorum consilia felle nequitiæ permixta justos et sanctos in itineribus male impediunt. Sicut enim boni consiliarii sursum rem erigunt publicam, sic mali ruinosa calamitate præcipitant. Tales ergo repudiandi sunt consiliarii atque omnimodis detestandi; quia nunquam erga principem terrenum devoti erunt, qui Dei præcepta male vivendo con-

temnunt. Qui enim possunt esse boni, qui sibi sunt A mali?

Sed sicut omnipotentis Dei saluberrima divulganda sunt consilia atque præcepta, ita nonnunquam prudentium rectorum hostibus sunt occultanda consilia. Siquidem in re publica nulla sunt meliora consilia, quam alia quæ ignoraverit adversarius. Etenim securum iter agitur, quod agendum hostes minime suspicantur. Duo vero maxime contraria sunt consilio, festinatio et ira. Nam ira obcæcat animum ne utile videat consilium, et quomodo longa consilia plerumque *non* labuntur. Tunc autem præcipue consilium ad prosperitatis eventum perducitur, cum regia fiducia in Omnipotentis auxilio figitur. Unde vero post Deum bona prodeunt consilia nisi a fidelibus et optimis amicis, qui promerentur superna illustrari B gratia, ut non errent in consilio? Quorum provida deliberatione, divina inspirante clementia, sæpe salubris consilii botrus carpitur. Absit vero ut crudeles tyrannos tanquam infestos dracones bonus habeat princeps amicos, quod pantheris exemplo animalis astruitur. Siquidem panther, genus quadrupedis, est ut physici perhibent omnium animalium amicus, excepto dracone. Illorum itaque amicitiam habeat, quos probos esse cognoscit. Qui sunt autem boni amici? nisi illi qui sunt sancti ac venerabiles, non malitiosi, non furaces, non factiosi, non callidi, non ad malum consentientes, non bonorum inimici, non libidinosi, neque crudeles, non circumventores sui principis; sed sancti, continentes, religiosi, amatores principis sui, et qui de illo nec ipsi rident, nec C risui esse volunt, qui neque mentiuntur, neque fingunt, et nunquam decipiunt; sed veraces, sobrii, prudentes atque in omnibus suo principi fideles. Talibus itaque personis salva efficitur res publica, piique regnatoris fama crescit et gloria.

Absque gubernaculo navis ceu nutat in alto
Fluctibus, ac tumidis tunditur illa notis,
Gloria sic regni præclaraque sceptra labascunt,
In pessumque cadunt, heu! sine consilio.
Nam sunt nonnulli quorum fit mellea lingua,
Aspidis at subtus tetra venena latent.
Qui delenificiis persuadent omnia verbis,
Quorum sermo strepit subdola ceu fovea.
Horum consilio res publica fulta videtur
. . . . . .
Ob hoc consilii prædulcem carpere botrum
Cum submersa ruat o miseranda nimis!
. . . . . .
Jam decet excelsum qui tenet imperium.
Dorcades ut vigili montis de vertice visu
Quo cito transfugiant cuncta pericla notant,
Sic adversa cavet speculari lumine mentis
Dux bonus arte bona consiliisque probis.
Ceu margaritum bibulis prænobile conchis,
Quomodo dulcifluo mel legiturque favo,
Sic et amicorum puro de fonte legendum
Et decet et prodest utile consilium.
Verus amicitiæ custos sine felle probatur,
Cui placet omne bonum, displicet omne malum.
Est est qui vere, seu non non dicere norit,
Cui cor secretum consonat atque pium.
Olli firma fides vita fit charior ipsa,
Nescit arundineas texere mente strophas.
Non illum nutare facit clangorque tubarum,
Anchora nam stabili corde manet fidei.
Talem non gazæ, non auri pondera norunt
Fallere, ne læsa sit pretiosa fides.

CAP. VII.

Nunc autem ordo exposcit ut de malis etiam principibus aliqua nos breviter perstringamus, quoniam de bonis quædam utilia sceptris, quæ rei publicæ necessaria diximus. Ubi primo quæritur quæ causa etiam ex bonis malos principes faciat? Ad quod di cendum: Jam primum regalis licentia, deinde rerum B copia, cum ipsa abundantia rerum causa malorum fiat. Amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi avarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, per quos omnes etiam in illo dominatore qui videbatur bonus esse nascitur oblivio mandatorum Dei. Postremo, quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia. Hinc colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum imperatorem seu regem capiunt. Dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non novit; cogitur hoc tantum quod illi loquuntur, facit judices quos fieri non oportet, amovet a re publica quos debeat obtinere. Unde etiam venditur bonus et cautus et optimus imperator, qui eo ipso miser efficitur cum C apud ipsum vera reticeantur. Hinc sæpe tumultuosa indisciplinatione et Dei cultrix pietas et veritas opprimitur, cum multum derogatio prævaleat quando derogatores creduntur fide digni, quos gemina pestis corrumpit acerbissima, amor videlicet falsitatis et odium veritatis.

Quam præcipitans turbo regentes
Subvertit nimium copia rerum!
Qui primumque boni regimine clarent,
Fiunt sæpe mali fine profano.
Sacris qui fuerant moribus aurum,
Mox plumbo similes viliter horrent.
Et qui vitis erant ubere læti,
Agrescunt veluti spreta labrusca.
Incautum dominum mente strophosa
D Fallunt præcupidi sic et amici.
Multis inde dolis optimus ille
Anceps fit titubans sicut arundo,
Ignoratque miser figmina falsi,
Nec lucent domino lumina veri.
Nam cæcant oculos regis honores,
Aurum, divitiæ, nubila, mendæ,
Vultus feminei blanda voluptas,
Chari falsidici, pompa, potestas.

CAP. VIII.

Modo consequens esse videtur quatenus de impiis rectoribus nos disseramus, ut agnita illorum malitia et pessimo in hoc sæculo fine, perpetua quadam ratione, qui prudens est rector a malis operibus se ab-

stinendo cautior et melior fiat, atque summo benefactori placere magnopere procuret. Quid sunt autem impii reges, nisi majores terrarum latrones, feroces ut leones, rabidi ut ursi? sicut scriptum est de illo: *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem* (*Prov.* XXVIII, 15). Rex siquidem impius tanquam leonis personam habens ad omne responsum acriter verbum nequam sine prudentium consilio cum omni malitia profert, bonos humilians malosque exaltans; cujus dies abbreviantur, et ejus memoria cum sonitu peribit. Peccavit enim plus quam potuit. Tales itaque sunt amici malorum, inimici bonorum, servi libidinis et avaritiæ, servi totius nequitiæ, ministri diaboli, semper laborantes ac nihil facientes, gurgites humani generis, miseriæ, pabula æternæ gehennæ, ut cedrus subito exaltati, sed in profunda tartari præcipitati. Hinc Psalmista dicit: *Vidi impium superexaltatum et elevatum ut cedros Libani, et transivi et ecce non erat, et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Psal.* XXXVI, 35, 36). Florent enim sicut olera et fenum agri, quod hodie cum speciositate oritur, et in crastino arescens non reperitur. De quibus per prophetam dicitur: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego ignoravi; qui neque recte et regia via sciunt seu volunt incedere, sed ad dexteram sinistramque norunt declinare. Quibus competit illud quod per Isaiam Dominus loquitur dicens: Dereliquerunt Dominum sabaoth, et ambulaverunt per vias distortas (*Isa.* I, 4). Dolosi in consiliis, atroces et mendosi in verbis, maligni in operibus, quorum finis erit secundum opera eorum. De quibus per eumdem prophetam dicitur: *Dominus exercituum cogitavit, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret inclytos terræ* (*Isa.* XXIII, 9). Sed et beatus Job: *Laus*, inquit, *imperium brevis est, et gloria hypocritæ est instar puncti* (*Job* XX, 5). Hæc etenim vita temporalis in comparatione æternitatis minimo puncto comparatur. Væ autem illis qui pro parvo puncto præsentis felicitatis vendunt gloriam æternæ beatitudinis!

Quanta vero vel eosdem subditos mala vel ipsos rectores ultio divina consequatur, non est nostræ facultatis enarrare; sed pauca de multis placet in manifestum propalare. Regis Pharaonis impietas, quæ ex cordis duritia inoleverat, sibi suisque Ægyptiis decem plagas intulit, atque insuper Rubro mari tartareique Acherontis imo ipsum suosque submersit. Antiochum et Herodem ac Pontium Pilatum, quis nescit quanta districti judicis ultio perculit? Quid dicam de Nerone, Ægea, et impiissimo Juliano, aliisque eorum in nequitia consimilibus? Nonne omnes cum suis sequacibus post mortem pessimam os inferni devoravit? Sed ut innumeros præteream, Theodorici crudelissimi regis de hoc sæculo exitum infelicem explicabo, qui cum esset Arianæ sectator invidiæ, ac bonorum insecutor Christianorum, postremo, sicuti cuidam viro revelatum fuerat, inter dapsilem papam et Symmachum patricium discinctus atque discalciatus et vinctis manibus deductus, in Vulcani ollam jactatus est. Nam quia Joannem papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis in ignem immissus apparuit, quos in hac vita injuste judicavit. O quam districta et justa sunt Omnipotentis judicia! cujus disponente nutu digna ultio immitem secuta est tyrannum. Nam qui servis Domini injuste transitoriam mortem intulit, duplici morte corporis et animæ juste deperit. Qui alios præsenti vita spoliaverat, ipse tam momentanea quam æterna vita spoliatus fuit. Idem itaque geminum peregit ministerium; nam sibi gehennæ supplicium ubi cruciabitur in sæcula sæculorum, sanctis vero supernæ gloriæ palmam administravit. Injuste judicati fiunt repente coronati, atque judices a Domino in crudelem tyrannum transmissi. At vero injuste judicans fit subito judicatus, atque æternæ damnationis flammis addictus. Qua in re nimis terribile exemplum proponitur, ne terræ potentes servos Domini persequantur, quos valido virtutis suæ brachio Deus omnipotens ulciscitur. Sed hæc de reprobis dicta sint rectoribus. Nunc ad potiora stylo consequenti transeamus.

Reges terræ quos male gesta
Dedecorant, similesne videntur
Apris, ursis tigridibusque?
Hi majores suntne latrones
Terrigenum, rabidive leones,
Unguibus accipitresque rapaces?
Contigit Antiocho et Pharaoni,
Herodi miseroque Pilato
Momentanea perdere regna,
Cum sociis Acheronta subire.
Sic semper reprobos mala damna
Affligunt nimis hic et in ævum.
Quid floretis tempora proles
Ardentes ostroque decori,
Quos exspectat clibanum ignis,
Quem nec lædet roscidus imber?
Qui Dominum lucis nec amatis,
In tenebras vos exteriores
Ibitis; illic gloria vestra
Arens marcebit sine fine.
Justos vero celsa corona
Glorificabit luxque beata.

CAP. IX.

Septem speciosiora sunt aliis creaturis Dei, ut sapientes ferunt, cœlum innubiale quando argenteo colori mirabili similitudine comparatur; sol in virtute sua, quando reciprocis cursibus in splendore gloriæ suæ habitatores mundi illuminat; luna in integritate nudataque facie nubibus recedentibus, quando proprio cursu solis vestigia investigat; ager fructuosus, quando diversis floribus nodisque crispantibus depingitur; varietas maris, quando serenitas cœli nubiumque placidis fluctibus in littoribus pulcherrime ostenditur; chorus justorum in una fide habitantium; rex pacificus in gloria regni sui,

quando in aula regia ostensis muneribus donisque traditis multa beneficia præstat. Rex etenim justus et pacificus læta facie bona dividit, et uniuscujusque causam diligenter meditatur, et infirmos et pauperes populi non despiciens, cum seniorum et prudentiorum consilio et judicio vera judicia loquitur, malos humilians bonosque exaltans. Dies ejus cum gloria extendentur, et ejus memoria in æternum manebit. Princeps pacificus tanquam floridus et fertilis est in proximo paradisus, et quasi vinea honesta copioso abundans fructu, omnem a splendore conspectus sui conturbans discordiam, qui dum pacem in aula suæ mentis amplectitur, procul dubio mansionem præparat Christo, quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit. Porro ubi pax est, in disputationibus veritas, et in operibus justitia invenitur. Sicut ergo providus gubernator procellosi maris pericula arridente temporis serenitate evadere nititur, sic rector pacificus serena mentis tranquillitate ac pacis concordia impetus discordiarum sedula deliberatione compescere meditatur. Quem trinam pacis regulam conservare oportet, hoc est: supra se, in se, juxta se; quia erga Deum, et in se ipso, et circa proximos debet esse pacificus. Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo melius inveniri. Fructus autem pacificæ mentis est, erga subjectos et amicos benignam ostendere misericordiam simul et clementiam, quibus virtutibus tam pius regnator quam ejus regnum gloriose conservatur; testante Salomone, qui ait: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus ejus* (*Prov.* xx, 28). Non enim quidquam est quod bonum rectorem melius populo favorabilem atque amabilem commendet, quam clementia et pacifica serenitas.

Hæc, ut alios causa brevitatis omittam, Augustum Cæsarem fecit celeberrimum; hæc Antoninos, magnum quoque Constantinum, Theodosios cæterosque magnificos principes sublimiter beatificavit. Eadem quoque magnum Carolum inter cætera virtutum insignia in sacratissimum præ cæteris terrarum principibus Augustum dedicavit. Hæc Ludovicum piissimum adordinavit imperatorem. Et quid plura referam? Certe serenissima pietatis clementia gloriosos principes et glorificavit in terra, et consortes sanctorum collocavit in cœlo. Quippe qui non solum sua, sed et totos semetipsos Omnipotenti dederunt. Nihil autem ab justo et pio rege donandum est, nisi quod sit beneficium. Beneficium autem si ad aliquam mercedis remunerationem in hoc sæculo refertur, interit atque finitur. Nec enim possumus id habere integrum, cujus pretium nobis persolutum est. Unde non tam beneficium, sed potius commercium dicenda est talis largitio. Danda sunt vero beneficia, quæ data boni principis famam pietatemque et justitiam non lædunt, juxta dignitates personarum et utilitates rerum, non secundum cupiditates accipientium, qui facile sibimet denegant; quia quod difficile aut impossibile est, improbe atque atrociter exposcunt. Unde Nerva imperator dicebat: Amici cum se mereri omnia præsumunt, si quidquam non extorserint, atrociores fiunt. In omnibus itaque largitionibus temporalibus servanda est mensura rectaque in donatione intentio, ut pro salute rei publicæ et sanctæ utilitate Ecclesiæ proque cœlestis indeptione gloriæ bonis melioribus optimis cuncta per sereni principis munificentiam distribuantur.

Conditor supernus orbis imperator omnium
Ipse cuncta quæ creavit pulchra fecit artifex.
Inter hæc creata, septem pulchriora præeminent,
Picta cœli sphæra lucis emicante gratia,
Alma solis inter astra candidansque gloria,
Ac referta post bicorne luna stemma lumine,
Fructuosus et virescens hortus flore germinum,
Thetyos serenitas quæ visa mulcet omnium,
Sanctus et chorus piorum te Deum colentium,
Gloriosus atque rector optimus per omnia,
Liberalis et serenus sanctitate præditus,
Æquitate, puritate cordis ille præminet,
Quem tremit superbaque reprobum celsitas,
Qui bonos honorat sponte largitate regia.
Pacifer et beatus ille fit sicuti vinea,
Trinitatis est imago digna sorte cœlitum.

CAP. X.

Sed inter hæc aliud quod est sciendum, quoniam ut sapientes perhibent, sunt octo columnæ quæ fortiter regnum justi regis sustentant. Prima columna veritas est in omnibus rebus regalibus. Secunda columna patientia in omni negotio. Tertia, largitas in muneribus. Quarta, persuasibilitas seu affabilitas in verbis. Quinta, malorum correctio atque contritio. Sexta, bonorum amicitia atque exaltatio. Septima columna levitas tributi in populos. Octava, æquitas judicii inter divites et pauperes. Hæ sunt itaque octo columnæ quæ regnum justi principis et in hoc sæculo stabilitant atque ad æternæ stabilitatem gloriæ perducunt.

Fabrica nulla tenet stabilem per tempora formam,
Si non fulturis nixa sit illa suis.
Nec stabilire queunt splendentia lumine templa,
Aula nec et regum his sine firma potest.
Justi rectoris propriis sic stare columnis
Publica res poscit propitiante Deo.
Prima columna micat veri speciosa decore.
At patiens regimen rite secunda tenet.
Tertia largiflua meritis dat munera dextra.
Quartaque blandiloquax dulcia verba sonat.
Quinta malos reprimit, miro zeloque coruscat.
Gaudet sexta potens magnificare bonos.
Septima clementer populi levigatque tributum.
Ast octava regit justitiæ trutinam.
Nititur his solidis res publica fulta columnis,
Sicuti mons Sion his stabilisque manet.

CAP. XI.

Cum itaque his octo columnis regiæ potestatis eminentia fulciatur, decet amabilem Deo rectorem causam sui personalem utilitatibus postponere ec-

clesiasticis, ut in quantum memor est beneficiorum Dei quæ illi superna gratia concessit, in tantum beneficii largitorem honoret. Tunc vero honorare Altissimum bonus princeps cognoscitur, cum illorum qui laborant in agro Dominico, tanquam magni regis dispensator, adjutor et protector efficitur. Certum namque est quod tanto propitius causas terreni principis Omnipotens sua pietate disponet, quanto de sua, sanctæ videlicet Ecclesiæ, causa illum sollicitum esse viderit. Itaque providus rector studeat facere quæ Deo sunt beneplacita, si ipse desiderat ut Deus faciat quæ sunt illi prospera et gloriosa. Isque diligenti cura solerter provideat quatenus synodales conventus per singulos annos bis vel ter fieri jubeat, ut quod ad verum Dei cultum pertinet, quod ad ecclesiarum ipsius reverentiam, et ad honorem pertinere cognoscitur sacerdotum, vel quid contra mandata Domini gestum sit, in ipso reverendo atque unanimo discutiatur conventu, ut quidquid bene actum sit, corroboretur; si qua vero sunt male gesta, in melius corrigantur. Ubi et ipsi præpositi oportet ut investigentur qualiter suis ministeriis funganter, vel quomodo plebem sibi commissam tam cœlesti informent doctrina, quam sanctæ conversationis imbuant exemplo. Quæ omnia si cum pacis unanimitate et canonica justitia subtiliter pertractentur, fructuosa utilitas sanctæ Ecclesiæ gignitur, ac reverendi rectoris, cujus benevola deliberatione scilicet et auctoritate hæc aguntur, magni seminarium propagatur meriti.

Nam pretiosa religiosi principis est corona sanctum episcoporum concilium, in quo famosissimus magnus videlicet Constantinus imperator exsultans in Domino gloriabatur, qui collectos ex omnibus fere gentibus quæ sub cœlo sunt, quibus Christi prædicatum erat Evangelium, viros sacratissimos plus quam trecentos episcopos tam doctrina quam miraculis coruscantes, propter catholicæ discussionem fidei in unum, hoc est Nicænum, congregavit concilium. Unde et hic huc usque mos Christianus inolevit, ut apud omnes orthodoxos Ecclesiarum principes synodales fieri conventus decernatur, propter necessarias sanctæ Ecclesiæ utilitates, quæ non nisi synodalibus investigari conciliis atque canonicis definiri sanctionibus debent. Unde cautum et humilem et valde circumspectum oportet esse regem; nec quidquam de negotiis ecclesiasticis judicare præsumat, antequam synodalia statuta cognoscat. Siquidem ecclesiastica judicia valde sunt coram Deo periculosa, nisi cum maxima proferantur justitia; præcipue si per calumniosos accusatores et mendosos testes, qui innocentes sunt examinentur absentes, quod est Christianitatis alienum. Unde et illud in Evangelio legitur: *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat?* (*Joan.* VII, 51.) Pius itaque rector tanquam luminosa pupilla primo quod justum et legitimum est secundum canonicas sanctorum episcoporum sanctiones perspicaciter attendat; dehinc consensum atque auctoritatis adminiculum his quæ sunt vera et justa adhibeat. Per se vero nullatenus de talibus præjudicium faciat, ne forte errando ante conspectum Domini culpam aliquam detestabilem incurrat.

Unde venerabilis memoriæ Valentinianus imperator cum a sanctis episcopis rogaretur quatenus dignaretur ad emendationem sacri dogmatis interesse, Mihi, inquit, cum minimus de populo sim, fas non est talia perscrutari; verum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur ubi voluerint. Et hæc quidem dicebat imperator tam virtute humilitatis præditus quam Dei timore munitus, ne forte offenderet Altissimum si suam propriam prætulisset potioribus sententiam. Hoc ipsum fecit, ut prædixi, magnificus et sapientissimus imperator Constantinus, non in sua, sed in sanctorum prudentia sapientiaque episcoporum confidens. Hoc beatus Jovinianus Deo amabilis princeps fide inconcussa servavit; qui dum hostis esset Arianæ perfidiæ atque sectator Nicæni decretorum concilii, ex momentaneo terrestris imperii fastigio æterni sibi gloriam regni comparavit. Quid referam de duobus sacratissimis divina præstante gratia imperatoribus Theodosiis? qui in tantum Omnipotenti placuerunt, ut regias purpuras, sceptra quoque et apicem imperatoriæ dignitatis divinis præceptis et canonicis institutis Domino inspirante subderent, ac pium zelum erga Dei ecclesias indefessa charitate semper haberent. Unde illos universorum Dominus sublimavit in terris, et post præsentis gloriam felicitatis tanquam dilectos sibi ministros in æternum beatificat in cœlis. Sed si quis est tantorum æmulus gloriæ principum, si quis Christianus rector feliciter et gloriose in hoc sæculo regnare desiderat, et ad palmam sempiternæ beatitudinis pervenire contendit, illorum fidelissimam erga cultum Omnipotentis imitetur devotionem, seque benevolum, clementem, in judiciis districtum, in cordis humilitate mansuetum, in visceribus misericordiæ compatientem, in largitate munificum, in zelo qui secundum Deum est fulmineum circa Dei Ecclesiam solerter exhibeat, si consortio supernorum civium cum sanctis et justis rectoribus regnare perenniter procurat.

Princeps magnificus quem Deus extulit
Ut præsit populo sceptriger inclytus,
Debet Celsithrono se bene subdere,
Cedros qui Libani conditor edidit,
Montes qui superos vertice sublevat,
Qui gemmare facit ruraque floribus,
Pinxit quique polos sideribus pater,
Qui cœli cherubim rex supereminet.
Reges terrigenas malignos is ordinat.
Oh hoc provideat rector honoribus
Excellens superis quos Deus attulit,
Olli quo placeat qui regit omnia,
Regnum qui tribuit maximus arbiter.
Illum magnificat quisquis eum colit,

Verbo, corde pio, regimine, moribus.
Christi quique volens Ecclesiæ favet,
Servator canonum, ductor et optimus
Claret justitiæ stemmate fulgidus
Rex est jure sacer qui sacra dogmata
Ac decreta Patrum servat in omnibus.
Illum clarificat pontificum chorus,
Ceu gemmæ radiant in diademate,
Ut campum decorant violæ ac lilia,
Illustrantque polum fulgida sidera.

CAP. XII.

Oportet autem modestum dominatorem pondere humilitatis et obedientiæ virtute fieri præditum, ut virtutes humilitatem videlicet atque obedientiam, quam ipse in subjectis diligit, in se ipso recognoscat. Itaque si contigerit ut a prudentibus reprehendatur, se quidem reprehensibilem esse acriter doleat, ac protinus ad pœnitentiæ medicamenta currere festinet; et qui libenter peccaverat, virgam correctionis libenter atque gratanter accipiat; et priusquam Creator manum suam ad feriendum excutiat, de correctione commissi sceleris summopere studeat, ne tam postmodum acrius destrictus judex feriat, quantum diutius et clementer exspectat. Præoccupet faciem Domini in confessione, si quis regni gubernator in abscondito peccavit vel publico. Quomodo de sancto rege et propheta David legitur, qui cum post stuprum Bersabee et homicidium commissum in Uriam Hethæum per Nathan reprehenderetur prophetam, non erat reprehensori indignatus, sed sibimet, recognoscens suum peccatum, jam fuerat iratus; et qui post culpam hilarescebat perpetratam, se ipsum per amaram deflevit pœnitentiam. Hinc lacrymis veniam promeruit qui coram Domino gravia scelera commisit, et ex fonte lacrymarum venit ad manipulum gaudiorum, sicut ipse alibi dicit: *Qui seminant in lacrymis, in* exsultatione *metent*, et reliqua. (*Psal.* CXXV, 5.)

Sed et illud quod de gloriosi principis Theodosii admiranda humilitate atque pœnitentia traditur, nec prætereundum esse videtur, qui cum post injustam multorum millium necem Mediolanum venisset, et solemniter in sacrum voluisset intrare templum, ei sanctus Ambrosius hujusmodi cladem, plenam valde gemitibus, audiens occurrit foris ad januas, et ingredientem his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit: Nescis, imperator, perpetratæ a te necis quanta sit magnitudo? Neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendes de quibus adhuc sanguis stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Dei corpus? Qua præsumptione ore tuo poculum pretiosi sanguinis percipies, dum furore sermonum tantus injuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum quo te omnium Dominus nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis.

His sermonibus obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus, et aperte sciens quæ sunt propria sacerdotum, quæ regum), gemens et deflens ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuo transissent tempora, propinquavit nativitatis Salvatoris nostri festivitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus tunc magister, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns principem in lamentatione prostratum, accessit ut lacrymarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens et vehementius lacrymas fundens, Tu, inquit, Rufine, ludis et mala mea non sentis; ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia quidem servis et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum libenter exorant, mihi vero ingressus non est ad eum. Insuper etiam clausi sunt cœli. Hæc dicens, verba singula singultibus irrumpebat. Quem cum idem Rufinus beato reconciliare Ambrosio persuaderet, neque tamen potuisset, hæc imperator in media jam platea cognoscens, Pergo, inquit, et justas in facie suscipio contumelias.

Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non præsumpsit intrare, sed veniens ad antistitem, et inveniens eum in salutatorio residentem, supplicabat ut ejus vincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat ejus præsentiam, et contra Deum vesanire Theodosium, ejusque calcare leges. Verum imperator, Non, inquit, insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo, sed te solvere vincula mea deposco, et communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi januam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes, Quam, inquit, pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti? At imperator, Tuum, inquit, opus est et docere et medicamina temperare, meum vero oblata suscipere. Quibus verbis imperatoris auditis, quæ illius humilitatem atque ipsum spontaneam pœnitentiæ suscipere afflictionem monstrabant, sanctus Ambrosius salutarem ei medicinam tantorum vulnerum apposuit, qua percepta imperator magnas gratias referebat. Tali ergo tantaque et præsu. et imperator virtute clarescebant, quorum opus valde fuit admirabile, illius fiducia, hujus obedientia, illius zeli fervor, hujus autem fidei puritas. Porro regulas pietatis quas a magno sacerdote percepit, etiam reversus in Constantinopolitanam urbem servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altari muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius præsul ecclesiæ mandasset cur intus stare noluisset, mandavit princeps: Vix, inquit, potui discere quæ differentia sit imperatoris et sacerdotis; vix enim veritatis inveni magistrum; Ambrosium namque solum novi vocari digne ponti-

ficem. Tantum itaque prodest increpatio a viro virtutis prolata!

Unde perspicuum est quod decet bonos et pios rectores salubres antistitum, quasi spiritualium medicorum, humiliter et libenter auscultare correctiones, testante Salomone, qui ait: *Inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem* (*Prov.* xxv, 12). Melius est enim a sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi. Nam si nostrorum vulnera corporum a medicis sanari vehementer desideramus, et in præsentia medicorum eadem ostendere non erubescimus, et in dolore medicinæ spe salutis oblectamur, quanto magis de vulneribus et plagis animarum nostrarum nos majorem habere curam oportet, quousque spiritualis medicus, quamvis acerrimam medelam adhibeat, per quam spes certa nostræ sanationis fiat? Sicut enim scalpellus medici non ob hoc malus est quod resecet vulnera et putridas amputet carnes, sic et correctio salubris.

Quam lux rutilo nova cœlo
Fit grata habitantibus orbem
Post nubila hoctis opacæ
Phœbi radiante corona;
Quam ros sitientibus arvis
Post torrida caumata Cancri,
Boreæ post frigora sæva
Ver florigerumque serenum;
Sic præveniente piaclo
Animæ fit chara medela.
Morbis medicantur anhelis
Jam quisque salubribus herbis
Tulerint quo corporis ægra.
Cura vigilante sagaci
Famulæ si tanta rependunt
Fragili medicamina carni:
Cur non potior medicina
Dominam medicatur honoram,
Simulando jura creantis
Animam deitate beandam?
Quis vulnera tollere culpæ
Medico potest sine docto?
Caveant igitur dominantes;
Vitiis si mente labascunt;
Adeant medicosque peritos,
Christi pietate ministros
Quis discant subdere colla,
Qui possunt pellere morbos
Oleo vinoque salubri.
Nec non cœlestibus herbis
Paradisi flore creatis
Exstinguunt dira venena.
Revocant animas et ab imis
Verbo virgaque potenti,
Quas sancta cœlitus arte
Revehunt ad pascua vitæ.

CAP. XIII.

Non est facile hominibus universas vitare hostis insidias. Nam dum quispiam libidinis effugerit passionem, incurrit in avaritiam; qua declinata, invidiæ fovea præparatur; hanc si transcenderit, vitium furoris incurrit, et alios plurimos laqueos ponit inimicus, quo capere possit incautos. Et corpus quidem passiones habet facile ministrantes, ut animam possit occidere; sed mens divino solatio vigilans machinationum ejus destruit argumenta. Humanam naturam participatus Theodosius præfatus imperator habuit passionum quoque communionem, justoque furori immensam permiscens crudelitatem, injustam operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium est propter utilitatem legentium [a]: Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua dum fuisset orta seditio, quidam judicum lapidati sunt atque tracti. Hinc indignatus Theodosius non refrenavit infirmitatem iracundiæ, sed jussit injustos gladios super omnes evaginari, et una cum nocentibus innocentes interimi. Septem millia etenim hominum, sicut fertur, occisi sunt, non præcedente judicio, sed tanquam in messibus omnes simul incisi sunt. Quam ob rem, ut diximus, beatus Ambrosius præfatum imperatorem sancto zelo succensus graviter redarguit, ac furorem principis irrationabilem et scelus nefandum severa invectione detestatus fuit.

Unde bonus et prudens rei publicæ gubernator aptum est ut illud præcaveat, ne dum suam suorumve injuriam ulcisci supra modum disponit, irrationabilis reatum furoris incidat; sed propriam iram refrenare non negligat, et justi furoris stimulos affectu pietatis removeat, ne forte si plus justo desæviat in subjectos, incurrat rabiem leoninæ ferocitatis. Unde scriptum est: *Noli esse sicut leo in domo tua, subvertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi* (*Eccli.* iv, 35). Nam sicut debellare superbos, ita et parcere subjectis, justum et misericordem dominum oportet. Unde et Antoninus imperator dicebat malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. In corrigendis itaque criminibus miscenda est lenitas cum severitate; faciendum ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Nec ulla correctionis seu vindictæ habeat modum, nisi recte præcedat judicium. Nec decet serenum rectorem furore iracundiæ, tanquam felle amaritudinis, esse perturbatum, si justum vult proferre judicium, cum nimis irascentium cæca sint judicia. Non enim potest serenum lumen justitiæ ac veritatis cernere, qui caligine obnubilatur iracundiæ. Opponatur itaque fortis patientiæ clypeus, contra irrationabilis impetum furoris. Nam, sicut scriptum est, *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* (*Prov.* xvi, 32). Fortior enim est qui

[a] Sumitur sequens narratio ex Theodoreti Historia, lib. v, cap. 17, 18, ut ex capitulo ejusdem 19 derivata fuerunt quæ noster dixit de Placilla, cap. 5.

violentiam et in se ipso inclusam feram superat iracundiam, quam qui leonem perimit.

Quanta vero mala per subitaneum furorem et impatientiæ vitium eveniant, quis explicare potest? Rex Saul, furoris impetum non refrenans, immani sævitia sacerdotes Domini trucidavit. Salomon quoque quamvis splendore sapientiæ fuerat illuminatus, tamen furoris passione repletus, suum fratrem interfici præcepit, pietatem tyrannidi postponens. Quid referam de reprobis Judæis? qui dum zelum, sed non secundum scientiam habuerunt, in Filium Dei et sanctos ejus discipulos homicidæ exstiterunt. At patientis virtute mansuetudinis sanctus David præditus, etiam inimicis suis sæpe pietatis affectu pepercit; nonnunquam vero Dei zelo stimulatus inimicos Domini usque ad mortis exitium protrivit. Decet enim dilectum Deo principem contra hostes et blasphemos Christiani nominis fulmineum frequenter habere zelum. Nam si Nabuchodonosor rex alienigena, ne blasphemaretur Deus Israel in tantum sævit, ut tale decretum firmaret dicens: Quicunque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Misac et Abdenago, ipsi in interitum erunt, et domus eorum in perditionem (*Dan.* III, 96); quanto magis orthodoxos rectores contra inimicos Christianæ fidei et doctrinæ atque religionis zelare oportet? quatenus Omnipotenti, cujus ministri gratia sunt ordinati, tanto magis placeant, quanto ferventius ea quæ Christi sunt, laudabili zelo satagere anhelant.

Post inclytos labores
Ac laurea tropæa,
Toga candente pacis,
Et regia corona
Lectis micante gemmis
Auroque compta flavo;
Cum purpura coruscat,
Aulæ decorus ordo,
Feliciter regentem
Cum sors beata comat,
Quam sæpe mentis aulam
Perturbat ira præceps,
Ac zelus ardet intus
Cæco furore cretus!
Ænea fervet olla
Nec sic furens in astra,
Ceu principis severa
Cor sævit ut lesena.
Nolens modum tenere
Infecta mens veneno.
Misceatur ergo menti,
Flagransque odore pacis
Dux fiat, ac serenus
Grato nitente vultu.
Nec judicans sit ante
Quam veritas patescat.
Nam notione nocte
Cor splendet ut lucerna.

CAP. XIV.

Sed dum boni rectores fastum superbiæ tyrannidis in adversariis debellare student, non in se nec in suorum fortitudine, sed in Altissimi virtute et gratia totam confidentiam stabilire debent, quia ipse est solus et potens protector omnium in ipso fiducialiter sperantium. Unde per Psalmistam dicitur: *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII, 9); *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (*Ibid.* v. 8). Et alibi: *Nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Exiet spiritus ejus et revertetur in terram suam.* Et reliqua (*Psal.* CXLV, 3, 4). Cui etiam Jeremias concinit dicens: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te, in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum* (*Jerem.* XVII, 13). *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* Et reliqua (*Ibid.*, v. 5). Nullus ergo debet confidere in homine, aut præsumere quod nullus ei possit resistere. Præsumebat et silurus piscis quod hamum sibi nemo jaceret, nemo tenderet retia; et si incidisset, omnia disrumperet, et tamen fuscinam [a] non evasit. Quod si quis singulari fortitudine excellens ob hoc singulos non timeat, idem multos necesse est ut caveat. Nam qui ab uno vinci non potest, interdum a multis vincitur. Elephas grandis est, et occiditur; leo fortis est, tigris fortis est, et occiditur. Prudentis autem rectoris est etiam metuere vel præcavere inferiores, cum sæpe ab inferioribus superiores superentur. Quam immanis est crocodilus et dentibus atque unguibus intolerabilis! qui tamen ab enideo bestiola ventre perimitur. Monoceron elephantem cornu perforat. Formidabilis elephantus murem timet. Leo rex ferarum exiguo scorpionis aculeo occiditur. Nemo itaque in suis viribus temere præsumat.

Sed ne quis in suorum fortitudine ac numerosi-

[a] Piscatorium instrumentum fuscina est, bidens aut tridens, qua velociter et perite vibrata confixi pisces capiuntur. Id ex veterum scriptis constat, et usus etiam hodiernus demonstrat. Nam et ego autumnalibus feriis in Circæa palude ad Luculli villam jacta fuscina breve piscibus bellum intuli. Hinc, ut pote deus marinus, tridentem fuscinam gestat Neptunus, eique ipsam sub pedibus sternit Martianus Capella; quo loco, doctus alioqui vir Caylusius ridicule legit *lusciniam* pro *fuscina*. Causam hanc verissimam, cur detur Neptuno fuscina, unus fortasse inter mythographos novit Phornutus, cap. de Neptuno, quanquam et ipse immerito dubitans: *φέρει δὲ τρίαιναν, πότερον ἐπεὶ αὐτῇ χρῶναι πρὸς τὴν τῶν ἰχθύων θήραν, ἢ ὡς ἐπιτηδείου τούτου τοῦ ἀργάνου πρὸς τὴν κίνησιν τῆς γῆς*; cæteri, quod valde miror, in alias abeunt, quas piget referre explicationes, hanc unice veram, ut reor, ignorantes; veluti Servius, ad Æn. I, 138; Fulgentius, lib. I, 3; et Vaticani mythographi, Class. AA. T. III, pp. 59, 86, 183; nec non Græci auctores laudati a Munckero ad Fulgentium loc. cit. Pictores vero ac statuarii, hoc aptius, præ cæteris piscatoriis, instrumentum Neptuno distinguendo adhibent; etenim tridens, cum marinum deum denotat, tum etiam sceptri vicem gerit, et omnino decoram atque speciosam aquarum domino dignitatem conciliat.

tate confidat, Xerxes rex Persarum bellum adversus Græciam a patre susceptum per quinquennium instruxit ; qui videlicet Xerxes DCC millia armatorum de regno, et CCC millia de auxiliis, rostratas etiam mille ducentas, onerarias tria millia numero habuisse narratur ; ut merito inopinato exercitui, immensæque classi vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Sed Leonidas rex Spartanorum cum quatuor millibus hominum contra mille millia armatorum ejusdem Xerxis in bellum processit, ac, deletis Persarum copiis, victor et bello clarissimus cum suis paucis pro amore liberandæ patriæ occubuit. Xerxes vero, bello in Græcia infeliciter gesto, contemptibilis suis factus, in regia circumventus occiditur. Nam sæcularis gloriæ et incurvabilis superbiæ pedisequa est ignominia. Hinc per Salomonem dicitur : *Dominus exercituum hoc cogitavit ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ* (*Isa.* XXIII, 9).

Non ergo glorietur fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis. Nam si eruca parvusque vermiculus fortior homine est, utquid se jactat terra et cinis, et elata per superbiam, cum ex humo sit, humana contemnit ? Itaque *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31), qui arcum potentium infirmat, et infirmos robore accingit ; cujus adinventiones sunt ut superbi cadant et humiles surgant ; cui omnis potestas a Patre data est in cœlo et in terra, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. In quo si quis fiducialiter anchoram spei fixerit, misericordia circumdabitur, sicut scriptum est, *Qui sperat in Domino, sublevabitur* (*Prov.* XXIX, 25). Exspectatio justorum lætitia, Psalmista attestante, qui ait : *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit* (*Psal.* XXXI, 10). Et iterum : *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus* (*Psal.* XXXIX, 5). Quis enim speravit in Domino, et confusus est ? Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? Quis invocavit Dominum, et despectus est ? *Quoniam pius et misericors* Dominus (*Eccli.* II, 13).

Quisquis bellipotens sævis confidit in armis,
In se sive suis spem male fidus habens,
Instabili tremulans folio simulabitur ille,
Grando quod excussit, quod notus atque movet.
Cujus loricæ textura rigente metallo
Ut fragilis telæ nutat araneolæ.
Plumbeus ut pugio gladius lentescit acutus,
Nec fidus dominum protegit et clypeus.
Quem galeæ tutela premit ceu lanea cassis,
Lancea vulnipotens sicut arundo valet.
Talibus horrendus jactabat sæpe Golias,
Quem funda missus stravit ab hoste lapis.
Illum non vicit clypeus, non arma tremenda,
Nonque minax sermo profuit Allophylo.
Si leo, si tigris, perimitur, si crocodilus,
Ingens si murem trux elephasque timet ;
Ergo nec in proprii fidendum viribus ulli
Belligero, quamvis ænea membra gerat.
In Domino potius vivo spes tota locetur,
Qui regit altithronus numine regna Deus.
Qui dat et omnipotens ducibus sperare superna,
Virtutem valida vincere posse manu.

CAP. XV.

Unde si quando bellici rumores crebrescant, non tam in armis corporalibus et fortitudine confidendum, quam assiduis ad Dominum orationibus est insistendum, Deique sunt imploranda auxilia, cujus in manibus consistit salus, pax atque victoria ; qui si pia devotione invocatus fuerit, nunquam se invocantes deserit, sed eisdem misericorditer adjutor in importunitatibus assistit. Nam cum suorum electorum manus et voces ad Patrem misericordiarum elevantur, hostium ferocitas annihilatur, ac nonnunquam hostibus subitanea ignominia mortisque fovea, piis vero inopina victoria disponitur ; dum pii viam desperatæ salutis, impii autem decipulam insperatæ mortis intrant. Sed quod dicimus, evidentibus exemplis nos approbemus.

Moyses legislator cum manus suas in oratione elevabat ad Dominum, vincebat Israel ; cum paululum remittebat, vincebat Amalec. Sic et rege Ezechia non corporalibus armis pugnante, sed cum lacrymis exorante, angelus Domini centum octoginta quinque millia Assyriorum una nocte interfecit. Josaphat rex laudes Domino personabat, et Dominus pro laudante hostes superabat, ita ut converterent hostium insidias in semetipsos, vel mutuis caderent vulneribus. Israelitæ vero ingentem prædam de spoliis occisorum tollentes, ita onusti sunt ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. Quid referram de Machabæis, qui divino freti adjutorio sæpe victores fuerunt ? Unde et famosissimus ille Judas atque in bellis Domini invictissimus, ad plebem formidantem ac dicentem, *Quomodo poterimus pauci pugnare adversus multitudinem tantam et tam fortem, et nos fatigati sumus jejunio hodie ?* respondit : *Facile est concludi multos in manus paucorum ; et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis vel in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superba, ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros, et ut spolient nos ; nos vero pugnemus pro animabus nostris et legibus nostris, et ipse Dominus conteret eos ante faciem vestram. Vos autem ne timueritis eos* (*I Mach.* III, 17-22). Sicque irrumpens in hostes, contrivit eos, et victoriam accepit de inimicis suis.

Nec solum in Veteri Testamento hæc facta sunt, sed etiam in Novo his similia contigerunt. Unde historiæ tradunt quod Constantinus imperator cruce Christi pro vexillo utens, universos hostes suos superavit. Similiter et Theodosius Augustus magis orando quam bellando quosdam tyrannos eorumque exercitus prostravit ; cui Dominus tempestates, fulgura et tonitrua in auxilium contra adversarios

misit, et eos vindicta cœlesti protrivit, de quo quidam eleganter poeta [a] sic ait :

O nimis dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Quid autem mirum si per magna elementa magnus Dominus magnalia operetur, cum etiam in minutis volatilibus stupenda miracula ipse facere prædicetur? Ecclesiastica namque refert historia quod tempore Constantii imperatoris rex Persarum Sapores nomine, Nisibin civitatem, quam quidam Antiochiam Mygdoniam vocant, multis cum millibus obsidebat, cujus urbis episcopus atque rector et dux erat sanctus Jacobus apostolicæ gratiæ radiis illustratus. Per idem ergo tempus Ephraim vir mirabilis et conscriptor egregius apud Syros sacratissimo Jacobo supplicabat ut veniret ad muros, et videns barbaros, maledictionis jacula contra eos emitteret. Flexus ergo venerabilis homo ascendit in murum, et cum millia millium videret exercitus, aliam maledictionem eis non petiit, nisi sciniphes et culices, ut per parva animalia supernam virtutem potuissent agnoscere. Orationem vero secutæ sunt nebulæ sciniphum et culicum. Et elephantorum quidem proboscidas, cum sint cavæ, equorum vero aliorumque jumentorum aures simul et nares implerunt. At illi ferre vim parvorum animalium non valentes, sessores suos ductoresque excussos dorsis projecerunt, et disruptas acies confuderunt, exercitumque relinquentes, summo impetu fugiebant. Hoc modo territus imperator parvam clementemque correptionem in se cognoscens factam a Deo habente providentiam animarum eum pie colentium, suum exinde reduxit exercitum, confusionem non victoriam ex illa obsidione percipiens.

Legimus et alios sanctos viros, quos contigit aliquando cum Christiano populo in expeditionem exercitus esse, magis oratione contra hostes quam armis sæcularibus pugnasse; quomodo sanctus Germanus Antissiodorensis episcopus fecisse legitur, qui cum beato Lupo, episcopo Tricassinæ civitatis, in Britanniam ad exstirpandam Pelagianam hæresim missus fuerat, quo tempore necessitas belli Britonibus contra Pictos et Saxones imminebat, quia Picti et Saxones, confidentes in multitudine exercitus sui, Britones opprimere disponebant, quos eadem necessitas in castra contraxerat [b]. Et cum trepidi partes suas impares judicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum in tantum ut, quotidianis prædicationibus instituti, certatim populi ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit. Ecclesia ad diem resurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo, et contempto armorum præsidio, divinitatis exspectatur auxilium. Tunc Germanus ducem se prælii profitetur, eligit expeditos, et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur, quo in loco novum componit exercitum ipse dux agminis. Et jam aderat ferox multitudo hostium, quam cum appropinquare intuerentur in insidiis constituti, tunc subito Germanus signifer universos admonet, et prædicat ut voci suæ uno clamore respondeant ; securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, alleluia jam tertio repetitam sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, et elatum clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur, et super se non solum rupes circumstantes, sed etiam ipsam cœli machinam contremiscunt, trepidationique injectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites flumen quod transierant devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, et victoriæ concessæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et cœlestis palmæ gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant pontifices, hostibus fusis sine sanguine ; triumphat victoria, fide obtenta, non viribus.

His itaque et talibus exemplis evidenter ostenditur quod magis homines sanctis orationibus ac divino auxilio, quam armis sæcularibus a periculo mortis protegantur. Unde autem solatia præsentis vitæ, et defensio contra universa pericula, et victoria de hostibus maxime quærenda sit, ipse Dominus in veteri lege priorem populum instruens ita ostendit dicens : *Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluviam in temporibus suis, et terra gignet fructum suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris; dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum ex vobis decem millia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro. Gaudio respiciam vos, et crescere faciam, multiplicabimini. Et firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis : visitabo vos in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros et con-*

[a] Claudianus, de tertio Consulatu Honorii.

[b] Sumit hanc narrationem Sedulis a Constantio, antiquo S. Germani biographo, lib. I, cap. 28, quem videsis apud Surium die 31 Julii.

sumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemimini his qui oderunt vos. Fugietis, nemine persequente. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam; et percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medium vestri, et trademini in hostium manus. Et reliqua. (*Levit.* XXVI, 3-25.)

Hæc ergo licet priori populo, qui terrena bona ambiebat, per legislatorem dicta sint, tamen Christiano nunc populo convenienter aptari possunt, cui a Domino suo in præsenti tribulatione consulitur, et insuper bona futura in cœlis præmittuntur. Huic ergo optime convenit, ut mandata Domini sui servet, et totam spem suam in eo constituat, qui potens est ab omnibus adversis in se sperantes eripere, atque ad prosperitatis eventum et hic et in futuro suos electos transferre.

Ventosa cum desæviat
Euri procella perstrepens,
Altitonans de montibus
Cum nubilosa grandine,
Sylvæ ruantque protinus,
Turbetur et actus maris,
Minas et astris inferat
Ventus crepanti fulmine;
Ferit pavor mortalium
Tunc corda contrementium,
Ne sternat ira cœlitus
Propaginem terrestrium.
Quisquis sapit pericula
Vitare corde provido,
Fugit timens hæc omnia,
Tutum capessat ut locum.
Sic ingruente maximo
Adversitatum turbine
Totis petenda viribus
Cœlitonantis dextera.
Beatus ille præminet
Qui tunc volante præpete
Oratione machinam
Poli penetrat arduam!
Alas habet hæc aureas
Volucris ore lucida.
Lævam regit jejunium,
Dextram tenetque largitas.
Hanc noscit ordo cœlitum,
Gaudens salutat advenam,
Offert eamque gloriæ
Tribunal ante principis.
Votiva mentis xenia
Tunc prendit, ipsa lactea
Poli revisit climata,
Donisque omnia gratiæ.

CAP. XVI.

At vero si bene regentibus et præcepta Dei custodientibus aliqua in hoc mundo adversa contigerint, nec mox debent contristati ab eo refugere atque de ejus auxilio desperare, sed fiducialiter agere, ac de Dei bonitate pleniter confidere. Siquidem hæc transitoria vita est justo tentatio tota, in qua plus interdum nocent prospera quam adversa; quia Dei electos prospera dejiciunt, adversa vero erudiunt. Ut enim sapientes perhibent, quinque temporum varietatibus regnum terrenum consistit. Nam primum tempus laboris est, quando per fragores hostium et bella contenditur. Secundum vero quando ipsum regnum suis incrementis ut luna usque ad plenitudinem tendit. Tertium tempus est ipsius plenitudinis, quando undique ab omnibus non offenditur, sed in plenitudine gloriæ suæ tanquam plenilunii claritas nobilitatur. Quartum tempus est in quo ipsius regni sublimitas instar lunæ decrescere incipit. Porro quintum, quod est novissimum, tempus est colluctationis et contradictionis, quando rei publicæ quasi turris Siloa summa corruit, ac nullus ad ipsam rem publicam stabiliendam quidquam boni facere vult. Unde colligendum est quam mobilis et quam variabilis sit terreni regni gloria, quæ nunquam in eodem statu perseverat, sed sicut luna ut per momenta crescit in prosperis, ita et decrescit in adversis. At vero gloria sine mobilitate nequaquam in terrestri, sed in cœlesti regno invenitur. In momentanea enim hujus sæculi potestate, et confusa rerum transibilium inconstantia, quomodo sæpe ex procellis adversitatum serenitas redditur, ita in procellas serena mutantur.

Itaque si aliqua contigerint adversa, qui providus est rei publicæ gubernator, non statim talibus tempestatum turbinibus infringatur, sed e contra valida mentis fortitudine in Domino confortetur, atque Omnipotenti gratias in adversis referat, qui in prosperis successibus de Domini sui clementia grates agebat. Parum est enim quando in Dei beneficiis, quæ nobis accidunt, gratulamur. Nam et hoc gentilis facit et Judæus et publicanus et ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in iis quæ adversa putantur, referre gratias Creatori, ut in Dei præconium mens læta prorumpat, dicamusque : *Nudus* exivi *de utero matris meæ, nudus et redeam. Sicut placuit Domino, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Quoties enim aliqua tribulatio in mundo evenerit, qui boni sunt, velut vasa sancta, gratias agunt Deo qui eos castigare dignatur; illi vero qui sunt superbi, vel luxuriosi, vel cupidi, blasphemant contra Deum et murmurant dicentes : O Deus, quod tantum mali fecimus ut talia patiamur? At vero de bonis tribulatis ita in Job legitur : *Beatus homo qui corripitur a Domino! Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt* (*Job.* V, 17, 18). Nam fomentis lenibus, quibus nos Deus consolatur sæpe, sæpe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adjungit, et quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes et

cariosa vulnera adurere, cauterio non parcit; non A miseretur, ut magis misereatur.

Interdum vero plus nobis utilia sunt bella et quælibet adversa quàm pax et otium, quia pax delicatos et remissos facit ac timidos; porro bellum et mentem acuit, et præsentia quasi transeuntia contemnere persuadet. Ac sæpe superna disponente gratia dulcissimos fructus majoris pacis et concordiæ progenerat. Unde et Constantinus imperator, Suaviores, inquit, sunt amicitiæ post inimicitiarum causas ad concordiam restitutæ. Quisquis vero bonus et justus rector spirituales et carnales hostes nec non quælibet adversa vel evadere vel triumphaliter vincere desiderat, armamentis spiritualibus munitus atque ordinatus fiat, juxta Apostolum indutus lorica justitiæ, galea spei, nec non clypeo fidei protectus, B ac divini sermonis gladio coruscus emineat. His enim et talibus armis sanctos atque clarissimos terrarum reges fuisse munitos, et superasse adversarios, et ampla tropæa de hostibus retulisse, atque inclyta regna diu et feliciter gubernasse, multis Scripturarum locis sæpissime legimus. Quomodo sanctus David, ut alios causa brevitatis omittam, armis spiritualibus præditus, quia Deum verum toto corde timebat et amabat, multa evaserat pericula, atque hostes Domini digna sæpe perculit ultione.

Ut globus lunæ modo luce crescit
Ductus in sphæram radiis coruscam,
Nuncque decrescit variante motu
Corniger orbis:
Regna sic terræ bifido tenore
Gloria crescunt modo prosperante,
Nunc et adversis minuuntur ortis
Aulica sceptra.
Res quid humanas querimur fugaces
Esse ceu fumus fluviusque præceps?
Nonne sic mundi variant recursum
Hæc elementa?
Post diem claram tenebræ sequuntur,
Post serenatas placidas et auras,
Illico surgit nebulis opacis
Sæva procella.
Taliter dulcem sequiturque pacem
Litium gurges subitæ ruinæ.
Unde marcescit hominum propago
Flos velut agri.
At pius princeps Domino potenti
Corde contrito hilarique vultu
Gratias, postquam nova damna sentit,
Taliter offert.
Patris excelsi benedicta proles,
Qui creas totum renovasque mundum,
Nunc tuæ grates ferimus salubri
Nos medicinæ.
Tune castigas medicante virga
Nos volens salvos nitidos ut agnos
In tui sacra gregis esse caula,
Optime pastor.
Unde myrrhati calicem liquoris
Quem pie nobis tua dextra porgit,
Simus ut salvi, bibimus libenter
Dona salutis.
Nosque lorica renitente justi,
Ac spei tuta galea, flagrante
Ense sermonis, fideique scuto
Quæsumus arma.
Et crucis signo radiante cornu
Exhibe votis populi precantis
Hostium cunctos superare fastus
Te dominante.

CAP. XVII.

Qui bonus est princeps, multis virtutum præconiis adornatur, maxime vero clementia, mansuetudine, animæ tranquillitate, nunquam recipiens tempestatem, sed pacis concordiam quam fieri potest semper amplexans, non solum erga suos, sed etiam circa inimicos; quos exemplo patientiæ atque clementiæ pium et magnanimum rectorem vincere oportet, testante Psalmista, qui ait: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7). Prudens igitur dominator per pacis connexionem studet semper amplificare, ordinare atque gubernare imperium; cum pax sit omnium rerum tranquillitas ordinis et connexio et incrementum regiæ potestatis. Ut enim discordia maximæ res labuntur, ita concordia pacis etiam minima crescunt. Unde Publio Scipione interrogante, qua ope res publica Numantiæ prius invicta durasset, aut post fuisset eversa, Tyrseus quidam Numantinus respondit: Concordia, invicta; C discordia, exitio fuit. Siquidem Numantia civitas per annos XIV, solis IV millibus suorum, XL millia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam vicit. Concordia dissensiones reprimit, aspera ad lenitatem, adversa in prosperitatem, inimicitias ad amicitiarum tranquillitatem reducit; amabilis inter amicos, inexpugnabilis ab adversariis, desiderabilis etiam ab inimicis. Hæc serena est domi, victrix in prælio; licet neque bellis velit esse implicata, nisi cum pernecessaria et justissima exegerit causa.

Sed sunt nonnulli qui successu terrenæ felicitatis et tumore superbiæ in tantum existunt elati, ut pacem ab hostibus oblatam spernere, et injusta bella suscipere non pertimescant; et, quod est gravius, duobus forte bellis impliciti, tanquam Spartanorum D furore, tertium non recusent. Sed sæpe tales virga divinæ ultionis juste intereunt, quoniam pacis donum sibi oblatum suscipere nolunt. Quomodo Amasiæ regi Judæ contigisse legimus, qui misit nuntios ad Joas filium Joachas filii Jehu regis Israel dicens: *Veni et videamus nos* (*IV Reg.* XIV, 8). Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Judæ dicens: *Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens, Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus qui sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. Percutiens incoluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria, et sede in domo tua. Quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum? Et non acquievit Amasias. Ascenditque*

Joas rex Israel, et viderunt se ipse et Amasias rex Judæ A *in Bethsames oppido Judæ; percussusque est coram Israel* (*IV Reg.* XIV, 9-12).

Libet etiam commemorare quod de ipso Juliano principe in historia refertur ecclesiastica, qui multos vicos castraque detinens, jam etiam civitates Persarum capiebat. Cumque venisset Ctesiphontem civitatem, in tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suæ patriæ partem, si soluto bello discederet; quod Julianus noluit, neque supplicantibus est misertus, neque mente percepit, quia vincere quidem bonum est; supervincere, nimis invidiosum. Credens utique magicis artibus, et falsa spe victoriæ præsumens; qui dum fuerat in equo et exercitum confortabat certum sperans triumphum, contra illum jaculum repente delatum, dis- B currens per brachium in ejus latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vitæ. Qui vero justissimum intulit vulnus, hactenus ignoratur, sed alii quemdam invisibilium hoc intulisse ferunt, alii vero unum pastorem Ismaelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo, sive angelus fuerit, palam est quia divinis jussionibus ministravit. Aiunt enim quia dum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo compleverit, et in aerem projecerit dicens: Galilæe, vicisti! Et in eo ipso confessus cum blasphemia victoriam.

Nullus ergo pacis gratiam fastu temerario debet spernere, aut post hostes prostratos elato corde superbire, quomodo præfatus Amasias et Julianus fecerunt. Unde scriptum est: Non læteris super ini- C mici tui interitum, ne forte superveniant in te similia (*Eccli.* VIII, 8). Et iterum: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum* (*Prov.* XXIV, 17). Nam Deo displicet quisquis exaltat se in malis alterius. Unde beatus David de suorum interitu inimicorum non solum non erat lætatus, sed vehementer fuerat contristatus, affectu charitatis plangens fortes Israel a Philisthæis fuisse prostratos, et dicens: *Inclyti Israel super montes suos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filii Philisthiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum.* Et cætera (*II Reg.* I, 19). Quibus evidenter ostenditur quantum pietatis D affectum sanctus David etiam erga inimicos habebat.

O quam pacificos Cunctipotens amat!
Quis regnum Solymæ perpetis annuit
Illos angelici gratia schematis
Ornans clarificat pectore vultibus,
Quorum simplicitas cordibus insita,
Sicut mos avibus fellè carentibus.
Hac gaudet sobole celsithronus Pater,
Hæredesque suos hos Deus eligit.
Pacem qui sequitur, splendidus enitet,
Et verbis redolet mel velut Atticum.
Qui pacem renuit, in tenebris manet,
Et cæcus gradiens in foveam cadit.
Nam discors animi turbida motio
Expers consilii naufraga parturit
Incautis ducibus sæpe pericula,
Quam mortis sequitur mox violentia.
Pax vero medicans dissona glutinat,
Pax lites reprimens gaudia seminat,
Pax jungit populos perpete fœdere,
Regnum pace regit rector et optimus.
Quis charisma placet pacis aromate
Virtutum redolent sicut olivifer
Mons pinguis Domini, quo fluit affatim
Lac mel Christicolis nectaris ubere.

CAP. XVIII.

Gloriosi principes et reges atque duces timorem Altissimi ante oculos habentes, neque de pacis tranquillitate, neque de triumphis victoriæ sibimet arrogabant, sed totam Omnipotentis gratiæ deputantes, dignas gratulationes sacraque vota, seu pro statu pacis, seu pro transacta victoria, Domino persolvebant, qui dat salutem et gloriam regibus in ipso fiduciam spei habentibus, qui voluntatem diligentium se faciet, et orationes eorum exaudiet, salvosque faciet eos; quia custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet: Sapientia quoque hoc ipsum attestante atque dicente: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione veniet vobis misericordia* (*Eccli.* II, 9). Unde per Joel prophetam dicitur: *Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel* (*Joel.* III, 16). Quem pro multitudine misericordiarum suarum, et abundantia consolationum, et largitate beneficiorum, quibus humano generi ineffabili bonitate consulit, admiruri et præconiorum laudibus ac benignis devotionibus exaltari et honorari oportet; Psalmista nos exhortante atque dicente: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*, et *mirabilia ejus filiis hominum* (*Psal.* CVI, 21). Cui et illud concinit quod in Deuteronomio legitur: *Ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui* (*Deut.* X, 21). Unde et Israel populus duce Moyse pertransito mari Rubro, submersisque pelago Ægyptiis, canticum exsultationis Domino personuit, quia ejus magnifica in se beneficia persensit. Quid autem referam de famosis et sanctis ducibus ac regibus ejusdem populi, qui quoties de manibus inimicorum liberati, vel de hostibus fuerunt victoriosi, liberatori et protectori suo tam hymnicas laudes quam pacificas hostias cæteraque vota Domino acceptabilia retribuebant? Inter quos ille devotus hymnidicus David pro collatis sibi a Domino beneficiis spiritualiter exsultans aiebat: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi* (*Psal.* XII, 6). Hinc ille populus per Nahum prophetam admonetur dicentem: *Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua* (*Nah.* I, 15). Quanta vero bona ipsa plebs Domini consequebatur, per Joel prophetam breviter ita describitur: *Et comedetis vescentes et saturabimini, et laudabitis nomen Dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia, et non confundetur populus meus in æternum* (*Joel.* II, 25).

Sed et in Novi Testamenti tempore multi sanctissimi rectores, beneficiorum Altissimi non fuerunt immemores; sed quanto cæteris divina largiente gratia fortiores eminebant et gloriosiores, tanto magis Omnipotenti dignos recompensabant honores; qualis erat magnus et optimus imperator Constantinus, qui insigni pietate decoratus, superna disponente providentia, potitus est Europa universa atque Libya; super has etiam maximam Asiæ partem tenens, subjectos habuit ubique devotos. Sed etiam barbarorum alii quidem sponte serviebant, alii devicti. Ubique triumphi videbantur, et victor cernebatur in omnibus imperator, qui divinæ celsitudinis potentiam cognoscens atque admirans, et tanta sibi et humano generi collata per Omnipotentis gratiam beneficia enumerans, divitias divina laude atque honoris gloria refertas in hunc modum descripsit dicens: Sacratissimam custodiens fidem, veritatis luce participatus sum; luminis veritate gubernatus, sacram agnosco fidem. Denique per hoc, sicuti res ipsa confirmat, venerabilem religionem esse conspicio, et doctrinam agnitionis sanctissimi Dei omnibus offerentem. Hujus cultum me habere profiteor, quia hujus Dei virtutem in auxilio habens, inchoans a finibus Oceani, omnem terrarum orbem firma spe salutis obtinui. Hunc Deum colo, cujus signum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris, et a quo dum justo sermone aliquid poscitur impetratur. Ex ipsis autem tropæis insignibus beneficia repente suscipio. Hunc itaque Deum immortali memoria me honorare profiteor, eumque summa puraque mente super omnia esse credo. Hunc inclinatis genibus invocabo, qui puram tantummodo mentem et immaculatam animam ab omnibus exigit; virtutis et pietatis actus exquirit, mansuetudinis et clementiæ delectatur operibus, mites amat, habet odio turbulentos, diligit fidem, punit perfidiam, omnemque potentiam cum fastu despicit, superborum punit asperitatem, ad fastum elevatos perimit, humilibus autem ac patientibus digna retribuit. Quibus omnibus consideratis, multas Deo refero gratias, quoniam integra providentia omne genus humanum colens legem divinam, reddita sibi pace decenter exsultet.

Et hæc quidem piissimus atque Christianissimus imperator dans gloriam Deo pro immensis ipsius beneficiis dicebat. Quis enim rector sub Christiani nominis titulo insignitus, atque ab infantia tutela matris Ecclesiæ ubere lacte sinu educatus, et in principali dignitatis apice divina disponente gratia sublimatus, non jugiter Omnipotenti victimas gratiarum offeret, non illius voluntati humiliter atque ardenter obedire, et sanctis ejus servis placare non magnopere contendet? si rex impius Nabuchodonosor Deum Israel honorat, si Alexander Magnus cum esset paganissimus illius templum adiit, illius majestati cervicem subdidit, se genibus provolutus curvat, ab illo auxilium efflagitat, illi victimas immolat, atque insuper sancti pontificem templi Jaddum plurimis honoribus sublimat. Theodosius quoque lux imperatoriæ dignitatis sacratissima, pro beneficiis a Deo sibi collatis creberrimas gratias referebat, multis honoribus Christo suo vota compensans, quibus Christi amore refertis, tam Hierosolymis ecclesias constitutas quam per singulas civitates positas multum honoravit, et cum Hierosolymam pergeret, et cum denuo remearet.

Si pax proveniat, seu plaudant ampla tropæa,
Arroget incautus talia nemo sibi.
Nam Deus omnicreans, ingratos atque superbos
Mente sui cordis spernit ubique duces.
Diligit et mites, grates Dominoque ferentes,
Cujus multiplices gratificantur opes.
Nam neque divitiæ faciunt neque regna beatos,
Si non celsithrono laus sit honorque Patri.
Ob hoc eximius divino munere princeps
Hymnidicas laudes vota Deoque ferat.
Dum pax arridet, tumidus dum sternitur hostis,
Dum pollet terris copia plena bonis,
Dum Deus ex alto regem populumque triumphet
Magnifice plebem glorificando suam.
Absit murmurium populo, cum manna redundet
Tranquillæ pacis multiplicisque boni.
Cantica lætitiæ potius tollantur in astra,
Tantis pro donis organizare decet.
Spiritus omnipotens orbis dum climata refert,
Dum quoque terrigenis regna superna patent.

CAP. XIX.

Nam quisquis est prudens et sanctus Christiani populi dominator, beneficiorum Domini semper fit memor; ideoque beneficii largitorem honoribus magnificat, atque honoratum se esse cognoscit, piaque affectione de privilegiis et causis sanctæ matris Ecclesiæ, quæ est sponsa Dei vivi, conservandis et augendis, nec non de honore ac reverentia sacerdotali laudabilem sollicitudinem habet. Tunc enim se fidelem Dei esse cultorem ostendit, dum Christiana devotione quidquid ad honorem et gloriam Christi sanctæque ejus Ecclesiæ pertinet, ordinabiliter disponere fideli sermone studet, seque omnibus adversitatibus, si necesse fuerit, ob defensionem populi Dei, tanquam scutum objicit, qui se suumque regnum divina protectione defendi exoptat. Nec cessat augere honoribus Dei Ecclesiam, qui vult suum augeri et amplificari imperium; ac de pace et securitate pia solertia pertractat ecclesiastica, qui transitoriam et æternam pacem ac securitatem desiderat obtinere. Sit ergo fortis imitator ipsorum principum, qui ante ipsum juste et pie in voluntate Dei regnaverunt, et Christianum populum bene rexerunt, Christique Ecclesiam opportuno solatio foverunt, Dei timorem et cœlestis remunerationis spem semper, ante oculos habentes, et omnia quæ agebant sive disponebant, secundum voluntatem ejus perficere festinantes, non pravorum iniquitatibus consentientes, sed prava in directa summo studio secundum trutinam justitiæ transferentes. Sciebant enim quia qui emendare potest et negligit, participem se procul dubio delicti

constituit, quomodo in libris Regum narratur de Heli sacerdote, qui filiis suis in cultu divino delinquentibus, et populo oblationes suas Deo offerenti vim facientibus, insuper et cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi dormientibus pepercit, et non eos auctoritate paterna acriter corripuit. Quanta vindicta super eos venit, et super omnem populum! Quoniam traditi sunt ipsi filii simul cum arca Domini et universus populus in manus Philisthiim, et cæsus est Israel plaga magna nimis, ita ut triginta millia peditum ibi cecidissent, quoad arca Domini capta est. Duo quoque filii Heli, Ophni et Phinees, mortui sunt, ipseque Heli cum audiret arcam Dei captam et filios suos mortuos, cecidit de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est; sicque sacerdotium ab ejus domo ablatum ad aliam domum translatum est; nec quisquam de stirpe Heli ultra in templo Domini ministravit.

Hoc itaque exemplo et aliis similibus, quæ in Scripturis sacris referuntur consideratis, sacratissimi principes atque rectores non recipiebant personas adulatorum, mel dulcedinis verborum pravæ persuasionis veneno intermiscentium, nec consentiebant fraudibus iniquorum nequiter blandientium; quoniam si illis consentiatur in talibus nequitiis, non solum ipsi peccantes, sed et eis consentientes pariter interibunt. Ac boni et prudentes reges, quoniam ipsi recte vivunt, pio zelo prævaricantes disciplinabiliter redarguunt et corrigunt; unde sibi duplicem remunerationis a Domino palmam acquirunt, dum male in subjectis redarguere, et eosdem ad bona verbo et exemplis provocare student. Oportet enim Deo amabilem regnatorem, quem divina ordinatio tanquam vicarium suum in regimine Ecclesiæ suæ esse voluit, et potestatem ei super utrumque ordinem prælatorum et subditorum tribuit, ut singulis personis [et quæ justa sunt decernat, et sub sua dispensatione prior ordo devote obediendo fideliter subditus fiat. Et ideo in bono rectore debet laudabilis intentio esse, et bono studio illud providere, quatenus præpositi ecclesiarum Dei suum locum legitime teneant, eisque ad hoc adminiculum regia clementia tribuat, ut officium suum secundum mandata Dei et sacrorum canonum instituta pleniter agere valeant; nec eis sæculares potestates impedimento fiant, sed potius ad fidem Dei servandam et cultum justitiæ perficiendum faveant. Ideoque, ut in superioribus prædiximus, per singulos annos synodales fieri conventus necesse est, ubi ecclesiastica jura et negotia juste et legitime discutiantur. Idcirco diligentissime bono et pio rectori providendum est, ut sanctificatio nominis Domini, quæ in locis Deo consecratis manet sine ulla reprehensione, in quantum possibile fuerit, servetur. Et tales rectores atque dispensatores in eis constituantur, qui sine inexplebili avaritia atque luxuria res bene tractent divinas, et Dei servis atque famulabus sufficientem victum atque vestitum tribuant, viduisque et orphanis atque pauperibus juxta canones provisionem condignam primum impendant, et servitutem congruam regi orthodoxo de rebus quæ supersunt exhibeant; ut primo ordine fiat quod ad divinum, et in sequenti quod ad humanum pertinet obsequium. Nam si provida solertia erga carnales milites cura sit exhibenda, quatenus eis cuncta necessaria erogentur impendia; et qui plus in bellicis tumultibus laborant, et ad profectum rei publicæ devotiores et fortiores, atque utiliores fiunt, plus mercedis et honoris accipiunt; quanto magis providendum de spiritualibus Christi militibus, quorum sanctis laboribus et orationibus ipsa res publica servatur incolumis et illæsa? Hostes quoque visibiles et invisibiles superantur, copia rerum temporalium cum prosperitatis eventu cumulatur. Sancti angeli in adjutorium populo invitantur, serenitas pacis redditur, imperium amplificatur. Postremo regia dignitas et honorificentia diu atque feliciter potestate extenditur, ac filii filiorum in apice regni nobilitantur.

Orthodoxus ac beatus ille rector eminet
Qui Dei timore mactus atque amore fervidus
Anteponit illa semper aulicis negotiis
Christiana quis ubique crescit alma gloria.
Qui pio tenore servat omne privilegium,
Unde regis candidata sponsa Christi gaudeat.
Qui lupos rapaces arcet æquitate regia,
Christiana ne premantur improbis ovilia.
Ipse zelotes et instat ardens more fulminis,
Emicans et ultor ensis insequendo reprobos.
Auribus modestis ille verba temnit aurea,
Ne mel ore suggerentis det venena toxica.
Nam colax in ore gestat arte verba mellea,
Cordis ac sinu retentat intus felle machinas.
His homunculis resistat Christianus arbiter.
Scita legum mos et ordo patriæque regulæ,
Ac Dei colat ministros sanctitate fulgidos,
Qui Deo placere norunt ore, corde, moribus.
His precantibus beatis res beata publica
Omnibus bonis abundat, sicut arva fructibus.
Principis honor thronizat, ac tropæa buccinant
Læta pax ubique regnat quieta gaudia.

CAPUT XX.

Has autem paucas de multis, divinas et humanas historias percurrens, vestræ, domine rex, excellentiæ commonitorias obtuli litteras, vestro amore ad hoc opusculum instigatus, sciens me debitorem esse vestræ celsitudinis obsequio; utile fore perpendens, si quæ sparsim in divinis et humanis eloquiis de quibusdam malis regibus sive principibus leguntur, in unum breviter deflorarem opusculum; unde possit vestrum delectari ingenium, et nostræ devotionis erga vestræ claritudinem intelligentiæ manifestari benivolum queat obsequium. Sic et apes ex diversis floribus mella in utilitatem dominorum transitura colligunt, quibus gratissimos favos artificiosa dispositione componunt.

Hos itaque apices velut enchiridion vestri sagacitas ingenii sæpius transcurrendo perlegat, quatenus facilius animadvertere possit quanta mala malis, et

quanta bona bonis rectoribus superna et divina justitia rependat. Ut enim reprobis præsentes offensiones, calamitates, captivitates, filiorum orbitates, amicorum strages, frugum sterilitates, pestilentias intolerabiles, breves et infelices dies, diuturnas ægrotationes, mortes pessimas, et insuper æterna supplicia retribuit; ita e contra justis et sanctis rectoribus multa in præsenti solatia, divitiarum abundantiam, triumphorum gloriam, pacis tranquillitatem, præclaram sobolis indolem, multos et felices annos ac perpetuum regnum in futuro donat. Nam sicut impiis sive prospera sive adversa cuncta in exitiosos fines accidunt, sic electis Dei omnes adversitates seu felicitatis eventus in bonum concurrunt, testante Apostolo qui ait : *Omnia autem concurrunt in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII, 28). In adversis quidem pro tempore exercitati, sed in prosperis abundanter a Domino consolati; fastu superborum despecti, sed cœlesti juvamine victoriosi. Quorum meritis et sanctarum precum intercessionibus hostes superati, principes capti, urbes munitissimæ fractæ sunt tanquam tela aranearum, maria fuerunt pervia, fortia quæque facta sunt infirma, et quæ infirma existimabantur mox exstiterunt fortia. Aer quoque sæpe ventis, nubibus et grandine contra rebelles decertavit, altoribus æther ignibus atque tonitruis super hostes intonuit, æquora violentissimas exercuerunt tempestates, angelica deservierunt ministeria, sol luna cæteraque sidera cursum stabiliri statuerunt, terra vivos deglutivit ac mortuos, ab inferis eadem evomuit. Omnes enim creaturæ eis erant subjectæ, quoniam ipsi Creatori corde, verbo et opere subditi permanserunt. Quippe quorum erat sanctum studium Deum timere simul et amare, sacra perscrutari eloquia, A noscentes gloriam regum esse investigare sermonem et Dei sapientiam, sicut scriptum est : *Posside sapientiam, posside prudentiam principium sapientiæ; arripe illam et exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus; dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te* (*Prov.* IV, 5-9).

Has igitur artes Omnipotenti beneplacitas studiose didicerunt, juste judicare, humiles ac benevolos esse erga bonos, superbos vero et invectos in malos; pauperes alere, ecclesias Dei adjuvare, nec spem in transitorio et caduco regno ponere, sed in cœlesti et permanentis semper regni beatitudine votum ac desiderium collocare. Quorum exempla et insignia gesta, atque felicem transitoriæ vitæ cursum, insuper æternæ retributionis gloriam vos semper B amare, cogitare, atque imitari, domine rex, summopere decet. Sic enim Dominus omnipotens erit custos et defensor vester contra omnes adversarios vestros, quos magnifica potentia sua conteret pedibus vestris, vel bellico seu pacis jure subjiciet, et corona gratiæ suæ vos in omnibus adornabit, dies vestros cum felicitate et gloria in hoc sæculo extendens, atque justorum consortio regum qui Deo placuerunt in perpetua felicitate constituens. Et erunt *filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* CXXVII, 3). Sedebunt post vos in solio regni vestri. Dabit eis longævam in hoc mundo ætatem scilicet ac felicitatem, si in viis Domini ambulaverint atque mandata ipsius custodierint; insuper vero regnum cœlorum, potestate et gratia Salvatoris et C Domini nostri Jesu Christi, cui est perpes gloria et potestas cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Sedulius de Doctoribus Christianis [a].

2. *In arca super corpus sancti Petri.*

RUFINUS IUVENTIUS GALLUS VIR INLUSTRIS EXPRÆF. URBIS
PRO BENEFICIIS DOMINI APOSTOLICI VOTUM SOLVIT.

3. *In fronte foras in ecclesia Sancti Petri, ubi quatuor animalia circa Christum sunt picta.*

MARINIANUS VIR INLUSTRIS EXPRÆF. ET CONS. ORD.
CUM ANASTASIA INL. FEMINA
DEBITA VOTA BEATISSIMO PETRO APOSTOLO PERSOLVIT
QUÆ PRECIBUS PAPÆ LEONIS INVOCATA SUNT
ATQUE PERFECTA.

[a] Sequuntur in Sedulii codice poematia XI brevia de virtutibus. Deinde de vitiis poematia X. Cuncta hæc, quia neque auctoris neque ætatis notam præseferunt, nunc certe omittenda censuimus. Postremo carmina in basilica Romana Sancti Petri olim prostantia, quæ videre est apud Gruterum, inter epigr. Christ., T. II, part. I. Sed pauca quædam nec ibi, neque apud me in inscript. Christ., Script. vet. T. V, videbar mihi reperire, quæ ita se habent :

1. *In dextro atrio sancti Petri.*

Ingrediens quisquis radiantis limina templi,
In varias operum species dum lumina tendis,
Inclusum mirare diem fulgore perenni.
Cuncta micant, si lux tota luminatur in aula.
Ornavit præsul venerandas Symmachus [*] ædes,
Priscaque cesserunt magno virtutis honore.

(*) Hic vides epigrammatis ætatem.

SEDULII SCOTI

EXPLANATIONES IN PRÆFATIONES SANCTI HIERONYMI AD EVANGELIA.

(Mai., ibid.)

Beatissimo papæ Damaso Hieronymus. Novum opus me facere c. e. v. Damasus papa cum quatuor D Evangeliorum volumen Romano sermone variis et inter se discordantibus exemplaribus perspexisset,

fuisse conscriptum, sanctum Hieronymum pia jussione ad hoc compulit, quatenus per collationem [a] Græcorum, sed veterum codicum correctum Evangelium Latino sermone conscriberet. Itaque tanti præsulis votis beatus Hieronymus assensit. *Novum opus*, et reliqua. Novum opus se facere dicit, Evangelium scilicet per authentica Græcorum exemplaria correctum, ac Romano sermone conscriptum, quod nemo alius ante ipsum Romanus fecerit, et ideo novum opus appellatur. Satis autem honeste ac verecunde adversus æmulos se excusat, cum non præsumptiosa temeritate [b] ac hoc fecisse, sed beatissimi papæ jussione coactum se ad hoc opus accessisse asseveret. *Cogis*, pro eo quod est coegisti, per chronismon positum esse intellige, quo schemate diversa tempora pro aliis temporibus ponuntur. *Ex veteri.* Ex eo quod est opus, per syllepsin, opere assumendum est, ut plena constructio sit : novum opus me cogis facere ex veteri opere. Vetus autem opus dicit authenticum quodlibet Evangelium Græco sermone conscriptum, ex quo novum opus suum, correctum videlicet Evangelium et Latine conscriptum, se facere coactum testatur. Unde recte subditur : *ut post exemplaria Scripturarum t. o. d. q. q. a. a.* Exemplaria [c] dicit non solum Græcos, sed etiam Romanos Evangeliorum codices ; neque solum authenticos atque veros, sed etiam novos atque vitiatos libros, et maxime in Latino sermone conscriptos, qui apud varias nationes utriusque linguæ per totum terrarum orbem dispersi sunt. Inter exemplar autem et codicem hoc interest, quod codex sit jam scriptum quodlibet volumen, etiamsi ex ipso codice adhuc nihil scribatur ; cum vero ex ipso alter codex scribatur, tunc exemplar esse incipit. Multi quoque codices, id est decem vel centum seu plures, unum exemplar appellari possunt, si sensu verbisque nihil discrepent. Codex vero nonnisi unum volumen nominatur.

2. *Sedeam.* Cum jacendo vel stando vel recumbendo sanctus homo vera a falsis discernere possit, in hoc quod dicit *sedeam*, dignitas sancti viri judicantis ostenditur. Cur autem variorum exemplarium arbiter sedere jubetur, causam subjungit : *et quia inter se variant q. s. i. q. c. g. e. u. d.* Multa namque discrepantia in Romanis exemplaribus erat, quando pene tot exemplaria quot codices fuerant ; quando vix ullus codex alteri codici collatus, in sensu et in verbis concordabat. Cujus erroris causas ipse in sequentibus ostendit. Idcirco necesse erat diligenti indagatione discutere, quæ sint illa Latina exemplaria quæ cum Græca concordent veritate ; ex cujus linguæ fontibus pene tota divina Scriptura in Latinum sermonem translata est. Cum enim varii rivuli turbulenti esse sentiuntur, fons purus est requirendus, atque ex authenticis exemplaribus meliqua veritatis sapor gratissime percipiendus. *Arbiter*, comprobator. Hoc distat inter judicem et arbitrum, quod judicis officium est damnare vel absolvere, arbitri vero ministerium est aliquid eligere vel refutare. *Variant*, discordant, discrepant. *Decernam*, dijudicem, comprobem. *Rius labor*, *sed periculosa p. i. d. c. i. q. a. i.* Opus pietatis est Evangelica verba cunctis erroribus eradicatis expurgare ; sed quantum ad toxicam æmulorum invidiam imperitorumque judicium attinet, in hoc periculosa præsumptio esse videtur, quod de aliorum scriptis et erroribus ipse judicet ; cujus novum opus, quamvis Græcæ veritati consentaneum, ab omnibus legentibus erit judicandum. Non quod revera periculosa præsumptio in hoc pio labore esset, cum nullus reprehensor veritatis sectatori formidandus sit, nisi quantum ad invidorum cæcum judicium pertinet, quibus talis labor quasi periculosa præsumptio esse videtur. Et bene suum laborem præsumptionem nominat, quod nullus ante eum Latinum Evangelium per recta Græcorum exemplaria sic correxerit.

5. *Senis mutare linguam.* Subintelligitur ex præcedentibus, periculosa præsumptio est. Senis linguam mutare, est cujuslibet catholici senis loquelam, longo usu in vitiis tritam et usitatam, informare ac meliorare. Per linguam locutio vel loquela intelligitur. In quod autem ipsa lingua mutari debeat, subjungit : *et canescentem mundum ad i. t. p.* Et est sensus : non parvæ difficultatis est, sed periculosæ præsumptionis esse videtur, ut canescens mundus, id est homines in mundo canescentes, cuncto pristino errore deterso, novum et per me correctum Evangelium, ad similitudinem parvulorum discere incipiant ; quatenus senilis lingua more pueruli ad recte loquendum instruatur ; cum senilis ætas præ omnibus tardior sit ad discendum ; majorisque difficultatis sit, hos a pristino usu ad veritatem revocare, quam alios cujuslibet ætatis instruere. *Quis enim doctus*, et reliqua usque *sacrilegum.* Supra dixit quod propter hunc novum susceptum laborem, ab omnibus esset judicandus : nunc enumerat qui sint illi omnes a quibus ipse judicetur, videlicet *doctus quilibet sive indoctus.* Doctum dicit quemlibet in Romano Evangelio, quamvis vitioso, verbis ac sensibus instructum ; indoctum, verbis quidem evangelicis imbutum, sed mysticis et abditis sensibus doctrinæ evangelicæ minus eruditum. Qui utrique, cum in manus correctum ab ipso evangelicum codicem assumpserint, et a prima saliva, id est suo Evangelio, quod prolixo jam tempore usitatum recitant, hoc novum Evangelium distare conspexerint, statim voce judiciaria proclamabunt, talis novi Evangelii auctorem falsarium esse et sacrilegum. *Saliva* [d], priori sensu *Falsarium*, erraticum. [e] *Sacrilegum*, furem, violatorem

[a] Glossa Teutonica interlinearis, *cesamene prahti.*
[b] Gl., *fravali.*
[c] Gl., *pilid puoch.*
[d] Gl., *quasi salivam imbiberant, keslunten. Imbibit, keslant.*
[e] Gl., *errare, lugenare* (id est *luegen*).

sanctarum sententiarum. Unde autem a temerariis [a] judicibus arguendus sit, ostendit subjungens : *quidquid audeam in veteribus libris a. m. c.* Veteres libros, antiquos ac vitiosos Romanorum codices nominat, in quibus necesse erat quæ deerant addere ; et pro vitiosis, congrua et recta ponere ; et quæ superflue sunt addita, corrigere, scilicet penitus resecare atque auferre : cum, sicut ipse in sequentibus refert, plura propriaque capitula aliorum evangelistarum in aliis sint addita evangelistis.

4. Huc usque pravas adversum se invidorum objectiones breviter intimavit. Nunc eos arguta dispulsione in sequentibus devincit, et seipsum probabilibus et idoneis causis defendit simul et expurgat. *Adversus quam invidiam d. c. me. c.* Invidiam, alienæ felicitatis odium dicimus. Sed hic invidiam, falsam de se suspicionem [b], qua falsarius et sacrilegus a temerariis judicibus ipse æstimetur, designat. Sed quæ sit ipsa duplex causa, qua se adversus aliorum invidentiam dicit consolatum esse, subjungit : *quod et tu, qui summus sacerdos es f. i.* Summum sacerdotem, id est summum pontificem, beatum Damasum nominat. Sacerdos autem dicitur quasi sacrum dans. Cujus piæ jussioni consentire laudabile erat ; non obedire autem, nota superbiæ fuisset. Altera quoque causa, scilicet mendosa codicum varietas subditur : *et verum non esse quod variat, e. m. t. c.* Solidissimum argumentum [c] est adversus maledicos [d] adversarios, quod et ipsi absque ulla contradictione ore consentaneo comprobant, verum scilicet non esse omne quod variat. Sed hæc sententia diligenter investiganda est. Nunquid enim omnia quæ varia sunt, vera non sunt ? Quid enim magis varium sit atque discrepans quam lux et tenebræ, vita et mors, dulcia et amara, alba et nigra, formosa et deformia, et cætera pene innumerabilia ? Nunquid tamen hæc omnia vera non erunt, quia varia sunt ? Quod valde absurdum est dicere vel credere. Sed ita intelligendum est, quod lux vera non erit, si quidquam tenebrarum in se mixtum habuerit. Nec vera vita, neque vera dulcedo aut albedo vel formositas appellanda est, cui aliqua mors aut amaritudo vel nigredo, aut aliqua deformitas immixta fuerit. Sic etiam quod ait, verum non esse quod variat, sentiendum est, quod liquidum et purum per se verum non erit omne quod aliquo mendacio aut intermixta falsitatis nebula variatum fuerit. Ideoque Romana Evangelia vera non erant, in quantum varia falsitate corrupta fuerant.

5. Quod statim approbat cum subinfert : *si enim Latinis exemplaribus*, et reliqua usque *quot codices.* Unum prorsus exemplar quatuor Evangeliorum apud Latinos esse oportebat, ut licet innumeros codices haberent, tamen ipsi inter se codices nihil in verbis et in sensu discreparent ; et sic tot codices unum exemplar fierent. Sed quia tot erant exemplaria pene quot codices, id est quando inter se fere omnes codices sensu et verbis variabant ; et verum non erat omne quod mendosa falsitate varium fuerat ; liquido concluditur quod Latinis tunc exemplaribus fides adhibenda non erat. In hac itaque sententia ipsos erraticos convincit, ac si evidenter diceret : Si Latinis exemplaribus fides est adhibenda, non multa et varia exemplaria, sed unum absque varietate exemplar habere Latini deberent. At vero Latini non unum ac verum, sed varia falsaque exemplaria habent ; ideo Latinis exemplaribus fides non est adhibenda. Nec mirum, centum vel mille aut etiam plures codices, si inter se nihil verbo sensuque discrepent, unum exemplar appellari, cum etiam quatuor Evangelia unum Evangelium appellantur, licet et ipsum Evangelium ex quatuor voluminibus constet. Nec non et multos Veteris et Novi Testamenti codices unum volumen vel exemplar nominare solemus.

6. Quibus autem exemplaribus seu codicibus fides sit accommodanda, insinuat subdens : *sin autem veritas est quærenda de pluribus*, et reliqua usque *corrigimus.* Græcam originem esse dicit authentica Græcorum exemplaria, ex quibus veluti liquidis purisve fontibus divina Scriptura in Romanum sermonem manasse cognoscitur. In quibus fontibus meram et simplicem veritatem quærendam, et corrigenda admonet *quæ vel a vitiosis interpretibus sunt male edita, vel a præsumptoribus imperitis emendata perversius, aut a librariis dormitantibus • addita vel mutata sunt. A vitiosis interpretibus*, id est seu Græca seu Latina sive utraque lingua minus eruditis ; quod ipse in sequentibus dicit, in Marco plura Lucæ et Matthæi ; rursusque in Matthæo plura Joannis et Marci ; et in cæteris, reliquorum, quæ in aliis propria sunt interserendo, posuerunt. *Aut a librariis dormitantibus*, id est pervigiles mentis oculos non habentibus, cæca ignorantia detentis. *Aut addita sunt aut mutata.* Vitiosi scriptores sæpe non solum ex vitiosis exemplaribus eadem vitia scriptitant, sed etiam, sua propria incuria, quædam superflua addunt, quædamque vitiosa pro rectis immutant. Nonnunquam etiam rectum ordinem vel verborum vel sensuum, sive utrorumque, transmutando pervertunt. Et quod gravius, nonnulla quæ valde necessaria sunt, frequenter omittunt. Quibus quatuor vitiis, id est adjectione, detractione, immutatione, transmutatione, cuncta erroris silva nascitur.

7. Sed ut reprehensibiles erraticos [f] notavit, ita et eos quos quantum ad hoc institutum [g] opus pertinet, prætermittendos esse existimat, competenter enumerat, cum subjungit : *neque vero ego de veteri disputo*, et reliqua usque *pervenit.* Nota historia est,

[a] Gl., *fravallen.*
[b] Gl., *Vuidarsitht, zurtriuuida.*
[c] Gl., *chleini list.*
[d] Gl., *skeltara.* Infra : *maledicorum*, *skeltarro.*
[e] Gl., *ungevuren.*
[f] Gl., *fersluoc.*
[g] Gl., *kemeintas.*

quod Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti petivit ab Eleazaro pontifice dari sibi divinas Scripturas. Itaque LXX seniores, qui in sacris erant eloquiis edocti, Vetus Testamentum maxima cum industria [a] ex Hebræo in Græcum transtulerunt sermonem, quorum editionem multi orthodoxi Patres sequentes, in Latinam linguam tertio jam gradu transtulere. Pulchre autem ad nomen Veteris Testamenti alludit, cum ipsum nonnisi a grandævis et senioribus refert fuisse translatum; ut videlicet Vetus Testamentum veteres et seniores conscriberent. Et quia multa etiam utilia a LXX interpretibus, quasi quadam incuriosa oblivione prætermissa sunt, quod apostolica auctoritas approbat, apte illos seniores nominat, quæ ætas obliviosa esse a physicis perhibetur. Quod autem LXX interpretum editionem tertio gradu ad Romanos pervenisse asseverat, in hoc latenter ostendit, propter varios ac vitiosos interpretes, multa vitia in Latinis codicibus fuisse conscripta, quando non ex Hebraicæ veritatis liquido fonte, sed per varios turbulentos rivulos tertio tandem gradu sacra veteris Instrumenti Scriptura in Romanum manavit eloquium. In hoc itaque loco et in subsequentibus incuriam suggillat interpretum.

8. *Non quæro quid Aquila, Symmachus et Theodotion*, et reliqua usque *incedat*. Ecclesiastica refert historia quod hi tres interpretes Ebionitæ hæretici fuerunt, quæ hæresis asserit Christum, de Joseph et Maria natum, hominem purum fuisse, et legem ritu Judaico esse servandam. Symmachus Græcus fuit temporibus Severi imp. Sed Aquila Ponticus sub Commodo, Theodotion Ephesius sub Adriano, ambo tamen Judæi proselyti in eadem historia fuisse leguntur, ideoque ex Hebraicis voluminibus quasi Hebræi in Græcum sermonem, quem proselyti didicerant, interpretandi peritiam habuerunt. Porro Theodotionem inter novos et veteres idcirco medium incedere dicit, quod aliquando LXX seniorum, nonnunquam vero Aquilæ et Symmachi editioni consentaneus invenitur. In quo tacite insinuat Hieronymus quod ipsi Theodotioni, quasi subtilis ingenii viro, non per omnia LXX interpretum, neque Aquilæ et Symmachi editio probabilis fuerit visa; sed nunc istos nunc illos assequens, nunc quædam peculiaria ex Hebraica veritate assumens, elegantiora quæque ut sibi visum fuerat edidit. *Sit illa vera interpretatio q. a. p.* Non ego, inquit, nunc, discutio an sit etiam illa vera interpretatio, qua ego ipse ex Hebraica veritate Vetus Testamentum in Latinum transtuli sermonem, cum evidentissime ipsam veram esse constet, quam apostolica mecum simul auctoritas comprobet. Multa namque testimonia ex Veteri Instrumento in apostolicis dictis posita reperiuntur, quæ non in LXX interpretum editione, sed in Hebraica veritate, ex qua Hieronymus transtulit, inveniri possunt. Sicuti est illud « Ex Ægypto vocavi filium meum, » et alia plurima.

9. Satis autem honeste ac verecunde de sua tanquam de alterius interpretatione loquitur cum dicit: *sit illa vera interpretatio, quam apostoli probaverunt;* ne videlicet arroganter de seipso loqui videretur. *Non igitur*, inquit, *de Veteri Testamento, nec de variis ejusdem interpretationibus nunc disputando judico; de Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est*, et reliqua usque *edidit*. Novum Testamentum proprie vocatur perpetuæ hæreditatis cœlestisque beatitudinis firma Dei promissio, omnibus per fidem in gratia baptismatis justificatis. Testamentum instrumentum dicitur, quod Græcum esse non dubium est, quia nimirum omnes codices Novi Instrumenti primum Græco sermone sunt editi, excepto apostolo Matthæo; non quod ipsius quoque Evangelium Græco sermone non esset conscriptum, sed quia primitus Hebraicis litteris est editum, ac dehinc in Græcum sermonem fuit translatum. *Hoc certe cum in nostro sermone discordat, et in diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum est.* In Romano sermone varium et inter se dissonum fuisse Evangelium sæpe commemorat, quod non limpido puroque fonti, sed propter discrepantes ac varios codices diversis ac turbulentis rivulorum tractibus allegorice comparat; ideoque ex Græci sermonis fonte purissimo dulcem veritatis haustum quærendum esse dicit, id est veritatem ex veris Græcorum exemplaribus quærendam; falsos vero codices penitus refutandos asserit. Unde apte subditur: *prætermitto eos codices*, et reliqua usque *quæ addita sunt*. Hi duo, Lucianus et Hesychius, emendarios [b] imo falsarios de Veteri et Novo Testamento codices ediderunt, quibus LXX Interpretum editionem præsumptiosa temeritate absque Hebraicæ veritatis consideratione [c] emendare conati sunt; nec non ad erroris sui cumulum, in Novo Testamento quædam superflua et inepta superaddiderunt. Quorum merito codices prætermittendi sunt, in quibus ridiculosa emendatio falsaque additio perspicue cernitur. Potest et aliter intelligi, quod præfati codices nec revera a Luciano et Hesychio facti sunt, sed sub eorum nomine falso titulo a quibusdam perversis sunt nuncupati. Non enim dicit ipsos codices a Luciano et Hesychio factos, sed nuncupatos esse confirmat; sicut quidam pseudoevangelistæ sub nomine apostolorum falsa sua Evangelia prætitulaverunt.

10. *Igitur hæc præsens præfatiuncula*, et reliqua usque *sed veterum*. Hoc est quatuor tantum Evangelia per authentica Græcorum exemplaria emendata esse proposuimus, omissa de Veteri Testamento disputatione, deque variis interpretibus sive veridicis sive erraticis. Signanter autem ordinem ipsorum describit Evangeliorum cum dicit: *quorum ordo iste*

[a] Gl., *keuuerido, khleini klerti uuistuome.*
[b] Gl., *puozzila puoch.*
[c] Gl., *keuuerido.*

est, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, propter discretionem ostendendam ad falsa Evangelia, quæ a quibusdam pseudoevangelistis sub quorumdam sive omnium apostolorum nomine prænotata sunt. Μετωνυμικῶς autem loquitur, ipsos scriptores pro scriptis Evangeliis nominans. Proprie enim diceretur, quorum ordo iste est κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μᾶρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. *Calamo.* Calamo imperare [a] scribere est, sed maluit tropice loqui. Hunc autem ordinem quatuor Evangelia sumpserunt a differenti tempore conscribendi. Nam primo Matthæus, secundo Marcus, dehinc Lucas, postremo Joannes Evangelium scripsit. Igitur quatuor tantum Evangelia se emendare promittit. Sed qualis sit ipsius emendationis modus, utrum scilicet in verbis et in sensu, an in solis verbis, an potius in solo sensu perturbato, ipsa correctio fiat, breviter explanat subdens : *quæ ne multum a lectionis Latinæ*, et reliqua usque *ut fuerant*. Facilis sensus est ad intelligendum; nam se asserit ea tantum corrigere quæ sensum videbantur immutare, ut non tam [b] de verborum foliis, quam de sensuum fructuosis thesauris procuraret. Hoc autem fecit, ne si verba et sensum per omnia quæ discrepabant loca corrigeret, nimia sui operis novitate cunctos offendens, ab utilitate tam magnifici laboris excluderet.

11. Solent autem sancti Patres propter charitatem non solum ab aliis postulata implere, verum etiam quædam utilissima et necessaria addere. Qua virtute beatus Hieronymus præditus, non solum Evangelia, sicuti jussum ei fuerat, corrigit; sed etiam quasdam insuper novas ac valde necessarias evangelici voluminis regulas descripsit; de quibus consequenter edisserit, cum subdit : *canones quoque*, et reliqua usque *expressimus*. Canones [c] Græce, Latine regulæ dicuntur; quorum nomine non solum evangelicas, sed generaliter omnes quaslibet normales regulas appellare solemus. Ipsos itaque Evangeliorum canones, non sua propria industria [d], sed ab aliis illustribus et sapientibus viris inventos, in Latinum se asserit transtulisse sermonem. Tres autem Cæsareas legimus, unam Cæsaream Cappadociæ, quæ est metropolis Syriæ, et duas in terra promissionis, id est Cæsaream Philippi ad radices montis Libani, et Cæsaream Palæstinæ quæ est in littore maris Magni sita, quæ quondam Turris Stratonis dicta est, ubi nepos Herodis ab angelo percussus est, et Cornelius centurio baptizatus, cujus Cæsareæ Eusebius chronicorum scriptor, historiarum expositor, notissimus episcopus floruit.

12. Ob quas vero causas X canones Evangeliorum notati sint atque ordinati, continuo explanat : *quod si quis de curiosis* [e], et reliqua usque *cognoscat*. Triplicem, inquit, ob causam canones expressimus, id est interpretati sumus, quatenus quilibet studiosus per eosdem distinctos canones, singula quæque in Evangeliis capitula, utrum eadem, vel vicina, vel sola sint, cognoscere possit. Eadem autem capitula sunt quæ in verbis et in sensu nullam inter se distamen habent. Vicina vero nominantur, quæ vel in verbis vel in sensu, seu in utroque, ut quamdam similitudinem habere noscuntur, ita et ex parte nonnullam dissimilitudinem habent. Sola vocantur, propria quæque apud singulos evangelistas capitula. Sed sola in decimo canone, eadem vero vel vicina in aliis novem canonibus sparsim posita reperiuntur. Cum igitur aperto codice, quodlibet in Evangelio capitulum perspexeris, canone quolibet ex novem canonibus reperto, procul dubio cognosces qui et quot evangelistæ ipsum capitulum ediderint; atque eodem, uno seu pluribus concordantibus evangelistis, perspecto ac recitato capitulo, utrum idem an vicinum sit ipsum apud duos, aut tres, aut quatuor evangelistas capitulum statim prænotabis. Sin vero decimum canonem superscriptum esse videris, proprium ejusdem evangelistæ quem recitas, cuncta erroris nebula subtracta, capitulum esse non dubitabis.

13. Quem detestandum errorem competenter describit cum ait : *magnus siquidem*, et reliqua usque *inveniantur*. In Latinis codicibus duos præcipue erroris modos crevisse dicit, adjectionem videlicet et immutationem. Adjectionem in illis capitulis quæ in quibusdam evangelistis plus posita, in aliis qui minus dixerunt sunt addita. Immutationem vero quoties quilibet temerarius ad similitudinem illius Evangelii, quod primum ipse legerat, cætera Evangelia emendaverit, alia scilicet verba pro aliis, licet in eodem sensu, ponendo. Unde accidit ut omnia quæ variis in locis vicina vel sola reperiuntur, in aliis evangelistis immutata vel addita ponerentur. Nam vicina immutata; sola vero, quæ etiam propria dicuntur, sunt addita. Eadem autem, quia nulla secundum erraticorum æstimationem ratio exigebat, nec mutata nec addita fuerunt.

14. Quæritur cur etiam alios duos erroris modos, quibus Latinum Evangelium vitiatum fuerat, scilicet detractionem et transmutationem, in hoc loco non commemorat. Ad quod respondendum, quod errorem eorum hic specialiter redarguit, qui pleraque addendo sua industria, nonnulla vero immutando, quatuor Evangelia emendanda esse censuerunt. Cæteruth [f] quæ recta et plenaria sunt, vel minuere vel transmutare, vitiosa negligentia vitiosorum interpretum, vel librariorum dormitantium, sicut etiam supra dictum est, contingit. Potest autem nomine immutationis, etiam transmutatio, adjectio et detractio intelligi. Cum enim quodlibet capitulum pro alio capitulo ponebatur, aut majus pro minori, in quo quædam adjectio fiebat; aut minus pro majori, in

[a] Ergo Sedulius legebat in textu Hieronymi *calamo imperavimus*, non *temperavimus*.
[b] Gl., *nols so filo*.
[c] Gl., *kerihtida*.
[d] Gl., *klerti*.
[e] Gl., *forwitlum, firtuhagendum*.
[f] Gl. *andarstabo*.

quo detractio erat; aut æquale pro æquali capitulo immutabatur. Notandum autem quod μετωνυμικῶς ipsos evangelistas pro Evangeliis nominavit. Quali autem remedio, vel quibus regularibus normis præfatis erroribus succurratur, subjungit: *cum itaque canones legeris*, et reliqua usque *restitues*. Quomodo per distinctos canones cognoscantur, quæ sunt in Evangeliis eadem vel vicina vel sola, supra expositum est. Nunc notandum est, quod similia nominando, eadem ac vicina capitula designat. Quid enim plus simile dici potest, quam quod idem aut vicinum est?

15. Ostenso in superioribus canonum numero, modo ipsos canones propriis definitionibus describit dicens: *in canone primo*, et reliqua usque *ediderunt*. In primis sciendum est, horum canonum quatuor esse modos; primus modus est, in quo quatuor evangelistæ concordant, qui primum solummodo canonem continet. In quo primo canone quatuor species esse videntur: aut enim unus evangelista semel in uno aliquo capitulo aliquam causam ex toto vel ex parte dicit, aliique tres diversis capitulis multipliciter narrant. Aut duo semel, et duo multipliciter. Aut omnes æqualiter, hoc est semel omnes, quando quatuor evangelistæ nonnisi singulis capitulis eumdem sensum exprimunt. Secundus canonum modus est, in quo tres evangelistæ consonant. Sed ipse modus tres canones complectitur; in quibus tribus canonibus tres formulæ reperiuntur. Nam aut unus semel, et duo multipliciter; aut duo semel, et unus multipliciter; aut omnes tres æqualiter in ipsis consonant canonibus. Tertius modus est, in quo duo evangelistæ concinunt, quo tertio modo quinque canones concluduntur, in quibus quinque canonibus biformis varietas elucescit. Aut enim alter semel, et alter multipliciter; aut ambo æqualiter in his quinque canonibus ipsa capitula contexunt. Quartus modus est, in quo nulla concordantia, nullaque inter evangelistas invicem dissonantia habetur. Ubi enim nulla inter plures collatio est, nec concordantia nec dissonantia fieri potest. Iste autem quartus modus decimum solummodo canonem continet.

16. De ordine horum quatuor modorum quæstio oritur, cur iste quartus modus, qui ad decimum canonem pertinet, non primum locum ante cæteros modos obtinet, cum in decimo canone singuli evangelistæ sola vel propria narrent; vel cur non est secundus modus, ubi duo; et tertius, in quo tres; et quartus, ubi quatuor evangelistæ concordant, cum hic ordo melior sit, qui a singulis ad binos ac ternos quatuorque consurgit? Sed respondendum quod non ab ordinabili numero, sed ab excellentia numerosioris concordantiæ isti quatuor modi ordinati sunt. Nam ubi maxima inter quatuor evangelistas concordantia est, primus modus esse debet; secundus, ubi inter tres; tertius, ubi inter duos evangelistas consonantia habetur. In quarto limite ille modus collocandus est, in quo nulla concordantia, sed absoluta singularitas evidentissime cernitur. Notandum quoque quod hic numerus x canonum in quatuor Evangeliis, attestatur doctrinam evangelicam decalogo legis esse concordissimam. Cæterum de numero et ordine eorumdem canonum, in *Plenario* [a], de quo et hæc excerpta sunt, reperies. Illud quoque notandum quod præfati canones non omnes in singulis evangelistis positi reperiuntur. Nam in Matthæo octo positos esse videbis, excepto octavo et nono canone. In Marco sex, prætermisso tertio, quinto, septimo ac nono canone. In Luca septem, exceptis quarto septimoque canone. In Joanne sex, præter secundum, quintum, sextum et octavum canonem positos reperies, sicut etiam superior canonum descriptio manifestat.

17. Nunc ad ipsorum argumentationem [b] canonum stylus sermonis vertendus est, in quo prorsus argumento fructus et utilitas cujusque canonis subtili consideratione discutitur. Singulis vero Evangeliis, ab uno incipiens usque ad finem librorum, dispar numerus increscit. Per singulos Evangeliorum codices bipertitus numerus, capitulorum videlicet et canonum, qui est ad invicem dissimilis, singulis capitulis appositus, id est superscriptus habetur; qui uterque numerus, ab uno, primo scilicet capitulo atque canone, in singulis Evangeliis incipiens, usque ad finem cujusque Evangelii per ordinem conscendit. Sed non similiter uterque numerus capitulorum et canonum in Evangeliis principium sumit. Nam capitulorum numerus in fronte cujuslibet Evangelii ab uno incipit, ac dehinc per ordinem usque ad finem ipsius Evangelii percurrit. At vero canonum numerus in nullius fronte Evangelii ab uno exordium sumit, cum primum capitulum secundum Matthæum et Joannem, tertii; secundum Marcum, secundi; secundum Lucam, decimi canonis sit. Sed ab eo loco specialiter incipit, ubicunque in quolibet Evangelio primus canon primum superscribitur; secundo quoque canone ibi incipiente, ubi in Evangelio etiam ipse primo apponitur. Quod et de cæteris canonibus similiter intelligendum est, id est ut tertius et quartus et reliqui omnes canones ibi quisque primus incipiat, ubi in quolibet Evangelio primus superscribitur. (Quod tamen primum capitulum secundum Marcum non in exordio ejusdem canonis, sed quasi in medio ipso canone invenies, id est ubi Matthæus CIII et Lucas LXX capitulum e regione habent notatum. Prima autem capitula Matthæi et Joannis in exordio tertii canonis habes; et primum capitulum Lucæ in principio decimi canonis invenies [c].)

18. Igitur, ut dictum est, capitulorum numerus in fronte cujuslibet Evangelii ab uno inchoat. Canonum vero calculus, licet non in principio cujuscunque

[a] Notemus Sedulii *opus plenarium*, quod non aliud esse puto quam ejus Collectanea in [illegible]. Nos vero lætamur saltem excerpta ejus inedita nobis operis edere potuisse. (*Vide supra.*)

[b] Græce Λόγους, *demonstrationes, rationes.*

[c] Hæc exstant in margine codicis.

Evangelii, tamen ab uno similiter, hoc est primo canone, in quolibet Evangelio exordium habet, secundo et tertio reliquisque canonibus deinceps sequentibus [a]. Itaque canones secundum Matthæum ab octavo (secundum Marcum secundo, juxta Lucam septimo, secundum Joannem decimo capitulo) ab uno, hoc est primo exordiuntur. Quod vero ait utrumque numerum disparem esse, quomodo hoc verum est, cum tertium in Joanne capitulum, hoc est, *erat* autem *lux vera quæ illuminat*, et reliqua, tertium canonem habeat subscriptum, in quo nulla disparilitas sed numeri æqualitas habetur? Sed disparem numerum dissimili colore designatum appellat. Unde per se ipsum explanans, continuo subjungit: *hic nigro colore præscriptus sub se habet a. ex. m. n. d.* Nam capitulorum numerus ex nigro, canonum vero rubicundo ex minio colore perscribitur. Et quia capitula ante canones inventa, nigro colore sicut ab initio cœperunt, describuntur, recte canones per capitula inventi, rubicundo colore ob causam discernendæ ambiguitatis adnotantur. Sed licet uterque numerus, id est capitulorum et canonum, ab uno incipiat, non tamen in eumdem numeri articulum terminatur. Nam capitulorum numerus diverso limite in singulis Evangeliis clauditur. Canonum vero calculus in decimum semper numerum desinit. Unde recte subditur: *qui ad decem usque procedens indicat p. n. in quo sit c. r.* Numerus canonum juxta unumquemque evangelistam ab uno, id est primo, canone incipiens, in decimo canone terminatur. Siquidem in singulis Evangeliis, licet quidam mediales canones non reperiantur, primus tamen ac decimus canon semper apud omnes evangelistas communiter invenitur.

19. Itaque ne ipsa capitula, quodam confuso errore, in alio nisi in suis canonibus computentur, subtili indagine præcavet cum subnectit: *cum igitur aperto codice*, et reliqua usque *doceberis*. Rerum ordinem attentius inspice: nam primo nos admonet evangelicum volumen aperire: secundo, quodlibet capitulum ex subsequenti numero per minium subscriptum, cujus canonis sit, dignoscere. Sed quoniam neque in hoc solummodo perfecta ipsius rei cognitio percipitur, nisi etiam illud sciatur, in quibus capitulis vel unus, vel duo, vel tres evangelistæ, in eodem vel vicino sensu alii evangelistæ concordent, nos ad distinctam seriem canonum recurrere insinuat, ita subnectens: *et recurrens ad principia, in quibus canonum est distincta congeries*, et reliqua usque *adnotabis*. His etenim verbis ad distinctos canonum ordines recurrere nos admonet, ut illud in congerie canonum discamus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista in consimili sensu cuilibet evangelistæ concordet.

20. Et ex hoc loco manifeste intelligitur quod unumquodque Evangelium, non alium nisi suorum capitulorum numerum, debet habere superscriptum. Nam si numerus capitulorum secundum alios etiam evangelistas in unoquoque Evangelio superscriptus fuisset, non nos ad canonum congeriem recurrere admoneret; siquidem hoc necessarium non esset, si in quolibet Evangelio sicut et in congerie canonum, iidem capitulorum numeri secundum plures evangelistas invenirentur. Sed quia nos ad canonum congeriem recurrere admonet, perspicuum est quod illud in congerie canonum discere debemus, in quibus capitulis vel tres, vel duo, vel unus evangelista, in consimili sensu cuilibet evangelistæ concordet, quod non in ipso Evangelio, sed in canonum serie discendum esse ostendit: quippe cum unumquodque Evangelium non alium nisi suorum capitulorum numerum debet habere superscriptum. Unde et in superioribus non plures quam duos in Evangelio numeros crescere confirmans, *hic*, inquit, *nigro colore præscriptus, sub se habet alium ex. m. n. d.* Nam si quodlibet in Evangelio capitulum non solum suum numerum, sed etiam numeros capitulorum secundum alios evangelistas haberet superscriptos, non singulariter numerum ipsorum capitulorum, sed pluraliter enumeraret ac diceret: Hi nigro colore præscripti sub se habent alium ex. m. n. d. Sed quia capitulorum numerum quomodo et canonum singulariter describit, illud insinuat quod unumquodque in Evangelio capitulum, non alium nisi suum numerum debet habere superscriptum. At vero huic opposito secundum alios evangelistas capitulorum numeros, in congerie canonum perquirendos esse admonet.

21. Quæritur autem cur ipsa aliorum evangelistarum capitula cum proprio cujuslibet evangelistæ capitulo conjunctim superscribantur, cum sancti Hieronymi sententia unumquodque Evangelium nullum nisi purum capitulorum numerum habere superscriptum astruere videatur. Sed forte aliquis benevolus ipsorum capitulorum numerum Evangeliis inscripsit, quatenus infirmioribus sensu laborem et difficultatem recurrendi ad congeriem canonum tolleret; aut si forte quilibet ipsam congeriem canonum in suis codicibus adnotatam non haberet, saltem numerum eorumdem capitulorum Evangeliis inscriptum teneret. Unde sicut jam propria cujuslibet evangelistæ capitula cognovit, sic etiam qui vel quot evangelistæ alii, in suis capitulis huic evangelistæ concordent, cognoscere possit.

22. Itaque postquam in Evangelio, cujus canonis sit quodcunque capitulum didicimus, ad principia, hoc est ad titulos singulorum canonum, recurramus. Nam principium canonis est suus proprius titulus, qui sic præscribitur: *Incipit primus canon, in quo quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes.* Similiter et cæteri usque ad x canones sua principia, id est proprios titulos habent prænotatos. Sed cognito canone ex inscriptionis titulo, subsequentem capitulorum ejusdem evangelistæ tramitem perspice; atque

[a] In margine legitur: « nam capitula primi canonis primo loco in quolibet Evangelio usque ad finem computare debemus; dehinc secundo loco capitula secundi canonis; tertio tertii, cæterorumque canonum capitula in quolibet Evangelio secundum ordinem sunt numeranda. »

in ipsius serie tramitis, eumdem capituli numerum quem in Evangelio superscriptum notasti, si non mendosus codex fuerit, incunctanter invenies. Sed in aperto codice Evangelii utrumque didicisti, id est numerum capituli, et canonem cujus sit ipsum capitulum. Quid autem proprie discatur in distincta canonum congerie, continuo explanat dicens: *atque e vicinia cæterorum tramitibus inspectis, quos numeros e. r. h. a.* Cæterorum namque est ut in distincta novem canonum serie illud proprie cognoscatur, quod in diversis tramitibus cuilibet capitulo oppositi capitulorum numeri apud unum seu plures evangelistas intelligantur.

23. Sed quid prodest in canonum tramitibus numerum capitulorum solummodo dignoscere, nisi eorum vim ac sensum in contextu ipsius Evangelii ad purum comprehendere possimus? Unde nos ad ipsos Evangeliorum codices recurrere hortatur, cum subinfert: *et cum scieris, recurres ad volumina singulorum*, et reliqua usque *dixerunt*. Cum in quolibet canone intellexeris varios capitulorum numeros, et qui vel quot evangelistæ in ipsis variis capitulis cuilibet alii evangelistæ concordent, tunc recurrens ad volumina singulorum evangelistarum, statim eosdem capitulorum numeros, quos ante in subnotatis canonum tramitibus signaveras, per singulos evangelistas, id est per singula Evangelia, appositos et superscriptos esse videbis, atque eosdem evangelistas in suis propriisque locis eadem vel similia dixisse reperies. Recurres subinde cum fixa mente et firma memoria. *Volumina*, codices singulorum evangelistarum. Repertis enim subinde in voluminibus singulorum evangelistarum numeris propriorum capitulorum, quos signaveras in canonibus, reperies intus in textu evangelico et loca, id est capitulorum aliorum evangelistarum, in quibus locis vel eadem vel vicina, id est ipsum vel similem sensum, in ipsis capitulis iisdem evangelistæ dixerunt. Primo itaque nos admonet, ordinalem cujuslibet capituli numerum in Evangelio scire. Secundo cujus canonis sit ipsum capitulum in ipso Evangelio suspicere. Tertio eidem capitulo apud unum vel plures evangelistas oppositos capitulorum numeros in canonem distinctis tramitibus dinumerare. Quarto vim ac sensum eorumdem capitulorum in contextu evangelico quærere, id est quatenus utrum eadem sint vel vicina capitula, dignoscere possimus.

24. Sequitur præfationis conclusio: *opto ut in Christo valeas, et memineris mei, beatissime papa.* Magno dilectionis affectu beato Damaso, ut in Christo valeat, exoptat. Deinde præmium suscepti a Damaso operis charitative poscit, cum beatissimum papam, ut in sacris precibus et quolibet spiritali juvamine ipsius meminerit, desiderabiliter exorat. Finit præfatio.

ITEM HIERONYMUS DAMASO PAPÆ [a].

25. *Sciendum etiam, ne quis ignarum ex similitudine numerorum error involvat.* Hoc argumentum de continuatis [b] capitulorum similitudinibus, et de oppositis eorum collocationibus indistincta canonum serie pertractat. Cujus argumenti causam ostendit dicens, ne quis ignarum ex similitudine numerorum, scilicet capitulorum, error involvat. (Ut verbi gratia, in primo canone secundum Matthæum, capitulum undecimum quater notatur; secundum Marcum capitulum quintum quater notatur; secundum Lucam, capitulum decimum quater notatur [c].) Sicut enim ex rerum differentia certa scientia percipitur, sic e contrario ex indiscreta similitudine, erroris caligo nascitur. Sed quomodo huic errori succurratur, videamus. *Quod sicubi in subnotatione canonum distinctorum, in canone quolibet*, et reliqua usque *continuatas similitudines*. Sensum hujus loci breviter perstringamus. Ubicunque in subjectis canonum tramitibus videris tres evangelistas id ipsum capitulum bis vel ter vel quater eo amplius adnotando iterantes, et quartum evangelistam oppositis in suo tramite diversis capitulis conspexeris decurrentem, nihil aliud ibi intelligendum est, nisi quia illud quod tres evangelistæ in singulis capitulis semel dixerunt, quartus evangelista toties multipliciter narraverit, quoties diversis capitulis eumdem sensum replicaverit.

26. Sed cum hæc sententia ad primum solummodo pertineat, in quo quatuor evangelistæ concordant, quærendum cur dicat *in quolibet canone*, cum non in alio nisi in primo solum canone hæc inter tres et unum evangelistam concordantia sit. Itaque sciendum est quod nomen primi canonis commune sit quatuor evangelistis, quibus ipse primus canon communiter deputatur. Nam in quatuor canones ipse primus canon dividitur, qui sit primus canon secundum Matthæum, item primus canon secundum Marcum, dehinc primus canon secundum Lucam, postremo primus canon secundum Joannem. Quod autem ait, in canone quolibet tres evangelistas bis vel ter vel quater aut etiam eo plus eumdem numerum per ordinem habere adnotandum, non ita sentiendum est quasi quolibet primo canone, verbi gratia secundum Matthæum, tres evangelistæ in uno ipsius Matthæi tramite, eumdem capituli numerum multipliciter adnotarent; sed ita intelligendum quod tres evangelistæ singuli per se in quolibet primi canonis tramite eumdem capituli numerum replicare solent. Nam in canone primo secundum Matthæum, itemque in canone primo secundum Marcum, dehinc in canone primo secundum Lucam, deinde in canone primo secundum Joannem, hanc replicationem crebro invenies. Hæc autem replicatio fit, non quod in contextu sui Evangelii quilibet evangelista unum capitulum bis, vel ter, vel quater aut plus iteraverit,

[a] Negat Vallarsius, sancti Hieronymi editor, alterum hunc prologum, qui specialiter ad canones pertinet, habere auctorem sanctum Hieronymum. Noster tamen Sedulius, quin germanus æque fetus beati doctoris sit, dubitasse non videtur.

[b] Glossa, *samahaften*.

[c] Hæc erant in margine.

cum prorsus illud capitulum nonnisi semel dixerit; sed ob hoc numerus ejusdem capituli in canone replicando prænotatur, quatenus ipsum capitulum quibusque oppositis apud alios evangelistas capitulis in eodem vel consimili sensu respondere monstretur.

27. Ex quo mira res fit, quod quando in Evangelio suo quilibet evangelista consimilem sensum per varia capitula iterat, tunc in distinctis canonum tramitibus, nullus eorumdem capitulorum similis numerus replicatur. At vero cum in evangelico volumine a quovis evangelista semel aliquid dicitur, tunc in canonum congerie ejusdem capituli numerus recapitulatur; quia nimirum hoc quartus evangelista variis capitulis edisserit quod alii tres semel dixerunt: ideoque numerus ejusdem capituli in canonum tramitibus repetitur, eo quod sensus ipsius in oppositis apud alios evangelistas variis capitulis continetur. Itaque quod Matthæus undecimo, Marcus quarto, Lucas decimo capitulo, in exordio primi canonis semel proloquuntur, quartus Joannes eumdem sensum quatuor capitulis, hoc est VI, XII, XIV et XXVIII, multipliciter edisserit.

28. *Item si uno quolibet eorum, aut etiam duobus*, et reliqua usque *quoticns prætulerint in numerorum adnotatione distantiam.* Sensum hunc breviter explicemus. Hoc etenim dicit: Ubi in canonum distinctis tramitibus unus vel duo evangelistæ eumdem capitulorum numerum bis, vel ter, vel quater, aut plus iteraverint, et diversus capitulorum numerus in cæteris evangelistis, uno scilicet vel duobus, inveniatur oppositus, nihil aliud in hoc sciendum est, nisi quia illud quod unus aut duo evangelistæ bis vel ter vel plus replicaverint, toties unus aut duo alii evangelistæ eumdem sensum proloquantur, quoties oppositis diversis capitulis ipsum sensum proferunt.

29. Sciendum autem quod hæc argumentatio ad omnes canones, excepto decimo canone, communiter pertineat. Cum enim duo evangelistæ semel aliquid dicunt, et alii duo multipliciter, hoc primo canoni deputatur: cum vero unus semel, et duo multipliciter narrant, secundo et tertio quartoque canoni ascribitur: quando vero unus semel, et alter multipliciter quemlibet sensum pronuntiat, in quinque canonibus, hoc est quinto, sexto, septimo, octavo ac nono canone hujuscemodi consonantia reperitur. Unde recte subjungitur: *hoc et in omnium novem canonum collatione seruabitur;* illud procul dubio insinuans quod hæc posterior argumentatio omnibus, præter decimum, canonibus communis sit. Quod ipse ostendit cum subinfert: *cæterum in decimo, quoniam propria s. t. c. non potest contra id comparatio e. q. v. est.* Nam si comparatio est, vel similium, vel diversorum ad minora, vel minorum ad majora collatio, nulla comparatio fieri potest de his quæ per se absoluta existunt. Sequitur conclusio: *opto ut in Christo valeas et memineris mei, beatissime papa.* Ille in Christo valere dicendus est, quisquis cunctis virtutibus per Christum confortatus existit.

ITEM PROLOGUS QUATUOR EVANGELIORUM

HIERONYMI PRESBYTERI AD EUSEBIUM.

30. *Plures fuisse qui Evangelia scripserunt, et Lucas evangelista testatur dicens: quandoquidem multi conati sunt*, et reliqua usque *et ministri fuerunt sermonis.* In hoc prologo de numero et ordine Evangeliorum expositurus, prius pseudoevangelia eorumque temerarios auctores eleganter refutat. Ac ne suo quasi quodam præjudicio illos respuere videretur, beatum Lucam evangelistam hujus rei testem esse ostendit. *Et perseverantia usque ad præsens tempus monimenta declarant.* Nec solum, inquit, ipse Lucas ipsos notat, sed et propria illorum volumina, quæ usque ad præsens tempus perseverant, eosdem erraticos multis modis produnt. Cur autem reprehensibiles existant, causam declarat dicens: *quæ a diversis auctoribus edita, diversarum hæreseon fuere principia; ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomæum, XII quoque apostolorum.* Illorum, inquit, scripta diversarum hæresium fuere seminaria: ideoque non immerito tam detestandi auctores hæresiarchæ digno vocabulo censentur, qui sub falso titulo, quasi sub apostolorum nomine conscripto, falsa evangelia condiderunt. Quibus Basilides atque Apelles merito subjunguntur, quorum unus CCCLXV cœlos, alter duos invicem contrarios deos inter alia nefanda dogmatizabant.

31. *Ecclesia autem, quæ super petram, Domini* v. *f. e.* Petra Christus intelligitur, juxta Apostolum qui ait: *Petra autem erat Christus;* super quam petram fundatam esse dicit. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Tu es Petrus, et super h. p. æ. E. m. Quam introduxit rex in cubiculum suum.* Cubiculum regis æterni interna sunt gaudia patriæ cœlestis, in quæ nunc introducta est Ecclesia per fidem, in futuro plenius perducenda per rem. *Et ad quam per foramen descensionis o. m. m. s.* Manum suam dilectus sponsus ad nos per foramen mittit, cum nos Dominus occulta invisibiliter compunctione ad opus virtutum accendit. *Similis dammulæ hinnuloque cervorum.* Capreoli etenim pernicitate pedum, insuper et hostium insidias cominus prævidentes, per anfractus montium sagaciter declinare solent. Hinnuli quoque, quomodo et capreoli, pernicitate pedum multum valent. Sic sancta Ecclesia mundis sui cordis oculis, quæ agenda sint quæque vitanda discernit; quæ errorem declinandi anfractus mente sagaci perspicit, et cursu pernici bonæ operationis de convalle lacrymarum in locum quietis [ad sponsum suum vivere medi]tatur; quatenus ambulans de virtute in virtutem, illum videre mereatur in Sion, hoc est in specula sempiternæ habitationis.

32. *Quatuor flumina paradisi instar eructuans.* Quatuor flumina paradisi dicit Geon, Phison, Tigrin, Euphraten; quæ quatuor flumina quatuor evangelistas designant [a], hoc est Geon Matthæum, Phison

[a] Sic est videre in priscis basilicarum Romanarum musivis.

Joannem, Tigris Marcum, Euphrates Lucam. *Quatuor et angulos et anulos h. per quos quasi arcæ t. et custos i. d. lignis in. evehitur.* Per arcam Ecclesia Christi designatur; per vectes doctores exprimuntur, qui aurea Veteris ac Novi Testamenti gemmaque doctrina exornantur; quibus vectibus arca Ecclesiæ ad cœlestem patriam vehitur. Quatuor anguli diffusam per quatuor plagas orbis terrarum Ecclesiam designant. Quatuor circuli doctrinam evangelicam, quatuorque virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam.

33. *Primus autem Matthæus est publicanus, cognomento Levi. Cognomento Levi* dicit, quia ex prosapia tribus Levi ipse originem ducit. Matha in Hebræo sermone domum dicitur; unde Matthæus donatus interpretatur, eo quod ei donatum est ut non solum apostolus, sed etiam evangelista esset. Matthæus apostolus evangelista, qui etiam ex tribu sua Levi sumpsit cognomen, ex publicano a Christo electus, primum quidem in Judæa evangelizabat, postmodum in Macedonia prædicabat. Hic requiescit in montibus Parthorum. *Secundus Marcus interpres apostoli Petri*, et reliqua. Quæritur, cum Petrus scientiam multarum linguarum, quomodo et cæteri apostoli, perceperit, cur dicat Marcum ejus discipulum, ipsius Petri fuisse interpretem? Nisi hoc ita dictum esse sentiamus, quod quando ipse Petrus Hebræo sermone Hebræis evangelizabat, tunc Marcus ut pote ejus discipulus vel idiotis Hebræis vel certe Græcis, seu quibuslibet barbaris audientibus minusque intelligentibus, eumdem sermonem plane interpretabatur. Item cum Græco sermone tantus apostolus evangelizabat, tunc Marcus vel Græcis minus eruditis, sive Judæis, et quibuslibet Græcum sermonem ignorantibus, per illorum propriam loquelam explanabat. Is autem Marcus octavo Neronis anno mortuus placida quiete sepultus est.

34. *Tertius Lucas medicus n. s. a. cujus laus in Evangelio*, et reliqua. Achaia provincia Græciæ, cujus metropolis est Corinthus. Bithynia provinciæ est Asiæ. Obiit autem Lucas LXXIV° vitæ suæ anno, et sepultus est in Bithynia, cujus ossa regnante Constantino Constantinopolim sunt translata. *Ultimus Joannes apostolus et evangelista, quem Jesus amavit plurimum*, et reliqua. Hic anno LXVII° post passionem Domini Salvatoris, sub Trajano principe longo vetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, jussisse fertur effodi sibi sepulcrum, atque vale inde dicens fratribus, facta oratione vivens tumulum introivit, deinde in eo tanquam in lectulo requievit; unde accidit ut quidam eum vivere asserant, nec mortuum in sepulcro, sed dormientem jacere contendant; maxime pro eo quod illic sensim terra ab imo scaturiens, ad superficiem sepulcri conscendat, et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora ebulliat. Quievit autem apud Ephesum VI Kal. Jan.

35. *Hæc igitur quatuor Evangelia*, et reliqua usque *et in medio sicut similitudo quatuor animalium.* Quod dicitur *in medio* ejus sive electri sive iquis, nihil obstat intelligi, quod quatuor hæc animalia, sancti scilicet evangelistæ, et ex Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, et in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti. Nam in specie electri Christus mediator Dei et hominum designatur. Electrum quippe ex auro et argento est. Sic noster redemptor verus Deus et verus homo ex divinitate et humanitate constat. *Et vultus eorum, facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilæ.* Per hæc quatuor animalia, sicut ipse Hieronymus mox exponit, quatuor evangelistæ designantur. Secundum moralem autem intelligentiam, justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis voluntatis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis contra omnia adversa leo, per contemplationem cœlestium efficitur aquila. *Quæ evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote s. i. p. A Zacharia*, inquit, *sacerdote;* id est tanquam ab eo cujus sit ministerium sæpe vitulos immolare.

36. *Crura eorum recta, et p. p.* Per pedes gressus actuum designantur. Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum atque omnium perfectorum opera, ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quæ reliquerunt reflectuntur. Per pennas autem volatus contemplativæ vitæ designatur. *Et quocunque spiritus ibat, ibant, et non revertebantur.* Pennata animalia, videlicet evangelistæ et cæteri prædicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quæ reliquerint, ulterius nullo modo reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora. *Et dorsa eorum plena oculis.* Ea etenim quæ sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, et nos videre non possumus. Quia namque sancti viri solerter se aspiciunt, in quibus ab aliis judicari possunt, et districte se vident, sicut sæpe ab aliis districte videntur, qui in se nec ea quæ se latere poterant, ignorant, lumina in dorso portant. *Et rota in rota.* Rota in rota est Novum Testamentum in Veteri Testamento. Rota namque sacram Scripturam designat, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur. Circulus quippe præceptorum illius more rotæ modo sursum, modo deorsum est, quia quæ perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri spiritaliter intelligendo in altum ducunt.

37. *Viginti quatuor seniorum*, et reliqua. Viginti quatuor seniores in illis intelliguntur qui perfectionem operis, quæ senario numero commendatur, clara Evangelii prædicatione consummant. Nam quater seni XXIV faciunt. *Qui tenentes citharas*, id est corda laudibus Deo dicata gerentes; *et phialas*, id est orationes Deo effundentes. Vel phialas dicit mundas cordium conscientias. *Adorant Agnum Dei,*

id est pro adventu regni Dei supplicantes. *Introduxit fulgura et tonitrua.* Cum in fine sæculi talis fuerit tribulatio, qualis non fuit ab initio, signa pariter maxima clarebunt. *Et septem spiritus discurrentes.* Unum Spiritum dicit septiformem. Unus est enim spiritus; septiformitas vero perfectio est et plenitudo donorum. *Mare vitreum.* Baptisma refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius, quam quod gestat interius. *Animal primum simile est leoni,* et reliqua. De quibus quatuor animalibus supra dictum est.

ANNO DOMINI DCCCXXI.

S. BENEDICTUS

ANIANENSIS ABBAS.

VITA S. BENEDICTI ANIANENSIS

Auctore ARDONE *seu* SMARAGDO *ejus discipulo.*

(Mabill. Act. SS. ord. S. Bened., sæc. IV.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. In Gallia Narbonensi (*le Languedoc*), quam Septimaniam, Gothiam Occitaniamve appellant, multa loca sunt sancti Benedicti nomine ac factis illustrata. Huic ortum dedit comitatus cujus caput Magalona seu Magdalona (*Maguelone*), urbs ad oram maris Mediterranei, episcopalis sedes quondam, ante annum 1536, quo cathedra Pauli papæ tertii auctoritate Montem-Pessulanum translata est. Ea in diœcesi exstat insigne monasterium ab Aniano amne *Aniana* dictum, cujus auctor Benedictus, idem ipse multorum cœnobiorum postea rector, Benedictus Anianensis vulgo appellatus. Ejus Vitam edidit Ardo seu Smaragdus, tanti viri discipulus, rogatu Indensium monachorum; eamdemque Menardus noster cum eruditis notis et observationibus præmisit Concordiæ Regularum a Benedicto conditæ; tum Godefridus Henschenius in Martio Bollandiano novo rursus commentario illustravit; nosque demum auctiorem ex ms. codice Anianensi recudimus hoc loco. Sanctus Ardo huic scriptioni dabat operam superstite Ludovico Augusto, ut patet ex num. 40. Theodulfus eleganti elogio Benedictum Anianensem Benedicto Basinensi comparat in carmine quod huic Vitæ subjiciemus.

2. Benedictum celebrant Martyrologia vetera, tum Anianense, tum Gellonense, *tertio Idus Februarii.* Sic enim in apographo Gellonensi legitur : « III Id. Febr. obitus beati viri Benedicti, qui in provincia Gothia exortus sub Pippino rege Francorum, » etc., iisdem fere verbis quibus usi sunt monachi Indenses in epistola ad Ardonem in calce istius Vitæ referenda. Eodem die sancti Benedicti officium legitur in vetusto Breviario Anianensi, nec alio die ejus memoria colitur Anianæ, ut fallunt nonnulli. Ex quibus corrigenda recentiora Martyrologia, etiam Benedictinum, quæ ejus depositionem rejiciunt in diem sequentem.

3. Anianense monasterium suis impendiis excitavit Benedictus, adjuvantibus Carolo Magno ejusque filio Ludovico Augusto : cujus Ludovici quanta fuerit cum in Benedictum, tum in ipsius monasterium animi propensio, probant varia quæ concessit, quæque ego ipse legi diplomata minimum tredecim; quatuor quidem Benedicto abbati inscripta, quintum Senegillo Benedicti successori, sextum Georgio abbati, Trutesindo itidem abbati quatuor, tria Ermenaldo; omnia in gratiam Anianensium monachorum. Istorum diplomatum summaria capita et chronologicas notas referre juvat, quo primorum Abbatum Anianensium ordinem ac seriem delibemus.

4. Benedictus e monasterio Sancti Sequani egressus, postquam annos aliquot in cella prope Anianum exstructa vixit cum discipulis suis, grande cœnobium *Anianam* dictum ædificavit, et basilicam Salvatori ac beatæ Mariæ nuncupari jussit circiter annum 782. Tum Carolus Magnus ei privilegium immunitatis concessit in sequenti Vita relatum, cujus characteres chronologici exciderunt. Privilegium hoc Ludovicus Augustus, petente Benedicto, confirmavit « VIII Kl. Mail, anno primo imperii, indict. 7, Aquis palatio, Durando diacono ad vicem Helisacaris recognoscente : » cum pridie ejus diei immunitatem ab itinerariis censibus eidem concessisset. Dein « vir venerabilis Benedictus abbas una cum consensu Georgii venerabilis abbatis Anianensis monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, et monachis ibidem consistentibus, seu etiam Nebridii archiepiscopi, » privilegium ab eodem impetravit *de Bellacella,* concessum « VII Id. Martii, anno 6 imperii, indict. 12, Aquisgrani palatio. » Denique idem imperator, suggerente Benedicto, monachis Anianensibus fecit potestatem, « ut advocati monasterii perdita quærerent, et justa possessa ubique secundum legem defenderent, » litteris datis « Idib. Octob., anno imperii 3, indict. 11, Compendio palatio, quas Durandus Diaconus ad vicem Fridigisi recognovit. »

5. Benedictus Aquisgranum ab Ludovico vocatus, et Indæ monasterio præfectus, Senegillum Anianæ abbatem substituit anno 815. Id patet ex ipsius imperatoris diplomate de Casa nova sive Gordanico, dato « anno 2 » imperii ejus, quod postea integrum referemus.

6. Senegillo Georgius suffectus a Benedicto est anno 819, uti discimus ex aliis Ludovici litteris de Bella-cella, quas modo citavimus, integras inferius adducendas.

7. Georgium excepit Trutesindus anno 822, cujus

abbatis electionem confirmant Ludovici Augusti litteræ ab Acherio nostro editæ in Notis ad Guibertum; aliæque ejusdem imperatoris ad eumdem abbatem litteræ exstant in tabulario Anianensi de immunitate monasterii, « datæ XIII Kal. April., anno 9 imperii Ludovici, indict. 15, Aquisgrani palatio. » Item aliæ de Gellone, Monte-calmensi, aliisque de rebus, datæ Aquisgrani die insequente ejusdem anni. Denique aliæ de quibusdam rebus villæ Cinciani « in pago Biterrensi, » quas res « Arnaldus comes domno Benedicto tradiderat; » sed postea fisco « a missis dominicis revocatas » Ludovicus Tructesindo restituit « anno 9 imperii, XIX Kal. Septemb. Carbonaco villa, Hirminmario diacono ad vicem Fredugisi recognoscente. »

8. Trutesindum sequitur Ermenaldus, cui Ludovicus privilegium ab ipso jam pro advocato donatum confirmavit « XII Kal. Aug. anno 22 imperii, indict. 13, Strennaco villa, » quas litteras legesis in Notis ad Guibertum, pag. 647. Eidem abbati concessæ item sunt aliæ litteræ inferius referendæ, quibus Ludovicus confirmat omnes possessiones monasterii, « XII Kal. Novemb., anno 24 imperii, indict. 15, Aquisgrani palatio: » quod alio diplomate jam præstiterat de cella Gellonensi « XIV Kal. Octob. » anno et loco iisdem.

9. Ermenaldo successit Arnulfus, ad quem exstat diploma Caroli Calvi, datum « in Pontione fisco regio, anno 13 regni » ejus. Hæc de primis Anianæ abbatibus dicta sint ad corrigendos indices vulgatos. Alios investigare mihi non promptum, aliis rebus occupato.

10. Nec mirum si tot tantisque privilegiis et immunitatibus donatum est Aniana monasterium, ut pote « cunctorum caput cœnobiorum, non solum quæ in Gothiæ partibus constructa esse videbantur, verum etiam et illorum quæ aliis in regionibus ea tempestate et deinceps per hujus exempla ædificata atque de thesauris illius ditata sunt, » inquit Ardo. In ms. codice Anianensi Vitæ sancti Benedicti Anianensis præmittitur inscriptio in hunc modum: *Vita beati Benedicti abbatis Anianæ scripta et missa per S. Ar.*, id est (ut conjicio) *Smaragdum Ardonem*, aut certe, *sanctum Ardonem*.

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. Dominis merito venerabilibus Patribus, Fratribusque, Inda monasterio Deo Jesu famulantibus, Ardo servorum Christi famulus salutem dicit. Jam pridem, dilectissimi fratres, vestræ ad me delatæ fuerunt litteræ (*infra*), amore piæ recordationis Patris nostri Benedicti abbatis stipatæ, exitumque ac migrationem ejus ad Christum breviter, sed amabiliter continentes. In quibus exiguitatem meam admonere estis dignati, ut latius initium conversationis ejus audire cupientibus scriberem: sed hactenus virium mearum cernens pondus excedere, distuli. Siquidem sagaci industria scribentibus præcedentium vitam meritis venerabilem, virtutibus celebrem, curandum est, ne aut negligentia torpentes omittant utilia, aut inducti gratia adjiciant supervacua: sed diligentissime exquisita, nec non evidentium relatione testium roborata currente calamo scribant, non rusticitatis vitium redolentes peritorum aggravent aures, sed urbanitatis salefacientie [a] condita proferant verba, politisque sermonibus, ut ita dixerim, derogantium demulceant aures. Meæ vero ipse imperitiæ expertus, vestris quandoque pariturus præceptis longo silui tempore, et ut ab eruditioribus explicaretur sustinui: periniquum nempe decernens, si tanti patroni vitam imperitis attingerem verbis, peritioribusque debitum auferrem laborem, qui queunt, copia verborum affluentes, pompatice quæque volunt enucleare, et inter syrtes nihil paventes regere cymbam, solœcismorumque vitare fetorem; facundiaque eloquentiæ præditi, ex abundanti eis est copia fandi derogantium comprimere linguas. Pavebam ne hi dum vitiose composita corrigere vellent, a male contextis exacerbati adjudicarent negligenda: præsertim cum noverim vos sacræ aulæ palatii assistere foribus, nec turbulenti rivuli sitire potum, quin potius ab indeficienti vena purissimi fontis sedulo sapientiæ haurire fluenta. Hæc me ratio annali continuit spatio.

2. Interea cœperunt me mordacissimis verbis ab inerti studio expergescere fratres, quos ipse pio conamine genuerat Christo, et ut eis illum gestis vitæ religiosæ resuscitarem compellere; a quo absentes esse solo constat consortio corporis, non plenitudine charitatis. Sic tandem aggredior explicare opus. Dedit ausum ac consilium veniale etiam locus, qui ab eo primitus constat esse constructus, fratresque qui ejus noverant conversationis initia. Nam quod aliis contigit vix non audiri, ab his potuit vix non videri. Igitur pro captu rebus ex parte collectis, impensas operi accuratius explicaturi paramus, et quasi quoddam seminarium latius promulgaturi nimium arctamus; hoc humili prece poscentes, ut si quis hoc despexerit opus, linquat aut corrigat: sin alias, legere et sequi volentibus sinat, seque ad præcedentium Patrum Vitam legendum convertat. Et si hanc ab eorum tramite juxta vires non aberrasse repererit, gratuletur: sin autem, non temere judicando refutet; sed lacrymabiliter intérveniendo ei æquissimum Judicem pacatissimum reddat.

3. Vestris quia parui jussis, o sanctissimi fratres, precor, ut me orando adjuvetis ad Deum quatenus orantibus vobis, et meorum mihi detur venia delictorum, et posteris proficiat in augmentum. Rursusque obnixe postulo, ut hanc pervigili studio relegatis, et quæque vitiose contexta fore probaveritis, elimando corrigite: si qua vero utilia, in arcano pectoris vestri excolenda servate. Siquidem imperio vestro silentii vi subtracta affectum præbuimus, non effectum; loqui nostrum vobis imputabitis, qui non tacere nos imperasse recolitis. Et quoniam ei unicæ dilectionis affectu migranti de sæculo Helisacar [b] hæsit abbas, sicut ipsius auro pretiosor nobis dire

[a] Menardus habet *sale facientis*. Henschenius expunxit vocem *facientis*, cum tamen habeatur in codicibus mss. *salefacientie*.

[b] De eo item infra in epistola Indensium Mona-

cta testatur epistola; post vestram examinationem illi singulariter censeo præsentari. Esto, occulendam esse decreverit, veniam de meo posco errore: sin vero utilem, qui libenter paruerunt viventi, imitari satagant vitam absentis. Perantiquam siquidem fere consuetudinem, hactenus regibus usitatam, quæque geruntur acciduntve annalibus tradi posteris cognoscenda, nemo, ut reor, ambigit doctus. Et quoniam mens diversis rebus partita oblivione cæcatur, divinitus credimus esse consultum, ut quæ oblivio prolixa percurrente tempore poterat abolere, litteris mandarentur servanda, quarum lectione jucundantur, hilarescunt, totosque se ad gratiam inflectunt hi qui talia conspiciunt legere: nec ab his temerarius judicatur auctor scripturæ, etiam si contingat minus politis perstrepere verbis, ad quam avide cognoscendam desudant. Concedant igitur nobis et præcedentium legere Vitam, et posteris mandare quæ ipsis nostris temporibus vidimus, vel audivimus, ad augmentum animarum profutura: nec condemnemur de imperitis sermonibus, et rusticitatis vitium redolentes, quoniam ratum ducimus normam salutiferam licet rudibus depromere verbis, et in abjectis virgulis pulcherrimum pandere fœnum. Suo quisque sumat arbitrio, quæ animo comperit placitura.

chorum de obitu Benedicti. Abbas erat monasteriorum Sancti Maximini apud Treviros, Centulæ in Pontivo, Gemetici in Neustria; Ludovici Augusti etiam cancellarius, laudatus apud Amalarium in præfatione Antiphonarii, in Chronici Centulensis lib. I, in consultatione Agobardi de baptismo Judaicorum mancipiorum, et in libro de dispensatione; anno 827 a Ludovico missus cum aliis ad motus Hispanicæ marcæ comprimendos, teste Eginhardo.

INCIPIT VITA.

4. Igitur vir venerabilis, nomine et merito Benedictus Abbas, ex Getarum [a] genere partibus Gothiæ oriundus fuit. Nobilibus natalibus ortus, sed cum superna pietas potiori virtutum claritate nobilitavit. Pater siquidem ejus comitatum Magdalonensem, quoadusque vixit, tenuit; et Francorum genti fidelissimus totis viribus exstitit, fortis et ingeniosus: hostibus enim valde erat infestus. Hic nempe magna prostravit strage Wasconas, qui vastandi gratia fines regni Francorum fuerant ingressi: e quibus nullus evasit, nisi quem pernix fuga salvavit. Hic puerilis gerentem annos præfatum filium suum in aula gloriosi Pippini regis reginæ tradidit inter scholares nutriendum; qui mentis indolem gerens, supra ætatem diligebatur a commilitonibus: erat quippe velox et ad omnia utilis. Post hæc vero pincernæ sortitur officium. Militavit autem temporibus præfati regis: post cujus excessum, cum regni gubernacula Carolus gloriosissimus rex potiretur, ei adhæsit serviturus.

5. Interea illustrante divina gratia, supernæ cœpit flagrare amore, et ut sæculum linqueret totis æstuare nisibus, perituramque fastidire honorem, ad quem cum labore attingere posse cernebat, sed adeptum cito amittere. Per triennium autem hoc corde tegens, soli Deo secretum tenuit, corpore, non mente se sæculi actibus inserens. Tentabat igitur infra hoc spatium, si continentiæ culmen arripere posset, subtrahere cœpori somnum, reprimere linguam, abstinere a cibo, parcius sumere vinum, et veluti peritus athleta ad futurum se componere bellum. Præmeditabat siquidem in sæculari adhuc habitu sistens, quæ postea devotus implevit; sed quamquam se a sæculi actibus exuere vellet, hæsitabat tamen quibus hoc modis faciendum esset: utrum peregrini assumeret habitum; an forte se alicui conjungeret, et hominum oves aut armenta gratis pasceret; an etiam in civitate sutoris exerceret artem, et quæ habere posset pauperibus erogaret. Sub tali quippe certamine fluctuante animo ad amorem se vitæ regularis convertit.

6. Eo namque anno quo Italia gloriosi Caroli regis ditioni subjecta est, cum frater ejus incaute fluvium quemdam transfretare vellet, et a tumentibus raperetur undis, hic equo sedens, periculum conspiciens fratris, sese inter undas præcipitem dedit, ut pereuntem a periculo redderet extorrem, atque natante equo fratris attigit manum; quem cum tenuit, tentus est; vixque qui eripere morientem voluit, mortis evasit periculum. Tunc se voto Deo constrinxit, sæculo deinceps non militaturum Patriam petit, sed hoc patri non patefecit. Quidam autem erat religiosus Widmarus nomine, corporea luce carens, sed cordis luce resplendens, cui velle suum ostendit; isque secretum tenuit, et consilium salubre præbuit. Præparatis itaque omnibus iter quasi Aquis iturus arripuit; sed ubi sancti Sequani ingressus est domum, redire suos ad patriam jubet, seque in eodem cœnobio Christo Deo servire velle indicavit. Postulat ingrediendi licentiam; qua adepta, mox capitis comam deposuit, et veri monachi habitum [b] sumpsit.

7. Factus vero monachus incredibili inedia per biennium et sex mensium spatia corpus suum affli-

[a] Id est Gothorum, qui ab anno 412 Tolosam insederunt in vicinas inde regiones effusi: quanquam Getas, Danubii juxta Daciam accolas indigenas, a Gothis adventitiis distinctos esse constat.

[b] Anno scilicet 774, quo recepta a Carolo Italia.

Certe Benedictus obiit anno 821, post annos monasticæ professionis quadraginta octo. De sancti Sequani monasterio diximus ad Vitam sancti Sequani sæculo I et sæculo III, ubi de sanctis Altigiano et Hilarino monachis.

gere cœpit. Sic quippe carni suæ, ac si cruentæ bestiæ erat infestus, cibum permodicum sumens, pane videlicet et aqua corpus sustentans, mortem potius quam famem arcens, vinum siquidem ceu pestiferum virus devitans. Somnum si quando devictus animus sumere vellet, vili se strato paululum quieturus collocans, aliquando nuda humo prostratus nimium defessus quievit, ipsa sua se plus requie lassaturus. Sæpe etiam pervigil in oratione pernoctans, nudis plantis in pavimento glaciali rigore perfusus, persistens in divinis nempe meditationibus ita se totum contulit, ut quamplures continuaret dies, sacris psalmodiis deditus, silentii legem non interrumpens. Quiescentibus cunctis, hic eorum calceamenta aquis mundans tergebat, eaque locis congruis lota restituebat. Heu, prob dolor! quidam veluti illudentes insano prorsus, procul posito caligas jactabant, quorum vesanam insipitudinem hic altiori consilio bene tranquillus ferebat. In vestitu namque suo tanta se vilitate dejecit, ut vix persuaderi nescientibus veri simile forte possit. Erat itaque ei vilis et pervetusta tunica, quam non nisi post plures exactos mutabat dies. Quapropter copia pediculorum in squalenti surgebat cute, a quibus jejuniis attenuata depascebantur membra. Cucullæ illi nimia erant vetustate consumptæ; et si quando veterascentia rumperentur fila, ex dissimili colore foramen patens pannum repertum sarciebat: quæ res eum satis reddebat deformem. Quam ob rem a compluribus deridebatur, impellebatur, conspuebaturque: sed cœlo animus fixus, viliora appetens, cum in festis diebus cultioribus se reliqui componerent vestibus, hic sine reverentia coram obtutibus omnium utebatur. Balnearum usus per idem tempus suo corpori nunquam indulsit; munditias autem monasterii, quoties opportunitas expetiit, exercuit.

8. Compunctionis gratia, ope divina concedente, tanta ei largita est, ut quoties vellet, fleret. Quotidie lacrymis, quotidie gemitu ob gehennæ metum alebatur, illud Davidicum amabiliter canens: *Cinerem sicut panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10). Pallebant ora jejuniis, et macie exhausta carne, pellis ossibus inhærebat, ac in modum palearia boum rugata pendebat. Hoc modo tenerum quasi indomitum animal non tam mansuefaciens, quam, ut ita dicam, mortificans corpus, cum cogeretur ab abbate parcius erga semetipsum exercere rigorem, assensum minime præbuit. Regulam quoque beati Benedicti tironibus seu infirmis positam fore contestans, ad beati Basilii dicta nec non Pachomii regulam scandere nitens, quamvis exiguis possibilia gereret, jugiter impossibiliora rimabat. His se pœnitentiæ la-

mentis prælibans, quoniam inimitabilis erat vel nullis vel paucis, coopitulante gratia divina, ut multorum fieret documentum salutis, in amorem præfati viri Benedicti regulæ accenditur, et veluti de singulari certamine novus athleta ad campum publice pugnaturus accessit. Interea cœpit aliorum corrigere mores, negligentes arguere, exhortari tirones, ut proficerent admonere probos, ut corrigerentur increpare improbos.

9. Injungitur ei post hæc custodiendum cellarium, quo memoriæ Regulam præfati Patris commendavit, et juxta præceptum illius totis viribus sese componere, ac licita petentibus sine mora studebat largiri, male petentibus denegare, impossibilia exquirentibus blande excusare. Et quoniam pro libita voluntate eis pocula non præbebat, æquis obtutibus a compluribus non intuebatur. Hospitum, infantum, pauperumque omni sagacitate curam gerebat. Abbas quoque eum summo colebat affectu, eo quod esset in omnibus utilis, et suæ vitæ cautus, de aliorum salute sollicitus et circa ministerium frequens, in loquendo ratus, ad obediendum promptissimus, in monendo affabilis. Contulerat siquidem illi divina pietas inter alias quamplures virtutes etiam intelligentiæ donum, eloquentiæ spiritalis copiam.

10. Decurso quinquennii et octo mensium in salutiferis rebus spatio abbas præfati monasterii migravit e sæculo. Tunc omnes uno animo pariqne consensu Benedictum sibi præferri optant. At ille suis illorumque non convenire moribus cernens, ad patrium concitus solum contulit pedem, ibique in patris suamque possessionem super rivulum, cui nomen est Anianus, nec non prope fluvium Arauris, cum præfato viro Witmaro paucisve aliis, juxta beati Saturnini permodicam ecclesiam, cellam exiguam ad habitandum construxit: quo in loco nonnullos annos magna cum penuria vixit, noctibus diebusque cum gemitu et lacrymis clementiam implorans divinam, ut velle suum effectum proveheret efficacissimum. Erant autem per idem tempus in provincia illa quidam summæ sanctitatis strenui viri, Atilio videlicet et Nibridius [a], necnon et Annianus religiose degentes, sed regularem ignorantes custodiam: a quibus compertus non modice diligebatur. Siquidem dum eum aliqua adversa impulsio paululum superare tentaret, mox strato asello ad Atilionem, qui ei vicinior erat, propere festinabat.

11. Primo siquidem tempore ardenti animo perplures, sæculo relicto, cum eo religiose vivere tentabant; sed fracti animo, novum formidantes genus vitæ, dum inauditam cœgebantur arripere abstinentiæ viam, ut panem in pondere, vinumque in mensura perciperent, mox ut suos ad cœnum canisque

[a] Theodulfus Aurelianorum episcopus hos laudat in carmine inferius adducendo: ex quo mihi fit veri simile id quod ait Menardus, Nebridium seu Nibridium hunc esse ipsummet Nebridium monasterii Urbionensis seu Crassæ abbatem, et archiepiscopum Narbonensem, qui *Nisridius* appellatur tum ab Alcuino in epistola præfixa libris duobus contra Elipandum, tum in diplomate quodam Caroli Magni concesso anno 6 imperii. *Nimfridius* vero in Necrologio Crassensi notatur, his verbis: « Kal. Januar. Nimfridius abbas et archiepiscopus Narbonensis. »

ad vomitum in calle salutis positum retrahebant pedem. Quorum instabilem vir Dei intuens fidem, turbatus ad proprium voluit redire cœnobium. Qua de causa consulendum præfatum adiit virum : cui cum velle suum narrasset, increpavit eum ille dicens, sibi esse ostensum cœlitus, lucernam illum datum hominibus. Quapropter cœptum constanter oporteret implere bonum; fraude hoc antiqui fieri hostis, qui semper invidens bonis infestus est actibus, cui assensus præbendus est nunquam, sicque ejus consilio adminiculatus intrepide aggressus est, quod ardenti perficere optabat animo, non super alienum fundamentum ædificans, sed novo opere construere domos cœpit, ignotamque salutis pandere curabat viam.

12. Igitur venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis fratribus, qui ejus comperta opinione ad eum confluxerant, in jam memoratum locum cœpit florere in religione pia, et cœleste iter volentibus pandere gratis, propriis laborare manibus : et ne aliis prædicans ipse reprobus inveniretur, quæ sequenda monebat, prior implere curabat. Non enim perterritus inopia cœptum deseruit opus ; sed, ut ait Apostolus, *in fame, et siti, in frigore et nuditate* (*II Cor.* XI, 27) positus hortabatur inconcusso subjectos persistere corde, docens arctam et angustam viam esse quæ ducit ad vitam, et non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelanda est sanctis. Quo documento roborati, majoribus se atteri optabant laboribus. Nulla eis tunc erat possessio, non vineæ, non pecora, non equi ; unus tantum erat asellus, cujus solamine cum alicubi pergendum esset, vicissim fratrum arcebatur defectio. Vinum tantum diebus Dominicis solemnibusque percipiebant. Pellebatur aliquoties eorum esuries lacte delato a vicinis mulieribus : quoniam ariditate tabuerant corpora eorum, solo viventes pane et aqua. Quapropter ut pigrum depellerent frigus, lectaria [a] utebantur, cum in vigiliis divinis assisterent. Erant quippe pauperes rebus, prædivites meritis ; et quo eorum atterebantur inopia corpora, eo magis saginabantur virtutibus animæ. Æstuabant siquidem amore cœlesti, solæque lacrymæ illis in angustia ferebant solamen. Quorum invictam fraternam unitatem hostis cernens antiquus hac eam scindere arte molitur.

13. Unum eis erat circa molinum, in quo quæ habere poterant molebant cibaria. Instigatus autem maligni cogitationibus quadam eis nocte hospes advenit, quem juxta posse refectum in strato aselli collocant. At ille male vigil quiescentibus illis surrexit, et secum in quo jacuerat perferens, situlamque de qua hauserat aquam, sed et ferramenta molini non oblitus abscessit; pro bonis mala rependens. In crastinum vero damnum compertum magistro discipuli narrant, quos benevole ferre illatas contumelias docuit, damnaque lucra putare, illique potius dolendum asseverans, qui dum nisus est acquirere lucrum, perdidit fidem.

14. Cœpit interea paulatim turba discipulorum crescere, et fama piæ religionis sensim per circa habitantium ora volitare, seseque extendens ad longe posita decurrere loca. Et quoniam vallis, in qua primum insederat, perangusta erat, paululum extra confinia ejus monasterium novo opere construere cœpit, laborantibusque fratribus ipse aliquando collaborare, aliquando autem eorum ad vescendum decoquere victum, librumque etiam pariter circa coquinam occupatus scribere satagebat. Lignamina vero sæpe propter penuriam boum humeris propriis cum discipulis deferebat. Domus enim in eo erat loco, quo fundare moliebantur monasterium, quam auctam in honore sanctæ Dei genitricis consecrarunt Mariæ. Concurrentibus undique, et illius se certatim subjicere magisterio postulantibus, et fabrica monasterii cito perficitur, et in rebus locus ditatus augmentatur, dantibus singulis quæ habere poterant. Non enim ornatis parietibus tegulisque rubentibus, vel pictis laquearibus, sed stramine vilique maceria cooperire, vel facere domos decreverat. Licet enim multiplex numerus fratrum augeretur, ille semper viliora et humiliora appetebat. Quapropter si quis de possessionibus suis aliquid conferre monasterio vellet, suscipiebat ; sin vero servos ancillasque copulari niteretur, refugiebat, nec passus est quemquam per idem tempus per chartam monasterio tradi, sed ut fierent liberi imperabat. Vasa autem ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse [b] argentea : siquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea ; sic tandem conscendit ad stannea ; planetam vero refutabat habere sericeam : et si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum præstabat.

15. Præterea surrexerunt in regione eadem vel circumquaque nonnulli viri religiosi ædificantes monasteria, aggregantes monachos, seseque ad exemplum beati viri exercitantes et ex ejus magisterio imbuti, vitam pristinam priscosque amputantes errores, quibus ipse ut pater erat, subsidium opemque ferens, non spiritualium solummodo rerum, verum et corporalium : quos sæpe visitans hortabatur cœptum non deserere opus, ne egestate perculsus terroribusque attritus retro respiceret animus. Sicque documento salubri fulta numerosa ad-

[a] Menardus interpretatur *culcitra*. At quid culcitræ cum officio divino ? Consentit tamen Henschenius, qui legit *lectariis*. Forsan lectaria dicuntur saga nocturna, quibus lecti insternuntur.

[b] Et tamen vasa pretiosa postea in rem sacram admisit, ut patet ex num. 27. Porro ex hoc loco et ex Regula Magistri patet etiam temporibus illis in usu fuisse calices vitreos, quorum usus abrogatus in concilio Triburiensi anno 895, perseveravit tamen ad sæculum usque undecimum, quo Henricus Germaniæ rex Richardo Verodunensi archiepiscopo calicem unum de onychino, et alium crystallinum donasse perhibetur. Quanquam calices etiam ex sapphiro *vitrei* dicebantur, ex charta 5 Patriciacensi apud Perardum, quæ est Heccardi comitis, Rotardo cuidam legantis *calicem vitreum de sapphiro*.

sunt cœnobia, et maxima monachorum exstat multitudo.

16. Orta autem fame [a] gravissima per idem tempus, cœpit multitudo pauperum, viduarum et pupillorum ad eum confluere, ac portas monasterii viasque stipare. Quos ille intuens inedia tabidos, imo ipsa jam pene morte glutitos, angebatur, quoniam unde tantam pasceret multitudinem ignorabat. Sed quia nihil deest timentibus Deum, quousque fruges attingerent novas, quæ fratribus sufficere possint, seorsum jussit reponi, cætera per constitutos fratres per singulos dies præcepit largiri. Carnes etiam armentorum oviumque dabantur per singulos dies, lac etiam vervecum præbebat auxilium. Siquidem fecerant sibi tuguria congruis locis, in quibus usque ad novas habitarunt fruges. Deficiente cibaria, rursus ea quæ in fratrum reponi jusserat usus, mensurare præcepit : quod factum est ter. In fratrum vero animis tantus inerat affectus misericordiæ, ut libenter etiam impenderent, si fas esset, cuncta. Nam quæ sibi subtrahere poterat quisque, clam deferebat inedia consumptis : sicque vix erepti a famis fuere periculo. Aliquoties enim in ore panem habens mortuus reperiebatur.

17. Nec illud silendum puto, quia cum pene provinciam illam eodem tempore perversum Feliciani [b] invaserit dogma, hic ab omni pestifero perfidiæ errore illæsus ope divina intus evasit, multosque, non solum infimos, verum etiam præsules Ecclesiæ suo eripuit studio, et adversus nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus sæpe congressus est.

18. Erat enim eo tempore et numerosa jam turba fratrum, et in fervore perpetuæ vitæ succensa. Certabant siquidem quis eorum esset humilior, quisve in obedientia promptior, in abstinentia ardentior, in vigiliis anterior, in loquendo posterior, in vestitu vilior, in charitate ferventior : quibusdam etiam revelationes fiebant. Quidam namque erat frater qui juxta humanam honestatem minus erat compositus, quem negligenter incedentem dum Pater perspiceret, in animo eamdem rusticitatem judicare cœpit. Hic autem in extasi ductus, gregem columbarum aggregatum cernens, quædam miræ candoris fulgentes, quædam vero erant mira varietate distinctæ, quædam autem solo capite tetrum colorem gestabant. Qui cum sciscitasset quid hoc esset, dicta sunt nomina singulorum, quorum aut negligentia fecerat nigros, aut studium splendore nitentes. Is rediens ad se, Patri quæ viderat retulit, eumque ne se despiceret, admonuit. At ille singulorum acta discutiens, mentes fratrum, de quibus a fratre didicerat, turbatas reperiens, et benignum malagma castigationis impositum ad congruam formam instituit.

19. Sed antiquus hostis, ægre ferens unitatem et augmentum boni gregis, nisus est quorumdam concutere corda, ut bonum institutorem a proprio ovili redderet extorrem. Plures quidem sua arte a monasterio pepulit, pluresque turbavit, sed paratam tribulationibus non valuit concutere mentem. Confractas rursum recuperat perituras vires : sibi subjectos instigat, inferre damna imperat, equos bovesque furtim patenterque auferri jubet. Sed qui Deum cunctis præposuerat rebus, sine dolore amittit quæ sine amore possidebat. Certe pro nulla amissa re unquam eum quisquam vidit commotum, perditam nunquam repetiit, furatam nunquam quæsivit, furanti, si captus est, beneficium præstitit, latentem ne caperetur dimisit. Quidam enim cum equos monasterii furtim auferret, a vicinis non sine vulnere captus, et Patri est præsentatus. Cui ille impensas præbuit, medicum instituit, sanatum incolumem direxit. Contigit autem vice alia, cum venerabilis Pater iter conficeret, alio secum comitante fratre, quemdam equum a monasterio sublatum sedentem obviare. Frater vero curiosis luminibus intuens eum qui furatus fuerat esse cognovit, mox voce prorupit monasterii esse equum. At ille silere eum jubet. Sæpe similare equus equum solet, ait. Seorsum autem increpavit fratrem dicens : Et ego agnovi; sed melius silendum censeo, quam verecundiam inferamus.

20. Et quoniam omnipotens Deus qui cuncta creavit, mira etiam congruis temporibus per servos agit suos, quæ per hunc gesserit, pauca relatione perstringam. Ignis quodam tempore domum juxta beatæ Mariæ Virginis basilicam sitam invasit. Sed cum vorax flamma stipulam lamberet siccam, concurrerunt dolentes fratres, domum quam non sine magno labore construxerant, a rapidis flammis videntes consumi, summoque studio satagunt, ne ignis vicinam succenderet ecclesiam : illo enim omnis impetus ignis ferebatur. Ad quod spectaculum etiam Benedictus Pater accessit, cui protinus fratres, ut orationibus eos adjuvaret, imperant. At ille festinus obtemperans jussis fratrum, sese cum lacrymis ante beatæ Virginis et Dei genitricis Mariæ altare prostravit. Illo autem orante, mox divina opitulante misericordia in contrarium impetus ignis convertit.

21. Locustarum etiam tanta eodem tempore adfuit multitudo, ut sua densitate radios absconderent solis; quæ conglobato impetu in vineam, quæ monasterio vicina est, vastaturæ resident, ex qua quam

[a] Id accidit ante conditum amplius monasterium, anno proinde, non 793, ut censet Henschenius, sed 779, quo *famis magna in Gallia* fuisse perhibetur in Annalibus Loiselianis.

[b] Felicianum dogma, a Felice Orgelitano Hispaniæ episcopo male fabricatum, ab Elipando Toletano pejus assertum : id erat, Christum esse filium Dei adoptivum. Ad quod revincendum coacta concilia Ratisponense, Francofurtense, et Aquisgranense; missus in Hispaniam non semel Benedictus cum aliis, ut testatur Alcuinus in epistola præfixa libris quatuor adversus Elipandum, inscripta Leidrado episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, et Benedicto abbati, cum *essent in procinctu itineris*, ut ait in fine. V. C. Stephanus Baluzius, in calce Notarum ad Agobardum, refert synodum Urgellensem anno 799 ea de re habitam, cui Benedictus noster interfuit.

maxime pocula fratres percipere soliti erant. Vir vero venerabilis beatæ Dei Genitricis adiit basilicam, et flebili voce perfusus lacrymis divinum implorat auxilium. Sed post paululum male quiescentes abscedunt locustæ.

22. Rursus vice alia montem vicinum ignis invasit, et arentem stipulam frondesque, ac solis ardore perustam cœpit lambere terram, suoque impetu ruinam vineæ ac monasterio minitans ibat. Ad quem exstinguendum omnis turba fratrum cucurrit, cum quibus et venerabilis Benedictus Pater adiit; sed ignis cœptum mox deseruit iter, dextra lævaque exstinguendus properans. Non enim nisi oratione ejus credendum puto tantum incendium superatum fore.

23. Cuidam etiam fratri custodia boum erat injuncta. Is cum a monasterio ad suum vellet ire officium, Patri benedictionem petiit; cui protinus ille signum crucis dedit, dicens : Dominus te custodiat. At cum frater in diversorium venisset, duobus latronibus occurrit; a quibus, dum incaute accessisset, tentus est per habenam equi, quem sedebat; se vero diutius aspicientes, nihil loquentes dimiserunt eum. At ille cito discessit, et postquam Patri retulit, ait : Benedictio te Dei servavit illæsum.

24. Nec silentio illud prætereundum est, quod ipse aspexit. Frater enim quidam præpositus est constitutus, sed in superbiam lapsus, ab ordine præposituræ deponitur. Ad tantam demum malitiam ruit, ut a monasterio egressus latrocinia exerceret, ita ut ab ipso monasterio clam educeret equum. Quem tentum junctis pedibus subter equum ad monasterium deduci jubet vociferantem et jurantem nunquam se illo abiturum. Ob cujus insipitudinem virgis eum lævigare jussit; sicque deinceps juste pieque vivens in cœnobio quievit, ac si ipse in eo hostis malignus cæstus fuisset.

25. Hactenus de vita tanti Patris, qualiter divina illustrante clementia sæculum reliquerit, qualiterque in Gothiæ partibus transmigraverit, ac de novo opere monasterium construxerit, dicta sufficiant. Nunc, opitulante Christo, ex præcepto Caroli quibus modis aliud in eodem loco cœnobium ædificaverit, evidenti ratione pandamus.

26. Anno igitur 772 [a], Caroli vero Magni regis 14, adjuvantibus eum ducibus et comitibus, aliam rursus in honorem Domini et Salvatoris nostri ecclesiam prægrandem construere cœpit; sed et claustra novo opere alia cum columnis marmoreis quam plurimis, quæ sitæ sunt in porticibus; non jam stramine domos, sed tegulis cooperuit. Tanta autem sanctitate idem locus est præditus, ut quisquis fideliter petiturus advenerit, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, statim quod poposcerit, impetrare licebit. Quia ergo mira religiositate præfulget, ratum ducimus, si de positione ejusdem loci aliquid post futuris pandamus. Siquidem venerabilis Pater, Benedictus pia consideratione præventus, non in alicujus sanctorum prætitulatione, sed in deificæ Trinitatis, uti jam diximus, nomine præfatam ecclesiam consecrare [b] disposuit. Quod ut dico luce clarius agnoscatur, in altari, quod potissimum præ cæteris videtur, tres aras censuit supponi, ut in his personalitas Trinitatis typice videatur significari. Et mira dispositio, ut in tribus aris individua Trinitas, et in uno altari essentialiter firma demonstretur Deitas. Altare vero illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum : illud videlicet præfigurans, quod Moyses condidit in eremo, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis reliquiis [c] Patrum. Hæc de altario dicta sufficiant. Ad instrumentum domus quo ordine vel numerositate compositum succincte pergimus. Cuncta siquidem utensilia, quæ in eadem domo habentur, in septenario numero consecrata noscuntur. Septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, sphærulæque ac lilia, calami ac scyphi in nucis modum ad instar videlicet illius facta, quod Beseleel miro composuit studio. Ante altare etiam septem dependent lampades miræ atque pulcherrimæ, inæstimabili fusæ labore, quæ a peritis, qui eas visere exoptant, Salomoniaco dicuntur confatæ. Aliæ tantumdem in choro dependent lampades argenteæ, in modum coronæ, quæ in se inserris circulis cyathos recipiunt per gyrum : moris que est præcipuis in festivitatibus oleo repletas accendi, quibus accensis veluti in die, ita in nocte tota refulget ecclesia. Tria denique altaria in eadem sunt dicata ecclesia vel basilica, unum videlicet in honorem sancti Michaelis archangeli, aliud in veneratione beatorum apostolorum Petri et Pauli, tertium in honorem almi protomartyris Stephani. In ecclesia vero beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ primitus est fundata, sancti Martini, necnon et beati Benedicti haberi videntur altaria. Illa vero quæ in cœmeterio fundata consistit, in honorem sancti Joannis Baptistæ consecrata dignoscitur, quo inter natos mulierum majorem nemi-

[a] Mendum hic non advertit Menardus. Legendum potius anno 782 quo jacta amplioris monasterii fundamenta; nam ab anno 776 Anianensem locum Benedictus incolere cœpit.

[b] Non me fugit quid de hac dedicatione legatur in quibusdam codicibus mss. Verum id totum prætermittere satius est, quam criticorum censuræ exponere. Sufficiet hac de re sermo quondam habitus in festo dedicationis, infra in Appendice hujus Vitæ.

[c] In Anianensium reliquiarum indice ms. numeratur inter alias particula veræ Crucis, *quæ est in arca aurea, quæ fuit imperatoris Constantinopolitani*; item alia, *quæ est incastrata in auro, et semper manet in scutella, quæ est argentea Karoli Magni*; item *una spina de corona Domini nostri Jesu Christi, incastrata in auro*, quæ itidem in prædicta scutella semper asservatur. In vetusto libro Cæremoniarum ejusdem monasterii præscribitur, ut sacerdos hebdomadarius panem solemni ritu benedicturus, *accipiat scutellam Karoli cum vera cruce*, etc. Scutella hæc cum pluribus aliis rebus sacris deperdita est. Lege Sermonem de dedicatione in Appendice.

nem surrexisse divina attestarunt oracula. Considerare libet quanta humilitate ac reverentia iisdem metuendus sit locus, qui tot principibus videtur esse munitus. Siquidem Dominus Christus Princeps est omnium principum, Rex regum, et Dominus dominantium : beata vero ejusdem Dei genitrix Maria cunctarum virginum creditur esse regina ; Michael cunctis præfertur angelorum; Petrus et Paulus capita sunt apostolorum; Stephanus protomartyr principatum tenet in choro testium; Martinus vero gemma refulget præsulum; Benedictus cunctorum est Pater monachorum. In septem item altaria, in septem candelabra, et in septem lampades septiformis gratia Spiritus sancti intelligitur.

27. Cognoscat quisquis ille est, qui hanc cupit legere vel audire Vitam, cunctorum hoc caput esse cœnobiorum, non solum quæ Gothiæ in partibus constructa esse videntur, verum etiam et illorum quæ aliis in regionibus ea tempestate, et deinceps per hujus exempla ædificata, atque de thesauris illius ditata, sicut inantea narratura est schedula. Dedit autem cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam, eamdemque ut intelligere possit satagere circumiens monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat; et omnium sanctorum, quascunque invenire potuit regulas congregavit. Normamque utilem, et monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit monachis observandas. Instituit cantores, docuit lectores, habuit grammaticos, et scientia Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuere episcopi, aggregavit. Librorum multitudinem congregavit, pretiosa vestimenta ecclesiastica, calices argenteos prægrandes, offertoria argentea, et quidquid operi Dei necessarium esse conspexit, summo cum studio acquisivit. Notus itaque factus est omnibus, et fama sanctitatis ejus regias imperialesque penetravit aures. Abiit deinde ad gloriosissimum imperatorem Carolum ob utilitatem monasterii, illique cœnobium pia consideratione præventus, ne incommoda a parentibus [*Id est*, consanguineis] suis paterentur post ejus discessum superstites, per chartam tradidit possidendum : a quo mox immunitatem percepit [a] continentem ita :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum.

Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur notum sit omnibus episcopis, abbatibus, comitibus et vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus seu omnibus fidelibus præsentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio quod ipse novo opere jure proprietario a fundamentis in honore Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, seu sanctæ semperque virginis ejusdem Dei genitricis Mariæ, seu aliorum sanctorum ædificavit in loco nuncupante Aniano, in pago Magdalonense subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, et prædictum monasterium cum omnibus rebus et ornamentis ecclesiæ, seu appendiciis vel adjacentiis suis in manibus nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, et ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione ad regendum nobis visus est tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro æterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis et locis vel agris seu aliis possessionibus ipsius monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem ac confirmationem seu cæterorum fidelium juste possidere videtur, in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci, aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri; præcipientes jubemus atque anathematizamus, ut nullus comes, neque episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quamque servos, qui supra terram memorati monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed hoc ipse abbas vel successores sui aut monachi memorati loci, præsentes scilicet et futuri, propter nomen Domini sub integræ immunitatis nomine absque cujuslibet inquietate aut contrarietate valeant dominare, et nulli unquam homini pro qualicunque re nullum censum omnino audeant impendere : sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione volumus constare. Statuentes ergo atque jubentes, ut neque vos, neque juniores seu successores vestri, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesiis et locis vel agris seu reliquis possessionibus suprascripti monasterii, vel de omnibus quæ supra scripta sunt, nullo unquam tempore inquietare aut exactare præsumatis : sed quod nos propter nomen Domini et æterna remuneratione ad jam fatum monasterium indulsimus, perennibus temporibus proficiat in augmentis. Et quandoquidem divina vocatione suprascriptus venerabilis Benedictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint ad Dominum, qualem meliorem et nobis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de suprascripto monasterio aut de qualicunque loco voluerint eligere abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram auctoritatem et permissa indulgentia licentiam habeant, et ubicunque voluerint ordinari, aut ipsi aut monachi ipsorum, vel a quolibet pontifice ex præcepto et consensu nostro potestatem habeant, quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis ac conjuge proleque nostra et stabilitate totius regni a Deo nobis commissi vel conservandi attentius Domini misericordiam exorare delectentur [b]. »

28. Hæc gloriosissimus rex Carolus, venerabili viro Benedicto per præceptum contulit : sed et circumquaque utilia pecorum laboribusque apta per chartam imperialem loca ab eo suscepit. Honore autem magno ab imperatore donatus, scilicet argenti

[a] Quæ sequuntur usque ad numerum 42, desunt in editis apud Menardum et Bollandum.

[b] In quibusdam istius diplomatis exemplis apponitur hæc clausula : *Data* VI *Kl. Augustas, anno nono decimo regni nostri. Actum in Ruganesburg palatio;* quæ clausula certior videtur quam appositio *Bartholomæi notarii ad vicem Ludovici recognoscentis.* Constat enim Ludovicum fuisse cancellarium Caroli Calvi, non Caroli Magni, qui tum apud Bajoarios cum exercitu erat. Istud privilegium postea Benedicto confirmavit Ludovicus Augustus litteris datis VIII *Kl. Maii, anno primo imperii, Indict.* 7, *Aquis palatio.*

libras ferme XL, ad suum in pace rediit quantocius monasterium. Mox autem patrium ut attigit solum, divisum per partem quod attulerat argentum benedictionis gratia per singulorum direxit monasteria. Fuit enim illi hoc nostris temporibus præ cunctis singulare donum, benevola scilicet circa omnes piaque consideratio, atque sollicitudo omnium monasteriorum circa longeque positorum. Etenim ea crebro visitabat, et ordine sanctæ vitæ imbuebat : de his autem quæ illi a fidelibus conferebantur, juxta numerum habitantium, vel secundum posse transmittebat, his qui magis indigebant amplius, exigua autem indigentibus minus. Noverat utique singulorum monasteria, eorumque nomina retinebat. Pallia vero, quia singulis dare non poterat, per partes divisa ad cruces saltem faciendas mittebat. Omnium denique monasteriorum, tam in Provincia quam in Gothia seu Novempalitana [a] provincia consistentium erat quasi nutrix fovens juvansque; atque ab omnibus amabatur ut pater, venerabatur ut dominus, reverebatur ut magister.

29. Pauperum quoque summo cum studio secernebatur portio, viduarum non patiebatur in alios expendere usus particulas. Omnium siquidem sanctimonialium viduarumque circa positarum noverat nomina. Captivis hilariter præbebatur redemptio, nullus illo habente indonatus, ut reor, abiit, sed pro posse omnibus omnia factus est. Quapropter ultro quisque ei suam ferebat substantiam, quam in usus pauperum, egenorum, viduarum captivorumque ac monachorum expendendam compererat : ita ut a quibusdam pene IV aut V susciperet millia solidorum, vasorumque indigentibus distribuenda.

30. Cura illi etiam erat ingens suos non solummodo prædicationis reficere cibo, verum etiam quoscunque obviare contingeret, mox cœlesti eos alebat pane; et ne oblivione salubrem amitteret escam, verbis talibus ut tenacius inhærerent cordi inculcare consueverat : Esto, inquiens, casto corpore et humilis corde, quoniam Deo accepta non est superba castitas aut humilitas inquinata. Quibusdam vero hoc inculcare solitus erat : Si plurima tibi impossibilia esse præcepta noscuntur, hoc exiguum serva præceptum : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Quæ sententia ita ei familiaris exstitit, ut tempore mortis collectis omnium Patrum sententiis, unum ex ea vellet conficere librum. Fratribus vero sibi subjectis omni hora, in nocturnis scilicet, in capitulo, in refectorio, pabula vitæ præbebat.

31. Et quoniam, dum benevolentiam ejus pandere tentavimus, virtutum ejus copia palam occurrerunt; pro viribus commodum decernimus quantulumcunque de his nescientibus desiderantibusve enucleare. Hoc enim comperit omnis qui ejus familiaritati adhæsit, charitate eum vincere cunctos. Nunquam enim quod sibi, sed potius quod utile aliis judicavit, agere voluit : quod si fecisset, cito correxit. Charitatis enim amore ut plures faceret salvos, aliorum circuibat cellas, et eis Regulæ sanctæ pandebat absconsa. Charitate itaque plenus, Arelato cum quampluribus episcopis, abbatibus, monachis per plures resedit dies, canonum decreta pandens, et beati Gregorii papæ homilias enucleans ignorantibus. Plenus nempe charitate, ex diversis locis in suo cœnobio susceptos alebat clericos ac monachos, quibus magistrum præponens sacris imbuebat sensibus. Charitate sibi injuriam facientibus munera destinabat. Neque laborandum est ut pandamus quæ melius cuncti viderunt, perplures obsequio experti sunt.

32. A rigore vero suæ primæ conversionis paululum declinarat, quoniam impossibile opus assumpserat : sed voluntas eadem permanebat. Siquidem cum arantibus ipse arabat, cum fodientibus socius erat, cum messoribus metebat. Et quamvis regio illa solis calore esset adusta, et ita vapor ignis velut a clibano procedens incendat potius quam calefaciat; hic suis nimio fervore æstuantibus vix ante horam refectionis aquæ poculum indulsit. Nam labore defessi, igne perusti, frigidam potius desiderabant aquam quam vinum : nec erga eum quisque murmurare poterat, quoniam similia patiebatur. Quæ eis res non modicum ferebat solamen, quoniam dum se arentem siti cerneret, humanius erga suos agebat; nec laborantium quis fabulis perstrepere audebat, sed manus opere, linguæ occupabantur psalmodiis. Euntium enim et redeuntium ac laborantium ora divinis meditationibus erant intenta. Sæpe eum etiam palmas cædere vidimus, eorum videlicet qui erga eum in potu ciboque humanius agere conati sunt. Sæpe sibi positum vas mensurare conspeximus; et, sicut hi qui cellario præfuerint narrant, aliis bibentibus vinum, aquam excepto sabbato aut Dominica die sæpe bibebat. Sæpe a cibo ejus pinguedinem subtraximus, et ne vel exigua particula casei triti in eo inveniretur, summopere curabatur. Carnem quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit : jus e pullo [b] compositum sumebat, si aliqua accessisset debilitas. Multos etiam per annos primævo tempore pinguedinem vetuit : cæteris vero, quoties opportunum fuit, ea quæ sibi negabat, præbebat. Tanta enim ejus erat sollicitudo, ut si vel modica grana leguminum, vel exiguæ porri comæ cauliumque folia ab eo neglecta invenirentur, mox digna excommunicationis animadvertebatur sententia, cujus probaretur esse delictum. Sin autem quis ei aquam ad lavandum porrigeret, et ut solet largius quam decet effunderet, peccatum incurrere fatebatur, eo quod discretionis non incederet calle.

33. Erat illi et hoc singulare bonum. Nam si quis cogitationibus concussam mentem gerens, mox ut

[a] Aliis Novempopulonia dicta, inter Garumnam fluvium et montes Pyrenæos Oceanumque comprehensa, vulgo *la Gascogne*, sic dicta a novem populis quos ambitu suo complectitur.

[b] Vides majori cum religione Benedictum abstinuisse a quadrupedum carnis esu, quam a jusculo volatilium; qua de re deque usu pinguedinis alias.

ad eum accederet, ejus salubre consilio tumultuosa turba cogitationum abibat. Sæpe etiam cum infestis cogitationibus pulsatus quis, sicut a vero fratre didici, diceret, quia ibo et pandam vos domno Benedicto; illico importunus ab eo recedebat tumultus. Si quis vero gravioribus esset detentus delictis, illi cor suum pandens, consolationis recipiebat fomentum. Si tristitiæ morbo angeretur, accedens ad eum mox lætus discessit.

34. Aucta est autem turba monachorum Deo famulantium, ita ut plusquam trecenti fierint, ob quorum eximiam congregationem talem mansionem construere jussit, quæ mille et eo amplius homines capere videtur, centum recipiens cubitos in longitudinem et viginti in latitudinem : et quia cætera loca eos capere non quibant, constituit locis congruis cellas [a], quibus præfectis magistris posuit fratres.

35. Accidit denique eodem tempore inundatio pluviarum, quiescentibusque magistro cum fratribus, subito ab ambobus ostiis ingredi redundans aqua cœpit ac quiescentium occupare domum. Pavore vero fratres perterriti concite surgunt. Domus autem latrinarum super torrentem magno cum labore fuerat sita, quam tumens torrens nitebatur subvertere, ita ut ab inferioribus conquatientes rauco cum murmure undæ in jam jamque ruituram prosilirent domum. Concurrunt pariter media ferme nocte ad ecclesiam, ubi ipse Pater perveniens primus, signi funem arripuit, jussitque canere laudes, sanctorumque implorare suffragia, atque cum lacrymis una Dei flagitare clementiam. Post multas quoque preces adeunt visere si jam domus foret subversa. Quo eunte venerabile viro obscura sub caligine noctis, vepris cruribus ejus hæsit, nimioque tædio affectus, lacrymabiliter, ut sedaretur inundatio, Deum deprecatus est. Sed cum ad locum devenerunt, integro descendisse pede aqua reperta est. Confisi jam de Dei adjutorio, ad socios in ecclesia constitutos redeunt, et beneficia Dei narrantes pariter benedixerunt Deum.

36. Interea audientes ejus sanctitatis famam gregisque ejus sanctam opinionem, postulare instanter exempli gratia monachos nonnulli episcopi cœperunt, de quibus Leidradus [b] Lugdunensium pontifex volens monasterium quod vocatur Insula-Barbara reædificare, quæsivit instanter qui ei initium bonæ vitæ ostenderent, et accepit. Siquidem electos ferme a grege XX discipulos, quibus præposuit rectorem, eosque Burgundiæ partibus ad habitandum direxit : quo præstante Christo Domino nunc in sancta religione pollentes et florentes, prægrandis est turba aggregata monachorum. Theodulfus quoque Aurelianensium præsul, cum monasterium Sancti Maximini construere vellet, a jam præfato viro postulat regularis disciplinæ peritos : cui mox assensum præbuit, et bis denos illi monachos præfecto magistro misit. Qui constanter in sancto studio decertantes, non parvam monachorum turbam coadunarunt : quos cum visitandi gratia Pater venerabilis adisset, quæ ibidem acta sint pandam. Siquidem ejus præstolantes adventum, omni studio satagunt, quatenus ejus pro amore copia, piscium ciborumque apparatus non solum illi, verum etiam omnibus fratribus foret abunde. Fit concursus fratrum, sollicitantur piscatores, perscrutantur nundinæ : sed tanta evenit difficultas, ut nec ad emendum invenirentur, nec ab eis capi posset, qua de sterilitate nimio afficiebantur mœrore. Advenit interdum magister, gaudentes suscipiunt, gaudensque eorum profectibus resalutat : sed verecundiam fratres læto celabant sub vultu. Præterea accidit ut frater quidam quippiam operis exercens juxta fluvium Ligeris sisteret : et ecce subito prægrandem piscem, quem isicem vocant, conspicit circa littus natantem : ad quem non tardus capiendum insiluit, abstractumque fratribus detulit. Fit quoque hac de re gaudium, sed admiratio major : omnes tamen meritis hoc venerabilis viri Benedicti evenisse confessi sunt, hoc enim ego a fideli fratre, ni fallor, ita didici. Alcuinus quoque ex genere Anglorum, ordine levites, sapientia præclarus, sanctitatis merito venerabilis, regens monasterium beati Martini confessoris, qui fuit Turonensium pontifex, quique in aula gloriosi imperatoris Caroli omni honore dignus habebatur, auditam [audita, etc.] expertamque viri Dei sanctitatis famam, inviolabili se illi charitate conjunxit, ita ut ex suis epistolis ei sæpe directis aggregatis in unum unus conficeretur libellus. Datis itaque illi muneribus postulat obnixe sibi monachos dari. Cui cum protinus venerabilis Pater assensum præbuisset, equos misit qui eos ferrent : quos in monasterio, cui nomen est Cormarine, quod ædificaverat, collocavit. Fuere etiam et hi, ut reor, XX cum prælato sibi magistro : ad quorum bonum conversationis exemplum, magna est aggregata multitudo monachorum.

37. Quæ autem per idem tempus propitia Divinitate sint acta miracula, non ab re puto si huic operi inserantur. Quidam siquidem frater tabulam sacratam, in qua beati Dionysii erant reliquiæ aliorumque Sanctorum plantatæ, missus est ab alia cella ad aliam deferre : isque secum pergens catulos detulit, tabulam vero sacratam post aliquos dies revertens non lotis vestibus incautus deferre nititur. Ingressus navigio properat (erat enim cella ipsa inter stagnum et mare sita), sed ut mox terram attigit, equumque ascendens in quo catulos pertulerat, tabulam portaturus suscepit, divina hunc ultio perculit. Equus quidem eadem hora se in circulo rotando conversus est, quousque frater in terram rueret, tabula quoque manibus ejus elapsa illæsa suscipitur; equus siquidem statim exstinctus est; sed et is, qui ceciderat, frater non sine magno est languore evectus, a quo diu confectus tandem sanitatem recepit. Hi vero

[a] En causa erigendarum cellarum, quas modo præposituras et prioratus vocamus.

[b] De Leidrado et monasterio Barbarensi, deque Theodulfo et Mitiacensi inferius agendum, ubi de aliis monasteriis per Benedictum ordinatis.

fratres qui petendas reliquias miserant, quæ acciderant audientes, alium rursus fratrem mittunt. Qui quoniam erat sacerdos, secum crucem, in qua lignum erat Dominicum, tulit. In stagnum vero ingressus, valida tempestate vexatur navicula : sed mox ut crucem quam collo gestabat undis tumentibus opposuit, quieverunt procellæ. In cella vero quiescens per somnum vidit mirі candoris virum, qui eum ita affatus est : Nisi, inquit, lignum Domini mei tecum attulisses, nequaquam abhinc quo velles tempore exires. Admonetur itaque ut pedester eas deferret : et quia non obtemperavit, deductas [deductis, etc.] ad præfatam cellam reliquias, gravi est infirmitate percussus. Post hæc autem in ecclesia eadem qua reliquiæ fuerant delatæ, pharum pendebat, in cujus vascula permodicum erat oleum, sed in crastino plena reperta sunt. Hoc autem contigit per ter. Hæc nempe his quibus languor acciderat narrantibus comperi.

38. In montibus autem in quibus fratres soliti erant alendarum ovium curam habentes habitare, sibi ad orandum exiguum oratorium construxerunt, in quo ingressæ sunt mulieres postquam fratres ab eo discesserant loco, et deridentes habitacula monachorum dicebant ad invicem : Tu vicem abbatis habeto in loco ejus stans. Sicque singulæ ordinatim stantes in loco orationis quasi orantes, male surrecturæ recumbebant. Vacua siquidem remanserant habitacula, in quibus æstatis tempore solummodo morabantur, sed eas statim digna subsequitur ultio. Tornutionibus vero vexari cœperunt, a quo dolore non sunt ereptæ, quousque viri earum subsecuti sunt monachos a montibus cum ovibus descendentes, eosque precati sunt ut pro temerariis preces funderent. Orantibus autem fratribus sanitati continuo sunt redditæ.

39. Quidam energumenus vice etiam quadam ad monasterium parentibus deducentibus suis venit, qui in basilica beatæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ collocatur : pro quo dum orationem cum vigilia fratres fudere, sanitatem [sanitate, etc.] perceptam discessit in pace. Femina rursus immundo spiritu plena ad monasterium pervenit, eamque in oratorium sancti Joannis Baptistæ, quod in cœmeterio situm est, fratres cum vigiliis et orationibus custodiunt, quæ præstante Deo sospes abscessit. Ad oratorium vero quod in honore sancti Saturnini martyris dedicatum est, ubi venerabilis vir primum habitare cœpit, si quis febricitans abierit et paululum dormierit, si fide non hæsitaverit, incolumis revertetur ad propria. Quæ multorum relatione didici, eorum videlicet qui per semet beneficium sanitatis experti sunt. Hæc de miraculis nostris temporibus actis pauca dixisse sufficiat. Ad ordinem cœptum, juvante Deo, redeamus.

40. Gloriosissimus autem Ludovicus rex Aquitanorum tunc, nunc autem divina providente gratia totius Ecclesiæ Europa degentis imperator Augustus, sanctitatis ejus vitam compertam permaxime diligebat, ejusque consilium libenter obtemperabat : quem etiam omnibus in suo regno monasteriis præfecit, ut normam salutiferam cunctis ostenderet. Erant enim quædam monasteria instituta canonica [a] servantes, Regulæ autem præcepta ignorantes. Cujus ille obediens jussis, circumivit singulorum monasteria, non solum semel et bis, sed et multis vicibus, ostendens monita Regulæ, eamque eis per singula capitula discutiens, nota confirmans, ignota elucidans : sicque actum est, providente Deo, ut omnia pene monasteria in Aquitania sita regularem susciperent formam.

41. Sed is qui bonis actibus semper invidet innocentiæ adversarius et pacis inimicus, non æquum decernit, si pii regis diutius adhæreret amicitiis, damnum suæ parti inferre non dubitans, horum si eminus indivisa charitas permaneret; et quoniam naturæ suæ gloriam superbiendo amisit, in ea bona quæ perdidit ne homo introducatur, totis viribus cavet : dolet enim hominem miseratione Dei recuperari. Sed nec mirum si piorum probitate hostis crucietur antiquus, et eorum quos invincibiles cernit profectibus torqueatur; cum sint etiam plures qui hujus malignitatis opera imitentur. Multi enim (quod dolendum valde est) uruntur alienis utilitatibus, atque in eorum armantur odium quorum sequi nolunt exemplum. Præfatis ergo profectis actibus Deoque dignis agnitis, quorum stipatus agmine, invidiæ jaculis armatus male pugnaturus processit. Et primum quidem clericorum in ejus derogatione accendit animos; tunc demum aulæ regiæ militum stimulat corda, quorumdam etiam comitum subvertit mentem : omnesque pariter invidiæ face succensi non clam, sed jam palam virus pestiferæ mentis vomentes, circillionem rerumque cupidum et prædiis aliorum invasorem, suarum animarum jugiter oratorem, publica voce clamabant, quorum vesana sævitia ad tantum nefas prorupit, ut animum serenissimi imperatoris Caroli erga eum concitare tentarent. Sed vir Dei bene secura conscientia, nec derogationibus commovetur, nec fraudulentis assertionibus perterretur. Palatium deinceps hac de re adiit; quo eunte prohibere nonnulli conantur, attestantes si conspectibus imperatoris astiterit, patriam ultra non visum iri, quoniam erga se imperialis ira nimis foret accensa. Pergit tamen intrepidus, Dei miseratione confisus, illi spem suam committens, cujus pro amore certabat non pigrus. Esto, exsilii decerneretur subire laborem, mentem suam agebat famulari Deo securiorem. Quod si ab officio ne præesset pelleretur, omni desiderio hactenus hoc se concupisse

[a] Quale erat Dionysianum prope Lutetiam Parisiorum, quod a monasticis ritibus ad canonicorum mores deflectebat, dum Ludovicus Augustus per Benedictum abbatem ad primaria instituta revocare tentavit, idque tandem perfecit anno 817, cujus rei litteræ imperatoriæ exstant apud Sirmondum in tomo II Conc. Galliæ; quale itidem erat monasterium Sanctæ Columbæ, apud Senonas. Hujus rei litteras legesis in Appendice ad Lupum abbatem editionis Baluzianæ.

narrabat. At priusquam in conspectu imperatoris astitit, ad tantam superna pietas tranquillitatem ejus inflexit mentem, ut viso eo deoscularetur, eique poculum propria porrigeret manu : et quem æmuli a proprio solo autumabant fieri extorrem, ad eum rediit magno cum honore : sicque divina ordinante misericordia eum dum infamare conati sunt, prædicarunt; et quem mentiendo odiosum reddere studuerunt, hunc non solum minimis, verum etiam magnatibus venerandum ostenderunt.

42. Guillelmus quoque comes, qui in aula imperatoris præ cunctis erat clarior, tanto dilectionis affectu beato Benedicto deinceps adhæsit, ut, sæculi dignitatibus despectis, hunc ducem viæ salutaris eligeret, qua pertingere posset ad Christum : acceptaque tandem convertendi licentia, magnis cum muneribus auri, argentique, ac pretiosarum vestium speciebus subsequitur venerabilem virum. Nec moram inde ponendi comam fieri passus est, quin potius die natalis apostolorum Petri et Pauli auro textis depositis vestibus, Christicolarum induit habitum, sese cœlicolarum ascisci numero quantocius congaudens. Vallis vero a beati viri Benedicti monasterio ferme quatuor distat millibus, cui nomen est Gellonis, in qua construere præfatus comes in dignitate adhuc sæculi positus cellam jusserat; illic se vitæ suæ tempore Christo tradidit serviturum : et quoniam nobilibus natalibus ortus, nobiliorem se fieri Christi amplectendo pauperiem studuit, et summum quem genuino perceperat, pro Christo abjecit honorem; ratum puto si de piis conversationis ejus actibus pro nescientibus pandam. Etenim in cellam præfatam venerabilis Pater Benedictus suos jam posuerat monachos, quorum exemplo imbutus, infra paucos dies, eos a quibus edoctus est, virtutibus antecellit. Adjuvantibus quoque eum filiis, quos suis comitatibus præfecerat, comitibusque vicinis, ad perfectum fabricam monasterii, quam cœperat, cito deduxit. Qui locus ita secretus est, ut solitudinem non desideret habitator. Cingitur denique nubiferis undique montibus : neque cuiquam illic accessus est, nisi quem ultroneus orandi causa deduxerit animus. Tanta vero amœnitate est perfusus, ut si Deo servire decreverit, aliorum non desideret loca : siquidem adsunt vineæ, quas præfatus vir plantare præcepit, hortorum quoque copia variis stipata diversarum generibus arborum. Possessiones acquisivit pluri-mas. Petenti siquidem eo serenissimus rex Ludovicus spatioso hoc dilatavit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens loca, vestes sacras perplurimas dedit, calices argenteos aureosque et offertoria præparavit, libros secum perplures attulit, altaria auro argentoque vestivit. In hanc nempe ingressus cellam totum se dedicavit Christo, nihil mundanæ pompæ relinquens vestigii. Tantæ autem deinceps humilitatis fuit, ut rarus aut nullus ex monachis ita flecti posset, dum obviare contingeret, ut ab ea humilitate non vinceretur. Vidimus sæpe eum cædentem asinum suum, flasconem vini in stratorio deferre, eumque super insedentem, calicem in terga humeris vehentem nostri monasterii fratribus tempore messis ad refocillandum sitim eorum occurrere. In vigiliis quoque ita pervigil erat, ut vinceret cunctos. In pistrino, nisi occupatio aliqua præpediret aut ægritudo tardaret, propriis operabatur manibus. Coquinam vice sua complebat. In habitu summæ humilitatis assumpserat formam; jejunii amator exstitit, orationibus instans, compunctioni continuus : vixque corpus Christi poterat percipere, priusquam lacrymarum ejus in terram decurrerent guttæ. Lectuli quoque duritiem avide expetebat; sed propter ejus invaletudinem Benedictus Pater culcitram, eo nolente licet, substerni fecit. Aiunt nonnulli, se quia sæpe pro Christi amore flagellis cædi, nullo alio præter eum qui aderat conscio jussit. Mediis fere noctibus glacialibus profusus rigoribus, uno perraro tectus tegmine, sæpe in oratorio quod in honorem sancti Michaelis construxerat, soli Deo notus, vacans orationibus stabat. His aliisque virtutum fructibus intra exiguos stipatus annos, imminere sibi diem mortis cognoscens, cunctis monasteriis in regno domini Caroli pene sitis per scripturam notum fieri jussit, se ab hoc jam sæculo migrasse : sicque deinceps copias virtutum reportans Christo vocante migravit e mundo. Hæc perscire cupientibus dixisse sufficiant : ad cœptum rursus redeamus opus.

43. Piissimus quoque Ludovicus rex, quo ab insanis magis magisque irridebatur Benedictus venerabilis abbas, eo sibi eum in dilectionis sociabat multocius amore, sciens mundi amatorum esse consuetudinem profectibus obesse justorum. Regina quoque pio affectu colebat eum; et quia justum noverat, libenter auscultabat, suisque muneribus sæpissime honorabat. Et quoniam turba discipulorum ejus succreverat, et locus in quo ipse degebat, infecundus humoque sterilis pene et ardore solis super ustus est, dedit illi monasterium quod est in Arvernis territorio situm [a], quod sanctus Meneleus regio de semine ortus fundavit, in quo et jacet in corpore : ubi duodecim direxit monachos, constituens eis abbatem summæ reverentiæ virum, nomine Andoarium, qui a primævo tempore conversionis suæ ei adhæserat, virum probatum et multis laboribus attritum : quibus laborantibus pioque studio decertantibus ferme septuaginta, vel eo amplius illis, monachicam vitam pro posse servantes adhæserunt. Ad quod monasterium dum quadam vice egregius abbas visendi gratia fratres adiret, ex alia parte ejus adventum dum quidam abbas cum fratribus suis ex-

[a] Menatense scilicet, quo de monasterio agitur in Vita sancti Menelei abbatis, qui ejus auctor esse dicitur, id est instaurator; nam altero ante Meneleum sæculo exstitisse monasterium illud constat tum ex Actis sancti Carilefi abbatis, tum ex Gregorio Turonensi episcopo, qui *Manatens s monasterii* meminit in libro de Vitis Patrum, cap. 12.

peteret, contigit eum ipsius monasterii cellam, ubi ecclesia in honorem Dei et Salvatoris nostri sita est, advenire. Siquidem ibi primum habitare fratres cœperant : sed quia angustus erat locus, ad jam præfatum monasterium serenissimus rex eos transtulerat. Fratres autem qui ad providendam cellam remanserant, videntes abbatem una cum suis gavisi sunt. Et quia erat eis ingens paupertas, tristabantur. Sed quoniam ubi charitas est, etiam exigua sufficiunt, jubet qui præerat fratribus, juveni vinum afferre, cui mox ille : Nihil, inquit, est in vasculo vini. Duo siquidem illis vascula euntes permodica reliquerant fratres, in quibus modicum erat vinum, ex quo vel missas canerent, vel Dominicis diebus singulas potiones perciperent. Audito autem magister cellæ illius non esse vinum in vasculo, doluit, et confidens ait : Perge et affer nobis, quoniam pro amore Patris nostri bibent hi qui ad eum properant, et non deficiet eis. Perrexit frater, et abstracto duce [a] egreditur vinum. Jam quidem prius voluerat accipere, sed nequaquam invento recesserat. Nuntiat quod acciderat : glorificant Deum qui aderant, et meritis domni Benedicti fieri profitentur. Biberunt ergo pro velle, et secum benedictionis causa tulerunt. Domnus quoque Benedictus cum suis adveniens, juxta quod opus fuit accepit, secumque ex eo in via tulit : sicque post hæc cessavit vas fundere vinum. Ipsis nempe fratribus hæc qui viderunt referentibus comperi, qui usque nunc testes horum existunt.

44. Alia rursus vice in eodem monasterio venit : post longum vero prædicationis sermonem piumque confabulationis alloquium, discessurus pacis osculum fratribus præbet. Quidam autem frater inter alios osculaturus accessit : quo perspecto vir Dei protinus substitit, pacisque osculum paululum negavit : post increpationem vero congruam nobis mirantibus fratrem deosculatus est. Post hunc quoque inter alios alter adfuit frater, cui similiter fecit; tum demum ultimum vale dicens fratribus abiit. Illo autem abeunte in crastino compertum est quoniam fratres illi fugam arripere disposuerant. Intellexi-mus tunc quoniam ob hanc causam eos, revelante sibi sancto Spiritu, venerabilis abbas osculari tardabat, quorum perversam voluntatem, etsi non patenter ostendit, turbatas tamen conscientias salubriter increpavit.

45. Aliud demum illi monasterium gloriosissimus rex dedit, ubi (ut reor) viginti monachos misit, abbatemque illis constituit. Situm vero est monasterium illud in territorio Pictavense, et dedicatum in honore sancti Savini [b], in quo positi fratres, dum in piis studiis vigilant desudantque, turba monachorum non parva eis adjungitur. Rursus ei aliud contulit monasterium, quod est in territorio Bituricensi situm, illoque quadraginta ferme posuit monachos, constituitque abbatem : et quoniam locus ille novo opere erat fundandus, adjutorium præstitit, libros vestesque sacras dedit. At illi in sanctæ religionis habitu florentes, sanctæque conversationis normam pandentes, unitatem quoque spiritus servantes in vinculo pacis, permaximum intra Christi ovile gregem monachorum aggregarunt.

46. Ulfarius [c] etiam quidam nomine, nullum habens consanguineum, vir illuster et nobilis, per chartam ei ad ædificandum monasterium locum tradidit in Albiensis confinio, ubi etiam monachos ordinato illis abbate fere duodecim misit : et his etiam quoniam novo opere fabricam monasterii cœptam perficere satagebant, libros plurimos contulit, vestes sacras præbuit, calicem argenteum ac offertoria, crucemque et omnia quæ illis necessaria fore prospexit, administravit. Ipsi vero tam in ædificiis rerum corporearum, quam etiam in ædificatione animarum, sanctæque Regulæ institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium congregationem religiosorum fratrum acquisierunt.

47. Post obitum quoque serenissimi imperatoris Caroli, cum filius ejus Ludovicus rex Aquitanorum imperii curam suscepisset, Franciæ eum partibus ire jussit, eique in *Alsat* Maurum-Monasterium designavit, ubi plures suæ vitæ sequaces ex Aniano monasterio collocavit. Et quoniam magnum a palatio distat spatium locus præfatus, nec congruo occurrere tempore cum vocaretur poterat; et quia imperatori multis pro causis erat necessarius, placuit imperatori ut non longe a palatio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset. Sicque præfecto abbate fratribus Mauro degentibus, ipse cum nonnullis imperatoris voluntati obtemperaturus accessit.

48. Vallis autem erat vicina, quæ a palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat, quæ viri Dei placuit oculis : ibique imperator jussit construere miro opere monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine. In dedicatione vero ecclesiæ adfuit imperator, eamque de suis copiosissime ditavit fiscis immunitatemque jussit, atque per scripturam, ut triginta ibidem Deo fratres Christo famulantes persisterent monachi, statuit. Qua de re ut numerus impleretur, venerabilis abbas de notis monasteriis lectos jubet venire fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu divinæ gratiæ sæculari pompa relicta æterno Regi militare desiderantes ex eadem provincia in eorum subrogarentur ordine.

49. Cœpit autem post hæc vir Dei palatinas terere fores, olimque dimissum ob multorum utilitatem ferre tumultum. Omnes siquidem qui aliorum pressi incommodis imperialia petebant suffragia, cum ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur,

[a] Male in editis *vasculo*. Dux enim sive duciculus, vulgo *un duiset*, serraculum dolii est.

[b] Hactenus nomen retinet sancti Savini.

[c] Wlfarius comes Bellam-Cellam in pago Albigensi ad fluvium Agotum ædificasse dicitur.

eorumque querimonias in schedulis impressas tempore opportuno offerebat imperatori. Ex quibus assuetus aliquoties serenissimus imperator mapulam manicasque ejus palpans reperiebat, repertasque legebat, atque ut utilius noverat decernebat; propter oblivionem quippe talibus in locis eas ferre solitus erat. Libenter etenim hujuscemodi querimonias audiebat imperator, et ob id quam maxime sedulo illum in palatio fore jubebat. Etenim qui eum ex regni moderamine, ex dispositione provinciarum et ex suis consulerent utilitatibus, erant perplures; nullus prorsus afflictorum miseriis ita compatiebatur, nullusque monachorum inopiam ita regi ut ipse pandebat. Erat quippe miserorum advocatus, sed monachorum pater; pauperum consolator, sed monachorum eruditor; divitibus pabulum vitæ præbebat, sed monachorum mentibus Regulæ disciplinam inculcabat; omnium licet utilitatibus consuleret, monachorum tamen necessitatibus sedulo interveniebat.

50. Præfecit eum quoque imperator cunctis in regno suo cœnobiis: ut sicut Aquitaniam Gothiamque norma salutis instruxerat, ita etiam Franciam salutifero imbueret exemplo. Multa denique monasteria erant quæ quondam regulariter fuerant instituta; sed paulatim tepescente rigore, regularis pene deperierat ordo. Ut autem, sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium monasteriorum salubris una consuetudo, jubente imperatore aggregatis cœnobiorum [a] Patribus una cum quampluribus monachis perplures resedit dies. Omnibus ergo simul positis Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines affectusque confirmavit. Judicia igitur Regulæ cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus Regula pandit consuetudines, assentientibus cunctis protulit: de quibus etiam capitularem institutum imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in regno suo positis monasteriis observare præciperet: ad quem lectorem scire cupientem dirigimus. Cui protinus imperator assensum præbuit, inspectoresque per singula posuit monasteria, qui utrum ea quæ jussa fuerant sic observarentur inspicerent, quique etiam formam salubrem ignorantibus traderent. Perfectum itaque propagatumque est opus divina opitulante misericordia, et una cunctis generaliter posita observatur Regula, cunctaque monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, ac si ab uno magistro et in uno imbuerentur loco. Uniformis mensura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus cunctis observanda est tradita. Et quoniam alia per monasteria ut observaretur instituit Regula, suos in Inda degentes ita omni intentione instruxit, ut ex diversis regionibus adventantes monachi non, ut ita dixerim, perstrepentia, ut imbuerentur, indigerent verba: quia in singulorum moribus, in incessu habituque formam disciplinamque regularem pictam cernerent.

51. Propter plurimorum quoque indiscretum fervorem et quorumdam ineptum teporem, minusque capacium sensum obtunsum, constituit terminum, ordinemque [b] observandum cunctis tradidit: illos retrahens ne superflua peterent, hos imperans ut torporem excuterent, alios nihilominus admonens, ut saltem visa implere expeterent. Denique multa Regula implere jubet: sed permulta sunt quæ usus expiere quotidianus expetit, ipsa tamen reticet: ex quibus omnibus habitus monachi veluti gemmis ornatur, et sine quibus dissolutus ac fluxus incompositusque esse probatur. Nonnulla autem præcipit quæ aut propter concordiam unitatis, aut certe propter observantiam honestatis, seu propter considerationem fragilitatis admittuntur. Quapropter piæ recordationis venerabilis abbas quæque observanda comperit, absque ulla cunctatione vel excusationis fuco implere decrevit: ea vero quæ certus pro causis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilominus, prout rectius et secundum posse locique positionem dirimere quivit, suis observanda discipulis tradidit: si qua nempe minus lucide pagina Regulæ pandit, aut omnino silet, rationabiliter apteque instituit atque supplevit, de quibus ope divina jutus pauca relatu perstringam.

52. Primitus siquidem quam signum horis nocturnis pulsetur, in fratrum dormitorio squillam [c] tangere jussit, ut prius monachorum congregatio orationibus fulti propria residerent per loca, tunc demum ecclesiæ ostiis patefactis hospitibus pateret ingressus. Surgentes vero concite juxta quod Regula præcipit, fratres aquis se sanctificatis perfundant, et cuncta altaria humiliter et cum reverentia percurrant; sic demum ad propria loca accedant sintque parati, ut cum tertium pulsaverit signum, absque mora surgentes attonitis auribus sacerdotem exspectent, qui officium incipiendi sortitus est. Nec cuiquam liceat per hoc spatium per angulos ecclesiæ sistere, eorum scilicet quibus ingredi justum est; sed in choro sedentes institutos secrete concinant psalmos. Psalmos autem cantare jussit, quinque [d] pro omnibus fidelibus in toto terrarum orbe vivis, quinque etiam pro omnibus fidelibus defunctis; pro eis quoque qui nuper defuncti sunt, quia ad notitiam singulorum non statim causa pervenit, ut jugiter canerentur instituit nihilominus quinque. Decursis vero psalmis quinque pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit Deo commendans: et tunc demum pro aliis rogaturus initium sumat. Nec pigritandum est pio, certis defixisque psalmodiis

[a] Id factum anno 817, in synodo Aquisgranensi.

[b] Hinc colligunt nonnulli Benedictum hunc auctorem esse libelli qui inscribitur *Ordo conversationis monasticæ*, ab Haefteno editus et illustratus in fine Disquisitionum monasticarum.

[c] Id campanulæ seu tintinnabuli genus, quod Lanfrancus signum minimum vocat in Decretorum cap. 1, et in secretario locat Durandus in triclinio, lib. 1 de divinis Officiis, cap. 4.

[d] Hi sunt psalmi graduales, quos Quadragesimæ tempore singulis feriis quartis etiam nunc ante matutinum officium frequentamus.

æterno Regi demerso in terram corpore supplicare : cum potentibus ad singula verba non revereatur quis inflectere caput; maximeque quia hoc modo gratia provocetur divina, et compunctionis suscitetur fervor. Tempore siquidem æstatis post expletum Matutinorum officium, mox egredi ab ecclesia propter somnolentiam jussit, seseque calceantes lotis faciebus denuo ad ecclesiam concite redeant, et juxta præfatum ordinem altaria cum reverentia circumeant, sanctisque se aquis perfundant : et sic deinceps ad loca sibi constituta accedant, diurnum expleturi honeste officium : quæ officia juxta Romanum [a] psalmo CXVIII persolventur, sintque parati, ut pulsato signo horæ primæ, mox ad chorum occurrant. Signum autem ita prolixe tangere jussit, ut omnes illo sonante occurrant, illo cessante sacerdos incipiat horam. Expleta Prima in unum aggregati solvant capitulum : quo expleto, cum silentio, aut psalmos [b] decantando exeant ad opus sibi injunctum. In monasterio quoque remanentes non fabulis occupentur otiosis, sed bini et bini, aut certe singuli in coquina, in pistrino, in cellario psalmos canant. Post completorium vero instituit ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur, aut moretur in oratorio; sed hiemis tempore decem prius canant psalmos, æstate vero quinque : sicque pulsato signo omnes pariter juxta præfatum modum altaria cuncta circumeant, et sic ad lecta sua singuli pausaturi accedant. In his tribus per diem vicibus circumire cuncta præcepit altaria, et ad primum ex eis orationem Dominicam dicant et symbolum, cæteris orationem Dominicam, vel sua confiteantur delicta. Diurnis autem orationum horis ad suum quisque accedat oraturus locum : si autem peculiariter sibi vult orare, quibuscunque vacat horis, licenter peragat. Has igitur tres ideo constituit orationis vices, ut hi qui torpore pigrescunt, et orare fastidient, saltem compulsi agant quæ libenter nolunt, et constitutas non præsumant relinquere horas : hi vero qui nimio succenduntur amore, ne extera indiscrete petant retrahantur. Sic enim accidere solet ut nimiis vigiliis atterantur unius noctis [c] indiscretione : horis autem quibus divinis psalmodiis esse intentum oportet, præoccupatus sompno non valeat divinum exsolvere censum. In habitu quoque dissimiles fecerat multorum consuetudo. Siquidem nonnullis usque ad talos cucullæ pendebant. Quam ob rem vir Dei uniformem cunctis tenendum monachis instituit modum, ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset. Concessit etiam necessitatis causa, propter quam Regula jubet, duas scilicet stamineas [d], et femoralia, pelliceas quoque et tegumenta eorum, cappas duas; et quæcunque necessaria prospexit, ut omnem amputaret occasionis ambagem, tribuit et concessit.

53. Ostendit quoque per scripturam imperatori rationem de his quæ jubet Regula, sed certis ex causis intacta remanent; et de his quæ illa prorsus reticuit, sed utiliter supplentur. Omne quippe desiderium suum in observationem Regulæ convertebat, suumque hoc permaxime erat studium, et nihil intellectui ejus excederet. Quam ob causam quos peritos esse compererat, attente sciscitabatur circa longeque positos, eos etiam qui istis in partibus ad montem Casinum accederent, veluti qui non audita solummodo, sed visa perciperent. Ob quam dilectionem intelligentiæ cum quislibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter suscipiens summa reverentia aiebat, necdum se posse occultos sensus Regulæ nosse : et cum cunctis non dicam tironibus, sed ipsis sapientibus ipse eam elucidaverit, nova et inaudita se non tantum a peritis, verum etiam a simplicioribus reperire fatebatur. Fecit denique librum ex Regulis diversorum Patrum [e] collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis esset, quem omni tempore ad collectam matutinam legere jussit. Ex quo rursus ut ostenderet contentiosis nulla frivola cassaque a beato Benedicto edita fore, sed suam ex aliorum fultam esse Regulam; alium collectis Regularum sententiis composuit librum, cui nomen Concordia [f] Regularum dedit, ita duntaxat ut beati Benedicti præcederet sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. Alium nihilominus ex sanctorum doctorum homiliis, quæ in exhortationem monachorum sunt prolatæ, conjunxit librum, eumque omni tempore in vespertinis collectis legere jussit.

54. Cernens quoque nonnullos totis nisibus anhelare in acquirenda monachorum coenobia, eaque non tantum ut precibus obtineant, verum etiam

[a] Ergo jam tum Romanæ Ecclesiæ mos obtinebat ut psalmus centesimus octavus decimus, uti et nunc, in horis diurnis psalleretur. Aliter diurnum psallendi officium distribuit sanctus Pater Benedictus in Regulæ cap. 17.

[b] Sic psalmos inter laborandum decantari præscribunt Adalardus abbas in statutis suis, et Cluniacenses apud Udalricum, in Consuetudinum Cluniacensium lib. I, cap. 30.

[c] Eamdem rationem suggerit Cassianus in Collat. II, capp. 16 et 17.

[d] Jam ergo tunc vigebat usus staminearum, seu interularum lanearum, quas tamen Rotbertus Molismensis abbas repudiasse fertur apud Ordericum in Hist. lib. V. Certe sanctus Pater Benedictus de stamineis seu quibuslibet interulis silet. Et tamen stamineas duas monachis concedit. Fructuosus in Regulæ primæ cap. 4, et S. Ethildrita, non lineis, sed laneis vestimentis in monasterio usa est, teste Beda in Historiæ lib. IV, cap. 19. Denique Ansegisus abbas Fontanellensis *drappos albos* XX, *de quibus camisiæ* XX *fieri possent*, Fontanellensibus assignavit.

[e] Nempe, ut quidem existimo, Codicem Regularum omnium, qualem exhibent mss. codices, Corbeiensis veterrimus aliique; qualem, inquam, Holstenius edendum reliquit, editumque typis Romanis et Parisiensibus habemus. Eo in codice Regulæ, unaquæque post aliam, integræ referuntur, cum in Concordia Regularum singulis Regulæ sancti Benedicti capitulis singula aliarum regularum capitula instar commentariorum aptentur.

[f] Hunc librum edidit, notisque eruditis illustravit Menardus noster, qui etiam Benedicti Collectionem ex homiliis Patrum in codice Floriacensi legisse se testatur : quem tamen codicem ego perquisitum reperire non potui.

decertare muneribus, suisque usibus stipendia monachorum expendi, ac per hoc diruta nonnulla, alia vero fugatis monachis a sæcularibus obtineri clericis; adiit hac de causa piissimum imperatorem precibusque pulsat ut ab hujuscemodi contentionibus clericos, monachos vero ab hoc redderet periculo extorres. Assensum præbet gloriosissimus imperator, monasteria in Regno suo cuncta prænotata, in quibus ex his Regulares Abbates esse queant decernit: ac per scripturam ut inconcussa omni maneant tempore, firmare præcepit, suoque annulo signavit: sicque multorum cupiditatem, monachorum nihilominus pavorem extersit. Erant etiam quædam ex eis munera [a] militiamque exercentes: quapropter ad tantam devenerant paupertatem, ut alimenta vestimentaque deessent monachis. Quæ considerans suggerente præfato viro piissimus rex, juxta posse servire præcepit, ita ut nihil Deo famulantibus deesset, ac per hoc alacres pro eo ejusque prole, totiusque regni statu piissimum precarentur Dominum. Illis vero monasteriis quæ sub canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim unde vivere regulariter possint, cætera abbati concessit.

55. Quæ autem cum ad generale placitum jubente imperatore pergeret, nutu Dei acciderint, non silendum puto. Ibat nempe ægritudine nimisque caloribus fessus, jussis obtemperans regiis, sed charitatis armis stipatus, multorum explere utilitatem paratus. Sed is qui piis semper invidet actibus inimicus, ut piorum detrimentum ferret saluti, hunc a tramite cœpto tali arte retardare molitur: equos siquidem, quibus ipse vehendus erat, per vasta silvarum deturbans custodibus fere ignota. Sed vir Dei nullo dolore de amissis equis perculsus, alacer regias prope pervenerat fores. Expletis siquidem monasteriorum monachorumque, de quibus illi ingens et jugis piaque erat sollicitudo, utilitatibus, numerus equorum imminutus a rege fulcitur [*id est* suppletur]. Sed et post unius mensis spatium amissi reducuntur equi; sicque divinitus actum est ut quia de amissis non doluit, duplicatum susciperet lucrum.

56. Cœpit post hæc diversis variisque atteri ægritudinibus, et multos per annos continuis vigiliis, assiduis lacrymis, acerrimisque jejuniis atque laboribus meditationibusque attritum corpusculum novo certamini præparare: ut qui subactis vitiis virtutum obtinuerat arcem, nobiliter infirmitatibus patientiæ armis accinctus decertans, geminatam a rege suo superatis hostibus victricem perciperet palmam. Quo enim validius pulsabatur ægritudine, eo intentius magis magisque aut orationibus vel lectionibus persistebat. Nullus otiosum reperit, nullus omnino in opere Dei pigrum, nullus vanis frivolisque fabulis occupatum invenit. Aut enim ipse per se lectioni instabat, aut legentem studiose audiebat. Quis unquam solum nisi flentem reperit? quis ad eum subito ingrediens siccas ejus reperit genas? et non prorsus aut humi prostratum, aut cœlo erectis manibus stantem, aut ne sacri voluminis nimiis humectarentur fletibus paginæ, pugnis recipientem lacrymas invenit? Carnis deficiebant vires, sed animi adamante durior persistebat intentio, rigor semel cœptus pene ipse perdurans. Carnium quadrupedum esus non suscepit a die conversionis suæ: balneis etiam in ultimo suo tempore languoribus attritus vix unquam indulsit. Vestimentum post quadraginta vel eo amplius dies mutare solitus est. Legere siquidem coram se sanctorum Patrum Vitam obitusque jubebat: qua lectione recuperatus animus fortior perdurabat. O bone Jesu, quibus suspiriis fletibusque perfusus æstuabat animus cupiens dissolvi, et esse cum Christo! non tamen si necessarius fratribus foret, laborem ferre recusans.

57. Invalescente autem ægritudine imperatorem familiariter allocutus in monasterio deducitur, fratribusque valefaciens, tota nocte orationibus psalmodiisque pernoctans, ipsius diei regulare officium peregit. At cum alterius diei regulare expleret officium, et cursum persolvere vellet, ventum est ad clausulam: *Justus es, Domine;* quem versiculum decantans ait: Deficio; et adjecit: *Fac cum servo tuo, Domine, secundum misericordiam tuam* (*Psal.* CXVIII); sicque inter verba orationis virtutibus decoratum emisit spiritum [b]. Adsunt autem ejus omnibus divitiis dulciores epistolæ, quas pridie quam migraret a sæculo, fratribus Aniano positis proprio dictavit ore, in quibus testatur faciem suam amplius non visuros. Aiunt etiam quidam quoniam hora qua migravit ad Christum, episcopo Stabili Magalonensi obitus ejus revelatus est; a somno siquidem surgens mox suis quod acciderat retulit. Obitum autem ejus ob id cursim attigimus, quoniam fratres qui eo tempore præsentes adfuerunt, latius explicaturi sunt, quod sequens demonstrat pagina.

58. Benedictus igitur abbas in provincia Gothiæ exortus sub Pippino rege Francorum, et post ejus decessum sub Carolo filio ejus ab infantiæ tempore usque in adolescentiam militavit. Post hæc autem relicto palatio in monasterio Sancti Sequani in provincia Burgundiorum habitum veri monachi suscepit: ibique duobus ac semis annis [*supra, num.* 10, quinquennii et octo mensium spatio; *an* biennii?] consistens, Deo jugiter militavit. Sed quia ibi regularem usum minime reperit, in Gothiæ partibus migravit, ibique super fluvium Anianum manu propria cellam primitus postmodum vero cum ipsis fratribus qui ob amorem Christi sub ejus regimine venerant, monasterium ex novo opere construxit, in quo non longo post tempore trecentos sub suo regimine mo-

[a] Quæ ad munera, quæ ad militiam olim tenebantur monasteria, recensentur apud Chesnium in tomo II, Historiæ Francorum, et apud alios. In editis aliter hic versus legitur.

[b] Sepultus in monasterio Indensi, ubi hactenus in lapideo sarcophago quiescit, coliturque die 11 Februarii, supra in observationibus prævius, et infra in fine Vitæ.

nachos habuit. Defunctoque Carolo imperatore Ludovicus filius ejus imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum una cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense monasterium ei Maurum dedit : postmodum vero pro ejus amore juxta Aquis palatium super fluvium Indam ex novo opere ei monasterium ædificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum Regulam sancti Benedicti restauravit. Hic habuit sub regimine suo monasteria duodecim, id est Anianum, Gellonem, Casam-Novam, Insulam-Barbaram, Menatem, Sanctum Savinum, Sanctum Maximinum, Massiacum, Cormariacum, Cellam-Novam in Tolosano, Monasterium-Maurum in Alsatz, Indam ex jussu imperatoris ob illius ac discipulorum ejus usum ædificatam, et de fiscis regalibus ditatam. In his omnibus ex doctrina sua monachos et rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine ecclesiastico, videlicet monachorum, canonicorum atque laicorum, maxime autem monachorum. Imperator autem omne ejus consilium libenter audivit et fecit, unde et a quibusdam Monachus vocitatur, videlicet quod monachos sancti viri pro ejus amore semper suos proprios appellavit, et post ejus decessum hactenus abbatem se monasterii illius palam esse profitetur. Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit, quia juxta erat monasterium in quo degebat. Ante quartum vero exitus sui diem adhuc sanus omnia imperatori, quæ ei solitus erat dicere, replicavit : et in ipsa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera vero die audientes hoc omnes magnates imperatoris, ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo episcoporum, abbatum ac monachorum, ut nobis qui eum ibi custodiebamus, vix ad eum accedere facultas esset. Helisacar autem abbas primus ad eum venit, et cum eo usque ad obitum perseveravit. Quinta siquidem feria ægrotavit, in sexta autem feria nocte misit imperator Tanculfum camerarium, jubens ut eum in ipsa nocte ad monasterium ferremus : quem levantes ante gallorum cantum una cum Helisacar et suis ac nostris hominibus, prima hora diei ad monasterium deduximus. Cumque esset tertia diei hora, omnes a se exire præcepit, et usque ad sextam horam solus permansit. Post hæc ingressus supra dictus abbas cum præposito nostro, percunctati sunt quomodo ageret. Quibus ipse respondit, nunquam se tam bene fuisse; adjunxitque : Usque modo inter choros sanctorum coram Domino astiti. In crastina autem fratribus ad se vocatis eis monita salutis dedit, et tunc professus est quia quadraginta octo anni essent ex quo monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. In ipsa die brevem admonitionem imperatori misit, et alias per diversa monasteria direxit. Isdem vero venerabilis vir omne officium suum de quinque annis et duobus mensibus ante obitum suum, sicut in ejus tabulis post ejus decessum reperimus, et ipse vivens quibusdam dixit, cantatum [*id est* recitatum] per semetipsum liquit. Obiit autem septuagenarius, tertio Idus Februarii, anno ab incarnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, indictione decima quarta, concurrente 1, epacta decima quarta, anno nono imperii Ludovici piissimi imperatoris. Post tertium vero diem sepulcrum ejus aperuimus, et eum in vas lapideum, quod imperator paraverat, mutavimus : discooperientes autem faciem ejus, vidimus in fronte et circa oculos ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis, et ita se habentibus, nos famuli ex monasterio Inda, videlicet Deidonus, Levigildus, Bertadus et Desiderius, tibi Ardoni magistro nostro salutem in Domino optamus, petimusque charitati tuæ, ut secundum a Deo datam tibi sapientiam de Vita Patris nostri Benedicti libellum componas, et eum nobis dirigas. Salutant vos omnes fratres nostri, et vos salutate omnes fratres nostros. Amen.

APPENDIX PRIMA.

DE SYNODO AQUISGRANENSI, DEQUE MONASTERIIS ANIANÆ SUBJECTIS, AUT PER BENEDICTUM ORDINATIS.

(Mabill., ibid.)

1. Quid in rem ecclesiasticam præstiterit Benedictus, hactenus vidimus ex ipsius Vita, in qua et contra Felicianam hæresim, tum in legatione Hispanica, tum in synodo Urgelitana laborasse, et concilio Arelatensi, quod ad restituendam Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam anno 813 celebratum est, interfuisse memoratur num. 31. Nunc quid pro republica monastica, maxime in synodo Aquisgranensi, egerit, expendendum est. Cum rem Benedictinam fere ex æquo promovere studerent Ludovicus Augustus et Benedictus noster, anno 817 imperator Aquisgrani convenire jussit abbates quamplurimos Regulæ nostræ servantes, ad resarciendam sacri instituti disciplinam, quam Benedictus scriptis, monitis exemplisque suis revocare modis omnibus tentabat. Nimirum « monasteria monachorum, in quibus olim beati Benedicti Regula conservabatur, tum negligentia subrepente remissius ac dissolutius custodiebatur, vel certe penitus abolita negligebatur, » aiunt Patres concilii Turonensis tertii, canone 25. Quam ob rem varia tum a Carolo Magno, tum a Ludovico ejus filio convocata concilia, ut collabenti reipublicæ nostræ opem ferrent. Anno 817 Aquisgrani congregata est plurimorum abbatum synodus, cui præfuit Benedictus. Sancita hac de re capitula septuaginta duo; tot enim enumerant Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. I, cap. 16, novæ editionis, et Chronographus cœnobii Sancti Vincentii ad Vulturnum, lib. II, quo

ex cœnobio Josues abbas eidem conventui interfuisse memoratur, Apollinarius ex Flaviniacensi, et alii, de quibus in Præfatione actum est. Peracto concilio « constituit idem Deo amabilis imperator Benedictum abbatem et cum eo monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis tam viris, quam sanctimonialibus feminis vivendi secundum Regulæ sancti Benedicti incommutabilem morem, » ut legitur in Vita Ludovici Pii. Etsi enim universa Galliæ monasteria eamdem sancti Benedicti regulam profitebantur, non una tamen omnium erat vivendi ratio, sed varia pro locorum, personarum morumque diversitate. Benedicto socius et adjutor adhibitus Arnulfus abbas, testante Ludovico Augusto in diplomate quod de restituto ordine monastico in monasterio S. Dionysii confecit VII Kal. Septembris, anno 19 imperii. « Mox, inquit, ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris inniti voluit, piæ intentionis nostra sollicitudo exsequi procuravit, ut religio, decor et omnis honestas a domno et genitore nostro divæ memoriæ Carolo cœpta et instituta liquido et veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret et vigeret ordinibus. Unde ad monasticæ institutionis normam corrigendam duos religiosos et venerabilis vitæ viros Benedictum et Arnulfum abbates constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum et conservandum imperium seduli huic negotio studiose insisterent. » Exstat hoc diploma integrum apud Sirmondum in tomo II Conciliorum Galliæ, egregium sane pietatis imperatoriæ monumentum. Arnulfus is erat abbas, ut puto, monasterii Glonnensis seu Sancti Florentii ad Ligerim in diœcesi Andegavensi, et forsan etiam abbas Heriensis.

2. Quam Anianæ disciplinam instituit Benedictus, eamdem in varia Franciæ ac Germaniæ monasteria propagavit. Tria primo nobis proponit Ardo, Insulam Barbaram, Mitiacense, et Cormaricense, quibus addit Gellonense, Menatense, S. Savini Masciacense, monasterium a Wlfario conditum, Maurum-Monasterium, et Indam. Indenses in epistola sua addunt Casam-novam, et Cellam-novam in Tolosano; addo et ego Monasterium Sanctæ Columbæ apud Senonas. De quibusdam actum est in superioribus notis: de aliis hic nonnulla observanda.

3. Leidradus archiepiscopus Lugdunensis in epistola ad Carolum Magnum, « Monasterium regale Insulæ Barbaræ, inquit, situm in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honore sancti Andreæ apostoli et omnium apostolorum, nunc autem in honore sancti Martini recens videtur esse fundatum; jussu domni Caroli imperatoris, qui ibidem præfecit domnum Benedictum abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices, ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, et aliqua de maceriis a fundamentis erecta: ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero triginta habitare videntur. » Hic est Leidradus seu Laidradus archiepiscopus, cui in Hispaniam cum Benedicto adversus Elipandum profecturo Alcuinus libros suos dedicavit, quique postea dignitatem Agobardo resignavit, in Sancti Medardi Suessionense monasterium secessurus. Alcuinus in epistola 69 (*nunc* 90) monachis Barbarensibus, quos *Fratres Lugdunenses* vocat, gratulatur de restituta monasticæ vitæ disciplina, eosque præmunit adversus gliscentes errores. Insulæ-Barbaræ monasterium, cujus non semel alibi facta mentio, nunc sæculari toga donatum est.

4. Quid in Mitiacensi asceterio prope Aurelianos, nunc sancti Maximini dicto, præstiterit Benedictus, declarat Theodulfus ejus facti auctor in Carminum libro II, ex quo quia carmen totum est in laudibus Benedicti nostri, juvat quosdam versus adducere in hunc locum. Sed prius ex Letaldo monacho Mitiacensi discamus qualis tum fuerit istius monasterii status; sic enim ille in libro de Miraculis sancti Maximini abbatis, cap. 3: Nempe eo tempore « devotio Mitiacensis cœnobii et studium monasticæ vitæ emollita erat a sæculi dilectoribus, partim cupiditate, partim incursione hostica, quæ ex Aquitanica impugnatione crebro obtingere solebat. Per idem enim tempus inter Pippini duces et Waifarium Aquitanorum regem gravis et diuturna conflictatio rempublicam Francorum non modico profligavit damno, tandemque apud Toarcense castrum capto Waifario summa rerum ad Pippinum concessit. His fere temporibus locus supradictus adeo est adnullatus, ut nemo ibi posset manere monachorum: sed habitacula eorum aut essent diversoria sæcularium et feminarum, aut stabula equorum et pastiones canum. Temporibus igitur divæ memoriæ Caroli Augusti, disponente rerum omnium Domino, eumdem locum pristinæ reddere nobilitati, Theodulfus nobilissimus et moribus et genere acerrimique ingenii Aurelianensis Ecclesiæ episcopus subrogatur. Hic itaque multa industria certans quatenus idem locus in antiquum revocaretur honorem, dum in contiguis regionibus minus idoneos invenisset ad id efficiendum monachos, ex Septimaniæ partibus ascivit, quibus et locum dedit, et res illi loco olim attributas de suo insuper addens contradidit. In qua re non pœnituit eum facti sui, quippe cujus temporibus in tantum ejus loci gloria enituit, ut veteris ignominiæ dedecus honestas superveniens obumbraret, et præteritorum dispendia lucra sequentia compensarent. » Duos hanc in rem monachos Theodulfus obtinuerat a Benedicto, cui hoc nomine gratias agit, eumdemque de aliis mittendis interpellat, ac cum S. P. Benedicto Casinate comparat his versibus:

I, mea charta, celer Benedicti ad tecta beati,
Hocque salutato tecta revise Patrum.
Huic salveque valeque meum, huic singula narra,
Prospera quæ nobis sunt tribuente Deo.
Inde refer multas misso pro munere grates:
Utque libens mittat plura, precare libens.
Utque pium consurgat opus fundamine jacto,
Quod me jam mulcet, jam mea corda fovet
Sit melius culmen: bonus est fundaminis ordo,
Quem gemini numeri sorsque decusque sacrat.
Ecce duo monachi duo sunt præcepta salutis,
Divino ut vinctus sit quoque fratris amor.

Et infra:

Semina tu nostros misisti parva per agros,
Plurima mitte, seges hic tibi grandis erit.
Non distes merito, cujus non nomine distas:
Nominis et meriti sors beet una duos.
Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis,
Hoc modo tu in nostris es, Benedicte, locis.
Ut cerebro Euphorbi Samius satus esse putatur,
Sic Nursi Patris in te revocatur opus.
Ut per Teudulfum Teudulfi verba precantis
Imples, cumque una it hinc prece nomen idem·
Sic Benedictus ei per te, Benedicte, quod optat
Conferat, et voti tu mediator eas.
Quodque fuit, Casine, tibi pius hic Pater olim·
Hoc modo sit cellæ urbs Aureliana tuæ.
Quam bene Mitiacum vocitavit prisca vetustas,
Quæ fuit auspicium mitibus ante choris!
Maximinus ibi fratrum vernante corona
Præfuit, his junctus scandit ad astra poli.
Corpora sunt quorum variis tumulata sepulcris,
Sunt animæ in finibus sed, patriarcha, tuis,
Has fera barbaries exempto munere pacis
Dejecit sedes, destituitque locum.

Quid his verbis significare velit Theodulfus, explicat Letaldus superius relatus. Pergit Theodulfus, et poetico more carmen suum dirigit ad Benedicti cœnobium, tum post aliquot versus subdit:

Inde salutandi fratrem pietate revise,
Sum cui junctus ego nomine, non merito.

Hinc pete Nebridii Patris venerabilis ædes,
Mox et Donati sit tibi visa domus.
Sed nec prætereas sancti loca fratris Atili,
Amiâlique mei tecta verenter adi.
Nam pius aspiciat dantem sibi dona salutis,
Atala te videat, dicque, Olemunde, vale.
Ac si forte vales mundanas ire per urbes,
Singula perlustrans oppida, rura, casas,
Præsulibus nostras in carmine pande salutes,
Atque omni clero, quosque referre mora est.
Attila, Clarinus, Teutfredus, Leubila, et omnis
Turba Patrum nostrum sentiat alma vale.

Quos hic primos salutat Theodulfus, erant ii ipsi quos Benedictus operis sui adjutores primarios habuisse dicitur apud Ardonem supra. Crediderim Anianum esse eum, qui sancti Anniani (*Saint-Chignan*) monasterio in Gallia Narbonensi hactenus existenti nomen dedit, quod cave confundas cum monasterio Aniana seu Aniano.

5. Gellonense monasterium excitavit Willelmus comes, postea ibidem monachus, atque Anianensi abbati subjectum esse voluit. Benedictus loco præfuit abbas primus, dein permissi nonnunquam abbates peculiares alii ab Anianensibus, qui Gellonensium abbatum electionem probabant. Exstant non unæ Ludovici Augusti aliorumque regum litteræ Cellam Gellonensem Anianæ attribuentes. Demum Gellonenses sui juris esse cœperunt, reclamatumque non semel ab Anianensibus sæculo XI, quo Emmeno Anianæ abbas graves hac de re querelas deposuit apud Gregorium papam VII, quæ in tabulario Anianensi leguntur. Sed tandem prævaluit Gellonensium pervicacia Urbani secundi pontificatu, qui Gellonense monasterium a jure abbatiæ Anianensis absolvit: Callistus vero papa secundus Romanæ sedi proxime seu, ut aiunt, immediate subjecit, et post eum Alexander tertius.

6. Masciacensis cœnobii in Biturigibus fundamenta jecit Ego comes anno 738, ut docet ejus loci breve Chronicon a Labbeo editum in tomo II Bibliothecæ novæ. Adventus monachorum in Mascioco anno 814 collocatur, nimirum post cœnobii restitutionem ab Ludovico Augusto factam, de qua in ejus Vita. Monasterium istud, quod hactenus persistit sub ordine sancti Benedicti, vulgo *Massay* appellatum, rexit Abbo abbas, qui « natus anno 817, ordinatus anno 847, anno 866, quo urbs Aurelianorum cremata est, mortuus est, » et quidem « VII Kal. decembris, » ex Kalendario. « Et anno 967 Odo abbas bonæ memoriæ VIII Idus Junii » decessisse fertur; et « Arduicus monachus Nonis Septembris. »

7. Wifarius vir illuster et nobilis locum in Albigensis pagi confinio tradidit Benedicto, ubi is « monachos duodecim » cum abbate collocavit. *Casamnovam* interpretatur Ilenschenius: sed Ludovici Augusti litteræ, quas videre non potuit, nos docent esse *Bellam-cellam*.

Bellæ 1 cellæ statum hodiernum neodum rescire potui.

8. Maurum Monasterium primitus *cella Sancti Leobardi* a primo auctore dictum, « in honorem apostolorum Petri et Pauli et sancti Martini » constructum in Alesatia prope Tabernas (*Saverne*) principatu Childeberti secundi; postea *Maurum Monasterium* cognominatum est a Mauro abbate, cui Theodoricus quartus, Kalensis dictus, privilegium concessit, editum apud Jodocum Coccium et Carolum Cointium in Annalium Francorum tomo II ad annum 586, num. 43.

9. Inda, celeberrimum cœnobium prope Aquasgrani, vocabulum traxit ab amne præterfluente, *Sancti Cornelii* etiam appellatum a Cornelio papa et martyre, cujus caput et brachium istic observari dicuntur. Eo in loco sepultus est Benedictus noster ejus loci abbas ex dictis.

10. Casa Nova sive Gordanicus in pago Ucetico, A nunc usque prioratus Anianæ subjectus, vernacule *Goudargue*, primitus a Willelmo comite constructa dicitur in diplomate Ludovici Augusti.

Variæ hac de cella exortæ sunt lites tum adversus Casæ Dei monachos pontificatu Paschalis secundi, et Callisti itidem secundi; tum adversus Arelatensem archiepiscopum Callisto item Pontifice. « Et quidem, ait Callistus papa in litteris hac de re concessis, Anianenses monachi cellam illam, per Lodoici imperatoris, Caroli Magni imperatoris filii, et filii ejus Caroli regis scripta et largitiones Anianensi monasterio vindicabant. Archiepiscopus vero se Lodoici filii Bosonis regis chirographo tuebatur. » Sed tandem auditis utriusque partis momentis Callistus ipse de concilio cardinalium jus Anianensium possessione roboratum confirmavit. Exstant hæ litteræ in lucem editæ tomo VI Spicilegii.

11. De Cella Nova, vulgo *Celle-Neuve*, quæ hactenus ab Aniana pendet, exstat diploma Caroli Magni B in hæc verba:

Karolus Dei gratia rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum, etc. *Reliqua vide inter Opera Caroli Magni hujusce Patrologiæ tomo XCVII, col.* 988.

12. Ad hæc in monasterio Sanctæ Columbæ apud Senonas monasticam disciplinam restituere conatus est Benedictus, testante Ludovico Augusto in diplomate, quod editum a V. C. Stephano Baluzio in appendice ad Lupum habet hæc verba: « Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia olim dum monasticum ordinem usquequaque depravatum esse constaret, et ad eum corrigendum atque emendandum, imo ad pristinum debitumque modum et rectitudinem auxiliante Domino reducendum, quemdam abbatem ejusdem ordinis ferventissimum, Benedictum cognominatum, per monasteria imperii a Deo nobis commissi destinaremus; contigit ad monasterium quod dicitur Sanctæ Columbæ, haud procul ab urbe Senonensi devenire: in quo cum cætera regulariter ordinare satageret, quia tunc temporis abbatem canonicum, Jacob vocabulo, inibi præesse contigerat, quasdam villas, quæ priscis temporibus ad usum fratrum Deo famulantium fuerunt destinatæ, segregavit, » etc. C

13. Præterea Ludovicus Augustus « ad monasterium quod dicitur Aniana, ubi Georgius abbas præerat, quamdam cellam juris sui, quæ est constructa in honore S. Martini infra muros Arelatensis civitatis, cum his quæ ad eam pertinent, memorato monasterio ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium vel ad subsidia pauperum concessit pridie Non. Decemb., anno imperii 3, indict. 10, Aquisgrani palatio regio; » tum postea addidit « cellam quæ dicitur Massacia cum appendiciis suis, habentem plus minus quadraginta mansos, quæ est ex ratione prædictæ cellæ S. Martini, » litteris datis « IV Id. Mart., anno 7 imperii, Aquisgrani palatio regio. » Demumque plissimus imperator monasterii Anianensis res omnes confirmavit generali diplomate concesso Ermenaldo abbati. D

14. His omnibus haud ab re visum est subjicere sermonem aliquando habitum in festo dedicationis basilicæ Salvatoris, factæ circiter annum 782, de qua in Vitæ num. 26. Sermo iste nomen Ardonis seu Smaragdi præfert in ms. codice: sed falso, ut colligo ex ipsius auctoris verbis, dicentis *veternosa* suo tempore fuisse Anianensis basilicæ ædificia et *antiquam* ejus dedicationis *relationem* vocat. Ad hæc *priscam* vocat *consuetudinem*, quæ feminis negabat aditum in utrumque templum, Salvatoris scilicet et beatæ Mariæ: aitque *interjectis annis*, id est suo tempore concessum sequiori sexui ingressum in basilicam Salvatoris; quæ verba convenire nequeunt Ardoni, Benedicti discipulo. Neque scio an non satis exploratum videatur id quod refert auctor iste, « trecentos scilicet et sexaginta episcopos » (quorum fal-

lacem catalogum legi) ipsumque Carolum Magnum huic dedicationi interfuisse : cujus rei nullam mentionem facit Ardo in Vitæ superioris num. 26. Eodem loco haberi debet id quod legitur de absolutione peccatorum Carolo divinitus concessa ac revelata : quo spectat « miraculum in consecratione Anianensis archisterii revelatum, » relatum in Vita Caroli Magni, tribus libris scripta tempore Frederici Ahenobarbi apud Lambecium in Cæsareæ Bibliothecæ tomo II, pag. 333. Sermonis titulus ita se habet in codice ms. « Sermo sancti Ardonis, cognomento Smaragdi, monachi et confessoris, ac magistri in sacra pagina, monachi quondam monasterii Anianæ, ordinis sancti Benedicti, Magalonensis diœcesis : qui sermo fuit celebratus in consecratione altaris Sancti Salvatoris ejusdem monasterii die vigesima nona mensis Decembris, anno ab Incarnatione Domini DCCLXXII [*Leg.* DCCLXXII].

Sequitur tenor sermonis.

Ad gloriam et honorem tui nominis, Christe Jesu Salvator sæculi, auribus catholicæ Ecclesiæ antiqua rei relatio per novos futurorum temporum decursus transfert notitiam, qualiter venerabile tuum Anianensis cœnobii templum sui fundaminis suscepit exordium. Nam cum patricius Romanorum et rex Francorum Carolus per Gallias ad honorem Dei templa et admiranda ædificia passim constitueret, quoddam insigne in Christi Salvatoris nomine constituit, quod sui stemmatis veternosa congeries mortalium oculis adhuc pandit. Post cujus constitutionem, de Narbonensis urbis obsidione remeans, in qua Angaricam gentem expulerat, ibi synodo peracta trecentos sexaginta sex pontifices invitavit, et ad consecrationis opus congregavit. Vere felix locus ille a tanto principe honorabiliter electus, et ubi cœlestis Hierusalem in terrenis conversationibus activam vitam ad suam contemplativam gaudet exeuntem, et in cœlestibus claustris exspectat transferendos filios adoptionis, quos ibi nutrit Regula sanctæ religionis, quam secundum pii Patris Benedicti auctoritatem traditam alter quoque Benedictus nomine primitus ibi edocuit, qui in domo Domini ibi in atriis ejus justus ut palma floruit : cujus paternitatis principium Anianense promeruit cœnobium, et per eumdem abbatem primum, et gloriosum regem Carolum piæ dedicationis diem vidit optatum. In quo præfulgida venerabilium episcoporum pontificalis caterva præfata magnifici regis in cantu [*Forte* cœtu] conglomerata, solemne opus exercuit, et prætactum finem gratia dedicandi adhibuit. Tunc illud dedicationis peractum officium Deo placuisse cœlitus est demonstratum. Nam eidem regi sequenti nocte pernoctanti, et cuidam pontifici Coloniensi et Benedicto abbati (ut in ore duorum vel trium stet omne verbum) quædam visio spiritualis apparuit, quam ipsi tres postea professi sunt, videlicet quod Deo sacrata Anianensis aula, tota intus quasi ardens resplenduit, et lux erumpens ad cœlum emicuit. Quis igitur in die consecrationis, quam sic Deus approbavit, interesse non lætabitur? Jam tunc illa nostri Salvatoris quam felix aula canoris vocibus jucundata reboans cœleste dedit jubilum, et harmonica suavitas nunantis auribus illata, per æthereas auras invitata super eos, uranico concentui subriguit. Audita est populorum plausibus permixta vox lætabunda, et omne vulgus utriusque sexus divinum opus admirans Deo gratias laudifluo rependit præconio. Magnum quidem est et difficile per singulas causas spiritualiter retexere omne genus divini operis, quod illic Deo dispensante per religiosorum manus decenter exhibitum est. Sed ne videamur acervare superflua, hactenus opus, nostra titillante manu brevitatis compendio facili stylo laboratum, futuris sæculis in altam tradimus memoriam, quod fidelibus legendum et audiendum, sicuti relata gestorum dicimus, manifestum aperimus, etc. Adest hic ara triplex, solius columnæ unitate subnixa, significans Trinitatis unitatem, ut in personis proprietas intelligatur, et deitatis unitas credatur, etc. [a] Adest etiam Dominicæ crucis figura, quam in suo tempore sancti Salvatoris aula per sui fabricam depinxit, monstrans fidelibus Christi crucem spiritualiter esse gestandam, quam Deus Salvator crucifigendus sibi corporaliter bajulavit, et crucifixus omnia de se dicta a vatibus consummavit : cujus crucis venerabile signum suo præcipuo Salvatoris conservat altario, et multis beatorum pignoribus penetrale imbuit arcanum, quod obtinens reliquias in se, cœlestes habet margaritas, etc. Nullus hic quoque hæsitet suum tandem pectus pugillo, et quadam quasi pugni cordis manu excitare ignaviam, pieque confessionis modo illum Evangelii sequi publicanum, qui suam de suis peccatis damnans conscientiam, sibi propitiari divinam quæsivit clementiam. Cujus exemplo in hac Anianensi aula confessio Caroli fertur gemebundis patuisse suspiriis, et pro quadam admissi sceleris noxa crebris obsecrationibus institisse, divinæque misericordiæ aures lacrymabili propulsasse querela : quatenus ei Salvator ignosceret, ille qui pro hominibus cunctis venisset redemptor. Ad ostendendam vero redemptionis adeptam gratiam, examinator supremus notatis apicibus cuidam pontifici signum direxit, dum pro eo veniam peteret inter eucharisticas eulogias ad altare : persensitque Carolus celebrantis sibi manus impositas, qua impositione recreatus indultum sibi peccatum intellexit, etc.

Exsultet Galliæ tellus, et Anianensis spatii templo nobilitata lætetur : in quo ad indicium nobilitatis et pignus regalis amoris Carolus princeps divinum munus ibi lecturis reliquit. Cum igitur sit ita quod locus iste regalibus polleat rebus, et sacris ad cœlum ædibus assurgat, decet omnem cujuslibet ætatis hominem ipsum reverenter honorare, et Deum in illo devotius adorare, qui in tanta prioribus habitus est religione, ut mulieribus ad ipsum arceretur accessus, ne quælibet occasio sanctos regularis observantiæ corrumperet mores. Convenit namque pudicitiæ cultoribus illud evangelicum sequi, succingere lumbos, et in manibus habere luceruam. Hinc est quod gloriosa mater virgo sexum a suis liminibus exclusit femineum, et intra peculiare Filii sui templum interjectis annis recipit, quos prisca consuetudo in utrumque templum penetrare non sivit. O felix virtus in domo Dei, sed multo jam felicior si sobrietatis custodia sit, etc.

[a] Lege Vitæ num. 26.

APPENDIX II.

DE TRIBUS BENEDICTIS,

ANIANENSI, FOSSATENSI ET MEDIOLANENSI ABBATIBUS,

Ubi de EUTICIO *abbate Gallo.*

(Mabill., ibid.)

1. Ne ex communione aut diversitate nominum, ut fit, confusionem oriri contingat, hic seorsim de tribus Benedictis agere constitui, deque Euticio, abbate quem cum benedicto Anianensi unum et eumdem esse vehemens aliquando suspicio mihi injecta est, nunc vero penitus perspectum habeo.

2. Benedicti abbatis Anianensis Acta supra retuli ubi res ab eo gestas accurate describit Ardo ejus discipulus, refertque Indensium monachorum epistolam de obitu magistri sui. In his Actis et epistola quinque res in præsenti observandæ sunt. 1. Benedictus « fecit librum ex regulis diversorum Patrum collectum, ita ut prior beati Benedicti Regula cunctis esset, » etc. 2. Cum esset Ludovico Pio acceptissimus, in ejus gratiam « imperator jussit construere miro opere monasterium » apud Indam, « quæ vallis a palatio Aquisgranensi sex non amplius millibus distat. » 3. Pridie quam decederet Benedictus, cum solus ab hora tertia ad sextam manere voluisset, ait, « nunquam se tam bene fuisse, adjunxitque : Usque modo inter choros sanctorum coram Domino astiti. » 4. Ipsa obitus sui die fratribus ad se vocatis professus est, « quia quadraginta octo anni essent ex quo monachus fuerat, » ubi mendose quidam codices habent, *quadraginta anni*. 5. Adjecit, in his omnibus anni se « nullo die antea panem comedisse, donec coram Deo lacrymas funderet. » Quæ tria postrema refert epistola Indensium monachorum.

3. Eadem omnino Euticio abbati tribuit Joannes monachus, qui unus e veteribus Euticii mentionem facit in lib. I de Vita sancti Odonis abbatis Cluniacensis. 1. Euticius « cum esset laicus, et peregrinis studiis eruditus, totum se dedit beatorum Patrum Regulis et institutionibus : ex quibus auctoritatibus diversas consuetudines sumpsit, unoque voluminе colligavit. » Hæc est *Concordia Regularum* Benedicti abbatis Anianensis ; aut certe *Ordo monasticæ conversationis* ejusdem auctoris; et forte utrumque : quos tamen libros, non *laicus* (ut falsus est Joannes), sed monachus et abbas collegit Benedictus. 2. « Fuit isdem vir Euticius temporibus Ludovici Magni imperatoris, clarus videlicet regi, omnibusque amabilis. Quippe in tanto amore apud regem est habitus, ut intra palatium suum illi construeret monasterium. » Scilicet Indense, quod intra fines villæ seu palatii Aquisgranensis conditum est : nec aliud in gratiam cujusquam intra palatium ab Ludovico Augusto constructum legimus.

3. Euticius « circumstantibus undique fratribus subito emisit spiritum; et dum a discipulis pii Patris pararentur obsequia, ecce rediit vivus, qui fuerat mortuus. Illis vero attonitis et mirantibus dixit : Deo gratias, scitis quia ex his quadraginta annis unum tantum diem non memini me cibum sumpsisse, nisi prius flevissem. Hodie namque sublato mœrore consolatus est me Dominus, et inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. » Benedictus inter choros sanctorum Domino astitit; » Euticius « inter choros angelorum. » Ardo raptum et orationis excessum Benedicto tribuit; Joannes rem auget, et pro raptu mortem, pro raptus fine reditum ad vitam Euticio affingit. Per quadraginta annos Euticius cibum non sumpsit, « nisi prius flevisset. » Idem totidem annos præstitit Benedictus, nisi quod *quadraginta octo* annos habent melioris notæ codices *quadraginta* sequioris, quos prætulit Joannes. Ex his Benedictum Anianensem cum Euticio abbate unum eumdemque esse asserere non dubitem. Nec quemquam movere debet nominis diversitas. Nam præterquam quod Benedictus et Euticius non ita significatu differunt, certe illo ævo familiare erat uni eidemque homini duo habere nomina, unum proprium, alterum asciticium, ut in Rabani Elogio videbimus. Quod si Benedictus ab Euticio diversus non est, alii auctori tribuendi sunt Dialogus de Statu Ecclesiæ et liber de Vita Ludovici Augusti : quos post annum 840, hoc est annis ab obitu Benedicti minimum novemdecim, editos fuisse constat. De aliis Benedicti Anianensis operibus infra.

4. Sunt qui Benedictum abbatem Fossatensem a Benedicto item Anianensi non distinguendum esse opinantur : qua in sententia est eruditissimus Carolus Cointius tomo VI. Mihi vero alium ab alio diversum esse indubitatum videtur. Vixit quidem uterque eodem tempore : et sicut Benedictus Anianensis omnia fere Galliæ monasteria, sic Benedictus Fossatensis Fontanellense ad Regulæ cultum revocasse perhibetur in Chronici Fontanellensis cap. 16, ubi ejus loci monachi « olim a viro justo Benedicto Fossatensis cœnobii abbate eruditi in philosophia » monastica dicuntur. At Benedictus Anianensis nusquam *Fossatensis* appellatur; sed tantum Anianensis atque Indensis abbas fuit, dictusque est : tametsi pleraque Galliæ monasteria, suo quæque abbati singulari subjecta, sub cura sua haberet. Verum unius ab altero distinctionem illud evincit, quod Benedictus Fossatensis diu superstes fuit Anianensi, quem anno 821 decessisse constat. Quippe Fossatensis basilica « elegantiori opere a religioso abbate Benedicto constructa, et a S. Aldrico Senonensium archiepiscopo aliisque præsulibus dedicata est, » ut in libro de Miraculis S. Baboleni sæculo XI scripto legimus. Idem attestatur libellus de Vita sancti Aldrici, qui prece « Fossatensis abbatis templum quod ipse abbas construxerat, in honorem beatæ Mariæ dedicasse » memoratur. Atqui Aldricus non ante annum 829 sedem episcopatus Senonensis iniit. Itaque ad annum minimum 830 pervenit Benedictus Fossatensis, cujus « prece templum quod ipse construxerat » Aldricus archiepiscopus dedicavit. Fuerit ergo alius necesse est Benedictus Anianensis, qui anno 821 ineunte e vivis excessit, annis amplius novem ante Fossatensis basilicæ perfectionem ac dedicationem, quæ Benedicto Fossatensi procurante peracta est.

5. His tertium adjungo Benedictum abbatem Italum, ambobus æqualem, quem Petrus Mediolanensis antistes cœnobio anno 784 in honorem sanctorum Ambrosii, Gervasii atque Protasii, ab se constructo præposuit, confirmante Carolo Magno. Petri archiepiscopi et Caroli Magni hac de re litteras refert Ughellus in Italiæ sacræ tomo IV. Petrus litteris suis abbatem instituit Benedictus præsbyterum,

« ita ut abbas cum fratribus omnia secundum instituta venerabilis Patris Benedicti ejusque Regulam disponat et ordinet. Sed neque abbas ibidem ordinetur extraneus, nec nullo unquam tempore, nisi aut eodem in monasterio prius monasticum sumpserit habitum ex ipsa jam congregatione, aut quem fratres eligant, qui eos secundum divinas leges et Patrum regulas valeant gubernare ; » seu, ut Carolus Magnus in diplomate suo loquitur, « secundum divinas leges et Regulam sancti Benedicti. »

6. Tres ergo habemus Benedictos abbates eodem tempore clarissimos, qui rem monasticam mirifice illustrarunt auxeruntque : tametsi potiorem locum obtinere debet Benedictus Anianensis, a quo Cluniacenses congregationis suæ formam rituumque suorum modum ac specimen accepere : quandoquidem ipse est Euticius qui, referente Joanne monacho jam laudato, fuit auctor earum Consuetudinum, « quæ hactenus in nostris, inquit, monasteriis habentur. »

7. His ita expositis de pluribus Benedictis, hic ex occasione quædam de Benedicti Anianensis operibus retractare juvat ; siquidem præter Concordiam Regularum, earumque Codicem, de quibus actum est in ejus Actis, nonnulla eum composuisse postea comperimus. Nam in ms. codice Colbertino n. 1310, ut mihi indicavit vir de litteris optime meritus Stephanus Baluzius, invenitur primo *Benedicti abbatis Anianensis forma fidei tomorum* XV, quæ veluti summula theologica est. Deinde *Confessio fidei Benedicti levitæ ;* tum *Benedicti leritæ testimoniorum nubecula de incarnatione Dominica, et sancta et individua Trinitate, et iterationis baptismatis devitanda pernicie.* Ad hæc *ejusdem disputatio adversus Felicianam impietatem.* Denique *ejusdem epistola ad Guarnarium filium.* Primum ex illis opusculis esse Benedicti Anianensis ex titulo manifestum est, probaturque ex ejus Actis, ubi Benedictus « perversum Felicianum dogma, » quod « pene provinciam illam invaserat, illæsus ope divina » non modo « evasisse » perhibetur, sed et « multos, non solum infimos, verum etiam præsules Ecclesiæ suo eripuisse studio ; et adversus nefandum dogma veris disputationum jaculis armatus sæpe congressus fuisse. » Hac de causa in Hispaniam profectus est non semel, ut testatur Alcuinus in epistola præfixa libris quatuor adversus Elipandum, inscripta Leidrado episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, et « Benedicto abbati, » cum « essent in procinctu itineris. » Quin etiam interfuit synodo Urgellensi anno 799 ea de re habitæ, uti observavit eruditissimus Baluzius in calce notarum ad Agobardum. Hinc etiam valida conjectura eruitur, ejusdem esse auctoris opuscula illa contra Felicem, quæ ex codice Colbertino mox commemoravimus. Sed illud obstat, quod Benedicto *levitæ* tribuuntur : cum Benedictum Anianensem sacerdotii honore præditum fuisse indubium videatur. Is quippe, teste Ardone, « vasa ad Christi conficiendum corpus nolebat sibi esse argentea : siquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea ; sic tandem conscendit ad stannea. » Quod ait *sibi* et *ei*, vix potest de alio quam de Benedicto ipso explicari, sicuti et subsequentia. « Planetam vero refutabat habere sericeam : et si aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum præstabat. » *Aliis*, inquit, id est monachis suis presbyteris, quibus ejusmodi planetam ad usum præstabat, cum ille ad suum ipsius adhibere nollet, nam si de presbyteris extraneis hic sermo esset, non *ad utendum præstari* planeta diceretur, sed in donum tradi et concedi. Itaque prædicta opuscula, quæ quidem Benedicti Anianensis esse videntur, ab eo nondum presbytero, sed levita scripta sunt, si non fallit codicis inscriptio in titulo *levitæ*. Certe Benedictum illum, quisquis tandem sit, abbatem exstitisse inde colligitur quod Guarnarium *filium* suum nominat.

8. Præter hæc in codice Caunensis monasterii (*Monastère de Caunes*) diœcesis Narbonensis habetur ejusdem Benedicti *libellus ex diversis Patrum sententiis* collectus de Confessione, cum epistola nuncupatoria ad Ludovicum, ut puto, augustum quam damus infra inter epistolas sancti Benedicti.

9. Hanc epistolam sequuntur nudæ Patrum sententiæ de revelandis cogitationibus. Patres illi sunt Gregorius Magnus, sanctus Pater Benedictus, Basilius, Macarius abbas, Paulus Ægyptius, Antonius abbas, Vitæ Patrum, Cassianus, Augustinus de perjurio, et Isidorus. Ipsa est sine dubio Benedicti Collectio ex homiliis Patrum, quam Menardus noster quondam legerat in codice Floriacensi. Illam porro ex codice sancti Petri de Caunis congregationis nostræ eruit mihique cum aliis fragmentis bene multis transmisit noster Claudius Stephanotius, cujus indefessum in litteris studium nunquam satis prædicare possim. Titulus et exordium libri sic habent : *In Christi nomine incipit libellus ex diversis Patrum sententiis.* Sententiæ sancti Gregorii de lib. Moral. in Job, Pars I : *Et fuit possessio ejus septem millia ovium*, etc. Hactenus de Benedicto Anianensi et aliis.

CODEX REGULARUM

MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas SS. Patres monachis, canonicis et virginibus sanctimonialibus servandas præscripserunt.

COLLECTUS OLIM A S. BENEDICTO ANIANENSI ABBATE

(Juxta editionem Lucæ Holstenii, anno MDCCLIX recusam Augustæ Vindelicorum et a R. P. Mariano Brockie observationibus critico-historicis illustratam.)

Præfatio

Ad lectorem benevolum, aliosque antiquitatis Christiano-monasticæ amatores.

I.

Quamprimum jacentibus litteris pristina dignitas restitui cœperat, et jam eruditorum animis crevit antiquitatis existimatio, quod ubique veterum scriptorum libri ex intimis archivorum pluteis in lucem publicam prodierint, doctissimis quidem notis hinc

inde honorati, qui tamen plerumque ad profanos scriptores spectabant. Notum quippe est illos solummodo inter eruditiores numeratos fuisse, qui in ethnicorum scriptis explanandis operam dabant, atque in exornandis Græcis Romanisque ritibus vitam suam consumere voluerunt. Pauci siquidem circa Christianorum instituta laborabant, vel vetera sanctorum Patrum scripta evolvebant, aut eorum acta, sacra et salutaria monita de tenebris in lucem eruere conati sunt.

II.

Et quamvis nonnulli ex illis restitutæ rei litterariæ primis cultoribus aggressi sint quædam celebriorum sanctorum Patrum opera, cum quibusdam qualitercunque elaboratis commentationibus in publicum proferre, quemadmodum præstitit celeberrimus Erasmus, sanctos Ecclesiæ doctores Augustinum et Hieronymum exhibens orbi erudito; attamen et has lucubrationes valde inopes agnoscunt hodierni viri docti, ut pote potioribus adjumentis destitutas. Nondum enim scriptores illi, alias celeberrimi, intima bibliothecarum et archivorum scrinia inspexerant, nec piissima primorum Christianorum acta rimari, vel sincera a spuriis discernere cogitaverant, posteris hanc egregiam artis criticæ spartam relinquentes.

III.

Postquam autem ineunte sæculo XVII plures viri eruditi, et ob id æterna memoria digni, bibliothecas hucusque neglectas paucisque pervias perscrutari cœperant, tunc plura antiquitatis Christianæ monumenta, quæ nimis diu pulvere obsita latebant, in publicam lucem prodierunt, atque historia tam sacra quam profana mirifice exculta est, sinceris veterum scriptorum actis ab omni fraude discretis. Nulli igitur ignotum est, a talibus excellentissimis ingeniis præstantissima emolumenta reipublicæ Christianæ simul et litterariæ accrevisse, cum per laudabilissimum hoc studium abditissima religionis nostræ mysteria clarius patescant, primævi Christianorum mores, ritus, et laudabiles cæremoniæ aperiantur, atque orbi erudito ad imitandum proponantur.

IV

Inter hos puioris doctrinæ cultores præ reliquis in arte critica apprime versatis eminuit Dom. Lucas Holstenius, vir ad abdita antiquitatis monumenta illustranda natus, et in utroque reipublicæ litterariæ foro optime versatus. Natus ille est Hamburgi in Germania anno 1596, ubi sub doctissimis magistris eximio cum fructu studia humaniora absolvit, lingua Hebraica et Græca de more imbutus, ut ex ephebis vix egressus egregia nobiliorum studiorum specimina ediderit, prout eruditæ ejusdem notæ in varios veteres profanos scriptores testantur. At relictis juvenilibus musis, ut altioribus studiis animum excoleret, relicta patria, primum Lugduni Batavorum arcanis medicinæ artibus aliquo tempore operam dedit. Verum animæ medicinam anxius inquirere cupiens in Gallias secessit, ubi Lutetiæ Parisiorum studiis theologicis assidue incubuit. Dum sacrarum Litterarum et sanctorum Patrum dogmata sedulo revolveret, agnitis Protestantium erroribus, ad gremium orthodoxæ et catholicæ Ecclesiæ Romanæ conversus est, apud viros doctos magnam solidæ eruditionis famam adeptus. Tandem Romam vocatus bibliothecæ instructissimæ Barberinæ præficitur, atque cardinali Barberino a secretis stetit, a summo pontifice Urbano VIII canonicus basilicæ Vaticanæ constitutus.

V.

Dum igitur clarissimus Holstenius omnigenæ virtutis et doctrinæ radios ubique spargeret, summus pontifex Romanus Innocentius X perspectam habens ejusdem singularem in eruendis antiquitatis monumentis peritiam, atque in scrutandis veterum sanctorum manuscriptis præclaram notitiam, illum celeberrimæ bibliothecæ Vaticanæ primarium præfectum ordinavit. Quod etiam summum officium ipsi confirmavit Alexander VII papa, et ipse doctorum virorum phœnix, puriorisque doctrinæ cultor eximius, qui proin Holstenium nostrum debito honore cumulare voluit. Nam anno 1655 illum ad serenissimam Christinam Suecorum, Gothorum, et Vandalorum reginam misit legatum, ut ab eadem publicam catholicæ fidei professionem susciperet: quam piissima regina festivo gaudio ad manus ejus emisit in publico nobilium virorum consessu apud Œniponum sub solemni sacræ missæ sacrificio.

VI.

At reversus Romam Holstenius cum religiosissima regina jam in gremium Ecclesiæ catholicæ solemniter recepta, cum in perscrutandis antiquitatis Christianæ monumentis, et veterum sanctorum Patrum scriptis colligendis sedulam operam impenderet jam doctis laboribus fractus ad æternæ quietis gaudia vocatus est IV Nonas Februarii anno 1661, cujus quidem morte respublica litteraria jacturam passa est irreparabilem. Ante mortem in ecclesia B. Mariæ de Anima nationis Germanicæ sepulturæ sibi locum elegit, ubi piissimæ animæ justis persolutis ad perpetuandam tanti viri memoriam eminentissimus cardinalis Barberinus erigi curavit superbum et marmore tumulum cum insigni hoc epitaphio, quod memorabilia vitæ acta complectitur.

D. O. M.

LUCÆ HOLSTENIO SAXONI HAMBURGENSI,
QUI CLARUS IN GALLIIS, ROMÆ CLARIOR
GENTIUM OMNIUM ÆTATUMQUE HISTORIAS ET ECCLESIÆ RES
MENTE COMPLEXUS,
DIVERSIS REGIONIBUS PERAGRATIS,
DIVERSOS EARUM FINES ET NOMINA PROBE TENUIT,
VARIAS QUOQUE LINGUAS PRÆTER GRÆCAM LATINAMQUE,
QUARUM SCRIPTORIBUS PLURIMUM LUCIS ATTULIT,
ANTIQUAM PHILOSOPHIAM CALLUIT:
AB URBANO VII CANONICATU BASILICÆ VATICANÆ,
AB INNOCENTIO X PRÆFECTURA BIBLIOTHECÆ ORNATUS,
AB ALEXANDRO VII SAPIENTER UNUS ELECTUS,
UT OCCURRERET SUECORUM GOTHORUMQUE REGINÆ
INCOMPARABILI,
QUÆ MIRAM IN TANTO VIRO SUMMI INGENII
SUMMÆQUE MODESTIÆ CONJUNCTIONEM SUSPEXIT
ET PRÆDICAVIT:
VITÆ DENIQUE LAUDATISSIMÆ ET ILLUSTRIUM OPERUM
CURSU INTERRUPTO

EXIMIUS PATRIÆ GERMANIÆ AMATOR,
PROPUGNATORQUE RELIGIONIS CATHOLICÆ
OBIIT ANNO ÆTATIS SUÆ LXV, IV NONAS FEBRUARII
ANNO MDCLXI.
FRANCISCUS BARBERINUS CARD. S. R. E. VICE-CANCELL.
HÆRES EX ASSE AMICO OPTIMO P.

VII.

Inter præstantissima autem hujus clarissimi viri opera, et doctissima veterum monumenta ab ipso collecta, haud ultimum locum meretur præsens *Codex Regularum monasticarum*, quem tenebris erutum luci publicæ parabat locupletandum eruditissimis animadversionibus simul ac dissertationibus ad historiam monasticam illustrandam perquam necessariis, nisi immatura morte præventus fuisset. Etsi enim hanc veterum Regularum collectionem non collegerit Holstenius, prout ipse fatetur, sed eamdem ab antiquo codice Coloniensi descriptam a summo pontifice Alexandro VII ad corrigendum susceperit, attamen et illam cum aliis antiquis codicibus collatam correxit, et doctissimis notis hinc inde illustravit, testimonia veterum scriptorum cuilibet Regulæ præfigens.

VIII.

Primus autem qui Regulas monasticas in unum codicem collegit et redegit, erat sanctus Benedictus abbas Anianensis, cujus Acta primus edidit vir doctissimus Hugo Menardus congregationis S. Mauri monachus Benedictinus, quæ postea eruditissimi hagiographi Bollandus et Henschenius de novo illustrata ad diem 12 Februarii inter aliorum sanctorum Vitas collocaverunt. Sanctus quippe Benedictus Anianensis abbas multorum cœnobiorum pater et auctor, a monasterio per ipsum in paterno solo apud Anianæ fluminis ripam erecto cognomentum hoc *Anianensis*, sortitus est : qui nobilissima comitum Magalonensium stirpe ortus, ex aulico gratioso et forti milite, factus est monachus monasterii sancti Sequani in diœcesi Lingonensi, circa annum 774, ac post quadriennium in paterna possessione Anianense hoc cœnobium in Aquitania condidit, arctamque Regulæ Benedictinæ disciplinam observavit. Hinc Carolo Magno imperatori in primis charus, ac deinde ejusdem piissimo Filio Ludovico Aquitaniæ regi, et post mortem patris imperatori perquam familiaris, plurima monasteria per Aquitaniam et provinciam Narbonensem exstruxit, ac sanctissime gubernavit. Sed tandem ab eodem imperatore Ludovico Pio Aquisgranum vocatus, Indæ cœnobium instituit, unde et *Indensis abbas* sæpe appellatur, sub cujus præsidio, anno 818, Aquisgrani habitus est conventus abbatum Franciæ cum suis monachis pro reformatione monasteriorum, prout Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi capite 18 notavit, atque in præfatione ad capitula ibi sancita disertis verbis reperitur.

IX.

Ad reformandum igitur statum monasticum constitutus sanctus Benedictus Anianensis a piissimo imperatore Ludovico primarius præses omnes Regulas monasticas ante exordium sæculi IX conscriptas in unum volumen collegit, ex quibus insignem tractatum composuit, quem *Concordiam Regularum* recte nominavit. Quo quidem tractatu pissimus abbas unitatem et conformitatem status monastici monstrare voluit; quamvis primi institutores scripserint diversas vivendi normas, quas tamen inter se concordare probavit, ex omnibus coarctans in unum sententias, quæ cum præscriptis Regulæ Benedictinæ convenire noscuntur præceptis, singula aliarum Regularum capita ejusdem argumenti singulis Benedictinæ Regulæ capitulis subjiciens. Jam dudum igitur sanctus abbas Anianensis in unum corpus collegerat celebriores Regulas monasticas, ex quibus hanc *Regularum Consensionem* monstravit.

X.

Quisquis enim prima illa religiosæ vitæ sæcula vel obiter consideret, omnino perspiciet, sanctissimum monachorum Occidentalium patriarcham Benedictum Cassinensem non instituisse novum monasticum statum, sed solummodo per suam *Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam* perfecisse, prout eamdem commendat sanctus Gregorius Magnus, Dialog. lib. II. Nam ab exordio introducti monastici ordinis tanta vigebat unitas, tanta morum conformitas, ut ubique unus idemque exstiterit status monasticus, facilisque fuerit ex uno ad aliud monasterium transitus, monachis eamdem vivendi rationem eamdemque monachatus professionem observantibus, non obstante diversarum Regularum observatione, quæ quidem uniformes censebantur, nullamque inducebant ordinum diversitatem.

XI.

Hoc ex variis sanctorum Patrum Actis omnino constat, atque clarius patebit ex Leonis Allatii præfatione ad præsentem Regularum Codicem mox adducenda, ubi vir doctissimus exertis verbis contendit, nullatenus tali unitati obstare ordinum diversitatem. « Etenim illæ, inquit, a singulis, ut præsens usus poscebat, Patribus scriptæ aliorum similia cupientium studiis descriptæ in commune proponebantur : ut ex his quique pro locorum et nationum differentia vitam uniformi, quoad præcipua, disciplina temperarent. Primaria sane et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat; illa, inquam, Christi consilia, quæ castrare seipsum propter regnum cœlorum; quæ abnegare se, et crucem tollere; quæ patrem et matrem, uxorem, et agros propter Christum relinquere; quæ vendere patrimonia, et dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulæ particulares nihil nisi ejus primæ Regulæ applicationes aut declarationes locis et personis plerumque aptatæ habebantur. » Hinc in uno eodemque monasterio plures aliquando receptas Regulas reperimus, prout Gregorius Turonensis, lib. X, cap. 18, de Attanensi apud Lemovicas monasterio testatur, in quo « non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrabantur Regulæ. » Multa talia hujus rei exempla adducit clarissimus

Mabillonius in suis præfationibus ad Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti, et præcipue in præfatione ad tomum I Annalium Benedictinorum, ubi ex professo agit de hac status monastici unitate, non obstante tot Regularum varietate, quæ sæpius in uno eodemque loco observabantur, etiam post promulgatam Regulam Benedictinam. Sic sanctus Philibertus Gemeticensis cœnobii conditor et abbas « sancti Basilii Chrismata, Macarii Regulam, Benedicti Decreta, Columbani Instituta sanctissima, assidua lectione frequentasse legitur. »

XII.

Unde perspicuum est Regularum multiplicitatem nullatenus induxisse ordinum monasticorum diversitatem, qualem nunc videmus; quando diversi monachorum ordines certo charactere discriminati, et certis ac cuique propriis legibus, officiisque Deo militant; nec facilis ab uno ad alium ordinem conceditur transitus, absque annua probatione et nova noviter suscepti ordinis solemni professione. Adeoque primis illis sæculis monachi sub una particulari Regula educati, de uno ad aliud monasterium etiam alia monastica Regula gubernatum facile transire potuerunt, nulla emissa nova professione, neque admissa annua probatione. Hujus unitatis etiam apud monachos diversarum Regularum cultores evidens argumentum nobis suppeditat ipse sanctus Benedictus monachorum Occidentalium patriarcha in Regulæ suæ capite 61, ubi sic præcipit: « Si quis monachus peregrinus e longinquis provinciis in monasterium supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, et contentus fuerit consuetudine loci, suscipiatur quanto tempore cupit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, et *si quidem vir frugi erit*, non solum, si petierit, suscipiatur in congregationem, verum etiam suadeatur, ut stet; ut ejus exemplo alii erudiantur, et quia in omni loco uni Domino servitur et uni regi militatur. »

XIII.

In susceptione igitur peregrini monachi etiam sub aliena Regula educati, sanctus Benedictus non exigebat annuam probationem, vel novam Regulæ suæ professionem, sed tantum requirebat *stabilitatis promissionem* ob mutuum initum inter utrosque contractum. Hujus promittendæ stabilitatis formulam ex Hildemaro antiquo Regulæ Benedictinæ commendatore, adducit laudatus Mabillonius Annal. Bened. tom. I, lib. VIII, pag. 215, quæ talis erat: « Ego N. veniens de longinquis provinciis in hoc monasterium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci, et illis placuit mea conversatio: ideo stabilitatem meam in hoc monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuo confirmo. » Adeoque non aliam rationem et cæremonias ad suscipiendum peregrinum monachum exigebat sanctus Benedictus, licet et Regulam peculiarem jam condiderit, ad hoc tamen attendens, ut monachus ille peregrinus, si ex monasterio noto et vicino venerit, haberet abbatis sui consensum, ac litteras commendatitias, ne alias hæc monachi admissio scandalum vel offendiculum inter illa duo monasteria generaret.

XIV.

Non ergo distinctum ordinem monasticum sanctus Benedictus instituit, nec præscribendo *stabilitatem et morum conversionem* (Regulæ Benedictinæ cap. 58) aliquid essentiale innovavit, sed solum ex aliis præcedentibus monachorum Regulis et Constitutionibus statum monasticum reddidit præstantiorem, præscribendo *Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam*. Pari modo discurrendum est circa rigidam Scotorum monachorum disciplinam, quæ tamen mirifice propagata est non solum in Britannia et Hibernia, verum etiam apud Gallos et Italos per sanctum Columbanum ejusque socios, etiamsi nonnulla ab aliorum monasteriorum ritibus abhorrentia complecteretur. Notum quippe est hos Scotos monachos ex errore calculi aliter festum Paschatis celebrasse, quam alii Christiani, ipsa namque quarta decima luna, si in Dominicam incidisset, Pascha celebrantes. Dein eorum tonsura clericalis longe dissimilis erat a Romana et Græca: rasa scilicet anteriori capitis parte ab aure ad aurem, posteriori intonsa. Verum his aliisque diversis ritibus non obstantibus nusquam legimus hos Scotos monachos constituisse diversum ab aliis monasticum ordinem

XV.

Nam si *ordinem monasticum* in monasterio Culrosensi sæculo V usitatum inspiciamus, quem inter hujus Codicis additamenta collocavimus, tunc perspiciemus, eamdem disciplinam ab Orientalibus æque ac Occidentalibus monachis usitatam, si excipias frequentes in aquam immersiones Scotis monachis peculiares. Et quamvis sanctus Columbanus natione Scotus, et paternarum traditionum etiam exoticarum acerrimus vindex, cum turma monachorum, anno 590 in Gallias secesserit, atque ædificatis pluribus monasteriis Regulam peculiarem suis monachis præscripserit; attamen non novum monasticum ordinem instituit, sed ad imitationem sancti Benedicti, ex aliis peregrinis monasteriis advenientes monachos libere et absque aliquo annuæ probationis exemplo, in suam congregationem suscepit. Sic Attala monachus Lirinensis, postquam plures annos illic vitam monasticam egisset *regularis disciplinæ studio* ad sanctum Columbanum se recepit; quem mox vir sanctus *suo ministerio junxit, ac divinis monitis erudire tentavit*. Aliud quoque exemplum adducit sæpe laudatus Mabillonius, asserens Eustasium Luxoviensem abbatem, et sancti Columbani successorem ex Agaunensi monasterio abduxisse secum B. Amatum istius cœnobii monachum, et in suorum fratrum societatem immediate admisisse.

XVI.

Quæ sane omnia satis superque declarant unita-

tem et conformitatem status monastici non obstante diversarum Regularum observantia, quæ locis et personis adaptatæ tanquam diversi vitæ monasticæ commentarii considerari debent, ut pote non nisi particulares ipsius mandati evangelici applicationes et declarationes. Et quidem ipsi Scoti monachi ad observationem catholici Paschatis perducti et exoticam suam tonsuram rejicientes, tandem hanc monasticæ vitæ unitatem ubique manifestabant, non obstante rigida eorum disciplina. Nam, post synodum Matisconensem anno 525 celebratam, in omnia sancti Columbani monasteria facili negotio introducta est Regula sancti Benedicti; atque teste Ven. Beda, Hist. Eccli. lib. v, et in Vita sancti Cuthberti, post conflictum Pharensem inter Columbanum Scotum, et Wilfridum Anglum initum, in omnibus Norththumbrani regni cœnobiis per Scotos monachos erectis, Regula Benedictina cum rigida Scotica disciplina floruit, donec hæc omnino obsoleta et illa sola ubique prævaluit; immediate enim sanctus Euta Melrosiæ in hodierna Scotia abbas, cœnobii Lindisfarnensis gubernationem suscepit, cui et successit sanctus Cuthbertus ejusdem etiam olim præpositus. Postea autem Scoti, et Picti, per sanctum Ceolfredum, et sanctum Eggbertum Anglos Benedictinos ad rectum celebrandi Paschatis tramitem perducti, circa annum 718 Regulam Benedictinam amplexi sunt, nulla alia interveniente vitæ monasticæ mutatione, nisi quod rejecta sua deformi *tonsura Scotica* susceperint *tonsuram coronalem*. Hæc omnia fusius tractantur in *Monastico Scotico*, ubi in ejusdem propyleo exhibentur peculiares dissertationes circa mores et disciplinam veterum monachorum Scotorum, qui olim nuncupabantur Kildei et Kiledei, ab ipsis cellis, quas inhabitabant, non vero a cultu, quem ibidem exercebant, denominationem sumentes.

XVII.

Stabilita igitur monastici status unitate et unione, quam Regularum multiplicitas non magis variabat, quam variæ nunc commentationes in Regulam sancti Benedicti, ex quibus exortæ sunt tot Benedictinæ Regulæ propagines, quales sunt, Cluniacensis, Camaldulensis, Cisterciensis, et plures aliæ monachorum congregationes, quæ pro vitæ et morum norma primaria constituunt Regulam sancti Benedicti, et per sua peculiaria statuta solummodo inter se differre videntur, quoad majorem vel minorem regularis disciplinæ observantiam.

Nunc autem ad status monastici antiquitatem indagandam progredimur, cum nonnulli antiquitatum ecclesiasticarum mangones hujus status exordium apud *Nazaræos* et *Rechabitas* in Veteri Testamento requirunt, vel ejusdem originem ex anachoresi Eliæ et Elisæi prophetarum deducunt, quamvis ante tertium æræ Christianæ sæculum nusquam reperiamus verum et perfectum status monastici exemplum.

XVIII.

Nam quidquid de Nazaræis, et Rechabitis, vel prophetarum anachoresi dici potest, nunquam exempla illa probare possunt perfectum et sincerum monachismum, sed ad summum tantum figuram et imaginem potius exhibebant quam ipsam formam et essentiam; ita, ut in Veteri Testamento, status monastici quædam quasi præludia et præsagia reperire sit, nunquam tamen vera et authentica exempla. Idem esto judicium de Essenis vitam quamdam communem in rerum divinarum contemplatione ducentibus, quorum mores Philo Judæus libro proprio describit. Eruditi enim omnes hoc nostro ævo consentiunt, Hebræos istos vita et moribus quam longissime discrepasse a vero monachorum instituto, etiamsi cum sancto Hieronymo admittamus Essenos istos Christiana religione fuisse imbutos. Non enim omnes primi Christiani etiam Jerosolymis habitantes ad consilia evangelica amplectenda obligabantur; nam plerique erant conjugati, nec uxores dimittere volebant, prout de Nicodemo et Gamaliele constat, liberumque erat cuique fundos suos retinere vel dimittere, siquidem sanctus Petrus dixit Ananiæ: *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum erat in tua potestate* (*Act.* v, 4). Fatendum tamen est, plures Jerosolymorum Christianos, miracula ab apostolis patrata considerantes, ad perfectionem evangelicam obtinendam omnia pro Christo reliquisse, vitam communem ducentes. Nam sanctus Lucas in Actis apostolorum sic de quibusdam primis illis fidelibus loquitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum dicebat, sed erant iis omnia communia* (*Act.* II, 45; IV, 32).

XIX.

Adeoque ex his primis Jerosolymitanis Christianis status monasticus sumpsit exordium, cujus quidem primaria et præcipua principia cognoscuntur ipsa Evangelii consilia, quibus equidem hortamur *nos castrare propter regnum cœlorum, crucem tollere, patrem, matrem, uxorem, et agros relinquere propter Christum, et per omnium rerum temporalium, imo propriæ voluntatis abnegationem, Christi vestigia sequi*. Nec minus certum est alios Christianos hanc evangelicam vivendi formam amplexos fuisse; Metaphrastes enim initio Vitæ sancti Pauli primi eremitæ refert primis duobus Ecclesiæ sæculis plurimos exstitisse vitæ monasticæ professores; Vita quoque sanctæ Eudoxiæ martyris, quæ temporibus Trajani imperatoris floruit, monasteriorum jam tum institutorum meminit. Cum vero ecclesiastica illorum sæculorum monumenta plerumque perierint, partim Diocletiani imperatoris impio mandato flammis consumpta, partim injuriis temporum perdita, haud ante pacem Ecclesiæ per Constantinum Magnum imperatorem redditam authentica et indubitata vitæ monasticæ primordia certo ostendi possunt, quæ sancto Paulo primo eremitæ et sancto Antonio abbati merito referuntur.

XX.

In hoc igitur *Regularum monasticarum Codice*, jure

primum locum occupat abbatis sanctissimi Antonii Regula, ex ipsius ad viros monachos epistolis collecta, a quo tempore usque ad nostra sæcula habemus sine interruptione continuatum vitæ monasticæ progressum, et quidem ex sinceris et indubitatis monumentis manifestatum, quæ in hoc codice variis additamentis amplificato, secundum regulas chronologicas et criticas exhibentur. Hanc vitæ monasticæ unitatem et primam originem sic explicatam, jam pridem doctissimus Holstenius noster eruditis dissertationibus illustrare meditabatur, nisi dum primam hujus Codicis Regularum editionem prelo committere parabat, immatura morte surreptus fuisset. Jacturam hanc ex schedis posthumis Holstenianis reipublicæ litterariæ quodammodo supplevit vir eruditissimus et Holstenio charissimus Leo Allatius, qui sequentem dissertationem proœmialem quatuor capitulis exaravit quam proin hic adducimus, cum hucusque dicta perspicue ex eadem deducantur, reservato tamen quarto ejus capite, donec ordinem ipsius Codicis Regularum ostenderimus.

A

B

MATERIA DISSERTATIONIS PROŒMIALIS AD REGULAS MONASTICAS, E SCHEDIS POSTHUMIS LUCÆ HOLSTENII.

CAPUT PRIMUM. — *Origines instituti monachorum, et eorum diversæ species.*

Frustra sunt qui verum et perfectum monachismum Christianismo vetustiorem faciunt : ejus in Veteri Testamento figura magis quam forma, præsagia potius quam exempla reperiuntur. Eliæ anachoresis, hujus et Elisæi discipulorum convictus, Nazaræorum, et Rechabitarum instituta, tum si quæ occurrunt alia ejus generis, videri possunt quædam quasi rudimenta gratiæ monachos facere exordientis. Esseni quoque, quorum Hebræi meminerunt, uti et quos Philo libro primo describit (quanquam hos sanctus Hieronymus fuisse Christianos putat), multis, ut palam est, differentiis a monachorum instituto discrepabant. Judicat Metaphrastes, initio Vitæ sancti Pauli eremitæ, non defuisse primis duobus Ecclesiæ sæculis monasticæ vitæ multos professores. Sane Vita sanctæ Eudoxiæ martyris, quæ temporibus Trajani floruit, monasteriorum jam tum institutorum meminit. Verum, ut alia multa ecclesiastica monumenta illorum temporum, sic memoria distinctior primævæ illius vitæ regularis Diocletiani flammis, quibus Christiana tabularia conflagrarunt, abolita fuit; ex his porro quæ supersunt monumentis ætati Constantini Magni vitæ regularis initia imputanda sunt; tunc scilicet per Ecclesiæ pacem ea perpetuari sine interpellatione, dilatari sine obstaculo potuit. Auctores porro ejus primi Paulus et Antonius fuere, quorum exemplis duo genera monachorum informantur, alterum *eremitarum* seorsim sine arbitrio degentium, *cœnobitarum* alterum in domo communi conviventium, et miscebantur in illis principiis hæc duo genera plerumque, ut ii idem ex eremo in cœnobium, ac vicissim e vita communi in solitariam transirent; quanquam hæc cum multis experimentis esset deprehensa, periculosior cœpit præ illa cœnobitica celebrari disciplina, præsertim post editam a Pachomio Regulam, dictante angelo exceptam, quam Latine Hieronymus transtulit. Ex hoc tempore duo laudabilia distingui genera monachorum cœperunt, solitariorum, et communiter viventium, quibus alterum submistum est non probum, *Sarabaitarum* ut vocabant, qui bini aut terni passim per urbes aut castella proprio arbitratu viverent.

C

D

CAP. II. — *Propagatio monachismi ex Ægypto in omnes terras.*

Instituta per hunc modum in Ægypto vita monastica auctoribus Paulo, Antonio et Pachomio, in omnes inde se terras salutari propagatione diffudit. Primus Hilarion ex Antonii schola monasticam in Syria disciplinam et exercuit et docuit. Basilius Magnus monasticam professionem ex Ægypto acceptam in Pontum et Asiam minorem intulit. Audæus relegatus monasteria in Gothia fecit. Peregravit quoque idem institutum in Æthiopiam, Persidem et Indiam, ex quibus provinciis turmas monachorum se Bethlehemi suscepisse scribit sanctus Hieronymus. In Italiam institutum monasticum partim ex Ægypto, partim ex Syria transiit. Primum enim Romam adveniens sanctus Athanasius cum Vitam a se scriptam sancti Antonii publicasset, juventutem utriusque sexus plurimam ad ejus imitationem inflammavit. At sanctus Eusebius Vercellensis disciplinam monasticam e Syria petitam in suam ecclesiam intulit, et clerum etiam suum sub Regulam adegit. Sanctus quoque Isaac Syrus prope Soletum in loco deserto monasterium posuit, ut docet sanctus Gregorius, Dial. lib. III, cap. 14. Ex alterutra istarum originum vel Ægyptia, vel Syriaca prodii se videntur monasteria, quæ multa per Italiam fuisse SS. Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, aliique testantur. Abbates quoque et ascetæ insignes, Eutychius, Florentius, simulque multi a sancto Gregorio memorati, ante sancti Benedicti ætatem. Item virgines et sanctimoniales. Non solum autem in continenti Italiæ, sed et in insulis Dalmatiæ et Maris Etrusci plurimos fuisse per ea tempora monachos, sanctus Hieronymus indicat. In Sicilia quam ingens jam olim multitudo monachorum fuerit, Rochus Pirrhus testatur in Notitia Abbatiarum ejus insulæ, uti et de aliis majoribus Mediterranei Maris insulis alii qui de ipsis scripserunt. E Capraria insula, ubi greges monachorum fuisse indicat Rutilius Numantinus scribens circiter annum Christi 416, missi ad sanctum Augustinum monachi id institutum in Africam intulerunt, quod ibi receptum est, nequidquam Donatistis obstantibus. Monasteria Carthagine, Tagaste, Hippone, fuisse testatur Paulinus. Capratiense postea et Palmariæ monasteria reformavit sanctus Gregorius Magnus. Sed inter insulas monachismo claras, Lerina in primis celebrata est, ubi auctore Honorato sancti senes divisis cellulis Ægyptios Patres in Gallias æmulabantur, ut sanctus Eucherius tradit. Hinc eductus ad episcopatum est sanctus Honoratus anno Christi 426 : quod exemplum postea frequentatum legimus, ut merito Lerina seminarium episcoporum diceretur. Quintum inde sæculum Barbarorum irruptionibus imperio et Ecclesiæ funestum multos publicorum malorum pertæsos ad vitam monasticam locis secretis colendam perpulit, tutum asylum pandens humanarum miseriarum. Per Gallias nihilominus floruisse professionem monasticam, ex historiis regum primæ stirpis, Actis sanctorum Hilarii, Martini aliorumque, tum ex Gregorio Turonensi, aliisque monumentis, manifestum est. In insulas Oceani per eadem tempora monachismus penetravit, auctore Patritio Brittone (*a*), qui peragratis Gallia atque Italia, insulisque Tyrrheni Maris, cum in juventute sanctum Martinum vi-

(*a*) Ex antiquis monumentis constat, longe ante sancti Patritii tempora apud veteres Britannos et hodiernos Scotos monasticam vitam floruisse. Sic apud primos celebre erat monasterium Beanchorense, et in hodierna Scotia notum cœnobium de *Kil-Ruel* a sancto Regulo cum reliquiis sancti Andreæ apostoli in Scotiam veniente erectum circa annum 369, et ideo *Cella Sancti Reguli* olim nuncupata. Deinde sanctus Palladius ad exstinguendam Pelagianam hæresim apud Scotos grassantem a

disset, et sancto Germano Antissiodorensi præceptore usus esset, missus postea a sancto Cœlestino papa ad convertendos Hibernos anno Christi 431, monasteria ibi plurima instituit, ut ex antiquis monumentis Usserius docet, obiit sanctus Patritius anno 49. David Menarensis episcopus nobile monasterium construxit. Monasterii Benchorensis meminit Beda. Sanctus Columbanus Armaccanum et Tyrrhense monasteria fundavit anno 565 : hæc erant in Hibernia et Britanniæ illa parte, quam non occupaverant Anglo-Saxones, ad quos deinde ipsos monasticum institutum simul cum Christiana religione penetravit, magnis et paribus utriusque incrementis. Sanctus Augustinus monachus et monasticarum Regularum peritus, missus deinde a sancto Gregorio Magno in Angliam, monasticam ibi disciplinam propagavit, Doroverniensi præsertim monasterio fundato, ut auctor est Beda. Apud Northumbros et septentrionales illius insulæ populos sanctus Aidanus vitam religiosam induxit. Prodierat hic e schola sancti Columbani, et in Lindisfarnensi insula monasterium habuit. Hæc omnia confirmant celebratæ in historiis illarum gentium dissensiones inter utriusque scholæ monasteria varia, præsertim de Paschate ac tonsura : et videntur per ea tempora monachi in ecclesiis episcopalibus functiones sacras obiisse, quod indicat Beda. Unde cathedrales Ecclesiæ *Munster*, sive *Monasteria* vocantur Anglis. De Hispanis, Germania, Dacia, Pannonia, Sarmatia, cæterisque reguis ac provinciis sigillatim dicere infinitum sit. Exstant historici cujusque, qui plane doceant, ubicunque Christi religio viguit, etiam regulare institutum floruisse. Porro ubivis gentium viri ascesim coluere, feminæ quoque eos æmulatæ pro captu sexus, perfectioni studuerunt : idque vel cœnobiis, aut cellulis clausæ, vel in domibus propriis virginitatem Deo sacratam, aut sanctam viduitatem exercentes. Sed de his satis.

A

B

Cap. III. — *Unitas regularis instituti usque ad sanctum Benedictum. Obiter de patria Cassiani.*

C

Ex hactenus dictis de multitudine ubique colentium vitam monasticam in utroque sexu, facile cuipiam vetera ex præsentibus æstimanti persuadebitur, fuisse primis illis temporibus diversos et certo charactere discriminatos monachorum ordines, prout postea institutum, præsertim in Mendicantibus, quorum universæ, quamvis late sparsæ, familiæ sub uno peculiari capite certis et cuique propriis officiis ac legibus Deo militant. Valde fallor, si jam tum primis sex septemve Ecclesiæ sæculis iste usus invaluerat. Certe vestigia mihi quidem non apparent, qui, quocunque intueor, uniformem ubique monachatus rationem, et facilem ac promiscuum invicem transitum, mutuumque commeatum professionum et cœnobiorum cerno. Orientales monachi, quando in Occidentem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam sine discrimine censebantur : vicissim Occidentales in Oriente ; quod cum innumeris exemplis possit demonstrari, unum tantum hic afferam, Cassiani et Germani Gallorum monachorum, qui Ægypti monasteria peragrarunt instituti monastici cognoscendi causa et animo in patriam referendi haustam inde notitiam disciplinæ, in suum et popularium suorum usum ; unde satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique monachorum modum et usum religionis profitendæ. Moverit forte quempiam (ut hunc obiter scrupulum lectori eximam contraria vulgi opinione præoccupato) quod Cassianum Gallum dixi. Quidni vero id ego ipsi de se affirmanti crederem? Legimus cap. 1, coll. 24, Cassianum cum suo unanimo abbate Germano fassos esse abbati Abrahamo : « quia (verba sunt ipsius) ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes, quotidianis acrius æstibus urgebamur. » Quam aliam hic provinciam intelligamus, nisi illam Orienti obversam Galliæ oram, quæ jam tum quasi proprio nomine, quod hodieque retinet, *Prorincia* vocabatur, in quam deinde certo constat rediisse Cassianum, in eaque vixisse, consenuisse, obiisse. Addit de parentibus suis, fuisse illos magna religione et pietate præditos ; unde non impediturі putarentur, ne monasticam ibi vitam coleret; tum eosdem copiosos, qui affatim præbituri essent necessaria, et sollicitudinem victus parandi dempturi. Quæ omnia mire conveniunt indigenis illarum uberrimarum regionum, ubi præcipuus tum erat religionis vigor, et passim nobilissimi quique Lerinum confluebant profitendæ causa vitæ monasticæ. Unde sibi (quod mox subdit) merito ambo blandiebantur, spe verisimili de conversione multorum, « qui velut nostro essent, inquit, ad viam salutis exemplo et monitis dirigendi. » Videant autem qui in solitudines Scytharum Cassiani patriam submovent, quam apte illi desertorum squalori et Caucaseis rigoribus conveniat, quod de sua patria Cassianus subjicit : « Tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat a majoribus nostris

sancto Cœlestino papa missus, circa annum 428 per se suosque discipulos Ternanum et Servanum varia monasteria condidit. Circa ea quoque tempora omnino certum est, sanctum Niniam vel Ninianum sancti Martini discipulum *Candidæ Casæ* in hodierna Scotia episcopum, ibidem ex lapidibus albis nobile construxisse monasterium, unde et nomen hoc (*Candidæ Casæ*) traxit, teste Ven. Beda, sanctus Servanus circa annum Christi 440 ad borealem Forthæ fluminis ripam celebre Culrosense condidit cœnobium, ex quo prodiit sanctus Kentigernus primus Glasquæ episcopus, eximius vitæ monasticæ propagator, cujus monasterii *Ordinem monasticum* inter Additamenta ad hunc Codicem collocavimus. Sanctus Patritius Hiberniæ apostolus Britannoduni in Scotia natus, priusquam Hiberniæ apostolatum subiit, jam in patria sua apud Britannodunum monasteria aliqua erexit, quorum rudera et situs etiamnum apparent ab ipso sancto denominationem habentia, prout testatur *Kil-Patrick*, id est cella Patritii, et iterum sedes sancti Patritii. Dein postquam sanctus Columba non Columbanus, Scotorum monachorum patriarcha anno 563 Jonam insulam a Congallio Scotorum rege obtinuerat, et celebre Hyense cœnobium construxerat, per Scotorum et Pictorum regna institutum monasticum maxime floruit, referente in sua Historia Ecclesiastica ipso Ven. Beda. Ex Hyensi siquidem monasterio sanctus Oswaldus Northumbrorum, sive Anglorum borealium rex, ad subditos suos in fide Christiana instruendos evocavit sanctum Aidanum et socios suos Scotos, qui episcopus Northumbriæ declaratus Lindisfarnense cœnobium condidit, atque in omnibus aliis ecclesiis vitam monasticam instituit juxta Scotorum rigidam disciplinam. Similiter circa annum 590 sanctus Columbanus cum monachorum turma in Gallias secedens, Luxoviense apud Burgundiones erecto monasterio vitam monasticam insigniter propagavit, Scoticarum suarum traditionum acerrimus vindex, uti ex ejus Regula et Pœnitentiali in hoc Codice exhibita constat. Sanctus quoque Maurus, sancti Benedicti discipulus, etiam ante medium hujus sæculi constructis monasteriis apud Gallos Benedictinam disciplinam ubique introduxit, cui tandem, ut pote discretissimæ rigida Scotorum religio luctantissime cessit. Omnes etenim illi Scoti et Angli monachi, qui cum sancto Wilibrordo et sancto Bonifacio Germanorum apostolo ad convertendos Frisones et Saxones in Germaniam venerunt, cum ipsa Christiana religione apud tunc barbaras illas nationes, monasticam sancti Benedicti Regulam introduxerunt, erectis cœnobiis amplissimis, et introductis ubique in ipsas cathedrales ecclesias Benedictinis monachis. Edit. germ.

D

avita professio, ipsarumque amœnitas jucunda regionum ante oculos pingebatur, quam gratæ et congruæ solitudinis spatils tenderentur : ita ut non solum delectare monachum possent secreta silvarum, sed etiam magna victus præbere compendia. » Denique dictio ipsa et stylus, quam non Scythiæ barbariem redoleat, palam est. Qua etiam ratione refelluntur, qui Atheniensem Cassianum putant. Inde enim potius Atticam Græcismi proprietatem ducere potuisset, quam eum quem præfert ubique latinitatis Gallicanæ genuinum succum ac leporem, qualis in Eucherio, in Vincentio Lirinensi, in Fausto, in aliis ejus tractus scriptoribus passim floret ; sed de his plura dicendi locus hic non est. Ad uniformitatem instituti monastici revertamur, adversus quam nihil præscribit Regularum hoc Codice relatarum numerus et diversitas. Etenim illæ a singulis, ut præsens usus poscebat, Patribus scriptæ, aliorum similia cupientium studiis descriptæ, in commune proponebantur, ut ex his quique pro locorum et nationum differentia, vitam uniformi, quoad præcipua, disciplina temperarent. Primaria sane, et quasi fundamentalis monachorum Regula Evangelium erat : illa, inquam, Christi consilia, quæ castrare seipsum propter regnum cœlorum ; quæ abnegare se, et crucem tollere ; quæ patrem, et matrem, uxorem, agros propter Christum relinquere ; quæ vendere patrimonia, et dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulæ particulares nihil nisi ejus primæ ac universalis Regulæ applicationes, aut declarationes locis et personis plerumque aptatæ habebantur. Quod adeo verum est, ut ne ipse quidem sanctus Benedictus, qui antiquum, quem reperit in Ecclesia, monasticum ordinem suscepit, excoluit, dilatavit, Regulam universalem suis ubique omnibus promulgaverit ; sed peculiarem duntaxat Cassinensi cœnobio, cui præerat, quæ inde privata diligentia descripta, et imitandi studio publicata, adeo non quasi abrogasse priores cæteras est credita, ut sanctus Benedictus Anianensis, hujus, quam damus, Collectionis auctor, idem aliud Opus elucubraverit, nuper a viro doctissimo Hugone Menardo, luci publicæ cum eruditis observationibus datum, cui *Concordiæ Regularum* nomen fecit, quæ singulorum Benedictinæ Regulæ capitum consensionem cum cæteris omnibus aliis Regulis clare demonstrat. Hæc disputari pluribus debebant ; verum metus erat, ne in contentionem res abiret ab hoc aditu tranquilli pacificique operis alienam : certorum quippe hominum, quos abundare in suo sensu facile sinimus, obnixa in contrarium armataque studia noveramus, cum quibus rixari nunc quidem nolumus.

A

B

C

XXI.

Diximus supra Leonem Allatium ex schedis Holstenianis posthumis hanc Dissertationem Prœmialem exarasse ; sic enim prodit clarissimus Mabillonius in præfatione ad tom. I Annal. Benedict., n. 19, ubi ad monstrandam instituti monastici unitatem, sub nomine *Allatii* adducit prolixum textum ex allato capite 3 Dissertat. Prœmial. desumptum. Cum igitur tot viri graves et eruditi, inter vitæ monasticæ primos cultores plenarium consensum repererint, atque ipsius instituti ratio, ut pote in consiliis evangelicis fundata, hoc ipsum manifestet, hinc non obstante Regularum diversitate, talis concordia in dirigendis monachis mansit inconcussa, donec posterioribus sæculis Ordines Mendicantes insurrexerunt, qui monasticum statum tam circa habitum quam circa vitæ cursum quodammodo mutaverunt, quamvis omnes Ordines Religiosi ad eumdem terminum tendant, nimirum ad excolenda consilia evangelica.

D

XXII.

Existimat quidem vir doctissimus Ludovicus Thomassinus, Oratorii Gallicani presbyter, de Veteri Disc. part. I, lib. III, cap. 24, Cluniacenses monachos primos fuisse, qui in ordinem monasticum induxerunt diversitatem ab omnibus aliis distinctum corpus conflando, et singulari Regulæ sese addicendo, cum ante sæculum decimum sub uno generali monachorum ordine, cuncta monasteria ita constituta fuerint, ut suam Regulam ampleetendo non excluderent alias, sed diversas Regulas admitterent. Verum pace eruditissimi viri, nec Cluniacenses, vel postea Camaldulenses, Cistercienses, aliique plures Benedictinæ disciplinæ reformatores tantam in ordinem monasticum induxerunt differentiam, ut pote pro primaria vitæ norma constituentes sancti Benedicti Regulam solam, a monachis Occidentalibus observatam, longe ante Cluniacensis congregationis exordium, adeoque omnes illæ congregationes ab eodem fonte emanantes, haud aliunde suam diversitatem hauserunt, quam laxiori vel strictiori Regulæ Benedictinæ observantia, ad quam in suo rigore conservandam peculiaris cujusque congregationis constitutiones, diversis personis et locis excogitatæ sunt, quarum proin præcipuæ inter hujus Codicis Additamenta exhibentur.

XXIII.

Ex quibus omnibus omnino patescit, statum monasticum ab exordio uniformem, simulque cum ipsa Christiana religione sumpsisse originem, et cum eadem per orbem simul propagatam fuisse. Cum autem hodierni *Canonici Regulares*, qui sub communi Regula sancti Augustini Deo militare gloriantur, etiam a primis Christianis Hierosolymitanis suum exordium repetant, sic de eorum instituto pauca proponere lubet, etsi in Codice Regularum Holstenianо nullum suæ originis monumentum meruerint, etsi constet, hos viros religiosos ad obtinendam evangelicam perfectionem, mores, et actiones suas semper composuisse, vitamque vere apostolicam tribus solemnibus votis suffultam duxisse ; ast eosdem a primis Christianis Hierosolymitanis evangelica consilia amplexis exortos esse, ac perpetua serie propagatos, omnino vanum est asserere, nisi inquantum cum monachis conveniunt.

XXIV.

Nemo enim vel leviter in historia ecclesiastica versatus ignorat, nomen *Canonicorum* primis Ecclesiæ sæculis inauditum fuisse, neque ante sæculum sextum illud auditum est apud Occidentales auctores, prout Canonicorum regularium propugnator eximius Eusebius Amort, in suo laudabili opere de *Veteri et nova Disciplina canonica* part. I pag. 2, agnoscit. Imo ante sæculum octavum per *canonicos* solummodo intelligebantur clerici illi, qui ascripti erant matriculæ alicujus ecclesiæ, tanquam *beneficiarii* sive *præbendarii*, quibus *canon* sive *dimensum*

dispensabatur. Nec sane magni refert objicere matriculariosseu matriculæ ecclesiarum inscriptos quosdam exstitisse, qui non erant *canonici;* quales existimantur viduæ et pauperes catalogo ecclesiarum olim inscripti, et ex oblationibus fidelium certas et determinatas eleemosynas singuli accipientes, uti nec sanctus Cornelius papa ad Fabium Antiochenum scribens circa annum 254 omnes clericorum gradus simul ac viduas et pauperes Ecclesiæ Romanæ catalogo inscriptos recensens, ullam *canonicorum* mentionem facit. Cum enim primis illis Ecclesiæ sæculis cuncti viri ecclesiastici, imo et pauperes utriusque sexus in matriculam ecclesiarum relati, ex oblationibus fidelium quotidianis viverent, neque proprios fundos possiderent, sic nec *beneficiarii,* aut *præbendarii,* multo minus *canonici* appellari potuerunt, ut pote nullo certo et determinato *canone* gaudentes, licet catalogo ecclesiæ inscripti. Postquam autem ecclesia fundis et possessionibus abundare cœperat, sic et plurimi clerici ecclesiis tam cathedralibus quam aliis immatriculati, *præbendas* et *beneficia* certa et ordinaria acquisierunt, quatenus liberius officio divino insistentes annuam idcirco pensionem accipiebant, sic jure optimo *canonici* nuncupari potuerunt; *canon* enim apud veteres nihil aliud erat, quam *regulata quædam pensio,* prout varii juris civilis textus testantur.

XXV.

Utcunque vero *canonici* nomen suum derivare aveant, sive a *matricula* vel *canone* ecclesiarum, quibus inscripti erant, sive a *canone* vel *regulata quadam pensione* ipsis annuatim dispensata, hoc unum certum est, ante Pippini Magni tempora nullam determinatam Regulam vivendi ipsis præscriptam fuisse, quia Ecclesiæ universalis canones omnibus clericis et Christianis communes erant. Fatentur enim omnes ecclesiasticæ historiæ scriptores, sanctum Eusebium Vercellensem episcopum primum fuisse, qui vitam communem clericis suis mandavit circa annum 330, vitam clericalem cum monastica conjungens. Neque sanctus Augustinus clericis suis in communi viventibus peculiarem Regulam tradidisse legimus; nullam enim aliam vivendi normam scripsisse affirmant viri docti, nisi vulgarem illam Regulam sanctimonialibus feminis præscriptam, quam in hoc Regularum Codice inter alias sacrarum virginum Regulas collocavit Lucas noster Holstenius. Reperimus quidem sanctissimi præsulis duos sermones de *communi vita clericorum,* qui tamen potius dicendæ sunt exhortationes, quam vitæ communis norma vel regula.

XXVI.

Nec sane clerici illi in communi viventes a sancto Augustino instituti, ullatenus appellari possunt *canonici,* quorum nomen in Ecclesia nondum auditum erat, sed potius Cœnobitæ dicendi sunt, quia episcopium, ubi cum episcopo degebant, in modum cœnobii erectum fuerat, et forsan ipsummet erat monasterium ante initum episcopatum erectum, prout Possidius in ipsius Vita insinuare videtur. Frustra quoque in suas partes trahere conantur canonici sanctum Basilium et sanctum Cæsarium Arelatensem, quatenus *regulares* nominari valeant; nam uterque sanctissimus antistes vitam *monasticam* non *canonicam* excoluit, atque sancti Basilii Regula monachis non clericis adoptata est; quam proin sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha sanctus Benedictus, Reg. cap. LXXIII, omnibus monachis legendam proponit, ejusque auctorem *sanctum Patrem Basilium* nominat. Certum quoque est, sanctum Cæsarium in celeberrimo Lirinensi monasterio educatum, monasticam vitam semper excoluisse, Regulasque suas pro monachis et sacris virginibus in monasterio degentibus præscripsisse, prout ex observationibus ad utramque Regulam præviis satis superque monstravimus.

XXVII.

Quidquid ergo adducunt canonici regulares ad probandam perpetuam successionem suam a primis Christianis Hierosolymitanis usque ad nostra tempora, nullis omnino solidis argumentis fulciri potest; etiamsi concedamus quosdam semper exstitisse clericos bonis suis omnibus *renuntiantes;* aliaque consilia evangelica *observantes;* nunquam tamen primis septem sæculis adduci possunt integræ clericorum congregationes, quæ se ad tria vota solemnia, *paupertatis, castitatis et obedientiæ,* observanda astringebant, vel ad hæc præstanda per aliquam expressam Regulam obligabantur. Omnes enim tales congregationes a sanctissimis episcopis aliisque piissimis viris institutæ potius erant *monasticæ,* quam *canonicæ,* quemadmodum cunctæ Regulæ in hoc *Codice Regularum* adductæ perspicue satis demonstrant. Adeoque clerici in communi viventes, quorum nonnulli omni bonorum proprietati forsan renuntiabant, nunquam tamen tria solemnia vota emittebant, vel communem Regulam vivendi, distinctam ab Ecclesiæ canonibus ante medium sæculi octavi admittebant; licet his temporibus nomen *canonicorum* in aliquibus locis florere cœperit.

XXVIII.

Primus enim qui canonicis Regulam peculiarem præscripsit, erat sanctus Chrodogangus seu Rodingangus, et Trotongangus anno 743 vel sequenti, in episcopum Metensem electus, quam sedem piissime rexit usque ad annum 767, sub quo tempore hanc Regulam pro canonicis Metensibus promulgavit, quæ inter hujus Codicis Additamenta habetur. Hanc omnium primam Regulam canonicis traditam ex Regula Benedictina plerumque desumptam agnoscunt viri eruditi; nusquam tamen legimus eamdem in ecclesias alias introductam fuisse, neque ab illa canonicos appellatos fuisse *regulares.* Nam hoc tempore etiamsi exstiterint *Canonicorum capitula,* non tamen illa *regularia* nuncupabantur, prout exerte probat sæpe laudatus Thomassinus part. I, lib. III, cap. *De capitulis sub imperio Caroli Magni,* ubi in testimonium adducit canonem concilii

Vernonensis anno 755 celebrati, quo monachi dicuntur *regulares* (nulla de canonicis regularibus mentione facta) etiamsi de *Ordine canonico* hoc concilium loquatur, cujus verba hæc sunt : « De illis hominibus, qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, et modo res eorum vel pecunias habent, et nec sub manu episcopi sunt, nec in monasterio regulariter vivunt, placuit, ut in monasterio sint sub Ordine regulari, aut sub manu episcopi sub Ordine canonico. »

XXIX

Cum igitur hoc concilium manifeste distinguat *Ordinem Regularem*, tanquam monachis proprium, ab *Ordine Canonico*, sic ævo Caroli Magni nullus exstabat *Canonicus regularis*. Quicunque enim dicebantur *regulariter* vivere, erant monachi, et e contrario illi *canonici* nominabantur, qui sub obedientia episcopi, professionem observandi *sacros canones* faciebant; nec *regulares* potuerunt dici, cum per concilium *monachis* opponantur, qui proprie vocantur hic regulares, prout argute discurrit laudatus Thomassinus loco citato, qui ultra progrediens, non dubitat asserere per *Ordinem canonicum* intelligi debere statum clericalem, cui quidem nullus *vitam regularem* adhuc præscripserat, quamvis circa medium hujus sæculi octavi jam clerici cathedralium ecclesiarum vitam communem inire cœperint.

XXX.

Verum postquam sanctus Chrodogangus Regulam canonicis promulgaverat, atque in Aquisgranensi concilio, anno 816, pro omnibus Galliæ et Germaniæ canonicorum collegiis peculiaris Regula condita est, tunc et ipsi *canonici* appellari *regulares* cœperunt, et eorum collegia nominata sunt aliquando *monasteria*, ob quamdam cognationem inventam inter ipsos jam regulariter viventes, et monachos, qui ab exordio proprie regulares erant, ut pote vi instituti monastici peculiari et determinatæ regulæ astricti. Fusius quidem tractat hæc omnia laudatus Thomassinus loco citato, monstratque sub his temporibus quædam monasteria laxioris vitæ amore *ad institutum canonicum descivisse*, tandemque inter utrumque institutum quamdam commixtionem exortam fuisse, quod sæpius hæc *monachorum*, et *canonicorum* nomina indiscriminatim adhiberi cœperint. Sic piissimus imperator Carolus Magnus in *Epistola ad Alcuinum*, Turonensibus monachis sancti Martini exprobrat inconstantiam et levitatem animi et morum, quod nunc *monachi*, nunc *canonici* dici vellent : « Aliquando enim monachos, aliquando canonicos, aliquando neutrum vos esse dicitis. » Sic etiam concilia temporibus his celebrata testantur, præsertim Vernonense supra citatum, quorum canones hoc ipsum monstrantes adducit prælaudatus Ludovicus Thomassinus.

XXXI.

Labente ergo sæculo octavo, et ineunte sequenti quidam *canonici* omnibus bonis suis renuntiantes appellari cœperunt regulares, vel ob observantiam Regulæ sancti Chrodogangi, vel intuitu Regulæ Aquisgranensis, nulla enim alia determinata vitæ regularis norma ipsis præscripta erat ante medium sæculi octavi; et quidem in confesso est apud omnes regulam Aquisgranensem nunquam ab Ecclesia universali approbatam vel receptam fuisse, sed solum auctoritate Cæsarea ordinatam; unde et illa vitæ regularis norma haud dici potest, ut pote nimis vaga, atque quibusdam canonicis *non renuntiantibus* bonorum suorum dominium permittens, *renuntiantibus* etiam nimis prodigam cibi et potus mensuram, aliasque laxitates concedens. Hinc raro hanc Regulam adducunt in testimonium vitæ asceticæ scriptores, neque ejusdem mentionem facit sanctus Benedictus Anianensis in sua *Regularum Concordia*, quamvis tempore conditæ Regulæ vixerit, et post concilium Aquisgranense tam ipsum *Regularum Codicem*, quam earum *Concordiam* cum Regula Benedictina conscripsisse credatur.

XXXII.

Verum cum intuitu Regulæ Aquisgranensis, et exhortatione Patrum concilii, sed præcipue Ludovici Pii imperatoris admonitionibus excitati plurimi utriusque sexus canonici vitam regularem excolere cœperint, sic et eamdem inter Additamenta apponere cogitavimus, sed ejusdem prolixitas prohibuit, et præsertim quia hodierni canonici regulares illam pro sua vitæ asceticæ norma agnoscere renuunt, quamvis nuper vir eruditus Eusebius Amort supra laudatus hanc Regulam inter alia *Veteris et Novæ Disciplinæ canonicæ* monumenta collocaverit. Quæ et in Conciliorum Collectione Labbeana tom. IX, reperitur. Ut autem in hac Regularum Collectione nihil omittatur, quod ad canonicæ vitæ cognitionem conducere valet, inter Additamenta collocavimus antiquam *Canonicorum Regulam* ex sancti Chrodogangi et Aquisgranensis Regulis collectam, et forsan auctoritate Ludovici Pii imperatoris per Amalarium ecclesiæ Metensis decanum promulgatam, prout in observatione ad eamdem prævia existimamus. Deinde cum præviis observationibus exhibemus tres Regulas sancto Augustino imputatas, quas canonici regulares ante sæculum undecimum sibi non adoptarunt, sed labente hoc et sequenti sæculo florente sese *Augustinianos* nominabant, quorum proin antiquas consuetudines adducimus. Denique eximium vitæ canonicæ monumentum proferemus, nimirum Regulam beati Petri de Honestis ecclesiæ Portuensis conscriptam, atque anno 1117 oblatam summo pontifici Paschali II, quam nuper edidit sæpe laudatus Eusebius Amort, agnoscens eamdem exstare primam *Canonicorum Regularium Regulam* juxta hodiernum institutum, cui proin observationem prævium satis amplam præfiximus.

XXXIII

Igitur in hoc *Codice Regularum Holsteniano aucto et locupletato*, nullum vetus monumentum ad vitam

monasticam et canonicam pertinens quod ad nostras manus pervenit, præterire voluimus, nisi, quod nonnulla statuta sacrorum ordinum ob nimiam prolixitatem omittere coacti fuerimus, ne forsan hoc præsens volumen justam molem excederet. Hic studio missa fecimus antiqua *Cluniacensium monachorum Statuta* in *Spicilegio Dacheriano* descripta, cum illa sola, si sancti *Guilielmi Hirsaugiensis abbatis Institutiones* superadditæ fuissent, integrum volumen perfecissent, quorum proin loco Statuta disciplinam apud pios illos monachos observatam satis declarat. Pari quoque modo cogitavimus circa *Statuta Cisterciensium*, aliorumque plurium ordinum, ad quorum cuncta amplissima statuta exhibenda non unum, sed plura volumina vix sufficerent, prout fusius in præfatione ad tomum secundum hujus Codicis monstrabimus.

XXXIV.

Interea ad ipsum Codicem Regularum redeamus, cum circa eumdem quædam scitu digna occurrant. Etiamsi enim certum sit, sanctum Benedictum Anianæ abbatem Regulas veterum monachorum collegisse, et in unum codicem redegisse, attamen dubitavit supra laudatus Hugo Menardus hanc *Regularum Collectionem* amplius existere, quia scrutatis nobilioribus Galliæ bibliothecis, nullibi *Codicem Regularum* a sancto Benedicto Anianensi compositum reperire potuit, prout in præfatione ad *Concordiam Regularum* testatur, numerans ibidem bibliothecas, ex quibus latentes sanctorum Patrum Regulas eruere conabatur. Hinc merito etiam dubitatur, an sæpe nominatus sanctus Benedictus Anianensis, omnes Regulas monasticas ante medium sæculi octavi scriptas in unum codicem redegerit, easque suæ *Regularum Concordiæ* inseruerit, cum haud minimum discrimen appareat inter Regulas in hoc præsenti Codice contentas, et illas ad *Concordium* componendam adhibitas.

XXXV

Quod primum dubium attinet, et illud perspicue resolvit clarissimus Holstenius asserens, hunc ipsum *Codicem Regularum* eumdem esse, quem sanctus Benedictus Anianensis conscripsit, cum ejusdem vetustissimum exemplar in celeberrimo sancti Maximini prope Treviros monasterio conservatum, hujus sanctissimi abbatis nomen et titulum præseferat, uti et ipsius apographum ante aliquot sæcula conscriptum testatur, quod ex bibliotheca canonicorum regularium domus beatæ Virginis Coloniæ acceptum, primus typis mandare jussit; quæ omnia ex Holstenii schedis posthumis Leo Allatius disertis verbis declarat in *Materia Dissertationis Proœmialis*, sic de hoc Codice Regularum ejusque Appendice disserens.

DISSERTATIONIS PROŒMIALIS CAP. IV. — *De hoc Codice Regularum, ejus Appendice, et utriusque compilatore.*

Circiter annum Christi 820 floruit in Galliis opinione sanctitatis atque doctrinæ Benedictus abbas Anianensis, qui ortus e nobilissima comitum Malonensium stirpe, ex aulico gratioso et forti milite, Deo ad meliora vocante, primum religiosam vitam suscepit in monasterio sancti Sequani; unde postea in patriam reversus Aniane se monasterium in paterno fundo, tum non procul inde Gellonense in gratiam Guilielmi comitis in tituit. Mox aliis permultis Ludovici Pii imperatoris voluntate præfuit. Ad extremum aulam sequi coactus, quod imperator ejus consiliis juvari cuperet, erecto prope Aquisgranum, ubi plerumque degebat imperator, monasterio Indensi, sanctam ibi vitam sancta morte conclusit. Exstant ejus Acta ab ipsius discipulis conscripta, quæ primus edidit Hugo Menardus, tum Bollandus et Henschenius de novo illustrata recitant ad diem 11 Februarii. In iis Actis ita legitur: « Fecit librum de Regulis diversorum Patrum. » Ad quem locum sic adnotat Menardus: « An iste liber adhuc exstet, non mihi compertum est. In testamento sancti Gennarii episcopi Asturicensis, inter libros, qui ab eo dantur monasterio sancti Petri de Montibus, recensentur Liber Regularum virorum illustrium; qui an idem sit cum eo qui a nostro Benedicto collectus est, non adeo constat. » Hæc ille; qui si vidisset Codicem nostrum titulo Benedicti abbatis Anianensis prænotatum, non opinor, dubitasset, quin hoc opus illud ipsum sit, cujus auctor vitæ ejus loco recitato meminit. Servatur, ut aiunt, apud sanctum Maximinum prope Treviros antiquissimum exemplar hujus collectionis, unde apographum exscriptum custoditum apud canonicos regulares domus beatæ Virginis Coloniæ, cum vidisset ante hos annos circiter viginti illustrissimus tunc Fabius Chisius episcopus Neritinorum, et nuntius illic apostolicus (hodie S. D. N. Alexander VII pont. fex Maximus) describendum curavit, et exemplum inde sumptum nobis benignissime communicavit, nos ex eo editionem hanc curavimus. Sed, ut subinde occurrebant antiqui codices exhibentes aliquam ex hisce regulis, edita nostra cum iis conferebamus, diversitates adnotabamus ad marginem, inde notulæ paucæ ad calcem operis conjectæ formatæ sunt. Cum autem eo studio ferremur conquirendi antiqua monumenta, ex quibus hæc editio locupletari possit, occurrunt ecce nobis in lectis in bibliotheca serenissimæ Dominæ Christinæ Alexandræ, Gothorum, Vandalorum, Suecorumque reginæ, vetusti duo codices exhibentes parænetica quædam opuscula antiquorum Patrum ad instituta monachorum utriusque sexus accommodata, quæ cum statim judicassemus aptissime utiliterque posse adjungi ad jam editum Regularum Codicem: tum ad idem nos multo magis illud impulit, quod satis verisimilis conjectura esset, hanc quoque Collectionem Paræneseon ad vitam monasticam, ejusdem esse manus atque ipsam collectionem Regularum. In hunc videlicet modum scribit auctor Vitæ sancti Benedicti Anianensis: « Alium nihilominus composuit librum ex sanctorum doctorum homiliis, » quadrat satis hoc indicium in nostrum hoc Opus ex Patrum variorum opusculis contextum, qui partim monachos, partim sanctimoniales erudierunt. In quo apte respondet hæc appendix suo operi Regulas virorum mulierumque perfectionis studentium digerenti. Scio Hugonem Menardum, cum in fine codicis ex quo Concordiam Regularum edidit, reperisset congesta quædam fragmenta Patrum ad virtutes et vitia, quæ in monachis desiderantur aut caventur pertinentia, opinatum esse illum ipsum librum contextum ex sanctorum doctorum homiliis, quem fuisse a sancto Benedicto compositum auctor ejus Vitæ refert; sed mihi quidem non persuadet, qui non homilias aut opuscula integra Patrum, sed sententias duntaxat, et testimonia ipso fatente Menardo congesta, sciam in illam farraginem codici Concordiæ Regularum assutam: nostra autem collectio integras exhibet adhortationes, aut conciones Patrum aptissime congruentes ad argumentum Re-

gularum : quare consentanee iis subjici æquus, opinor, et prudens lector, ubi cognoverit, fatebitur. De singulis Regulis, vel auctoribus earum nihil hic præfari opus duximus; præmisimus enim suis locis ad singulas testimonia veterum, quæ notitiam, quanta fere haberi potest, tum ipsarum, tum auctorum legenti suggerent.

XXXVI.

Adeoque extra omnem controversiam statuit Holstenius sanctum Benedictum Anianensem esse hujus Codicis Regularum verum et indubitatum collectorem, simulque adhortationes, ac nonnullas sanctorum Patrum conciones in Appendice exhibitas, in unum collegisse, atque ipsi Codici assuisse, cujus proin in hanc rem adductas satis probabiles rationes fusius in Observatione prævia ad ipsam Appendicem examinavimus. Jam ad alterum dubium supra propositum, de quo major restat difficultas, veniamus; cum enim in hoc *Regularum Codice*, sicut et in ipsa *Concordia Regularum* desint plures Regulæ ante medium sæculi noni conditæ, quarum Supplementum vulgaverat sæpe laudatus Hugo Menardus teste hujus Codicis typographo, Ludovico Billaine, sic ad finem catalogi Regularum in eodem contentarum loquente : « Idem sanctus Benedictus Anianensis abbas Regularum Concordiam cum Regula sancti Benedicti abbatis Cassinensis composuit, quam R. P. D. Hugo Menardus congregat. sancti Mauri monachus edidit, et observationibus doctissimis illustravit, quæ loco esse possunt earum, quas doctissimus Holstenius in hunc Codicem meditabatur, quæ quidem Concordia in eadem officina Ludovici Billaine venalis prostat, qui pollicetur Supplementum hujus Codicis, in quo sanctorum Patrum Regulæ et Constitutiones ab Holstenio prætermissæ, et alia plurima ope doctorum virorum ex variis bibliothecis conquisita, continebuntur. »

XXXVII.

Ex quibus omnino constat in hoc Codice non omnes veterum Patrum Regulas monasticas comprehensas esse, nec sane ad nostram notitiam adhuc pervenit, facta etiam diligenti inquisitione, promissum Supplementum, secus omissas Regulas inter *Additamenta* collocassemus. Et quidem ut taceam *Regulam sancti Chrodogangi* inter Additamenta nostra positam, certum est sanctum Benedictum Anianensem omisisse eximium veteris Disciplinæ monasticæ monumentum, scilicet Regulam *sancti Joannis abbatis Biclarensis*, post medium sæculi sexti scriptam a sancto Isidoro Hispalensi, ac postea ab ipso Trithemio commemoratam, quorum tempore et ipsa Regula exstabat, quamvis nunc nullibi appareat. De hac autem Regula sic scribit clarissimus Calmetus in suis Observationibus criticis ad religiosorum et canonicorum Regulas, ad calcem Commentariorum in Regulam sancti Benedicti : « Scripsit Joannes Abbas Biclarensis e Valclara in Catalonia Regulam monasticam, quam sanctus Benedictus Anianensis ignoravit, aut saltem invenire non potuit, siquidem eam nullibi citat, quamvis ab Isidoro Hispalensi laudatur, sicut et a Trithemio. His temporibus omnino ignoratur tam Regula quam monasterium Biclare. Postea Joannes abbas de Biclare sedem episcopalem Gerundiæ tenuit, ac Chronicon ad annum 589 pertingens scripsit. » Nos quoque admiratione afficimur, nec sanctum Benedictum Anianensem, nec Holstenium mentionem fecisse illarum Regularum, quæ pro canonicis utriusque sexus in concilio Aquisgranensi sancitæ erant, cum primus Regularum collector illis temporibus vixerit, atque patente ipso Holstenio, ipsi synodo adfuerit, a piissimo imperatore ad collapsam disciplinam monasticam simul ac ecclesiasticam restaurandam destinatus. Nec sane alia hujus silentii causa assignari potest, nisi quod Regulæ illæ Aquisgranenses appareant nimis vagæ et indeterminatæ ad introducendam veram et solidam vitam Regularem, nec unquam a sede apostolica approbatæ fuerint.

XXXVIII.

Cum vero haud parum discriminis in numerandis et ordinandis Regulis in hoc Codice contentis, atque in exhibendis illis in *Concordia Regularum* relatis, exortum videatur, sic operæ pretium diximus utriusque ordinem tam ab Holstenio quam ab Hugone Menardo observatum proponere, quatenus legentibus omne dubium auferatur circa hujus Codicis αὐθεντίαν. Tota enim diversitas exorta est, quod doctissimus Menardus publicando *Concordiam Regularum* nusquam reperire potuerit *Codicem Regularum* ab eodem sancto Benedicto Anianensi conscriptum, et ideo nomina Regularum in hoc eodem Opere hinc inde dispersa solummodo notaverit, cum e contra Holstenius invento vero Regularum Codice ediderit Regulas in ipso ms. antiquo repertas, quas in unum codicem collegerat sanctus Benedictus Anianensis, priusquam *Concordiam* exarare cœperat. Hinc clarissimus Holstenius, juxta fidem ms. codicis, Regulas distribuit in tres partes, quarum prima Regulas Orientalium Patrum complectitur, altera Occidentalium, tertia vero sanctorum Patrum Regulas pro sacris virginibus scriptas, quibus et Appendicem adjunxit, quasdam sanctorum Patrum Exhortationes continentem, juxta hanc præsentem methodum :

CATALOGUS REGULARUM

ET ALIORUM TRACTATUUM,

Qui in hoc CODICE REGULARUM *continentur.*

PARS PRIMA.

Regulæ SS. Patrum Orientalium ad monachos.

		Sæculum.
I.	S. Antonii abbatis.	IV.
II.	S. Isaiæ abbatis.	IV.
III.	SS. Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, etc.	IV.
IV.	SS. Patrum alia.	IV.
V.	Tertia.	IV.
VI.	S. Macarii Alexandrini, abbatis Nitriensis.	IV.
	Ejusdem epistola.	IV.
VII	S. Pachomii, abbatis Tabennensis, cum præfatione sancti Hieronymi in eamdem.	IV.
	Ejusdem Monita.	IV.

VIII. Ejusdem et Theodori epistolæ et verba mystica. IV.
IX. S. Orsiesii, abbatis Tabennensis, doctrina de institutione monachorum. IV.
X. Regula Orientalis, ex Patrum Orientalium Regulis collecta a Vigilio diacono. IV.
XI. S. Basilii, episcopi Cæsariensis. IV.

PARS II.

Regulæ SS. Patrum Occidentalium ad monachos.

I. S. Benedicti, abbatis Cassinensis. VI.
II. Regula consensoria monachorum. VI.
III. Alia Regula incerti. VI.
IV. SS. Pauli et Stephani abbatum. VI.
V. S. Cæsarii, episcopi Arelatensis. VI.
VI. S. Aureliani episcopi Arelatensis. VI.
VII. S. Ferreoli, episcopi Ucetiensis. VI.
VIII. S. Columbani abbatis. VI.
Ejusdem Pœnitentiale. VI.
IX. Tarnatensis monasterii. VI.
X. S. Isidori, episcopi Hispalensis. VII.
XI. S. Fructuosi, episcopi Bracarensis. VII.
XII. Ejusdem monastica communis. VII.
Ejusdem Pactum.
XIII. Patris cujusdam. VI.
XIV. Regula Magistri. VII.
XV. Grimlaici presbyteri Regula solitariorum. IX.

PARS III.

Regulæ SS. Patrum ad virgines.

I. S. Augustini, episcopi Hipponensis. V.
II. S. Cæsarii, episcopi Arelatensis. VI.
Ejusdem Sermo. VI.
Ejusdem epistola ad Oratoriam abbatissam. VI.
Ejusdem testamentum. VI.
III. S. Aureliani, episcopi Arelatensis. VI.
Joannis, episcopi Arelatensis, epistola. VI.
IV. S. Donati, episcopi Vesontiensis. VII.
V. Patris cujusdam. VII.
Sententia de Regulis Devotarum, una cum decreto concilii Hispalensis. VII.
VI. S. Leandri, episcopi Hispalensis. VI.
VII. B. Ælredi, abbatis Rievallensis. XII.

APPENDIX

Complectens Exhortationes SS. Patrum ad monachos et virgines de Observantia vitæ religiosæ,

Quas a sancto Benedicto *abbate Anianensi olim collectas,* Lucas Holstenius *e duobus mss. Floriacensibus serenissimæ reginæ Christinæ edidit.*

I. S. Athanasii Alexandrini liber de Observationibus monachorum. IV.
II. Ejusdem Exhortatio ad sponsam Christi. IV.
III. S. Basilii M. Admonitio ad filium spiritualem. IV.
IV. Evagrii monachi Sententiæ ad monachos. IV.
V. Ejusdem Sententiæ ad virgines. IV.
VI. Fausti, abbatis Lirinensis, Sermones quatuor ad monachos. V.
VII. S. Eucherii Exhortatio ad monachos. V.
VIII. Ejusdem Sententia ad monachos. V.
IX. Ejusdem Admonitio ad virgines. V.
X. S. Cæsarii, episcopi Arelatensis, epistolæ duæ ad Cæsariam abbatissam. VI.
XI. Ejusdem Epistola hortatoria ad virginem Deo dedicatam. VI.
XII. Novati, catholici, Sententia de humilitate et obedientia, et de calcanda superbia. IV.
XIII. S. Paulini ad monachos de pœnitentia. V.
XIV. Eutropii abbatis Epistola ad Petrum papam de districtione monachorum et ruina monasteriorum. VII.
XV Incerti Sermones duo de decem virginibus. VII.

A

XXXIX.

Atque hæc est œconomia quam adhibuit Holstenius in publicando hoc *Regularum Codice*, nec ambigere licet, quin Regulas eodem modo ordinatas in suo ms. repererit, prout ex ipsis schedis posthumis eruitur, etiamsi quædam adsint ibidem Regulæ sancto Benedicto Anianensi omnino ignotæ, ut pote longe post ipsius obitum conditæ, quales sunt : Regulæ pro inclusis monachis utriusque sexus scriptæ a beato Grimlaico, et sancto Ælredo abbate Rievallensi. Nec sane hoc in præjudicium hujus Codicis verti debet, quasi ille non sit, quem sanctus Benedictus Anianensis scripserat; nam amanuensis, labente sæculo XIII, vel sequenti inchoante, exscribens verum et authenticum *Regularum Codicem*, B prudenter judicavit superaddi posse has duas Regulas, ut pote ad perfectam vitæ monasticæ normam apprime pertinentes. Pari quoque libertate Holstenius huic Codici assuere voluit nonnulla aliunde petita ; in alio enim veteri ms. reperiens *Sententiam de Regulis Devotarum*, eamdem voluit inserere, simul ac concilii Hispalensis caput 11 ad sanctimonialium clausuram spectans, quam etiam *Sententiam de Regulis Devotarum*, et nos observationi præviæ ad Regulam sancti Isidori conjunximus, tanquam illius Regulæ caput ultimum, prout ibidem notavimus. Cum igitur agnoscat Holstenius hunc *Codicem Regularum* eumdem esse, quem composuerat sanctus Benedictus Anianensis, sic ejusdem authenticitati nec assuta Additamenta, nec diversus Regularum C ordo in *Concordia* observatus, ullatenus præjudicare debent, prout supra monstravimus.

XL.

Nam sanctissimus abbas Anianensis condendo *Concordiam Regularum* diversum omnino ordinem inire debuit, cum ex collectis sanctorum Patrum Regulis solas quasdem sententias excerpserit, necessarias quidem ad monstrandam disciplinæ monasticæ uniformitatem cum ipsa Regula Benedictina, quam solum deinceps ubique observandam mandaverat piissimus imperator Ludovicus I, licet hucusque in aliquibus monasteriis plures Regulæ simul observatæ fuerint. Sic enim ex Vita Ludovici Pii, et ex Aimonio lib. v *de Gestis Francorum* instruimur : « Itidemque constituit idem Deo amabilis imD perator Benedictum abbatem, et cum eo monachos strenuæ per omnia vitæ, qui per omnia monachorum euntes redeuntesque monasteria, uniformem cunctis traderent monasteriis tam viris quam sanctimonialibus feminis morem vivendi secundum Regulam sancti Benedicti. » Adeoque sanctus Benedictus Anianensis conferendo Regulam sancti Benedicti cum aliis sanctorum Patrum Regulis, quatenus ex illis uniformem cum eadem doctrinam monstraret, necessario ordinem in *Codice Regularum* observatum invertere debuit, sententias et instituta sanctorum Patrum cuilibet capiti Regulæ Benedictinæ approprians, quatenus *veram Regularum Concordiam* conderet. Hinc doctissimus Hugo Menardus in edendo *Concordiam*

Regularum anno 1638 talem Regularum Catalogum contexuit, ut Regulam sancti Benedicti primo loco posuerit, tanquam principalem, ad quam reliquæ reducuntur.

HUGONIS MENARDI *Catalogus in sua* CONCORDIA REGULARUM *observatus.*

1. Regula S. Benedicti.
2. — S. Pachomii.
3. — S. Orsiesii.
4. — Orientalis.
5. — S. Macarii.
6. — Itidem S. Macarii.
7. — SS. Patrum.
8. — Itidem SS. Patrum.
9. — Itidem SS. Patrum.
10. — S. Basilii.
11. — S. Hieronymi.
12. — S. Augustini.
13. — S. Cassiani.
14. — SS. Stephani et Pauli.
15. — Tarnatensis.
16. — S. Cæsarii episcopi.
17. — S. Aureliani episcopi.
18. — S. Ferreoli episcopi.
19. — S. Isidori episcopi.
20. — S. Fructuosi.
21. — Alterius Fructuosi.
22. — S. Columbani.
23. — S. Donati.
24. — Magistri.
25. — Cujusdam Patris.
26. — Item cujusdam Patris.

XLI.

Et quidem ex Catalogo Regularum *in Concordia* observato, omnino apparet, quasdam Regulas ibidem nominari, quæ in ipso Codice non reperiuntur, et vicissim : prout cuilibet utrumque Catalogum conferenti facile patebit. Sic de Regula sancti *Cassiani* observavit sæpe laudatus Menardus illam desumptam esse ex primis quatuor libris ejusdem sanctissimi abbatis *de Institutionibus monasticis*, quas proin inter Additamenta ipsius Codicis Regularum primo loco posuimus; quod autem attinet *Regulam sancti Hieronymi* hic nominatam, existimat idem laudatus Menardus, illam nihil aliud esse, nisi epistolam præfixam Regulæ sancti Pachomii, de qua eruditus ille *Concordiæ Regularum* editor loco citato sic loquitur : « Regula sancti Hieronymi nihil aliud est quam epistola illa, quam præfixit Regulæ sancti Pachomii; nam quædam ex illa Regula hic citata videre est in eadem epistola, alia vero sapiunt stylum sancti Hieronymi, nec discrepant ab Institutis sancti Pachomii, quæ in illa epistola recensentur : quam si integram haberemus, haud dubie in ea omnia reperirentur, quæ hic ex ea proferuntur, maxime cum sanctus Hieronymus nullam scripserit Regulam monachorum. » Deinde in hac *Regularum Concordia* citatur tantum una Regula *sancti Cæsarii*, quemadmodum et una *sancti Aureliani*, cum tamen omnino constet, unumquemque ex his duobus Arelatensis Ecclesiæ episcopis duas Regulas distinctas scripsisse, unam pro monachis, alteram pro sanctimonialibus feminis, prout ex ipso *Regularum Codice* instruimur, ubi binæ utriusque episcopi Regulæ reperiuntur. Nec sane Regulæ *sancti Leandri de distinctione Virginum* ad sororem Florentinam scriptæ mentionem facit, quamvis illa constans 21 capitulis inter alias sacrarum virginum Regulas in ipso *Regularum Codice* sit collocata.

XLII.

Hinc mirari non debemus in Regulis monasticis numerandis tantam diversitatem apparere inter *Codicem Regularum* earumque *Concordiam*, præsertim si admittamus auctoris intentionem in condendo utroque opere fuisse quodammodo dissimilem. Sanctissimus enim abbas Anianensis colligendo sanctorum Patrum Regulas in unum codicem, id solummodo mente agitasse videtur, ut religiosi viri æque ac feminæ percurrendo diligenter tot eximia vitæ monasticæ instituta, per talia monita salutaria, diversis temporibus et locis data, ad arctam disciplinam observandam excitarentur, cum e contra componendo Concordiam Regularum ad id animo ferebatur, ut monachismi unitatem ab exordio instituti probaret, atque omnium aliarum Regularum conformitatem cum Regula Benedictina monstraret, quam solam deinceps observandam præceperat piissimus imperator, prout supra indicavimus. Cum igitur in Regula Benedictina, quamvis monachis utriusque sexus adaptata, nulla sacrarum virginum memoria reperiatur; sic facile omittere potuit Regulas illas solis sacris virginibus præscriptas, etiamsi easdem in ipso *Regularum Codice* collocaverit.

XLIII.

Existimat quidem doctissimus Menardus sanctum Benedictum Anianensem in sua Concordia, proferendo sententias ex Regula sancti Cæsarii, sancti Aureliani et aliorum, in usum sanctimonialium scriptis, solummodo nomina feminina in masculina mutasse, neque ad eorum Regulas monachis præscriptas attendisse. Verum in eam opinionem adductus est vir eruditissimus nondum de illorum sanctorum Patrum Regulis ad monachos scriptis certior factus. Si enim præsens hic Codex Regularum ab ipso sancto Benedicto Anianensi olim scriptus ad sæpe laudati Menardi notitiam pervenisset, tunc aliter judicasset, cum ibidem geminæ istorum sanctorum Regulæ inveniantur, una ad monachos, altera ad sacras virgines ordinata. Fatendum tamen est sanctum Benedictum Anianensem conferendo Regulam sancti Augustini cum Regula Benedictina coactum fuisse nomina feminina in masculina commutare, quia sanctissimus ille Ecclesiæ doctor nullam aliam Regulam scripsit, nisi illam quæ desumpta est ex illa celebri Epistola ad feminas sanctimoniales missa, et nunc religiosis Augustinianis utriusque sexus accommodata. Hæc quidem omnia ex ipsa *Concordia Regularum* clarius innotescent, quæ prodiit Parisiis anno 1638, doctissimis observationibus nunquam non laudandi Menardi illustrata, quæ etiam hujus *Codicis Regularum aucti et amplificati* quasi quædam interpretatio considerari possit, ut pote clarius explicans illa quæ in antiquis Regulis obscura apparent.

XLIV.

Atque hæc sunt de quibus circa præsentem *Regularum Codicem* lectores benevolos certiores reddere cogitavimus, quatenus et illi percipere valeant verum vitæ monasticæ statum ab exordio Christianæ religionis ad hæc nostra tempora propagatum. Nullus enim inficias ibit, hæc vetera monumenta monastica eximiam historiæ ecclesiasticæ partem comprehendere, cum certam Evangelii observantiam a primis sæculis usitatam exhibeant, atque sanctorum Patrum nobiliores asceticas admonitiones proferant, quibus homines excitabantur ad vovenda Christi consilia, non quidem omnibus Christianis necessaria, sed illis qui ad veram perfectionem nituntur condere utilissima. Hinc convelluntur novatorum aliquorum iniquæ contumeliæ, qui monachatum otiosorum hominum statum existimant; ex illis quippe authenticis monumentis discimus, doctissimos simul ac sanctissimos Christiani nominis athletas, sanctum Athanasium, sanctum Basilium, sanctum Augustinum, aliosque maximos viros exstitisse vitæ monasticæ cultores et legislatores. Hinc etiam primarii rei litterariæ restauratores ad excolendum statum monasticum summopere laborarunt, vetera monumenta ad eumdem pertinentia ex tenebricosis bibliothecarum pluteis eruentes, atque eruditissimis observationibus illustrantes, quemadmodum et clarissimus noster Holstenius præstitit, in publicam lucem emittens hunc præsentem *Regularum Codicem*, quem iterum recusum multisque aliis diversorum ordinum monasticorum monumentis amplificatum hic exhibemus.

XLV.

Interim tempus est ut paucis referamus quid in hac nova editione actum sit; non enim ob aliam rationem illam aggressi sumus, nisi quod distractis tam Romanæ quam Parisiensis editionum exemplaribus plures viri docti conquererentur, se tanti operis utilitate privari, præsertim cum in Germania hucusque nulla ejusdem comparuerit. Comparato igitur Editionis Parisinæ exemplari anno 1663 a Ludovico Billaine factæ, percelebris bibliopola Augustanus [a] Martinus Veith novam hanc meditari cœpit, variis Additamentis auctam, eamque in folio; quatenus idem Codex sic amplificatus in justi voluminis molem accresceret, celebriorum ordinum, tam monasticorum quam canonicorum, Regulas et Institutæ complexus atque in sex tomos divisus.

XLVI.

Et quidem tomus primus ipsum *Codicem Regularum* ab Holstenio editum complectitur, cujus ordinem et distributionem invertere non præsumpsimus, grande piaculum existimantes, si quid ex illo demere, vel augere prætenderemus, cum vir clarissimus exerte asserat, se Regulas ita coordinatas ad fidem codicis Coloniensis edidisse, nec timeat affirmare, eumdem esse Codicem, quem sanctus Benedictus Anianensis collegerat. Nihil ergo immutatum est, sed codex Holstenianus quoad omnia etiam minutissima integer prodiit, ut ille a Ludovico Billaine prænotato anno typis est impressus. Quod ante quamlibet Regulam præmissa sit quædam *Observatio critica*, hoc nullatenus integritati codicis obesse potest, sed potius ad majorem splendorem conducit, prout ad easdem Regulas præmisit Holstenius *testimonia veterum Patrum* de cujuscunque Regulæ legislatore, quæ tamen in veteri ms. non reperit, ex quo Codicem Regularum exscripsit. Nec sane magni refert, quod in hac nova editione *Materiam Dissertationis Proœmialis* alio ordine referamus; hoc quippe haud alio fine factum est, nisi ut clarius mens primi editoris innotescat, qui prematura morte surreptus hoc proœmium non condidit, sed aliud magis elaboratum meditabatur, prout supra prænotavimus ex clarissimo Mabillonio, asserentes hoc proœmium ex posthumis Holstenii schedis Leonem Allatium composuisse.

XLVII.

Quod autem *Observationes* ante quamlibet Regulam præmissas attinet, et illas quodammodo necessarias duximus, ut per easdem cujuslibet Regulæ vera ratio pateat, et sub uno obtutu dubia circa Regularum legislatores obvenientia, dissolvantur. Hinc et *Observationes criticas* nominavimus. Si quis enim artem criticam sano sensu consideret, tunc præfatas observationes vere criticas agnoscere debet, cum de qualibet Regula ejusque auctore justum et æquum judicium proferant, de eruditissimis rerum religiosarum scriptoribus, Mabillonio, Calmeto, et Edmundo Martene desumptum. Non enim eo consilio observationes exaravimus, ut censoris officium usurparemus, sed solummodo aliorum doctorum judicia proferre voluimus, ut ex rebus illis sua antiquitate obscuris veritas magis elucescat. Non diffitemur, in his observationibus quædam scitu digna omissa, non studio, sed ex quadam illarum rerum ignorantia, quæ tamen facile suppleri possunt ex iis, quæ doctissimus Menardus præmisit ad *Concordiam Regularum*, quod eximium opus ad manus meas non pervenit, nisi post jam impressas observationes criticas.

[a] Morte anno 1755 præventus, finem vasto operi imponendum filiis suis reliquit.

CODICIS REGULARUM PARS PRIMA,

SS. PATRUM ORIENTALIUM REGULÆ AD MONACHOS.

S. ANTONII ABBATIS

REGULA AD MONACHOS.

DE S. ANTONIO ABBATE VETERUM QUÆDAM TESTIMONIA.

Martyrol. Rom. ad diem 17 Januarii.

In Thebaide, sancti Antonii abbatis, qui multorum monachorum pater, vita et miraculis præclarissimus vixit : cujus gesta sanctus Athanasius insigni volumine prosecutus est.

S. Hieronymus, de illustr. Script., cap. 88.

Antonius monachus, cujus Vitam Athanasius Alexandrinæ urbis episcopus insigni volumine prosecutus est, misit Ægyptiace ad diversa monasteria apostolici sensus sermonisque epistolas septem quæ in Græcam linguam translatæ sunt; quarum præcipua est ad Arsenoitas. Floruit Constantino et filiis ejus regnantibus. Vixit anno 105.

S. Athanasius in Vita S. Antonii, cap. 15, *interprete Evagrio.*

Quadam die cum sanctus Antonius a congregatis fratribus rogaretur, ut eis institutoria largiretur præcepta, cum prophetica fiducia exaltans vocem aiebat : Ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere, etc.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Ex adductis sanctorum Patrum testimoniis constat, sanctum Antonium non scripsisse Regulam monasticam proprie sic dictam; neque, teste Calmeto, monachi Orientales sub sancti Antonii nomine militantes Deo, vel canonici sancti Antonii in Gallia et Italia adhuc florentes, observant hanc Regulam. Primi enim sequuntur præcipue Regulam sancti Basilii, quæ in ejus asceticis comprehenditur; secundi tanquam canonici Occidentales tenent Regulam sancti Augustini. Existimamus ergo hanc Regulam sancto Antonio recentiorem; et forsan ex septem epistolis ad diversa monasteria Ægyptiaca scriptis desumpta est, quæ tamen haud sancto Antonio indigna videtur, cum stylo sententioso, conciso et nervoso scripta sit; sed eremitis potius quam cœnobitis consona. Hoc etiam nostram conjecturam magis auget, quod in hujus Regulæ primo exemplari solummodo articuli 35 inventi fuerint, in alio autem 13, ita ut tota Regula constet 48 articulis, quorum nonnullos, præsertim tredecim ultimos, ex Isaiæ abbatis Regula desumptos animadvertimus, prout suo loco dicemus. De reliquo, auctor hujus Regulæ dicitur fuisse celebris ille sanctus Antonius primus eremita, qui anno 270 in solitudinem secessit, et anno 356 piissimam animam Deo reddidit.

REGULÆ AC PRÆCEPTA

S. P. N. ANTONII AD FILIOS SUOS MONACHOS,

Petentes hoc ipsum ab eo in monasterio Nacalon.

IN PACE DOMINI.

Dicam Canones sive Regulas, prout loquetur Dominus per os meum, illis qui sese tradere volunt sub gravi hoc jugo, scilicet monachatu. Oportet ergo ut audiant hæc præcepta : qui solverit aliquid ex eis, *vilis vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19).

I. Ante omnia ora sine intermissione, et gratias Deo age pro omnibus quæ tibi eveniunt.

II. Cum autem surrexeris manc singulis diebus, A inquire de ægrotis qui apud te sunt, et jejuna usque ad nonam singulis diebus, excepto sabbato et Dominico die; adveniente vero nona ne adeas cellam cujusquam fratrum. Et cum sederis ad comedendum, ora prius, tum comede. Ora et lege perpetuo.

III. Ne loquaris cum juvene, neque cum puero, et ne converseris omnino cum illo; nec ligabis illum monachum, nec assumes in filium, ante-

quam induat habitum, ne reconciliet hostem diabolum; neque cubes super eadem storea cum minore te.

IV. Serva etiam horas orationum, nec prætermittas ullam earum, ne rationem pro illa reddas.

V. Ne obstringas ægrotum ad manducandum, nec retrahas ab illo cibum, ne conturbes animam illius afflictam

VI. Si venerit ad te aliquis frater post temporis intervallum, lætare de illo : gratias enim aget Deo et tibi. Sæculari nullo modo commiscearis; nec ostentes teipsum, sicut Pharisæus ille qui ad ostentationem omnia sua agebat.

VII. Nec appropiare sinas ad te mulierem, nec permittas ingredi domicilium tuum; ira enim graditur post illam. Neque revertaris invisere consanguineos tuos carnales, nec faciem tuam illis videndam præbeas, nec adeas illos.

VIII. Ne reserves tibi plus quam indiges; nec elargiaris plus quam potes, sed eroga eleemosynam infirmis monasterii.

IX. Persolve orationem tuam noctu priusquam adeas ecclesiam.

X. Ne comedas cum aliquo qui impendat pro te.

XI. Si scandalum ortum fuerit de juvene aliquo, qui hactenus habitum non induerit, ne induat illum; et ejice eum a monasterio; nec loquaris cum puero penitus, ne fiat tibi offendiculum.

XII. Si coegerit te necessitas adire civitatem, ne contendas illuc solus.

XIII. Ne seras terram tributis subjectam, nec societatem et contractum ineas cum magnatibus.

XIV. Ne commoreris in loco ubi vinum exprimitur, nec comedas carnem omnino.

XV. Ne frangas jejunium feria quarta et sexta, nisi ob gravem morbum.

XVI. Ne murmures in opere manuum tuarum : nec improperes alicui ulla de causa.

XVII. Si adieris aliquem fratrem, ne diu moreris in domicilio ejus.

XVIII. Ne loquaris in ecclesia; nec resideas in exedris monasterii.

XIX. Non jurato penitus vel veritatem vel dubium.

XX. Ne petas ecclesiam ad quam congregantur homines. Eroga eleemosynam quantum potes. Ne sepelias mortuum in ecclesia.

XXI. Ne facias convivia; nec ad symposium vocatus accedas.

XXII. Addisce quotidie disciplinam a senioribus; nec ullum aggrediaris opus, nisi consulto Patre monasterii.

XXIII. Cum abis ad hauriendam aquam, interim dum iter conficis, lege quantum potes.

XXIV. Si erogaveris eleemosynam, ne ostentes illam. Si adfueris aliquo in loco, ubi erogatur eleemosyna, comede et gratias age Deo.

XXV. Contristare noctu diuque pro peccato tuo. Esto devinctus in cuculla tua, et in tunica tua noctu atque die. Accende lampadem tuam oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis. Si pietatis actus edideris, ne glorieris. Ne dimittas quemquam, qui quærit Christum. Ne propales cogitationes tuas cunctis hominibus, sed solum iis qui possunt salvare animam tuam.

XXVI. Si abieris ad messem, ne moreris, sed cito revertere ad monasterium.

XXVII. Ne induas vestimenta, quibus extollaris. Ne ostentes vocem tuam, nisi in oratione præcepta. Ora in domo tua, antequam venias ad ecclesiam.

XXVIII. Mortifica temetipsum quotidie.

XXIX. Ne improperes cuiquam causa dolorum et afflictionum quas patitur.

XXX. Ne glorieris, neque rideas omnino. Da operam ut lugeas ob peccatum tuum, sicut luget is penes quem aliquis mortuus est. Fac quantum potes ut glorificetur Pater tuus qui est in cœlis.

XXXI. Corrige filium tuum, nec parcas : damnatio enim illius a te exigetur.

XXXII. Ne comedas ad satietatem; ne dormias, nisi parum et moderate, et venient ad te angeli.

XXXIII. Cum oraveris et memor fueris Dei, fac tibi indumenta tua sint alæ, et evolabis super mare igneum.

XXXIV. Visita ægrotos et infirmos, et imple mensuras seu vasa eorum aqua.

XXXV. Ne pugnes lingua. Ita te præsta, ut benedicant te omnes. Et Dominus Jesus Christus opem nobis afferat ad operandum secundum ipsius beneplacitum : cui gloria cum Patre suo, et Spiritu suo sancto in sæculum. Amen.

Quæ sequuntur, habentur in alio exemplari.

XXXVI. Coge teipsum in opere manuum tuarum, et timor Domini inhabitabit in te.

XXXVII. Si conspexeris fratrem aliquem perpetrantem peccatum non ad mortem, ne contemnas et despicias, neque condemnes illum : incides quippe in manum inimicorum tuorum.

XXXVIII. Cave tibi, ne seducatur intellectus tuus, memorando peccata tua priora, ne renoventur in te.

XXXIX. Dilige humilitatem, quæ proteget te a peccato. Ne sis pertinax ad statuendum verbum tuum, ne occupet te malum. Ne reputes te sapientem, et gloriaberis, et incides manum inimicorum tuorum. Assuescat lingua tua dicere : Ignosce mihi; et consequeris humilitatem.

XL. Cum sederis in cella tua, sollicitus esto de tribus hisce rebus perpetuo : nimirum, de opere manuum tuarum, de meditatione tuorum psalmorum, et de oratione tua.

XLI. Cogita apud teipsum et dicito : Utique non manebo in hoc mundo nisi præsenti hac die; et non peccabis Deo.

XLII. Ne sis helluo ciborum, ne resuscitentur in A te priora peccata.

XLIII. Ne tædeat te laboris, et superveniet tibi cito requies. Sicuti parietinæ ruinarum extra civitatem fiunt locus fetoris omnibus, ita anima pigri, qui cœpit monachatum, fiet mansio passionibus et fetoribus.

XLIV. Coge teipsum, ut ores perpetuo cum lacrymis, ut forte misereatur tui Deus, et exuat te veteri homine.

XLV. Persevera in hisce rebus quas dicam : scilicet, in labore, paupertate, peregrinatione, afflictionibus et quiete, et afferent tibi humilitatem; humilitas vero dimittet omnia peccata. Humilitas autem est, ut homo reputet seipsum peccatorem, et quod nihil boni perpetret coram Deo; et adhæreat quieti, B et non æstimet seipsum quidquam; et non sit pertinax ad statuendum verbum suum : ut abscindat concupiscentiam suam, et demittat vultum, ponatque sibi mortem ante oculos, et servet semetipsum a mendacio, et non loquatur verba otiosa; nec respondeat superiori ; et opprobrium sustineat, et odio habeat desidiam, et instet laboribus et moeroribus.

XLVI. Curate igitur, fratres mei, hæc servare præcepta, ne vita vestra sit sine fructu. Et sollicitus esto semper ad singula verba, quæ audis, ut dicas : Ignosce mihi : quia humilitas fugat omnia negotia inimici. Ne reputes teipsum quidquam propter opera tua.

XLVII. Sit tristis vultus tuus, nisi advenerint tibi exteri fratres; tunc gaude cum illis, ut inhabitet in te timor Domini. Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis parumper, ut sis in silentio, et dum incedis per viam, ne te convertas sinistrorsum et dextrorsum; sed meditare psalmos tuos, et ora in mente tua ad Deum, quocunque in loco ingrederis; nec perfidenter agas cum incolis illius.

XLVIII. In omnibus rebus tuis esto modestus, et ad ea quæ opponentur tibi, extende manum tuam leute. Si vero fueris juvenis, ne extendas manus tuas primus ad cibos; nec ingeras quidquam ciborum in os alterius. Et si cubaveris in aliquo loco, ne tegas te uno eodemque stragulo simul cum alio : et ora multum, antequam cubes. Et Dominus noster Jesus Christus opem nobis præstet ad operandum secundum ipsius beneplacitum. Amen.

Explicit Regula sancti Antonii abbatis

ISAIÆ ABBATIS

REGULA AD MONACHOS.

DE ISAIA VETERUM TESTIMONIA.

Rufinus in Vitis Patrum, lib. I, *cap.* 10; *et Palladius, lib.* VIII, *cap.* 55 :

Abbas Syrus aliquando, et Isaias, et Paulus occurrerunt sibi invicem ad ripam fluminis; erant autem viri isti justi, summæ abstinentiæ et totius religionis. Hi pergebant visitare quemdam nomine Anuph., etc.

Ibidem, lib. V, *de Verbis seniorum.*

Interrogavit eumdem sermonem abbas Isaias : Dicit abbas Pastor : Sicut capsa plena vestibus, etc.

R. Bellarminus S. R. E. card. de Script. eccl.

Isaias abbas, qui quo tempore vixerit, invenire non potui, scripsit homilias 28 valde utiles, præsertim monachis ad perfectionem tendentibus.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hæc Regula edita est sub nomine Isaiæ abbatis, continetque sexaginta octo parva capita, quæ potius dicenda sunt tot axiomata sive præcepta moralia eremitis congrua, atque cœnobiis, qui æquo et pari jure vivere debent, accommodata. De hac Regula pari modo discurrendum est, ac de sancti Antonii Regula, ut ibidem dictum est. Nam desumpta esse videtur ex Sermonibus ad monachos ab Isaia abbate habitis, qui religiosis ad virtutis apicem aspirantibus valde utiles, effatis et præceptis moralibus ubique repleti sunt, et quidem iisdem quæ in hac Regula continentur. Erat autem Isaias abbas cœtaneus sancto Antonio, abbati Pastori, et abbati Ammoni, et abbati Anupho ; et quamvis ejus annus obitualis ignoretur, tamen Christi fidem inter cruciatus gloriose confessus est. Plurima hujus sanctissimi abbatis axiomata moralia in Vitis Patrum reperiuntur, atque viginti octo ejusdem sermones supradicti editi sunt in tertio tomo Bibliothecæ Patrum Margarini de La Bigne, pag. 885.

PRÆCEPTA SEU CONSILIA ABBATIS ISAIÆ POSITA TIRONIBUS IN MONACHATU.

Ejus orationes nos custodiant, Amen.

Frater dilectissime, si jam reliquisti mundum C hunc vanum, et Deo teipsum dedisti, pœnitentiam age de peccatis tuis, et serva propositum quod amplexus es; et ne auscultes cogitationibus tuis, cum

animum tuum affligent et dicent : Nequaquam peccata tua priora tibi condonata sunt ; et serva hæc præcepta.

I. Cave ne comedas cum muliere, aut fraternitatem ineas cum puero, aut dormias cum adolescente super eadem storea. Cum exuis vestem tuam, ne aspicias corpus tuum.

II. Si ad potum vini coactus fueris, ne bibas plus quam tres scyphos mediocres : cave ne solvas præceptum propter ebrietatem.

III. Ne persolvas horarias preces negligenter, ne incidas in manus inimicorum tuorum. Da operam quantum potes meditationi psalmorum, quia hoc servabit te ab immunda vita.

IV. Dilige laborem et afflictionem, ut leventur passiones tuæ. Ne reputes teipsum quidquam in ulla re, et vacabis gemitibus pro peccatis tuis.

V. Custodi teipsum a mendacio quia expellit a te timorem Domini. Ne aperias omnibus tua beneficia, ne rapiat illa inimicus tuus.

VI. Aperi morbos tuos patribus tuis, ut experiaris opem per ipsorum consilium.

VII. Coge teipsum ad opus manuum tuarum, et habitabit in te timor Domini.

VIII. Ne judices fratrem tuum cum peccat, nec despicias illum ; incides enim in manus inimicorum tuorum.

IX. Ne sis contentiosus ad statuendum verbum tuum, ne inhabitent in te mala.

X. Dilige humilitatem, et non acquiescas tuo consilio. Assuescat lingua tua dicere : Ignosce mihi et superveniet tibi humilitas.

XI. Cum sederis in cella tua, de tribus sollicitus esto : nempe de assiduitate in oratione, meditatione psalmorum, et opere manuum tuarum.

XII. Cogita apud te : Utique non sum superstes in hoc mundo, nisi hac die ; et eripieris a peccato.

XIII. Ne sis helluo, ne renoventur in te priora peccata tua. Ne pigeat te laboris ; et da operam meditationi psalmorum, et adveniet tibi requies a Deo.

XIV. Coge teipsum ad fletum in orationibus, et Deus miserebitur tui, et exuet te homine vetere.

XV. Scito, quod labor, et paupertas, et peregrinatio, et afflictio, et silentium afferunt humilitatem ; humilitas autem peccata omnia condonat. Humilitas autem est, ut homo reputet seipsum peccatorem, et injustum, et ne statuat verbum suum, et abscindat suam concupiscentiam, et defigat oculos ad terram, et sustineat injuriam, et laborem, et odio habeat honorem, et requiem, et dicat in omnibus : Ignosce mihi ; beneficio autem humilitatis fugantur hostes.

XVI. Perpetuo tristis esto ; si vero venerint ad te fratres, exhilareris cum illis, ut inhabitet in te timor Dei.

XVII. Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis, ut silere possis ; nec te convertas huc et illuc, sed meditare psalmos tuos, et ora ad Deum in mente tua. Et quemcunque locum ingressus fueris, ne A præsidenter agas cum habitatoribus ejus. Serva modestiam, et verecundiam in omnibus, et ad ea quæ apponuntur coram te, manum non nisi invitus extendas.

XVIII. Ne cubes cum alio sub eodem stragulo. Ora multum ante cubitum, quamvis defatigatus sis ab itinere.

XIX. Ne permittas ut quisquam ungat oleo corpus tuum, nisi propter gravem morbum.

XX. Cum sederis ad mensam cum fratribus, ne comedas cum delectatione, et extende manum tuam tantum ad ea quæ sunt ante te. Et complicata sint genua tua, nec eleves visum tuum ad alium. Nec bibas aquam avide, nec cum sonitu.

XXI. Si excreandi te urserit necessitas, cum sederis inter fratres, surge, et longius projice ab illis. Ne pandiculeris inter homines, et si acciderit tibi pandiculatio, ne hies ore tuo, et deseret te.

XXII. Ne aperias os tuum ad risum ; hoc enim indicat tibi deesse timorem Dei.

XXIII. Ne concupiscas rem alienam. Si feceris librum, ne exornes illum, hoc quippe affectum tuum ostendit.

XXIV. Si peccaveris in aliquo, non pudeat te confiteri illud, neque excuses te mendacio ; sed genua flecte, et confitere delictum tuum, et pete veniam, et condonabitur tibi.

XXV. Si quis mentitus fuerit apud te, ne irascaris, sed dicito : Ignosce mihi, non revertar.

XXVI. Non pudeat te quærere a tuo magistro.

XXVII. Si quis pulsaverit januam cellæ tuæ, dum sedens incumbis operi tuo, desere opus tuum, et cura ejus requiem.

XXVIII. Ne loquaris cum quoquam, nec attendas verbis cujusquam sine utilitate.

XXIX. Si miserit te magister tuus ad iter faciendum, postula ab illo quomodo te regas, et fac juxta mandatum ejus. Ne transferas verba. Si custodieris oculos tuos et aures tuas, minime peccabis lingua tua.

XXX. Si habitaveris cum aliquo fratre, esto cum illo ut peregrinus, nec præcipias illi quidquam, nec te superiorem illi facias, nec præsidenter agas cum illo ; et si præceperit tibi aliquid quod nolles, abscinde voluntatem tuam, et ne contristes illum, ne abscindatur pax a vobis ; et scias quod obediens est major.

XXXI. Si habitaveris cum fratre aliquo, et dicet tibi : Coquito ; dic : Quid vis? et si electionem tibi reliquerit, coquito, quod tibi venerit ad manus cum timore Dei.

XXXII. Cum e somno surrexeris, ora antequam ullum opus attingas, et meditare prius verba Dei ; tunc aggredere impigre opus.

XXXIII. Hilariter occurre extero, et saluta illum ; ne discessus vester ab invicem sit cum detrimento ; et cave ne statim atque advenerit ad te, interroges illum inutilia tibi, sed postula ab illo ut oret, et cum sederit, dic illi : Quomodo vales, frater mi? et ex-

hibe illi librum aliquem legendum. Si vero est defatigatus ab itinere, permitte illi quiescere, et lava pedes ejus. Si autem loquetur verba inania, dic ei cum charitate : Parce mihi, frater mi, quia infirmus sum, et non valeo audire hæc. Si autem dissuta fuerint ejus vestimenta, consue illa. Si vero infirmus est, et ejus vestimenta sunt sordida, lava illa. At si vagus est, et fuerint apud te sancti, ne permittas ingredi ad illos, sed fac ei misericordiam, et dimitte illum. Si est autem pauper, ne tristem illum dimittas, sed da ei quod concesserit tibi Deus.

XXXIV. Si quis frater deposuerit apud te aliquid, ne perscruteris depositum, nisi ipso præsente.

XXXV. Si quis reliquerit te in cella sua, et egressus fuerit, ne eleves visum ad perspiciendum quid in ea sit, sed dic ei dum egreditur : Da mihi opus aliquod, cui operam navem, donec revertaris ; et quidquid tibi præceperit diligenter perfice.

XXXVI. Ne ores cum pigritia et indiligenter ; hac enim ratione pro eo quod Deo placeas, ad iracundiam eum provocabis ; sed sta cum timore et tremore, et ne innitaris muro, nec remittas pedes tuos, ut uno stes, et alium extendas. Obsiste cogitationibus tuis, nec permittas, ut sollicitæ sint de rebus carnalibus, ut sit accepta Deo oratio tua.

XXXVII. Si autem adfueris missæ, custodi cogitationes tuas, et sensus tuos, et stes coram Deo altissimo cum timore ; ut dignus fias, qui sumas corpus Christi et sanguinem ejus, et sanes passiones tuas.

XXXVIII. Dum juvenis es, ne induas vestem bonam, donec pervenias ad senectutem.

XXXIX. Si iter feceris cum majore te, ne præcedas illum. Si assurrexerit major te ad alloquendum alios, ne parvi ducas illum, et maneas sedens ; sed sta cum illo, donec tibi ut resideas præcipiat.

XL. Cum urbem aut oppidum ingressus fueris, ad terram dimitte visum tuum, ne visa abs te sint tibi certaminis causa in cella tua.

XLI. Ne dormias in loco, in quo corde peccare times. Ne comedas cum muliere nec aspicias illam, neque etiam vestimenta ejus, si potes.

XLII. Si iter feceris cum sene, ne permittas ut ille portet quidquam. Si autem fueritis juvenes, unusquisque portet partem aliquam. Si vero fuerit modicum, portet illud unusquisque per horam, et præcedat, qui portat, et præeat infirmus, ut si lassus sederit ad capiendam requiem, sedeatis cum illo.

XLIII. Si quem senem interrogaveris de cogitationibus tuis, aperi illas libere uti se habent ei quem tua arcana servaturum confidis ; nec rationem habeas illius qui provectæ ætatis est, sed qui doctrina, opere, et spirituali experimento pollet, ne referas damnum, si augeantur passiones tuæ.

XLIV. Adnitere ut multum ores noctu, ut illuminetur intellectus tuus. Pensita peccata tua, et deprecare Deum pro illis, et ipse parcet tibi.

XLV. Si quis fratrem suum te præsente judicare apponat, quamvis judicatus ex eorum sit numero, qui te judicant, dicito illi cum humilitate : Parce mihi, frater mi, quia peccator et infirmus sum, et obnoxius illis quæ dicis, quare illa audire non possum.

XLVI. Præfer fratres tuos in omnibus, et si quis amicus præstiterit tibi honores, dicito : Propter vos hos mihi præstitit honores ; neque gustes quidquam absque sociis.

XLVII. Mutuo aliquid a te postulanti ne deneges.

XLVIII. Ne frequentius corde verses memoriam eorum, quos propter Dei charitatem deseruisti ; sed mortis et damnationis memento, et quod nullus illorum eo tempore tibi opem ferre poterit.

XLIX. Si dum sederis in cella tua, memineris quod aliquis tibi male fecerit, surge statim, et ora pro illo in corde tuo, ut parcat illi Deus ; ita enim passio quam ejus causa patieris, evanescit.

L. Si corpus Christi sumere velis, cave ne cordi tuo ira aut odium insit contra quempiam : et si quem adversus te iratum noveris, pete ab illo prius veniam, quemadmodum præcepit Dominus noster (*Matth.* v).

LI. Si oppugnatus fueris noctu a libidine, cave ne cogitatione repetas species illas interdiu, ne delectatione coinquinetur cor tuum ; sed prosterne te coram Deo, et ipse miserebitur tui : novit quippe infirmitatem hominum.

LII. Si operam dederis nimio jejunio et continuæ orationi, ne fidas quod hæc te salvabunt ; sed confide quod Deus miserebitur afflictioni corporis tui, et infirmitati tuæ opitulabitur.

LIII. Si morbo correptus fueris, ne tædeat te et deficiat spiritus tuus ; sed gratias age Deo, quod de tuo emolumento sit sollicitus.

LIV. Dum habitas in cella tua, constitue cibo tuo præfinitam mensuram, et statutum tempus, et ne prætereas illud ; et da corpori tuo quantum indiget, ut valeat orare et colere Deum. Si vero oblatus tibi fuerit extra cellam tuam delicatus cibus, ne ad satietatem ex illo sumas, ut cito reverti valeas ad cellam tuam.

LV. Si severint in te diaboli laborem quem ferre non valeas, ne acceptes ab eis ; quoniam occupant cor hominis quibusdam rebus quas superare non valet, ut tædio illum afficiant et deludant. Omnia sane eorum negotia sunt sine mensura ac sine ordine.

LVI. Comede semel in die, sed non ad satietatem. Præbe corpori tuo quantum indiget, juxta exigentiam naturæ.

LVII. Mediam noctem ad invigilandum orationi decerne, alteram vero medietatem requiei corporis tui. Antequam autem cubitum eas, vigila per duas horas in oratione et laudibus, tum corpori tuo da requiem. Si pigretur corpus tuum, dum ad orationem surgendum est, dicito illi : Visne requiem capere hoc tempore, deinde abire ad longum supplicium ? Nonne præstat ut parum hic labores, tum requiescas illic cum sanctis in æternum ? Tunc enim statim

recedit a te pigritia, et adveniet tibi divinum auxilium.

LVIII. Cum monachatus institutum amplexus fueris, manumitte servum tuum; qui, si monachatum sequi velit, ne permittas ut habitet tecum.

LIX. Si abieris ad vendendum opus manuum tuarum, ne disceptes de pretio, ut sæculares. Idem quoque præstabis, si quid emas. Inopiam rerum Deo te propinquum facere scias.

LX. Si deposuerit apud te frater quispiam vas, illoque indigueris, ne tangas illud, nisi ipso consulto.

LXI. Si quis frater rogaverit ut illi aliquid emas dum peregrinaris, facito; si autem fratres fuerint tecum, sit in præsentia eorum.

LXII. Si quid tibi mutuo datum fuerit, restitue illud cum eo fueris usus; nec detineas illud, donec abs te repetatur; et si quid illius fractum, resarcito. Si quid mutuo alicui dedisti, ne repetas illud, si noveris illum non posse restituere, præsertim si illo tibi opus non fuerit.

LXIII. Si egressus jam a cella tua, postea repetis illum, et invenies aliquem fratrem jam ibi habitare, quære tibi aliam; et cave ne illum inde expellas, ne contra te irascatur Deus. At si ipse sponte illam relinquere voluerit, jam justificatus es; si autem acceperit aliquid ex ejus supellectile, ne requiras id ab illo.

LXIV. Si volueris egredi ab aliqua cella, cave ne asportes aliquid ex ejus supellectile, sed relinque illam alicui fratri pauperi, et Deus largietur tibi quocunque abieris.

LXV. De nulla re ita lætantur diaboli, sicuti lætantur de eo qui cogitationes suas spiritualem suum magistrum celat. Ne putes te Patribus similem evasurum, nisi imitatus fueris eorum labores.

LXVI. Serva teipsum a divitiis, earumque amore, quoniam corrumpunt fructum monachi.

LXVII. Si pugnas adversus tentationem aliquam quæ te oppressit, ne desistas, sed prosterne te coram Deo, et dic : Adjuva me, Domine, quoniam ego infirmus non valeo sustinere hanc pugnam; et ille opitulabitur tibi, si ex recto corde processerit deprecatio tua. Si certaveris, et viceris, ne glorieris, neque confidas; sed tibi cave, quoniam hostis difficiliorem priore pugnam in te machinabitur.

LXVIII. Si deprecaris Deum, ne dicas : Domine, remove hoc a me, et concede mihi hoc; sed dicito : Domine Deus meus, tu scis quid mihi magis conducat, quocirca adjuva me, et ne permittas ut peccem tibi, et peream in peccatis meis, quia sum peccator infirmus; nec tradas me inimicis meis, quoniam confugi ad te; libera me, Domine, quia tu es fortitudo mea et spes mea; et tibi est potentia, et gloria, et beneficentia, et gratiarum actio in æternum. Amen.

Explicit Regula Isaiæ abbatis.

SANCTORUM PATRUM

SERAPIONIS, MACARII, PAPHNUTII, MACARII ALTERIUS,

REGULA AD MONACHOS.

DE S. SERAPIONE, CÆTERISQUE HUJUS REGULÆ AUCTORIBUS VETERUM TESTIMONIA.

Palladius, Hist. Lausiac., cap. 7.

Cum toto anno in monte Nitriæ habitassem apud beatos et sanctos Patres, magnum Arsitium, et Putaphastum, et Hagionem, et Cronium, et Serapionem, et multis antiquorum Patrum spiritualibus narrationibus ab ipsis essem stimulatus, veni in intimam solitudinem.

Idem, cap. 117.

Ingressa est (Melania) in montem Nitriæ, sanctos Patres conveniens beatum Pambo, et Christi famulum Arsitium, et magnum Serapionem, sanctum quoque Paphnutium et venerabilem Isidorum.

Rufinus, Hist. eccles., lib. XI, *cap.* 4.

Per idem tempus Patres monachorum vitæ et antiquitatis merito, Macarius, et Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides, et Pambus, Antonii discipuli per Ægyptum, et maxime in Nitriæ deserti partibus habentur viri, qui consortium vitæ et actuum non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur

Ibidem, cap. 8.

Florebat igitur Ægyptus ea tempestate non solum eruditis in Christiana philosophia viris, verum etiam his qui per vastam eremum commanentes, signa et prodigia apostolica simplicitate vitæ et cordis sinceritate faciebant. Ex quibus interim quos ipsi vidimus, et quorum benedici manibus meruimus, hi sunt : Macarius de superiore eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Sciti, Pambus in cellulis, etc.

Palladius, Hist. Lausiac., cap. 91.

Cum quodam die convenisset (cum Cronio, et Jacobo claudo) etiam Papnutius cognomento Cephala, qui dono cogitationis sacræ Scripturæ Veteris Novique Testamenti pollebat, totam illam interpretabatur, cum Scripturam non legisset : ea autem erat modestia, ut virtutem propheticam celaret.

Idem, cap. 20.

Narravit nobis et Dei servus Paphnutius, præclari hujus sancti (Macarii) discipulus, quod cum quodam die sederet in aula sanctus Macarius, etc.

Sanctus Benedictus Anianæ abbas hanc ipsam et sequentes duas Regulas aliquoties in Concordia Regularum laudat, easque indiscriminatim communi appellatione *Regulas Patrum* vocat.

Smaragdus quoque abbas multa ex iisdem ad Regulam sancti Benedicti affert, et antiquos monachorum Patres earumdem auctores citat.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hæc quidem Regula quatuor illis sanctis abbatibus supranominatis inscribitur, cum tamen ad ejusdem calcem hæc verba legantur : *Explicit Regula Patrum abbatum* XXXVIII. Quæ quidem verba, prout in impressis sic et in manuscriptis reperiuntur, omnino denotant hanc Regulam compositam fuisse in congregatione plurium abbatum, qui in unum congregati ardentissimis precibus Deum rogabant, ut Spiritum suum mitteret ad illos instruendos, qualiter monachorum conversationem rite dirigerent, atque sanctam vitæ monasticæ Regulam ordinare et statuere possent, prout ex ipsius Regulæ præfatione instruimur. Cum vero inter omnes præsentes majori sanctitatis fama floruerint prænominati abbates, sic et eorum quatuor piissimis sanctis acquieverunt et reliqui; quod exinde composita sit hæc Regula, complectens vera præcepta moralia ad recipiendos novos monachos necessaria, et jam receptis instruendis adaptata; præsertim circa jejunandi modum et laborem manuum, nec non circa præstandam debitam superioribus obedientiam, atque exhibendum ægrotis necessarium auxilium. Et quidem prima tria præcepta composuit sanctus Serapion, quatuor sequentia abbas Macarius, alia quatuor sunt abbatis Paphnutii, et ultima quatuor abbas Macarius secundus.

INCIPIUNT CAPITULA

Regulæ monachorum vel Deum timentium pro discipulorum eruditione, id est, Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii, et aliorum XXXIV.

1. Præfatio.
2. Serapion dixit, de prima conjunctione cœnobitarum.
3. Idem ipse, de unanimitate, et jucunditate fratrum.
4. Qui supra, de abbate et quomodo ei obediant monachi.
5. Macarius dixit, qualiter spirituale exercitium ab his, qui præsunt, Patribus teneatur.
6. Idem ipse, ut in oratione astantibus nullus sine præcepto Patris psalmum imponat.
7. Idem ipse, quomodo examinentur, qui ex sæculo convertuntur.
8. Idem ipse, qualiter peregrini hospites suscipiantur.
9. Paphnutius dixit, qualiter jejuniorum ordo teneatur.
10. Item ipse, qualiter debent fratres operari.
11. Item qui supra, qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo qui præest Patre consideretur.
12. Item ipse, qualiter officiis se fratres præveniant.
13. Alius Macarius dixit, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant.
14. Idemque, qualiter clerici hospites suscipiendi sunt in monasterio.
15. Qualiter culpæ singulorum emendentur.
16. Ut sine personarum acceptione æqualiter judicetur.

Explicunt Capitula.

INCIPIT REGULA SANCTORUM SERAPIONIS, MACARII, PAPHNUTII ET ALTERIUS MACARII

CAP. I. *Præfatio.*

Sedentibus nobis in unum consilio saluberrimo, cum prece Dominum nostrum rogavimus, ut nobis distribueret Spiritum sanctum, qui nos instrueret, qualiter fratrum conversationem, vel Regulam vitæ ordinare possimus.

CAP. II. *De prima conjunctione cœnobitarum. Serapion dixit.*

Quoniam *misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* XXXII), et multorum agmina ad vitæ fastigium tendunt, et quia eremi vastitas et diversorum monstrorum terror singillatim habitare fratres non permittit, optimum videtur Spiritus sancti præceptis obedire. Nec nostra propria verba possunt firma perseverare, nisi firmitas scripturarum, e centesimo tricesimo secundo psalmo, nostrum ordinem firmet, quo dicit : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Et iterum : *Qui habitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII); firmam jam nunc Regulam pietatis per Spiritus sancti ostensionem fratribus ordinare prosequamur.

CAP. III. *Idem ipse, de unanimitate et jucunditate fratrum.*

Volumus ergo fratres unanimes in domo cum jucunditate habitare, sed qualiter unanimitas ipsa vel jucunditas recto ordine teneatur, Deo adjuvante, mandamus.

CAP. IV. *Qui supra, de abbate, et quomodo ei obediant monachi.*

Volumus ergo unum præesse seniorem super omnes fratres, nec ab ejus consilio vel imperio quemquam sinistrum declinare, sed sicut imperio Domini cum omni lætitia obedire; dicente Apostolo ad Hebræos : *Obedite præpositis vestris, quia ipsi vigilant pro vobis* (*Hebr.* XIII). Et Dominus dixit : *Nolo sacrificium, sed obedientiam* (*Matth.* IX). Considerandum est quoque ab his qui se tali opere unanimes esse cupiunt, quia per obedientiam Abraham placuit Deo, *Et amicus Dei appellatus est* (*Jac.* II). Per obedientiam ipsi apostoli meruerunt testes Domino in tribus et populis esse. Ipse quoque Dominus noster de supernis ad inferiora descendens ait : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* (*Joann.*

vi). His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere magnoque studio teneatur.

Cap. V. *Macarius dixit, qualiter spirituale exercitium ab his qui præsunt Patribus teneatur.*

Quoniam fratrum insignia virtutum, habitationes quoque, vel obedientia superius conscripta sunt, nunc qualiter spirituale exercitium ab his qui præsunt Patribus teneatur Deo juvante ostendamus. Debetis, qui præestis Patres, tales vos exhibere, ut Apostolus ait : *Estote forma credentibus* (*I Thes.* i) : hoc est, ut per qualitatem mysticæ pietatis et severitatis fratrum animos ad cœlestia de terrenis erigatis, dicente Apostolo : *Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia et doctrina* (*II Tim.* iv). Et alio loco inquit : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis* (*I Cor.* iv)? Decernendum est ab illo, qui præest, qualiter circa singulos debeat pietatis affectum monstrare; et qualiter tenere debeat disciplinam, non immemor Domini dicentis : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* vii).

Cap. VI. *Idem ipse, ut in oratione astantibus nullus sine præcepto abbatis psalmum imponat.*

Astantibus ergo ad orationem nullus præsumat sine præcepto qui præest Patris psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus Priorem in monasterio ad standum vel psallendum ordine præsumat præcedere, dicente Salomone : *Fili, primatum concupiscere noli; neque accubueris prior in convivio, ne veniat melior te, et dicat tibi : Surge, et confusionem patiaris in die illa* (*Luc.* xiv). Et iterum dicitur : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* xi). Quod si tardat is qui præest, oportet primum in notitiam ejus differre, et secundum ejus imperium obedire convenit, fratres.

Cap. VII. *Idem ipse, quomodo examinentur qui ex sæculo convertuntur.*

Qualiter vero examinatio erga eos, qui de sæculo convertuntur teneri debeat, ostendamus vobis. Amputandæ sunt primo ab hujuscemodi divitiæ sæculi. Et si quis pauper converti videatur, habet et ipse divitias, quas amputare debeat, quas Spiritus sanctus ostendit per Salomonem dicens : *Odit anima mea pauperem superbum, et divitem mendacem* (*Eccl.* xxv). Et alio loco dicit : *Sicut vulneratum superbum* (*Psal.* lxxxviii). Debet ergo is qui præest Pater, magno studio hanc Regulam tenere : ut si pauper convertitur, primo exponat sarcinam superbiæ, et sic examinatus suscipiatur. Debet ante omnia humiliter imbui, ut quod magnum et Deo acceptum sacrificium est, suam voluntatem non faciat unusquisque vestrum, fratres; sed ad omne opus bonum parati estote. Quidquid acciderit, aut justum quid fuerit, memores esse debetis : *In tribulatione patientes* (*Rom.* xii); in operibus honesti. *Nolite vos invicem ad iracundiam provocare, sed semper bona sectamini* (*Eph.* vi). Ii qui tales sunt, cum de sæculi hujus illecebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada ante foribus jaceant : nulli cum eis de fratribus jungantur, et semper dura et laboriosa eis proponantur. Si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus; sed is qui præest Pater hujusmodi homines introire permittat, et qualiter vitam fratrum, vel Regulam tenere possint, ostendat. Quod si dives est, et habens multas divitias in sæculo, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi præceptum illud præcipuum, quod adolescenti diviti dicitur : *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et sequere me* (*Marc.* x). Deinde instruendus est ab eo qui præest Patre, ut nihil sibi relinquat, nisi crucem Christi, quam tenet, et sequatur Dominum. Crucis vero fastigia quæ tenenda sunt, primo omni obedientia non suam voluntatem facere, sed alterius. Quod si voluerit monasterio partem conferre, noverit quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur. Et si voluerit de servis suis secum in monasterio conducere, noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.

Cap. VIII. *Idemque, qualiter peregrini hospites suscipiantur.*

Venientibus eis nullus nisi unus, cui cura circa hospitale fuerit injuncta, occurrat, et responsum det venientibus. Orare, vel pacem offerre non liceat ulli, nisi primo videatur ab eo qui præest Patre; et oratione simul peracta, sequatur ordine suo pacis officium reddere. Nec licebit alicui fratri cum superveniente sermocinari; non sit ulli cura interrogandi unde venerit, ad quid venerit, vel quando ambulaturus sit, nisi soli qui præest Patri, aut quibus ipse jusserit. Venientibus vero fratribus ad horam refectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare, nisi cum eo qui præest Patre, ut possit ædificari. Nulli licebit cum eo loqui, nec alicujus audiatur sermo, nisi divinus, qui ex pagina proferatur, et ejus qui præest Patris, vel quibus ipse jusserit loqui, ut aliquid de Deo conveniat.

Cap. IX. *Qualiter jejuniorum ordo teneatur. Paphnutius dixit.*

Magna et utilia ad animæ salutem dicta sunt, fratres : nec hoc tacendum est, qualiter jejuniorum ordo tenendus sit. Nec aliud huic firmitati testimonium convenit, dulcissimi fratres, nisi illud, quod dicit : *Petrus autem et Joannes ascendebant in templum circa horam orationis nonam* (*Act.* iii). Debet ergo iste ordo teneri, fratres, ut nullo die, nisi hora nona, reficiantur fratres in monasterio, excepta Dominica die et quinquagesima Pentecostes. Die autem Dominica nihil aliud agant, nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione se velint, aut alios excusare. Tamen contestor, fratres, quod nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus dies illa transigatur.

Cap. X. *Idem ipse, qualiter fratres debent operari.*

Itemque præcipimus. Debent ergo fratres istum ordinem tenere. A prima hora usque ad horam tertiam Deo vacent fratres; a tertia vero usque ad nonam, quidquid injunctum fuerit a Patre, sine aliqua

murmuratione faciant; meminisse debent hi, quibus injungitur, dictum Apostoli : *Omnia quæ facitis, sine murmuratione facite* (*Phil.* II). Timere debent illud dictum terribile : *Nolite murmurare, sicut quidam eorum murmuraverunt, et ab exterminatore perierunt* (*I Cor.* X). Debet etiam, qui præest Pater, opus quod faciendum est uni injungere, ut cæteri ejus præcepto, cui injunctum fuerit, fratres obediant sine querela.

CAP. XI. *Qualiter infirmitas vel possibilitas corporum ab eo qui præest Patre cognoscenda sit.*

Si quis ex fratribus pro jejunio, vel operibus manuum suarum, quæ Apostolus præcepit : *Operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* (*I Cor.* IV); si is qui talis est, fuerit infirmitate obsessus, providendum est ab eo qui præest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari, considerando Apostolum, qualiter corpus suum servituti redigit (*I Cor.* IX). Hoc autem observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

CAP. XII. *Qualiter officiis mutuis se fratres præveniant.*

Si congregatio multa est, debet is qui præest Pater disponere hebdomadarios, et ordinem officii quo sibi invicem succedant ad ministrandum; et decernere debet ille, quomodo debeat esse, qui cellarium fratrum contineat. Debet talis tantummodo eligi, qui possit in omnibus gulæ suæ suggestionibus dominari, et evangelico ordine fratribus suis victum gubernare : qui timeat Judæ sententiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet qui huic officio deputatur, ut audiat : *Quia qui bene ministraverit, bonum gradum acquirit* (*Joan.* XII); et animæ suæ lucrum facit (*I Tim.* III). Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur, sive in vasis, sive in ferramentis, vel cætera omnia, esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis, cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam (*Dan.* V). Custodienda sunt ista præcepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt, ut non condemnentur in peccatis suis.

CAP. XIII. *Qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant, alius Macarius dixit.*

Quoniam veritas protestatur, quæ dicit : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII); firmanda ergo est Regula pietatis, nec tacendum est, qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant. Non licebit de alio monasterio, sine voluntate ejus qui præest Patris, fratres recipere; sed nec videre oportet, dicente Apostolo : *Quia qui primam fidem irritam fecit, est infideli deterior* (*I Tim.* V). Quod si precatus fuerit ab eo qui præest Patre, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui præest ubi esse desiderat, et sic suscipiatur. Nam sine voluntate qui præesse debet in monasterio Patris, nullatenus alibi recipiatur frater. Quod si præsumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire : et tunc recedet tanquam junior suus, donec ab eo cui injuriam fecit, veniam petat, ut non per ipsius vitium alii despiciantur Patres. Ille vero monachus quantos fratres in alio monasterio invenerit, tantos se noverit habere priores. Nec attendendum est, qui fuit antea; sed probandum est, qualis esse cœperit. Susceptus vero si habere videtur aliquid, sive in rebus, sive in codicibus, ultra ei possidere non licebit, ut possit esse perfectus, quod alibi non potuit. Residentibus vero fratribus, si fuerit aliqua de Scripturis collatio, et fuerit ex his talis scitus, non ei licebit aliquid dicere, nisi præceptum ei fuerit a Patre.

CAP. XIV. *Idemque, qualiter clerici hospites suscipiendi sint in monasterio.*

Cum omni reverentia ut ministri altaris, non licebit nisi ipsis orationem complere, sive ostiarius, sive minister est templi Dei. Quod si aliquo casu lapsus est, et in eo, quod dicitur, probatus crimine, non liceat ei ante eum qui præest Patrem, vel secundum complere. Nulli permittatur clerico in monasterio habitare, nisi ei tantummodo quem lapsus peccati ad humilitatem deduxit, et est vulneratus, ut in monasterio humilitatis medicina sanetur. Hæc vobis tenenda sufficiant, fratres, custodienda conveniant, et eritis irreprehensibiles in populo Dei.

CAP. XV. *Qualiter culpæ singulorum emendentur*

Nec hoc tacendum est, qualiter culpæ singulorum emendentur, pro qualitate culpæ erit excommunicatio. Ergo iste ordo teneatur. Si quis ex fratribus sermonem otiosum emiserit, ne reus sit concilii, præcipimus eum triduo a fratrum congregatione vel colloquio esse alienum, ut nullus cum eo jungatur. Si vero aliquis deprehensus fuerit in risu, vel in scurrilitate sermonis, sicut ait Apostolus, *quæ ad rem non pertinent* (*Ephes.* V), jubemus hujusmodi duarum hebdomadarum spatio in nomine Domini omni flagello humilitatis coerceri, dicente Apostolo : *Si quis frater nominatur iracundus aut superbus, aut maledictus, hunc notate* (*I Cor.* V), et non odite ut inimicum, sed corripite ut fratrem (*II Thes.* III). Et in alio loco : *Si quis frater fuerit præventus in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi* (*Gal.* VI), et corripite fratrem; ita ut per humilitatis frequentiam non reprobus, sed probatus in congregatione perseveret.

CAP. XVI. *Ut sine personarum acceptione æqualiter judicetur.*

Hoc ante omnia præcipimus vobis, qui huic officio præestis, ut personæ a vobis non accipiantur, sed æquali affectu omnes diligantur, et per correptionem omnes sanentur, quia æqualitas placet apud Deum, dicente Propheta : *Si vere utique justitiam loquimini, juste judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII). Nec latere vos volumus, quia qui non corripit errantem, noverit se pro eo rationem redditurum. Estote

fideles et boni doctores ad omnes; corripite inquietos; suscipite infirmos; patientes estote ad omnes; et quantos fueritis lucrati, pro tantis mercedem ac- A cipietis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Explicit Regula Patrum abbatum XXXVIII.

SEQUITUR ALIA PATRUM REGULA AD MONACHOS.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

An hæc secunda Patrum Regula compilata fuerit a suprarelatis abbatibus, merito dubitatur, cum nomen nullius auctoris præscribatur : quamvis præfatio fateatur plures sanctos Patres in unum convenisse, ad ordinandam Regulam profectui fratrum æque ac præpositorum adaptatam; quatenus in monasterii regimine tam superior quam inferior sine hæsitatione ad operandum procedere valeat. Adeoque apparet, quod sit supplementum alterius Regulæ a quatuor præfatis abbatibus præscriptæ; quia hæc præsens Regula pro cœnobitis composita est, ut pote præscribens tempora et modum recitandi Officii divini, laboris manuum. Deinde disserit de infantium submissione, de fraterna correctione, de vitando omni murmurandi genere, etc. Quæ omnia præcepta, septem numero et quidem sat compendiosa, monachis in commune viventibus omnino necessaria sunt.

INCIPIUNT CAPITULA REGULÆ A SANCTIS PATRIBUS PROLATÆ.

1. De unanimitate charitatis, et de diligendo ac obtemperando abbati.
2. Ut non se fabellis vanis destruant, et ut in conventu nisi interrogatus quis loquatur.
3. Ut advenienti peregrino nihil plus exhibeat quis, quam occursum humilem et pacem.
4. Ut præsente seniore psallendi loquendive non habeat B facultatem.
5. De cursu orationis, et horis operandi, ac de correctione delinquentium.
6. De his, qui ad opus Dei tarde occurrunt.
7. Ut frater qui pro qualibet culpa arguitur patientiam habeat, et ut ad mensam nemo loquatur.

Expliciunt Capitula.

INCIPIUNT PATRUM REGULÆ.

PRÆFATIO.

Cum resideremus in unum in nomine Domini nostri Jesu Christi, secundum traditionem Patrum sanctorum virorum, visum est nobis conscribere vel Regulam ordinare, quæ in monasterio teneatur ad profectum fratrum; ut neque nos laboremus; neque sanctus præpositus, qui constitutus est in loco, dubitationem aliquam pati possit : ut omnes unanimes, sicut scriptum est, et unum sentientes : invicem honorantes (*Phil.* II), ea quæ statuta sunt a Domino jugi observatione custodiant.

I. Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, vel cætera quæ docet sanctus Apostolus (*Col.* III); ita ut nemo quidquam suum vindicet, sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum, habeant omnia communia (*Act.* IV). Ille vero qui præpositus est, Dei judicium, et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire debet secundum veritatem : quia si quis illum putat se spernere, Deum spernit : sicut scriptum est : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit : Et qui me spernit, spernit eum qui me misit* (*Luc.* X). Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat sine verbo.

II. Observantes etiam hoc, ut non se invicem fabulis vanis destruant, sed unusquisque opus suum meditetur et custodiat, et cogitationes habeat apud C Deum. In conventu omnium nullus junior quidquam nisi interrogatus loquatur. Cæterum si quis vult consolationem accipere, vel verbum audire, secretum et opportunum tempus requirat

III. Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam pacem, reliquum non sit illi cura, unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo

IV. Illud quoque observandum est, ut præsente seniore quocunque, vel præcedente in ordine psallendi, sequens non habeat facultatem loquendi, vel aliquid præsumendi, nisi tantum is qui in ordine, ut dictum est, præcedere videtur. Hoc usque ad imum ante omnia in oratione, seu in opere, sive in D responso dando erit servandum. Si vero simplicior fuerit, vel impeditior sermone, et dederit locum, ita demum sequens loquatur. Omnia tamen in charitate fiant, non per contentionem, vel aliquam præsumptionem.

V. Cursus vero orationum vel psalmorum, sicut dudum statutum est, ultra tempus istud meditandi operandique servabitur. Ita meditationem habeant fratres, ut usque ad horam secundam legant; si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit : et usque ad horam nonam quid quid injunctum fuerit, *sine murmuratione vel hæsitatione* (*Phil.* II) perficiat, sicut docet sanctus Aposto-

lus. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut opponens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correctus tam diu abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit atque emendaverit. Correctus autem non audeat usquam recedere. Si quis vero de fratribus, vel qui in cellis consistunt, ejus errori consenserit, culpabilis erit atque excommunicatione dignissimus.

VI. Ad horam vero orationis dato signo, si quis non statim prætermisso omni opere quod agit (quia nihil orationi præponendum est) paratus fuerit, foras excludatur confundendus. Operam vero dabunt singuli fratres, ut tempore quo missæ fiunt, sive die sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant; quia scriptum est in Evangelio : *Oportet autem semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII). Et alio loco : *Non impediaris orare semper.* Si quis autem non necessitate, sed magis vitio procedendum putaverit, cisat se, cum deprehensus fuerit, culpabilem judicandum; quia per suam negligentiam et alios in vitium mittit. In vigiliis observandum est, quando omnes conveniunt, quicunque gravatur somno, et exit foras, non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus, ad quod convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, et silentium observent omnes.

VII. Hoc etiam addendum fuit, ut frater, qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti; sed humiliet se in omnibus, secundum præceptum Domini dicentis : *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* (*I Petr.* v). Et, *qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Qui vero sæpius correptus non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur; sicut Dominus dixit : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.

Explicit Regula.

SEQUITUR TERTIA PATRUM REGULA AD MONACHOS.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hæc est tertia Patrum in unum convenientium Regula, et quidem maxime cœnobitis præscripta : constat XIV præceptis tam ad monachos quam abbates et præpositos directis, quorum nonnulla sapiunt recentiorem disciplinam monasticam. Nam in primæva vitæ monasticæ institutione monachi ad clericatum communiter non evehebantur; prout hic supponitur : neque primis illis sæculis, præsertim tempore sancti Antonii, Serapionis, Pachomii, Paphnutii, etc., reperitur Regula monastica Latine scripta; quemadmodum et hæc conscripta fuisse videtur ob varios terminos ab Occidentalibus sive Latinis monachis communiter usitatos, qui raro inveniuntur in Regulis ex lingua Ægyptiaca vel Græca translatis. Denique novitatem sapit præscriptus niger cuculli color, cum ante sæculum septimum, imo tardius, vix reperiri possit aliquis determinatus color monachis designatus fuisse; recens enim est distinctio exorta inter monachos nigros et albos.

INCIPIUNT CAPITULA REGULÆ A SANCTIS PATRIBUS PROLATÆ.

1. De conversis.
2. Ut abbas nihil sibi proprium vindicet.
3. De vestimentis monachorum.
4. Ut nulla mulier ad monasterium vel agrum monachorum accedat.
5. De lectione et operatione monachorum.
6. De his, qui ad opus Dei tarde occurrunt.
7. De silentio ad mensam.
8. Ut ad necessaria quærenda bini vel terni mittantur.
9. Ut nusquam sine præcepto senioris egrediantur.
10. De his, qui de monasterio exire voluerint.
11. Ut abbas cum fratribus reficiat omni tempore.
12. Ut nullus monachus in infirmitate positus parentum studio commendetur.
13. De his qui furtum faciunt.
14. Ut nullus alterius monachum sine permissu abbatis suscipiat.

Explicunt Capitula.

INCIPIT REGULA.

I. Cum in nomine Domini, una cum fratribus nostris convenissemus, inprimis placuit ut Regula et instituta Patrum per ordinem legerentur : quibus lectis placuit, si de sæculo quis in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Quod si omnia apte susceperit, sic digne a fratribus in cellula suscipiatur, tum si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit hora.

II. Abbati vero nulli liceat sibi quidquam proprie vindicare, cum omnia Deo propitio in illius maneant potestate. Si quis vero, quod in Regula junioribus prohibetur, sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere præsumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur.

Si in vitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur; qui si ab episcopo correptus nec sic emendaverit, deponatur.

III. Vestimenta vero fratribus necessaria ita abbas omnibus ordinare debet, quæ monachis deceant; non diversis coloribus tincta, exceptis cucullis quæ comparantur, si fuerint nigræ, uti eas debere censemus.

IV. Familiaritatem omnium mulierum, tam parentum quam extranearum, pro custodienda vita vel cavendis laqueis diaboli, ab omnibus monasteriis vel cultoris monachorum; seu frequentationem monachorum a monasteriis puellarum, sicut Regula docet, prohibere censemus. Neque ulla mulier in interius atrium monasterii ingredi audeat. Quod si cum consilio vel voluntate abbatis monasterium vel cellulas monachorum quædam fuerit ingressa, merito ipse abbas et nomen abbatis deponat, et inferiorem se omnibus presbyteris recognoscat, quia talis sancto gregi præponi debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret; non per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet.

V. Matutino dicto fratres lectioni vacent usque ad horam secundam : si tamen nulla causa exstiterit qua necesse sit etiam prætermissa lectione aliquid fieri in commune. Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam : quod injunctum fuerit, sine murmuratione perficiat.

VI. Ad horam vero orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit (quia nihil orationi præponendum est) paratus fuerit, ab abbate vel præposito corripiatur : et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur.

VII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.

VIII. Ad necessaria quærenda in cellula, bini egrediantur vel terni fratres : et ita illi, quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.

IX. Si quis vero extra conscientiam abbatis vel præpositi, qualemcunque locum egressus, gulæ vel ebrietati se sociaverit; aut si in proximo transmissus, pro sua levitate vel gula, non statim expedita necessitate ad cellam redierit, cum in id facinus fuerit detectus, ut canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis cæsus emendetur.

X. Quod si casu quis frater de cellula ex qualibet scandali causa exire voluerit, nihil penitus nisi nugalissimo induatur vestimento, et extra communionem infidelis discedat.

XI. Illud quoque statuimus ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant : quia eo tempore quo fratres aut pro negligentia arguere, aut spiritali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent.

XII. Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, ut nullus monachus in infirmitate positus relicto monasterio parentum suorum studio commendetur : quia magis eum sæcularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari.

XIII. Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, ut junior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat; si vero jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur : cui sufficere potest pro actus sui levitate, impleta pœnitentiæ satisfactione communio.

XIV. Monachum nisi abbatis sui aut permissu aut voluntate ad aliud monasterium commigrantem, nullus abbas aut suscipere, aut retinere præsumat. Quod si ad districtiorem Regulam non pro actus sui levitate tendentem abbas suus ipsum ad alterum monasterium transire permiserit, ut inde postea sub aliqua occasione egredi præsumat, nulla ratione permittimus. Sane si quis post hanc diligentissimam sanctionem, non observare quæ sunt superius comprehensa, præsumpserit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

Explicit Regula a SS. Patribus prolata.

S. MACARII ALEXANDRINI

ABBATIS NITRIENSIS.

REGULA AD MONACHOS.

DE S. MACARIO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Martyrologium Rom. postridie Kal. Jan.

In Thebaïde commemoratio S. Macarii Alexandrini abbatis.

S. Hieronymus, epistola 23.

Quid ante non plures annos Nitriæ gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus, parcior magis quam avarior, centum solidos, quos lina texendo acquisiverat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos concilium (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant) quid facto opus esset : alii pauperibus distribuendos; Macarius vero, et Pambo, et Isidorus, et cæteri, quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem, dicentes : *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Socrates, Hist. eccl. lib. IV, *cap.* 18.

Macarius Alexandrinus cum cætera quidem omnia Ægyptio Macario esset similis, in hoc tamen dispar

fuit quod iis qui eum conveniebant hilarem et jucundum se præbuit, et urbanitate quadam faceta adolescentulos ad monasticam vivendi disciplinam allexit.

Sozomenus, Hist. eccl., lib. III, *cap.* 13.

Altero vero Macarius diu post presbyter factus, omnia fere vitæ ac disciplinæ severioris exercitia expertus est, quorum nonnulla ipse excogitavit, quædam ab aliis accepta omni perfectiori modo excoluit.

Vita S. Posthumii, cap. 7, *lib.* I *de Vitis Patrum.*

Nota facta est sancto Macario, scilicet beati Antonii discipulo, conversatio Posthumii. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum fere quinque millia susceperat gubernanda.

Jonas abbas in Vita S. Joannis Reomaensis, lib. I, *cap.* 7.

Regressus ergo ad præfatum locum studuit denuo salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis ministrare.

Vita S. Philiberti abbatis, apud Surium.

Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Sanctus Benedictus Anianensis, et Smaragdus abbas sæpius hanc Macarii Regulam citant, et multa inde capita ille in Concordiam regularum, hic in Expositionem regulæ sancti Benedicti transcribunt.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Plures olim exstiterunt abbates Macarii, atque jam supra in Regula Serapionis duo specialiter nominantur, ad quorum distinctionem hujus Regulæ auctor dicitur Macarius Alexandrinus, quia forsan in illa civitate natus vel educatus erat, priusquam in solitudinem secesserat. Hic est ergo Macarius ille sancti Antonii discipulus, cui moriens hic sanctissimus abbas fere quinque millium monachorum regimen in Nitriæ monasterio reliquit, si fides auctori Vitæ sancti Posthumii adhibenda sit. Hoc unum certum est ex Historia Lausiaca, quod sanctus Macarius Alexandrinus aliquando visitans, sanctum Antonium invisens, ab illo hæc verba audierit : « Video quod sanctus Spiritus in te resideat, teque deinceps ut omnium gratiarum a Deo mihi concessarum hæredem aspiciam. » In eadem quoque Historia Lausiaca narratur quod mortuo sancto Antonio hic noster sanctus Macarius, consulturus sanctum Pachomium, incognitus accesserit Tabennas in Thebaide, ubi aliquo tempore moratus tanta virtutum specimina edidit, ut Tabennarum abbas divinitus ipsum agnoscens, ei gratias egerit pro exhibitis monachis suis tam singularibus abstinentiæ omnisque perfectionis exemplis. Hinc mirum non est quod antiqui præsentem sancti Macarii Regulam in tanto pretio habuerint, eamque Occidentales monachi in celebrioribus suis monasteriis excoluerint. Sic sanctus Joannes, monasterii Reomensis primus abbas et fundator, sub sexti sæculi exordio, ex celeberrimo cœnobio Lirinensi in suam novam abbatiam introduxit hanc sancti Macarii Alexandrini Regulam, prout in ejus Vita apud Mabillonium, tom. I, pag. 635, de sanctis Benedictinis, de hoc sancto Joanne legimus : « Studuit denuo ipse salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis, ministrare. » Nec sane desunt magni nominis auctores apud sæpe laudatum Calmetum in suis Observationibus criticis, qui existimant Lirinenses monachos hanc Regulam cum aliis sanctorum Patrum institutis ab exordio cœnobii observasse, nam nulla alia specialis Regula ibidem observata reperitur; donec sanctus Aigulphus Lirini abbas Regulam sancti Benedicti introduxit circa annum 661. Ut ut hæc sint, hoc unum certum est quod sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ex hac sancti Macarii Regula in suam plurima inseruerit, prout cuilibet utramque Regulam attentius legenti apparebit. Interea præter hanc suam Regulam triginta sat brevibus, sed nervosis capitibus constantem scripsit etiam ad monachos instruendos epistolam hic insertam, in qua, stylo figurato et ad Proverbia Salomonis accedente, reperiuntur pauca, sed egregia præcepta contra gulam, impuritatem, avaritiam et vanitatem. Existimant nonnulli quædam tam in Regula quam in epistola ex sancto Hieronymo mutuata esse.

INCIPIT REGULA S. MACARII,

Qui habuit sub ordinatione sua quinque millia monachorum.

I. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes, *Deum ex tota anima diligere, et ex toto corde, et ex tota virtute sua* (*Marc.* XII).

II. Invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed Deo cui militant Christo : non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum est : ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia præcincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares.

III. Nullus se alio justiorem arbitretur; sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat : *Quia qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV).

IV. Præceptum senioris ut salutem suscipias; non murmurando ullam operam facias : non responsionem contra præceptum usurpes.

V. Non te extollas, aut magnifices aliquam utilem operam fecisse : non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.

VI. Non te familiaritas ulla sæcularis trahat, sed tota delectatio tua in cellula demoretur. Cellam ut paradisum habeas; fratres tuos spirituales ut æternos confidas habere parentes.

VII. Præpositum monasterii timeas ut dominum,

diligas ut parentem. Similiter quoque omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi.

VIII. *Non oderis laboriosam operam* (*Eccl.* VII); otium quoque ne sectatus fueris. In vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias, et cum Christo requiescere te credas.

IX. Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero sæpius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

X. Matutinoque dicto ita meditationem habeant fratres usque ad horam secundam : si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune.

XI. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quidquid injunctum fuerit, *sine murmuratione perficiat*, sicut dicit sanctus apostolus (*Phil.* II).

XII. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut referens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correptus secundum arbitrium senioris vel modum culpæ, tandiu abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit; ita ut correptus non audeat usquam recidere.

XIII. Si quis frater, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, quicunque ejus errori consenserit, culpabilis erit.

XIV. Ad horam vero orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit paratus fuerit, foras excludatur, ut erubescat; quia nihil orationi præponendum est.

XV. Operam Deo dabunt singuli fratres tempore quo missæ in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. Quicunque gravatur somno, exeat foras, non se fabulis occupet : sed statim redeat ad opus, quo convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aures semper ad scripturas habeant, et silentium observent.

XVI. Hoc etiam attendendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat et non respondeat arguenti se; sed humiliet se in omnibus, secundum præceptum Domini dicentis : *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* IV). Et, *qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII).

XVII. Qui vero sæpius corripitur et non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur. Qui, si nec sic quidem se emendaverit, extraneus habeatur, sicut Dominus dixit : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII).

XVIII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest vel qui interrogatus fuerit.

XIX. Nullus se in sua peritia neque in voce exaltet, sed per humilitatem et obedientiam lætetur in Domino.

XX. *Hospitalitatem sectantes* per omnia (*Rom.* XII), et ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem : ne forte Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, et videat te hæsitantem, et contemnaris; sed omnibus hilarem te ostende, et fideliter age.

XXI. Passus injuriam taceas. Injuriam facere, non nosse, factam posse tolerare. Non te inania seducant consilia, sed magis te specialiter in Christo confirma. Non tibi æstimes ullos proximiores parentes quam qui tecum sunt in cellula fratres.

XXII. Si ad necessaria requirenda e monasterio bini egrediantur vel terni fratres, tales fiant, quibus creditur, qui timorem Dei in se habere videntur, non qui verbositatem aut gulam spectantur.

XXIII. Ergo si quis de sæculo ad monasterium converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Qui si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio.

XXIV. Nam si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate.

XXV. Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem inde exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit. Quod si casu transierit, nullus hæredium ejus adire debeat. Quod si impulsare voluerit, Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi a quo repetit fuerat recitata.

XXVI. Ergo ex qualibet causa quis peccaverit frater, ab oratione suspendatur et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus fratribus prostratus veniam postulaverit, dimittatur illi.

XXVII. Nam si in sua voluerit perseverare nequitia et superbia, et dicat : Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et eam, ubi voluerit Dominus, quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, referat præposito, et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et eum exhiberi jubeat, et virgis purgetur : et oratio fiat, et sic ad communionem recipiatur. Ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII. Quod si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi (*Matth.* V), et pretiosas splendidasque accipient coronas : filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. *Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI)?

XXIX. Quarta et sexta feria qui infringunt jeju-

fuit quod iis qui eum conveniebant hilarem et jucundum se præbuit, et urbanitate quadam faceta adolescentulos ad monasticam vivendi disciplinam allexit.

Sozomenus, Hist. eccl., lib. III, *cap.* 13.

Altero vero Macarius diu post presbyter factus, omnia fere vitæ ac disciplinæ severioris exercitia expertus est, quorum nonnulla ipse excogitavit, quædam ab aliis accepta omni perfectiori modo excoluit.

Vita S. Posthumii, cap. 7, *lib.* I *de Vitis Patrum.*

Nota facta est sancto Macario, scilicet beati Antonii discipulo, conversatio Posthumii. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum fere quinque millia susceperat gubernanda.

Jonas abbas in Vita S. Joannis Reomaensis, lib. I, *cap.* 7.

Regressus ergo ad præfatum locum studuit denuo salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis ministrare.

Vita S. Philiberti abbatis, apud Surium.

Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Sanctus Benedictus Anianensis, et Smaragdus abbas sæpius hanc Macarii Regulam citant, et multa inde capita ille in Concordiam regularum, hic in Expositionem regulæ sancti Benedicti transcribunt.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Plures olim exstiterunt abbates Macarii, atque jam supra in Regula Serapionis duo specialiter nominantur, ad quorum distinctionem hujus Regulæ auctor dicitur Macarius Alexandrinus, quia forsan in illa civitate natus vel educatus erat, priusquam in solitudinem secesserat. Hic est ergo Macarius ille sancti Antonii discipulus, cui moriens hic sanctissimus abbas fere quinque millium monachorum regimen in Nitriæ monasterio reliquit, si fides auctori Vitæ sancti Posthumii adhibenda sit. Hoc unum certum est ex Historia Lausiaca, quod sanctus Macarius Alexandrinus aliquando visitans, sanctum Antonium invisens, ab illo hæc verba audierit : « Video quod sanctus Spiritus in te resideat, teque deinceps ut omnium gratiarum a Deo mihi concessarum hæredem aspiciam. » In eadem quoque Historia Lausiaca narratur quod mortuo sancto Antonio hic noster sanctus Macarius, consulturus sanctum Pachomium, incognitus accesserit Tabennas in Thebaïde, ubi aliquo tempore moratus tanta virtutum specimina edidit, ut Tabennarum abbas divinitus ipsum agnoscens, ei gratias egerit pro exhibitis monachis suis tam singularibus abstinentiæ omnisque perfectionis exemplis. Hinc mirum non est quod antiqui præsentem sancti Macarii Regulam in tanto pretio habuerint, eamque Occidentales monachi in celebrioribus suis monasteriis excoluerint. Sic sanctus Joannes, monasterii Reomensis primus abbas et fundator, sub sexti sæculi exordio, ex celeberrimo cœnobio Lirinensi in suam novam abbatiam introduxit hanc sancti Macarii Alexandrini Regulam, prout in ejus Vita apud Mabillonium, tom. I, pag. 635, de sanctis Benedictinis, de hoc sancto Joanne legimus : « Studuit denuo ipse salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis, ministrare. » Nec sane desunt magni nominis auctores apud sæpe laudatum Calmetum in suis Observationibus criticis, qui existimant Lirinenses monachos hanc Regulam cum aliis sanctorum Patrum institutis ab exordio cœnobii observasse, nam nulla alia specialis Regula ibidem observata reperitur; donec sanctus Aigulphus Lirini abbas Regulam sancti Benedicti introduxit circa annum 661. Ut ut hæc sint, hoc unum certum est quod sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ex hac sancti Macarii Regula in suam plurima inseruerit, prout cuilibet utramque Regulam attentius legenti apparebit. Interea præter hanc suam Regulam triginta sat brevibus, sed nervosis capitibus constantem scripsit etiam ad monachos instruendos epistolam hic insertam, in qua, stylo figurato et ad Proverbia Salomonis accedente, reperiuntur pauca, sed egregia præcepta contra gulam, impuritatem, avaritiam et vanitatem. Existimant nonnulli quædam tam in Regula quam in epistola ex sancto Hieronymo mutuata esse.

INCIPIT REGULA S. MACARII,

Qui habuit sub ordinatione sua quinque millia monachorum.

I. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes, *Deum ex tota anima diligere, et ex toto corde, et ex tota virtute sua* (*Marc.* XII).

II. Invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed Deo cui militant Christo : non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum est : ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia præcincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares.

III. Nullus se alio justiorem arbitretur; sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat : *Quia qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV).

IV. Præceptum senioris ut salutem suscipias; non murmurando ullam operam facias : non responsionem contra præceptum usurpes.

V. Non te extollas, aut magnifices aliquam utilem operam fecisse : non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.

VI. Non te familiaritas ulla sæcularis trahat, sed tota delectatio tua in cellula demoretur. Cellam ut paradisum habeas; fratres tuos spirituales ut æternos confidas habere parentes.

VII. Præpositum monasterii timeas ut dominum,

diligas ut parentem. Similiter quoque omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi.

VIII. *Non oderis laboriosam operam* (*Eccl.* VII); otium quoque ne sectatus fueris. In vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias, et cum Christo requiescere te credas.

IX. Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero sæpius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

X. Matutinoque dicto ita meditationem habeant fratres usque ad horam secundam : si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune.

XI. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quidquid injunctum fuerit, *sine murmuratione perficiat*, sicut dicit sanctus apostolus (*Phil.* II).

XII. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut referens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correptus secundum arbitrium senioris vel modum culpæ, tandiu abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit; ita ut correptus non audeat usquam recidere.

XIII. Si quis frater, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, quicunque ejus errori consenserit, culpabilis erit.

XIV. Ad horam vero orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit paratus fuerit, foras excludatur, ut erubescat; quia nihil orationi præponendum est.

XV. Operam Deo dabunt singuli fratres tempore quo missæ in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. Quicunque gravatur somno, exeat foras, non se fabulis occupet : sed statim redeat ad opus, quo convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aures semper ad scripturas habeant, et silentium observent.

XVI. Hoc etiam attendendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat et non respondeat arguenti se; sed humiliet se in omnibus, secundum præceptum Domini dicentis : *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* IV). Et, *qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII).

XVII. Qui vero sæpius corripitur et non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur. Qui, si nec sic quidem se emendaverit, extraneus habeatur, sicut Dominus dixit : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII).

XVIII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest vel qui interrogatus fuerit.

XIX. Nullus se in sua peritia neque in voce exaltet, sed per humilitatem et obedientiam lætetur in Domino.

XX. *Hospitalitatem sectantes* per omnia (*Rom.* XII), et ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem : ne forte Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, et videat te hæsitantem, et contemnaris; sed omnibus hilarem te ostende, et fideliter age.

XXI. Passus injuriam taceas. Injuriam facere, non nosse, factam posse tolerare. Non te inania seducant consilia, sed magis te specialiter in Christo confirma. Non tibi æstimes ullos proximiores parentes quam qui tecum sunt in cellula fratres.

XXII. Si ad necessaria requirenda e monasterio bini egrediantur vel terni fratres, tales fiant, quibus creditur, qui timorem Dei in se habere videntur, non qui verbositatem aut gulam spectantur.

XXIII. Ergo si quis de sæculo ad monasterium converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Qui si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio.

XXIV. Nam si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate.

XXV. Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem inde exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit. Quod si casu transierit, nullus hæredium ejus adire debeat. Quod si impulsare voluerit, Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi a quo repetit fuerat recitata.

XXVI. Ergo ex qualibet causa quis peccaverit frater, ab oratione suspendatur et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus fratribus prostratus veniam postulaverit, dimittatur illi.

XXVII. Nam si in sua voluerit perseverare nequitia et superbia, et dicat : Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et eam, ubi voluerit Dominus, quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, referat præposito, et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et eum exhiberi jubeat, et virgis purgetur : et oratio fiat, et sic ad communionem recipiatur. Ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII. Quod si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi (*Matth.* V), et pretiosas splendidasque accipient coronas : filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. *Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI)?

XXIX. Quarta et sexta feria qui infringunt jeju-

fuit quod iis qui eum conveniebant hilarem et jucundum se præbuit, et urbanitate quadam faceta adolescentulos ad monasticam vivendi disciplinam allexit.

Sozomenus, Hist. eccl., lib. III, *cap.* 13.

Alterò vero Macarius diu post presbyter factus, omnia fere vitæ ac disciplinæ severioris exercitia expertus est, quorum nonnulla ipse excogitavit, quædam ab aliis accepta omni perfectiori modo excoluit.

Vita S. Posthumii, cap. 7, *lib.* I *de Vitis Patrum.*

Nota facta est sancto Macario, scilicet beati Antonii discipulo, conversatio Posthumii. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum fere quinque millia susceperat gubernanda.

Jonas abbas in Vita S. Joannis Reomaensis, lib. I, *cap.* 7.

Regressus ergo ad præfatum locum studuit denuo salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis ministrare.

Vita S. Philiberti abbatis, apud Surium.

Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Sanctus Benedictus Anianensis, et Smaragdus abbas sæpius hanc Macarii Regulam citant, et multa inde capita ille in Concordiam regularum, hic in Expositionem regulæ sancti Benedicti transcribunt.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Plures olim exstiterunt abbates Macarii, atque jam supra in Regula Serapionis duo specialiter nominantur, ad quorum distinctionem hujus Regulæ auctor dicitur Macarius Alexandrinus, quia forsan in illa civitate natus vel educatus erat, priusquam in solitudinem secesserat. Hic est ergo Macarius ille sancti Antonii discipulus, cui moriens hic sanctissimus abbas fere quinque millium monachorum regimen in Nitriæ monasterio reliquit, si fides auctori Vitæ sancti Posthumii adhibenda sit. Hoc unum certum est ex Historia Lausiaca, quod sanctus Macarius Alexandrinus aliquando visitans, sanctum Antonium invisens, ab illo hæc verba audierit : « Video quod sanctus Spiritus in te resideat, teque deinceps ut omnium gratiarum a Deo mihi concessarum hæredem aspiciam. » In eadem quoque Historia Lausiaca narratur quod mortuo sancto Antonio hic noster sanctus Macarius, consulturus sanctum Pachomium, incognitus accesserit Tabennas in Thebaide, ubi aliquo tempore moratus tanta virtutum specimina edidit, ut Tabennarum abbas divinitus ipsum agnoscens, ei gratias egerit pro exhibitis monachis suis tam singularibus abstinentiæ omnisque perfectionis exemplis. Hinc mirum non est quod antiqui præsentem sancti Macarii Regulam in tanto pretio habuerint, eamque Occidentales monachi in celebrioribus suis monasteriis excoluerint. Sic sanctus Joannes, monasterii Reomensis primus abbas et fundator, sub sexti sæculi exordio, ex celeberrimo cœnobio Lirinensi in suam novam abbatiam introduxit hanc sancti Macarii Alexandrini Regulam, prout in ejus Vita apud Mabillonium, tom. I, pag. 635, de sanctis Benedictinis, de hoc sancto Joanne legimus : « Studuit denuo ipse salubria dogmata sub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit monachis, ministrare. » Nec sane desunt magni nominis auctores apud sæpe laudatum Calmetum in suis Observationibus criticis, qui existimant Lirinenses monachos hanc Regulam cum aliis sanctorum Patrum institutis ab exordio cœnobii observasse, nam nulla alia specialis Regula ibidem observata reperitur; donec sanctus Aigulphus Lirini abbas Regulam sancti Benedicti introduxit circa annum 661. Ut ut hæc sint, hoc unum certum est quod sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ex hac sancti Macarii Regula in suam plurima inseruerit, prout cuilibet utramque Regulam attentius legenti apparebit. Interea præter hanc suam Regulam triginta sat brevibus, sed nervosis capitibus constantem scripsit etiam ad monachos instruendos epistolam hic insertam, in qua, stylo figurato et ad Proverbia Salomonis accedente, reperiuntur pauca, sed egregia præcepta contra gulam, impuritatem, avaritiam et vanitatem. Existimant nonnulli quædam tam in Regula quam in epistola ex sancto Hieronymo mutuata esse.

INCIPIT REGULA S. MACARII,

Qui habuit sub ordinatione sua quinque millia monachorum.

I. Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes, *Deum ex tota anima diligere, et ex toto corde, et ex tota virtute sua* (*Marc.* XII).

II. Invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed Deo cui militant Christo : non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum est : ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia præcincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares.

III. Nullus se alio justiorem arbitretur ; sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat : *Quia qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV).

IV. Præceptum senioris ut salutem suscipias ; non murmurando ullam operam facias : non responsionem contra præceptum usurpes.

V. Non te extollas, aut magnifices aliquam utilem operam fecisse : non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.

VI. Non te familiaritas ulla sæcularis trahat, sed tota delectatio tua in cellula demoretur. Cellam ut paradisum habeas ; fratres tuos spirituales ut æternos confidas habere parentes.

VII. Præpositum monasterii timeas ut dominum,

diligas ut parentem. Similiter quoque omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidis videre gloriam Christi.

VIII. *Non oderis laboriosam operam* (*Eccl.* VII); otium quoque ne sectatus fueris. In vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias, et cum Christo requiescere te credas.

IX. Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero sæpius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

X. Matutinoque dicto ita meditationem habeant fratres usque ad horam secundam : si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam prætermissa meditatione aliquid fieri in commune.

XI. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit usque ad horam nonam, ut quidquid injunctum fuerit, *sine murmuratione perficiat*, sicut dicit sanctus apostolus (*Phil.* II).

XII. Si quis autem murmuraverit, vel contentiosus exstiterit, aut referens in aliquo contrariam voluntatem præceptis, digne correptus secundum arbitrium senioris vel modum culpæ, tandiu abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit; ita ut correptus non audeat usquam recidere.

XIII. Si quis frater, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, quicunque ejus errori consenserit, culpabilis erit.

XIV. Ad horam vero orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit paratus fuerit, foras excludatur, ut erubescat; quia nihil orationi præponendum est.

XV. Operam Deo dabunt singuli fratres tempore quo missæ in vigiliis observandis fiunt, quando omnes conveniunt, ne deficiant. Quicunque gravatur somno, exeat foras, non se fabulis occupet : sed statim redeat ad opus, quo convenitur. In congregatione autem ipsa ubi legitur, aures semper ad scripturas habeant, et silentium observent.

XVI. Hoc etiam attendendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat et non respondeat arguenti se; sed humiliet se in omnibus, secundum præceptum Domini dicentis : *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* (*Jac.* IV). Et, *qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII).

XVII. Qui vero sæpius corripitur et non se emendaverit, novissimus in ordine stare jubeatur. Qui, si nec sic quidem se emendaverit, extraneus habeatur, sicut Dominus dixit : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII).

XVIII. Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest vel qui interrogatus fuerit.

XIX. Nullus se in sua peritia neque in voce exaltet, sed per humilitatem et obedientiam lætetur in Domino.

XX. *Hospitalitatem sectantes* per omnia (*Rom.* XII), et ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem : ne forte Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, et videat te hæsitantem, et contemnaris; sed omnibus hilarem te ostende, et fideliter age.

XXI. Passus injuriam taceas. Injuriam facere, non nosse, factam posse tolerare. Non te inania seducant consilia, sed magis te specialiter in Christo confirma. Non tibi æstimes ullos proximiores parentes quam qui tecum sunt in cellula fratres.

XXII. Si ad necessaria requirenda e monasterio bini egrediantur vel terni fratres, tales fiant, quibus creditur, qui timorem Dei in se habere videntur, non qui verbositatem aut gulam spectantur.

XXIII. Ergo si quis de sæculo ad monasterium converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Qui si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio.

XXIV. Nam si aliquam in cellula voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Qui si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de se ipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius erogavit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum ut aliquid habeat in sua potestate.

XXV. Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem inde exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit. Quod si casu transierit, nullus hæredium ejus adire debeat. Quod si impulsare voluerit, Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi a quo repetit fuerat recitata.

XXVI. Ergo ex qualibet causa quis peccaverit frater, ab oratione suspendatur et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus fratribus prostratus veniam postulaverit, dimittatur illi.

XXVII. Nam si in sua voluerit perseverare nequitia et superbia, et dicat : Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et eam, ubi voluerit Dominus, quisquis de fratribus eum hoc dixisse prius audierit, referat præposito, et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et eum exhiberi jubeat, et virgis purgetur : et oratio fiat, et sic ad communionem recipiatur. Ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur.

XXVIII. Quod si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi (*Matth.* V), et pretiosas splendidasque accipient coronas : filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta. *Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI)?

XXIX. Quarta et sexta feria qui infringunt jeju-

nium, Judæ æstimantur participes, qui Christum tradidit.

XXX. Illud etiam attendendum fuit, ut intra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii faciat quod poterit facere.

Explicit Regula sancti Macarii.

EPISTOLA BEATI MACARII

Data ad monachos.

Lignorum copia ingentem excitat flammam : multitudo autem escarum emittit concupiscentiam. Pessima concupiscentia escarum et inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigilantiam præstat, et coronam animæ acquirit ; repletus autem, somnum inducit gravissimum. Oculus gulosi convivia scrutatur, oculus autem sapientum meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam, quæ bellum significat, et gulosus si abstinentiam prædicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cum marcescit, elucescit iterum si acceperit lignum ; et libido sopita rursum crescit in saturitate. Non miserearis corpori, si lassitudine defecerit : equus consentiens indigens corpus nec ascensorem dejicit unquam. Concupiscentia gulæ mater est libidinis. Oleum nutrit lampada lucernæ, et ignem reaccendit confabulatio mulieris. Facies mulieris sagitta est truculenta ; infigit vulnus in animam. Ut venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris : absconsum namque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis appropinqua igni ardenti quam mulieri novellæ. Cum sis juvenis, fuge impetum libidinis et confabulationem mulieris. Qui repleverunt ventrem, et promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriverit, etiam ipsam mentem contemnere persuadet. Ut enim si paleis removeatur ignis, exeitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus non salvabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis : nihil possidens monachus cursor levis, velociter ad bravium vocationis pervenit. Avarus monachus operari negligit : nihil possidens monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Avarus monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis : nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo, et dabit laudem cum angelis Deo. Gloriatio monachi, patientia in tribulationibus ejus. Gloriatio monachi, longanimitas cum charitate. Gloriatio monachi nullas, res præsentis vitæ possidere. Gloriatio monachi, vigiliæ et fletus in orationibus. Gloriatio monachi, mansuetudo et cordis silentium. Gloriatio monachi, quando Dominum ex toto corde dilexerit, et proximum suum tanquam seipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum et a multiloquio linguæ. Gloriatio monachi, quando proximum suum sicut seipsum patitur. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi, longanimitas. Sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians, sic monachus mente sobria et corde pervigili in tempore salutis suæ. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinæ et tribuli agro opimo, sic et cogitationes turpes pessimæ in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic distractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne fias separatus a regno Dei, et ne velis dicere : Loquar cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens suis manibus operatur, et victum sibi quotidianum acquirit, et lucratus est orationes et jejunia sua ; si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat? Sicut mercenarius malus, nudus evadit ; quia scriptum est : *melius est dare quam accipere* (*Act.* xx). Qui legis, intellige in Domino semper.

Explicit epistola beati Macarii.

SANCTI PACHOMII

ABBATIS TABENNENSIS

REGULA AD MONACHOS, PRÆCEPTA, EPISTOLÆ.

(*Vide hujusce Patrologiæ tomum XXIII, col.* 65.)

SANCTI ORSIESII

ABBATIS TABENNENSIS

DOCTRINA DE INSTITUTIONE MONACHORUM.

DE S. ORSIESIO EJUSQUE REGULA SIVE DOCTRINA MONASTICA VETERUM TESTIMONIA.

Auctor Vitæ S. Pachomii, cap. 55.

Petronius paucis diebus totam fraternitatem gubernans et hic in pace defunctus est, relinquens post se virum justum et acceptum Deo Orsiesium nomine.

Gennadius Massil., Illust. Script. cap. 9.

Orsiesius monachus, amborum, id est Pachomii et Theodori collega, vir in sanctis Scripturis ad perfectum instructus, composuit librum divino conditum sale, totiusque monasticæ disciplinæ instrumentis constructum : et ut simpliciter dicam, totum pene in eo Vetus et Novum Testamentum compendiosis dissertationibus, juxta monachorum duntaxat necessitatem, invenitur expositum : quem tamen vice testamenti prope diem obitus suis fratribus obtulit.

Sanctus Benedictus Anianæ abbas sæpius hanc Orsiesii doctrinam laudat in Concordia Regularum.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM

Habemus hic sancti Orsiesii doctrinam, merito a Gennadio laudatam; quia illa divino condita sale totius monasticæ disciplinæ instrumenta, tam superioribus quam inferioribus scitu necessaria, comprehendit. Quæ proin et Regula monastica dici potest, ut pote compendiosis sed necessariis præceptis ex sacra Scriptura collectis et monachorum usui apprime adaptatis referta. Erat autem sanctus Orsiesius dilectus sancti Pachomii discipulus, a quo moriente constitutus est Tabennarum abbas, atque totius ordinis præses generalis, quod officium piissime per quenquennium peregit; sed deficientibus viribus sibi diffidens, tantam monachorum multitudinem posse rite gubernare, in manus sancti Theodori, discipuli etiam sancti Pachomii, munus hoc resignavit : quo tandem mortuo et illud anno 365 reassumere coactus est. Denique sanctus Orsiesius senio et laboribus confectus sanctissimam animam Deo reddidit circa annum 368, atque per modum testamenti monachis suis reliquit hanc doctrinam asceticam, sive Regulam monasticam 56 capitibus constantem, et eximiis consiliis spiritualibus refertam, quam ex Græco in Latinum sermonem vertit sanctus Hieronymus.

INCIPIT DOCTRINA ATQUE TRACTATUS PATRIS NOSTRI ORSIESII.

I. Audi, Israel, mandata vitæ; auribus percipe, et intellige prudentiam. *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena; commaculatus es cum mortuis; comparatus es cum his qui in inferno sunt, et dereliquisti fontem sapientiæ. Per viam Dei si ambulasses, forsitan habitaveris in pace. Disce ergo*, ait, *ubi est prudentia tua, ubi est fortitudo gloriæ atque virtutis, ubi est intelligentia, ubi lux oculorum, et pax. Qui invenit locum ejus, et quis ingressus est ad thesauros illius* (*Bar.* III)? Hæc loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis et inimicorum suorum ducti sunt in captivitatem, quia noluerunt prophetarum suscipere mandata, et obliti sunt legis Dei, quæ data est per Moysen. Idcirco induxit Deus super eos pœnas atque supplicia, et captivitatis subdidit jugo : erudiens ergo eos ut suos, et quasi pater filios emendans, nolensque perire correctos, sed salvare cupiens per pœnitentiam.

II. Unde et nos apostolicorum debemus meminisse verborum, qui ait : *Si naturalibus ramis non pepercit, nec nobis parcet* (*Rom.* XI), et Dei præcepta complere negligimus? *Hæc omnia in figuris contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X). Et illi quidem de urbe Judæ translati sunt in urbem Chaldæorum, in terris mutantes loca : nos autem si Deus viderit negligentes, in futuro sæculo amittemus civitatem nostram; et lætitiam deserentes, trademus pœnarum captivitati, perdemusque gaudium sempiternum, quod patres nostri et fratres labore instabili repererunt.

III. Igitur non nos vincat oblivio, nec patientiam Dei existimemus ignorantiam, qui idcirco sustenta et differt, ut ad meliora conversi cruciatibus non tradamur. Quando peccamus, non putemus Deum consentire nostris peccatis, quia non statim vindicat; sed illud cogitemus, quod cito exeuntes de sæculo separabimur in futuro a Patribus et fratribus nostris, qui locum victoriæ possident. Quem et nos habebimus, si illorum volnerimus calcare vestigia, et illud attendere, quod apostolus Paulus hic quoque sanctos a peccatoribus separat, et tradit delinquentes *in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (*I Cor.* V). Beatus homo qui timet Dominum, et quem corripit ut emendetur, et legem suam docet eum, ut ambulet in mandatis ejus omnibus diebus vitæ suæ; qui non murmurat pro peccato suo.

IV. Itaque et nos scrutemur vias nostras, et gressus proprios dijudicemus; revertamurque ad Dominum, et levemus cum manibus nostris corda nostra in excelsum et in cœlum : ut in die judicii adjutor noster sit, et non confundamur cum loquimur inimicis nostris in porta, sed magis digni simus illud audire : *Aperite portas, ut ingrediatur populus qui custodit justitiam et veritatem* (*Judit.* XV). Cui veritas cordi est, et qui possidet pacem, dicere potest : Quia in te speravimus, Domine, in æternum. Recordemur Domini, et Hierusalem ascendat super cor nostrum. Ne obliviscamur illius hominis, de quo scriptum est : *Benedictus homo qui confidit in Domino, cujus est spes in eo. Erit quasi lignum fructiferum juxta aquas, et ad humorem mittit radices suas : non timebit, cum æstus advenerit, habebitque frondentes ramos, et in tempore siccitatis virebit, poma sollicita germinans. Grave cor in omnibus, et homo est, et quis cognoscit eum? Ergo Dominus scrutans corda et renes, ut reddam unicuique secundum vias suas* (*Jer.* XVII).

V. Meminerimus nostri, nec contemnamus delicta quæ fecimus; et singula mandata Patris nostri

et eorum qui nos docuerunt, corde sollicito pertractemus : non solum credentes in Christo, sed et pro ipso patientes, et scientes illud de quo dicitur : *Spiritus vultus nostri Christus Dominus* (*Thren.* IV). Et alibi : *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis.* Et iterum : *Eloquium Domini vivificavit me*, et, *Lex Domini immaculata, convertens animas. Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psalm.* CXVIII). Et Apostolus, *Lex*, inquit, *sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* VII). Quæ omnia intelligentes, digni erimus audire : *Cum ceciderit justus non allidetur, quia Dominus sustentat manum illius* (*Psalm.* XXXVI). Et iterum : *Septies cadet justus, et resurget* (*I Petr.* III).

VI. Nunc ergo, fratres, Deo agente patienter, et nos ad pœnitentiam provocante, de gravi somno evigilemus, quia adversarius noster *quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V), cui acriter resistendum est, et sciendum eadem etiam certamina nostris evenisse majoribus. Non deficiamus laborantes jacentesque virtutum semina, ut in futuro gaudia metere possimus, audiamusque Paulum docentem : Tu autem qui servasti doctrinam, eruditionem, studium, patientiam, persecutionem, et sanctorum exempla sectantes permaneamus in eo quod cœpimus, habentes principem et perfectorem Jesum. Intelligamus comam capitis nostri in via, ut sit unguentum in barba nostra, ut ad oram perveniat vestimenti, ut possimus implere universa, quæ scripta sunt (*Psalm.* CXXXII).

VII. Quapropter, o duces et præpositi monasteriorum ac domorum, quibus crediti sunt homines, et apud quos inveniuntur T, sive E, sive A, ut in commune dicam, quibus crediti sunt homines, singuli cum turmis suis exspectent Salvatoris adventum, ut conspectui illius ornatum armis exercitum præparent. Ne refrigeretis eos in carnalibus, et spiritalia non tribuatis alimenta. Aut rursum doceatis spiritalia, et in carnalibus affligatis, in escis videlicet atque vestitu. Sed et spiritales et carnales cibos pariter tribuite, et nullam detis eis occasionem negligentiæ. Aut quæ est ista justitia, ut fratres labore affligamus, et ipsi otio vacemus? aut eis jugum imponamus, quod ipsi ferre non possumus. Legimus in Evangelio : *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis* (*Matth.* VII). Unde et laborem et refrigeria cum ipsis habeamus communia, nec discipulos servos putemus, et illorum tribulatio sit nostra lætitia ; ne evangelicus nos cum Pharisæis corripiat : *Væ vobis legisperitis, qui ligatis onera importabilia, et imponitis ea super humeros hominum, et ipsi ne digito quidem audetis attingere* (*Matth.* XXIII).

VIII. Sunt aliqui attendentes semetipsos, ut viventes juxta mandatum Dei sibi loquuntur, et dicunt : Quid mihi est cum aliis? Ego vero ut serviam Deo, et mandata ejus impleam, non ad me pertinet quid alii faciant. Hoc Ezechiel corripit dicens : *O pastores Israel, nunquid semetipsos pascunt pastores? nonne oves pascunt? Ecce lac comedistis, et lanis operimini, quod pingue est non immolastis, et quod infirmum est non confortastis ; quod fractum est non ligastis ; quod errabat non reduxistis ; quod perierat non quæsistis ; quod forte erat fecistis labore deficere, et dispersistis oves meas, eo quod non haberent pastores* (*Ezech.* XXXIV). Propterea ipse Dominus veniet cum senioribus et principibus suis, et complebitur illud in nobis : *Exactores vestri deprædantur vos, et qui repetunt, errare vos faciunt* (*Isai.* III). Quin magis audire debemus : *Beata terra, cujus rex filius : ingenui et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non confundentur* (*Eccl.* X).

IX. Ideo, o homo, usque ad unam animam, quæ tibi credita est, monere non cesses et docere quæ sancta sunt, et teipsum bonorum operum præbere exemplum, et cavere quam maxime, ne alterum ames et alterum oderis, sed et cunctis exhibeas æqualitatem : ne forte quem tu diligis Deus oderit, et quem tu oderis Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia consentias, et alterum premas, et alterum subleves, et pereat labor tuus. Sedentes in locis humilioribus, in quibus Pater noster præcipit penitus non sedendum, caveant præpositi domorum, ne forsitan quilibet unus ex fratribus præposito injuriam fecerit, et iratus ille discernat ac dicat : Quid causæ habeo ad hominem contemptorem? Faciat quod vult, ad me non pertinet ; nec eum moneo, nec errantem corrigo, sive salvetur, sive pereat, ad me non pertinet. O homo, quid hæc loqueris? Intellige quo furore supereris et odium occupavit cor tuum, ut magis tuo vitio quam suo peccato frater pereat ; cui debes ignoscere, et eum suscipere pœnitentem, ut possis illud evangelicum dicere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Si ergo vis ut Deus peccata tua tibi dimittat, et tu dimitte fratri tuo quidquid illud est quod in te peccavit, memor illius præcepti : *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo* (*Luc.* XI). Et Salomonis monentis : *Suscita civem tuum pro quo spopondisti* (*Prov.* VI). Et iterum : *Ne cesses erudire parvulum, si enim virga percusseris eum, non morietur* (*Prov.* XXIII). Moysen quoque ausculta dicentem : *Correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo* (*Levit.* XIX). Ne eveniat rursum illud Salomonis : *Qui non prædicit filio, ut se custodiat a perditionibus, velociter dissolvetur* (*Prov.* XIX).

X. Omnes quibus fratrum cura commissa est, parent se adventui Salvatoris et formidoloso tribunali ejus. Si enim pro se ipso reddere rationem plenum est discriminis ac timoris, et quanto magis pro alterius culpa subire cruciatum, et incidere in manus Dei viventis? Nec possumus obtendere ignorantiam, cum scriptum sit : *Omne factum Deus adducet in judicio, in omnibus quæ neglecta sunt, sive bonum, sive malum* (*Eccl.* XII). Et in Apostolo legimus : *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut unusquisque recipiat pro eo quod operatus est, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V). Isaias quoque diem constitutam significat, in qua judicaturus sit Deus orbem terræ in justitia, dicens : *Ecce dies Domini insana*

bilis venit furoris et iræ, ut ponat orbem terræ in deserto, et perdat peccatores de eo (*Isai.* III). Scimus quia omnia quæ in lege scripta sunt, et prophetarum nobis vaticinia prædixerunt, sanctus quoque Pater noster erudivit, nos esse retinendos et reddituros rationem de singulis, quare non fecerimus ea, aut negligentius fecerimus. Loquitur enim cui traditum est a Patre omne judicium, et veritas erudit veritatem: *Non putetis quia ego accuso vos ad Patrem; est qui vos accuset Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me enim ille scripsit* (*Joan.* IV).

XI. Ex quibus omnibus discimus, quod oporteat nos stare ante tribunal Christi, et de singulis non solum operibus, sed et cogitationibus judicari: et post rationem vitæ nostræ, etiam pro aliis qui nobis crediti sint reddituros esse similiter rationem. Et hoc non solum de Præpositis domorum audiendum est, sed et de monasteriorum principibus, et de singulis fratribus qui reputantur in plebem: quia omnes invicem debent sua onera portare, ut adimpleant legem Christi (*Gal.* VI), et audiant Apostolum scribentem ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et professionem falsi nominis scientiæ* (*I Tim.* VI). Et nos habemus depositum a Deo traditum, conversatione fratrum, pro quibus laborantes et exspectamus futura præmia: ne forsitan dicatur et nobis: *Dimitte populum istum, ut abeat* (*Exod.* V); et traditiones Patris nostri deserentibus ingeratur: *Qui habent legem non noverunt me, pastores egerunt impie in me* (*Jer.* II). Unde alios corripit dicens: *Ego dedi hæreditatem meam in manu tua, tu autem non dedisti ullam misericordiam: senes aggravasti jugo* (*Isai.* XLVII). Quod et nos non solum audire, verum etiam intelligere necesse est: qui enim ignorat ignorabitur. Et in alio loco scriptum est: *Quia tu scientiam meam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Oseæ* IV).

XII. Itaque, fratres charissimi, qui cœnobiorum vitam et præcepta sectamini, state in arrepto semel proposito, et implete opus Dei, ut Pater, qui primus instituit cœnobia gaudens pro nobis loquatur ad Dominum: Sicut tradidi eis, sic vivunt. Quod idem et Apostolus adhuc in corpore constitutus loquebatur: *Laudo autem vos, quod in omnibus meministis mei, et sicut tradidi vobis traditiones meas custodistis* (*I Cor.* XI).

XIII. Et vos ergo monasteriorum principes, estote solliciti, et adhibete omnem curam pro fratribus cum timore et justitia Dei: nec abutamini potestate in supplicia, sed exemplum præbete vos cunctis et subdito gregi; sicut et Dominus noster in omnibus exemplum se præbuit, qui posuit quasi oves familias: ut misereamini gregi vobis credito, et memineritis apostolicæ sententiæ, in qua ait: *Nihil subtraxi, ut non annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei.* Et iterum: *Non cessavi deprecando unumquemque vestrum, et docendo vos publice* (*Act.* XX). Videte quanta viscera et quanta misericordia fuerint in homine Dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus ecclesiis, sed languet cum languentibus, et omnium sustinet passiones. Caveamus, ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur, et corruat, et obliviscamur verborum Domini Salvatoris, qui in Evangelio loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam* (*Joan.* XVII). Nullam animam contemnamus, ne quisque per nostram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos fuerit mortuus, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem et Pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, et monebat, ne illud eloquium impleretur in nobis: *Singuli opprimunt proximum suum*: et iterum: *Si invicem mordetis et devoratis, videte ne adinvicem consumamini* (*Gal.* V). Ex quo apparet quod qui alterius servat animam, custos animæ suæ sit.

XIV. Sed et vos qui secundi estis monasterii, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat. Ne incurratis in illud opprobrium in quod incurrit ille qui comedit et bibit cum ebriis, et non dedit in tempore suo conservis cibaria: *Et veniet Dominus in die qua non sperat, et in hora qua nescit, ut dividat eum, et ponat partem ejus cum hypocritis, ubi fletus et stridor est dentium* (*Matth.* XXIV). Ne quos apprehendat e vobis similis condemnatio, sed cum tempora venerint refrigerii mereamur audire: *Euge, serve bone et fidelis: quia super modicum fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Luc.* XIX).

XV. Vos quoque Præpositi domorum singularum, parati estote ad respondendum omnibus qui a vobis exigunt rationem super ea fide quæ in vobis est. Monete eos qui inordinati sunt; consolamini pusillanimes; sustinete infirmos; patienter agite ad omnes, et audite Apostolum monentem: *Et, vos patres, nolite ad iram provocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina et admonitione Domini* (*Ephes.* VI), et scitote quia *cui plus datum est, plus quæretur ab eo; et cui plus creditum est, amplius exigetur* (*Luc.* XII). Nec tantum ea consideretis, quæ vobis prosint, sed illa quæ proximis, et impleatur in vobis Scriptura dicens: *Quia vos sequimini unusquisque utilitatem domus suæ, idcirco continebit cœlum rorem suum, et terra non dabit fructus suos, quoniam ingravastis contra me sermones vestros* (*Reg.* I). Dicitur et alibi: *Quia non fecistis uni ex minimis meis, nec mihi fecistis* (*Matth.* XXV).

XVI. Sæpius dicam, et eadem repetam: Cavete ne alios diligatis, et alios oderitis; ne hunc sustentetis, et illum negligatis; et cassus inveniatur labor vester, et omnis sudor pereat; et quando exieritis de corpore et de mundi hujus turbine liberati, portum vos putaveritis quietis intrare; tunc inveniatis injustitiæ naufragia, et in qua mensura mensi estis, remetiatur vobis ab eo qui personas in judicio non accipit. Si quid mortale, aut aliquid turpitudinis ob negligentiam Præpositorum in domibus commissum fuerit, post illorum propria supplicia, Præpositus

quoque reus tenebitur criminis : quod nobis semper sanctæ memoriæ Pater noster solebat ingerere.

XVII. Quamobrem cum omni cautione et sollicitudine singuli commissum sibi gregem custodiant, et imitentur pastores de Evangelio, ad quos non dormientes, sed vigilantes venit Angelus Dei, et Salvatoris eis annuntiavit adventum (*Luc.* II). Qui et ipse loquitur : *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis ; qui autem mercenarius est, non est pastor, cujus non sunt oves, videt lupum venientem, et dimittit gregem, et fugit, et lupus rapit eum, atque devastat, quia mercenarius est, et non ad eum pertinet de ovibus* (*Joan.* XII). De bonis autem pastoribus Lucæ scribit historia : *Erant autem pastores observantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum ; et angelus Domini venit ad eos, et gloria Dei circumfulsit eos, et timuerunt timore magno ; dixitque eis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia est hodie vobis natus Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hujus rei signum erit vobis, invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio* (*Luc.* II). Num illi soli eo tempore pascebant oves, et per desertum sequebantur gregem? Sed quia soli erant solliciti, et naturalem noctium somnum insidiantium luporum timor superabat, idcirco primi audire meruerunt, quod in vicino sit : at Hierosolyma dormiens ignorabat. Unde et David dicit : *Ecce non dormiet, qui custodit Israel* (*Psal.* LXX). Itaque et vos cum tremore et timore vigilate, operantes vestram salutem, et scientes quod universitatis Dominus, per quem omnis caro receptura est quidquid operata est, post resurrectionem solis apostolis apparuit, et dixit apostolorum principi, Petro : *Simon Joannis, diligis me plus his? Respondit ei : Domine, tu scis quia ego diligo te. Dicit ei Jesus : Pasce agnos meos. Dicit ei rursum secundo : Simon Joannis, diligis me? Respondit ei : Etiam, Domine, tu scis quia diligam te. Dicit ei : Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Tertio præcepit ut pasceret oves : et in illo omnibus nobis hoc injunxit officium, ut diligenter pascamus oves Domini, et in die visitationis ejus pro labore ac custodia recipiamus, quæ nobis in Evangelio promisit dicens? *Pater, volo ut ibi sum ego, et isti sint mecum.* Et iterum : *Ubi ego sum, ubi et minister meus erit* (*Joan.* XII). Respiciamus ad promissa et ad præmia creduli, facilius omnem perferamus laborem, ambulantes sicut ambulavit ipse Dominus, qui promissor est præmiorum.

XVIII. Vos quoque qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini et modestiam, et singula præcepta majorum vitæ communis normam putate, ut in illis conservandis vestras servetis animas, et similes sitis ei qui ait : *Anima mea in manibus meis semper* (*Psal.* CXVIII). Filius glorificet Patrem, et lætamini fructibus vestris : quia absque operibus et fructibus nullus Domini societate lætabitur : ut cum habueritis fructum in Domino, ipso hærede et cohærede potiamini.

XIX. Sed et vos omnes fratres, qui subjecti estis per ordinem liberæ servitutis, *habetote accinctos lumbos vestros, et ardentes lucernas in manibus, similes servorum qui exspectant dominum suum, quando revertatur de nuptiis, ut cum venerit, et pulsaverit, statim aperiant ei. Beati servi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes* (*Luc.* XII). Sic et vobis fiet, si longus labor lassitudinem non operetur in vobis, vocabimini ad cœleste convivium et angeli ministrabunt vobis. Hæ sunt repromissiones custodientium mandata Dei, et ista præmia futurorum, *Gaudete in Domino ; rursum dico, gaudete* (*Phil.* IV). Subjecti Patribus cum omni obedientia ; sine murmurationibus, et cogitationibus variis, simplicitatem animæ ad bona opera perferentes, ut pleni virtutibus et timore Dei, digni efficiamini adoptione Dei. *Arripite scutum fidei, in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X). Audite Paulum loquentem : *Filii, obedite parentibus* (*Col.* III), et possidete salutem animarum vestrarum, per eos qui vobis præpositi sunt. Et in alio quoque loco scriptum est : *Acquiescite principibus vestris et subjicimini, quia ipsi vigilant pro animabus vestris, rationem reddentes pro vobis* (*I Cor.* III). Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur : *Templum Dei estis, et Spiritus Domini habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*Ephes.* IV). Et iterum : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis justi judicii* (*Ibid.*).

XX. Servate pudicitiam corporis vestri, ut sitis *hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* VI). *Qui enim natus ex Deo non peccat, quoniam semen illius in eo permanet* (*I Joan.* III). Idem Joannes loquitur : *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et sermo Dei in vobis permanet, et vicistis malignum* (*I Joan.* II). Cum et vos viceritis inimicum, Deo vobis præbente auxilium, tunc et ipse dicet : *Eruam eos de inferno, et redimam eos de morte. Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, stimulus tuus* (*Oseæ*, XIII)? Si vero mortem devorabimus, superabimus eam, et dicetur nobis : *Mors ei nequaquam dominabitur* (*Rom.* VI) : quoniam mors, qua peccato mortui semel sumus, in nobis mortua est, et vita, qua in Christo vivimus, semper vivimus (*Rom.* VII). Qui enim in carne moritur, justificabitur a peccato. Nequaquam ultra vivamus in desideriis hominum, sed reliquam vitam in voluntate Dei expleamus. Qui timetis Dominum armate vos castitate, ut audire mereamini : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Ibid.*). Et scitote quod perfectis perfecta tribuantur, et inanibus reddantur inania, juxta sermonem Evangelicum : *Qui habet, dabitur ei, et abundabit ; qui autem non habet, et quod videbatur habere, auferetur ab eo* (*Marc.* IV). Imitemur virgines sapientes, quæ cum sponso thalamum ingredi meruerunt, quæ habebant in vasis suis et lampadibus oleum bonorum operum.

Porro stultæ virgines clausam thalami januam reperérunt, quia ante nuptias parare sibi oleum noluerunt (*Matth.* xxv). *Hæc in figura contingebant illis; scripta sunt enim ad correctionem nostram* (*I Cor.* x), ut evitemus vetera, et servemus præcepta sapientis, qui ait : *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum, et commemorabunt labia mea sermones tuos* (*Prov.* xxiii), si tamen recti fuerint. Et iterum : *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Dei esto tota die, et Dei cultum observa jugiter* (*Prov.* xxiii).

XXI. Vigilemus attentius, et sciamus quod magnam nobis Deus præstiterit gratiam per Patrem nostrum Pachomium, ut renuntiaremus sæculo; et omnem sollicitudinem mundi, et curas rerum sæcularium pro nihilo poneremus. Quæ nobis occasio relicta est, ut habeamus quidquam proprium a funiculo usque ad corrigendum calceamenti; cum habeamus Præpositos, qui pro nobis cum timore et tremore solliciti sunt tam in cibo, et vestitu, et corpusculi languore, si forte obvenerit, ut in nullo timeamus, et per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus, jugum de cervicibus nostris mundanæ servitutis abjecimus; cur rursum volumus reverti ad vomitum nostrum, et aliquid habere unde solliciti simus, et quod perdere metuamus? Ad quos usus superfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus? cum omnia in commune sint præparata, et nihil cruce Christi durius sit, juxta quam viventes Patres nostri ædificaverunt nos super fundamentum apostolorum et prophetarum, et evangeliorum disciplinam, quæ angulari continetur lapide Domino Jesu Christo (*Ephes.* ii) : quem sequentes de mortifera altitudine ad vitalem descendimus humilitatem, divitias paupertate mutantes, et delicias simplici cibo.

XXII. Nolite, obsecro vos, oblivisci semel arrepti propositi, et traditiones Patris nostri scalas putemus ad cœlorum regna tendentes. Ne desideretis quæ ante calcastis. Sufficit nobis habere, quod homini satis est, duo levitonaria, et alium attritum, et palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicas, pellem, et virgam. Cui ministerium aliquod et dispensatio est credita monasterii, et si ex ea lucrum faciat, scelus putetur, et sacrilegium quidquam ex ea contingere et in propriam vertere requiem, quasi despiciens eos qui non habent et felici paupertate sunt divites : ut non solum ipse perierit, sed et cæteros provocet ad pereundum. Et illi quidem qui incurvaverunt cervicem suam, et cum omni humilitate et afflictione lugentes atque plangentes in præsentiarum placuerunt Deo, cum de corpusculo isto exierint, ducentur, et accumbent cum sanctis patribus Abraham, Isaac, et Jacob, prophetis, et apostolis, et consolatione digna fruentur, sicut et Lazarus fruitus est in sinu Abraham. Qui autem vixerunt in cœnobio, et de communi in suos aliquid averterunt usus, væ eis cum de corpore exierint, dicetur illis : *Mementote, quia recepistis bona in vita vestra* (*Luc.* xvi); fratribus laborantibus, et jejuniis et continentia, et incessabili labore sudantibus. Idcirco videte eos in gaudio atque lætitia, qui reliquerunt præsentem vitam, ut futuram consequerentur : vos autem in squalore ac tormentis, et miseria constitutos, quia noluistis evangelicum audire sermonem, et Isaiæ contempsistis verba dicentis : *Ecce qui serviunt mihi, comedent, vos autem esurietis. Ecce qui serviunt mihi, bibent, vos autem sitietis. Ecce qui serviunt mihi, exsultabunt, et vos clamabitis propter dolorem cordis vestri, et ob contritionem spiritus ejulabitis* (*Isai.* lxv). Audistis omnes beatitudines Scripturarum, et noluistis suscipere disciplinam.

XXIII. Ideo, fratres, æquales simus, a minimo usque ad maximum, tam dives quam pauper, concordia et humilitate perfecti, ut de vobis quoque possit dici : *Qui multum, non abundavit; qui parum, non indiguit* (*II Cor.* viii). Ne quis suis provideat deliciis, cernens fratrem in paupertate et angustia constitutum, et dicatur ei illud propheticum : *Nonne Deus unus creavit vos? Nonne Pater unus omnium vestrum? Quare dercliquistis unusquisque fratrem suum, ut abominabile facerent testamentum patrum vestrorum? Derelictus est Juda, sed abominatio facta est in Israel* (*Malac.* ii). Quapropter juxta illud quod Dominus atque Salvator præcepit apostolis dicens : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos : et in hoc scietis, quod vere discipuli mei estis* (*Joan.* xiii); nos invicem amare debemus, et ostendere, quod vere simus famuli Domini Jesu Christi, et filii Pachomii, et discipuli cœnobiorum.

XXIV. Si Præpositus domus aliquem corripuerit ex fratribus qui sibi subjecti sunt, erudiens eum in timore Dei et cupiens ab errore corrigere, et alius voluerit pro eo loqui, et eum defendere, subvertens cor illius; qui hoc facit, peccat in suam animam, quia subvertit eum qui corrigi poterat, et consurgentem dejicit in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decepit, errans ipse, et alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter : *Væ qui potum dat proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum* (*Habac.* ii). *Væ qui errare facit cæcum in via* (*Deut.* xxvii). *Qui scandalizat quempiam de his, qui credunt Deo, expedit ei ut appendatur ei mola asinaria super collum ejus, et præcipitetur in mare* (*Matth.* xviii). Quia subvertit, ut diximus, sublevantem se, et obedientem transtulit ad superbiam, et eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, convertit in amaritudinem; et subjectum legibus monasterii, malis consiliis depravavit, fecitque odisse eum, et contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites ferens inter fratres atque discordias, et non timens illud quod scriptum est : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat, aut cadit. Stabit autem, potens est autem dominus rursum statuere illum* (*Rom.* xiv). Considera quid dixerit : *Potens est*

autem Dominus statuere illum. Non ille potens est, qui verba Domini præterit.

XXV. Unde, fratres, magnopere devitemus alicujus mentem subvertere contra doctorem et monitorem suum; et meminerimus Scripturæ dicentis: *Libera cor tuum a malitia, ut salveris* (*Jer.* IV). Nec pro obedientia superbiam et contumaciam in cordibus nostris invicem seminemus. Qui enim timet Dominum suum, si viderit fratrem suum errare et labi, magis debet monstrare quæ sancta sunt, et rectum iter ostendere, ut cum omni castitate et tremore Dei incedens, illam Salomonis exsequatur sententiam: *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redimere de interfectione non cesses* (*Prov.* XXIII). Nec dicas, Nescio hunc. Scito quoniam Deus corda omnium novit. Et Judas in Epistola loquitur sua: *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes commaculatam tunicam* (*Jud.* I). Caveamus hujuscemodi vestimentum, et *induamur potius armaturam Dei, ut possimus resistere contra insidias diaboli. Non est enim nobis pugna contra carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principatus, adversus rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI).

XXVI. Hoc quoque maxime providendum est, ne quis in alteram domum et in alterius cellulam commendet aliquid, et contra monasterii faciat disciplinam. Qui talis est, non est in numero fratrum, sed mercenarius et advena; nec Pascha Domini inter sanctos debet comedere, quia factus est lapis scandali in monasterio, et de eo posset dici: *Lapides de via mea projicite* (*Jer.* XX). Si enim levitonaria nostra, quando lavamus, sicca non fuerint, usque ad vesperam non habemus potestatem apud nos tenere, damusque Præposito cui crediti sumus, vel ei cui creditum est cellarium, ut deferat ad eum locum, ubi vestimenta pariter omnium reservantur, et mane nobis dantur, ut expandamus illa ad solem, et cum sicca fuerint, non apud nos tenemus, sed damus in commune servanda, juxta præcepta majorum; quanto magis ea quæ proprie visus es possidere, si alteri commendaveris, aut in tua volueris esse potestate, peccas in monasterii disciplinam, et non intelligis Paulum tibi loquentem: *Vos autem in libertatem vocati estis, tantum ne libertate in occasionem carnis abutamini, sed charitate servite invicem* (*Gal.* V). Et iterum: *Dominus juxta est, nolite esse solliciti, sed estote in oratione intenti et deprecationibus* (*Phil.* IV). Sciat quoque ille qui ab alio susceperit commendatum, et rem se arbitratur facere piam, ut fratrem refrigeret, quod peccet contra animam suam, subvertens regulam monasterii. O stulte, anima tua commissa est Præposito tuo, et qui animam tuam corpusque custodit, indignus habebitur ut peritura conservet? Amemus justitiam, ut justificemur. Legimus enim: *Misericordia occurrit his qui faciunt veritatem.*

XXVII. Hoc quoque observandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, imo diaboli laqueis irretitus, dicat in corde suo: Quando moriar, tunc dono fratribus quod habuero. O stultissime hominum, ubi hoc scriptum invenisti? Nonne omnes sancti servientes Deo statim omnem sæculi sarcinam deposuerunt? Nonne in Actibus apostolorum, omnia quæ habebant ad pedes apostolorum deferebant (*Act.* IV)? Aut quomodo poteris mortuus justitiæ induere vestimentum, qui illud vivus habere non meruisti? Quare oblitus es illud, quod scriptum est: *Quod seminaverit homo, hoc et metet* (*Gal.* VI); et, *Unusquisque recipiet, juxta quod egit* (*Ephes.* VI); et, *Reddet unicuique juxta opera sua* (*Rom.* II); et iterum: *Ego Dominus scrutans corda et probans renes, ut reddam unicuique juxta vias suas, et juxta fructum adinventionum ejus* (*Psal.* LXI)? Quare nondum versaris in vita, et in hoc corpusculo constitutus non audis David loquentem: *Thesaurizat, et ignorat cui congregat ea* (*Psal.* CXLV), et sermonem evangelicum, avarum corripientem: *Stulte, hac nocte animam expetent a te: quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII)? Et iterum: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Stulte, quare non vis audire Dominum cohortantem: *Vade, et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX)? Quod adolescens audiens conversus est retro; non enim erat rectum cor ipsius, et ideo non potuit gravem divitiarum sarcinam deponere. Habebat quidem voluntatem, et Scriptura testatur, perfectæ vitæ, et splendore virtutum trahebatur ad laudem; sed retrahebant eum currentem divitiæ, nec poterat Salvatoris audire doctrinam, quia adhuc de mundi deliciis cogitabat. Unde et Salvator loquitur: *Difficile est eos, qui habent divitias, intrare in regna cœlorum* (*Matth.* XIX). Et iterum: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut uni est obediens, et contemnet alterum. Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Luc.* VI). Pharisæi autem cum essent avari, hæc audiebant et irridebant: quorum incredulitatem devitemus, nec irrideamus eos qui nos provocant. Renuntiemus mundo, ut perfecti perfectum sequamur thesaurum. Quorum animam possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. *Quæstus est magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus: habentes enim victum et vestitum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum, in concupiscentias multas, quæ sunt stultæ et noxiæ, et demergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI).

XXVIII. Usque hodie Elias Israelem corripit dicens: *Quousque claudicatis pede? Deus est, ite et sequimini eum* (*III Reg.* XVIII). Et nobis loquitur: Si mandata sunt Dei, quæ per Patrem nostrum tradidit nobis, et quæ sequentes possumus pervenire ad regna cœlorum, toto eadem desiderio complectamus: si autem sequimur cogitationes nostras, et ad aliud tendit animus, cur non errorem simpliciter

confitemur, et ostendimus nos esse quod videri erubescimus? Ne forte dicatur et nobis : *Quare polluistis locum meum sanctum* (*Ezech.* XXII)? Et, *Ejiciam eos e domo mea* (*Oseæ*, IX). Siquidem conciliabula monachorum vere Dei domus est, et sanctorum vinea, sicut scriptum legimus : *Vinea facta est Salomoni in loco, qui vocatur Beelamon, dedit eam custodibus, unusquisque affert pro fructibus ejus mille argenteos. Vinea mea in conspectu meo est, mille Salomoni, et ducenti his qui custodiunt fructum ejus* (*Cant.* VIII). Nec igitur polluentes eam projiciamur, sicut in Evangelio legimus ejectos esse de templo, qui vendebant in eo oves et boves; nummularios quoque ingrediens Dominus atque Salvator, et faciens sibi flagellum de funiculis, ejecit e templo, et fundens æra mensasque vendentium, et his qui vendebant columbas ait : *Auferte hæc omnia, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Scriptum est enim : Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus; vos autem fecistis eam speluncam latronum* (*Luc.* XIX; *Marc.* XI). Et alibi : *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus* (*Psal.* LVI; *Jer.* VII).

XXIX. Obsecro vos, fratres, ne de nobis quoque dicatur : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est : an domos non habet, ut bibatis et comedatis? Nisi forte Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent;* ad quos dicitur : *Si quis esurit, domi comedat, ut non in judicium conveniatis* (*I Cor.* XI). Non sit domus nostra vocis alienæ, ne illud nobis congruenter aptetur : *Opera Ægypti non abstulerunt a se.* Et iterum : *In præceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea contaminaverunt; propterea cum clamaverint ad me, ego non exaudiam eos* (*Ezech.* XX). Non permaneamus in cordis duritia, et ad iracundiam provocemus Deum, et fiat inimicus noster, et dicat : *Ego autem dabo eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivant* (*Ibid.*); quia comederunt fructum mendacii, et adoraverunt opera manuum suarum, et repleta est terra eorum a principio augurio, ut terra alienigenarum.

XXX. Ne postquam renuntiaverimus sæculo, et cœperimus vexillum crucis sequi, iterum ad posteriora conversi, quæramus refrigerium temporale, imitantes Ephraim dicentem : *Dives factus sum, et inveni refrigerium mihi* (*Oseæ* XII); ne audiamus illud, quod et ille meruit audire : *Omnes labores illius non inveniuntur præ iniquitatibus, in quibus peccavit.* Et ne illud impleatur in nobis : *Cœpistis spiritu, et nunc carne consummamini : tanta passi estis sine causa* (*Gal.* III)? Et ille contra nos sermo dicatur : *Lex periit a sacerdote, et consilium a senioribus; et manus populi dissolutæ sunt, senes de porta quieverunt, electi a psalmis suis cessaverunt* (*Ezech.* VII). Rursumque dicatur : *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus* (*Rom.* II) : et contemptis institutionibus Patris nostri subrepat oblivio, mediatoremque Dei atque sanctorum nostro vitio negligamus.

XXXI. Quis enim fructus, aut quod signum præceptorum Dei inveniatur in nobis, aut in quo professionem impleamus arreptam? Nonne omnia dimisimus, et avaritiæ subjacemus, et dicitur nobis : *Unde bella, et pugnæ* (*Jac.* IV)? Nonne ex avaritia? Nam quia unusquisque quærit utilitatem suam, non proximi, usque hodie vivens Ezechiel prophetali sermone nos corripit dicens : *Negationes erant in te. Filius inhonorat patrem, et Pater exprobrat filio* (*Ezech.* XXVII). Quid in die judicii respondebimus, aut quid in novissimo tempore pro defensione nostra poterimus obtendere? Hæc omnia facta sunt nobis, quia *Sacerdotes plauserunt manibus, et populus dilexit similiter. Quia sicut populus, sic sacerdos* (*Jer.* V). *Propterea reddam ei*, inquit, *secundum vias suas, et cogitationes illius restituam ei* (*Oseæ* IV).

XXXII. Non de omnibus vobis hæc loquor, sed de his qui majorum præcepta contemnunt; multoque *melius erat illis ignorare viam justitiæ, quam scientes reverti ab eo quod traditum est illis sancto mandato* (*II Petr.* II). De hujuscemodi hominibus mœrens Jeremias scribit : *Defecerunt in lacrymis oculi mei, conturbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea, super contritione filiæ populi mei; quia defecit parvulus et lactens in plateis civitatis. Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis urbis, cum funderent animas suas in sinu matrum suarum* (*Thren.* II). Scimus quod *non in fortitudine equi velit Deus, neque in femoribus viri sibi complaceat* (*Psal.* CXLVI).

XXXIII. Et idcirco revertamur ad Dominum Deum nostrum, ut quando oraverimus, exaudiat nos qui quotidie hortatur ut vacemus et cognoscamus eum. Et alibi loquitur : *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos.* Et iterum : *Revertimini ad me, filii recedentes, et ego dominabor vestri* (*Jer.* III). Ezechiel similiter contestatur ac dicit : *Quare moriemini, domus Israel? Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur de via mala sua, et vivat* (*Ezech.* XVIII). Et clementissimus ac totius bonitatis caput clamat in Evangelio ad nos Dominus atque testatur : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Consideremus quod bonitas Dei ad pœnitentiam nos provocet, et sancti viri cohortantur ad salutem. Non induremus corda nostra, neque thesaurizemus iram nobis in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua (*Rom.* II); sed ex toto corde revertamur ad Dominum, et secundum Moysi verba memorantis : *Si revertaris ad Dominum ex toto corde tuo, mundabit cor tuum, et cor seminis tui* (*Deut.* XXX).

XXXIV. Laboremus sicut boni milites Christi, et observemus illud quod scriptum est : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei cui militat placeat* (*II Tim.* II). Si autem quis et in agone

contendat, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus ejus participare, Scriptum est : Omnes populi ibunt unusquisque in viam suam. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur ; ipsi impediti sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus* (*Psal.* XIX).

XXXV. *Qui ambulat in die, non impingit ; qui autem in nocte graditur, impingit, quia lumen non est in eo* (*Joan.* XI). *Nos autem*, sicut dixit Apostolus, *non sumus filii prævaricationis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ* (*Heb.* X). Et alibi : *Omnes*, inquit, *filii lucis estis, et filii Dei* (*I Thes.* III). Non sumus filii noctis, neque tenebrarum. Si ergo sumus filii lucis, debemus scire quæ lucis sunt, et facere fructus luminis in omni opere bono : quod enim manifestatur, lux est. Si in toto corde revertamur ad Dominum, et in præceptis sanctorum illius et Patris nostri simplici corde conversamur, abundabimus in omni opere bono. Quod si superemur carnis voluptatibus, in die quasi in media nocte parietem palpabimus : et non inveniemus viam civitatis et habitaculi nostri, de quo dicitur : *Esurientium et sitientium anima deficit* (*Psalm.* CVI) ; quia contempserunt legem sibi a Deo traditam, et vocem prophetarum non audierunt : et idcirco non potuerunt ad promissam requiem pervenire.

XXXVI. Vigilemus et attenti simus : si enim naturalibus non pepercit, nec nobis parcet. Non de cunctis, sed de negligentibus loquor, quibus jure aptabitur illa deploratio : *Væ eis qui recesserunt a me. Manifesti sunt, quia impie egerunt in me, quia dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cantritos lacus, qui non possunt aquam continere* (*Jer.* II). Et quia non audierunt judices ejus, audiant dicentem Deum : *Constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt : Non audiemus* (*Jer.* II). Unde ista incredulitas ? Nonne ex eo quia alienos cognoverunt, et non adversati sunt ? Loquitur et alibi Spiritus sanctus per prophetam : *Ego enim sum Deus Dominus tuus, qui formavi cœlum, et creavi terram ; cujus manus condiderunt omnem cœli militiam, et non ostendit ea tibi, ut ambulares post illam* (*Isai.* XLV). Quod quidem et per Moysem præcepit, dicens : *Non cum suspexeris cœlum, et videris solem et lunam ac stellas, et omne ornamentum cœli, errore cœli deceptus adores ea* (*Deut.* IV). *Ego sum Deus, qui eduxi te de terra Ægypti, et Deum extra me nescis, et qui salvos posset facere, non est præter me. Ego sum, qui te pavi in solitudine, in terra inhabili, et impleti sunt saturitate, et elevata sunt corda eorum* (*Exod.* XX). Idcirco *obliti sunt mei, et ego tradam eos dispersioni in gentibus cunctis* (*Jer.* IX).

XXXVII. Quæ audientes quasi de somno expergiscamur, et præbeamus nos dignos Domini servituti, ut misereatur et dicat nobis : Invocate me, et ego exaudiam vos. Ipse enim ait : *Qui dispersit Israel, congregavit eum.* Et alibi : *Non faciam*, inquit, *juxta iram furoris mei, nec sic relinquam, ut deleam Ephraim.* Et iterum : *Non in æternum puniam vos, nec semper irascar vobis. Spiritus enim a me egreditur, et omne quod spirat ego feci.* Et in eodem loco jungit ac dicit : *Dedi eis consolationem veram, pacem super pacem his qui erant prope et longe : dixitque Dominus : Sanabo eos* (*Jer.* XXXI). Cujus ut plene misericordiam cognoscamus, Jeremiæ sermone docet, dicens : *Si elevatum fuerit cœlum in sublime, et si humiliatum pavimentum terræ deorsum, ego non replebo gentem Israel pro omnibus quæ fecerunt* (*Jer.* III).

XXXVIII. Cumque tanta clementia sit Salvatoris Domini, et nos provocet ad salutem, convertamus corda nostra ad eum : *Quia jam hora est, ut de somno evigilemus ; nox præcessit, dies autem appropinquavit ; deponamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis* (*Rom.* XIII). Filioli mei, primum ex toto corde diligamus Deum, deinde nosmetipsos amemus mutuo, memores præceptorum Dei Salvatoris, in quibus ait : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis : non sicut mundus dat pacem, ego do vobis. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ* (*Joan.* XIV).

XXXIX. Si quis in domo monasterii sub Præposito manens, nulla re indigens quam in monasterio habere permissum est, et habet patrem fratremque et amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. Si autem comprobatum fuerit quod minus habeat de his quæ præcepta sunt, culpa omnis atque correctio ad Præpositum convertetur.

XL. Vos igitur qui estis principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, et esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes vos reddituros rationem pro omni grege, *super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere, et pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine* (*Act.* XX). Propterea *nos, qui fortiores sumus, debemus infirmitates invalidorum portare, et non nobismetipsis placere, sed proximo in bono ad ædificationem. Nam et Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Rom.* XV). Et iterum : *Non quæro*, inquit, *quod mihi expedit, sed quod omnibus, ut salvi fiant* (*I Cor.* X).

XLI. Si autem Dominus ac Salvator noster ita præcipit, et sancti ita conversati sunt, patres quoque nostri ita nos docuerunt, consurgamus a somno, et quæ sunt nobis præcepta faciamus. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV), et nullus nostrum causa sit erroris alieni, nec æmulemur eos qui prospere agunt in vita sua. Cum enim omnia necessaria carni fuerint consecuti, morientes nihil secum asportabunt. Filii sæculi hujus habent in hoc sæculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, et mundus amat quod suum est. Qui autem filii Dei sunt, illius sermonis evangelici recordantur : *Si mundus vos odit, scitote*

quod me primum oderit (*Joan.* xv). Et iterum : *Qui voluerit esse amicus hujus mundi, inimicus fiet Deo.* Et rursum : *Tribulationem habebitis : sed confidite, ego vici mundum.* Et iterum : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). De filiis autem noctis quid e contrario dicitur? Nonne illud? *Væ vobis, divites, quoniam recepistis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis ac flebitis* (*Luc.* vi).

XLII. Quamobrem mundi amicitias devitemus, ut illud mereamur audire : *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Audivit Dominus, et misertus est mei. Scidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia.* Quis enim sanctorum non in luctu ac tristitia per mundi hujus transivit viam? Jeremias : *Non sedi*, inquit, *cum consilio ludentium, sed tremebam a facie manus tuæ. Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum* (*Jer.* xv). David quoque scribit : *Quasi lugens ac mœrens sic humiliabar* (*Psal.* xxxiv). Quorum nos vestigiis insistentes intelligimus quod salus nostra in tempore tribulationis sit, et prophetæ pollicitatio impleatur dicentis : *Non relinquuntur, qui in angustia sunt usque ad tempus.* Si ergo habet tempus tribulatio et angustia, et non erit sempiterna, seminemus in lacrymis, et metamus in gaudio, non deficientes ; quod noverimus Dominum de tentatione liberare cultores suos.

XLIII. Dominus pater noster est ; Dominus judex noster est ; Dominus princeps, Dominus rex noster ; Dominus ipse nos salvabit ; cujus præcepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse enim dicit : *Qui sequuntur me, possidebunt terram, et hæreditabunt montem sanctum meum* (*Isai.* lvii) : quem et nos possidebimus, si impleamus legem ejus, et audiamus illud quod dicitur : *Mundas facite in conspectu ejus vias vestras.* Et iterum : *Tollite offendicula de via populi mei.* Et alibi : *Ejicite de consilio pestilentem, et egredietur cum eo contentio* (*Jer.* xv). Qui justum dicit injustum, et injustum judicat justum, uterque in conspectu Dei immundus est. Caveamus ne dicatur et de nobis : *Filii alienati sunt ei* (*Psal.* xvii). Et illud : *Filiæ Sion elevatæ sunt, et ambulaverunt in excelso collo, et in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas, et pedibus simul ludentes* (*Isai.* iii), et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion, plena judicio, in qua justitia dormit? Nunc autem latrones* (*Isai.* i). Et : *Populus intelligens commiscebatur meretrici. Tu ergo, Israel, ne ignoraberis* (*Oseæ* iv). Si vero divina meditemur, poterimus illud dicere, quod et David : *Exsultabo super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (*Psal.* cxviii). Et : *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel et favum ori meo. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* cx). Et in alio loco : *Non proposui ante oculos meos rem iniquam : facientes iniquitatem odio habui. Et non adhæsit mihi cor pravum, declinantes a me malignos non agnoscebam ; detrahentem in abscondo proximo suo, hunc persequebar, superbo oculo et insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, ut facerem eos sedere mecum.*

XLIV. Quorum omnium nos imitemur opera, ut sit in diebus nostris pax et justitia, et non nobis illud eveniat, quod alibi legimus : *Super terra populi mei spinæ et fenum consurgent* (*Isai.* xxxii). Sed magis innovemus nobis novalia, et non seminemus super spinas. Cumque custodierimus quæ mandata sunt nobis, manifesti erimus quod diligamus Deum, sicut testatur et in alio loco Scriptura divina : *Qui audit mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diliget me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et veniemus ego et Pater meus, et mansionem apud eum faciemus, et ostendam ei meipsum* (*Joan.* xiv). Et, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* (*Joan.* xv). Tollamus nobiscum multos sermones, et convertamur ad Dominum Deum nostrum, et dicamus ei : *Potes dimittere peccata, ut accipiamus bona, et reddamus ei fructum labiorum nostrorum* (*Oseæ* xiv), et delectetur in nobis anima nostra.

XLV. Atque utinam pœniteat nos erroris et negligentiæ, et conversi ad priora dicamus : *Assur non salvabit nos ; super equos non ascendemus ; nec jam dicemus : Dii nostri opera manuum nostrarum. Deus qui in te est miserebitur pupilli, sanabo habitacula eorum* (*Oseæ* xiv). Rursumque dicet de nobis : *Diligam eos manifeste, et avertam iram meam ab eis. Ero quasi ros ; Israel florebit ut lilium, et mittet radices suas quasi Libanus. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva fructifera, et odor ejus ut thuris. Revertentur et sedebunt unusquisque in tabernaculis suis, et vivent, et confirmabuntur frumento : florebit sicut vinea memoria eorum, sicut odor thuris Ephraim. Quid ei et idolis? Ego humiliabo eum, et confortabo eum. Ego ut juniperus condensa ; ex me fructus ejus inventus est. Quis sapiens, et intelligit hæc ; aut intelligens, et cognoscit ista* (*Ibid.*)? Atque utinam et nos ex eo fructum afferre valeamus, sine quo nihil boni operis fieri potest.

XLVI. Revertamur ad Dominum, ut de nobis quoque possit dicere : *Peccatorum et iniquitatis eorum memor amplius non ero* (*Isai.* xliii). Non relinquamus legem Dei, quam Pater noster ab eo accipiens nobis tradidit, neque parvi ejus mandata pendamus ; ne et super nos planctus ille dicatur : *Quomodo obscuratum est aurum, et immutatum argentum bonum : effusi sunt lapides sancti in omni viarum principio* (*Thren.* iv)? Nec post plurimos labores Patris nostri, quos pro salute nostra suscepit, seipsum exemplum virtutis tribuens, glorians de nobis, et apud sanctos loquens. Isti filii mei sunt, et populus meus filii mei, et non denegabunt ; et post hujuscemodi testimonium

non perdamus fiduciam bonæ conscientiæ, spoliati vestibus quibus nos induit; et introducti ab eo in stadium, ut legitime certemus, non superemur ab inimicis nostris. Et postquam venerimus ad illud tempus quo egrediamur de corpore, ne inimici efficiamur Patris nostri thesauris servientes : ut qui jejuniis et afflictione corporis debuimus acquirere animæ libertatem, carni et deliciis, et pulchrioribus vestimentis, stratisque mollioribus nos dedicemus, non solum ipsi pereuntes, sed et alios qui proficere potuerunt exemplo nostro ducentes ad ruinam, de quibus scriptum est : *Non accepistis spiritum servitutis timorem* (*Rom.* VIII), sed fortitudinis, et charitatis, et pudicitiæ. Et : *Cibus nos non commendat Deo. Neque enim si comederimus, abundabimus : nec si non comederimus, indigebimus. Non est enim regnum Dei cibus et potus, sed justitia, gaudium, et pax in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Qui in hoc servit Christo, placet Deo, probatus est omnibus. Isaias quoque dicit : *Qui exspectant Dominum, immutabunt virtutem, assument pennas ut aquilæ; current, et laborabunt; gradientur, et non esurient* (*Isai.* XL). *Idcirco elevabit signum in gentes, et congregabit profugos Israel. Cito velociter venient : non esurient, neque dormitabunt. Non dormient, nec solvent zonas de lumbis suis, neque rumpentur in calceamentis eorum corrigiæ. Quorum jacula acuta sunt, et intenti arcus; pedes equorum, ut petra fortissima : rotæ curruum quasi tempestas; impetum facient ut leones, et aderunt ut catuli leonum* (*Ibid.* V).

XLVII. Et nos igitur sanctorum imitatores simus, nec obliviscamur institutionis, qua nos erudivit Pater noster, dum adhuc esset in corpore. Ne exstinguamus lucernam ardentem, quam posuit super capita nostra. Ad cujus lumen hujus sæculi incedentes, meminerimus, quod per studium illius Deus nos in propriam familiam receperit, peregrenis hospitium tribuens, in maris turbinibus constitutis portum ostendens, panem in fame, umbram in æstu, vestimentum in nuditate; imperitos præceptis spiritalibus erudivit; vitiis servientes castitate circumdedit; procul positos sibi junxit. Ne post illius dormitionem obliviscamur tantæ bonitatis et beneficiorum immortalium, vertentes furorem in judicium, et fructum justitiæ in amaritudinem, et loquatur contra nos : *Judicate inter me et vineam meam. Exspectavi ut faceret fructum, et fecit iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem* (*Isai.* V); et veniat super nos illa maledictio, quam prophetalis sermo ille prosequitur, et quam omni studio fugere ac vitare debemus, sequentes conversationem eorum qui nos in Domino præcesserunt Patrum pariter ac fratrum : qui renuntiantes sæculo, et inoffenso ad Dominum pergentes gradu, nunc ejus hæreditate potiuntur : quam vereor ne perdamus nostra desidia, et illud nobis propheticum aptetur, quod dictum est in Ephraim : *Oleum in Ægyptum mercatur* (*Oseæ* XII). *Mixti sunt in gentibus, et didicerunt opera eorum* (*Psal.* CV). Ne postquam vocati sumus in libertatem, sicut scriptum est : *Tollam vos unum de populo, et duos de familia, et inducam vos in Sion, et dabo vobis pastores secundum cor meum, qui pascant vos cum disciplina* (*Jer.* III); resolvantur vincula charitatis, et dicatur de nobis : *Filius glorificat patrem, et servus dominum suum. Si pater ego sum, ubi est gloria mea? Si Dominus, ubi est timor meus* (*Malach.* I)?

XLVIII. Idcirco unusquisque nostrum clamat ad Dominum : *Muri Sion deducant sicut torrentes lacrymas die ac nocte. Ne des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Surge, et lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum : effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Leva ad illum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in capite universorum gressuum* (*Thren.* II). Ne illud contra nos dicatur : *Luxit et corruptus est orbis. Luxerunt excelsi terræ, et terra impie egit propter habitatores suos : dereliquerunt enim legem, et immutaverunt præcepta mea testamentum æternum. Idcirco maledictio devorabit terram, quia peccaverunt habitatores ejus, et dereliquerunt homines pauci* (*Isai.* XXIV). Ne et nostrum vinum lugeat et vinea, et ingemiscant, qui prius toto animo lætabantur, dicaturque de nobis : *In domo insaniam confinxerunt, corrupti sunt sicut dies collis.* Aut illud : *Captio ex vobis est.* Et, *Dixistis enim, fecimus testamentum cum inferno, et cum morte pactum* (*Isai.* XXVIII). Quæ verba vitantes, credimus magis, quod in tempore suo *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel, qui percutiet principes Moab, et filios Seth* (*Num.* XXIV). *Ut non sit in domo Israel stimulus furoris, et spina doloris* (*Ezech.* XXVIII). *Quia facta est Domino pars ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* (*Deut.* XXXII). Et alibi loquitur Jeremias : *Si cessaverit in conspectu meo lex ista, gens etiam Israel cessare poterit* (*Jer.* XXXI). Et rursum : *Dabo laborem eorum justis, et testamentum æternum ponam cum ipsis, et scietur in gentibus semen eorum, ac nepotes. Omnis, qui viderit eos, cognoscet, quia isti sunt semen a Domino benedictum, et gaudia perfruentur Domini* (*Isai.* LXI).

XLIX. Et nos ergo scrutemur vias nostras, et gressus dijudicemus, et sequamur odorem scientiæ : abscondentes semper verba ejus in cordibus nostris, ut simus immaculati in via, et in lege Domini ambulemus. Non nos terreat fragilitas corporis, et longi temporis labor. *Patres vestri ubi sunt, et Prophetæ*, ut scriptum est, *nunquid æternum vivent? Verba autem mea et legitima mea suscipite, quæ ego præcipio in Spiritu meo servis meis prophetis, qui fuerunt cum patribus vestris* (*Zach.* I). Sentiamus ineffabilem clementiam Dei nostri, qui usque hodie ad pœnitentiam nos hortatur, dicens : *Nunquid qui cadet non resurget? aut qui aversatur, non revertetur? Quare aversatus est populus meus aversione impudenti, et obtinuerunt in voluptatibus suis, et noluerunt reverti* (*Jer.* VIII)? Si reversi fuerimus ad eum, ædificabit nos Spiritu suo, juxta illud quod scriptum est: *Ædifi-*

cans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit (*Psal.* CXLVI).

L. Quod autem nostri cœtus et communio ex Deo sit, qua nos invicem copulamur, Apostolus nos docuit dicens : *Bonorum operum communionis oblivisci nolite, talibus enim victimis placatur Deus* (*Hebr.* XIII). In Actibus apostolorum quoque idem legimus : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, et nullus suum quid dicebat, sed erant eis universa communia. Et virtute magna dabant apostoli testimonium resurrectionis Domini Jesu* (*Act.* IV). Et Psalmista in eadem verba consensit, dicens : *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Et nos in cœnobiis commorantes, et nobis mutua charitate sociati, demus studium, ut quomodo sanctorum Patrum in hac vita meruimus consortium, ita in futuro quoque participes eorum simus : scientes quod crux vitæ nostræ doctrinæque principium sit, et oporteat nos cum Christo pati, et nosse, quod absque tribulationibus et angustiis nullus victoriam consequatur. *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, coronam vitæ accipiet* (*Jac.* IV). Et iterum : *Laboravit in sæculum, et vivet in æternum. Si tamen compatimur, ut et glorificemur. Æstimo*, inquit, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Et alibi scriptum est : *Existimavi, ut cognoscerem hoc, labor est in conspectu meo* (*Psal.* LXXII). Et iterum : *Ego laboravi sequens te, et diem hominum non consideravi* (*Jer.* XVII). Et alio loco : *Multæ tribulationes justorum, et ex omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et Dominus noster loquitur in Evangelio : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Et alibi : *Hic est liber mandatorum, et lex scripta in sempiternum. Omnes qui observaverint eam, vivent ; qui autem dereliquerint, morientur. Revertere, Jacob, et apprehende eum ; ambula in splendore luminis ejus, et non des alteri gloriam tuam, et ea quæ conducunt tibi, genti alienæ. Beati sumus, Israel, quia placita Deo nostro nota sunt nobis. Confide, populo meus, memoriabilis Israel* (*Baruch.* IV). Et iterum Isaias loquitur : *Lætare, Israel, et festum agite diem, omnes qui diligitis eum. Gaudete, qui confiditis in eo, ut fugatis, et impleamini ex uberibus consolationis ejus* (*Isai.* LXVI).

LI. Habeamus curam legendarum et discendarum Scripturarum, et in earum semper meditatione versemur, scientes scriptum : *Ex fructu oris sui vir saturabitur, et merces labiorum ejus reddetur* (*Prov.* XIII). Hæc sunt quæ nos ducunt ad æternam vitam quæ nobis tradidit Pater noster et jugiter meditanda præcepit ; ut impleatur illud in nobis, quod scriptum est : *Erunt hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo et in anima tua ; docebis ea filios tuos, et loqueris in eis sedens in domo, et ambulans in via, et accubans, atque consurgens. Scribe ea pro signo in manu tua, et erunt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoque ea in postibus domuum tuarum, et in liminibus, ut discatis timere Dominum cunctis diebus quibus vivitis* (*Deut.* XI). Salomon quoque ipsum significans dicit : *Scribe ea in latitudine cordis tui* (*Prov.* III).

LII. Considerate quantis testimoniis ad meditationem sacrarum Scripturarum nos sermo Domini cohortetur, ut quæ ore volvimus, corde possideamus. *Bonum est homini, cum levaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quoniam levabit super se jugum, dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, quoniam non semper abjiciet Dominus* (*Thren.* III). Et alibi scriptum est : *Recordatus sum misericordiæ infantiæ tuæ.* Et iterum : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua, et exsultet cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui absque macula, et in conspectu oculorum tuorum, et scito quoniam in omnibus his adducat te Dominus in judicio. Aufer furorem a corde tuo, et malitiam a carne tua, quoniam adolescentia et stultitia vanitas est* (*Eccl.* XI). Et, *Memento creatoris tui in diebus adolescentiæ tuæ, donec veniant dies pessimi, et occupent anni, in quibus dices : Non est mihi in eis voluntas ; donec obtenebrescat sol, et lux, et luna, et stellæ, et convertantur nubes post pluviam. In die qua movebuntur custodes domus, et subvertentur viri virtutis, et cessent molentes, quia paucæ factæ sunt ; et obscurabuntur, quæ vident in foraminibus, et claudent vias in foro in infirmitate vocis molentis. Et exsurgent ad vocem passeris, et humiliabuntur omnes filii cantici. Et quidem ab alto aspicient, et pavores in via, et floreat amygdalum, et ingrassetur locusta, et scindatur capparis. Quoniam abiit homo in domum sæculi sui, et gyraverunt in foro qui plangunt, quoadusque evertatur funiculus argenti, et conteratur monile auri, et confringatur hydria ad fontem, et impediatur rota super lacum, et convertatur pulvis in terram, sicut fuit, et spiritus revertatur ad Dominum, qui dedit eum* (*Ibid.* XII). In Evangelio quoque scriptum est : *Pueri, nunquid habetis pulmentum ? Mittite in dexteram partem navis, et invenietis* (*Joan.* XXI). Et iterum : *Omnis puer ac juvenculus, qui nescit hodie bonum ac malum, ipsi intrabunt in terram bonam.* Ac rursum : *Omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum vocabitur* (*Exod.* LIV). Et in Evangelio : *Puer autem ibat, et crescebat, et proficiebat apud Deum et apud homines* (*Luc.* II). Jesus quoque minister Moysi juvenis erat, et non egrediebatur de tabernaculo Dei. Et de David scriptum legimus : *Puer flavi coloris, elegantibus oculis* (*I Reg.* XVI). Timotheus quoque adhuc puer et adolescens sacris litteris eruditus est, ut ad fidem Domini Salvatoris illarum semita perveniret. Et de Daniele, quia eruditus erat, scriptum legimus, quod vir desideriorum appellatus sit (*Dan.* X). Joseph quoque erat dilectissimus patri suo, quoniam ejus imperiis serviebat, et decem ac septem adhuc natus annos præcepta illius legem vitæ suæ arbitrabatur.

LIII. Et hæc cuncta replicavi, ut sanctorum vitas considerantes, non circumferamur omni vento do-

ctrinæ (*Ephes.* IV), sed laboremus, et eorum conversationem nostræ vitæ propositum habeamus exemplum, ut simus populus Dei peculiaris. Nec contristemus Spiritum sanctum, in quo signati sumus in die redemptionis; ne illum exstinguamus in nobis : et prophetias non contemnamus; ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis non demus locum. Nullum alium timeamus, præter Deum, qui ultor et judex est operum singulorum, et cum sancto sanctus est, et cum viro innocente innocens (*Psal.* XVII); et dicit : *Ego amantes me diligo, et qui me quærent invenient gaudium* (*Prov.* VIII). Et alibi loquitur : *Si ambulaveritis contra me perversi, ego ambulabo contra vos perversus* (*Lev.* XXVI).

LIV. Non irascamur invicem (*Psal.* IV) : etiamsi ira nos vicerit, non peccemus irati, solis occubitum pœnitentia præoccupantes (*Matth.* XVIII). Memineri-mus esse præceptum, quoties peccanti in nos ignoscere debemus, et munus nostrum relinquere ante altare : quod nequaquam suscipitur, si non fuerit reconciliatione placabile (*Ibid.* V) : ut possimus dicere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Luc.* XI). Et Apostolus præcepit : *Si quis habet adversus aliquem querimoniam, sicut et Christus donavit nobis, sic facite* (*Col.* V). Simus discipuli mansuetudinis sanctorum omnium, et præcipue David, de quo scriptum est : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI). Et Moysi, de quo legitur, quod fuerit mansuetus super omnem terram (*Num.* XII). Et Dominus in Evangelio de mansuetis ac mitibus loquitur : *Beati mansueti et mites corde, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Magnæ sapientiæ est, mansuetudinem possidere, et audire : *Sapiens esto, fili, ut lætetur cor meum* (*Prov.* X). Et iterum : *Imitatores estote Dei, filii charissimi* (*Ephes.* V). Et, *Estote perfecti, sicut et Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est* (*Marc.* V). Et alibi : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus* (*Lev.* V).

LV. Quæ legentes testimonia, seminemus nobis justitiam, ut metamus fructum vitæ. Illuminemus lucem scientiæ, quia tempus est ut cognoscamus Deum, donec veniat fructus justitiæ nobis. *Ecce nunc tempus acceptabile, et dies salutis* (*II Cor.* VI). Et vere, secundum quod scriptum est, *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII). Joanne in hæc eadem concinente : *Hoc præceptum accepimus a Patre, ut diligatis invicem* (*Joan.* XV). Et, *Qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (*II Joan.* IV). Et, *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, occidit fratrem suum. Et quare occidit? quia opera ejus maligna erant; fratris autem ejus bona. Non admiremur, fratres, si oderit nos mundus : nos scimus, quia transivimus de morte ad vitam, eo quod diligamus fratres* (*I Joan.* III). Ergo diligamus nos mutuo.

LVI. Loquar aliud ad vos audentius, filii charissimi. Ex quo credidit mihi Deus conversationis vestræ et sanctæ conversationis gregem, non cessavi lacrymis monere, et docere singulos, ut placeatis Deo; nec subtraxi aliquid, quod vobis utile sentiebam, ut dicerem : *Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ejus, qui potest vos ædificare, et dare vobis hæreditatem cum sanctis* (*Act.* XX). Vigilate, omni studio curaque contendite, ne obliviscamini propositi vestri, sed implete quod vos scitis esse pollicitos. *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ adest : qui certamen bonum ex parte certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum mihi, sed et omnibus qui dilexerunt justitiam ejus* (*II Tim.* IV), et omnia Patris mandata fecerunt. *Finis verbi: omnia audi, Deum time, et mandata ejus custodi; quoniam omnis homo : universum opus Deus adducet in judicium, sive bonum, sive malum sit* (*Eccl.* XII).

Explicit doctrina sancti Orsiesii.

REGULA ORIENTALIS

ORIENTALIUM REGULIS COLLECTA A VIGILIO DIACONO.

DE REGULA ORIENTALI VETERUM TESTIMONIA.

Gennadius Massil. Script. Eccl., cap. 51.

Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum, monachorum regulam, quæ in cœnobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone, totius monasticæ professionis in se tenentem disciplinam.

Sanctus Benedictus Anianæ abbas Concordiæ Regularum multa Orientalis, sive Orientalium regulæ capita inserit.

Smaragdus quoque abbas in expositione Regulæ sancti Benedicti, cap. 28, Regulam Orientalem, capita autem 31, Regulam Patrum Orientalium appellat.

Annales Trevirenses in Apologia monasterii sancti Maximini part. II, cap. 1. Et apud Christoph. Brouerum lib. VII Annal. Trevir.

Erecta fuit ibidem religio Christiana monastica sub Regula Orientalium Monachorum.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Hucusque octo Regulæ Orientalium Patrum exhibitæ sunt in hoc Lucæ Holstenii Codice, ex quibus Vigilius diaconus hanc monachorum Regulam composuit, quæ proin merito et *Orientalis* dici potest, quamvis in Occidente scripta videatur. Laudat quidem hanc Regulam Gennadius, asseritque illam breviato et aperto sermone totius monasticæ professionis disciplinam continere, ex qua proin sanctus Benedictus, Anianæ abbas, suæ Regularum Concordiæ multa inseruit; quemadmodum et Smaragdus, Sancti Michaelis in Lotharingia abbas, in sua Regulæ Benedictinæ Expositione. Constat autem hæc Regula XLVII capitibus, quibus includitur quidquid ad bonum cujusque monasterii regimen pertinet, et quæ ex Regula sancti Pachomii plerumque desumitur; cum persæpe ibidem propriæ sancti Pachomii sententiæ reperiantur. Vixit quidem Vigilius diaconus sæculo quinto, sed ignoratur cujus ecclesiæ fuerit diaconus, quamvis apud Gallos floruisse supponi possit, cum nonnulli contendant hanc Regulam Orientalem, ab ipso compositam, in monasterio Sancti Maximini Trevirensis eodem sæculo fuisse observatam.

INCIPIT REGULA ORIENTALIS.

I. Ut neque seniores in regendis fratribus inaniter laborent, neque disciplina juniorum vacillet, quæ abbatis conversatione stabilita firma sit, oportet abbatem irreprehensibilem esse, severum, patientem, jejunum, pium, humilem: ut doctoris et Patris locum impleat seipsum formam præbens bonorum operum. Ad cujus ordinationem omnes fratres respiciant; nihil sine consilio et auctoritate ipsius facientes. Qui sustinens monasterii necessitates de omnibus quæ in monasterio sunt libere judicabit; nullius personam accipiens, nec ulli gratiam præstans, seu unumquemque secundum merita quotidianæ conversationis in veritate judicans, admoneat, hortetur, castiget, condemnet, vel suscipiat, si ita utile videtur, venientes ad monasterium; vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes.

II. In monasterio seniores sint duo, ad quos vel præsente abbate vel absente omnium fratrum disciplina et omnis cura monasterii pertineat: dantes sibi vices per dies, et dividentes inter se pondus ac necessitatem monasterii; ex quibus unus tempore suo præsens in monasterio semper erit, ad præstandum abbati solatium, vel obsequium advenientibus fratribus; et ad procedendum, ubi necessitas communis exegerit, atque diligentiam circa omnia quæ ad quotidianam custodiam et conversationem monasterii pertinent adhibendam: ut quæcunque ad obsequium usumque monasterii facienda sunt, sine negligentia et querela faciant. Alius cum fratribus erit, tempore suo exiturus cum ipsis ad omnia opera et omnem necessitatem, providens ne quid contra disciplinam faciant. Qui considerans omnes actus singulorum, si quæ contra rationem facta viderit, sed per se emendet, vel abbati indicet.

III. Ille vero, qui secundum ordinem disciplinæ ordinatione abbatis ex consilio et voluntate omnium fratrum fratribus præpositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum et diligentiam monasterii revocabit; habens potestatem abbate absente faciendi omnia quæ abbas præsens facit. Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, æquitatem, sine personarum acceptione servabit; ita agens, ut nec abbati tædium generet, nec fratres intemperantia illius laborent. Hæc observabit senior monasterii qui fratribus præpositus est, referens ad abbatem omnia, vel præcipue illa quæ per se non voluerit explicare.

IV. Commendatum aliquod etiam a germano fratre nullus accipiat: nihil in cella sua absque Præpositi jussione quispiam habeat, nec poma quidem vilissima, et cætera hujuscemodi.

V. Operantes vero fratres nihil loquantur sæculare: sed aut meditentur ea, quæ sancta sunt, aut certe silebunt.

VI. Qui autem coquinat, antequam fratres reficiant, non gustabit quidquam.

VII. Nemo in cella aut in domo sua habeat quidquam præter ea, quæ in communi monasterii lege præcepta sunt.

VIII. Cumque ad dormiendum se collocaverint, alter alteri non loquatur. Cellam alterius, nisi prius ad ostium percutiat, introire non audeat.

IX. Mutare de his quæ a Præposito acceperit cum altero non audebit. Nec accipiet melius et dabit deterius, aut e contrario dans melius et deterius accipiens. Nemo ab altero accipiat quidpiam, nisi Præpositus jusserit.

X. Clausa cella nullus dormiat, nec habeat cubiculum quod claudi possit, nisi forte ætati alicujus vel infirmitati Pater monasterii concesserit.

XI. Nemo a terra solvat funiculum absque jussione Patris. Qui in monasterio fratrum invenerit quidpiam, suspendat ut tollat qui cognoverit.

XII. Ad collectam et ad psallendum nullus sibi occasiones inveniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit. Et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi et psallendi tempus non prætermittat.

XIII. Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio. In qualicunque omnino arte, quæ exercetur a fratribus, si quid perierit, et per negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a Patre minister operum; et ipse iterum increpet alium qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et præscientiam principis, absque quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

XIV. Si inventus fuerit unus a fratribus aliquid

per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabit juxta mensuram peccati sui.

XV. Qui mentitur, aut odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus joco quam honestum est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut habens consuetudinem fratribus detrahendi vel his qui foris sunt, et omnino quidquid contra Regulam Scripturarum est et monasterii disciplinam, et audierit Pater monasterii, vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

XVI. Si omnes fratres viderint Præpositum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, et mensuram monasterii excedentem, referant hoc Patri, et ab eo increpetur. Ipse autem Præpositus nihil faciat, nisi quod Pater jusserit: maxime in re nova. Quæ ex more descendit, servabit Regulam monasterii.

XVII. Præpositus vero non inebrietur, nec sedeat in humilioribus locis. Ne rumpat vincula quæ Deus in cœlo condidit ut observentur in terris. Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suæ juxta mensuram Sanctorum. Non inveniatur in excelsis cubilibus, imitans morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei. Non resistat sublimioribus tumenti animo potestatibus. Ne fremat, nec hirriat iratus super humiliores; nec transferat terminos Regulæ. Non sit fraudulentus, neque in cogitationibus verset dolos; nec negligat peccatum animæ suæ; nec vincatur carnis luxuria. Non ambulet negligenter. Non loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes cæci. Non doceat voluntatem animam suam. Non resolvatur risu stultorum ac joco. Non capiatur cor ejus ab his qui inepta loquuntur et dulcia. Non vincatur muneribus; non parvulorum sermone ducatur. Non deficiat in tribulatione. Non mortem timeat, sed Deum; non prævaricator sit propter imminentem timorem. Non relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non nutet ac fluctuet in operibus suis. Non mutet sententiam, sed firmus sit solidique decreti; justus, cuncta considerans; judicans in veritate absque appetitu gloriæ; manifestus Deo et hominibus, et a fraude procul. Ne ignoret conversationem suorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat. Nulli noceat per superbiam; nec sequatur concupiscentias oculorum. Veritatem nunquam prætereat: oderit injustitiam. Secundum personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros: non deserat veritatem timore superatus. Non despiciat eos, qui indigent misericordia. Non deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam: ne respiciat dapes lautioris mensæ: nec pulchra vestimenta desideret; nec se negligat, sed semper dijudicet cogitationes suas. Non inebrietur vino, sed humilitati junctam habeat veritatem. Quando judicat, sequatur præcepta majorum et legem Dei, quæ in toto orbe prædicata est.

XVIII. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commoneatur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis, et timoris Dei: si non cessaverit, corripiatur, ut dignus est correptione severissima.

XIX. Qui contemnunt præcepta majorum, et Regulas monasterii, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, et parvipendunt seniorum consilia, corripiantur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

XX. Majores, qui cum fratribus mittuntur foras, quandiu ibi fuerint, habebunt jus Præpositorum, et eorum regentur arbitrio. Docebunt fratres per constitutos dies; et si forte inter eos ortum fuerit aliquid simultatis, audient ipsi majores, et dijudicabunt causam, et dignum culpa increpabunt; vel ad imperium eorum statim pacem pleno corde consocient.

XXI. Si quis frater contra Præpositum suum habuerit tristitiam, aut ipse Præpositus contra fratrem aliquam querimoniam, probatæ fratres conversationis et fidei eos audire debent, et dijudicabunt inter eos. Si tamen absens est Pater monasterii, vel alicubi profectus, primum quidem exspectabunt eum: sin autem diutius vident foris demorari, tunc audient inter Præpositum et fratrem; ne diu suspenso judicio tristitia major oriatur, ut et ille qui Præpositus est, et ille qui subjectus est, et illi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, et non dent in ullo occasionem discordiæ.

XX. Nullus mittatur foras ad aliquod negotium solus. Missi vero non singuli, sed bini vel terni ambulent: ut dum se invicem custodiunt et consolantur, et seniores eorum de honesta eorum conversatione securi sint, et illi non periclitentur. Observantes tamen hoc, ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligentiæ dent locum destructionis; sed unusquisque in actu suo attentus sit, prout tempus fuerit.

XXIII. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint aliquem quærentem suorum affinium, de his qui in monasterio commorantur, non valebunt ire ad eum, et nuntiare, vel evocare. Et omnino quidquid foris gesserint, in monasterio narrare non præsumant.

XXIV. Omnibus erit potestas legendi usque ad horam tertiam: si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam aliquid fieri. Post horam vero tertiam si quæ statuta sunt, sicut scriptum est, per superbiam, vel negligentiam, vel desidiam interredentem non custodierit, sciat se cum in hoc errore deprehensus fuerit, culpabilem judicandum; quia per suum errorem et alios in vitium mittit.

XXV. Cellarii vero cura sit, ut abstinentiam et sobrietatem studens illata in monasterio ad sumptus fratrum diligenter et fideliter servet: nihil suscipiens, nec quidquam tradens sine auctoritate vel seniorum consilio. Qui etiam omnia utensilia, quæ in monasterio sunt, id est, vestem, vas, ferramentum, et

quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat; et unamquamque rem proferens, cum fuerit necessarium, ab eo iterum ad reponendum, cui utendo consignaverit, recepturus. Ad victum vero fratrum proferat ac tradat septimanariis, ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidianæ expensæ consuetudinem, neque profuse, neque avare; ne vitio ipsius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil ægrotantium desideriis neget ex his, quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus diversis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis cellarii, recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, vel præcipue de his quæ proprio suo intellectu non potuerit adimplere.

XXVI. Ostiarii cura sit, ut omnes advenientes intra januas recipiat; dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia, ac statim nuntians vel abbati, vel senioribus, quis venerit, et quid petierit. Nec ullus extraneorum patiatur injuriam; neque habeat cum aliquo de fratribus necessitatem ac facultatem loquendi, absque scientia abbatis vel seniorum præsentia. Si quid vero cuicunque de fratribus missum mandatumque fuerit, nihil ad ipsum perveniat priusquam abbati vel senioribus indicetur. Ante omnia ostiarius monasterii hæc observabit, ne quemquam de fratribus foris januam exire permittat.

XXVII. Si quis accesserit ad ostium volens sæculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non habeat libertatem intrandi; sed prius nuntietur Patri monasterii, et manebit paucis diebus foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam, et psalmos quantos potuerit discere; et diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit, ut turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit; et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas; quæ facere debeat, quibusque servire, sive in collecta omnium fratrum, sive in domo cui tradendus est, sive vescendi ordine: ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Hæc observabit custos januæ, referens omnia, sicut superius scriptum est, et annuntians senioribus.

XXVIII. Septimanarii ad cibos parandos, vel ad luminaria concinnanda, vel ad nitores faciendos, et quæ ad obsequium ususque monasterii pertinent, semper parati sint. Hos nulla alia necessitas occupet, sed in hoc studium impendant, ut rem susceptam utiliter et diligenter impleant. Et si quid forte nesciunt, de his quæ agere debent, sine dissimulatione seniores suos semper interrogent.

XXIX. Hi itaque quibus disciplina, vel utilitas, vel opinio, vel obsequium monasterii creditur, officia sibi injuncta fideliter custodiant et impleant. Hos enim errare non decet, qui ad omnes errores emendandos præpositi sunt. Qui si vel superbia, vel negligentia, vel desidia aliqua ex his prætermiserint, quæ in Regula continentur; per ipsosque destructio esse cœperit, per quos debet ædificatio crescere, omnibus condemnationibus, quas Regula continet, subjacebunt.

XXX. Inter omnes fratres hoc observabitur, vel obedientes senioribus suis, et deferentes sibi invicem, habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, pacem sine figmento et mendacio, et maledictione, et verbositate, et jurandi consuetudine, ita ut nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet; sed habeant omnia communia.

XXXI. Sine seniorum verbo et auctoritate nullus fratrum quidquam agat: neque accipiat aliquid, neque det; neque usquam prorsus procedat.

XXXII. Cum vero inventa fuerit culpa, ille qui culpabilis invenitur, corripiatur ab abbate secretius. Quod si non sufficit ad emendationem, corripiatur a paucis senioribus. Quod si nec sic emendaverit, excommunicetur, et non manducet quidquam. Cui si nec hoc quidem profuerit, in quolibet loco fuerit, postremus inter omnes in psallendi ordine ponatur. Quod si in pravitate perseverat, etiam psallendi ei facultas auferatur. Quem si vel hæc confusio non commoverit, abstineatur a conventu fratrum; ita ut nec mensæ, nec Missæ intersit, neque cum eo ullus frater de junioribus colloquatur. Abstinebitur autem tamdiu, quandiu vel qualitas culpæ poposcerit, secundum abbatis ac seniorum arbitrium; vel se ex corde pro culpa pœnitens humiliaverit, et veniam erroris sui omnibus præsentibus petierit. Quod si in fratrem peccavit, etiam ab eo fratre veniam petat, cui injuriam fecit.

XXXIII. Si quis errori ejus consenserit, et secundum duritiam illius magis consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se, cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum.

XXXIV. Hoc etiam addendum fuit, ut frater, qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, et non respondeat arguenti se: sed humiliet se in omnibus et emendet.

XXXV. Si vero fuerit aliquis tam durus, et tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et velut extraneus habeatur: ne vitio ipsius alii periclitentur.

XXXVI. Quod si aliquis locutus fuerit, vel riserit in vescendo, increpetur, et agat pœnitentiam.

XXXVII. Si quis ad manducandum tardius venerit absque majoris imperio, similiter agat pœnitentiam, aut ad cellam suam jejunus revertatur.

XXXVIII. Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum soni dabit. Ministri vero absque his quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

XXXIX. Nemo plus alteri dabit quam alter accepit; quod si obtenditur infirmitas, Præpositus domus

perget ad ministros ægrotantium, ab his quæ necessaria sunt accipiet.

XL. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipientur : lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii præceptum, et præbebunt eis omnia quæ apta sunt usui monachorum.

XLI. Si quis ad ostium monasterii venerit, dicens velle se videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit abbati, et permittente eo accipiet comitem, cujus fides probata est; et sic mittetur ad fratrem videndum vel proximum.

XLII. Si propinquus alicujus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam, nisi Pater monasterii præceperit.

XLIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

XLIV. Nemo alteri loquatur in tenebris; nullus in psiathe cum altero dormiat; manum alterius nemo tencat; sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, uno cubito distet ab altero.

XLV. Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus; et sic agat pœnitentiam publice in collecta.

XLVI. Si Præpositus injuste judicaverit, injustitiæ ab aliis condemnabitur.

XLVII. Qui consentit peccatis, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, corripietur increpatione severissima.

Explicit Regula Orientalis.

SANCTI BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ EPISCOPI

REGULA AD MONACHOS.

DE S. BASILIO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

S. Gregorius Nazianz., orat. 20, in S. Basilium.

Quis magis quam ille aut virginitatem coluit, aut carni leges imposuit; idque non suo tantum exemplo, sed etiam opera aliis impensa? Cujus sunt virginum cœnobia, et scripto comprehensa Regularum statuta; quibus et sensus omnes castigabat, et membra omnia componebat, et veram virginitatem servare admonebat.

Gregorius presb., orat. de S. Greg. Naz.

Hic porro commorantes (*Gregorius et Basilius*) et mutua exstimulatione virtutem augebant, et vitæ monasticæ leges piis Deoque devotis hominibus atque a mundi societate disjunctis ferebant, Lycurgi legibus placidiores, Solonis graviores, Minois æquiores. Imo vero ut de his viris sublimius aliquid dicam, Moysem imitantur, nubeque obtecti, atque ut a tumultuaria et turbulenta hac vita procul se removerent, in montem secedentes, legislatoris officio fungebantur.

S. Hieronymus, Script. Eccl., cap. 116.

Basilius Cæsareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, episcopus, egregios contra Eunomium elaboravit libros, et de Spiritu sancto volumen, et asceticum, et breves variosque tractatus.

Rufinus, Hist. eccl., lib. II, cap. 9.

Basilius Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos, et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, et prædicatione succendere, callumque ab his longæ negligentiæ cœpit abolere, subegitque, abjectis inanium rerum et sæcularium curis, suimet notitiam recipere, in unum coire, monasteria construere, psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare; pauperum curam gerere, eisque habitaculis honesta, et quæ ad victum necessaria sunt præbere, virgines instituere, pudicam castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provinciæ facies, ut in arido et squalenti campo videretur seges fecunda ac læta vinea surrexisse.

Et mox : Exstant quoque utriusque ingenii monumenta magnifica tractatuum, quos ex tempore in Ecclesiis declamabant : ex quibus non denas ferme singulorum orationculas transfudimus in Latinum; Basilii præterea Instituta monachorum : optantes, si poterimus, et Dei favor adjuverit, eorum plura transferre.

Sozomenus, Hist. Eccl., lib. III, cap. 15.

Apud Armenios, Paphlagones et Ponti incolas Eustachius Ecclesiæ Sebastiæ in Armenia antistes primus vitam monasticam ejusque exercitium accuratum cœpisse dicitur, ita ut librum de Institutis monachorum, qui Basilii Cappadocis nomine inscribitur, ab hoc conscriptum nonnulli affirment.

Ita et Nicephorus Callist., lib. IX, cap. 16, et lib. XIII, cap. 29.

Photius P. CP. Biblioth. cod. 191.

Legi sancti Basilii episcopi Cæsareæ Cappadociæ Asectica, ut vocant, duobus libris comprehensa. Utile hoc opus si quod aliud cuivis pietatis studioso et æterna bona consectanti; maxime vero his qui in cœnobio religiosæ vitæ exercitio incumbunt. Continet autem variarum quæstionum ex sacris litteris, quæ ad mores componendos faciant, succinctas cum explanatione solutiones.

Idem, cod. 144.

Legi ejusdem sancti Basilii Ascetica, hoc est, monasticæ vitæ præceptiones; ex quarum præscripto qui vixerit, regno cœlesti potietur.

Theodorus Studita, Orat. in sanctum Platonem.

Primum dedit operam ut studiose magni et divini Basilii Constitutiones legeret, ex quibus sui temporis consuetudinem a monastica constitutione alienam esse didicit.

Sanctus Benedictus, Regulæ, cap. 73.

Collationes Patrum, et instituta et Vitæ eorum; sed et regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum exempla, et instrumenta virtutum?

Gregorius Turon., Hist. Franc., lib. x, *cap.* 29.

Aredius ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum qui monasterialem vitam instituerunt celebrantur Regulæ.

Vita sancti Eugendi abbatis, cap. 14.

Prout memoriæ, Christo inspirante, suggeritur, abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic namque quod non omnino illa quæ sanctus ac præcipuus Basilius, Cappadociæ urbis antistes, vel ea quæ sanctorum Lirinensium Patres, sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus abbas, sive illa quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione calcemus; sed ea quotidie lectitantes, etc.

Vita sancti Philiberti abbatis.

Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Justinianus quoque imp. epistola ad Menam P. CP. contra Origenem, locum affert sancti Basilii, ἐκ τοῦ κανονικοῦ αὐτοῦ βιβλίου, sive ex libro ejus Regularum: quo etiam frequentissime utuntur sanctus Benedictus Anianensis et Smaragdus, vetusti Regulæ Benedictinæ expositores.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Testimonia sanctorum Patrum allata, atque varia edita eruditissima scripta satis denotant doctrinam et pietatem sancti Basilii Magni, jam dudum fastis sanctorum ascripti, et inter primos utriusque Ecclesiæ doctores numerati. Ille enim Cæsariensis archiepiscopus vitam monasticam apprime excoluit, et inter erudita ejus Opera tribus voluminibus contenta, a Juliano Garnerio Benedictino edita Parisiis anno 1722, reperiuntur varia Ascetica in duas partes, quasi Regulas distinctas monasticas, divisa, quæ proin Regulæ sancti Basilii appellantur, et quas ex Græco in Latinum transtulit, atque eruditam præfationem præmisit Rufinus Presbyter Aquileiensis. Et quidem prima pars appellatur *Regula fusius tractata*, quemadmodum et secunda dicitur *Regula brevius tractata*; quas tamen Rufinus in unum conjunxit, atque ex illis hanc præsentem Regulam sub nomine sancti Basilii observandam monachis proposuit. Tota autem hæc Regula constat 203 quæstionibus cum earum responsionibus, ex sancta Scriptura desumptis, quibus continentur omnia quæ ad perfectionem Christianam pertinent, vel ad essentialia monachorum munia speciatim spectant. Etsi enim sanctus Basilius non tangat exteriores cæremonias et observationes, ab aliis monasticæ vitæ legislatoribus præscriptas circa divini officii ordinem, susceptionem hospitum, laborem manuum, formam vestimentorum, correctionem culparum potus et cibi, etc.; attamen ad reformandum interiorem hominem salutaria præcepta tradit, maxime attendens ad morum constitutionem et cordis directionem. Hinc sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ad calcem suæ Regulæ inter alias sanctorum Patrum doctrinas summopere laudat hanc Regulam, sanctumque Basilium nominat suum Patrem spiritualem. Atque etiamnum hodie monachi Orientales pro norma vitæ hanc Regulam amplectuntur, observantes tamen pro externis ritibus et cæremoniis aliarum Regularum diversa statuta; nec sane solum in Oriente, sed etiam in Occidente reperiuntur monachi Basiliani, præsertim in Polonia, Italia et Hispania. Natus est autem sanctus Basilius anno 329; atque anno 355 sæculum reliquit, quamvis Ascetica sua, sive hanc præsentem Regulam, ante annum 555 non conscripserit, anno 379 defunctus.

INCIPIT PRÆFATIO RUFINI

PRESBYTERI AQUILEIENSIS

IN REGULAM S. BASILII AD URSEIUM ABBATEM.

Satis libenter, charissime frater Ursei, adventantes de partibus Orientis, et desiderantes jam fratrum consueta consortia, monasterium tuum ingressi sumus; quod superpositum angusto arenosi tramitis dorso hinc atque hinc passivi et incerti maris unda circumluit: rara tantummodo latentes locos eminus arguit pinus, ex qua et Pineti clarum nomen sæculo dedit. Eo tamen maxime delectati sumus, quod non, ut aliquis mos est, vel de locis, vel de opibus Orientis sollicite percontatus es; sed quænam ibi servorum Dei haberetur observatio, quæ animi virtus, quæ instituta servarentur in monasteriis, requisisti. Ad hæc ego ne quid tibi minus digne, non dico quam geritur, sed quam geri debet, exponerem, sancti Basilii Cappadociæ episcopi, viri fide et operibus, et omni sanctitate satis clari *instituta monachorum*; quæ interrogantibus se monachis velut sancti cujusdam juris responsa statuit, protuli. Cujus cum definitiones ac sententias mirareris, magnopere poposcisti ut hoc opus in Latinum verterem, pollicens mihi quod per universa Occiduæ partis monasteria, si hæc sancti et spiritualis viri sancta et spiritualia innotescerent instituta, omnis ille servorum Dei profectus, qui ex hujusmodi institutionibus nasceretur, mihi quoque ex eorum vel meritis, vel orationibus, aliquid gratiæ vel mercedis afferret. Exhibui ergo, ut potui, ministerium meum: imple et tu, et omnes qui legitis et observatis gratiam, ut et agentes et orantes sic, quemadmodum instituta hæc continent, mei quoque memores sitis. Tui sane sit officii etiam aliis monasteriis exemplaria præbere: ut secundum instar Cappadociæ, omnia monasteria eisdem, et non diversis vel institutis vel observationibus vivant.

Explicit præfatio Rufini.

INCIPIT REGULA SANCTI BASILII EPISCOPI CAPPADOCIÆ AD MONACHOS.

Humanum genus diligens Deus, et docens hominem scientiam (*Psal.* XCIII), his quidem quibus docendi contulit gratiam, præcepit per Apostolum (*II Tim.* III), permanere in doctrina : his vero qui ædificari divinis institutionibus indigent, per Moysem protestatur, dicens : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; presbyteros tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII). Propter quod necesse est, nos quidem quibus ministerium verbi creditum est, in omni tempore paratos esse et promptos ad instructionem perfectionemque animarum : et quædam quidem in communi Ecclesiæ auditorio simul omnibus de præceptis Domini contestari; quædam vero secretius perfectioribus quibusque disserere, et inquirentibus manifestare, atque interrogare volentibus de fide et veritate Evangelii Domini nostri Jesu Christi, et de conversatione perfecta, copiam nostri sermonis facultatemque præbere, qua possit ex his perfectus effici et consummatus homo Dei. Vobis autem convenit nullum tempus vacuum præterire, quo minus ad ea quæ communiter cum omni Ecclesia discitis, etiam secretius de eminentioribus et perfectioribus inquiratis : ut omne ævum vitæ vestræ in inquirendo de melioribus et percontando de utilioribus transigatis. Quoniam ergo et in hoc nos congregavit Deus, ut paululum quid a molestiis segregati turbarum silentii agamus et quietis; neque in aliud opus animum demus, neque residuum temporis somno rursus et remissioni corporeæ mancipemus; sed in inquisitione et sollicitudine medium noctis hoc, quod superest spatium, exigamus, adimplentes illud quod dictum est per beatum David : *Beatus qui in lege Domini meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I). Si quid ergo unusquisque vestrum deesse sibi ad scientiam putat, ad communem id proferat inquisitionem. Facilius enim pluribus simul conferentibus, si quid difficile vel obtectum videtur esse, clarescet, Deo sine dubio inveniendi gratiam quærentibus largiente. Sicut ergo nobis necessitas imminet, et secundum illud Apostoli, *væ mihi erit, si non evangelizem* (*I Cor.* IX); ita etiam vobis, si ab interrogatione et inquisitione cessetis, vel si remissiores ac resolutiores ad ea implenda quæ recta inventa fuerint, simile discrimen impendit. Propterea enim et Dominus dixit : quia *sermo quem locutus sum vobis, ille judicabit vos in novissimo die* (*Joan.* XII). Et iterum : *Servus qui ignoravit voluntatem domini sui, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis : qui autem cognoverit, et fecerit contra voluntatem domini, vapulabit plurimis* (*Luc.* XII). Oremus ergo misericordiam Domini, ut et nobis verbi inculpabile tribuat ministerium, et vobis fructuosum doctrinæ concedat eventum. Tanquam ergo scientes quia stabunt ante faciem vestram verba hæc ante tribunal Christi; *Arguam enim te*, inquit, *et statuam ea ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX); ita et intendite animum vigilanter ad hæc quæ dicuntur, et ad opus dignum quæ audistis, festinanter adducite : *Quia nescimus qua die, vel qua hora Dominus noster veniet* (*Matth.* XXIV).

PRIMA INTERROGATIO FRATRUM.

Quoniam dedit nobis sermo tuus potestatem ut interrogemus, primo omnium ,doceri quæsumus si ordo aliquis est et consequentia in mandatis Dei; ut aliud quidem sit primum, et aliud secundum, et sic per ordinem cætera : an omnia mandata ita sibi invicem cohæreant, et sint æqualia, ut unde voluerit quis possit initium sumere, tanquam in modum circuli vel coronæ.

Responsio. Interrogatio vestra antiqua est, et olim proposita in Evangelio, in eo cum accedens ad Dominum quidam legis doctor ait : *Magister, quod est mandatum primum in lege?* Et Dominus respondit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis; hoc est primum et maximum mandatum. Secundum vero simile huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII). Ipse ergo Dominus ordinem mandatis imposuit : primum dicens et magnum esse mandatum, Deum ex toto corde et ex tota mente diligere; secundum vero ordine et consequentia, et quod illi esset simile per virtutem, imo quod illud expleret et quod penderet ex primo, diligere proximum sicut seipsum. Sed et de aliis similiter in sanctis Scripturis invenies; et servatur, ut ego arbitror, in omnibus mandatis ordo quidam et consequentia præceptorum.

INTERROGATIO II.

Quoniam igitur de charitate Dei primum ais esse mandatum, inde nobis primum omnium dissere. Nam quia oportet diligere audivimus, quomodo tamen hoc possit impleri desideramus addiscere.

Responsio. Optimum sumpsistis sermonis exordium, et proposito nostro valde conveniens. Deo itaque juvante, nos quod dicitis, faciemus. Sciendum ante omnia est quod mandatum istud unum quidem videtur esse; sed omnium in se mandatorum virtutem complectitur et constringit, ipso Domino dicente : *Quia in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Ne tamen nos per singula discutere aggrediamur ordinem mandatorum; alioquin videbimur totum opus introducere in partes : sed quantum ad propositum sufficit, et præsens ratio postulat, inquiremus : illud ante omnia designantes, quod omnium mandatorum quæ a Deo accepimus virtutes in nobismetipsis insitas gerimus. Quo scilicet neque difficultas in nobis sit, tanquam novum aliquid et alienum a nobis expetatur: neque rursum elationis dari nobis aliqua videatur occasio, si putemus nos plus aliquid offerre Deo.

quam ab ipso in natura nostræ creationis accepimus. Quoniam quidem ea quæ nobis a Deo insita sunt, si recte et competenter moveamus in opus, hoc est secundum virtutem vivere. Si vero naturæ beneficia corrumpamus, hoc est in malitiam vergere. Est ergo mali ista definitio, non recte uti motibus animi a Deo nobis insitis. Et rursum virtutis ista definitio, recte uti, id est secundum mandatum Dei, et secundum conscientiam, animi motibus a Deo insitis. Cum ergo hæc ita se habeant, idem hoc inveniemus etiam de charitate constare. Mandatum accepimus diligere Deum. Dilectionis virtutem in ipsa statim prima conditione a Deo anima sibi insitam gerit : in quo nequaquam extrinsecus testimonio indigemus : unusquisque enim in semetipso et ex semetipso horum quæ dicimus sumit indicia. Omnis homo desiderat omne quod bonum est, et affectu quodam naturali constringimur ad omne quod bonum putamus. Sed et erga consanguineos et carnis proximos, nullo docente, in amore constringimur : his quoque quorum affectum et beneficia accepimus, omni affectu et officiis copulamur. Et quid aliud tam bonum habetur quam Deus? Imo quid aliud bonum, nisi solus Deus? Qui decor? qui splendor? quæ pulchritudo, quam naturaliter diligere provocamur, usquam talis qualis in Deo est et esse credenda est? Quæ usquam talis gratia? quæ amoris flamma, quæ et animæ secreta et interiora succendat, sicut amor Dei inflammare debet mentis arcana? præcipue si sit ab omni pollutione purgata; si sit munda anima, et quæ vero affectu dicat : *Quoniam vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* III). Ineffabilem prorsus ego sentio amorem Dei, et qui sentiri magis quam dici possit. Inenarrabilis quædam lux est : etiam si fulgura, si coruscum adhibeat, vel comparet sermo, non patietur, non recipiet auditus. Si luciferi fulgores, si Lunæ splendores, si ipsum solis lumen assumas, ad comparationem gloriæ illius obscura sunt omnia, et multo tetriora, quam si cæca nox et obscuritate profundæ caliginis mersa limpidissimo meridiani solis lumini comparetur. Decor iste corporeis oculis non videtur, anima sola et mente conspicitur. Qui decor si cujus forte sanctorum mentem animamque perstrinxerit, flagrantissimum in eis amoris sui stimulum defigit. Propterea denique velut amoris cujusdam ignibus tabescens, et præsentem vitam perhorrescens, dicebat aliquis ex eis : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI)? Et iterum dicebat istius ardoris ignibus flagrans : *Sitivit anima mea ad Deum vivum* (*Psal.* XXVI). Et insatiabiliter ardens ejus desiderio orabat, ut *videret voluntatem Domini, et protegeretur in templo sancto ejus* (*Ibid.*). Ita ergo naturaliter et concupiscimus quæ bona sunt et amamus. Nihil autem, ut diximus, tam summum bonum est quam Deus : et ideo debito quodam exsolvimus hanc quam ab eo accepimus charitatem. Quæ utique si denegetur, et non exsolvatur, iræ nos inexcusabiliter obnoxios facit. Et quid dico iræ obnoxios? Quæ enim poterit esse major ira, quæ ultio gravior, quam hoc ipsum si accidat nobis, alienos effici nos a charitate Dei? Quod si parentibus inest naturalis affectus erga eos quos genuerunt; et non solum hoc in hominibus, verum etiam in mutis animalibus invenitur : videte ne inveniamur vel pecudibus hebetiores, vel belluis feris immaniores, si nullo erga Genitorem constringamur affectu. Quem etiamsi quantus et qualis sit scire non possumus, ex hoc tamen solo quod ex ipso sumus, venerari et diligere parentis debemus affectu, atque indesinenter erga ejus memoriam pendere, sicut erga genitrices suas faciunt parvuli. Sed multo amplius multoque promptius; quanto et immensorum nos beneficiorum ejus obnoxios scimus. Quod ipsum nobis commune esse puto etiam cum cæteris animalibus : meminerunt namque etiam illa, si quid eis quis contulerit bonum. Si mihi non creditis, audite Prophetam dicentem : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepium domini sui* (*Isa.* I). Absit autem de nobis dici ea quæ sequuntur : *Quia Israel me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Ibid.*). Quod si etiam eos qui beneficii aliquid nobis contulerunt, nullo docente diligimus, et omni studio, quantum fieri potest, referre gratias nitimur; quomodo sufficiemus gratiam referre beneficiis Dei, quæ tanta sunt, ut effugiant numerum; et talia, ut sufficiat unum aliquod ex omnibus per totam vitam nostram efficere nos obnoxios largitori? Nam omitto cætera omnia, quæ quidem et ipsa magna sunt et præclara, verum a majoribus et melioribus, velut stellæ quædam splendidioribus solis radiis obteguntur; quoniam quidem nec tempus nobis est amplius dilatare sermonem, ut possimus etiam de minimis divina erga nos enumerare beneficia. Sileamus igitur quotidianos solis ortus, et unius lampadis fulgore illuminatum universum mundum. Sileamus lunæ circuitus, aeris permutationes vicissitudinesque; imbres ex nubibus, flumina fontesque de terra; latitudines atque altitudines maris : universitatem terræ, ac nativitates eorum animantium quæ in aquis gignuntur, et quæ coalescunt vel oriuntur in terris, nostris ministeriis vel usibus deputata. Hæc ergo omnia et cætera innumerabilia prætermitto : hoc solum, quod ne volenti quidem præterire possibile est, silere non possumus : et quamvis reticere gratiam non sit possibile, multo tamen impossibilius est ut dignum est et ut competit proloqui : hoc, inquam, quantum est, quod scientiam sui donavit homini Deus, et rationabile animal esse fecit in terris, et ineffabilis paradisi abuti voluptate ac decore concessit? quemque serpentis arte deceptum, et in peccatum lapsum, ac per peccatum in mortem devolutum, nequaquam despexit; sed legem in adjutorium dedit, præfecit angelos, destinavit prophetas; conatus malitiæ comminationum severitate compescuit; bonorum desideria munificentissimis repromissionibus provocavit, et finem utriusque viæ nostræ in multis imaginibus præsignavit. Verum cum post hæc omnia in malis nostris incredulitatibus duraremus, non est aversus, nec dereliquit nos pii Do-

mini bonitas; neque cum beneficiis ejus essemus ingrati, avertere potuimus et excludere misericordiam ejus a nobis: sed revocamur a morte, et iterum vivificamur per Dominum nostrum Jesum Christum, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Phil.* II). *Infirmitates nostras accepit, et ægritudines nostras portavit, et pro nobis vulneratus est, ut livore illius sanaremur* (*Isa.* LIII). *Et a maledicto nos redemit, factus pro nobis maledictum* (*Gal.* III). Et morte turpissima condemnatus est, ut nos revocaret ad vitam. Nec sufficit ei vivificare nos mortuos, sed et divinitatis suæ participium tribuit, et munus æternitatis indulget; et supra omne quod vel petere vel intelligere possumus, credentibus vel diligentibus se præparat, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II; *Psal.* CXV). Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Verum ille tam benignus et clemens est, ut ne retributionem quidem reposcat; sed sufficit ei ut pro his omnibus quæ largitus est diligatur. Quis ergo ita irremediabiliter ingratus est, ut propter tantæ et talia beneficia non diligat largitorem?

Et de charitate quidem Dei ista sufficiant: propositum namque est, ut superius diximus, non omnia dicere, impossibile enim est; sed breviter et succincte commemorare ea quæ amorem Dei inserere animæ et suscitare sufficiant. Consequens jam nunc est, etiam de eo mandato, quod ordine et virtute secundum diximus, explicare. Et quidem quoniam lex eas virtutes quæ animæ a Creatore insitæ sunt, elimet et excolat, jam superius diximus. Quia ergo præcipimur diligere proximos sicut nos ipsos, videamus etiam si inest nobis virtus et facultas ad hujus quoque mandati expletionem. Et quis ignorat quoniam humanum animal et communicabile homo est, et non agreste aliquod ac ferum? Nihil enim tam proprium est naturæ nostræ, quam alterum alterius indigere, et requirere invicem, ac diligere quod requiritur. Quia ergo Dominus harum in nobis virtutum semina seminavit, sine dubio horum etiam fructum requiret, et testimonium nostræ erga se dilectionis dilectionem accipiet proximorum. *In hoc enim*, inquit, *scient omnes, quia mei discipuli estis, si invicem diligatis* (*Joan.* XIII). Et ita in omnibus ista mandata conjungit, ut etiam misericordiæ opera quæ in proximo fiunt, transferat in semetipsum. *Esurivi enim*, inquit, *et dedistis manducare mihi* (*Matth.* XXV). Et reliqua quæ in proximo gesta sunt, se dicit esse perpessum, cum adjecit: *Quandiu fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* (*Ibid.*). Ergo per primum completur et secundum; per secundum vero ascenditur et reditur ad primum: ut qui diligit Dominum, sine dubio diligat et proximum. Ait enim Dominus: *Qui diligit me, mandata mea custodit. Hoc est autem mandatum meum*, inquit, *ut invicem diligatis* (*Joan.* XIV *et* XV). Ita et qui diligit proximum, explet in Deo charitatem; quia ipse in se recipit quidquid confertur in proximum. Et quidem in his qui initia habent ad timorem Domini, et ad primos aditus religionis accedunt, prima institutio est utilior per timorem, secundum sententiam sapientissimi Salomonis, dicentis: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* I). Idipsum etiam in psalmis legitur (*Psal.* CX). Vos vero fratres, qui jam parvuli in Christo esse desiistis, nec ultra lacte indigetis, cibos solidos ex dogmatum firmitate perquirite, ad nutriendum et pascendum interiorem hominem (*I Cor.* III); quo per eminentiora quæque mandata perveniat ad perfectum, et in omni, quæ in Christo est veritate, confirmetur. Observandum sane est ne forte copiosioris gratiæ pondus causa nobis gravioris condemnationis existat, si ingrati inveniamur in muneribus largitoris. Illud autem ante omnia considerandum est, quia neque aliud ullum mandatum, neque hoc quod de charitate Dei et proximi præcipitur, implere quis poterit, si per varias et diversas occupationes animus aberret. Sed neque artificium ullum, vel ullius industriæ disciplinam possibile est adipisci eos qui frequenter ex aliis ad alia transferuntur. Omni ergo custodia oportet nos servare cor nostrum, ne forte desiderium Dei mala desideria et sordidæ cogitationes depellant nostris animis ac detrudant (*Prov.* IV); sed e contrario assidua recordatione et memoria Dei, formam quodammodo ac figuram ejus animæ nostræ signaculis singuli infigamus, quæ nullis queat perturbationibus aboleri. Sic enim et desiderium in nobis divinæ charitatis accenditur, dum frequens ejus memoria mentem atque animum illustrat; et ad opus mandatorum Dei erigimur ac suscitamur. Et ex ipsis rursum charitatis operibus vel conservatur Dei in nobis charitas, vel augetur. Et hoc puto ostendere volentem Dominum dicere, aliquando quidem: *Si diligitis me, mandata mea servate* (*Joan.* XIV); aliquando autem: *Si facitis quæ ego dico vobis, permanetis in charitate mea; sicut et ego servavi mandata Patris mei, et maneo in charitate ejus* (*Ibid.*). Ex quibus edocet nos, prospectum operis nostri debere ex sua voluntate pendere; ut tanquam speculum quoddam ipsum habentes, et semper ad ipsum respicientes, opus nostrum fixo ad ipsum cordis oculo dirigamus. Sicut enim artificia quæ in hac vita sunt, prospectum quemdam animi gerunt, et ita secundum hoc quod animo conceperint, etiam in opere utuntur manuum ministerio; sic et in hoc nostro opere unus manet nobis iste prospectus, atque unus terminus fixus est, quo Deo placere debeamus. Secundum hunc ergo prospectum opus dirigamus mandatorum. Impossibile namque est aliter constare posse operis nostri formam, nisi voluntas ejus qui injunxit opus semper in memoria habeatur: ut ejus voluntate servata, et labore operis ac diligentia competenter expleta, semper jungamur Deo, dum semper ejus memores sumus. Sicut enim, verbi causa, faber securem faciens aut falcem, meminit semper ejus qui opus injunxit, et retinet in corde suo cujus magnitudinis, vel qualitatis, vel formæ injunxerit fieri se-

curem; et in illud semper intendens quod sibi meminit a domino operis injunctum, ad hoc dirigit manuum ministerium, ut forma operis cum ejus qui injunxit animo ac voluntate conveniat: si autem obliviscatur quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatum, sine dubio aliud aliquid quam injunctum fuerat, faciet; ita etiam Christianus omnem conatum et omne studium in actibus suis adhibere debet, ut secundum voluntatem Dei, qui opus injunxit, suum quoque dirigat opus; ut actus sui ornentur, et possit ejus qui præcepit voluntatem implere. Tunc etiam illud complere potest quod scriptum est: *Sive manducetis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite* (*I Cor.* x). Si vero declinet quis a regula, et corrumpat observantiam mandati, ex hoc ipso arguitur, si quis sit immemor Dei. Plurimum autem prodest ad conservandam memoriam Dei, etiam secretius et remotius habitare. Nam permixtim vivere cum his qui negligentius agunt circa timorem Dei, et contemptum habent mandatorum ejus, plurimum nocet; sicut et Salomonis sermo testatur, dicens: *Cum homine iracundo ne habitaveritis, ne forte discatis vias ejus, et accipiatis laqueum animæ vestræ* (*Prov.* xxii). Et iterum quod dicit: *Exite de medio eorum, et separabimini ab eis, dicit Dominus* (*Isa.* lii), ad hoc ipsum respicit. Igitur neque per oculos, neque per aures recipiamus illecebras ad peccandum, et paulatim longo usu inhæreamus consuetudini pessimæ. Et rursum ut possimus orationi vacare, oportet primo secretius habitare. Hoc enim modo et præcedentes consuetudines excidemus, in quibus contra mandatum Dei agebamus. Non enim parvus labor est, ut se aliquis a priore non bona consuetudine reflectat ac revocet; quoniam quidem nos longo tempore confirmatus vim quodammodo naturæ obtinet. Oportet ergo nos primo omnium abnegare nos ipsos, et tollere crucem Christi, et sic eum sequi (*Matth.* xvi). Abnegamus autem nos hoc modo si, per omnia præteritæ consuetudinis obliti, voluntates proprias abnegemus; et ita non solum ab hominibus non recte agentibus, verum etiam a nostris ipsis inordinatis et incompositis moribus secedamus. Alioqui ut in eadem quis consuetudine atque in priore conversatione permanens, emendare se possit et corrigere, difficillimum est; imo, ut verius dicam, penitus impossibile. Sed ad hoc ipsum, ut tollat quis crucem suam et sequatur Christum, plurimum impedit societas et permixtio eorum qui vitam dissimilem ducunt. Nam paratum esse ad mortem pro Christo, et mortificare membra quæ sunt super terram (*Coloss.* iii), et pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est tollere crucem suam. Ad quod grande videmus impedimentum posse nobis oboriri ab his qui dissimiles sunt vel vita vel moribus. Et ad cætera alia quæ multa sunt, accedit etiam hoc, ut respiciens anima ad multitudinem neutiter viventium, primo quidem occupetur et impediatur, ne suorum malorum capiat intellectum, et possit vel purgare per pœnitentiam quæ deliquit, vel causas culpæ resecare emendatione vitiorum. In comparatione etenim pessimorum aliquid se jam magni perfecisse æstimat. Tum deinde impedimentis et perturbationibus atque occupationibus, quas communis hominum vita habere solet, prætermissis, illud quod majus est et pretiosius omnium, memoriam Dei non potest custodire: qua depulsa ab animis et exclusa, non solum omni lætitia et gaudio caret divino, et delectationis Domini sustinet detrimenta, sed et dulcedinem non sentit divini eloquii, ut dicat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel et favum ori meo* (*Psal.* cxviii); sed et in neglectum et oblivionem pervenit judiciorum Dei, et in contemptus consuetudinem decidit: quo majus malum et perniciosius pati nihil potest.

INTERROGATIO III.

Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata contemnunt vitam ducere, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujuscemodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an vero cum fratribus ejusdem propositi et ejusdem animi vitam suam sociare.

Resp. In multis utile esse video vitam communem ducere cum his qui ejusdem voluntatis sunt atque propositi. Primo, quia etiam ad usus corporales victusque ministerium unusquisque nostrum solus sibi non sufficit: et vero ideo pro his quæ ad ministerium vitæ nostræ necessaria sunt, invicem opera nostra egemus. Sicut enim pes hominis in alio quidem suis viribus utitur, in allo vero indiget alienis, et sine adjumento cæterorum membrorum nec explere suum opus, nec sufficere suis viribus potest (*I Cor.* xii); ita etiam vita solitaria mihi pati videtur, cum neque quod ei inest, utile esse, neque quod deest ab aliquo possit acquiri. Præter hoc autem nec ratio quidem charitatis unumquemque permittit quod suum est quærere, dicente Apostolo: *Charitas non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* xiii). Deinde, sed nec culpas quidem suas unusquisque ac vitia facile dignoscit, cum qui arguat nemo est: et facile hujusmodi homini accidere potest illud quod scriptum est: *Væ soli, quia si ceciderit, nemo est alius qui erigat eum* (*Eccle.* iv). Sed et mandata a pluribus quidem facilius adimplentur; ab uno vero dum unum videtur impleri, aliud impeditur. Ut puta, quomodo quis solus visitabit infirmum? aut quomodo suscipiet peregrinum? Si vero omnes corpus sumus Christi, singuli autem alterutrum membra, per consonantiam velut in unius corporis compagem in Spiritu sancto aptari et conjungi debemus adinvicem (*Rom.* xii). Quod si unusquisque nostrum solitariam eligat vitam, scilicet non tali aliqua causa vel ratione quæ Deo sit placita, vel quod ad communem cæterorum pertineat dispensationem, sed propriæ voluntati et passioni satisfaciens; quomodo possumus discissi et divisi adimplere, et integram assignare membrorum ad se invicem consonantiam? Iste enim talis neque cum gaudentibus gaudet, neque cum flentibus flet (*Rom.* xv); quoniam quidem separatus ac divisus a cæteris nec cognoscere quidem

necessitates poterit proximorum. Tum deinde nec sufficere potest unus ad suscipienda omnia dona Spiritus sancti, quia secundum uniuscujusque mensuram fidei et donorum spiritualium distributio celebratur: ut id quod per partes unicuique distributum est, rursum tanquam membra ad ædificationem unius corporis coeat et conspiret. *Alii enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii prophetia, alii gratia sanitatum* (*I Cor.* XII), et cætera; quæ singula utique non tam pro se unusquisque quam pro aliis suscipit a Spiritu sancto. Et ideo necesse est uniuscujusque gratiam, quam susceperit a Spiritu Dei, et in commune prodesse. Accidit ergo ut is qui remotus vivit et separatus, unamquamcunque suscipiet gratiam, et hanc ipsam inutilem faciat, dum nihil per eam operatur, sed defodit eam in semetipso (*Matth.* VII). Quod cujus et quanti sit periculi, nostis omnes qui legitis Evangelium. Si autem cæteris communicat gratiam, et ipse perfruitur proprie ea ipsa quam suscepit; et multiplicatur in eo, dum communicatur et cæteris; et ipse nihilominus fruitur gratia reliquorum. Habet autem et alia quam plurima bona communis vita ista sanctorum, quæ non est nunc possibile omnia dinumerare. Interim, ut diximus, ad conservanda sancti Spiritus dona commodior est multorum societas, quam si degamus in solitudine. Sed et adversus insidias inimici, quæ extrinsecus inferuntur, multo cautior est et utilior societas plurimorum: ut facilius suscitetur e somno, si quis forte obdormierit somnum illum qui ducit ad mortem (*I Cor.* XI). Sed et delinquenti delictum suum facilius apparebit, cum a pluribus vel arguitur, vel notatur: secundum quod et Apostolus dicit: *Sufficit ei qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus* (*II Cor.* VI). Sed et in oratione non parvum emolumentum a pluribus nascitur, cum consensu et universitate orantibus; ut ex multorum personis, per gratiam quæ in nobis est, Deo gratiæ referantur. Sed interdum et periculo proxima est vita solitaria. Primo quidem illi periculo subjacet, quod certe gravissimum est, in quo ipse sibi placet, et neminem habens qui possit opus ipsius probare, videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Tum deinde sine ullo exercitio degens, neque quid sibi vitii abundet, neque quid virtutis desit, agnoscit. Neque discretionem habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis exclusa sit. In quo enim humilitatem suam probabit, neminem habens cui humilem se præbere debeat? In quo misericordiam demonstrabit totius consortii et societatis alienus? Ad patientiam vero quomodo seipsum exercebit, nullum habens qui videatur ejus voluntatibus obviare? Si quis autem dicat sufficere sibi doctrinam Scripturæ et apostolica præcepta ad emendationem morum vitamque formandam, simile mihi aliquid facere videtur his qui semper fabrile artificium discunt, nunquam tamen fabrifaciunt opus, vel his qui in structorum arte semper docentur, nunquam tamen ædificandæ domus operam dabunt. Ecce enim et Dominus non æstimavit sufficere sibi solam verbi doctrinam, sed et opere ipso voluit nobis tradere humilitatis exempla, cum præcinctus linteo lavit pedes discipulorum suorum (*Joan.* XII). Tu ergo cujus pedes lavabis? quem curabis officiis? cujus inferior aut ultimus eris, cum solus vivas? Sed et aliud quod dicitur: *Bonum et jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII), quod unguento pontificali in barbam de capite descendenti sanctus Spiritus comparavit, quomodo in solitaria habitatione complebitur? Stadium namque est quoddam, ex apostolico præcepto, ad emendationem morum vitamque formandam, in quo per virtutis exercitium proficitur; in quo meditatio divinorum mandatorum effulget amplius et clarescit, hæc communis inter se unanimorum fratrum habitatio: habens in se illam similitudinem et exemplum, quod in Actibus apostolorum refert de sanctis Scriptura divina, dicens: *Quia omnes credentes erant in unum, et habebant omnia communia* (*Act.* IV).

INTERROGATIO IV.

Oportet primum renuntiare omnibus, et ita venire ad hanc vitam vel conversationem quæ secundum Deum est?

Resp. Domino et Salvatore nostro Jesu Christo dicente: *Si quis venit ad me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI); et iterum: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XXIV). Qui ad hoc venit ut Dominum sequatur, etiam seipsum neget, et tollat crucem suam. Certum est autem quia jam et ante diabolo renuntiavit et operibus ejus. Quod tamen non ab his qui in profectu sunt vitæ, vel qui jam ad perfectionem tendunt, sed ab his qui a prima statim confessione initiantur, fieri solet. In hoc autem renuntiat, sicut superius diximus, etiam ipse sibi homo, id est, si priori consuetudini suæ vel vitæ renuntiet, aut etiam moribus suis, vel delectationibus sæculi hujus, sed et consanguinitati corporali; illi maxime quæ impedire ejus propositum potest: et parentes quidem eos qui se in Christo Jesu per Evangelium genuerunt, magis putabit; fratres autem eos qui eumdem adoptionis spiritum susceperunt: possessiones vero omnes simul a se ducit alienas. Et ut breviter dicam, hic cui pro Christo mundus omnis crucifixus est, et ipse mundo, quomodo potest servus effici cogitationum et sollicitudinum mundi; cum Dominus jubeat etiam animam ipsam abnegandam esse pro se? Perfecta itaque est abnegatio in eo, ut passionibus penitus careat, dum adhuc in corpore est. Sed hæc incipit agere ab his primo quæ extrinsecus sunt, id est, a passionibus, vel inani gloria, et si quæ sunt alia similia, ut ab his primum efficiatur alienus. Et hoc est quod nos docuerunt apostoli Jacobus et Joannes, qui reliquerunt patrem suum Zebedæum, et navem ipsam in qua erant (*Marc.* I). Sed et Matthæus relinquens vectigal, et surgens, ac sequens Dominum (*Matth.* IX); qui non solum lucra reli-

querat vectigalium, sed et periculum contempserat; quod utique poterat evenire a principibus sæculi, pro eo quod vectigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquisset. Ita autem cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut nullum prorsus hujus vitæ respectum vel cogitationem sibimet servaverit. Quod autem neque ad affectus parentum, si adversantur Dominicis præceptis, neque ad ullam aliquam humanam delectationem oporteat aliquem respicere, et per hoc ab eo quod proposuit impediri, Dominus edocet, dicens : *Si quis ergo venerit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam, et uxorem et filios, et fratres et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Quod est simile illi quod dixit, ut deneget quis seipsum.

INTERROGATIO V.

Si oportet eum qui servis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum ?

Resp. Domino dicente : *Vende omnia bona tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, sequere me* (*Luc.* XVIII) ; et iterum : *Vendite omnia quæ habetis, et date eleemosynam* (*Luc.* XII) ; arbitror quidem quod is qui accedit ad Dei servitium, non debeat contemnere et ut libet relinquere ea quæ sibi competunt; sed tentet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quæ jam Domino sacrata sunt, quantum fieri potest rationabiliter dispensare : sciens quia non est absque periculo in opere Dei agere negligenter (*Jer.* XLVIII). Si vero propinqui ejus vel parentes contra fidem veniant, debet rursum meminisse Domini dicentis : *Quia non est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centuplum in præsenti tempore, et in futuro sæculo vitam æternam* (*Matth.* XIX). Verumtamen oportet eum his qui sibi quæ sua sunt denegant et resistunt, et desidem faciunt, protestari et denuntiare quia sacrilegii crimen incurrunt, secundum mandatum Domini dicentis : *Quod si peccat in te frater tuus, et argue eum*, et reliqua (*Matth.* XVIII). Judicio vero experiri de his apud judices sæculi, abnuit religionis auctoritas, per id quod dixit Apostolus : *Audet aliquis vestrum negotium habens adversus alium, judicari apud injustos, et non apud sanctos* (*I Cor.* VI) ? Et rursum : *Quia jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos* (*Ibid.*).

INTERROGATIO VI.

Si oportet omnes qui inveniunt ad nos suscipere ; aut cum probatione ? et qualis ista debet esse probatio ?

Resp. Cum Dei clementia omnes vocet, per illam prædicationem qua dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI), non est absque discrimine abjicere quempiam venientem ad nos. Verumtamen neque immundis, ut aiunt, pedibus indulgendum est introire quempiam in sanctam doctrinam ; sed sicut Dominus noster Jesus Christus juvenem illum qui ad se venerat interrogavit de priore vita sua, et cum audisset quia recte transacta esset, quod deerat ei præcepit adimplere, et ita demum jussit eum sequi se : ita etiam non oportet inquirere de præterita vita et conversatione, ne forte simulata quis mente et fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoscitur, si facile omnem laborem corporis qui injungitur ferat, et ad castigationem vitæ pronus inclinatur ; vel si etiam delictum aliquod suum, cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, et medelam delicti quæ adhibita fuerit gratanter assumit : et si ad omnem humilitatem absque ulla verecundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non accipiat aspernanter. Cum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus quia firma mente, et stabili consilio, ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Prius autem quam corpori fraternitatis inseratur, oportet ei injungi quædam laboriosa opera, et quæ videantur opprobrio haberi a sæcularibus ; et observari oportet si libenter hæc et libere ac fideliter expleat, nec confusionem eorum graviter ferat : vel etiam si in labore impiger inveniatur et promptus.

INTERROGATIO VII.

Ex qua ætate oportet nosmetipsos offerre Deo : vel virginitatis professionem quando oportet firmam ac stabilem judicari ?

Resp. Dicente Domino : *Sinite infantes venire ad me* (*Luc.* XVIII) ; et apostolo Paulo collaudante eum qui ab infantia sacras litteras didicisset, et rursum præcipiente educari filios in doctrina et correptione Domini ; omne tempus a prima ætate opportunum quidem esse ducimus ad suscipiendum timorem et eruditionem Domini : firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, et ea quæ solet nuptiis apta deputari ac perfecta. Oportet tamen infantes, voluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi ; ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui, tam in verbo quam in intellectu et opere. Quidquid in tenero quis et parvo inseruerit, firmius et tenacius imposterum conservabit. Injungenda est ergo infantium cura his qui ante omnia in virtute patientiæ documenta sui probabiliter præbuerunt : qui possint pro merito delicti et ætatis singulis quibusque etiam correptionis adhibere mensuram : et qui servent eos proximo omnium a sermonibus otiosis, et ab iracundia, atque ab incitamentis gulæ, et a cunctis indecentibus atque inordinatis moribus. Si vero cum ætatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industriæ, sed vaga mens et animus cassus ac tumens etiam post instituta probabilia infructuosus permanserit, hujuscemodi

ablici oportet, et maxime cum juvenilis fervor rudem lacessit ætatem. Eorum vero qui ætate jam robusta accedunt ad servitium Dei, oportet inquirere, ut diximus, qualitatem vitæ præteritæ, et sufficere etiam hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt, et si verum et ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Hujuscemodi vero fieri documenta ab his oportet, qui valde prudenter de his discutere potuerint et probare. Cum autem fuerint susceepti, si forte propositum suum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquam eos qui in Deum deliquerunt; quo teste confessionis suæ pactum transgressi sunt. *Etsi peccaverit*, inquit, *homo in hominem, orabunt pro ipso ad Dominum: si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo* (*I Reg.* II)?

INTERROGATIO VIII.

Si oportet eum qui se piæ ac religiosæ vitæ dederit, etiam continentiam observare?

Resp. Quia in omnibus necessaria sit continentia, manifestum est, primo omnium ex eo quod Paulus inter fructus Spiritus sancti etiam continentiam nominat (*Gal.* v). Tum deinde etiam immaculatum ministerium per hanc servari posse designat, cum dicit: *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate* (*II Cor.* VI). Et iterum alibi: *In labore et fatigatione, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis frequenter* (*II Cor.* XI). Et iterum: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus continens est* (*I Cor.* II). Et rursum: *Macero corpus meum, et servituti subjicio* (*Ibid.*); quod utique non aliter quam per continentiam videtur impleri. Et juventutis tumor, ac fervor ætatis velut freno quodam restringi et reprimi per solam continentiam potest. *Non enim expediunt stulto deliciæ*, secundum Salomonem (*Prov.* XVIII). *Et carnis*, inquit Apostolus, *curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* III). Et iterum: *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* V). Sed exemplum illud divitis in deliciis viventis necessariam nobis ostendit esse continentiam, ne forte et nos audiamus quod audivit et dives: *Quia consecutus es bona in vita tua* (*Luc.* XVI). Quomodo autem incontinentia periculosa sit, etiam Apostolus docet, cum eam proprie illis ascribit quos recedere a Domino dicit; ait enim: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes* (*II Tim.* III), et cum plura malitiæ genera enumerasset, ad ultimum posuit: *Comessores, incontinentes, immites.* Sed et Esau malorum suorum quasi fomitem quemdam habuit incontinentiam, qui pro uno cibo vendidit primitiva sua (*Gen.* XXV). Sed et prima illa prævaricatio non aliunde homini nisi per incontinentiam accidit (*Gen.* III). Omnis vero sanctorum vita, atque ipsius Domini in carne positi præsentia, quæ nobis alia, nisi continentiæ proponit exempla? Moyses quidem, dum continuatio quadraginta dierum jejunio astitisset indefectus, dicitur a Deo meruisse legis auxilium humano generi deferre. Elias quoque visione Dei tunc dicitur dignus effectus, cum et ipse simili spatio temporum a cibo se continuisse perscribitur (*III Reg.* XIX). Sed et Danielis et trium puerorum meritum apud Deum, quo de omnibus inimicis suis et de ipso tyranno triumphum ceperunt (*Dan.* I), non aliunde nisi per continentiam venit. Joannis autem omnis vita continentia fuit (*Matth.* III). Ab hac etiam Dominus manifestationis suæ initia prima patefecit (*Matth.* IV). Continentiam autem dicimus, non quo a cibo penitus abstinendum sit, hoc est enim vitam violenter dissolvere, sed eam qua vitæ usus non superfluus, sed necessarius constat: cum refugimus quod suave est, explemus ea quæ sola corporis necessitas poscit. Et, ut breviter dicam, omnia quæ per passibilem concupiscentiam requiruntur, ab his abstinere, virtus est continentiæ. Et ideo ergo non solum in esu cibi et in libidine continentiæ virtus agnoscitur; sed cum ab omnibus in quibus delectamur quidem carne, sed in anima lædimur, abstinemus. Verus ergo continens nec gloriam humanam desiderat; sed a vitiis se continet, et ab ira, et a tristitia, et ab omnibus quæ occupatas tenere consueverunt ineruditas animas et incautas. Pene autem in omnibus mandatis Dei hoc invenimus, quod unum alteri cohæret, et separatum aliud ab alio compleri impossibile est. Id tamen præcipue in hac ipsa continentia deprehenditur; quoniam quidem humilis ille judicatur qui se a superbia continet, et ille renuntiat omnibus facultatibus suis, et secundum Evangelium vendit omnia sua et pauperibus dividit, qui sine dubio continet se a pecuniæ desiderio. Sed et mansuetus ille erit qui iram continet, et cohibet furorem. Quid vero jam vagos oculi visus, et auris auditus, et linguæ intemperantiam aliud quam continentia moderatur et cohibet? Sed et intemperatos risus continentia coercet: sicut incontinentiæ signum est, inordinatis et incompositis motibus agere in risu: cum utique subridendo tantummodo lætitiam mentis oporteat indicari; indecorum autem sit crepitantem cum sonitu elevare risum: quod certum est per incontinentiam mentis accidere solere etiam invitis; quæ res gravitatem et constantiam animi emollire ac resolvere solet. Unde et Salomon: *Risum*, inquit, *dixi amentiam* (*Eccle.* II). Et: *Sicut vox spinarum sub olla, ita risus stultorum* (*Eccle.* VII). Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit* (*Eccli.* XXI). Ostendit autem et Dominus in semetipso necessarias quidem carnis se habuisse passiones, id est, quæ virtuti testimonium ferrent, velut laborem et fletum ac tristitiam; nusquam autem invenitur etiam risu usus, quantum ad historiam pertinet Evangelii. Sed et deflere magis invenitur eos qui rident, dicens: *Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* (*Luc.* VI). Nec sane seducere nos debet similitudo nominis risus. Mos namque est Scripturæ interdum lætitiam animæ et affectum quemdam lætiorem risum nominare. Sicut ibi Sara, *Risum*, inquit, *mihi fecit Deus*

(*Gen.* XXI). Et iterum : *Beati qui flent nunc, quia ridebunt* (*Luc.* VI). Et in Job quoque dictum est : *Os autem veracium replebitur risu* (*Job* IV). Hæc enim omnia nomina pro gaudio animæ accipiuntur. Qui ergo liber est ab omni passione, et nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter et sobrie adversus omne quod potest lædere, nititur, hic perfecte continens dicitur, qui et sine dubio per hoc alienus invenitur ab omni genere peccati. Libido namque est totius mali muscipula; et per hanc omnes decipimur ad peccatum. per quam qui non resolvitur, neque inclinatur ab ea, omni ex se peccati pessimum germen excidit.

INTERROGATIO IX.

Quæ est mensura continentiæ ?

RESP. Quantum spectat ad vitia vel passiones, penitus abstinere, nec unquam superari : quantum autem ad cibos, prout usus deposcit, vel ætas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas ejus, ita etiam modus et qualitas temperabitur cibi. Neque enim possibile est omnes fratres unum ordinem vel modum ac regulam in cibis custodire. Hi vero qui sani sunt possunt omnes eamdem mensuram tenere in abstinentia. Immutari vero oportet per singulos, in quibus causa aliqua diversitatis existit, providentia ac provisione eorum, quibus dispensandi hæc cura commissa est. Neque enim per singula sermonem complecti possumus ; sed ea tantummodo comprehendimus quæ ad communem vel generalem pertinent institutionem. Solatia vero incommodorum in cibis, videlicet eorum qui jam fessi sunt ex opere continentiæ, sive ex aliis quibuslibet laboribus, quos pro religione pertulerunt, ii qui præsunt, secundum quod res et ratio deposcit, adhibebunt. Neque ergo tempus reficiendi omnibus idem statui potest, neque modus cibi, neque qualitas ; sed prospectus iste sit omnibus unus, ut non usque ad satietatem persistamus in edendo. Repleri enim ventrem, et gravari ex cibo, valde inutile est etiam corpori ad omne opus. Tum deinde quia et gravatur in somnum, et quia etiam lædi ex his facile potest. Sed nec suavia quæque in fine ciborum sectanda sunt ; sed sufficit usum explere vivendi, refutata luxuria. Si enim libidini serviamus, nihil aliud est quam Deum facere ventrem nostrum. Quoniam quidem corpus humanum semper exolescit et defluxit, idcirco et repleri indiget et reformari : propter quod et naturale est cibi desiderium, id quod secundum rectam rationem usus ipse ad reparationem deposcit corum quæ exinanita fuerint et assumpta, tam aridi, quam etiam humidi alimenti. Si quid ergo illud est quod potest vel brevius vel facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed et Dominus hoc, ut opinor, ostendit, cum esurientes reficit in deserto : quia cum utique posset majore miraculo copiosiores eis cibos parare, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum : et secundum Joannem (*Cap.* VI), quinque panes hordeaceos, et pisciculos duos apponit ; de potu vero nec mentio quidem ulla fuit. Ex quo illud sine dubio designatur, quod omnibus sufficiens esse possit aquæ usus et pernecessarius ; nisi forte aliquis per infirmitatem corporis lædi ex hoc videatur : cui sine dubio, secundum consilium apostoli Pauli ad Timotheum scribentis (*I Tim.* V), cavendum est quod est noxium. Sed et quæcunque manifestam inferunt noxam corpori devitanda sunt. Absurdum enim videtur propter substantiam corporis cibos sumere, et rursum per ipsos cibos corpori inferre perniciem, et illud inutile reddere ad ministerium mandatorum. Oportet tamen omni modo illis uti cibis qui et facilius et vilius comparantur ; ut ne occasione abstinentiæ inveniamus pretiosiora quæque et difficiliora sectari, dum suavitate condimentorum viles natura cibos in suavem et delicatum saporem extollere conamur. Sed si quid est quod in unaquaque provincia facilius et vilius comparatur, et quod in usu hominum communiter habetur, hoc ad usus nostros oportet assumi, et ea tantummodo requiri quæ ad vitam pernecessaria sunt, id est, oleum, et alia hujuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur.

INTERROGATIO X.

Quomodo oportet observare nos circa cathedras et accubitus, cum tempus poposcerit.

RESP. Quoniam præceptum Domini habemus quod nos in omnibus instruit ad humilitatem, in quo etiam de hoc pronuntiat (*Luc.* XIV), ut cum ad convivium eamus, discumbendi locum novissimum requiramus, et non occupemus locum priorem ; illud nos scire oportet, quia ubi omnes eodem prospectu ac proposito convenimus, maxime si in multis et in majoribus humilitatis nostræ documenta iam dedimus, cupere quidem prævenire unumquemque inferiorem locum, secundum mandatum Domini, condecens est. Sed rursum, si res ad contentionem veniat de hoc, et unus alium detrudere velut de loco inferiori conetur, valde est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis et inquietudinis nascitur, si incipiat nemo alteri cedere ; et si pro hoc certamina moveantur, simile erit tanquam si de primatibus contendatur. Propter quod oportet etiam in hoc considerantius pervidere, vel quid unicuique nostrum competat ; vel certe indulgere ei cui cura commissa est, et in cæteris, et in recumbendo ordinem custodire, et obtemperare ei, ut impleatur in nobis illud quod dictum est : *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV).

INTERROGATIO XI.

Quis est dignus vel decens habitus Christiani ?

RESP. Quoniam sermo in superioribus humilitatem necessariam docuit, ita ut qui vult religiose ac pie vivere in omnibus et simplicitatem et vilitatem requirat, id est, ea quæ parvo sumptu acquiruntur ; id observandum puto in corporalibus usibus per quod occasiones nobis majorum occupationum minime fiant. Hoc ergo etiam in observatione indumentorum custodiendum puto. Si enim studium nobis

habendum est omnium esse minimos et omnium novissimos; certum est quia et indumentis omnium nos novissimos deputare debemus. Nam si hi qui gloriam sibi ex indumentorum splendore conquirunt, satis agunt quomodo pretiosis et magnificis vestibus videantur induti, ita consequens est eum qui de ultimis et novissimis, id est, per nimiam humilitatem placere studet, eligere debere hoc in quo omnium et ultimus et novissimus appareat: sicut ille e contrario, id est, de summis et pretiosis videri clarior et nobilior gestit. Si enim in publica cœna arguuntur Corinthii quod per suam abundantiam confundant eos qui non habent (*I Cor.* XI), certum est quia et in hoc simplici et communi omnium indumento quod ad communem habitum vel usum pertinet, si alter altero differat habitus, vel pretiosior inveniatur, ex ipsa comparatione confundimus non habentes. Sufficienter quoque Apostoli hujuscemodi usibus brevi sermone regulam posuit, dicens: *Habentes autem victum et vestitum, his contenti simus* (*I Tim.* VI). Ostendens indumento solo quo contegamur indigere nos, et non varietate aliqua vestis et ornamento ejus ac decore jactari. Quæ utique postmodum introducta sunt, humanæ vitæ artificiis et luxuriæ ingenio conquisita. Sed et primus ille indumenti usus hæc eadem indicat, cum dicitur Deus fecisse primis hominibus pellicias tunicas (*Gen.* III). Sufficiebat enim ad confusionem contegendam hujuscemodi indumenti usus. Verum quoniam nobis prospectus est indumentis etiam calefieri et foveri, necessarium videtur ut ad utrumque usus ipse temperetur, quo et operiri nuditas videatur, et vel vis frigoris, vel omne quod intrinsecus lædit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere quæ nobis usum exhibeant longiorem: ita tamen ut in nullo lædatur regula voluntariæ paupertatis, id est, ne alia quidem nobis sint vestimenta ad procedendum præparata, et alia ad usum domesticum; et rursum alia in aliud tempus, vel in nocte alia et in die: sed oportet unum illud ipsum tale esse indumentum, quod nobis sufficere possit ad omnia, et ut in die honestum videatur indumentum, et in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet ut et habitus noster communis et similis atque unius formæ sit omnium, et Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quæ uno prospectu ac proposito geruntur, similia, imo eadem esse omnibus debent. Utile autem est etiam ex ipsa proprietate vestitus et habitus intelligi unumquemque, et professionem ejus agnosci in ea vita qua secundum Deum vivit, ut sciat sibi etiam actus consimiles esse debere; et ad eos qui nos vident secundum habitum nostrum, æquales etiam in actibus apparere debere. Non enim similiter turpe est in quolibet alio, si inhoneste quid agat, sicut in his qui vitam sobriam etiam ipso habitu profitentur. Si enim quis videat de trivio aliquem hominem cædentem alium, aut vapulantem publice, vel turpiter proclamantem, aut in tabernis aliisque locis vitam cum dedecore agentem, nec observabit quidem facile hujuscemodi hominem, vel notabit, sciens eum consequenter hæc ad reliquam vitam suam gerere. Si vero eum qui gloriosam vitam profitetur, videat quis vel parum aliquid contra quam condecet agere, observant omnes, et increpant, et ad religionis opprobrium ducunt. Itaque velut pædagogus quidam est infirmioribus habitus iste religiosior, ut etiam invitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat. Denique et Apostolus episcopum ordinatum esse designat (*I Tim.* III): quæ res ad habitum magis revocatur. Sed et de mulieribus dicit, in habitu ordinatas eas esse debere. Ordinatus autem habitus Christiani dicitur is, qui secundum propositum ac professionem ejus aptus intelligitur. Sicut enim proprium est aliquid militi in habitu vestimenti, et alius est habitus senatoris, ex quo præcipue intelligitur, vel iste qui senator est, vel ille qui miles est; ita etiam Christianus habere aliquid proprium etiam ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed et de calceamentis eadem ratio observabitur: ut quod simplicius est et paratius, et aptum proposito, et usibus sufficiens, id assumatur. Zonæ quoque usum ostendunt necessarium esse etiam qui præcesserunt nos sancti. Nam Joannes zona pellicea constringere lumbos suos dicitur (*Matth.* III), et Elias antea: tanquam enim proprius habitus quidam ipsius designatur, cum dicitur: *Vir hirsutus, et zonam pelliceam habens circa lumbos suos* (*III Reg.* I). Sed et Petrus zona usus ostenditur, sicut ex verbis angeli, quæ ad eum dicta sunt, recognoscimus: *Accinge te*, inquit, *et calcea te caligas tuas* (*Act.* XII). Sed et beatus Paulus zona usus ostenditur per Agabi prophetiam, dicentis: *Virum eum cujus est zona hæc, ita alligabunt in Hierusalem* (*Act.* XXI). Sed et Job audit a Domino: *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job.* XXXVIII). Virtutis namque cujusdam et prompti ad opera animi signum videtur esse usus cinguli. Sed et discipulis Domini zonæ usus fuisse videtur ex more, quibus prohibebatur ne pecuniam haberent in zonis suis (*Matth.* X). Revera enim necessarium videtur, eum qui manuum opere uti in aliquo debet succinctum esse et in omnibus præparatum ac sine ullo impedimento inveniri, ad omne boni operis ministerium. Unde et cingulo indiget, ut vel colligata circa corpus sit tunica: ex qua magis confoveri possit, si undique constrictus sit; vel non impediri ad omnem rem quam agere parat. De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione præscriptum sit, in quo dicit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti unam* (*Luc.* III). Ex quo sine dubio plures habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum præcipi potest?

INTERROGATIO XII.

Si licet alicui ex proprio sensu dicere quod videtur sibi bonum, absque testimonio Scripturarum?

Resp. Domino nostro Jesu Christo dicente de Spiritu sancto: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, hæc loquetur* (*Joan.* XVI). De se ipso autem: *Non potest filius a se facere quidquam* (*Joan.* V). Et iterum: *Ego a me ipso non sum locutus, sed qui me misit Pater, ipse mihi dedit mandatum, quid dicam, aut quid loquar; et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, ita loquor* (*Joan.* XII). Quis potest in tantum temeritatis progredi, ut audeat a se quidquam vel loqui, vel cogitare? Imo vero sciendum est quia omnes duce itineris indigemus Spiritu sancto, ut ipse nos in viam dirigat veritatis, et in cogitatione, et in verbis, et in actibus. Cæcus est enim et in tenebris degit omnis qui est absque sole justitiæ, qui est dominus noster Jesus Christus; cujus mandatis, velut radiis quibusdam, illuminamur. *Mandatum enim*, inquit, *Domini lucidum est, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII). Quia ergo in omnibus negotiis quæ inter nos versantur, vel verbis, quædam quidem per mandatum Dei in divinis Scripturis distinguuntur, quædam vero reticentur; de his quidem quæ scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam, vel admittere quod prohibendum est, vel omittere quod præceptum est: cum ipse Dominus ita præceperit, dicens: *Et custodi verbum hoc, quod ego tibi mando hodie: non adjicies ad illud, neque auferes ab eo* (*Deut.* IV). Sed et terribilis quædam exspectatio est judicii et ignis zelus, qui consumpturus est adversarios, et eos qui ausi sunt tale aliquid operari. De his vero quæ Scriptura reticuit, regulam nobis Apostolus posuit evidenter dicens: *Omnia licent, sed non omnia expediunt; omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius* (*I Cor.* VI). Itaque omni modo non quæ nobis licita sunt, sed quæ ædificant proximos, agere debemus, et non nobis placere, sed proximis ad ædificationem. Scriptum est enim: *Subjecti invicem in timore Christi* (*Ephes.* V). Sed et rursus Dominus ait: *Si quis vult in vobis major esse, fiat omnium novissimus, et omnium servus* (*Luc.* XXII). Quod utique qui implere vult, sine dubio proprias sibi amputat voluntates, secundum imitationem ipsius Domini dicentis: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit, Patris* (*Joan.* VI). Et iterum præcepit Dominus: *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo* (*Matth.* V).

INTERROGATIO XIII.

Si oportet omnibus vel quibuscunque obedire?

Resp. Horum quidem qui imperant differentia vel diversitas non debet impedire obedientium propositum: quia neque Moyses intemperans exstitit cognato suo Jethro, cum utilia moneret et justa (*Exod.* XVIII). Commonitionum sane non parva est diversitas: aliæ namque contrariæ videntur esse mandatis Dei, aliæ vero interrumpere mandatum, vel contaminare illud videntur, aliæ vero ad explendum id atque ædificandum veniunt. Necessarium ergo est meminisse apostolici præcepti dicentis: *Prophetias nolite spernere: omnia probate, quod bonum est retinete; ab omni specie mala abstinete vos* (*I Thes.* V). Et iterum: *Cogitationes purgantes, vel destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum, ad obediendum Christo* (*I Cor.* X). Si quid ergo est quod conveniat cum mandato Dei et animæ expediat, et hoc nobis ab aliquo fuerit imperatum, velut voluntatem Dei prompte et libenter debemus accipere, et explere quod dictum est: *Obtemperantes in charitate Christi* (*Ephes.* IV). Sin autem contrarium aliquid mandatis Dei, vel quod ea corrumpere videatur aut contaminare, facere jubemur ab aliquo, tempus est nos dicere: *Obtemperare Deo magis quam hominibus* (*Act.* V). Et rursum meminisse Domini dicentis de omnibus suis: *Alieni autem vocem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quoniam nesciunt alienorum vocem* (*Joan.* X). Sed et sancti Apostoli memores esse debemus, qui ad nostram cautelam ausus est, ne angelis quidem parcere, dicens: *Etiamsi angelus de cœlo evangelizaverit vobis præterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Ex quo edocemur, ut etiamsi valde nobis charus sit aliquis, etiamsi magnificus habeatur, et in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere, quod a Domino præceptum est, vel rursum imperat, quod Dominus prohibuit, exsecrabilis debet esse qui ejusmodi est omnibus qui diligunt Dominum.

INTERROGATIO XIV.

Quali affectu debet servire, qui servit Deo? et iste ipse affectus quid est?

Resp. Affectum bonum vel animum illum esse arbitror ego, cum desiderium vehemens et inexplebile atque immobile inest nobis placendi Deo. Impletur autem iste affectus per theoriam, id est, scientiam, per quam intueri et perspicere possumus magnificentiam gloriæ Dei, et per cogitationes pias et puras, et per memoriam bonorum, quæ nobis a Deo collata sunt; ex quorum recordatione venit animæ dilectio Domini Dei sui, ut eum diligat ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota mente sua, secundum illum qui dicebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI). Cum tali affectu ergo servire oportet Domino, adimplentes illud quod ab Apostolo dictum est: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an gladius? et reliqua* (*Rom.* VIII).

INTERROGATIO XV.

Quid sentire de se debet is qui præest, in quibus præcipit, vel imperat?

Resp. Apud Deum quidem, sicut minister Christi et dispensator mysteriorum Dei (*I Cor.* IV); timens ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in sacris Scripturis evidenter præcipitur, vel dicat ali-

quid, vel imperet, et inveniatur tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum a doctrina Domini, vel certe subrelinquens et præteriens aliquid eorum quæ Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet, tanquam si nutrix foveat parvulos suos : paratus autem, secundum voluntatem Domini, et secundum quod unicuique expedit, communicare cum eis non solum Evangelium Dei, sed etiam animam suam; memor præcepti Dei ac Domini nostri dicentis : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut ego dilexi vos* (*Joan.* XIII). *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis suis* (*Joan.* XV).

INTERROGATIO XVI.

Peccantem quomodo corripiemus, vel emendabimus?

RESP. Sicut præceptum est a Domino, dicente: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, argue eum inter te solum et ipsum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non te audierit, assume tecum alium unum, vel duos : ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si etiam ipsos non audierit, dic Ecclesiæ : si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Si forte increpatio hæc, quæ a pluribus fit, eveniat ei in salutem : et sicut dixit Apostolus : *Argue, increpa, consolare in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV). Et rursum : *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo* (*II Thes.* III); sine dubio ad mensam.

INTERROGATIO XVII.

Si quis autem in parvis delictis affligere voluerit fratres, dicens : quia debetis pœnitere per singula, ne forte et ipse immisericors videatur, et dissolvere charitatem?

RESP. Cum affirmaverit Dominus : *Quia iota unum, vel apex unus non transiet a lege, usquequo omnia fiant* (*Matth.* V); et rursum definierit : *Quia de omni sermone otioso, quemcunque locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII), nihil oportet contemni tanquam parvum. *Qui enim spernit minima, paulatim defluit* (*Eccli.* XIX). Sed et quomodo quis audebit breve dicere aut parvum delictum, cum Apostolus dicat, manifesteque definiat : *Quia per prævaricationem legis Deus exhonoratur* (*Rom.* II)? Sed et *aculeus mortis peccatum esse dicitur* (*I Cor.* XV). Et non dixit, tale vel tale peccatum, sed omne peccatum. Magis ergo immisericors est, qui intermittit et negligit, quam ille qui arguit : sicut is qui morsu serpentis permittit delitescere venenum, quam ille qui educit et attrahit. Sed et charitatem destruit ille, qui, secundum quod scriptum est, *parcens baculo, odit filium suum : qui autem diligit, diligenter corripit* (*Prov.* XII).

INTERROGATIO XVIII.

Quomodo quis debet pœnitere in unoquoque delicto?

RESP. Affectum illum in se recipiens, quem gerebat ille, qui dicit : *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum* (*Psal.* CXVIII). Sed et ea quæ scripta sunt in sexto Psalmo, atque in aliis quamplurimis : vel ea, quæ Apostolus dixit ad eos qui secundum Deum contristati sunt : *Quantam operatus est vobis*, inquit, *sollicitudinem? sed excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos castos esse negotio* (*II Cor.* VII). Sed et ex his ipsis, in quibus delinquit, agens multa contraria, sicut et Zacchæus fecit (*Luc.* XIX).

INTERROGATIO XIX.

Qui sunt fructus digni pœnitentiæ?

RESP. Opera quæ contraria sunt peccato, isti sunt fructus justitiæ; quos debet afferre ille, qui vult, secundum quod scriptum est, in omni opere bono fructificare (*Coloss.* I).

INTERROGATIO XX.

Qui se verbo dicit pœnitere, peccatum autem suum non emendat, quid est?

RESP. De isto scriptum est : *Si te rogaverit inimicus tuus magna voce, non acquiescas ei : septem enim nequitiæ sunt in anima ejus* (*Prov.* XXVI). Et alibi: *Sicut canis revertens ad vomitum suum odibilis fit, ita homo qui per malitiam suam revertitur ad peccatum suum* (*Ibid.*).

INTERROGATIO XXI.

Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri, sive quibuslibet, aut certis quibusque?

RESP. Clementia Dei erga eos qui deliquerunt manifesta est; secundum quod scriptum est : *Quia non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat* (*Ezech.* XVIII). Quia ergo et conversionis modus aptus esse, et convertentis se a peccato fructus dignus ostendi debet per pœnitentiam, secundum quod scriptum est : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III) : ne forte secundum comminationem illam eveniat his qui non pœnitent, quod scriptum est : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III), necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim et hi qui antiquitus pœnitebant, inveniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Evangelio, quia Joanni Baptistæ confitebantur peccata sua (*Matth.* III); et in Actibus apostolorum, apostolis a quibus baptizabantur (*Act.* III).

INTERROGATIO XXII.

Qui pœnituerunt pro aliquo peccato, et rursum in hoc ipsum peccatum inciderunt, quid faciunt?

RESP. Qui semel delinquit, et iterum in idem peccatum incurrit, indicare de se videtur hoc primum quod ab illo peccato priori non fuerit expurgatus : ex quo velut a radice quadam pessima, eadem quæ antea pullularunt. Sicut enim quis ramos arborum excidens, si radicem relinquat, ubi radix permaneat fixa, virgulta denuo ejusdem seminis germinabunt, ita etiam peccatum. Quoniam non omnes qui delinquunt, ex ipsis peccatis initium sumunt, sed ex aliis interdum delicti occasio nascitur. Necessarium ergo ei est qui vult omnino se

purgare a peccato, primas ipsas causas culpæ succidere. Verbi gratia : si ex contentione, vel ex invidia fuerit, non a se sumit exordium; sed radicem habet ex arrogantia et cupiditate gloriæ humanæ venientem. Dum enim gloriam quærit unusquisque ab hominibus, aut contentionibus studet, aut recte agentibus invidet : huic scilicet, per quem videtur ipse minus in laude vel in admiratione haberi. Si quis ergo semel notatus fuerit invidiæ vel contentionis vitio, et rursus in hoc ipsum inciderit, sciat se primam illam causam, de qua superius diximus, ex qua invidia vel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergo eum et per contraria atque adversa curari; id est, per humilitatis exercitium. Exercitia vero humilitatis sunt, si se vilioribus officiis subdat, et ministeriis indignioribus tradat. Ita namque arrogantiæ et humanæ gloriæ vitium curari poterit, ut consuetudine humilitatis affectus, ultra jam non incidat in arrogantiæ et vanæ gloriæ delictum. Sed et in singulis hujuscemodi vitiis cura similis adhibeatur.

INTERROGATIO XXIII.

Quali affectu, vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat?

Resp. Ad eum quidem tali mente esse debet, qualem indicat beatus David, dicens : *Vidi non servantes pactum, et tabescebam; quoniam eloquia tua non custodierunt* (*Psal.* CXVIII). Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum servare, quem pater et medicus erga ægrotantem filium servat : et tunc maxime, cum qualitas curæ tristior videtur et gravior.

INTERROGATIO XXIV.

Quali affectu debet quis suscipere correptionem?

Resp. Sicut æger filius patris et medici de vita sua solliciti : qui etiamsi aliquid asperum offerat vel aniarum ad curandum filium, scit utique filius, quod nec pater in aliquo negligere potest de salute filii, nec medicus falli.

INTERROGATIO XXV.

Qui tristatur adversus eum qui se increpat, qualis est?

Resp. Neque periculum peccati agnovit iste, maxime ad Deum, neque luerum pœnitentiæ; nec credidit illi qui dixit : *Quia qui diligit, diligenter corripit* (*Eccl.* X). Sed et seipsum alienum facit ab illa utilitate dicentis : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* (*Psal.* CXL). Sed et ad læsionem cæterorum iste talis permanet inter fratres : resolvit enim et impedit animos eorum qui possunt proficere.

INTERROGATIO XXVI.

Quale judicium esse debet de his, qui peccantes defendunt?

Resp. Ut mihi videtur, gravius ab illo quod dixit Dominus : *Quia expedit illi, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, et præcipitetur in mare, quam ut scandalizet unum ex minimis istis* (*Matth.* XVIII). Non enim jam correptionem ad emendationem, sed defensionem ad confirmandum peccatum suum suscipit, qui delinquit, sed et alios ad simile provocat malum. Ita ut conveniat ei, qui peccantes defendit, illud quod dictum est : *Quia si non ostenderitis fructus dignos pœnitentiæ, excidemini, et in ignem mittemini* (*Luc.* III). Vel rursum quod a Domino dictum est : *Quia si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* XVIII).

INTERROGATIO XXVII.

Pœnitentem ex corde quomodo oportet suscipi?

Resp. Sicut Dominus ostendit, cum dicit : *Quia convocavit amicos et vicinos, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram*:

INTERROGATIO XXVIII.

Erga eum qui pro peccato non pœnitet, qualiter esse debemus?

Resp. Sicut Dominus præcepit, dicens : *Sit tibi sicut gentilis et publicanus.* Et sicut Apostolus docuit, dicens : *Subtrahite vos ab omni fratre inquiete ambulante, et non secundum traditionem, quam tradidimus vobis.*

INTERROGATIO XXIX.

Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est?

Resp. Huic contrarium est illud testimonium quod in Actibus apostolorum de illis qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim ita dicitur : *Quia nemo quidquam ex bonis suis proprium dicebat esse : sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV). Si quis vero proprium sibi esse dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei et a charitate Domini, qui docuit verbo, et opere complevit, et animam suam posuit pro amicis suis (*Joan.* XV). Si ergo ipse animam suam pro amicis dedit, quomodo nos etiam ea quæ extra animam sunt, propria vindicamus?

INTERROGATIO XXX.

Si quis dicat : Quia neque accipio a fratribus, neque do; sed contentus sum meis propriis : quid de hoc observare debemus?

Resp. Si non acquiescat doctrinæ Domini, dicentis : *Diligite invicem sicut et ego dilexi vos*, acquiescat Apostolo dicenti : *Auferte malum ex vobis ipsis* (*II Cor.* V) : ne forte accidat, ut modicum fermentum totam massam corrumpat.

INTERROGATIO XXXI.

Si debet quis a carnalibus propinquis accipere aliquid?

Resp. Propinquis quidem reddere quæ sua sunt, his qui ad servitium Dei accedunt, necessarium est; et nihil subtrahere, ut non crimen sacrilegii incurrant. Verumtamen hæc prærogari in conspectu eorum ad quos visa sunt pertinere, non expedit : ne et illis ipsis occasionem præstet elationis ac superbiæ; et aliis fratribus ejusdem propositi pauperioribus tristitiam generet. Ita ut accidat illud, in quo Corinthii increpantur ab Apostolo dicente : *Quia confunditis non habentes* (*I Cor.* XI). Et ideo

his qui per loca singula ecclesiis præsunt, si sunt fideles et prudentes dispensatores, ipsis offerri debent, secundum imitationem eorum, qui in Actibus apostolorum id fecisse perscribuntur, de quibus dicitur : *Quia afferentes pretia prædiorum suorum, ponebant ante pedes apostolorum* (*Act.* III). Certe quoniam non est omnium hujuscemodi dispensationes explere fideliter, illis offerri convenit, qui apud omnes in hoc officio probati habentur. Verumtamen etiam de his probabit ille qui præest, per quem debeant dispensari.

INTERROGATIO XXXII.

Quomodo videre debemus eos, qui nobis vel familiares, vel consanguinei fuerunt et proximi?

Resp. Sicut Dominus ostendit, tunc cum ei nuntiaverunt : *Quia mater tua et fratres tui foris stant, volentes te videre;* ad quos cum increpatione respondit, dicens : *Quæ est mater mea? et qui sunt fratres mei? Qui enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, iste meus frater, et soror, et mater est* (*Luc.* VIII).

INTERROGATIO XXXIII.

Quod si deprecantur nos, volentes ut eamus cum ipsis ad domos eorum, si oporteat nos acquiescere?

Resp. Si quidem pro ædificatione fidei aliquis ire potest, si probaverit ille qui præest, mittatur. Si vero propter humanam aliquam gratiam, audiat Dominum dicentem ad illum qui ei dixit : *Magister, permitte mihi primum ire, et renuntiare his qui in domo sunt. Quia nemo mittens manum suam in aratrum, et retro respiciens, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX). Quod si pro renuntiando hoc dictum est volenti ire ut renuntiaret, quid dicemus de cæteris?

INTERROGATIO XXXIV.

Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversæ ascendunt in corde nostro? et quomodo possumus hoc emendare?

Resp. Vagatur quidem mens interdum etiam otio, cum non occupatur in necessaria sollicitudine; sed in remissione posita et securitate, non credit præsentem esse Deum, scrutantem corda et renes. Si enim hoc crederet, faceret quod superius dictum est : *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quia a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV). Qui enim hoc agit, vel horum similia, neque vagabitur unquam, neque habebit otium vanis cogitationibus indulgere; vel aliquid cogitare, quod non ad ædificationem fidei pertineat, et ad aliquam animæ utilitatem spectet. Quanto magis nihil audebit, quod adversum sit Deo, et non ei placeat, cogitare?

INTERROGATIO XXXV.

Unde et nocturnæ phantasiæ inhonestæ et turpes accidunt nobis?

Resp. Veniunt quidem hæc maxime ex diurnis animæ motibus et actibus, indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, et expurgetur anima per meditationem legis divinæ, et studium verbi Dei, ibique indesinentem curam gerat, semper requirens et scrutans quid sit quod placeat Deo, talia etiam habebit somnia.

INTERROGATIO XXXVI.

Quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare?

Resp. Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit : *Quia cum fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Expedit autem ad conservandum hujuscemodi affectum in obsequiis, ut et hi qui obsequia a nobis suscipiunt, tales sint, quibus merito deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos qui præsunt curam gerere, ne hi quibus ministratur tales sint qui carni indulgeant et ventri, sed potius in amore Dei et Christi ejus probabiles inveniantur, et per patientiam suam ac vitæ meritum fratrum mereantur obsequia : ut habeantur ad gloriam Christi, et opprobrium diaboli sicut fuit et sanctus Job.

INTERROGATIO XXXVII.

Cum quali humilitate debet quis suscipere a fratribus obsequium?

Resp. Sicut servus a domino, et sicut ostendit Petrus apostolus, cum ei Dominus ministraret (*Joan.* XIII). In quo simul etiam periculum eorum, qui nolunt recipere obsequia fratrum, docemur.

INTERROGATIO XXXVIII.

Qualem debemus habere charitatem ad invicem?

Resp. Qualem Dominus ostendit et docuit, dicens : *Diligite invicem, sicut et ego dilexi vos. Majorem autem charitatem nemo habet, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* V). Si autem et animam poni oportet, quanto magis in aliis votum et studium debet ostendi? Sine dubio non secundum humanas voluntates, sed secundum illum prospectum, in quo est commune omnium propositum placendi Deo.

INTERROGATIO XXXIX.

Quomodo poterit quis implere charitatem circa proximum suum?

Resp. Primo quidem metuens judicium prævaricantis mandatum Domini; quia ipse dixit : *Qui non crediderit Filio, non habebit vitam : sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III). Tum deinde velut cupiens ad æternam vitam pervenire, quia mandatum ejus vita æterna est. *Primum autem et magnum mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tua, et ex tota anima tua. Secundum vero simile illi : Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII). Et si quis desiderat similis effici Domino dicenti : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos* (*Joan.* XIII). Sed et ex communi sensu sentire hoc possumus : quia si beneficium consequamur a fratre, in eo quod diligimur a fratre, debitores ei efficimur, ut eum merito diligamus; quod etiam inter gentiles observari solet, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? quia et peccatores et gentiles, diligentes se diligunt* (*Luc.* VI). Si autem in aliquo vel lædit nos, vel adversatur quis, hunc non solum propter mandatum, sed et propter hoc ipsum, quia plus nobis præstat in quo lædit, diligere debemus. Siquidem credimus Domino dicenti : *Beati estis cum exprobrabunt vos et persequen-*

tur, et dicent omne malum adversum vos, mentientes propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis (*Matth.* v).

INTERROGATIO XL.

Usque ad quæ verba otiosus sermo judicabitur?

Resp. Generaliter omnis sermo, qui non proficit ad aliquam gratiam fidei Christi, otiosus est : et tantum est periculum hujuscemodi sermonis, ut etiamsi bonum esse videatur quod dicitur, et ad ædificationem fidei tamen non pertineat; non in sermonis bonitate ille qui locutus est, periculum effugiat, sed in eo, quod non proficit ad ædificationem sermo prolatus, contristat Spiritum sanctum Dei. Hoc enim manifeste demonstrat Apostolus, dicens : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et super hæc adjecit : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die redemptionis* (*Ephes.* iv). Quo utique gravius malum nullum esse poterit.

INTERROGATIO XLI.

Quis est maledicus, id est Λοίδορος?

Resp. Omnis sermo, qui ob hoc profertur, ut infamet aliquem, vel deroget, vel male commendet, maledicus est, etiam si videatur non esse injuriosus. Et hoc manifestum est ex sententia Evangelii, cum dicit de Judæis : *Quia maledixerunt eum, dicentes : Tu vis discipulus ejus* (*Joan.* ix).

INTERROGATIO XLII.

Quid est detractio, vel derogatio?

Resp. Duas opinor esse causas, in quibus licet alicui dicere et retractare aliena mala : si quando consilium habere necesse est cum cæteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccavit, vel mali aliquid egit; et rursum, si quando necesse est prævenire aliquem et commoneri, ne forte incurrat in consortium alicujus mali, dum eum putat esse bonum. Quia Apostolus dicit : *Nolite commisceri cum hujusmodi* (*II Thes.* iii). Item in Salomone : *Noli manere cum homine iracundo; ne forte vias ejus discas, et sumas laqueum animæ tuæ* (*Prov.* ii). Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus, per hoc quod scribit ad Timotheum, dicens : *Alexander ærarius multa mihi ostendit; quem tu quoque devita. Valde enim restitit nostris sermonibus* (*II Tim.* iii). Præter hujuscemodi autem necessitates, quicunque dicit aliquid adversus alium, ut vel deroget ei, vel obtrectet, istud est detrahere : etiamsi vera esse videantur quæ dicit.

INTERROGATIO XLIII.

Qui detrahit fratri, aut audit detrahentem, et patitur, quid dignus est?

Resp. Excommunicari debet. *Detrahentem*, inquit, *occulte adversus proximum suum, hunc persequebar* (*Psal.* c). Et alibi dictum est : *Noli libenter audire detrahentem : ne forte eradiceris* (*Psal.* xx).

INTERROGATIO XLIV.

Quod si de eo qui præest quis detraxerit, quomodo eum observabimus?

Resp. Et in hoc manifestum est judicium iracundiæ Dei, quæ facta est super Mariam, cum detraxit de Moyse, et peccatum ejus nec ipso quidem Moyse orante inultum esse Deus permisit (*Num.* xii).

INTERROGATIO XLV.

Si quis acerbiori sermone, vel insolentiori voce respondeat; et admonitus dicat quia nihil mali habeat in corde, si oportet ei credi?

Resp. Non omnes animæ passiones manifestæ sunt omnibus, nec ipsis quidem qui patiuntur eas. Sicut enim sapientioribus medicis signa quædam dantur absconsa et occulta ex corporum motibus, quæ ipsos qui patiuntur effugiunt et latent, ita etiam in anima sunt quædam vitia, etiamsi non sentit ille qui peccat. Sed credere oportet Domino, dicenti : *Quia malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (*Matth.* xii). Et ideo non potest fieri, ut malus de corde malo bonum proferat sermonem, nec bonus de bono corde malum proferat verbum. Sed interdum quidem potest esse mali cordis bonitas simulata : bonum autem cor, malum non potest simulare. Dicit enim Apostolus : *Quia providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* xii)

INTERROGATIO XLVI.

Quomodo possit aliquis non irasci?

Resp. Si Deum omnia credat inspicere, et Dominum præsentem semper intueatur : quoniam quidem neque is qui judici suo subjectus est, ausus est in oculis judicis sui aliquid suæ indignationis ostendere, id est, cum non ipse sibi alios putat esse subjectos, sed se præparat ad alterius obedientiam : hoc est enim omnes ducere superiores sibi. Si enim non ad suos usus vel ad suam utilitatem obedire sibi quærit eos qui obediunt, scire debet quoniam sermo Domini unumquemque docet aliis obsequi vel ministrare. Ob quod etiamsi videt aliquem mandatum Domini præterire, non ira erga eum moveatur, sed miseratione et compassione secundum eum qui dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (*II Cor.* xi)?

INTERROGATIO XLVII.

Quis est mansuetus?

Resp. Qui non transfertur a judiciis suis, quibus statuit vel studet Deo placere.

INTERROGATIO XLVIII.

Quomodo quis non vincatur in voluptate, et libidine ciborum?

Resp. Si statuat expetendum esse, non id quod delectat, sed id quod expedit, et quod usui, non voluptati, sufficiat.

INTERROGATIO XLIX.

Quomodo excidemus vitium mali desiderii.

Resp. Desiderio meliore : si magis igniamur et accendimur ad amorem Dei, secundum illum qui dicit : *Eloquium Domini ignivit eum* (*Psal.* civ). Et : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum nimis multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* xviii). Semper enim desiderium meliorum, si in opere sit et in re, et possideat totos animos nostros, atque eorum quæ desideramus perfrui contendamus, con-

temnere nos facit et despicere inferiora, sicut docuerant nos omnes sancti, quanto magis ea quæ mala sunt et turpia?

INTERROGATIO L.

Quæ est tristitia secundum Deum, et quæ est secundum sæculum?

Resp. Secundum Deum est tristitia, cum pro mandati negligentia vel prævaricatione tristamur, secundum quod scriptum est : *Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Sæculi autem tristitia est, cum ob aliquid de rebus humanis, vel quæ ad sæculum pertinent, contristamur.

INTERROGATIO LI.

Quæ sunt in Domino gaudia, vel quid facientes gaudere debemus?

Resp. Si quæ secundum mandatum Domini gerimus, vel in gloria Dei agimus, hoc est in Domino gaudium : vel cum pro nomine Domini aliquid patimur et gaudemus, vel aliis recte agentibus congratulamur.

INTERROGATIO LII.

Quod lugere debemus, ut beatitudinem consolationis consequi mereamur?

Resp. Cum illa interrogatione, in qua exposuimus quæ est secundum Deum tristitia, etiam ista interrogatio continetur : id est, si pro peccatis lugemus, vel si eos deflemus, qui per prævaricationem legis Deum inhonorant : vel propter eos, qui periclitantur in peccato. *Quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII) : secundum illum qui dixit : *Et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam* (*II Cor.* XII).

INTERROGATIO LIII.

Si ex toto ridere non licet?

Resp. Cum Dominus eos qui nunc rident, condemnet (*Luc.* VI), manifestum est quia nunquam tempus est risus fideli animæ : et maxime cum plurimi sint, qui per prævaricationem legis Deum non honorent, et in peccatis suis moriantur : pro quibus tristari indesinenter convenit et lugere.

INTERROGATIO LIV.

Quæ est sollicitudo sæcularis?

Resp. Omnis sollicitudo animi, etiamsi nihil habere videantur illicitum, tamen si non ad religionem pertineat et ad virtutem, sæcularis est.

INTERROGATIO LV.

Unde accidit nobis importune dormitare, et quomodo hoc possumus abjicere?

Resp. Evenit quidem importune dormitare, cum languidior est anima erga Deum, et memoriam Dei, et cum judiciorum ejus eam incessit oblivio. Abjicere autem id possumus, cum dignam de eo assumpserimus cogitationem, et ad voluntatem ejus extendimus desideria nostra; secundum illum qui dixit : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, usquequo inveniam locum Domino, et tabernaculum Deo Jacob* (*Psal.* CXXXI).

INTERROGATIO LVI.

Quomodo quis ad gloriam Dei facit omnia?

Resp. Cum omnia propter Deum, vel ex mandato Dei facimus, et in nullo sectamur hominum laudes, et in omnibus meminimus Domini dicentis : *Lucent lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V).

INTERROGATIO LVII.

Quomodo manducet quis et bibit in gloriam Dei.

Resp. Si in memoria habeat eum, a quo pascitur, Deum : et si non solum anima, verum etiam corpore per singula contestetur, se ei gratias agere, et non securum manducare; sed quasi operarium Dei ab ipso reflci, ad hoc, ut ad laborem, vel expletionem sufficiat mandatorum.

INTERROGATIO LVIII.

Quomodo faciat dextera, quæ non cognoscat sinistra?

Resp. Cum intenta mente, et fixo desiderio placendi Deo, agimus opera Dei, et omni sollicitudine constringimur, ne decidamus a via recta, et ab opere legitimo; tunc nullius prorsus extrinsecus, neque membri nostri alicujus percipimus cogitationem, nisi solius Dei, et ejus operis quod explemus. Tanquam si artifex faciens vas aliquod indesinenter et ejus meminit qui opus injunxit; et vas quod versat in manibus, si recte et fabre veniat, intuetur.

INTERROGATIO LIX.

Quomodo apparebit eis qui hominibus vult placere?

Resp. Cum præsentibus quidem iis qui laudare possunt, agit aliquid operis boni : nullo autem tali præsente, vel etiam iis qui vituperare possunt astantibus, segnis et pigrior est in opere. Si enim Domino placere vellet, semper utique et in omni loco idem esset, atque eadem gereret : adimplens illud quod dictum est : *Per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem; per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces* (*I Cor.* VI).

INTERROGATIO LX.

Quomodo quis effugiet vitium hominibus placendi vel captandi laudem ab hominibus?

Resp. Si certus sit de præsentia Dei, et fixam habeat sollicitudinem Deo placendi; et multo desiderio teneatur earum beatitudinum quæ a Domino repromissæ sunt. Non enim oportet sub præsentia Dei placere conservis, ad injuriam Domini, et ad sui perniciem; non Domino, sed conservorum nutibus intuentem.

INTERROGATIO LXI.

Quomodo intelligitur superbus? vel quomodo curatur?

Resp. Intelligitur quidem ex eo, quoniam ea quæ eminentiora sunt quærit. Curatur autem, si credat sententiæ ejus, qui dixit : *Deus superbis resistit* (*Jac.* IV). Illud sane sciendum est, quod quomodo

quis timeat damnationem superbiæ, impossibile est curari hoc vitium, nisi abstrahat se, et secedat ab omnibus occasionibus elationis : sicut impossibile est exstingui linguæ alicujus vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitus abstrahat, non solum ab agendo, vel loquendo, vel movendo, sed etiam audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agunt id quod oblivisci cupit. Et hoc observandum est de omnibus vitiis.

INTERROGATIO LXII.

Quid est humilitas ; et quomodo eamdem implere possimus ?

Resp. Humilitas quidem est hæc, ut omnes homines æstimemus superiores nobis, secundum definitionem Apostoli (*Phil.* II). Implere autem id possumus, si memores fuerimus Domini dicentis : *Discite a me quia mansuetus sum et humilis corde* (*Matth.* XI) : quod in multis sæpe et ostendit et docuit. Et credere debemus promittenti : *Quia qui se humiliaverit, exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Deinde ut indesinenter et absque ulla cessatione in omnibus actibus, et in omni negotio humiliores cæteris inveniri studeamus, et in hoc exercitium nostrum ponamus. Vix enim sic poterimus pristinæ a nobis arrogantiæ abolere memoriam, et affectum humilitatis assumere, sicut etiam in artificiis fieri solet. Idemque modus erit etiam in cæteris virtutibus obtinendis, quæ ex mandato Domini nostri Jesu Christi veniunt.

INTERROGATIO LXIII

Si oportet honorem quærere ?

Resp. Reddere quidem cui honorem honorem edocti sumus (*Rom.* XIII); requirere autem honorem prohibiti, Domino dicente : *Quomodo potestis credere, gloriam quærentes ab invicem : et gloriam quæ est ab uno Deo, non quæritis* (*Joan.* V) ? Itaque requirere ab hominibus gloriam vel honorem, indicium est infidelitatis, et alienos nos esse a pietate Dei, maxime cum et Apostolus dicat : *Si adhuc hominibus placere vellem, Christi servus non essem* (*Gal.* I). Si ergo hi qui ab hominibus gloriam vel honorem sibi oblatam suscipiunt, ita condemnantur, hi qui nec oblatum quidem requirunt, quali judicio digni sunt ?

INTERROGATIO LXIV.

Quomodo invicem obaudire debemus ?

Resp. Sicut servi dominis, secundum quod præcipit Dominus : *Quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissimus, et omnium servus* (*Matth.* XX). Quibus addidit, ut magis nos inclinet ad humilitatem : *sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Sed et aliud quod ab Apostolo dictum est : *Per charitatem spiritus servit invicem* (*Gal.* V).

INTERROGATIO LXV.

Usque ad quem modum obaudire oportet eum, qui placendi Deo implere regulam cupit ?

Resp. Apostolus ostendit, proponens nobis obedientiam Domini : *Qui factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Et prædixit : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.*

INTERROGATIO LXVI.

Qui piger est erga mandatum, quomodo potest industrius et vigilans effici ?

Resp. Si certus sit præsentiam Domini Dei ubique esse, et omnia intueri (*Prov.* XX); et comminationem illam quæ adversus pigrum prolata est, ante oculos habeat, et spem multæ retributionis Dei, qui repromisit per Paulum apostolum dicens : *Quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor.* III) : et si qua similia in Scripturis sanctis inveniuntur, quæ de labore patientiæ et operum sollicitudine ad Dei gloriam referuntur.

INTERROGATIO LXVII.

Si quis non contentus est quotidie sibi aliquid injungi de his quæ pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere ; quali vitio ægrotat ? aut si oportet ei acquiescere ?

Resp. Iste talis et præsumptor est, et sibi placens, et infidelis, qui non timet sententiam Domini dicentis : *Estote parati ; quia hora qua non putatis, filius hominis veniet* (*Luc.* XII). Si enim quotidie exspectat quis dominum, sollicitus est et trepidus, quomodo præsentem diem non transeat otiosus, et nihil amplius quærit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientiæ suæ habeat lucrum, et in hoc placeat Deo ; et non in eo, quod sibi placet, assumat judicium.

INTERROGATIO LXVIII.

Si quis industrius sit, et promptus ad implenda mandata, agat autem, non quod ei injungitur, sed quod ipse vult : quam mercedem habebit ?

Resp. Merces ejus illa ipsa est, quod sibi placet. Cum autem Apostolus dicat : *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem* (*Rom.* XV). Et ut amplius inclinaret et constringeret audientes, addidit dicens : *Quia ipse Christus non sibi placuit*, scire debet unusquisque periculum suum esse in eo, quod vult sibi placere : sicuti enim inobediens invenitur.

INTERROGATIO LXIX.

Si licet alicui excusare opus quod ei injungitur et aliud quærere ?

Resp. Cum definitum sit mensuram obedientiæ usque ad mortem esse, qui devitat hoc quod ei injungitur, et aliud quærit, primo omnium inobedientiæ reus est, et manifeste ostenditur qui nondum negavit semetipsum. Deinde multorum malorum causa efficitur tam sibi quam etiam cæteris, quia aditum contradictionis pluribus aperit, et seipsum ad contradicendum insuescit ; et cum non possint singuli discernere quod melius est et eligere, potest fieri, si talis est licentia, ut aliquid quod deterius est eligat. Tum deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quod passione aliqua, vel ad opus illud quod eligit, astringatur, vel certe erga eos cum quibus necesse est operari. Itaque omni modo non obe-

dire, multorum malorum causa est et radix. Si autem ratio est aliqua qua sibi recte excusare videatur opus illud, quod excusat, exponat hanc ipsam causam huic qui præest, et relinquat ejus judicio, ut ipse probet si excusatione dignum est quod allegat.

INTERROGATIO LXX

Si injunctum fuerit aliquid fratri, et contradixerit, postea autem sua sponte obedierit, quid est?

Resp. In eo quod contradixit, quasi non obtemperans judicandus est, et velut cæteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium, quæ dixit: *Contradictiones suscitat omnis malus: Dominus autem angelum immisericordem immittet ei* (*Prov.* XVII). Cum autem certus sit quia non homini obtemperat, sed Domino dicenti: *Quia qui audit vos, me audit, et qui spernit vos, me spernit* (*Luc.* X): si compunctus est recordatione mandati, prius satisfaciat; et ita, si permittitur, quod injunctum est impleat.

INTERROGATIO LXXI.

Si autem obediens quis murmuret?

Resp. Apostolo dicente: *Omnia facite sine murmuratione et hæsitationibus* (*Phil.* II); alienus sit a fratrum unitate qui murmurat, et opus ejus abjiciatur. Manifestum enim est iste qui talis est, quia infidelitate ægrotat, et certum futuræ spei fiduciam non gerit.

INTERROGATIO LXXII.

Si frater fratrem contristaverit, quomodo debet emendari?

Resp. Si quidem contristaverit, sicut Apostolus dicit: *Contristati enim estis, ut in nullo detrimentum pateremini ex nobis* (*II Cor.* VII); non ille qui contristavit emendari debet, sed ille qui contristatus est; et indicia ejus tristitiæ, quæ secundum Deum est, debet ostendere. Si vero indifferenter contristavit, id est, non secundum Deum, memor sit is qui contristavit Apostoli dicentis: *Si autem propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* (*Rom.* XIV). Et cum cognoverit tale delictum esse suum, impleat illud quod a Domino dictum est: *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris ibi quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V).

INTERROGATIO LXXIII.

Quid si non acquiescat ut satisfaciat, quid agendum est?

Resp. Implere debemus in eo illud, quod a Domino dictum est de eo qui peccavit, et non egit pœnitentiam, cum dixit: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII).

INTERROGATIO LXXIV.

Quid si, satisfaciente eo qui contristaverit, noluerit reconciliari is qui contristatus est?

Resp. Manifesta est de hoc Domini sententia, quæ refertur in illa parabola de servo qui rogatus est a conservo suo, et noluit patienter agere: *Et videntes*, inquit, *conservi renuntiaverunt domino suo* (*Matth.* XVIII). Iratus autem dominus revocavit omnem gratiam quam concesserat debiti, et tradidit eum tortoribus usquequo redderet omne debitum.

INTERROGATIO LXXV.

Quomodo quis debet habere eum, qui ad orationem suscitat fratres?

Resp. Si quis cognoscit damnum quod de somno patitur, cum neque sui ipsius sensum habet; et intelligit quantum sit lucrum vigiliarum, et præcipue cum vigilatur ad glorificandum Deum in orationibus; ita debet habere eum qui ad hoc se invitat et suscitat dormientem, tanquam eum per quem divina lucra et cœlestia dona consequitur; sive is ad orationem, sive ad aliud quodcunque mandatum Dei invitat et provocat.

INTERROGATIO LXXVI.

Quod si contristatur ille qui excitatur, aut etiam si irascetur, quid dignus est?

Resp. Interim excommunicari debet et non manducare; si forte compunctus agnoscat quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet, et ita conversus recipiat gratiam; ejus in se affectum sumens, qui dixit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Quod si permanserit in stultitia, non intelligens gratiam, abscindatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim: *Quia expedit ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* V).

INTERROGATIO LXXVII.

Quid est, Nolite judicare, ut non judicemini; nolite condemnare, ut non condemnemini?

Resp. Cum Dominus aliquando dicat: *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* VII); aliquando vero: *justum judicium judicate* (*Joan.* VII); non utique omni modo prohibet judicandi facultatem; sed differentiam judicii nosse nos docet, ut sciamus in quibus oporteat non judicare et in quibus non. De hoc autem manifeste nobis Apostolus tradidit, dicens de his causis quæ uniuscujusque arbitrio esse debent: *Tu autem quare judicas fratrem tuum* (*Rom.* XIV)? Et iterum: *Non ergo invicem judicemus* (*Ibid.*). In his vero actibus qui aperte Deo non placent, notat eos qui non judicant, et ipse suam sententiam prodit per hæc quæ dicit: *Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi tanquam præsens eum, qui hæc operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi; tradere hujuscemodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi* (*I Cor.* XV). Si quid itaque in nostra potestate vel arbitrio positum et insertum est, non oportet de his judicare fratrem, secundum hoc quod Apostolus dicit, tanquam de his quæ ignorantur: *Itaque nolite ante tempus quid judicare, usquequo veniat Dominus,*

qui illustrabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* IV). Dei autem judicia vindicare omni modo necessarium est; ne forte et nos simili ira absorbeamur, si quid sciamus erga peccantes et sileamus. Nisi forte quis eadem faciens, fiduciam non habeat arguendi, neque auctoritatem judicandi fratrem, Domino dicente : *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Matth.* VII).

INTERROGATIO LXXVIII.

Quomodo intelligitur quis, si zelo Dei moveatur adversus peccantem fratrem, aut a propria iracundia?

Resp. Si ad omne peccatum fratris patitur illud, quod scriptum est : *Consumpsit me zelus domus tuæ, quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei* (*Psal.* XXXIII). Manifestus est enim et in hoc Dei zelus. Verumtamen etiam in his oportet prudenter omnia dispensari. Si ergo hunc affectum etiam antea non habuit in animo suo, motus suos sciat magis ex passione quam ex Deo descendere, et in nullo posse officium pietatis implere.

INTERROGATIO LXXIX.

Dicunt quidam quia impossibile est non irasci hominem?

Resp. Sicut nec possibile est militi in conspectu sui regis irasci. Sed nec sic quidem habebit rationem hoc quod dicitur. Humanus enim vultus ejusdem formæ hominis ad hominem propter unitatem naturæ, ubi cum sola sit dignitatis eminentia, tamen prohibet passionem; quanto magis Deus, quem certi sumus etiam cordi nostro præsentem et omnes motus nostros inspicere? Cujus manifestum est quanta sit eminentia, etiam hoc ipso quod scrutatur corda et renes, et videt motus animæ.

INTERROGATIO LXXX.

Si oportet ire quocunque, non commonito eo qui præest?

Resp. Cum Dominus dicat : *Non enim veni ut a me faciam quidquam, sed ab illo qui me misit* (*Joan.* V); quanto magis unusquisque nostrum sibi permittere nihil debet? Qui enim sua auctoritate aliquid agit, manifestissimæ superbiæ morbo detinetur : et subjectus est illi sententiæ quæ dicit : *Quod in hominibus superbum est, abominatio est in conspectu Dei* (*Luc.* XVI). Sed in omnibus sua sponte vel auctoritate aliquid agere, culpabile est?

INTERROGATIO LXXXI.

Si omnino volenti litteras discere, vel lectioni vacare, indulgendum est

Resp. Apostolo dicente : *Ut non quæ vultis, ea faciatis* (*Gal.* V); in omni negotio sua voluntate permittere unumquemque agere, perniciosum est; sed oportet illud suscipere quod ab his qui præsunt injungitur, etiamsi contra voluntatem sit ejus cui injungitur; secundum Domini exemplum, dicentis : *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII).

INTERROGATIO LXXXII.

Si licet unicuique vitare opus quod gravius videtur.

Resp. Qui fideliter et pure Deum diligit, et certus est de retributione Domini, ne sufficere sibi putat ea quæ injunguntur; sed semper augmenta operis quærit, et majora quam injunguntur, desiderat et exoptat, etiamsi supra vires videatur esse quod facit. Nec aliquando securus est, tanquam opere expleto; sed e contrario sollicitus est et anxius, tanquam qui nihil dignum præceptis evangelicis egerit : memor illius Dominici sermonis dicentis : *Cum autem feceritis omnia quæcunque præcipio vobis, tunc dicetis : servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII). Sed et imitabimur Apostolum : cui cum mundus esset crucifixus, et ipse mundo, erubescit dicere : *Quia ego meipsum nondum æstimo apprehendere : unum autem, ea quidem quæ retro sunt obliviscens, ad ea autem, quæ ante me sunt, me extendens, secundum propositum sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Phil.* III). Et qui cum haberet potestatem, ut Evangelium annuntians de Evangelio viveret : *Magis in labore et fatigatione*, inquit, *nocte ac die operans vixi. Non quia non habemus potestatem; sed ut nos formam daremus vobis, ad imitandum nos* (*II Thes.* II). Quæ cum ita sint, quis ita stultus est vel infidelis, ut putet se majoribus quam debet oneribus prægravari, cum in hoc quod mensura poscit nondum possit implere?

INTERROGATIO LXXXIII.

Quomodo quis promptus fiat etiam ad pericula propter mandatum Domini?

Resp. Primo quidem, ut consideret quia et ipse Dominus obedivit Patri pro nobis usque ad mortem : et certus sit quia mandatum Domini in vita æterna est, sicut scriptum est. Tunc deinde etiam, ut credat Domino dicenti : *Quia quicunque voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, et propter Evangelium, salvam faciet eam* (*Joan.* XII).

INTERROGATIO LXXXIV.

Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur?

Resp. Eo affectu quo esuriens parvulus nutrici obedit ad ubera invitanti; vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea quæ ad vitam pertinent, imo et si quid amplius; pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam præsens, sicut et Dominus dixit : *Quia mandata mea vita æterna sunt* (*Joan.* XII). Sicut ergo præsens vita constat in cibo panis, ita æterna vita constat in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, Patris* (*Joan.* IV).

INTERROGATIO LXXXV.

Quali animo debet esse quis pro hoc ipso quod dignus habitus est in opere Dei inveniri?

Resp. Eo quo erat ille qui dicebat : *Quis ego sum, Domine? aut quæ est domus patris mei? quo-*

niam dilexisti me ? (*II Reg.* VII.) Explens per singula id quod scriptum est : *Gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine : qui et liberavit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii claritatis suæ* (*Coloss.* I)

INTERROGATIO LXXXVI.

Quomodo debent hi qui processerunt in labore operis Dei, instruere vel instituere eos qui nuper acceduut ?

Resp. Si quidem corpore adhuc vegeti sunt per hoc quod impigre ad cuncta habilitatis officia semetipsos paratos exhibent, ædificant eos, et formam eis utilem ad omnem profectum præstant. Si vero infirmiores sunt corpore, per hoc quod ostendunt eis se in omnibus vel actibus, vel motibus, vel etiam ipso vultu, Dei semper habere et cogitare præsentiam, sed et in his quæ ab Apostolo enumerata sunt, specialibus charitatis affectibus, quibus ait : *Charitas patiens est, et benigna est : non zelatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia sperat, omnia patitur : charitas numquam excidit* (*I Cor.* XIII). Hæc enim omnia etiam in infirmo corpore impleri possibile est.

INTERROGATIO LXXXVII.

Si dicat quis : Volo apud vos parum aliquid temporis facere, ut proficiam ex vobis ; si oportet eum suscipi ?

Resp. Domino pronuntiante : *Quia venientem ad me non ejiciam foras* (*Joan.* VI) ; et Apostolo nihilominus dicente : *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu : quibus nec ad horam cessimus subjectioni ; ut veritas Evangelii permaneat apud vos* (*Gal.* II) ; concedi quidem ei convenit ingressum, propter incertos exitus rerum. Interdum enim potest fieri ut per tempus proficiat, et delectetur sanctitate vitæ, et permaneat in cœptis, sicut et frequenter factum scimus. Sed et ut manifesta fiat veritas institutionum nostrarum, de quibus fortassis homines aliter opinantur. Oportet tamen circa eum cautius agi et diligentius ; ut sive in veritate permaneat vel proficiat, sive institutionum nostrarum libertas exploretur, probabilis inveniatur et pura. Ita namque et nos Deo placebimus ; et ille, aut proficiet, si verax est ; aut si simulator est, erubescet.

INTERROGATIO LXXXVIII.

Si quis supra vires vult abstinere, ita etiam, ut in opere mandatorum impediatur per nimietatem abstinentiæ ; si oportet ei concedi ?

Resp. Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita. Non enim continentiam in cibis solum esse diximus : nam hæc ab apostolo Paulo etiam culpabilis invenitur, si non cum fide et ratione fiat, cum dicit : *Abstinentes se a cibis quos Deus creavit* (*I Tim.* IV). Sed illam diximus esse perfectam continentiam, qua se quis a prioribus suis voluptatibus contineat. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam vult facere, et non Domini, certum est ex his quæ Apostolus dicit : *Facientes voluntatem carnis et cogitationum, eramus natura filii iræ sicut et cæteri* (*Ephes.* II).

INTERROGATIO LXXXIX.

Qui satis jejunat, et in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere ; quid magis eligere debet, jejunare cum fratribus et cum ipsis reficere, aut propter majora jejunia alios cibos requirere ?

Resp. Jejunii mensura non debet ex uniuscujusque voluntate pendere, sed ex jussu et institutione eorum qui communiter Deo serviunt : sicut et illorum in omnibus unanimitas et consonantia refertur, qui in Actibus apostolorum cor et animam unam habuisse signantur (*Act.* IV). Si quis ergo rationabiliter et fideliter jejunat, etiam virtutem, ut sustinere possit, a Domino consequitur : *Fidelis enim est, qui repromisit* (*Hebr.* X)

INTERROGATIO XC.

Quomodo oportet jejunare, cum necessarium jejunium injungitur ; si aliquando aliquid quod religio deposcit, explendum est, tanquam ex necessitate, an voluntarie ?

Resp. Domino dicente : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V), omne quod ad religionem pertinet, nisi ex proposito et devotione fiat, periculum generat. Debet ergo jejunio sociari devotio. Quia autem necessarium sit jejunium in talibus quibusque causis, et maxime cum desideramus aliquid impetrare a Domino, etiam sanctus Apostolus docet, qui inter cæteras suas virtutes addidit etiam hoc : *Quia in jejuniis frequenter* (*I Cor.* XI).

INTERROGATIO XCI.

Qui non vult ipsis cibis vesci ex quibus fratres reficiuntur, sed alios requirit, si recte facit ?

Resp. Specialiter hoc ipsum, quærere cibum, est contra mandatum Domini, dicentis : *Nolite quærere quid manducetis, vel quid bibatis* (*Matth.* VI). Et ut nos magis attentos faceret ad ea quæ dicebat addidit : *Hæc enim gentes inquirunt.* Sane debet sollicitudo ejus esse qui præest, ut impleat illud quod scriptum est : *Dividebatur autem unicuique secundum id quod opus erat* (*Act.* IV).

INTERROGATIO XCII.

Qui dicit, quia lædit me hoc, et contristatur si ei alius cibus non fuerit datus, qualis est ?

Resp. Apparet quia hic non est fixus in spe illa quam Eleazarus habuit (*II Mach.* VI) ; nec de charitate ejus qui præest, et sollicitudinem tam sui quam omnium gerit, certus est. Verumtamen absolute neque de his quæ lædunt, neque de his quæ prosunt, permittitur unicuique judicio suo vel voluntate aliquid agere ; sed ejus qui præest judicio committendum est, ut unicuique, prout res vel necessitas expetit, consulat : primo omnium in his quæ animæ prosunt ; tunc deinde secundo loco etiam ut in corporalibus usibus secundum Dei voluntatem moderetur.

INTERROGATIO XCIII.

Si verò etiam quis murmuret propter escam, quia erga eum sententia servabitur?

Resp. Ea quæ circa illos qui murmuraverunt in deserto. Dicit enim Apostolus : *Ne murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore* (*I Cor.* x).

INTERROGATIO XCIV.

Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine?

Resp. Si propter retributionem Dei laborem suscipit, non hic requirere debet laboris sui mercedem vel requiem, sed pro his ad promissa Domini festinare : sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, ita etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui præsunt, observabunt regulam, quæ dicit : *Dividebatur unicuique prout opus erat* (*Act.* IV). Debent enim unumquemque prævenire, ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

INTERROGATIO XCV.

Quali affectu oportet accipere vel vestimentum, vel calceamentum, qualecunque fuerit?

Resp. Siquidem breve aut grande est, ad mensuram staturæ suæ hoc judicare debet, sed cum omni verecundia et mansuetudine. Si vero pro abjectiori et viliori movetur, aut quia non est novum, meminerit mandati Domini, dicentis : *Quia dignus est, non quicunque, sed operarius mercede sua* (*Luc.* x). Discutiat seipsum, si dignè operatus est opera Dei, et adimpleverit omnia, quæcunque præcepta sunt; et tunc non aliud requiret, sed de eo ipso quod ei datur adhuc erit sollicitus, quia super suum meritum accipit. Hoc enim quod esca dictum est, etiam de omni re quæ ad usus corporis pertinet eadem forma servari potest.

INTERROGATIO XCVI.

Si quis fratus fuerit, nolens accipere aliquid eorum quæ ad usum præbentur?

Resp. Iste talis dignus est etiam ut si quærat non accipiat, usquequo probet is qui præest : et cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis usibus necessarium fuerit, præbebit.

INTERROGATIO XCVII.

Si necesse est omnes convenire ad horam prandii, eum qui remanet et post venit, quomodo transigimus?

Resp. Siquidem necessitate vel loci vel operis remansit a communi ordine, qui præest probabit et ignoscet. Si vero cum posset, non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiæ suæ, et maneat sine cibo usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem.

INTERROGATIO XCVIII.

Pauperes venientes ad ostium et petentes, quomodo dimittimus? Et si debet unusquisque porrigere panem, vel quodcunque aliud; aut oportet hoc ad eum qui præest pertinere?

Resp. Cum Dominus dixerit : *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus : sed et canes manducare de micis, quæ cadunt de mensa puerorum, libenter accipiunt* (*Matth.* XV); is cui dispensatio injuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter illius voluntatem facere hoc præsumit, tanquam inquietus et indisciplinatus confundatur, usquequo discat loci sui ordinem custodire; secundum quod Apostolus dixit : *unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat* (*I Cor.* VII).

INTERROGATIO XCIX.

Si licet unicuique veterem suam tunicam aut calceamentum dare cui voluerit, misericordiæ causa propter mandatum?

Resp. Dare aliquid mandati gratia, non est omnium, sed eorum quibus istud officium creditum est. Hic ergo ad quem pertinet dispensatio, sive novum, sive vetus vestimentum ipse det cui dari debet et ipse suscipiat a quo suscipi debet.

INTERROGATIO C.

Si frater junior fuerit jussus docere aliquem seniorem secundum ætatem, quomodo debet agere cum illo?

Resp. Tanquam ministerium exhibens ad implendum mandatum Domini, cum omni reverentia; timens illam sententiam quæ dicit : *Maledictus qui facit opera Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII) : observet autem, ne elatus in judicium incidat diaboli.

INTERROGATIO CI.

Si debent peregrini intrare usque ad illa loca ubi fratres operantur : vel etiam si alii de eodem monasterio debent relictis suis locis intrare ad alios?

Resp. Præter illum cui creditum est requirere operantes; id est, ad quem opus pertinet et dispensatio, si quis inventus fuerit hoc faciens, tanquam interturbans disciplinam et ordinem fratrum, a communi conventu excludatur, et omnino etiam a licitis progressibus inhibeatur; et sedens in uno loco, in quo judicaverit is qui præest, apto ad correptionem et vindictam, nusquam prorsus permittatur abscedere, sed urgeatur in opus, multo plus quam consuetudo est; et quotidie exigatur, usquequo discat implere hoc quod Apostolus dixit : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor* VII).

INTERROGATIO CII.

Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere ab aliquo opus absque scientia vel jussione ejus qui præest et operum sollicitudinem gerit?

Resp. Furti reus erit ejusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt.

INTERROGATIO CIII.

Quomodo debent hi qui operantur, curam gerere ferramentorum, vel utensilium eorum de quibus operatur?

Resp. Primum quidem sicut vasis Dei, vel his quæ jam Deo consecrata sunt, uti debent. Deinde tanquam qui non possint sine ipsis devotionis et studii sui emolumenta consequi.

INTERROGATIO CIV.

Quid si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur?

Resp. Is quidem qui contemnit, velut sacrilegus judicandus est; et qui perdidit per negligentiam, et ipse simile crimen incurrit : pro eo quod omnia

quæ ad usus servorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt.

INTERROGATIO CV.

Quid si a seipso commodare voluerit alicui, aut accipere ab alio?

Resp. Tanquam insolens et temerarius habendus est. Hæc enim eorum qui præsunt, et curam dispensationis gerunt, officia propria sunt.

INTERROGATIO CVI.

Quid si necessitas poscat ut is qui præest requirat ab aliquo eorum vas vel ferramentum, et contradixerit?

Resp. Qui seipsum et membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini, quomodo licebit ei de utensilibus contradicere, huic præcipue cui cura commissa est.

INTERROGATIO CVII.

Si is qui circa cellarium, vel coquinam, vel alia hujuscemodi opera occupatus est, non occurrat adesse ordini psallentium vel ad orationem, nihil damni patitur in anima.

Resp. Unusquisque in opere suo observare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore; et damnum habebit, si neglexerit in eo quod injunctum est ei, et de communi fratrum utilitate negligens amplius periclitabitur. Et ideo tota mente et devotione complere debet id quod scriptum est : *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Ephes.* v). Si enim corporaliter non occurrat adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat. Oportet tamen observare, ne forte possit quis implere in tempore suo quod complendum est et occurrere : sed dum loqui vult, occasiones nectit tanquam in ministerii opere occupatus. Quod si facit, et offendiculum cæteris præstat, et ipse negligentis crimen incurrit.

INTERROGATIO CVIII.

Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur?

Resp. Si certus sit assistere se ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns vel principem, et loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis, et aliorsum aspicere, dum ipse loquitur; quanto magis qui accedit ad Dominum, nusquam debet movere oculum cordis, sed intentus esse in eum, qui scrutatur renes et corda (*Psal.* vii)? ut impleat illud quod scriptum est : *Levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* ii).

INTERROGATIO CIX.

Si possibile est obtinere hominem, ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua ; vel quomodo id fieri potest?

Resp. Quia possibile est ostendit ille qui dixit : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* xxxiv). Et iterum : *Providebam Dominum in conspectu meo semper ; quia a dextris est mihi, ut non commovear* (*Psal.* xv). Quomodo autem possibile sit, prædiximus ; id est, si non demus animæ nostræ otium, sed in omni tempore de Deo et de operibus ac de beneficiis ejus, et de donis cogitemus, et hæc cum confessione et gratiarum actione semper volvamus in mente, sicut scriptum est : *Psallite sapienter* (*Psal.* xlvi).

INTERROGATIO CX.

Et quid est, psallite sapienter?

Resp. Quod est in omnibus cibis gustu unumquemque dignoscere cujus saporis sit, hoc est et in verbis sanctæ Scripturæ prudentiæ sensus. *Fauces enim*, inquit, *escas gustabunt, sensus autem verba discernit* (*Job.* xxxiv). Si quis ergo ita animam suam intendat in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste est qui compleat hoc quod dicitur : *Psallite sapienter.*

INTERROGATIO CXI.

Qua mensura debet temperare potestatem dispensationis suæ is cui cellarii cura commissa est?

Resp. Erga eum quidem qui ei credidit hujuscemodi dispensationem, meminisse debet Domini dicentis : *Non possum ego a me ipso facere quidquam* (*Joan.* v). Ad cæteros vero sollicite scire debet quid unusquisque opus habeat, ut compleat illud quod scriptum est : *Dividebatur autem unicuique prout opus erat* (*Act.* iv). Eadem autem ratio observari debet ab omnibus quibuscunque aliqua ministerii vel dispensationis sollicitudo commissa est.

INTERROGATIO CXII.

Qua sententia observabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personæ acceptionem, vel per contentionem faciat?

Resp. Apostolo præcipiente, aliquando quidem : *Ne quid facias secundum favorem, vel in alteram partem declinando* (*I Tim.* v) ; aliquando autem dicente : *Quia si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia* (*I Cor.* xi). Si quis hoc facit, notetur, usquequo corrigatur. Verumtamen oportet cum summa diligentia et probatione discutere et considerare ad quam partem unusquisque aptus sit vel opportunus, et ei injungi quodcunque illud operis est vel officii : ut neque illi qui injungunt ex hoc ipso condemnentur quod non aptum alicui officium injunxerint, et inveniantur mali dispensatores esse sive animarum, sive mandatorum Dei ; neque illi ipsi quibus injungitur, occasionem peccati ex hoc habere videantur.

INTERROGATIO CXIII.

Si autem neglexerit dare fratri quod opus est?

Resp. Manifesta est de hoc sententia ex ipsius Domini verbis, dicentis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi et non dedistis mihi bibere*, et ea quæ sequuntur (*Matth.* xxv). *Quia maledictus omnis qui facit opera Domini negligenter* (*Jer.* xlviii).

INTERROGATIO CXIV.

In profectibus mandatorum Dei una est mensura omnium? An alius amplius, alius minus debet aliquid?

Resp. Quia non sit una mensura in omnibus, sed quia alii plus creditur et alii minus, manifestum est hæc ipsius Domini verbis, nunc quidem dicentis : *Aliud semen cecidit super terram bonam : et hic est*

qui audit verba mea et intelligit, et fructum affert, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero trigesimum (*Luc.* VIII). Hoc idem autem etiam in his, qui dispensandam pecuniam susceperunt, invenitur; cum dicitur, alii quidem data esse quinque talenta, alii duo, alii unum (*Matth.* XXV).

INTERROGATIO CXV.

Si oportet æqualiter haberi eos qui plus proficiunt et eos qui minus?

RESP. Illud observandum est in hoc quod de remissione peccatorum Dominus statuit, dicens : *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). Cui autem parum remittitur, parum diligit. Et iterum, quod de presbyteris Apostolus statuit, dicens : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo et doctrina* (*I Tim.* V). Hoc in omnibus hujuscemodi causis observandum puto.

INTERROGATIO CXVI

Quid si contristatur is qui minus honoratur, cum præferri sibi viderit eum qui in timore Domini præcedit, quomodo eum habebimus?

RESP. Is qui talis est, certum est quia malignitatis vitio non caret, secundum Evangelii parabolam, in qua dicit Dominus ad eos qui contristati sunt, quia æqualiter cum ipsis honorati sunt alii : *An*, inquit, *oculus tuus malus est, quia bonus sum?* (*Matth.* XX.) Et manifesta est Domini sententia de his talibus, quæ dicit per Prophetam : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum magnificat* (*Psal.* XIV).

INTERROGATIO CXVII.

Anima post multa peccata et multas vitæ miserias, cum quali timore et qualibus lacrymis debet recedere a peccatis? et cum quali spe et affectu accedere ad Dominum debet?

RESP. Primo quidem odisse debet illa priorem suam vitam notabilem, et ipsam memoriam ejus perhorrescere atque execrari. Scriptum est enim : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum; legem autem tuam dilexi* (*Psal.* CXVIII). Deinde ut majorem timorem habeat maximo utatur ignis æterni metu et pœnæ perpetuæ. Sed et lacrymarum tempus agnoscat per pœnitentiam, sicut David docuit in sexto psalmo purgationem peccatorum fieri posse ubertate lacrymarum in sanguine Christi, per potentiam misericordiæ ejus, et per multitudinem miserationum Dei, qui dixit : *Quia si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo : si autem fuerint sicut coccus, ut lanam candidam efficiam* (*Isa.* I). Et post hæc recepta virtute et facultate placendi Deo, dicit : *Convertisti planctum meum in gaudium; conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia, ut psallam te gloria mea* (*Psal.* XXIX). Et ita accedens ad Dominum psallat et dicat : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me; et non delectasti inimicos meos super me* (*Ibid.*).

INTERROGATIO CXVIII.

Quoniam scriptum est : Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus : nobis quibus non accidit dispergere pro animæ redemptione divitias, quid faciemus

RESP. Siquidem volumus, et non potuimus : memores simus responsionis Domini ad Petrum, qui cum de hac re esset sollicitus, et diceret : *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis* (*Matth.* XIX)? Respondit ei dicens : *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, centuplum accipiet, et vitam æternam consequetur* (*Ibid.*). Quod si per negligentiam accidit cuiquam omisisse divitias, vel nunc adhibeat propensius studium, ut ex opere manuum largiens, neglectum resarciat pensum. Quod si ne nunc quidem vel tempus nobis superest, vel virtus ad hujuscemodi ministerium, consolatur nos Apostolus dicens : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos* (*II Cor.* XII).

INTERROGATIO CXIX.

Si quis audiens sermonem Domini, dicentis (*Luc.* XII) : *Quia servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multum : qui vero non cognovit, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis; negligat et dissimulet scire voluntatem Domini, si habet aliquid excusationis?*

RESP. Manifestus est, qui hujuscemodi est, quia simulat ignorantiam, nec ullo genere effugiet peccati sententiam. *Si enim non venissem*, inquit Dominus, *et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc vero excusationem non habent pro peccato suo* (*Joan.* XV). Sic ergo sancta Scriptura omnibus et voluntatem Dei denuntiat, ut non inter eos qui ignorant iste talis judicetur, sed cum illis magis de quibus scriptum est : *Quia sicut aspides surdæ obturantes aures suas, ne exaudiant vocem incantantium, et curentur medicamento, quod componitur a sapiente* (*Psal.* LVII). Verumtamen is qui præest, et verbi Dei ministerium exhibet, si neglexerit annuntiare unicuique, et intimare de singulis, velut homicida judicabitur animarum, secundum Scripturas (*Ezech.* XXXIII).

INTERROGATIO CXX.

Si is qui facit voluntatem alicujus, etiam particeps ejus est vel socius?

RESP. Si credimus Domino dicenti : *Quia qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Et iterum : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis* (*Ibid.*); scimus, quia non solum socium et participem, sed dominum sibi ac principem ascribit eum cujus opus facit. Testatur autem de his et Apostolus, dicens : *An nescitis, quia cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis; sive peccati in mortem, sive obedientiæ ad justitiam* (*Rom.* VI).

INTERROGATIO CXXI.

Si is qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est?

RESP. Hæc sententia est manifesta ex verbis Do-

mini, quibus ait ad Pilatum dicens: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* (*Joan.* XVIII). Manifestum namque est ex hoc, quia et Pilatus acquiescens his qui tradiderunt Dominum, peccatum habeat, licet minus quam illi. Ostenditur autem hoc etiam in eo quod Adam acquievit Evæ, vel consensit, quæ acquieverat serpenti. Nullus enim ex ipsis aut innocens judicatus est, aut impunitus abscessit. Sed et ipsa Dei indignatio, quæ adversus eos habita est, hoc ipsum indicat. Cum enim Adam pro excusatione sua objecisset: *Quia mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, et manducavi* (*Gen.* III). *Quia audisti*, inquit Deus, *vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno, de quo præceperam tibi, ne de eo manducares, maledicta terra erit in operibus tuis* (*Ibid.*)?

INTERROGATIO CXXII.

Si oportet peccantibus fratribus silere et acquiescere?

Resp. Quia non oportet manifesta est hæc ipsius Domini præceptis, quibus in Veteri quidem Testamento dicit: *Argue proximum tuum, et non assumes ex eo peccatum* (*Lev.* XIX). In Evangelio autem dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et argue eum inter te et ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non audierit te, assume adhuc tecum alium unum, aut duos; ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si autem et ipsos non audierit, dic Ecclesiæ. Si vero nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Quantum autem sit crimen hujus peccati, dignoscitur primum quidem ex sententia Domini, qua dicit: *Qui incredulus filio fuerit, non habebit vitam æternam; sed ira Dei manet in eo* (*Joan.* III). Tunc deinde ex historiis quæ vel in Veteri, vel in Novo Testamento referuntur. Nam Achor ille cum furatus esset regulam auream, super omnem populum facta est ira Dei (*Jos.* VII). Et quidem populus peccatum quod commiserat ignorabat usquequo manifestatum est, et pertulit cum omni domo sua horrendum illum ac famosissimum interitum. Sed et Heli sacerdos, et quidem cum siluisset peccantibus filiis, qui erant filii pestilentiæ, imo frequenter monens et castigans dixit: *Nolite, filii: non bona ego audio de vobis*, et cætera (*I Reg.* II): qui cum peccatum argueret, et de Dei judicio commoneret, tamen quoniam non vindicavit, neque digno zelo Dei adversus eos motus est, in tantum iracundiam Dei provocavit, ut etiam universus populus pariter cum filiis suis exstingueretur, et arca testamenti ab alienigenis raperetur, et ipse insuper omnibus subversis miseranda morte corrueret. Quod si vel in populum ignorantem de unius peccato, vel in patrem qui corripuerat filios, pro peccato, tanta Dei iracundia incensa est, quid iperandum est de his qui cognoscunt aliorum delicta et reticent, nec qualemcunque adhibent correptionem? Quos utique conveniret observare illud quod Apostolus ad Corinthios dicit: *Quare non potius luctum habuistis; ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit?* et reliqua (*II Cor.* XV). Vel illud: *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari, quantum operatum est in vobis sollicitudinem, sed excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* (*II Cor.* VII)? Unde et metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus interitum sumant, hi qui similiter negligunt, imo et tanto gravius, quanto spernere legem Christi perniciosius est quam legem Moysis. Et his compedit illud aptari, quod dixit: *Septies vindicatum est de Cain: de Lamech vero septuagies septies* (*Gen.* II).

INTERROGATIO CXXIII.

Cur aliquoties animæ, etiamsi non satis agat, sponte tamen quodam genere incidit ei dolor quidam cordis et compunctio timoris Dei; aliquoties tanta securitas et negligentia animam tenet, ut etiamsi cogat se homo, non possit dolorem aliquem vel compunctionem cordis assumere?

Resp. Hujuscemodi quidem compunctio ex Dei dono venit, ad provocandum desiderium; ut degustans anima dulcedinem hujuscemodi compunctionis vel doloris, provocetur et incitetur ad imitandum similem gratiam. Ostenditur enim quia si datur etiam non satis agentibus, quanto magis dabitur et his qui desiderant et laborant semper esse in compunctione timoris Dei? et ut sint inexcusabiles, qui per negligentiam istam gratiam perdunt. Quod vero aliquoties compellimus nosmetipsos, et non possumus obtinere, indicatur ex hoc quod in alio tempore multum negleximus. Non enim possibile est ut is qui neque meditationibus, neque institutionibus divinis seipsum jugiter exercuit, subito veniat ad orationem, et continuo obtineat quod requirit. Sed ostenditur per hoc, hujuscemodi animam aliis vitiis vel passionibus prægravari, quorum dominatione ad ea quæ vult habere, non permittitur libertate uti: secundum illud quod et Apostolus tractat, dicens: *Quoniam ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo ago; sed quod odi, hoc facio* (*Rom.* VIII). Et rursum: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Ibid.*). Quod et ipsum permittit Deus nobis pro nostra utilitate provenire; ut per hæc ipsa quæ contra voluntatem anima patitur, corrigatur aliquando, et convertatur ad eum qui repleat in bonis desiderium ejus, et relevet eam ab oneribus suis: et cognoscat tandem semetipsam, ac resipiscat; et intelligat quod in laqueis diaboli capta detinetur. In quos sua quidem sponte incidit; sed jam quasi captiva, non quæ vult agit; sed quod odit, illud facit (*Rom.* VII). Sed si convertatur ad Dominum, qui liberet eam de corpore mortis hujus, statim inveniet misericordiam, si integre et ex toto corde pœniteat.

INTERROGATIO CXXIV.

Quomodo quis dignus efficitur particeps fieri Spiritus sancti?

Resp. Dominus noster Jesus Christus docuit nos, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem hic mundus non potest*

accipere (*Joan.* XIV). Donec ergo non servamus mandata Domini; nec sumus tales ut ipse de nobis testimonium ferat, dicens : *Quia vos non estis de hoc mundo*, Spiritus sancti participium habere non possumus.

INTERROGATIO CXXV.

Qui sunt pauperes spiritu?

RESP. Domino dicente, aliquando quidem : *Quia verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI); aliquando autem : *Quia Spiritus sanctus vos docebit omnia, et commonebit vos, quæ dixi vobis. Non enim loquetur a se, sed omnia quæ audit, hæc loquetur* (*Joan.* XVI). Isti sunt pauperes spiritu qui non alia aliqua causa pauperes sunt nisi propter doctrinam Domini, dicentis : *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX). Si autem etiam quis quacunque ex causa impositam sibi paupertatem secundum voluntatem Domini dispenset, et ferat, sicut ille Lazarus (*Luc.* VI), etiam iste a beatitudine non erit alienus, Domino præcipiente : *Nolite esse solliciti quid manducetis, vel quid bibatis, vel quid induamini* (*Matth.* VI).

INTERROGATIO CXXVI.

Usque ad quem modum est observatio mandati? vel quomodo adimpleri potest?

RESP. Mandati quidem observatio est usque ad mortem, quia et Dominus obediens est factus usque ad mortem : adimpleri autem potest per hoc quod habet unusquisque desiderium et amorem Dei. Dominus enim cum exclusisset sollicitudinem sæculi, conjungit statim promissionis spem, dicens : *Scit enim Pater vester, quibus opus habetis, antequam petatis* (*Luc.* XII). Sed et Apostolus dicit : *Quia nos ipsi in nobis ipsis responsum mortis habemus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos* (*II Cor.* I). Secundum propositum ergo nostrum et animæ præparationem, quotidie morimur, voluntate autem Dei reservamur. Propter quod et Apostolus cum omni fiducia dicebat : *Ut morientes, et ecce vivimus* (*II Cor.* VI). Juvat autem hujuscemodi propositum etiam circa mandata Dei, ardentior animus et desiderium insatiabile : quo qui constringitur, non habebit otium nec tempus occupari erga corporales usus vel actus.

INTERROGATIO CXXVII.

Si ergo neque sollicitudinem habere oportet de necessariis usibus ad vitam; et aliud est præceptum Domini dicentis (*Joan.* VI) : *Operamini cibum, qui non perit; superfluum est manibus operari?*

RESP. Ipse Dominus in alio loco præceptum suum explanavit. Nam ibi quidem dixit, non oportere requiri aliquid ad vitam, cum dicit : *Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis : hæc enim omnia gentes hujus mundi requirunt* (*Matth.* VI); et addidit : *Quærite autem regnum Dei, et justitiam ejus* (*Ibid.*). Et quomodo oporteat quæri, indicavit : cum enim dixisset : *Nolite operari cibum qui perit* (*Joan.* VI), addidit : *Sed eum qui permanet in vitam æternam* (*Ibid.*). Et quid hoc esset ipse in alio loco ostendit, dicens : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, Patris* (*Joan.* IV). Voluntas autem Patris est esurientibus cibum dare, sitientibus potum; nudos operire, et cætera hujuscemodi. Tum deinde necessarium est et Apostolum imitari, dicentem : *Omnia ostendi vobis, quia oportet nos laborantes suscipere infirmos* (*Act.* XX). Et cum iterum doceat : *Magis autem laboret unusquisque, manibus suis operans quod bonum est, ut possit impertire necessitatem patientibus* (*Ephes.* IV). Cum ergo hæc ita nobis vel Dominus in Evangelio, vel Apostolo tradat, manifestum est quia pro nobis ipsis solliciti quidem esse non debemus neque laborare : sed propter mandatum Domini et propter necessitatem proximorum solliciti esse debemus et operari attentius; et maxime quia Dominus in seipsum recipit ea quæ in servos ejus fecerimus, et regnum cœlorum pro hujusmodi promittit obsequiis

INTERROGATIO CXXVIII.

Si quis in corde suo cogitat de cibis, tunc deinde notet seipsum et arguat; si et hic quasi cogitans de talibus judicandus sit?

RESP. Siquidem non id temporis est, quo naturaliter requirere cibos famis necessitate commonemur, manifestum est, id esse vagæ mentis indicium, et animæ erga præsentia affectum gerentis, et erga voluntatem Dei desidis et remissæ : proximam tamen habet Dei misericordiam, et pro hoc ipso, quod seipsum arguit et notavit, nota criminis exsolvitur si tamen servet de cætero cogitationum lapsus, memor Dominici sermonis, quo ait : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* V). Si autem id temporis sit, quo naturaliter de cibis appetendis commonemur; mens autem in melioribus occupata, inferiora spernit et despicit, non recordatio ciborum notabilis, sed contemptus laudabilis invenitur.

INTERROGATIO CXXIX.

Si licet nocturnam tunicam habere alteram, vel cilicinam, vel aliam quamlibet?

RESP. Cilicii quidem usus habet proprium tempus, non enim propter usus corporis, sed propter afflictionem ejus inventum est hujuscemodi indumentum, et pro humilitate animæ. Cum autem duas tunicas habere prohibeat sermo divinus, quomodo potest hoc suscipi, nisi ad eos usus quos superius diximus (*Matth.* X)?

INTERROGATIO CXXX.

Si licet ei qui ministrat, majore voce, id est cum clamore, loqui?

RESP. Vocis mensuram definit audiendi modus. Si ergo brevior fuerit et compressior vox quam res poscit, prope est ut murmur potius vel susurratio videatur quam sermo. Si vero major sit quam res requirit, cum possit audire ille cui loquitur, jam non erit vox, sed clamor; quod est notabile : nisi forte gravior sit auditus ejus cui loquimur, et necessitas nos cogat ad clamandum. Propterea et de Domino scriptum est : *Quia Jesus clamabat dicens : Si quis credit in me, non credit in me, sed in eum qui*

me, misit (*Joan.* XII). Clamare enim dicitur pro his quorum interior auditus surdus et obturatus erat.

INTERROGATIO CXXXI.

Si quis die suo, quo ministrat in coquina, laboraverit supra vires ita ut impediatur, et non possit etiam reliquis diebus exercere opus suum, si oportet imperari ei hujuscemodi officium?

RESP. Jam supra diximus quia is cui injuncta est operum cura, et qui præest, considerantius observare debet uniuscujusque vel vires vel possibilitatem; et prout quis aptus est, ita etiam opus injungere: ne audiat ipse et id quod scriptum est: *Quia fingit laborem in præcepto* (*Psal.* XCIII). Ille tamen cui injungitur, contradicere non debet; quia obedientia usque ad mortem servari definita est.

INTERROGATIO CXXXII.

Et ille cui lana credita est, quomodo debet habere hanc curam; et quomodo observare eas quæ operantur?

RESP. Lanam quidem, tanquam opus Dei sibi commissum: sorores autem, ut absque ulla contentione, vel personarum acceptione unicuique sorori opus apte et competenter injungat.

INTERROGATIO CXXXIII.

Si quis condemnatus est, ut eulogiam non accipiat, et dicit: Quia si non accepto eulogiam, non manduco; si debemus audire eum?

RESP. Siquidem tanti modi est culpa, pro qua condemnatus est, ut dignum sit etiam cibo eum vetari, probet ille qui præest. Si autem a sola benedictione aliquis abstentus est, et indulgetur ei cibus; condemnatus autem et inobediens est, etiam in hoc contentiosi notam suscipere debet, et cognoscere, quia per hoc non curat culoam sed multiplicat delictum.

INTERROGATIO CXXXIV.

Quali timore, fide, vel affectu percipere debemus corporis et sanguinis Christi gratiam?

RESP. Timorem quidem docet nos Apostolus, dicens: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Fidem vero docet nos sermo Domini, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro multis datur: hoc facite in meam commemorationem* (*Matth.* XXVI). Et sermo Joannis dicentis: *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I). Sed et Apostolus scribens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu repertus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Cum ergo anima fidem habet his dictis, et considerat magnificentiam gloriæ ejus, et admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus et talis obediens fuit Patri usque ad mortem pro vita nostra; puto quia provocari possit ad affectum et dilectionem, et ipsius Dei patris, qui unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: et ad amorem unigeniti ejus eo amplius provocabitur, qui eum videat mortem turpissimam pro nostra redemptione tolerasse. Sicut et Apostolus de eo dicebat: *Quia charitas Christo constringet nos, judicantes hoc; quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est; ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit* (*II Cor.* V). Talem ergo affectum vel fidem præparare debet in animo suo is qui de pane et calice percipit.

INTERROGATIO CXXXV.

Quis est bonus thesaurus, et quis est malus?

RESP. Prudentia quidem et sensus qui in Christo est, et virtus animi, quæ ad Dei gloriam pertinet, thesaurus bonus est. Prudentia autem et sensus malitiæ; et in his sapere, quæ Deus fieri non vult, thesaurus est malus: ex quibus proferuntur, secundum Dei vocem (*Luc.* VI), suo quoque tempore utrique fructus vel boni vel mali, in operibus et verbis.

INTERROGATIO CXXXVI.

Si bonum est penitus tacere?

RESP. Silentium et taciturnitas tunc bonum est, cum vel ad personas vel ad tempus aptatur, sicut a sacra Scriptura edocemur, quæ dicit, aliquando quidem: *Quia qui intelligit, in illo tempore tacebit; quia tempus malum est* (*Amos.* V). Aliquando autem: *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me. Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII). Et alibi: *Quod si alii sedenti revelatum fuerit, prior taceat* (*I Cor.* XIV); et iterum: *Mulieres vestræ in ecclesiis taceant* (*Ibid.*). Sed et alio tempore his qui incontinentem linguam habent, dicitur: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei* (*Ephes.* IV). Necessario vero est taciturnitas, usquequo vitia si qua illa sunt linguæ vel sermonum temeritas resecetur, et discat opportune et in tempore utiliter loqui, ut sicut scriptum est: *Sermo eorum sale conditus sit, ut det gratiam audientibus* (*Col.* III).

INTERROGATIO CXXXVII.

Si oportet tempore orationum vel psalmorum loqui aliquem in domo?

RESP. Præter eos qui ministerii sollicitudinem gerunt, vel eos quibus disciplinæ cura commissa est vel dispensationis operum; qui et ipsi tamen considerantius agere debent, ut quantum necessitas exigit, hoc solum loquantur, et hoc ipsum cum quiete et honestate, ne interturbent aut offendiculum faciant; cæteris cunctis silentium habere convenit. Si enim prophetis in Ecclesia docentibus Apostolus dicit: *Quia si alii sedenti revelatum fuerit, prior taceat* (*I Cor.* XIV); quanto magis in tempore psalmorum vel orationum tacere et silentium agere cunctis convenit; nisi quem forte, ut superius diximus, communis providentiæ causa aliquid proloqui cogit.

INTERROGATIO CXXXVIII.

Quomodo possumus timere judicia Dei

RESP. Naturaliter exspectatio omnis mali timorem incutit. Ita namque bestias etiam timemus et principes; scientes imminere ex eis aliquid quod ad vitæ

exitium pertinet. Si ergo credamus quia veræ sunt comminationes futuri judicii Dei, et recordemur terribile illud futuri examinis tribunal, timebimus judicia Dei.

INTERROGATIO CXXXIX.

Quomodo lata est porta, et spatiosa via quæ ducit ad mortem (Matth. VII) ?

Resp. Dominus pro multa sua clementia et nominibus et verbis his utitur, quibus possit nobis in notitiam adducere dogmata veritatis. Sicut ergo ii qui ambulant in via, si a recto itinere declinent, quod certis lineis et manifesto calle concluditur, spatia multa et vaga incedunt; ita ergo et is qui excesserit de vita quæ ducit ad regnum cœlorum, multam latitudinem incurrit erroris, per quam ad perditionem pervenitur.

INTERROGATIO CXL.

Quomodo angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam ?

Resp. Et hic similiter angustum et arctum hoc indicat, quia via hæc, id est vita nostra, angustatur et coarctatur in tribulationibus. Constringimur enim ex utraque parte nos qui iter agimus, ne prorsus in aliud aliquod declinemus. Periculum enim est, in utramlibet partem declinare : sicut in exigui pontis transitu, ubi ex utraque parte eum qui forte declinaverit, conciti unda fluminis rapit et aufert. Propterea ergo scriptum est : *Ne declinaveris in dextram neque in sinistram* (*Num.* XX). Et David ait : *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* (*Psal.* CXXXIX).

INTERROGATIO CXLI.

Avaritia usque ad quem modum definitur ?

Resp. Cum transgressus quis fuerit modum legis statutum. Quod designatur, secundum Vetus quidem Testamentum, in eo, si quis plus se diligat, vel plus in pecunia vel necessariis de se sit sollicitus, quam de proximo. Scriptum est enim : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Luc.* XIX). Secundum Evangelium vero, si quis plus sollicitus sit quam de præsenti die, sui videlicet causa vel corporis, iste sine dubio audiet : *Stulte, hac nocte repetent abs te animam tuam; et quæ præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII) ? Quibus addidit Dominus dicens : *Ita erit et is qui sibi thesaurizat, et non est Domino dives* (*Ibid.*).

INTERROGATIO CXLII.

Quid est perperam agere ?

Resp. Quidquid non propter usus necessarios, sed vel ornatus causa vel decoris alicujus fit, hoc est perperam agere.

INTERROGATIO CXLIII.

Quis est, qui ab Apostolo dicitur, habitus ordinatus ?

Resp. Is qui secundum propositum uniuscujusque honestus est usus, vel secundum locum, vel secundum tempus, vel secundum personam. Non idem usus esse potest in tempore hiemis et in tempore æstatis : neque idem habitus est operantis et quiescentis ; nec militis idem est et privati, neque viri idem qui mulieris.

INTERROGATIO CXLIV.

Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsa autem indumenta viliora quibus utitur, vel calceamenta, ita composite utatur, ut studeat decorem inde aliquem capere ; si peccat, aut vitio aliquo id facere putandus est ?

Resp. Qui vult per decorem habitus placere hominibus, manifestum est eum hujus ipsius vitii ægritudine laborare, id est, hominibus placendi ; et certum est mentem ejus a Deo longius evagari. Sed et hoc ipsum est vitium, perperam agere, cum indumentis vel calceamentis, non usus causa utitur, sed decoris.

INTERROGATIO CXLV.

Quid est Raca ?

Resp. Provincialis, id est, gentilis illius sermo est velut convicii levioris, quod domesticis et his quorum fiduciam quis gerit, dici solet (*Matth.* V).

INTERROGATIO CXLVI.

Quid est quod dicit Apostolus : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi (Gal. VI). *Et iterum : Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes (Ephes.* VI) ; *quis est inanis gloriæ cupidus, et quis est hominibus placens ?*

Resp. Puto quod inanis gloriæ cupidus est, qui propter solam gloriam sæculi, id est, propter eos qui vident et audiunt de se aliquid quod vel laudari possit vel admirari, facit aliquid vel dicit. Hominibus autem placens ille est qui voluntate alicujus hominis, ut placeat ei, facit aliquid vel dicit, etiamsi indignum sit et injuriosum hoc ipsum quod facit.

INTERROGATIO CXLVII.

Quid est inquinamentum carnis, et inquinamentum spiritus ? Et quomodo ab his emendari possumus ? Et quæ est sanctificatio, et quomodo possumus eam obtinere ?

Resp. Inquinamentum carnis est commisceri cum his, qui illicita et nefanda committunt (*II Cor.* VII). Spiritus autem inquinamentum est, cum indifferenter habemus commisceri eis qui de fide impie sentiunt. Emundamur autem ab his, cum implemus illud quod Apostolus dicit : *Cum ejusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V) ; et quæcunque his similia statuit. Vel certe cum illud patimur in corde nostro quod ait David : *Tristitia tenuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Vel cum ostenderimus talem nostram tristitiam, qualem Corinthii ostenderunt, cum objurgati sunt a Paulo ; cum erga eum qui peccaverat, indiscrete egerunt, cum dicit (*II Cor.* VII) : *In omnibus exhibuistis vos castos esse negotio.* Sanctificatio autem est, adhærere Deo ex integro, et sine aliqua intermissione in omni tempore sollicitum esse, et studium gerere placendi ei. Quoniam quidem neque pollutum aliquid in domis Dei offerri potest, vel sanctificari ; neque rursum quod semel oblatum est Deo et sanctificatum, ad communem humani ministerii usum adduci potest ; alioquin et sacrilegum erit et impium.

INTERROGATIO CXLVIII.

Quis est mundus corde ?

Resp. Qui seipsum non reprehendit, quia vel præ-

varicatus sit mandatum Dei, vel contempserit, vel neglexerit. A

INTERROGATIO CXLIX.

Quomodo potest aliquis odium habere adversus peccatum?

Resp. Si semper ex iis quæ tristem et infaustum finem habent, odium nascitur hominibus adversus eos qui causa sibi hujuscemodi negotii exstiterunt. Si quis ergo certus sit, quantorum et qualium malorum causa nobis fiunt peccata, sponte et sine ulla comminatione ex intimo affectu odium ei adversus ea nascitur, sicut ostendit ille qui dicebat: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum* (*Psal.* CXVIII).

INTERROGATIO CL.

Quomodo potest aliquis ex animo et ex affectu facere mandata Domini? B

Resp. Naturaliter delectamur his quæ bona sunt et prosunt. Si ergo credimus de his quæ promissa sunt, ex eo ipso quod speramus, inseritur animæ nostræ affectus et desiderium ad explenda ea quibus id consequi possimus quod desideramus. Si quis ergo odio habuerit et exsecratus fuerit iniquitatem, et emundaverit se ab omni peccato; ex quo, sicut corpus a languore delectationem non habet cibi, ita et anima a peccati morbo non habet desiderium erga mandata Dei. Si recordetur quia mandatum Dei vita æterna est, et omnibus qui custodiunt illud permanet adimpletio promissorum, potest per hæc nasci animæ affectus ille de quo David dixit: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa, et desiderabilia supra aurum, et lapidem pretiosum nimis; et dulciora super mel et favum. Nam et servus tuus custodit ea; in custodiendo illa retributio multa* (*Psal.* XVIII). C

INTERROGATIO CLI.

Quæ est mensura in charitate Dei?

Resp. Ut supra vires semper quis extendat animam suam ad voluntatem Dei, prospiciens et desiderans ea quæ ad gloriam Dei pertinent.

INTERROGATIO CLII.

Quomodo quis obtineat ut possit in se habere charitatem Dei?

Resp. Si grati et fideles existamus erga beneficia ejus, quod etiam in mutis animalibus fieri videmus. Nam et canes interdum diligunt eos qui sibi cibum præbent. Sed et Isaias propheta hoc docet, cum arguit ingratam gentem, et dicit in persona Domini: *Filios genui, et exaltavi: ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepium domini sui, Israel vero me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Isai.* I). Sicut enim bovi et asino pro eo beneficio quo pascitur dilectio spontanea nascitur erga pastorem, ita etiam nos, si gratanter et fideliter beneficia Dei suscipiamus, sine dubio diligimus beneficiorum præbitorem Deum; et absque ulla doctrina, naturali quodam instinctu, in ejus concitamur affectum, si tamen sanitas animæ præsto sit.

INTERROGATIO CLIII.

Quæ sunt indicia, esse in nobis charitatem Dei?

Resp. Quæ Dominus docuit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate* (*Joan.* XIV).

INTERROGATIO CLIV.

Quid est, seipsum diligere? vel quomodo vitium suum cognoscit qui seipsum diligit?

Resp. Multa abusive dicuntur, sicut et illud: *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam servabit eam* (*Joan.* XII). Philautus ergo Græce dicitur, qui seipsum diligit. Intelligi autem potest is qui talis est hoc modo: si ea quæ facit pro semetipso facit, etiamsi videantur secundum mandatum Dei esse quæ facit. Qui enim pro sua requie patitur aliquid deesse necessitati vel usibus fratris, sive eorum quæ ad animam necessaria sunt, sive quæ ad corpus, manifeste philautus, id est seipsum diligens, deprehenditur: cujus vitii finis interitus est.

INTERROGATIO CLV.

Quomodo apparet qui diligit fratrem secundum mandatum Domini; et quomodo arguitur qui non diligit?

Resp. Charitatis duo ista præcipua signa sunt, cum contristamur et graviter ferimus in iis in quibus læditur ille quem diligimus; et cum vel satis agimus, ut fiant; vel gaudemus, si provenerint aliqua, in quibus utilitas vel profectus est ejus qui diligitur. Beatus ergo est qui luget super eum qui delinquit, cujus videt vitæ imminere periculum: et gaudet pro eo qui proficit, et lucrum tuum deputat profectum proximi sui. Contestatur autem hoc ipsum apostolus Paulus, dicens: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII); quod utique secundum rationem charitatis Christi dicebat: *et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (*Ibid.*). Qui autem talem non habet affectum erga fratrem, certum est quod non secundum charitatem Dei diligit proximum suum. Qui autem non diligit, in eo arguitur quod Joannes ait: *Qui non diligit, manet in morte* (*I Joan.* III). Et iterum: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem pati et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo* (*Ibid.*)? D

INTERROGATIO CLVI.

Qui sunt inimici quos diligere jubemur? et quomodo diligamus inimicos nostros, præstantes ei beneficia tantummodo, aut etiam affectum eis exhibentes? et si hoc possibile est fieri?

Resp. Inimici proprium est lædere et insidiari; et ideo omnis qui quomodocunque lædit aliquem, inimicus dicitur, maxime hi qui peccant. Isti enim quod in se est, lædunt diversis modis, et insidiantur vel his qui vident vel his qui simul vivunt. Et quoniam ex corpore et anima constat homo, secundum animam quidem diligamus, arguentes, et commonentes, et omni modo ad conversionem eos provocantes. Secundum corpus vero præstemus eis beneficia et misericordiam; et si indigent, victum: quoniam nemo dubitat quin charitas in affectu sit. Quod

autem possibile sit, docuit Dominus per charitatem Dei Patris et per suam obedientiam, usque ad mortem, quam utique pro inimicis adhuc et impiis nobis sustinuit, sicut et Apostolus testatur, dicens : *Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* v). Sed et nos ad hoc ipsum cohortatur, dicens : *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et semetipsum tradidit pro nobis hostiam et oblationem Deo* (*Ephes.* v). Nunquam autem præciperet hoc justus et clemens Dominus, nisi utique etiam possibilitatem nobis donasset. Inesse enim hoc naturæ nostræ ostenditur, cum etiam bestiis vel animalibus erga eos qui sibi beneficii aliquid præstiterunt inest naturalis affectus. Quis autem tantum beneficii amicis præstat quantum inimicis? cum nobis causa beatitudinis efficiatur illius de qua dicit Dominus : *Beati estis cum persequentur vos et exprobrabunt, et dicent omne malum adversus vos, mentientes propter me, gaudete et exsultate, quia merces multa est in cœlis* (*Matth.* v).

A

B

INTERROGATIO CLVII.

Quid est quod dicit Apostolus : Irascimini et nolite peccare (*Ephes.* IV); *et, Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ibid.*), *cum in aliis dixerit : Omnis amaritudo, vel ira, vel indignatio auferatur a vobis* (*Ibid.*)?

Resp. Arbitror in hoc loco Apostolum secundum imitationem Domini hæc locutum : sicut enim in Evangelio Dominus dicebat (*Matth.* v) : Audistis quia dictum est antiquis illud vel illud; et ipse addebat dicens : Ego autem dico vobis hoc vel hoc; ita etiam Apostolus, cum prius meminisset antiquitatis, per hoc quod docitur : *Irascimini et nolite peccare* (*Ephes.* IV), paulo post addidit quod ex se erat et quod nobis conveniret, dicens : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor auferatur a vobis* (*Ibid.*).

C

INTERROGATIO CLVIII.

Quid est, Date locum iræ?

Resp. Non resistere malo (*Rom.* XII), secundum quod scriptum est; sed et ei qui te percusserit in dexteram maxillam, præbere et alteram (*Matth.* v), et implere ea omnia quæ sequuntur : vel illud : *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in alteram* (*Matth.* x).

D

INTERROGATIO CLIX.

Quæ est differentia amaritudinis, et furoris, et iræ, clamoris et irritationis?

Resp. Furoris quidem et iræ differentiam puto in animo constare et motu : quia qui irascitur, intra animum suum adhuc vitium volvit; sicut ex hoc ipso judicatur quod dicit : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV); qui vero furit, amplius aliquid per motum gerit. *Furor enim*, inquit, *eis secundum similitudinem serpentis* (*Psal.* LVII). Vehementius vero furorem concitare, irritatio nominatur. Amaritudo autem illa est, cum malitia in corde etiam arte quadam componitur et armatur. Clamor quoque est, cum quis ira vel furore permotus, per vocis indignationes, aut in blasphemiam, aut in maledictionem rapitur.

INTERROGATIO CLX.

Quis est qui a Domino beatificatur pacificus?

Resp. Qui Christi adjutor est, secundum quod dicit Apostolus : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* v). Et iterum : *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* v). Illa enim alia pax repudiata est a Christo, dicente : *Pacem meam do vobis, non sicut hic mundus dat, etiam ego do vobis* (*Joan.* XIV).

INTERROGATIO CLXI.

Quomodo converti quis potest et fieri sicut infans?

Resp. Ipsa lectio Evangelii (*Matth.* XVIII) docet nos omnem causam; in qua hoc ostenditur uti ne arrogantiam requiramus vel elationem, sed æqualitatem naturæ cognoscamus, et exsequemus nos eis qui videntur inferiores. Hoc enim est proprie infantium, æquales esse his quibus non nobilitate sed ætate junguntur; donec processu temporis et monitorum nequitia elationis inficiantur venenis.

INTERROGATIO CLXII.

Quid est, prudentem esse sicut serpentem et simplicem sicut columbam (*Matth.* x)?

Resp. Prudens quidem ut serpens est, qui cum circumspecte et considerate quæ sint possibilia et quæ honesta vel utilia pervidens, doctrinam suam dispensat, et aptat ea arte qua suaderi auditores ad obedientiam possint. Simplex autem ut columba est, qui nec in cor prorsus recipit cogitationem ulciscendi in eos qui lædunt; sed permanet in benefaciendo, secundum quod Apostolus dicit : *Vos autem nolite deficere benefacientes* (*II Thes.* III). Dominus ad prædicationem mittens discipulos, hæc eis præcipiebat : ubi sine dubio opus erat sapientia, ad suadendum eis qui docebantur; et patientia, adversus eos qui insidiabantur. Ut sicut sibi serpens per prudentiam intellexit quam personam ad persuadendum aggredi deberet (*Gen.* III), eam scilicet quæ fragilior videbatur ad persuadendum, quo eam a Deo abstractam, peccato sociaret : ita et nos personam, et mores, et tempus considerare et eligere debemus, et omni modo ita ordinare sermones nostros in judicio, ut possimus abstrahere homines a peccato et sociare Deo.

INTERROGATIO CLXIII.

Quomodo debemus suscipere regnum Dei sicut infans?

Resp. Si tales fuerimus ad doctrinam Domini, qualis est infans in discendo : qui neque contradicit doctoribus, neque rationes et verba componit, adversus eos resistens; sed fideliter suscipit quod docetur, et cum metu obtemperat et acquiescit

INTERROGATIO CLXIV.

Domino dicente : Qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XVIII); *et Apostolo præcipiente : Nolite superbum sapere* (*Rom.* XI). *Et alibi : Arrogantes, superbi, inflati* (*II Tim.* III). *Et iterum : Charitas non inflatur* (*I Cor.* XIII); *quis est elatus? et quis est jactans vel arrogans? quis vero superbus? et quis inflatus vel tumens?*

RESP. Elatus est qui seipsum effert pro his quæ forte recte vel prospere gesta sunt, et pro hoc magnus sibi videtur et elatus; secundum illum Pharisæum qui et ipse inflatus dici potest (*Luc.* XVIII). Sicut et Apostolus Corinthios arguit, quibus dicit. *Et vos inflati estis* (*I Cor.* IV). Jactans autem vel arrogans est ille qui non acquiescit his quæ a prioribus vel majoribus statuta sunt pro utilitate communi, nec acquiescit verbis Apostoli dicentis : *Ut eadem sentiatis et unum sapiatis* (*Phil.* II); sed propriam quamdam vitam justitiæ ac sanctitatis inquirit. Superbus est, qui etiam nihil usquam in se virtutis ac rectorum gestorum habens, elatus est et erectus, et videri vult se plus esse quam est. Similis autem esse huic potest etiam is qui inflatus dicitur vel tumens, secundum hoc quod Apostolus dicit : *Sed inflatus est, nihil sciens* (*Col.* II).

INTERROGATIO CLXV.

Quid est, Charitas non dehonestatur?

RESP. Sicut quis dicat, de statu honestatis suæ non deducitur. Est enim propria quædam honestas charitatis, et habitus ejus atque ornatus : ille sine dubio quem per singulas charitatis virtutes enuntiavit Apostolus (*I Cor.* XIII) : quæ singulæ honestates quædam ejus sunt et ornatus.

INTERROGATIO CLXVI.

Scriptura dicente : Nolite gloriari neque loqui alta (*I Reg.* II), *et Apostolo confitente : Quia quæ loquor, non secundum Deum loquor; sed sicut in insipientia, in hac substantia gloriandi* (*II Cor.* XI). *Et rursum : Factus sum insipiens gloriando* (*II Cor.* XII). *Et iterum ipso dicente : Quia qui gloriatur, in Domino glorietur : quæ est gloriatio in Domino et quæ est culpabilis gloriatio ?* (*I Cor.* I, *II Cor.* X.)

RESP. Apostoli quidem manifestum est propositum, quod adversus vitia loquebatur. Non enim ut seipsum commendaret hæc dicebat, sed ut quorumdam insolentiam et arrogantiam retunderet. Gloriatio ergo in Domino est, cum quis ea quæ recte gerit non sibi, sed Domino ascribit, dicens : *Omnia possum, sed in eo qui me confortat Christus* (*Phil.* IV). Culpabilis autem gloriatio est, et duplici ratione dignoscitur : vel secundum hoc quod dicit : *Quoniam laudabitur peccator in desideriis animæ suæ* (*Psal.* IX); et : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate* (*Psal.* LI)? vel secundum illud, cum faciunt aliquid boni operis : *ut videantur ab hominibus* (*Matth.* VI); et per hoc ipsum quod volunt laudari, gloriantur in his quæ fecerunt. Sed hujuscemodi homines etiam sacrilegi designantur, cum gratiam quæ a Deo donata est propriam faciunt, et gloriam quæ debetur Deo in semetipsos convertere conantur.

INTERROGATIO CLXVII.

Qualem intellectum vel prudentiam a Deo petere debemus? vel quomodo eam possumus promereri?

RESP. Intellectus quidem quis sit ab ipso Domino per Prophetam discimus, dicentem : *Non glorietur fortis in fortitudine sua; neque glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, in intelligendo et cognoscendo Dominum* (*Jer.* IX). Et iterum per Apostolum sic dicit : *Sed intelligentes, quæ sit voluntas Domini* (*Ephes.* V). Qui rursus ait : *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus, vita est et pax* (*Rom.* VIII). Possumus autem hoc modo promereri, si faciamus illud quod scriptum est : *Vacate et cognoscite, quoniam ego Dominus sum* (*Psal.* XLV); et si credimus omne verbum Dei verum esse : *Si enim*, inquit, *non credideritis, neque intelligetis* (*Isai.* VII).

INTERROGATIO CLXVIII.

Si Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus est (*Prov.* XI); *et si, alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* XII); *quomodo increpat Dominus discipulos suos dicens : Quia adhuc et vos insensati estis, et non intelligitis* (*Matth.* XV)? *et Apostolus culpat Galatas insensatos* (*Gal.* III)?

RESP. Si quis scit bonitatem Domini, volentis omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem verbi veritatis venire (*I Tim.* II); et studium Spiritus sancti didicit, qui unicuique dividit gratiam Dei; iste cognoscit tarditatem intellectus non ex culpa ejus descendere qui dona distribuit, sed eorum qui desidia et infidelitate sua id suscipere non merentur. Et ideo recte culpatur insipiens vel insensatus, qui velut sole orto claudit oculos suos ne videat, sed in tenebris ambulet.

INTERROGATIO CLXIX.

Si ab aliquo quid beneficii consequimur, quomodo poterimus et Domino digne et integre gratias agere, et ei qui beneficium præstitit? Quali mensura uti debemus in utroque?

RESP. Si Deum auctoritatem et consummatorem omnium bonorum esse credamus; eum vero per quem boni aliquid consecuti sumus ut ministrum Dei gratiæ et muneris agnoscamus.

INTERROGATIO CLXX.

Quid est dignum vel sanctum, Græci ὅσιον dicunt! et quid est justum?

RESP. Ὅσιον quidem, id est, sanctum vel dignum esse arbitror hoc quod decet et debetur ab inferioribus deferri superioribus, secundum hanc ipsam rationem qua eminentiores videntur. Justum autem hoc, quod operis pro merito unicuique tribuitur. Et in illo quidem alio optimorum quorumque indicatur obsequium, in hoc vero tam boni quam mali retributio designatur.

INTERROGATIO CLXXI.

Quomodo dat quis sanctum canibus, et mittit margaritas ante porcos (*Matth.* VII)? *aut quomodo accidit illud quod additur : Ne forte conculcent aut pedibus, et conversi disrumpant vos?* (*Ibid.*)

RESP. Manifeste nobis tradidit Apostolus ex his quæ adversus Judæos dicit : *Quia qui in lege gloria-*

ris per prævaricationem legis Deum inhonoras (*Rom.* II). Injuriam ergo hanc quam per prævaricationem legis verbo Dei inferre dicuntur hi de quibus sermo est, prohibet hic et abdicat Dominus. Et quia evenit ut etiam infideles et non credentes, cum vident nos prævaricari mandata, contemptum habeant religionis et doctrinæ Domini, et ex ipsis his arguunt nos quæ scripta sunt in lege nostra, et velut rumpant nos, et afficiant exprobrantes et confundentes, tanquam legis propriæ transgressores.

INTERROGATIO CLXXII.

Quomodo Dominus aliquando quidem prohibet portari sacculum vel peram in via (*Luc.* X); *aliquando autem dicebat : Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram : et qui non habet gladium, vendat vestimentum suum, et emat gladium* (*Luc.* XXII).

Resp. Hoc explanat ipse Dominus dicens (*Ibid.*) : *Quia oportet adhuc compleri in me quod dictum est ; quia cum iniquis deputatus est* (*Isa.* LIII). Denique posteaquam completa est prophetia de gladio ait ad Petrum : *Converte gladium in locum suum. Omnes enim qui gladium accipiunt, in gladio peribunt* (*Matth.* XXVI). Ita ut non videatur præceptum esse quod dicitur : *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram ; Et qui non habet gladium, vendat vestimentum suum, et emat gladium ;* sed prophetia prædicentis Domini, quia futurum erat ut apostoli, obliti gratiæ Domini et legis ejus, assumerent gladium. Quod autem videtur quasi imperativo modo dici propositio hæc verbi futura, in Scripturis propheticis satis frequenter invenitur, sicut est illud : *Fiant filii ejus orphani, et diabolus stet a dextris ejus* (*Psal.* CVIII) ; et multa alia similia.

INTERROGATIO CLXXIII.

Quid est, Panem substantivum da nobis hodie, quod in oratione dicere jubemur ?

Resp. Cum operantes manibus memores simus Domini dicentis : *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, aut quid bibatis* (*Luc.* XII). Et Apostoli præcipientis : *Operamini, ut habeatis unde præstare possitis necessitatem patienti* (*Ephes.* IV). Id est, cum non ad proprios usus, sed pro mandato Domini operamur : *Quoniam dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X) : tunc substantivum panem, id est, qui vitam quotidianam substantiæ nostræ conferat, a Deo poscimus, et non a nobis ipsis præsumimus ; sed ut necessitati, in quantum sufficit, satisfiat, et agnoscamus eum qui sufficientiam præstat.

INTERROGATIO CLXXIV.

Si omni volenti accedere ad sorores oportet indulgere : an certis quibusque et personis et temporibus ? vel quomodo videndæ sunt sorores ?

Resp. De his superius diximus jam sufficienter, quia nec ad virum vir accedere utcunquè et sine causa ex arbitrio suo vel potestate debet, sed cum omni observatione, probante eo qui præest ; id est, ut vel prosit quis ei quem videt, vel proficiat ex eo. Quanto magis erga mulieres id observare convenit majore cautela. Si quis ergo meminerit Domini dicentis : *Quia de omni sermone otioso reddes rationem in die judicii* (*Matth.* XII), timebit in omni negotio hanc sententiam. Acquiescendum est enim et sancto Apostolo dicenti : *Sive manducetis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite* (*I Cor.* XIV). Et iterum : *Omnia ad ædificationem fiant* (*Ibid.*). Nihil ergo vel otiose vel inutiliter agendum est : sed certus quis, et certo tempore, et certo in loco, et certis personis vel apparere, vel loqui debet : ut excludatur omnis nefanda suspicio, et servemus sine offensione esse apud omnes, et ad ædificationem fidei unicuique apparere. Certe solum ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit. Melius est enim esse duo quam unus : simul enim et fidelius et tutiùs res geritur. *Væ enim uni ; quia si ceciderit, non est alius qui erigat eum* (*Eccle.* IV).

INTERROGATIO CLXXV.

Si quis habet aliquod vitium quod corrigere non potest, et frequenter notatus in pejus proficit, si eum expedit intermitti ?

Resp. Et de hoc alibi jam diximus quia oportet peccantes corripere patienter, secundum eum quem supra ostendimus modum a Domino positum (*Matth.* XVIII). Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illi Corinthio (*I Cor.* II), objurgatio hæc quæ fit a pluribus ; sicut gentilis de reliquo et publicanus haberi debet, qui ejusmodi est. Quia ei parcere quem Dominus condemnavit nulli tutum est, maxime cum Dominus dicat : *Quia expedit unicuique ut unum oculum, aut unam manum, vel unum pedem perdat, et ita intret in regnum* (*Matth.* XVIII), quam dum parcit uni ex his membris, totum corpus mittatur in gehennam ignis, ubi est fletus et stridor dentium. Sed et Apostolus de his ipsis testatur, dicens : *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (*Gal.* V).

INTERROGATIO CLXXVI.

Si quis contristetur quia ei non permittitur facere illud quod non potest apte et recte facere, si debemus ei permittere ?

Resp. Et de his jam dictum est in multis, quia propria voluntate nulli quidquam facere permittendum est, sed judicio et probatione, vel multorum, et eorum qui præsunt. Qui autem non obtemperat his, sententiam præsumptoris et contradicentis excipiat.

INTERROGATIO CLXXVII.

Quomodo debent fortiores fratres infirmitates infirmorum portare ?

Resp. Portare est tollere et curare, secundum quod scriptum est : *Ipse infirmitates nostras tulit, et ægritudines nostras portavit* (*Isa.* LIII). Non quia in semetipso susceperit infirmitates, sed quia abstulit eas ab his in quibus erant et curavit eos. Ita ergo et hic pœnitentia interveniente curabuntur infirmiores, ex constantia et integritate fortiorum : qui dicuntur portare, id est, exportare et auferre infirmitates eorum qui invalidi sunt.

INTERROGATIO CLXXVIII.

Quid est, Invicem onera vestra portate (*Gal.* IX) ? *et quam legem Christi adimplebimus hoc facientes ?*

Resp. Idem est quod in superioribus explanavimus. Gravia enim sunt onera peccati quæ trahunt

animam in profundum inferni ; quæ a nobis invicem auferimus et portamus, id est exportamus, ad conversionem provocantes eos qui peccant. Portare autem pro auferre et exportare consuetudo est etiam ritu provincialium dici, sicut et ego sæpe audisse me memini. Legem autem Christi replere, illius qui dixit : *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Luc.* v)

INTERROGATIO CLXXIX.

Domino docente nos, orandum esse ut ne intremus in tentationem; sed oportet orare ne accidant nobis dolores corporales ; vel si inciderimus in eos, quomodo oportet ferre?

Resp. Non discrevit tentationum qualitatem, sed generaliter præcepit orandum esse ne intremus in tentationem. Si vero inciderimus, ut det nobis exitum evadendi ; et ut sustinere possimus, a Domino posci oportet, ut possimus implere quod est dictum : *Quia qui permanserit in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x).

INTERROGATIO CLXXX

Quis est adversarius noster? et quomodo ei consentire debemus in via?

Resp. Hic specialiter Dominus eum, qui auferre quid a nobis conatur, adversarium nominavit. Consentimus autem ei, si servemus præceptum Domini dicentis : *Si quis autem voluerit tecum judicio contendere, et auferre tunicam tuam, dimitte ei et pallium* (*Matth.* v). Quod et in omnibus fideliter observari oportet.

INTERROGATIO CLXXXI

Si bonum est statuere ad certum tempus, verbi causa, abstinere se tali vel tali cibo sive potu?

Resp. Domino dicente : *Non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* vi), omnis hujuscemodi definitio incongrua est. Quod sciens David, dicebat : *Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* cxviii), et non meæ voluntatis. Et iterum Dominus : *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* xxi)

INTERROGATIO CLXXXII.

Si quis voluntate peccaverit, condemnatur? an etiam ille qui per ignorantiam extra veritatem aliquid fuerit locutus?

Resp. Judicium Dei etiam in his qui per ignorantiam peccant manifestum est, cum dicit : *Quia qui nescit, et non fecerit digna, plagis vapulabit paucis* (*Luc.* xii). Ubique tamen digne gesta pœnitentia veniæ spem præsumat.

INTERROGATIO CLXXXIII.

Si quis cogitaverit tantum facere aliquid, et non fecerit, si et ipse mendax judicandus est?

Resp. Si secundum mandatum est quod cogitavit facere, non ut mendax, sed ut contemptor a Domino condemnatur.

INTERROGATIO CLXXXIV.

Si quis præventus fuerit ut definiat aliquid agere eorum quæ non placent Deo, quid oportet magis irritum revocare, quod male fuerat definitum, an timore eo, ne mendax sit, implere peccatum?

Resp. Cum dicat Apostolus : *Non quod ex nobis ipsis idonei simus cogitare aliquid quasi ex nobis* (*1 Cor.* iii). Et Dominus manifestius : *Quia non possum ego a meipso facere quidquam* (*Joan.* v). Et rursum : *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor* (*Joan.* xiv). Et in alio quoque loco : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit Patris* (*Joan.* vi) ; pœnitentiam debet agere primo, qui ita aliquid temere definit, quodcunque illud fuerit quod definitum est. Quia ne ipsa quidem bona propria auctoritate et definitione facere oportet ; multo autem magis ea quæ non placent Deo, statuere non licet. Quia autem oportet et in irritum revocare quæcunque ex præsumptione contra mandatum Domini statuantur ; manifeste ostenditur in apostolo Petro ; qui temere quidem statuerat et dixerat : *Non lavabis pedes meos in æternum* (*Joan.* xiii). Audiens autem a Domino definitam sententiam : *Quia si non lavero te, non habebis partem mecum* (*Ibid.*), statim mutavit definitionem suam et ait : *Domine, non tantum pedes, sed et manus, et caput* (*Ibid.*).

INTERROGATIO CLXXXV.

Si is cui commissa est dispensatio eorum quæ Domino afferuntur, necessitatem habet implere quod dicit mandatum : Omni petenti te da : et eum qui vult abs te mutuum sumere non avertas.

Resp. Hoc quod dictum est : *Omni petenti te da* (*Luc.* vi) : Et : *volentem mutuari abs te, non avertas* (*Matth.* v) ; quasi tentationis habet locum, sicut ex consequentibus demonstratur. Propter malos enim præceptum est, non principaliter, sed quasi quod in necessitate fieri debet, principale enim præceptum Domini est : *Vende omnia tua bona, et da pauperibus* (*Matth.* xix). Et iterum : *Vendite bona vestra, et date eleemosynam* (*Luc.* xii). Quod ergo aliis delegatum est vel deputatum, in alios transferre non est absque discrimine, Domino dicente : *Quia non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel. Et quia non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* xv) ; sed et abs te ipso judicare debes quod justum est.

INTERROGATIO CLXXXVI.

Quod si frater nihil habens proprium petatur ab aliquo hoc ipsum quo vestitus est, quid debet facere, maxime si nudus sit ille qui petit?

Resp. Sive nudus, sive malus, id est, sive veram necessitatem patiatur, sive fallit, vel si quid aliud est, semel dictum est quia dare vel accipere non est omnium, sed illius solius cui commissum est istud officium. Qui utique cum omni providentia et cautela hujuscemodi dispensationem debet implere, ut possit unusquisque in quo vocatus est permanere.

INTERROGATIO CLXXXVII.

Quomodo potest quis sine charitate tantam fidem habere, ut montes transferat, aut substantiam suam pauperibus dividat, et corpus suum tradere ut ardeat (*1 Cor.* xiii)?

Resp. Si memores simus Domini dicentis : *Faciunt enim omnia, ut videantur ab hominibus* (*Matth.* xxiii). Sed et illud quod respondit his dicentibus : *Domine, nonne in tuo nomine dæmonia ejecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus* (*Matth.* vii)? cum ait

ad eos : *Nescio vos unde estis* ; non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad proprias voluntates, quod utique alienum est a charitate Dei. Si ergo horum meminimus, facile quæ dicta sunt advertimus. Quia autem gratiam Dei vel donum accipiunt etiam indigni, non est novum aut mirum. Deus enim in tempore hoc benignitatis et patientiæ suæ, etiam *solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v). Interdum autem etiam ad profectum eorum qui adhuc infideles sunt, ut gloria ejus multiplicetur, secundum quod et Apostolus dicit : *Quia quidam per invidiam et contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum annuntiant* (*Phil.* I) ; et addidit dicens : *Verumtamen omni modo sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, in hoc ego gaudeo* (*Ibid.*).

INTERROGATIO CLXXXVIII.

Quis est qui abscondere dicitur talentum et propterea condemnatur (*Matth.* XXV) ?

Resp. Qui quamcunque gratiam Dei detinet et assumit in suis usibus, et non ad aliorum utilitatem, iste tanquam occultati talenti crimine condemnetur.

INTERROGATIO CLXXXIX.

Quid est immunditia, et quid est impudicitia ?

Resp. Immunditiam quidem lex ostendit. Hoc enim nomine usa est super his qui invîti per naturalem necessitatem patiebantur ea quæ homines pati consueverunt. Impudicitia vero mihi videtur esse, cum quis naturalem libidinis motum impudentius et inverecundius concitat et irritat.

INTERROGATIO CXC.

Quid est proprium furoris ? et quid est proprium indignationis justæ ? et quomodo aliquoties quasi ab indignatione incipientes inveniuntur decidere in furorem ?

Resp. Furoris quidem proprium est, concitatio animæ mala meditantis adversus eum, qui se concitat et irritat. Indignationis vero justæ proprium est, peccantem corripere eo affectu vel proposito quo avertimur a peccatis ; et quod displicet nobis, quod non recte gestum est. Quod autem interdum a bono incipiens anima decidit in malum, nihil mirum est. Multa enim invenies hujuscemodi, propter quod meminisse oportet sacræ Scripturæ, dicentis : *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII). Et iterum : *Nisi enim quis legitime certaverit, non coronabitur* (*II Tim.* II). Et ideo in omnibus observanda est rerum mensura, et tempus, et ordo quia ex aliqua horum causa accidit ut id quod videtur bonum inveniatur malum.

INTERROGATIO CXCI.

Ex quibus fructibus probari debet is qui ex affectu arguit fratrem peccantem ?

Resp. Primo omnium ex eo quod præcipuum est, si cum misericordia redarguit, et est in eo illud quod dixit Apostolus : *Quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*II Cor.* XII). Vel illud : *Quis scandalizatur, et ego non uror ?* (*II Cor.* XI.) Tum deinde, si in omni peccato similiter affligitur et contristatur, et erga omnes qui peccant, vel si in se delinquat aliquis, vel in alium, similiter contristatur et luget. Et si arguens observat illam regulam quam Dominus posuit, id est, ut inter semetipsum solum, vel alio uno, vel duobus adhibitis (*Matth.* XVIII). Super omnia autem, si observat quod dixit Apostolus : *cum omni patientia* (*II Tim.* III).

INTERROGATIO CXCII.

Si oportet eos qui ingrediuntur ad fratres statim artificia discere ?

Resp. Qui præsunt, probent ; ut quem sociari voluerint corpori congregationis, artibus eruditant diversis, secundum modum et qualitatem propriæ ætatis et conditionis : ut verbi gratia : si ad meditanda vel agenda spiritualia minus inveniatur idoneus, alterius negotii sollicitetur occupationibus, ne torpentem otio atque vacantem Satanas expositum quodammodo suis telis occupet. Dicit enim Apostolus : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thes.* III). Et Salomon : *Otiositas inimica est animæ.*

INTERROGATIO CXCIII.

Si quis non desiderio corrigendi fratres arguat eum qui delinquit, sed sui vitii explendi gratia ; quomodo oportet hunc corrigi, si post multam communicationem in eisdem permaneat ?

Resp. Iste velut suis commodis prospiciens et primatus desiderans notetur, et emendationis ei modus ex institutionum discipulis intimetur. Quod si permanserit in obstinatione, manifesta est sententia eorum qui non pœnitent pro delicto.

INTERROGATIO CXCIV.

Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum qui delinquunt.

Resp. Hoc sit in judicio positum eorum qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant : quia et ætas et eruditio multam habere facit differentiam pœnitentiæ.

INTERROGATIO CXCV.

Si in omni peccato, sive secundum cogitationes, sive secundum verbum, sive secundum actum, Satanam in causa esse convenit dici ?

Resp. Generaliter arbitror quod Satanas ipse per seipsum causa peccati existere nulli potest ; sed motibus animæ nostræ, sive naturalibus, sive etiam ex vitio conceptis abutitur ad voluntatem malitiæ suæ ; et de nostris nos motibus, si forte non vigilemus, trahit in hoc quod ipsi gratum est, id est, in peccatum. Naturalibus ergo motibus nostris abutitur : sicut illud quod in Domino facere conatus est, cum eum sensisset esurire, ait ad eum : *Si Filius es Dei, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Motibus autem ex vitio conquisitis abutitur, sicut fecit in Juda : quem quoniam cupidum vidit et avaritiæ morbo ægrotantem, abusus hoc vitio ejus, usque ad proditionis eum, ob triginta argenteorum lucrum, pertraxit ruinam (*Luc.* XXII). Quia autem mala ex nobis ipsis oriuntur, manifeste ostendit Dominus dicens : *Quia de corde procedunt cogitationes malæ*, et reliqua. (*Matth.* XV.) Hoc autem accidit eis qui per negligentiam inculta et squalentia naturalium in se bonorum semina derelinquunt, dicente Salomone : *Quia sicut agricultura, ita vir insipiens ; et sicut*

vinea, ita homo cui deest prudentia; et si relinquas eam, fiet deserta, et ascendent in ea spinæ, et erit derelicta (*Prov.* XXIV). Huic ergo animæ quæ ex hujusmodi negligentia squaluerit, et in desertum venerit, consequens est suspicere illam sententiam quæ dicit: *Spinæ et tribuli oriuntur in te* (*Gen.* III), et pati illud quod scriptum est: *Exspectavi ut faceret uvas; fecit autem spinas* (*Isai.* V), de qua dixerat: *Plantavi vineam Soreth*, et tunc merito dicetur ad eam illud quod per Jeremiam prædictum est a Domino, dicente: *Ego te plantavi vineam fructiferam, totam veracem, quomodo conversa es in amaritudinem vineæ alienæ* (*Jer.* II).

INTERROGATIO CXCVI.

Si quis relinquens fiscalia debita, intret ad fratres, et parentes ejus pro ipso exigantur et tribulentur; si non affert hoc culpam aliquam, vel his qui eum susceperunt, vel illi ipsi qui ita egerit?

RESP. Dominus noster Jesus Christus his qui interrogaverunt se: *Si licet dari censum Cæsari, aut non;* ait: *Ostendite mihi denarium, cujus habet imaginem et subscriptionem* (*Matth.* XXII)? Cum autem dixissent quia Cæsaris, respondit dicens: *Reddite ergo quæ Cæsaris sunt, Cæsari, et quæ Dei sunt, Deo* (*Ibid.*). Et hoc ergo manifeste docemur quia hi obnoxii sunt tributis Cæsaris, apud quos invenitur Cæsaris census et imago. Si quid ergo tale etiam iste veniens ad fratres secum detulit, obnoxius est ad exsolvendum debitum. Si vero omnibus derelictis in manibus propinquorum abscessit, nullus vel ipsi vel fratribus scrupulus debet existere.

INTERROGATIO CXCVII.

Si oportet eum qui præest, extra eam quæ sororibus præest, loqui aliquid quod ad ædificationem fidei pertineat virginibus?

RESP. Et quomodo servabitur præceptum illud Apostoli dicentis: *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV)?

INTERROGATIO CXCVIII.

Si convenit eum qui præest cum ea quæ sororibus præest frequenter loqui; et maxime si aliquid de fratribus pro hoc læduntur?

RESP. Apostolo dicente: *Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia* (*I Cor.* X)? bonum est imitari eam dicentem: *Quia non sum usus potestate mea, ne offendiculum aliquod darem Evangelio Christi* (*II Cor.* IX). Et quantum fieri potest, et rarius videndæ sunt, et brevior est sermocinatio instituenda.

INTERROGATIO CXCIX.

Si oportet, cum aliqua soror confitetur quodcunque delictum suum presbytero, etiam matrem monasterii adesse?

RESP. Honestius mihi videtur esse et religiosius, ut per seniorem matrem presbyter, si quid illud sibi videtur, statuat, et modum vel tempus pœnitentiæ imponat ad emendationem ejus quæ corrigi desiderat a peccato. Non est enim honestatis, ut arbitror, aut ordinis, ut aliquis sine testimonio matris illius, quæ præest, vel cum paucis, vel cum pluribus statuat aliquid, vel loquatur.

INTERROGATIO CC.

Si oportet gesta turpia vel obscena confitentem invereundius pronuntiare omnibus, aut certis quibusque et quibus illis?

RESP. Confessio peccatorum hanc habet rationem quam habet vulnus aliquod corporis vel passio quæ medico demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summæ peritiæ testimonium habent, et curæ ac medelæ disciplinam; ita et confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo qui curare hæc prævalent ac emendare, secundum quod scriptum est: *Vos qui fortiores estis, infirmitates infirmorum portate* (*Gal.* VI), hoc est, exportate et auferte per curationem.

INTERROGATIO CCI.

Si ignorante matre seniore presbyter aliquid fieri præcipiat sororibus, recte videbitur indignari senior mater cum ipsa nescierit?

RESP. Et valde: alioquin janitori præcipit frustra ut vigilet, si alius in domo vult quodlibet disponere. Sic et Aaron cum absente et ignorante Moyse in populo quippiam præsumit (*Exod.* XXXII), conflato idolo, tam super se quam super reliquum populum inducit grave peccatum. Ab hoc idololatriæ reatu Paulus Corinthiis provisum esse voluit, quibus pro corrigendo eo qui patris uxorem violaverat, licet corpore absens scribit: *Congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi* (*I Cor.* III). Timotheo etiam quamvis proposito omnibus, de utendo modico vino præcipit. Quædam ordinantur a diversis personis, disponente seniore, qui habere possunt congregationem; quædam vero nullatenus, nisi præsente seniore, et præcipue in conventu sororum. Siquidem discipuli, qui etiam potentia virtutis Dei multa signa operabantur, a quodam spiritum immundum ejicere non possunt, nisi prius magister hunc ad se allatum reddidit sanum (*Matth.* XVII). Ne vero persona potens disponere per se quid præsumat in congregatione, absque eo ad quem cura pertinet animarum, hinc colligitur, quoniam rarius sanitates contulit Dominus a majore persona rogatus, ut reguli filio et servo centurionis, quam forte his qui, liberi ab imperio alieno, suo vivebant arbitrio, ut docet mulier illa peccatrix quæ per se currit ad medicum salutis.

INTERROGATIO CCII.

Si potest impedire propositum sancti hominis Satanas, quia scriptum est: Ego quidem Paulus semel et bis venire volui ad vos et impedivit nos Satanas (*I Thess.* II).

RESP. Eorum quæ in Domino geruntur quædam quidem solo proposito et judicio animæ efficiuntur, quædam etiam per corpus adimplentur, id est, vel labore, vel patientia corporis. Quæcunque ergo in animæ proposito consistunt, hæc impedire nullo modo potest Satanas; ea vero quæ etiam ministerio corporis adimplentur, frequenter, permissu tamen Dei, impediri possunt, ad probationem ejus qui impeditur, ut appareat si a bono proposito nequaquam per hujusmodi impedimenta mutatur. Sicut hi qui

super petram seminati dicuntur, quod ad præsens A quidem audientes verbum cum gaudio susceperunt, facta autem tribulatione vel persecutione, continuo recesserunt (*Luc.* XVIII). Vel certe si permanserint in bonis, majoribus præmiis digni sunt, quasi in certamine vicerint : sicut et ipse Apostolus, cum frequenter proposuisset Romam proficisci, et prohibitum se esse fatetur, tamen non cessavit a proposito usquequo quod proposuerat expleret (*Rom.* I). Sed per patientiam sustinuit, sicut sanctus Job, qui tanta a diabolo passus est, cogente se loqui aliquid impium adversus Deum, et in nullo penitus, nec in sermone quidem, regulam pietatis excessit, quo minus ea sentiret de Deo quæ pia erant. Sicut scriptum est de eo : *Quia in his omnibus nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini, nec dedit insi-* B *pientiam Deo* (*Job* I).

INTERROGATIO CCIII.

Quomodo fit aliquis in præsenti sæculo stultus?

RESP. Si timeat sententiam Domini dicentis : *Væ qui prudentes sunt apud seipsos, et in conspectu suo sapientes* (*Isa.* V). Et imitetur eum qui dixit : *Sicut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII). Et omnem arrogantiam prudentiæ abjiciens, non prius credat sensibus suis inesse aliquid boni, quam mandato Domini illuminetur, ut intelligat quid est quod placeat Deo, sive in opere, sive in verbo, sive in cogitatione, secundum quod et Apostolus dixit : *Confidentiam autem talem habemus in Christo ad Deum : non quia a nobis ipsis idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III).

Explicit Regula sancti Basilii episcopi.

CODICIS REGULARUM PARS SECUNDA

REGULÆ SS. PATRUM OCCIDENTALIUM AD MONACHOS.

SANCTORUM

AURELIANI ET FERREOLI

ARELATENSIS ET UCETENSIS EPP.

REGULÆ AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXVIII, col.* 385, *et tom. LXVI, col.* 959.)

SANCTI COLUMBANI

ABBATIS ET CONFESSORIS

REGULA CŒNOBIALIS CUM PŒNITENTIALI.

(*Vide tom. LXXX Patrologiæ, col.* 209.)

REGULA TARNATENSIS MONASTERII.

(*Vide tom. LXVI Patrologiæ, col.* 977.)

SANCTI ISIDORI

HISPALENSIS EPISCOPI

REGULA MONACHORUM.

DE ISIDORO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Martyrologium Rom. pridie Nonas April.

Hispali in Hispania S. Isidori episcopi, sanctitate et doctrina conspicui ; qui zelo Catholicæ fidei, et observantia Ecclesiasticæ disciplinæ Hispanias illustravit.

Braulio Cæsaraugustan. Episcopus in prænotatione librorum S. Isidori.

Isidorus, vir egregius, Hispalensis Ecclesiæ episcopus, Leandri episcopi successor et germanus, floruit a tempore Mauritii imperatoris, et Reccaredi regis : in quo quiddam sibi antiquitas vindicavit, imo nostrum tempus antiquitatis in eo scientiam imaginavit : vir in omni elocutionis genere formatus, ut imperito doctoque secundum qualitatem sermonis existeret aptus; congrua vero opportunitate loci incomparabili eloquentia clarus. Jam vero quantus sapientia fuerit, ex ejus diversis studiis et elaboratis opusculis perfacile prudens lector intelligere poterit. Denique de iis quæ ad notitiam nostrum venerunt, ista commemoravi.... Monasticæ Regulæ librum unum : quem pro patriæ usu et invalidorum animis decentissime temperavit, etc. Obiit temporibus Heraclii imperatoris, et Christianissimi Chintiliani regis, sana doctrina præstantior cunctis, et copiosior operibus charitatis.

Sanctus Benedictus Anianensis abbas in Concordia Regularum, et Smaragdus monachus in Comment. ad Regulam sancti Benedicti, ubique hanc sancti Isidori Regulam citant.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM

Auctor hujus Regulæ est sanctus Isidorus Hispalensis episcopus, et sancti Leandri in episcopatum successor, ejusque frater uterinus, anno 636 defunctus, et fastis sanctorum ascriptus. Sanctissimus enim episcopus hanc Regulam scripsisse videtur ante adeptum episcopatum, cum a teneris annis monasticam vitam secutus sit; sed utrum in hoc cœnobio Honoriacensi tirocinium posuerit, merito dubitatur : cum ad ejusdem monachos instruendos Regulam præsentem composuerit XXIII capitulis comprehensam, atque alias vitæ monasticæ normas a sanctis Patribus scriptas suis monachis summopere commendet, prout ex præfatione constat. Et quidem, quamvis modo ignoremus hujus monasterii situm, tamen illud Benedictinis institutis imbutum facile supponere possumus, cum Regula sancti Benedicti jamdudum per sanctum Æmilianum apud Hispanos promulgata fuerit, atque sanctus Leander eamdem amplexus sit. Denique, si hanc sancti Isidori Regulam recte attendamus, tunc et illam ex disciplina Benedictina desumptam agnoscere debemus; nam eodem modo manuum laborem, jejunia, lectiones, divinum officium aliaque munia monastica præscribit : vult etiam monachos in eodem dormitorio pausare, in eadem mensa reficere, atque singulis denis decanum invigilare mandat. Quæ omnia ex Regula sancti Benedicti desumpta esse videntur, quam proin suis monachis observandam proposuit, paucis superadditis loco et regioni magis accommodatis. Unde non desunt auctores asserentes utramque Regulam simul in eodem monasterio observatam fuisse.

Ad Regulam sancti Isidori addendum est hoc caput 24, quod Edmundus Martene in tomo IX Anecdotorum eruit ex ms. Elnonensi ante 800 annos exarato :

SENTENTIA DE REGULA DEVOTARUM.

Nemo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut filiam, et propinquas, et consobrinas, sive matrem filiorum suorum. Si autem necessitas fuerit, ut videant eas, aut, antequam renuntiarent sæculo, et intrarent in monasterio, paterna eis debetur auctoritas, aut aliqua causa manifesta est; mittent cum his probatæ virum ætatis ac vitæ, videbunt eas, et pariter revertentur. Nemo vadat ad illas, nisi quos supradiximus. Si eas videre voluerint, primum faciant nuntiari Patri monasterii, et ille mittet ad seniores, qui ad monasterium virginum delegati sunt. Qui occurrunt eis, et cum ipsis videbunt, quas necesse habuerint, cum omni disciplina et timore Dei. Cumque eas viderint, non eis loquentur de rebus sæcularibus. Quicunque de his mandatis præterierit, absque ulla retractatione negligentiæ atque contemptus aget publice pœnitentiam, ut possidere valeamus regna cœlorum.

INCIPIUNT CAPITULA REGULÆ.

A

1. De monasterio.
2. De eligendo abbate.
3. De monachis.
4. De conversis.
5. De familiaris vitæ reique appetitu.
6. De opere monachorum.
7. De psallendi officio.
8. De collatione.
9. De codicibus.
10. De mensis.
11. De feriis.
12. De jejuniis.
13. De haoitu monachorum.
14. De strato, sive de illusionibus nocturnis.
15. De delinquentibus.
16. De qualitate delictorum.
17. De excommunicatis.
18. De rebus monasterii.
19. Quid ad quem pertineat.
20. De infirmis.
21. De hospitibus.
22. De professione.
23. De defunctis.

Expliciunt Capitula.

INCIPIT REGULA.

PRÆFATIO.

Sanctis fratribus in cœnobio Honoriacensi constitutis Isidorus.

Plura sunt præcepta vel instituta majorum, quæ a sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur; quæque etiam nonnulli altius vel obscurius posteritati composita tradiderunt. Ad quorum exemplum nos hæc pauca vobis eligere ausi sumus, usi sermone plebeio vel rustico, ut quam facillime intelligatis quo ordine professionis vestræ morem retineatis. Præterea quisquis vestrum illam universam veterum disciplinam contendit appetere, pergat in quantum placet, et arduum illum limitem atque angustum lævigato cursu incedat. Qui vero tanta juvat

B

priorum explere nequiverit, in hujus limitis disciplinam gressum ponat, neque ultra declinandum studeat; ne dum declinatus appetit inferiora, tam vitam quam nomen monachi perdat. Quapropter sicut illa præcepta priorum perfectum reddunt ac summum, ita facient ista vel ultimum. Illa custodiant perfecti, ista sequantur post peccatum conversi.

CAPUT PRIMUM.

De monasterio.

Inprimis, fratres charissimi, monasterium vestrum miram concavis diligentiam habeat, ut firmitatem custodiæ munimenta claustrorum exhibeant; inimicus enim noster diabolus, sicut leo rugiens, circuit ore patenti quærens unumquemque nostrum quem devoret. Monasterii autem munitio tantum januam extrinsecus habeat, unumque posticum per quem eatur ad hortum. Villa sane longe remota debet esse a monasterio, ne vicinius posita aut labis inferat periculum, aut famam inficiat dignitatis. Cellulæ fratribus juxta ecclesiam constituantur, ut possint properare quantocius ad officium. Locus autem ægrotantium remotus erit a basilica vel cellulis fratrum, ut nulla inquietudine vel clamoribus impediantur. Cellarium monachorum juxta cœnaculum esse oportet, ut secus positum sine mora mensis ministerium præbeat. Hortulus sane intra monasterium sit inclusus quatenus, dum intus monachi operantur, nulla occasione exterius evagentur.

CAPUT II.

De eligendo abbate.

Abbas interea eligendus est institutione sanctæ vitæ duratus, atque inspectus patientiæ, et humilitatis expertus: quique etiam et per exercitium vitam laboriosam toleravit, ac transcendens ætatem adolescentiæ, juventutem seu senectutem letigerit: cui etiam majores non dedignentur parere, obedientes ei tam pro ætate, quam etiam pro morum probitate. Ipse se imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit, neque enim aliquid imperare cuique illi licebit quod ipse non fecerit. Singulos autem hortamentis mutuis excitabit: alloquens cunctos, exhortans vel ædificans in eis, si quid eorum vitæ pro uniuscujusque gradu prodesse perspexerit. Circa omnes quoque servans justitiam, contra nullum livore odii inardescens, omnes ex corde amplectens, nullum conversum despiciens, paratus etiam quorumdam infirmitati compatiendi misericordiam, Apostolum sequens, qui dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat pullos suos* (*I Thes.* II).

CAPUT III.

De monachis.

Monachis autem summopere studendum est ut apostolicam vitam tenentes, sicut in unum constituti esse noscuntur, ita unum cor habeant in Deo: nihil sibi proprium vindicantes, nec quantulumcunque amorem rei privatæ gerentes; sed juxta exemplum apostolicum, omnia communia habentes (*Act.* IV), in præceptis Christi fideliter permanendo proficiant, Patri honorem debitum referentes; erga seniores obedientiam, erga æquales incitamentum virtutum, erga minores boni exempli magisterium conservabunt. Nemo cæteris se judicet meliorem, sed inferiorem se omnibus deputans, tanta humilitate claresceat, quanto plus cæteris culmine virtutum coruscat. Abstineat etiam a furore et a detractione. Parcat monachus linguæ. Iadecenter quoque vel notabiliter non incedat. Philargyriæ contagium ut lethiferam pestem abhorreat, a turpibus verbis vel otiosis linguam avertat atque indesinenter cor mundum labiaque exhibeat. Affectus quoque animi turpes ab intentione cogitationis abstergat, seque per compunctionem cordis in studio sanctæ meditationis exerceat. Torporem somni atque pigritiæ fugiat, vigiliisque et orationibus sine intermissione intendat. Gulæ concupiscentiam deprimat, atque abstinentiæ virtutibus semetipsum pro studio domandarum libidinum affligat, domans jejuniis carnem, quantum valetudo corporis sinit. Livore quoque invidiæ de fraternis profectibus nequaquam tabescat, sed quietus atque pacificus per amorem fraternæ dilectionis de cunctorum gaudeat meritis. Iracundiæ perturbationem a se rejiciens, et patienter omnia sustinens, nulla tristitia, nullo temporali mœrore afficiatur: sed contra omnia adversa interiori gaudio fretus, ipsam postremo vanæ gloriæ laudem procul a se abjiciat, et Deo tantum interius humili corde placere studeat: ut dum his virtutibus radiat, merito nomen suæ professionis retineat.

CAPUT IV.

De conversis.

Qui renuntians sæculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum delegandus est monachorum. Vitam enim uniuscujusque in hospitalis servitio tribus mensibus considerari oportet, quibus peractis ad cœtum sanctæ congregationis accedet; neque enim intus suscipi quemquam convenit, nisi prius foris positus, ejus humilitas sive patientia comprobetur. Qui relicto sæculo ad militiam Christi pia et salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut monasterio conferant. Tunc enim servi Christi liberum animum divinæ militiæ offerunt, quando a se spei sæcularis vincula cuncta præcidunt. Qui non rigida intentione convertitur, cito aut superbiæ morbo, aut vitio luxuriæ subditur. Nequaquam ergo debet a tepore inchoare, qui mundo renuntiat, ne per ipsum teporem rursus in amorem sæculi cadat. Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi se prius ibi scriptis suæ professionis spoponderit permansurum. Sicut enim hi qui ad sæcularem promoventur militiam in legionem non transeunt nisi antea in tabulas conferantur, ita et ii qui in spiritalibus castris cœlesti militia sunt signandi, nisi prius professione verbi aut scripti teneantur, in numerum societatemque servorum Christi transire non possint. Quicunque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. Nam Anna

Samuel puerum natum et ablactatum Deo pietate qua voverat obtulit; quique et in ministerio templi, quo a matre fuerat functus permansit, et ubi constitutus est, deservivit (*I Reg.* I). Qui in monasterium prior ingreditur, primus erit in cunctis gradu vel ordine. Nec quærendum est si dives sit aut pauper, servus an liber, juvenis an senex, rusticus an eruditus : in monachis enim nec ætas, nec conditio quæritur, quia inter servi et liberi animam nulla est apud Deum differentia. Quicunque jugo alienæ servitutis astrictus est, nisi dominus vincula ejus dissolverit, nequaquam recipiendus est; scriptum est enim : *Quis dimisit onagrum liberum? et vincula ejus quis solvit* (*Job.* XXXIX)? Onager enim liber dimissus monachus est, sine dominatu et impedimento sæculi Deo serviens et a turbis remotus; tunc enim libera servitute Deo quisque famulatur, quando nullius carnalis conditionis pondere premitur : ubi enim jam suave jugum, et leve onus Christi est (*Matth.* XI), durum et grave est portare servitium sæculi. Habemus hoc exemplum etiam in lege mundiali, ubi servi non militant nisi servitute deposita. Si quis vult conjugatus converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus : nam si illa, vivente illo, per incontinentiam alteri nupserit, uxor procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejusmodi conversio, quam sequitur conjugalis fidei prostitutio. Tales tunc sine culpa sequuntur relicto sæculo Christum, si habeant ex pari voluntate consensum castitatis. Qui aliquid habentes in sæculo convertuntur, non extollantur si de suis facultatibus quodcunque monasterio contulerunt; sed potius timeant ne per hæc in superbiam labantur et pereant, quibus melius esset, si divitiis suis cum humilitate in sæculo perfruerentur, quam ut jam pauperes effecti de earum distributione elatione superbiæ extollantur. Hi qui sæculi divitias relinquentes conversi sunt, non despiciant eos qui de paupertate venerunt; quia apud Deum unius ordinis habentur omnes qui convertuntur ad Christum. Neque enim differt utrum ex inopi vel servili conditione ad servitium Dei quisque venerit, an ex generosa et locuplete vita. Multi enim ex plebeio censu documentis virtutum eximiis enitentes, prælatiores nobilibus facti sunt, eosque virtutum excellentia prævenerunt, et qui erant conditione infimi, virtutis merito effecti sunt primi. Nam propterea *infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia : et ignobilia mundi, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt evacuaret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (*I Cor.* I). Qui ex paupertate ad monasterium veniunt, non extollantur in superbiam; quia se ibi æquales aspiciunt iis qui aliquid in sæculo videbantur : neque enim dignum est ut ubi divites, celsitudine deposita sæculari, ad humilitatem descendunt, ibi pauperes elatione mentis superbi efficiantur; quibus oportet ut, deposita arrogantia, humiliter sapiant suæque paupertatis et inopiæ memores semper existant.

CAPUT V.

De familiaris rei vitæque appetitu.

Monachi in communi viventes nihil peculiare sibi facere audeant, neque in suis cellulis quidquam quod ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat sine regulari dispensatione habere vel possidere præsumant. In Pentecoste autem, qui est dies remissionis, omnes fratres sub divina professione se alligent nihil peculiare apud conscientiam suam habere. Si quid a parentibus vel extraneis monacho collatum fuerit, non erit sub jure privatæ rei habendum, sed in potestate abbatis in commune redactum, cui necesse erit præbeatur. Monachus enim quidquid quomodocunque acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit. Nullus peculiariter separatam sibi ad habitandum cellulam expetat, in qua privatim a cœtu remotus vivat, præter eum qui fortasse morbo vel ætate defessus, hoc ex consulto Patris monasterii promeruerit. Cæteri vero quibus nec languor, nec senectus inest, in sancta societate communem vitam et conversationem retinebunt. Nullus separatam cellulam a cœtu remotus sibi expetat, in qua sub studio reclusionis aut instanti otio aut latenti vitio serviat, et maxime vanæ gloriæ aut mundialis opinionis famæ. Nam plerique proinde reclusi latere volunt ut pateant : ut qui viles erant aut ignorabantur foris positi, sciantur atque honorentur inclusi. Nam revera omnis qui propter vitæ quietem a turbis discedit, quanto magis a publico separatur, tanto minus latet. Oportet ergo tales in sancta societate commorari, atque sub testimonio vitam suam transigere : ut si quid in eis vitiorum est, dum non celatur, curetur; si quid vero virtutum, ad imitamentum proficiat aliorum, dum humilitatis eorum exempla alii contuentes, erudiuntur. Nullus monachorum propinquitatis causa terrenis curis se subdat. Sequendum est enim, qui dicit patri suo et matri nescio vos; et fratribus suis ignoro illos, et nescierunt filios, hi custodierunt eloquium tuum, et præcepta servaverunt. Multi enim monachorum, juxta cujusdam Patris sententiam, amore parentum sæcularibus actibus et forensibus negotiis involuti, dum propinquitati prodesse cupiunt, suas animas perdiderunt. *Nemo quippe militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II). Proinde et nos liberi ab actibus sæculi esse debemus, ut Christo placeamus : nam et qui mundo militant, a reliquis sæculi negotiis vacant, ut expediti suo principi placeant. Non est præsumendum sine conscientia abbatis egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere : nec cum alio fratre quidpiam commutare, nisi abbas vel præpositus illi jusserit, nulli licebit, nec habebit quidquam præter illa quæ communi monasterii lege concessa sunt.

CAPUT VI.

De opere monachorum.

Monachus semper operetur manibus suis, ita ut quibuslibet variis opificum artibus laborisque stu-

dium suum impendat, sequens Apostolum, qui dicit : *Neque panem gratis manducavimus, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes* (*II Thes.* III). Et iterum : *Qui non vult operari, non manducet* (*Ibid.*). Per otium enim libidinis et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt ; per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nequaquam debet monachus dedignari versari in opere aliquo monasterii usibus necessario. Nam et patriarchæ greges paverunt ; et gentiles philosophi sutores et sartores fuerunt : et Joseph justus, cui virgo Maria desponsata exstitit, faber ferrarius fuit. Siquidem et Petrus princeps apostolorum piscatoris officium gessit, et omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Si igitur tantæ auctoritatis homines laboribus et operibus etiam rusticanis inservierunt, quanto magis monachi, quos oportet non solum vitæ suæ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere ? Qui viribus corporis et integritate salutis consistunt, si in opere otiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur : quia non solum non laborant, sed etiam alios vitiant, et ad imitationem suam invitant. Propterea enim quisque ad Deum convertitur ut ei serviens laboris habeat curam, non ut otio deditus inertia pigritiaque pascatur. Qui sic volunt lectioni vacare ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim scriptum est : *Operantes suum panem manducent* (*II Thes.* III). Et iterum : *Ipsi enim scitis quomodo oportet imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos ; neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus* (*Ibid.*). Qui per infirmitatem corporis operari non possunt humanius clementiusque tractandi sunt ; nec contra eos murmurandum est ab eis qui vires laborandi habent, sed magis consulendum est eis quos sciunt corpore infirmos. Ipsi autem qui non possunt, eos qui laborant et possunt, meliores sibi felicioresque fateantur. Qui vero languidus est et laborem operum corporalium sustinere non potest, consulendum est illi, et ejus infirmitas temperanda est. Qui vero sani sunt et fallunt, procul dubio dolendi atque lugendi sunt, quia non corpore, sed (quod pejus est) mente ægroti sunt ; quique etsi humanis oculis convinci non possunt, Deum tamen latere non possunt. Tales igitur aut ferendi sunt, si ægritudo latet ; aut distringendi, si sanitas pateat. Monachi operantes meditari aut psallere debent, ut carminis verbique Dei delectatione consolentur ipsum laborem. Si enim sæculares opifices, inter ipsos labores suorum operum, amatoria turpiaque cantare non desinunt, atque ita horam suam in cantibus et fabulis implicant, ut ab opere manus non subtrahant : quanto magis servus Christi, qui sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in ore habeat, et lingua ejus psalmis et hymnis inserviat ? Laborandum est ergo corpore, animi fixa in Deum intentione ; sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur a Deo. Propriis autem temporibus oportet operari monachum, et propriis orationi lectionique incumbere. Horas enim debet habere monachus congruas ad singula officia deputatas. Patres autem temporum suis quibusque operibus taliter deputantur. Æstate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet ; a tertia autem usque ad sextam lectioni vacare ; dehinc usque ad nonam requiescere ; post nonam autemus que ad tempus vespertinum iterum operari. Alio autem tempore, id est, autumno, hieme, sive vere, a mane usque ad tertiam legendum. Post celebrationem tertiæ usque ad nonam laborandum est ; post refectionem autem Nonæ, aut operari oportet, aut legere, aut sono vocis aliquid meditari. Quæcunque autem operantur monachi manibus suis, præposito deferant, præpositus autem principi monachorum : nihilque operis apud fratres remaneat, ne sollicitudinis ejus cura mentem ab intentione contemplationis avertat. Hortos olerum vel apparatus ciborum propriis sibi manibus fratres exerceant ; ædificiorum autem constructio, vel cultus agrorum, ad opus servorum pertinebunt. Nullus monachus amore privati operis illigetur, sed omnes in commune laborantes Patri sine obmurmuratione obtemperabunt. Monachi præpositis suis sine ulla murmuratione obtemperare debent, ne forte murmurando percant, sicuti perierunt qui in deserto murmuraverunt. Si enim parvulis adhuc in lege et rudibus nequaquam indultum est, quanto magis iis qui perfectionis legem perceperunt, non parcet, si talia gesserint ?

CAPUT VII.

De psallendi officio.

In psallendi autem officio ista erit discretio : dato enim legitimis temporibus signo ad horas canonicas festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant : nullique ante expletum officium licebit egredi, præter eum quem necessitas naturæ compulerit. Recitantibus autem monachis, post consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humi, pariter adorabunt, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipient, eodemque modo per singula officia facient. Quando celebrantur psalmorum spiritalia sacramenta, refugiat monachus risus, vel fabulas ; sed hoc meditetur corde quod psallitur ore. In tertia, sexta et nona tres psalmi dicendi sunt, responsorium unum, lectiones ex Veteri Novoque Testamento duæ : deinde laudes, hymnus atque oratio. In vespertinis autem officiis, primo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorium unum, et laudes, atque oratio dicenda est. Post vespertinum autem congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de quibusdam divinæ lectionis quæstionibus disputare, conferendo pie atque salubriter, tantumque meditando disputandoque immorari, quoadusque completorii tempus possit occurrere. Ante somnum autem, sicut mos

est, peracto completorio, valedictis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio quiescendum est, usquequo ad vigilias consurgatur. In quotidianis vero officiis vigiliarum, primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres missæ psalmorum, quarta canticorum, quinta matutinorum officiorum. In Dominicis vero diebus, vel festivitatibus martyrum, solemnitatis causa singulæ superaddantur missæ. Verum in vigiliis recitandi aderit usus; in matutinis psallendi canendique consuetudo : ut utroque modo servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, et ad laudem Dei sine fastidio ardentius excitentur. Post vigilias autem usque ad matutinum reficiendum est, post matutinum autem aut operandum aliquid, aut legendum. Lectiones autem ex Veteri et Novo Testamento tempore officii quotidianis diebus recitentur : sabbati autem die atque Dominico, ex novo tantum pronuntientur. Monachus autem corporis sanitate consistens, si vigiliis vel quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.

CAPUT VIII.

De collatione.

Ad audiendum in collatione Patrem tribus in hebdomada vicibus fratres post celebratam tertiam, dato signo, ad collectam conveniant. Audiant seniorem docentem, instruentem cunctos salutaribus præceptis. Audiant Patrem studio summo et silentio intentionem animorum suorum suspiriis et gemitibus demonstraptes. Ipsa quoque collatio erit vel pro corrigendis vitiis instruendisque moribus, vel pro reliquis causis ad utilitatem cœnobii pertinentibus. Quod si talia desunt, pro consuetudine tamen disciplinæ nequaquam erit omittenda collatio; sed in præfinitis diebus, cunctis pariter congregatis, præcepta Patrum regularia recensenda sunt : ut qui necdum didicerunt percipiant quod sequantur; qui vero didicerunt, frequenti memoria admoniti sollicite custodiant quod noverunt. Sedentes autem omnes in collatione tacebunt, nisi forte quem auctoritas Patris præceperit ut loquatur.

CAPUT IX.

De codicibus.

Omnes codices custos sacrarii habeat deputatos, a quo singulos singuli fratres accipient, quos prudenter lectos, vel habitos, semper post vesperum reddent. Prima autem hora codices singulis diebus petantur : qui vero ante vel tardius petierit, non est dandum illi. De his autem quæstionibus quæ leguntur, nec forte intelliguntur, unusquisque fratrum aut in collatione, aut post vesperum abbatem interroget; et recitata ad locum lectione, ab eo expositionem accipiat, ita ut, dum uni exponitur, cæteri audiant. Gentilium autem libros, vel hæreticorum volumina monachus legere caveat : melius est enim eorum perniciosa dogmata ignorare, quam per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.

CAPUT X.

De mensis.

Tempore quo refectionis debitum solvitur, claustra monasterii observentur, nec ullus extraneus interesse præsumat, ne quietem fraternam præsentia sua impediat. Refectionis tempore dato signo pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardius venerit, aut pœnitentiam agat, aut jejunus ad suum opus vel cubile recurrat. Nemo autem ad vescendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox signi solita insonuerit. Refectorium pariter cunctis fratribus unum erit, ad singulas mensas deni convescentes resideant, reliqua turba parvulorum astent. Tempore convescentium fratrum omnes disciplinæ gerant silentium, Apostolo obtemperantes, qui dicit : *Cum silentio operantes suum panem manducent* (*II Thess.* III). Unus tamen in medio residens, benedictione accepta de Scripturis aliquid legat, cæteri vescentes tacebunt, lectionem attentissime audientes : ut sicut illis corporalis cibus refectionem carnis præstat, ita mentem eorum spiritalis sermo reficiat. Nullus ad mensas clamor excitetur; soli tantum præposito sollicitudo maneat in his quæ sunt vescentibus necessaria. Abbas, citra languoris necessitatem, cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat : nec aliud quam cæteri, nec cultius quam quæ in commune consistunt, præparari sibi quid piam expetat; sicque fiat ut dum præsens est, omnia diligentius administrentur, et dum communia sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Æqualia quippe erunt mensarum omnium fercula, similibusque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres. Quidquid præsens refectio dederit, omnes sine murmuratione percipiant : nec id desiderent quod edendi voluptas appetit, sed quod naturæ necessitas quærit; scriptum est enim : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*II Cor.* VII). Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos ac pallentia utantur legumina, diebus vero sanctis interdum cum oleribus levissimarum carnium alimenta. Non erit usque ad satietatem reficiendum corpus, ne forte intereat animus; nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis. Qui autem appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lasciviæ motus restringit. Tanta cum discretione reficiendum est corpus, ut nec nimia abstinentia debilitetur, nec superflua edacitate ad lasciviam moveatur. In utroque ergo temperantia adhibenda est : scilicet, ut et vitia carnis non prævaleant, et virtus ad ministerium bonæ operationis sufficiat. Quicunque ad mensam residens a carnibus vel vino se abstinere voluerit, non est prohibendus : abstinentia enim non prohibetur, sed potius collaudatur; tantum ne ex contemptu creatura Dei humanis concessa usibus exsecretur. Nullum esus furtiva contaminatio polluat, aut impudens vel privatus extra communem mensam appetitus : excommunicationis enim sententiæ subjacebit, qui vel occulte vel extra ordinariam mensam aliquid degustaverit. Ante refectionis

tempus nullus vesci audeat, præter eum qui ægrotat : qui enim tempus edendi antecesserit, subsequentibus pœnis abstinentiæ subjacebit. Sitienti cuipiam aut defectum patienti ante edendi tempus consulendum est, abbate vel præposito ordinante, non tamen palam, ne forte sitire, vel esurire alios cogat. Hebdomadarius solus cibos degustet, nec quis id alius audeat : ne sub occasione degustandi, gulæ vel gutturi satisfaciat. Laici ministri mensis monachorum nullatenus intererunt : nec enim poterit illis mensæ communis esse locus, quibus diversis est præpositus. Monachi cum a mensis surrexerint, ad orationem omnes concurrant : quod mensæ redundaverit, omni cura servatum egentibus dispensabitur. In refectione monachorum a diebus Pentecostes usque ad autumni principium tota æstas interdiana prandia, cœna tantum apponatur. In utrisque temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis, olerum scilicet et leguminum, et si quid tertium fuerit, pomorum. Ternis quoque poculis fraterna reficienda est sitis. In observatione autem Quadragesimæ, sicut fieri solet, post expletum jejunium, pane solo et aqua contenti omnes erunt, vino autem et oleo abstinebunt.

A

B

CAPUT XI.

De feriis.

Hæ sunt feriæ monachorum, in quibus jejunia conquiescunt. In primis venerabilis dies Dominicus nomini Christi dicatus ; qui sicut propter mysterium resurrectionis ejus solemnis est, et ita apud omnes servos ejus celebritatem convivii votivo gaudio retinebit. Item a primo die Paschæ usque ad Pentecosten, quinquaginta scilicet continuis diebus, jejunium a sanctis Patribus dissolutum est ; propter resurrectionem videlicet Christi, et adventum Spiritus sancti : ut hi dies non in figura laboris, quod Quadragesimæ tempus significat, sed in quiete lætitiæ laxatis jejuniis celebrentur. Placuit etiam Patribus a die natalis Domini usque ad diem Circumcisionis solemne tempus efficere licentiamque vescendi habere. Non aliter et dies Epiphaniæ ex veteri regula reficiendi indulgentiam consecuta est : siquidem et dum quisque fratrum convertitur, alii ex aliis monasteriis fratres gratia visitandi concurrunt, pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia, si tamen non fuerint generalia. Præter hæc alia tempora libere licenterque jejuniorum inserviunt. Si qui autem monachorum prædictis temporibus jejunare disponunt, nequaquam prohibendi sunt : nam multi antiquorum Patrum his diebus in eremo abstinuisse, nec aliquantum jejunia solvisse leguntur nisi tantum diebus Dominicis, propter resurrectionis Christi lætitiam.

C

D

CAPUT XII

De jejuniis.

Jejuniorum autem hos dies potissimum veteres elegerunt. Primum jejunium Quadragesimæ quotidianum, in qua major abstinentiæ observantia in monachis, quoniam non solum a prandiis, sed etiam a vino et ab oleo abstinetur. Secundum jejunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum, usque ad æquinoctium autumnale protenditur ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas, propter æstivum solis ardorem. Tertium sequitur quotidianum jejunium, ab octavo decimo Kalendas Octobris, usque ad Natale Dominicum, in quo quotidiana jejunia nequaquam solvuntur. Quartum item quotidianum jejunium post diem Circumcisionis exoritur, peragiturque usque ad solemnia Paschæ. Hi autem qui vetustate corporis consumpti, aut teneræ ætatis fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis exercendi jejuniis : ne aut senescens ætas, antequam moriatur, deficiat ; aut crescens priusquam proficiat, cadat, et ante intereat quam bonum facere discat.

CAPUT XIII.

De habitu monachorum.

Cultus vestium vel indumentorum insignia monacho deponenda. Munitus debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abjectus. Nam pretiosa vestis animam ad lasciviam pertrahit ; nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Vestimenta non erunt æqualiter distribuenda omnibus, sed cum discretione, prout cujusque ætas vel gradus expostulat. Ita enim et apostolos fecisse legimus, sicut scriptum est : *Erant illis omnia communia ; et distribuebatur unicuique prout opus erat* (*Act.* IV). Uniuscujusque autem fratris supplementum vel indigentia inspiciatur : ut qui habent, contenti sint ; et qui non habent, accipiant. Nam habenti non dabitur, ut sit unde egentibus tribuatur. Porro linteo non oportet monachum indui : orariam, birros, planetas non est fas uti, neque illa indumenta vel calceamenta, quæ generaliter cætera monasteria abutuntur. Ternis autem tunicis, et bonis palliis, singulisque cucullis contenti erunt servi Christi, quibus supra adjicietur melotes pellicea, mappula, manicæ quoque pedules, et caligæ. His tantum contenti erunt, nihil præterea in habitu aliud præsumentes. Pedules autem utentur in monasterio, quandiu hiemis coegerit violentia ; sive dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad urbem. Monachi autem in monasterio pallis semper operiantur, ut pro honestate tecti incedant, et in ministerio operis expediti discurrant. Sane si forte quis pallium non habeat, humeris mappulam superponat. Nullus monachorum vultus curam gerat, per quod lasciviæ et petulantiæ crimen incurrat : non est enim mente castus, cujus aut corporis cultus, aut impudicus exstat incessus. Nullus monachorum comam nutrire debet : nam qui hoc imitantur, etsi ipsi hoc ad decipiendos homines per speciem simulationis non faciant, alios tamen scandalizant ; ponentes offendiculum infirmis, et sanctum propositum usque ad blasphemiam perducentes. Tondere ergo debent isti, quando et omnes, imo simul ac pariter omnes.

Nam reprehensibile est, diversum habere cultum, ubi non est diversum propositum.

CAPUT XIV.

De strato, sive de illusionibus nocturnis.

Abbatem cum fratribus pariter in congregatione commorari oportet; ut communis conversatio, et testimonium bonæ vitæ, et reverentiam præbeat disciplinæ. Fratres quoque omnes, si possibile est, in uno conclavi commorari decet. Quod si difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus est præponendus decanus, quasi rector et custos. Speciosam vel variam supellectilem monachum habere non licet, cujus stratus erit storea, et stragulum, pellesque lanatæ duæ, galnabis quoque et fæcistergium, geminusque ad caput pulvillus. Per singulas hebdomadas abbas sive præpositus lectulos cunctorum perspiciat, ne quid indigeat frater, seu superfluum habeat. Nocte dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri cui obviat. Duobus in lecto uno jacere non liceat. Lux autem nocte dormientium locum illustret, ut depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur, sed in sola contemplatione Dei accubans, et requiem corporis et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat; bonis objectis, turpes a se removeat: nam animi motus imaginibus suis agitur, et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit. Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterii non moretur, culpæque meritis hoc tribuat et occulte pœnitentiam agat: sciens quia nisi præcessisset in eo fluxus animi turpia cogitantis, non sequeretur in eo fluxus sordidæ atque immundæ pollutionis. Quem enim prævenerit cogitatio illicita, tentatio illum fœdat immunda. Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit; nec audebit eadem die ecclesiam introire, antequam sit lotus et aquis et lacrymis. In lege quippe (*Deut.* XXIII) qui somnio nocturno polluebatur, egredi jubebatur e castris, nec regredi priusquam ad vesperam lavaretur. Et si illi in carnali populo ita, quid spiritalis servus Christi facere debeat? qui magis contaminationem suam debet respicere, et longe ab altero positus mente et corpore pertremiscere, atque in figura aquæ pœnitentiæ lacrymas adhibere: ut non solum aquis, sed etiam fletibus studeat ablui, quidquid forte per occultam culpam immunda contaminatio polluit. Qui fornicationis tentamentis exæstuat, oret indesinenter atque abstineat, nec erubescat confiteri libidinis æstum quo uritur; quia vitium detectum cito curatur, latens vero, quanto amplius occultatum fuerit, tanto magis profunde serpit: quod revera qui publicare negligit, curari minime cupit.

CAPUT XV.

De delinquentibus.

Si quis in aliquo levi delicto titubans oberraverit, semel atque iterum admonendus est: qui si post secundam admonitionem a vitio nequaquam fuerit emendatus, congrua facti sui animadversione coerceatur. Peccantem nullus occultet: criminis enim est consensio post secundam admonitionem celare quempiam peccatorem. Si quis sæpius peccantem viderit, prius hoc uni vel duobus demonstret fratribus, quorum testimonio possit convinci, si negaverit qui deliquit. Peccatum palam commissum palam est arguendum: ut dum peccans manifeste emendatur, hi qui eum in malo imitati sunt, corrigantur. Sicut autem unius delicto sæpe multi pereunt; ita unius emendatione plerumque multi salvantur. Qui vero in fratrem peccaverit, si statim reminiscens ad veniam poscendam fuerit inclinatus, percipiat ab eo indulgentiam cui cognoscitur intulisse injuriam. Qui autem non petit, aut non ex animo postulat, in collationem deductus juxta excessum injuriæ congruæ subjaceat disciplinæ. Qui sibi invicem convicia objiciunt, si iterum invicem sibi celeriter laxando ignoscunt, hi jam ab alio judicandi non sunt, quia pariter sibi veniam dare festinaverunt: si tamen excedere in semetipsos frequentius non præsumant. Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet quam expetit. Oretur igitur pro eo, eique confestim, si levis culpa est, postulata indulgentia præbeatur. Qui pro gravi vitio sæpe excommunicatus emendare neglexerit, tandiu damnationi subjaceat, quousque vitia inolita deponat: ut quem semel illata animadversio non coercuit, frequens severitas censeat emendandum. Quamvis frequentium gravissimorumque vitiorum voragine sit quisquam immersus, non tamen a monasterio projiciendus, sed juxta qualitatem delicti coercendus est: ne forte qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.

CAPUT XVI.

De delictis.

Delicta autem aut levia sunt aut gravia. Levioris culpæ reus est: qui otiosus esse dilexerit, qui ad officium, vel ad collationem, vel ad mensam tardius venerit; qui in choro horis riserit fabulisve vacaverit; qui relicto officio vel opere, extra necessitatis causam foras discesserit; qui torporem aut somnum amaverit; qui sæpius juraverit; qui multiloquus fuerit; qui ministerium cujuslibet operis injunctum siti sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit, qui injunctum opus negligenter vel tardius expleverit; qui casu vas aliquod fregerit; qui damnum rei parvæ intulerit; qui codice negligenter usus fuerit; qui alicubi ad momentum secesserit; qui occulte litteras ab aliquo vel quodlibet munus acceperit; vel epistolam suscipiens occultaverit, aut sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum, vel sæcularium, sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus sit; qui seniori inobediens fuerit; qui contumaciter seniori responderit; qui erga seniorem linguam non represserit; qui lascivus in lingua fuerit; qui inhoneste incesserit; qui jocaverit; qui satis riserit; qui cum

excommunicato locutus fuerit, oraverit, aut comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Hæc igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt. Graviori autem culpæ obnoxius est, si temulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ et erectæ cervicis, si mente tumidus vel jactanti incessu immoderatus; si detractor, susurro, vel invidus; si præsumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatur, si aliquid præter regularem dispensationem superfluum possideat, si fraudator rei acceptæ, vel commissæ sibi, aut minus commissæ. Inter hæc si se de rebus secum allatis extulerit, vel de iis per inobedientiam murmuraverit; si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit; si falsum dixerit; si contentiones et rixas amaverit; si manifestum convicium fratri intulerit; si personam innocentis falso crimine maculaverit; si contumaci animo seniorem despexerit; si rancorem adversus fratrem tenuerit; si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit; si cum parvulis jocaverit; si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit; si alicubi extra consultum præpositi vel abbatis discedens medio die vel amplius commoratus fuerit; si, ut otiosus sit, falsam infirmitatem prætenderit. Hæc et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione purganda sunt; ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur.

CAPUT XVII.

De excommunicatis.

Satisfactio delinquentium hæc est : fratribus in ecclesia constitutis, peracto pœnitentiæ tempore, excommunicatus vocatus solvet statim cingulum extra chorum humo prostratus, quousque celebritas expleatur; cumque jussum fuerit ab abbate de terra consurget, ingrediensque chorum oret. Post hæc data oratione pro eo ab abbate, et respondentibus cunctis, Amen, surget, atque ab omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post hujus emendatoriæ satisfactionis censuram. In minori ætate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis; ut quos ætatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat. Excommunicatis autem, ab his locis quibus fuerint constituti, ante pœnitentiæ tempus expletum progredi prohibeatur. Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris. Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuique licebit; cum excommunicato nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem qui alimentum victui præbet. Cujus biduana vel triduana fuerit illata excommunicationis suspensio, sola panis et aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio. Excommunicatis, præter hiemis violentiam, cubile humus erit tantum, sive storea; amictus autem tegmen rasum aut forte cilicium : calceamentum vero spartea, aut quodlibet genus solearum. Excommunicandi potestatem habebit Pater monasterii, sive præpositus; reliqui autem excessus monachorum in collecta abbati vel præposito deferentur; ut is qui deliquisse cognoscitur, competenti severitate coerceatur

CAPUT XVIII.

De rebus Monasterii.

Abbati vel monacho monasterii servum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non debet. Nam, sicut et sæculi leges sanxerunt, *non potest alienari possessio nisi a proprio domino.* Omne quod in monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est : quarum una erit pro infirmis et senibus, et pro aliquo coemendo in diebus sanctis cultius ad victum fraternum; alia pro egenis; tertia pro vestimentis fratrum et puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coemendis. Quas tres partes custos sacrarii suscipiat, ac præcipiente abbate sub testimonio præpositi vel seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat

CAPUT XIX.

Quid ad quem pertineat.

Ad præpositum pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio culturaque vinearum, diligentia gregum, constructio ædificiorum, opus carpentariorum, sive fabrorum. Ad custodem sacrarii pertinet cura vel custodia templi, signum quoque dandi in vespertinis nocturnisque officiis; vela vestesque sacræ, ac vasa sacrorum, codices quoque, instrumentaque cuncta, oleum in usus sanctuarii, cera et luminaria. Iste vestiaria monasterii suscipiat, quique etiam fila diversa pro consuendis vestibus fratrum habebit, et quibuscunque ut necessum est ministrabit. Ad hunc quoque pertinebit aurum et argentum, cæteraque facta infectaque æris ferriqûe metalla : ordinatio quoque lintearіorum, fullonum, cerariorum atque sartorum. Ad janitorem pertinebit cura hospitum, denuntiatio advenientium, custodia exteriorum claustrorum. Ad eum qui cellario præponitur, pertinebit sollicitudo eorum quæ in promptuario sunt. Iste præbebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum, hospitum et infirmorum. Isto præsente dispensantur ea quæ mensis deferenda sunt. Is etiam quidquid residuum sumptui fuerit pro pauperum usibus reservabit. Huic quoque hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique si negligenter habita non sunt : ac denuo succedenti hebdomadario coram isto tradentur. Ad hunc quoque pertinent horrea, greges ovium et pecorum, lana et linum, aviaria, sollicitudo cibaria ad ministrandum pistoribus, jumentis, bobus et avibus; industria quoque calceamentorum, cura pastorum seu piscatorum. Ad hebdomadarium pertinet cura ferculorum, administratio mensarum, signum dandi in diurnis officiis, sive in collatione, vel in collecta post solis occubitum. Ad hortulanum

pertinebit munitio custodiaque hortorum, alvearia apum, cura seminum diversorum, ac denuntiatio quid quando oporteat in hortis seri aut plantari. Ars autem pistoria ad laicos pertinebit : ipsi enim triticum purgent; ipsi ex more molant. Massam tantumdem monachi conficiant, et panem sibi propriis manibus ipsi faciant. Porro pro hospitibus vel infirmis laici faciant panes. Strumentorum custodia et ferramentorum ad unum, quem Pater monachorum elegerit, pertinebit, qui ea operantibus distribuat, receptaque custodiat. Et licet hæc cuncta specialiter singulis maneant distributa, omnia tamen a Patre monasterii ordinata ad curam præpositi pertinebunt. Ad custodiendam in urbe cellam unus senior et gravissimus monachorum cum duobus parvulis monachis constituendus est ibi, qui si culpa caret, convenit eum perpetim perdurare. Porro cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad virum, quem elegerit Pater, sanctum sapientemque, atque ætate gravem, informantem parvulos non solum studiis litterarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum. Cura peregrinorum vel pauperum eleemosyna pertinebit ad eum cui dispensationis potestas commissa est. Iste quod habet distribuat, communicet quod potest, non ex tristitia aut necessitate : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX).

CAPUT XX.

De infirmis fratribus.

Cura infirmorum sano sanctæque conversationis viro committenda est, qui pro eis sollicitudinem ferre possit, magnaque cum industria præstare faciat quidquid imbecillitas eorum expostulat. Ipse autem sic ægrotis deserviat, ut de sumptibus eorum vesci non præsumat. Ægrotis delicatiora præbenda sunt alimenta, quousque ad incolumitatem perveniant; postquam autem salutem receperint, ad usum pristinum revertantur. Infirmi pro quo delicatius aluntur, fortiores inde nequaquam scandalizentur : qui enim sani sunt infirmos tolerare debent; qui autem infirmi sunt, sanos et laborantes anteponendos sibi non dubitent. Nullam oportet vel veram cordis et corporis infirmitatem tacere, vel falsam prætendere; sed qui possunt, gratias Deo agant et operentur; qui vero non possunt, manifestent suos languores, et levius humaniusque tractentur. Sub prætextu infirmitatis nihil peculiare habendum, ne lateat libido cupiditatis sub languoris specie. Lavacra nulli monacho adeunda studio lavandi corporis, nisi tantummodo pro necessitate languoris. Nec differendum est propter medelam, si expedit; nec murmurandum est; quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantum salutis.

CAPUT XXI.

De hospitibus.

Advenientibus hospitibus prompta atque alacris susceptio adhibenda est; scientes ob hoc novissimam consequi retributionem, sicut et Dominus dicit : *Qui vos recipit, me recipit : qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet : et qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis non perdet mercedem suam* (*Matth.* X). Et licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, uberior tamen clericis et monachis deferenda est honorificentia hospitalitatis. Præbeantur eis habitacula, laventur eorum pedes, ut præceptum Dominicum impleatur. Congruis etiam sumptibus eisdem humanitatis gratia præbeatur.

CAPUT XXI

De profectione.

Nullus monachorum inconsulto abbate audeat uspiam progredi, nec aliquid præsumere sine imperio ejus seu præpositi. Si quando abbas vel præpositus alicubi proficiscuntur, ille ferat fratrum sollicitudinem, qui est post præpositum secundus in ordine. Nullus propinquum vel extraneum hospitem vel monachum familiarem seu parentem videre absque imperio audeat senioris : neque sine abbatis jussu quisque accipere epistolam, vel dare cuiquam præsumat. Quando fratres foris proficiscuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in unum in ecclesia benedictionem accipiant; eodemque modo hebdomadarii vel quarumlibet rerum dispensatores, sive dum promoventur, sive dum recedunt. Propter necessitatem aliquam monasterii duo fratres spirituales ac probatissimi eligantur, qui ad urbem vel ad possessionem mittantur. Adolescentuli autem vel nuper conversi a tali ministerio removendi : ne aut infirma ætas carnis desiderio polluatur, aut rudis conversio ad sæculi desideria revertatur. Monachus dum ad aliud monasterium mittitur visitandum, quandiu cum eis fuerit ad quos destinatus est, ita eum oportet ibi vivere sicut reliquum cœtum sanctorum videt, propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.

CAPUT XXIII.

De defunctis.

Transeuntibus de hac luce fratribus, antequam sepeliantur, pro dimittendis eorum peccatis sacrificium offeratur. Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco : ut quos viventes charitas retinuit unitos, morientes locus unus amplectatur. Pro spiritibus defunctorum altera die post Pentecosten sacrificium Deo offeratur, ut beatæ vitæ participes facti purgatiores corpora sua in die resurrectionis recipiant. Hæc igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita vobis custodienda volumus, ut majorum præcepta Patrum per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc admonitionem nostram, humili corde custodientes quæ dicimus, libenter sumentes quod dispensamus; quatenus vobis de effectu operis sit gloria, et nobis pro ipsa admonitione postulata proveniat venia. Deus autem omnipotens custodiat vos in omnibus bonis, et quomodo cœpit, sic confirmet gratiam suam in vobis. Amen.

Explicit Regula sancti Isidori.

REGULA SANCTI BENEDICTI

ABBATIS CASSINENSIS.

(*Vide tom. LXVI hujus Patrologiæ, col.* 215.)

REGULA CONSENSORIA MONACHORUM.

(*Vide ibid., col.* 993.)

REGULA INCERTI AUCTORIS.

(*Vide ibid., col.* 995.)

SANCTORUM

PAULI ET STEPHANI

ABBATUM

REGULA AD MONACHOS.

(*Vide ibid., col.* 949.)

SANCTI CÆSARII

ARELATENSIS EPISCOPI

REGULA AD MONACHOS.

(*Vide tom. LXVII Patrologiæ, col.* 1097.)

SANCTI FRUCTUOSI

BRACARENSIS EPISCOPI

REGULA MONACHORUM ET REGULA MONASTICA COMMUNIS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVII, col.* 1097 *et col.* 1110.)

CUJUSDAM PATRIS REGULA AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXVI, col.* 987.)

REGULA MAGISTRI AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVIII, col.* 943.)

GRIMLAICI PRESBYTERI

REGULA SOLITARIORUM.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Per solitarios hic nominatos non intelligit auctor eremitas vel anachoretas, sed *inclusos* et sponte incarceratos monachos, qui ex diuturna monasterii probatione, ut loquitur sanctus Benedictus, ad singularem non

eremi, sed angustæ cellæ pugnam descendunt. De quibus inclusis ita scribit Petrus Venerabilis, lib. I, epist. 20 : « Obserata quidem est janua, vel forte lapidibus obturata ; sed per angustum fenestellæ aditum recipit quidquid per ostii latitudinem admisit. » Adeoque pro talibus sponte incarceratis monachis scripta est hæc Regula, qui non in campestribus cellis aut in pagis, sed in subterraneis monasterii locis includebantur, perpetuos quasi carceres sponte et lubenti animo eligentes. Quod admirabile vitæ genus non cuilibet amplecti permissum est; quicunque enim talem inclusionem desiderabat, non solum abbatis et conventus licentiam obtinere debuit, sed post diuturnam probationem etiam episcopi facultas et potestas requirebatur, cujus auctoritate et sigillo ostium cellulæ occludebatur, ut omnis fallaciæ suspiciones removerentur. Celebris erat hujus inclusionis ceremonia, prout hæc Regula præscribit, atque *inclusus* vestibus ad finem usque vitæ gestandis indutus angusta cellula ex omni parte muris septa obcludebatur, ut nec egredi, nec sæculares ingredi valerent : fenestra quoque talis intus et foris obsignabatur, ut ipse nec videre aliquem, nec ab aliis videri potuerit. De talibus sponte incarceratis monachis scripsit doctum syntagma Matthæus Raderus S. J. sacerdos, et in sua Bavaria sancta exhibet quamdam brevem sed mancam Regulam pro illis sæculo duodecimo scriptam, quam proin huic operi inserere haud operæ pretium esse luximus : nam hæc præsens Regula pro omni genere reclusorum fusissima est, in 69 capitula partita, plerumque ex Regula sancti Benedicti desumpta, quæ sola tempore auctoris apud cœnobitas floruit, ex quibus hi *inclusi* desumebantur. Quod autem auctorem Regulæ attinet, vix aliquid certum determinari potest; cum duo Grimlaici hic nominentur : unus qui scripsit Regulam, alter cui et hæc dedicata est, et quidem uterque sacerdos. Refert quidem Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ad annum 900, tempore Formosi papæ floruisse quemdam presbyterum, nomine Grimlaicum, papæ familiarem et episcopatu dignissimum, qui an hanc Regulam scripserit, an vero illa eidem nuncupata fuerit, non determinavit vir doctissimus. Utcunque sit, auctor monachum se, et vitam solitariam egisse, satis indicat; et cum Aquisgranensem Regulam aliquando adducat, sic eum longe post annum 816 floruisse certum est, et forsan in urbe Metensi vel in vicina aliqua abbatia solitariam vitam excoluit; cum sanctum Arnulphum episcopum metensem jam dudum defunctum præ reliquis piissimis prælatis summopere laudet. Nolo hic asserere quod piissimus auctor eo consilio hanc Regulam condiderit, ut aliquis monachorum ordo secundum illam viventium exoriretur; nunquam enim aliquam horum *inclusorum* congregationem alicubi floruisse legimus, quamvis reperimus plures *sponte incarceratos*, sed in diversis cœnobiis viventes. Sic Marianus Scotus in suo Chronico refert duos tales *inclusos*, nimirum S. Annunchadum Fuldæ inclusum, et admirandum illum S. Paternum, qui ob amorem talis vitæ solitariæ permisit se vivum comburi, dum tota civitas Paderburna igne consumpta est. Et quamvis beatus ille chronographus, tum Fuldæ tum Moguntiæ, hanc spontaneam incarcerationem per plures annos amplexus sit, atque in pluribus monasteriis antiquis cellæ talium *inclusorum* adhuc supersint; tamen a pluribus sæculis nullus hoc vitæ genus ambivit. Verum de reclusis feminis sanctimonialibus plura mox dicemus, cum Regulas sacris virginibus præscriptas observabimus.

IN NOMINE DEI SUMMI,

INCIPIT PROLOGUS REGULÆ SOLITARIORUM.

Dilectissimo Patri in Christo atque æquivoco meo Grimlaico venerabili sacerdoti perennem in Salvatore salutem.

Sæpenumero dum in auribus vestris omne quod mihi de meipso displiceret, exposui, suggessistis mihi ut Regulam solitariorum, videlicet cœnobitarum, describerem, mihique ipsi jugum servitutis imponerem. Ego autem hoc diu multumque renisus sum agere, ne forte vires meas excederem, imo ne jactantiæ lapsum incurrerem; verens pariter ne ab aliquibus quasi nova condens præsumptuosus putarer, ac ne mihi illud antiquum objiceretur proverbium : Quid necesse est in mari mittere pisces aut in flumine aquas? Sed cum post multos dies reminisci cœperim quod nunquam moris fuerit sanctis Patribus invicem provocare, invicem invidere, sed unumquemque in ordinanda domo Dei pro viribus suis obtulisse, malui imperio jussionis vestræ obtemperare quam voluntatem meam facere. Unde et ego mox injuncti me operis labori supposui, atque hinc inde orthodoxorum Patrum sententias exemplaque diversa decerpsi, et ex his hanc Regulam componere sategi. Eorumdem quippe nomina, quorum sententias ad hoc opus assumpsi, ob prolixitatem capitulorum vitandam, partim intus in serie, partim deforis in ipsis marginibus impressi. Et ne aliquis compilatorem vocitaret, hoc potissimum fieri curavi. Scio namque, Domino pronuntiante, quia A *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit* (*Joan.* VII, 18). Mea quoque dicta licet sint exigua, tamen inter sanctorum flores eloquiorum solito nomine meo imprimere curavi. Qua de causa humiliter obsecro ut si cui hæc scribilis videtur, prælata sanctorum vocabula, sicuti nunc sunt adnotata, adnotare non omittat. Nostracismos denique et barbarismos, necnon et ipsos prælationum casus in hoc opusculo servare contempsi : quia indignum vehementer fore censui, ut verba Christi vel sanctorum Patrum sub regula perstringerem Donati.

Hanc nimirum regulam de sanctorum floribus, quasi de magis fluminibus pelagique gurgitibus excerptam, in modicos rivulos, hoc est, in sexaginta B novem capitula dividere curavi. Et primo omnium de abrenuntiatione sæculi, et de activa vita et contemplativa pauca collegi capitula. Deinde quomodo solitaria conversatio constare debeat, et de vita ac moribus solitariorum aliqua adnexui capitula. Inter hæc quidem de præceptis Redemptoris nostri tria tantum capitula inserui, quatenus solitarii in lege Domini die ac nocte meditantes, et ipsa Christi mandata sedulo ante oculos mentis simul et corporis revolventes, semper devotiores atque ferventiores existant. Postea quoque ad activam vitam veniens, quid vel quantum de cibis et potibus, quidve de vestimentis aut lectualibus habere vel uti de-

beant, determinavi. Addidi etiam modum et tempus jejuniorum atque abstinentiæ. Subjunxi quoque locis congruis pauca de virtutibus et vitiis, et ut cautos facerem solitarios, quibus modis miracula operari soleant intimare curavi. Ad ultimum autem de perseverantia boni operis unum tantum capitulum posui.

In his ergo omnibus ubicunque aliquibus clausulis enucleandis necessitas exstitit, morem fluminis imitari studui. Fluvius quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum divertit; cumque illas sufficienter impleverit, repente se in alveum refundit. Ita nimirum ubicunque inter sacra sanctorum eloquia aliquam obscuritatem congruæ ædificationis reperi, quasi ad vicinam vallem explanationis undam retorsi; et dum ipsam obscuritatis vallem sufficienter expositam perspexi, rursus ad sermonis B propositi alveum recucurri. Sed non hoc meo sensu vel studio, sed sanctorum Patrum oraculis annuèntibus peregi.

Hoc sane, Pater venerande, tam vos qui ad istud opusculum peragendum me excitastis, quam omnes qui hæc forte lecturi sunt, contestor et obsecro, ut quidquid in rebus istis quæ utcunque digestæ sunt, reprehensionis invenerint, vitio meæ rusticitatis ascribant mihique dignanter indulgeant : ea autem quæ secundum fidem catholicam dicta probaverint, Deo deputent, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Ego quippe dum studui præceptum jubentis implere, etiam majora viribus meis præsumpsi, suscipere; sed tamen ipsa obedientia valde C mihi erat necessaria? Hac quidem nactus occasione Regulam, quam non habebam, modo habeo. Cæterum de accuratione dictionis elucubratæ non satago; quia quod a magistris negligendo non didici, id exhibere loquendo nequivi.

Id ipsum autem quod scripsi, non ingenio meo fretus, sed orationibus vestris auxiliantibus peregi. Solent namque medici ex multorum speciebus pigmentorum in salutem poscentis quoddam genus medicamenti componere, nec seipsos præsumunt fateri creatores herbarum vel aliarum specierum, sed ministros se esse in colligendo et conficiendo asserunt. Ita et ego, non auctor hujus operis, sed A minister in colligendo exstiti. Ex quarum tamen compositione specierum salus efficitur ægrotantium. Sic etiam, sic forsitan meæ devotionis labor vestræ charitati, Domino opitulante, aliquid proficere valebit. Non enim, ut reor, tam sollicite mihi hanc Regulam scribere injungeretis, nisi eam diligeretis, et nisi ad propositum vitæ solitariæ quandoque venire voluissetis. Sicut enim me piæ devotionis affectu exhortati estis ut eam scriberem, ita nunc vos humiliter deposco ut eamdem sæpius diligenter legere studeatis; quatenus animus vester, quodammodo exterioribus molestiis fatigatus, ad seipsum redeat, et quo maxime festinare debeat, intelligat. Quid ergo in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid securius quam de hujus sæculi vanitate nil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis et sollicitudinibus conturbantur. Qui autem ab eo recedunt, et solitariam vitam expetunt, futuræ pacis requiem, quam illic exspectant, hic jam quodammodo habere inchoant.

Quapropter quæso tam vos quam omnes Deum diligentes, ut nemo hanc Regulam spernat, neque ab hac instructione pavore perterritus refugiat, quia via salutis non aliter nisi angusto initio est incipienda. Unde Dominus ait : *Contendite intrare per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Et iterum : *Arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam; lata et spatiosa, quæ ducit ad mortem* (*Ibid.*). Nihil ergo in hac constitutione asperum, vel onerosum, nihil grave spero me scripsisse; sed si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione in ea institui, hoc propter emendationem vitiorum et conservationem virtutum feci. Quisquis igitur hanc Regulam bono animo et plena devotione voluerit observare, in præsenti adhuc sæculo positus, ad virtutum culmina, Deo favente, poterit scandere; et post hujus vitæ terminum, cum sanctis et electis Dei in cœlesti regno gaudere, et cum ipso Domino et angelis ejus in perpetuum feliciter poterit vivere; et non solum vivere, sed etiam conregnare. Cunctipotens Deus animum vestrum ad hanc institutionis observantiam festinanter adducat, et per eamdem observantiam ad regna cœlestia perducat. Amen.

Explicit prologus.

INCIPIT TEXTUS REGULÆ.

CAPUT PRIMUM.

De generibus solitariorum.

Primum igitur indagare oportet cur monachus, vel cur solitarius vocatur, et sic demum, auxiliante divina clementia, ad cætera exponenda rite transeamus. Monachus enim Græca etymologia vocatur, D eo quod sit singularis. Monas enim Græce, Latine singularitas dicitur. Ergo solitarius interpretatur vocabulum monachi. Idcirco enim sive dicatur monachus sive solitarius, unum atque idem est. Sed jam videamus quot sunt genera solitariorum. Duo sunt namque genera solitariorum; unum anachoretarum, id est, eremitarum; alterum vero cœnobitarum, hoc est, monasteriale. Hæc autem amborum genera non conversionis fervore novitio debent institui, sed diuturna monasterii exercitatione prius debent probari, quatenus probati ad perfectionis culmen, Domino miserante, conscendere valeant. Præterea quoque sæpe dubitatum est a multis, a quo potissimum monachorum eremus cœpta sit ha-

bitari. Quidam enim altius repetentes, a beato Elia et Joanne sumptum dicunt exordium; alii autem asseverant beatum Antonium hujus propositi esse caput. Macarius vero discipulus beati Antonii affirmat Paulum quemdam Thebæum in Novo Testamento rei istius fuisse principem; quod et verum est. Sciendum vero quod a tempore beati Antonii cœperunt cœnobitarum solitarii, hoc est, retrusi. Sed quis primus fuisset retrusus, difficile reperitur; non enim solummodo in cœnobiis, sed etiam in ipsis eremis antea habitabant retrusi. Priscis denique temporibus hi qui prius in monasteriis erant retrusi, qui jam didicerant per multa experimenta contra diabolum pugnare, ipsi quoque bene instructi, atque sicut aurum in fornace probati, fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, dimicaturi pergebant. Horum exemplum beatus Arnulphus episcopus tenuit, qui secundum Domini præceptum omnia quæ habuit vendidit pauperibusque distribuit. Et non solum temporalia reliquit omnia, sed etiam episcopatum, quem post amissionem bonorum temporalium, Domino largiente, suscepit, ipsum dimisit; et postea cellulam retrusionis expetiit; ibique multis diebus sese ad exercitandum in divinis cultibus Domino mancipavit. Deinde vero post multorum curricula annorum assumpsit alas sicut columba, hoc est, virtutes spirituales, et ad eremum convolavit; ibique Dominum nostrum Jesum Christum exspectavit, ut illum salvum faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate. Qui veniens non solum salvavit eum, sed ad æthera transvexit feliciter coronandum. Idcirco enim exemplum tanti viri hujus hic inserere studui, ut ab eo discant solitarii omnia caduca despicere et cœlestia totis viribus appetere.

CAPUT II.

De præceptis altioribus monachorum vel solitariorum.

Altiora enim sunt præcepta quæ dantur monachis vel sæculo huic renuntiantibus, quam illa quæ dantur fidelibus in sæculo communem vitam agentibus. Monachis et solitariis dicitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Et rursum: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Ibid.*, *vers.* 21 *et* 29). Hæc et hujusmodi præcepta specialiter solis congruunt monachis solitariisque. Et quanto singularia, tanto potiora et eminentiora. Hæc vero quæ sequuntur quasi minora minoribus generaliter dicta sunt omnibus. *Qui non accipit*, inquit Dominus, *crucem suam, et venit post me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38). Et iterum: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). *Dico autem vobis: Nolite resistere malo* (*Matth.* V, 39). Item ipse: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui vos oderunt*, etc. (*Ibid.*, 44). Monachis enim sive solitariis dicitur ut sua omnia derelinquant; sæcularibus vero, ut sua omnia bene gerant. Illi præcepta generalia bene vivendo transcendunt, isti præceptis generalibus astringuntur. Ad perfectionem enim non sufficit cuiquam sua derelinquere, nisi etiam semetipsum abneget. Sed quid est semetipsum abnegare, nisi voluntatibus propriis renuntiare? ut qui superbus erat, sit humilis; qui iracundus, studeat esse mansuetus; qui luxuriosus, sit castus; qui ante ebriosus, sit sobrius; qui invidus et malevolus, sit benignus et benevolus. Nam si ita quisque renuntiat omnibus quæ possidet, ut et suis non renuntiet moribus, non est pro certo Christi discipulus. Qui enim suis rebus renuntiat, sua abnegat; qui vero pravis moribus renuntiat semetipsum abnegat. Unde et Dominus: *Qui vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23).

CAPUT III.

De quatuor ordinibus hominum qui erunt in die judicii.

Sciendum quoque est quia quatuor ordines hominum erunt in die judicii, duo bonorum, et duo malorum. Primus ordo salvabitur et non judicabitur, id est, qui sua omnia pro Christo derelinquunt, ipsi quidem cum Deo judices venturi sunt ad judicium. Unde est illud Isaiæ: *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui* (*Isa.* III, 14). Ipsi alios judicabunt, et non judicabuntur ab aliis. Secundus ordo judicabitur et salvabitur, id est, boni Christiani, qui res hujus mundi possident et eas pauperibus quotidie erogant, qui nudos vestiunt, infirmos visitant, et alia his similia implent quæ Christus facere docet. Hi tales judicabuntur et salvabuntur; quibus dicturus est in judicio Dominus. *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Matth.* XXV, 35). Et post pauca: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Ibid.*, *v.* 34). Tertius ordo judicabitur simul et condemnabitur, id est, mali Christiani, qui fidem habere videntur, sed operationem non habent. Isti ad sinistram partem deputabuntur in judicio, et istis dicturus est idem ipse Dominus: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere* (*Ibid.*, *v.* 42). Et post pauca: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et Angelis ejus* (*Ibid.* *v.* 41). Isti enim judicabuntur et non salvabuntur. Quartus vero ordo erit infidelium, qui non judicabuntur, sed condemnabuntur. De his ait Psalmista: *Non surgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum* (*Psal.* I, 5). Resurgent enim impii, non ut judicentur, sed ut condemnentur; scilicet ut qui sine lege peccaverunt, sine lege pereant (*Rom.* II, 12). Primus vero ordo, qui sua dereliquerunt et Christum secuti fuerunt, judicabunt alios duos sequentes, id est, bonos Christianos, ut recipiant bona; et malos e contra, ut recipiant mala.

Cum summa igitur devotione rogemus Deum ut corda nostra misericorditer tangendo omnia visibilia nos despicere faciat, quatenus ad primum ordinem pertinere possimus. Vindicemus itaque in nobis bene vivendo gratiam tanti honoris, si enim vitam nostram perfecte custodierimus, judices cum Deo et apostolis ejus in die judicii erimus. Firmissime enim hoc credere debemus, quia fidelissimus est ille qui hoc nobis promittit. Veritas est ipse, fallere non potest. Solitarii, qui sua omnia pro Christi amore derelinquunt, cum Petro apostolo dicere poterunt : *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis* (*Matth.* XIX, 27)? Hoc pro certo scire convenit, quod Petro tunc respondit omnibus solitariis in Petro respondit. Forsitan est aliquis qui dicat : Imitari hujus mundi contemptores volo, sed quod relinquam non habeo. Ad hoc vero respondendum est : Multum dimittit ille qui voluntatem habendi dimittit. Attendere etiam debemus quod non dixit : *Vos qui reliquistis omnia* solummodo, sed addidit, et secuti estis me (*Ibidem, v.* 28), quia multi relinquunt sua, et Christum non sequuntur; sicut Crates philosophus et alii multi : sequitur enim Christum qui illum imitatur.

Pensemus igitur quid Petrus dimisit, qui sic confidenter loquitur. Retia tantum dimisit et navim, tamen loquitur confidenter. *Reliquimus omnia.* Ac sic diceret : Fecimus, Domine, quod jussisti; scire volumus quale pro hoc præmium daturus es nobis. Jesus autem non solum illis, sed et cæteris respondit, dicens : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Ibid.*). Magna lætitia et inenarrabilis gloria nobis est promissa. Hæc sententia ad omnes pertinet qui sua omnia pro Dei amore derelinquunt.

Transcendamus autem visibilia omnia, despiciamus transitoria cuncta, ut mereamur perfrui cum beatis apostolis æternæ beatitudinis gloria; et ut hoc citius nat, Domini clementiam quotidie humiliter exoremus, dicentes : Cunctipotens Deus, qui nos per sanguinem Filii tui redemisti, et ex aqua et Spiritu sancto voluntarie regenerasti, fac nos de hac miserrima peregrinatione ad diu desideratam citius patriam transire, in qua cum beatissimis angelis et felicissimis hominibus sæculo renuntiantibus, per infinita sæcula regnemus.

CAPUT IV.

Quæ sint veræ divitiæ.

Quæ sint veræ divitiæ beatus Gregorius patenter insinuat, dicens : Solæ, inquit, divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt. Quæ vero nobis appetendæ sunt divitiæ, vel quæ fugiendæ, beatus Prosper satis evidenter ostendit, dicens : Illæ nobis ambiendæ sunt divitiæ, quæ nos ornare possint pariter et munire; quæ nos etiam contra impetus hostiles armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant animos nostros atque nobilitant. Nobiscum sint, intra nos sint. Divitiæ nostræ credendæ sunt, pudicitia, quæ nos pudicos faciat; et justitia, quæ justos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia, quæ innocentes; puritas, quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; et supra omnia charitas, quæ nos facit Deo et hominibus charos, vitiorum impotentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omnium, sed sanctorum solæ virtutes; non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonia cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quæ quamvis ipsa sint bona, ut pote a bono Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea spirituales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria pervenire. Quoniam non est tale bonum quod habent et mali, quale illud quod non habent nisi boni. Corporale bonum, quando habent iniqui, ipsorum est præmium; quando habent justi, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item, boni temporalis amissio fit exercitium justi et injusti supplicium, quia et justus desiderio cœlestium captus omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; et iniquus, qui cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis qui militant Deo fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine gravi dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit : *Volo vos sine sollicitudine esse* (*I Cor.* XXXII). Et idem : *Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* VI, 10). Ac sic census iste terrenus eis, a quibus vitiose diligitur non est voluptatum materia, sed dolorum. Hæc de veris et fallacibus divitiis dicta sufficiant. Quomodo autem quis ad perfectionis culmen conscendere possit, audiamus.

CAPUT V.

De perfectione justitiæ.

Si quis ergo vult esse perfectus, et tollere crucem suam, et sequi Dominum Salvatorem, et imitari Petrum dicentem : *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27), faciat hoc quod præcepit Dominus adolescenti, et sufficere ei potest ad perfectionem; id est : *Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). In potestate nostra est utrum velimus esse perfecti an non. Non nobis jugum necessitatis imponit, sed potestati nostræ liberum arbitrium concedit, dicens : *Vis esse perfectus*, et in primo stare vestigio dignitatis? *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me.* Quicunque ergo perfectus esse voluerit, debet vendere omnia quæ

habet, et non ex parte, sicut Ananias fecit et Saphira, sed totum vendere; et cum vendiderit, nihil fraudare, sed dare omne illud pretium pauperibus; et sic sibi thesaurum in regnum cœlorum præparare. Neque enim hoc ad perfectionem solummodo sufficit, nisi post contemptas divitias sequatur Salvatorem, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius, inquit beatus Hieronymus, sacculus contemnitur quam voluntas et voluptas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur enim Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* (*I Tim.* II, 6). Bonum est ergo Dei servo corporaliter remotum esse a mundo; sed multo melius, voluntate. Utrumque vero optimum et perfectum. Ille ergo perfectus est, qui huic sæculo et corpore et corde discretus est. Magna apud Deum refulget gratia, qui huic sæculo contemptibilis fuerit. Servis autem Dei cuncta hujus mundi contraria esse debent, ut dum ista adversa sentiunt, ad cœleste desiderium ardentius excitentur. Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid securius quam de hujus sæculi vanitate nihil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis et sollicitudinibus conturbantur. Qui autem ab eo recedunt, propter internæ quietis tranquillitatem, futuræ pacis requiem quam illuc exspectant, hic quodammodo habere inchoant.

CAPUT VI.

Quod qui sæculo renuntiant, non debent habere hæreditates nec possessiones.

Hi ergo qui sæculum perfecte derelinquunt, nihil debent possidere præter Dominum. Unde in libro Prosperi ita legitur: Quemcunque ergo possidendi delectat ambitio, Deum, quem colit, quia omnia possidet, expedita mente possideat; et in eo habebit quæcunque sancte desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, fit ipse primitus Dei possessio, et efficitur ei Deus possessor et portio. Deinde quid ultra quærit, cui omnia suus conditor sit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat et ab illo possidebatur ille qui dicebat in spiritu: *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam* (*Psal.* CXVIII, 57). Et iterum: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 5). Qui enim possidet Dominum, et cum propheta dicit: *Pars mea Dominus* (*Thren.* III, 24), nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus Dominus non erit: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si ergo, inquit Hieronymus, pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus, non accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis, et altari deserviens altaris oblatione sustentor: unde habens victum et vestimentum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Ad Eze- A chielem quoque dicitur: *Sacerdotes mei, qui mihi in templo meo ministrant, non habeant possessiones: ergo Dominus possessio eorum; nec hæreditatem, ego Dominus hæreditas eorum* (*Ezech.* XLIV, 28). Et ipse Dominus alibi dicit filiis Levi: *Non dabitis partem inter fratres suos, ego Dominus portio eorum* (*Num.* XVIII, 20). Hic satis evidenter ostendit quod hi qui terrenæ hæreditatis portionem contempserint, tales se exhibere debent ut possideant Dominum, et ipsi possideantur a Domino. Qua de re etiam in Collationibus Patrum tale datur exemplum. Quidam frater renuntians sæculo, et dans quæ habebat pauperibus, retinens autem pauca ad opus suum, venit ad abbatem Antonium. Quem cum agnovisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vi- B cum, et eme carnes, et impone corpori tuo nudo et sic veni huc. Et cum ille sic fecisset, aves lacerabant carnes et corpus ejus. Cum autem pervenisset ad senem, interrogavit si fecisset quæ dixerat ei. Ille autem ostendit corpus suum laceratum. Tunc dixit sanctus Antonius: Qui renuntiant sæculo et volunt habere divitias, ecce ita impugnantur et a dæmonibus discerpuntur. Hoc igitur de non habenda possessione dictum sufficiat. Aliud autem de non habenda hæreditate dicamus. Venit quidam homo, nomine Magistratus, ad beatum Arsenium, deferens ei testamentum cujusdam parentis ejus, qui reliquerat ei hæreditatem magnam valde. Et accipiens senior testamentum voluit scindere illud. Magistratus autem cecidit ad pedes ejus, dicens: De- C precor te propter Deum, ne scindas illud. Et dixit ei abbas Arsenius: Ego prius mortuus sum quam ille. Ipse autem modo mortuus est, quomodo nunc me fecit hæredem? et remisit testamentum, nihil exinde accipiens. Unde datur intelligi quod hi qui sæculum relinquunt nihil debent habere præter victum, vel possidere extra vestimentum. Præcipue vero Solitarius, qui imitator apostolorum esse cupit, his tantum debet esse contentus. Et quia non potest quis servire Deo simul et mundo, propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, ut exclusa mundi cupiditate, divina in eis charitas posset augeri vel perfici.

CAPUT VII.

Quod post abrenuntiationem sæculi non debet quisque divitias colligere. D

Solitarii ergo funditus sæculo renuntiantes, ita huic mundo mori debent, ut soli Deo vivere delectentur. Quantoque ab hujus sæculi cupiditate se subtrahunt, tanto interna mentis acie præsentiam Dei et sanctorum ejus perspicacius contemplantur. Sed sunt multi qui cupiunt convolare ad gratiam Dei, sed timent carere oblectamentis mundi. Provocat eos quidem amor Christi, sed revocat cupiditas sæculi, sicut legitur in Collationibus Patrum fecisse quemdam solitarium, qui in horto suo se dulce laborat, et omnem laborem suum in eleemosynam expendebat, et tantum sibi retinebat quantum ad victum ipsius sufficeret. Postea vero Satanas,

immisit ei in corde dicens : Collige tibi aliquam pecuniam, ne cum senueris aut ægrotare cœperis, aliquid indigeas. Et collegit, et implevit lagenam unam nummis. Contigit autem eum infirmari, et putrefieri pedem ejus. Et expendit hoc, quod collectum habuerat in medicos, et nihil ei prodesse potuit. Postea vero venit quidam de expertis medicis, et dixit ei : Nisi incideris pedem tuum, totum corpus tuum putrefiet. Et constituerunt ut in castrinum inciderent ei pedem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, et pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit et flevit dicens : Memor esto, Domine, operum meorum priorum, quæ faciebam cum laborarem in horto meo, ex quo pauperibus ministrabam. Et cum fleret, astitit ei angelus Domini, et dixit ei : Ubi sunt nummi quos collegisti, et ubi est spes de qua tractasti? At ille respondens ait : Peccavi, Domine, et ignosce mihi, ulterius hoc non faciam. Tunc angelus tetigit pedem ejus, et statim sanatus est, et surgens mane abiit operari in agro. Venit ergo medicus cum ferramentis ut secaret pedem ejus, et ait : Ubine est ille ægrotus? Et dixerunt ei : Exiit mane operari in agro; tunc admiratus medicus, perrexit, et vidit eum terram fodientem, et glorificavit Deum, qui ei reddiderat sanitatem. His satis evidenter ostenditur quantum malum sit post abrenuntiationem sæculi pecunias colligere et avare retinere. Unde scriptum est : *Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Novi autem ego ipse quemdam fratrem, quem utinam non nossem! cujus etiam nomen, si aliquid prodesset, dicere possem : qui sub obtentu religionis relinquere se sæculum finxit, et ad solitariam vitam, non corde, sed corpore tantum pervenit. Quia autem non solum ante habitas possessiones et divitias funditus non distribuit, sed etiam si qua forte ei a fidelibus fuerant oblata, avare retinebat. Postea vero immisit ei diabolus in cor, ut ad perferendas divitias, quas male servaverat, foras de cella retrusionis exiret. Quod ita et fecit; qui quandiu in præsenti sæculo vixit, non solum sibimetipsi, sed etiam nobis omnibus in opprobrium fuit; et non solum tunc ejus exemplum nocuit, sed adhuc his qui eum noverunt obest, et futuris scientibus nocebit. Quia sunt nonnulli, qui, despectis carnis desideriis, cuncta relinquere pertractant, sed cum cecidisse illum post operis initium conspiciunt, hoc ipsum facere quod deliberaverant pertimescunt. Nam et isti in hoc etiam arguendi sunt, ut si malos pertimescunt imitari in malum, cur pigri sunt bonos imitari in bonum? Unde scriptum est : De bonis sumamus exempla. Ob hanc ergo causam aliorum scribuntur ruinæ et perditiones, ut nos de nostra vita simus sollicitiores. Hactenus autem de sæculi abrenuntiatione, et de non colligendis divitiis satis abundeque, ut opinor, dictum est. Modo enim de contemplativa vita, Deo auxiliante, et beato Prospero suffragante, aliqua dicenda sunt capitula.

CAPUT VIII

Quid sit proprie activa, quidve contemplativa vita.

Quia igitur per activam vitam ad contemplativam venitur, idcirco prius dicendum reor quid sit proprie activa vita; et sic demum ad contemplativam transeundum est. Activa scilicet vita est conversatio religiosa, quæ docet quomodo Præpositi sub se regant viventes ac diligant; et non minus de eorum quam de sua salute solliciti, quod eis expedire sciunt paterna cura provideant : et qualiter subjecti præposito suo, tanquam capiti membra deserviant, ac præcepta ejus velut imperium Dei summo amore custodiant. Ipsa namque actualis vita panem esurienti tribuit, verbo sapientiæ nescientem docet, errantem corrigit, superbientem ad humilitatis viam revocat, infirmantis curam gerit; quæ singulis quibusque expediunt dispensat, et commissis sibi qualiter subsistere valeant, sollicite providet. Quæ et cum corpore et in præsenti fiunt, et cum corpore deficiunt, et tamen merces hujus vitæ permanet in æternum. Contemplativa quoque vita est dilectionem Dei et proximi tota mente retinere, transitoria cuncta despicere, visibilia postponere, tantummodo quæ cœlestia sunt desiderare. Nam contemplativa vita a contemplando, hoc est videndo, nomen accepit; in qua creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata visura est. Sed et si eam diligenter considerare velimus, et jam in hoc fragili tabernaculo, ubi quotidie ingemiscimus, contemplativæ vitæ quodammodo participes fieri possumus. Quia, secundum quorumdam opinionem, nihil aliud est contemplativa vita quam rerum latentium futurarumque notitia, sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium litterarum. Quando autem infirmum visitamus, mortuum sepelimus, errantem corrigimus, tunc in activa sumus. Quando vero in conspectu Dei lacrymas fundimus, et qualis beatitudo, qualis lux, qualis gloria sit sanctis in cœlo, cogitare volumus, tunc in contemplativa sumus. Sed activa vita cum corpore incipit, et hic cum ipso finitur; contemplativa vero vita hic inchoatur, et in futuro sæculo perficitur. Ex his enim signatur una, id est activa per Martham; et altera, id est contemplativa, per Mariam : sed necessaria est omnino Martha Mariæ.

CAPUT IX.

Qualis debet esse in activa vita, qui ad contemplativam conscendere conatur.

Ad fastigium ergo vitæ contemplativæ quisquis conatur conscendere, semetipsum debet prius per multa experimenta in activa vita probare : si injurias poterit ferre, si opprobria, si derisiones, si contumelias, si detractiones, si flagella poterit sustinere. Si hæc et alia hujusmodi, sive a diabolo, sive ab aliquo illata patienter poterit sustinere, hic merito ad contemplativam quandoque poterit convolare. In ista enim prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, ut in illa jam pura mentis acie ad contemplandum Deum quisque

pertranseat. Et licet conversus statim ad contemplationem conscendere cupiat, tamen ratione cogitur ut prius in activæ vitæ operatione versetur; quia qui prius in activa vita proficit, postea ad contemplationem bene conscendit. Merito enim in ista sustollitur, qui in illa utilis invenitur. Quicunque ergo temporalem adhuc gloriam aut carnalem concupiscentiam affectant, a contemplatione quietis prohibeantur, ut potius in operatione actualis vitæ purgentur. Sciendum vero est quia viri sancti a secreto contemplationis egrediuntur ad publicum actionis, et rursus ab actionis manifesto ad secretum contemplationis intimæ revertuntur. In activa vita intentio perseveranter incedit; in contemplativa autem sese per intervalla quisque resumit, quia diuturnitate contemplandi lassatur. Sicut enim aquilæ moris est semper oculum in radium solis infigere, nec deflectere, nisi escæ solius obtentu; ita et sancti a contemplatione ad actualem vitam interdum reflectuntur, considerantes illa summa sic esse utilia, ut tamen humilia sint paululum nostræ indigentiæ necessaria. Nam et visio animalium in Ezechielis prophetia (*Cap.* 1), quæ ibant nec revertebantur, pertinet ad vitæ activæ perseverantiam. Et iterum ea animalia quæ ibant et revertebantur, pertinent ad contemplativæ vitæ mensuram; in qua dum quisque intenderit, sua reverberatus infirmitate reflectitur, atque iterum renovata intentione, ad ea unde descenderat rursus erigitur. Idcirco enim hæc præmisimus, ut hi qui in contemplativa vita volunt perfecte vivere, per intervalla temporum undé vivant propriis manibus non negligant laborare. Caveant tamen ut non de ullo inhonesto negotio victum quærant, propter hoc scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, ut ei placeat, cui se probavit* (*II Tim.* II, 4).

CAPUT X.

Quantum inter contemplativam et activam vitam intersit.

Jam nunc quid inter contemplativam et activam vitam intersit breviter disseremus: quod ut evidenter eluceat, ipsas sibi invicem vitas, contemplativam scilicet et activam, prolatis earum virtutibus conferamus. Ad activam namque vitam pertinet inter humana proficere, et rebellis corporis motus rationis imperio temperare. Ad contemplativam vero pertinet supra humana desiderio perfectionis ascendere, et indesinenter in augendis virtutibus incubare. Habet enim activa vita profectum; contemplativa fastigium. Hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Hujus vitæ est nulli prorsus injurias irrogare, illius irrogatas æquanimiter sustinere. Imo, ut proprius dicam, exsecutor activæ studet in se peccanti dimittere; contemplativæ sectator offensas, quibus pulsatur, ne omnino concutiatur, ignorare magis paratus est quam donare. Iste iram patientiæ virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parcimoniæ frenum imponit; tangitur desideriis carnalibus, nec consentit; mundi curiositate pulsatur, nec rapitur; quatitur diabolica impulsione, nec vincitur, et Deo suo devota mente subjectus, non atteritur diversis tentationibus, sed probatur. Ille vero omnes affectiones, quibus vita mortalium variatur, sanctis virtutibus vincit, cupiditatum se perturbationum omnium liber beata quiete perfruitur; et illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior, ineffabili gaudio divinæ contemplationis afficitur. Iste suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam bonorum operum fructibus ditat. Ille facultatibus suis in usus pauperum distributis simul se exspoliavit mundo, et admovit totis viribus cœlo: res mundi mundo projecit, et seipsum Christo devota mente restituit, a quo sibi donari immortales divitias orat; ut pauper protegi se quotidie postulat; ut infirmus immortalitatis indumento vestiri cupit; ut nudus defendi se ab impugnatione invisibilium hostium supplicat, ut fragilitate carnis oppressus; et cœlestem sibi patriam donari desiderat, ut peregrinus. Activa enim vita habet sollicitum cursum; contemplativa vero gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc igitur facit pulsare bonorum operum velut quibusdam manibus januam, illa vocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. Et ut multa præteream quæ commemorare non valeo, in activa qui immundis spiritibus exstiterint fortiores, in illa contemplativa, quæ summe beata est, remunerante Domino, fiunt sanctis angelis æquales, atque in æternum cum illo regnabunt in superna illa civitate felices.

CAPUT XI.

Quod præsentium contemptores etiam hic contemplativa vita delectat.

Igitur vitæ contemplativæ felicitati promerendæ ille suspirat qui præsentibus omnibus pro futurorum contemplatione renuntiat, atque domesticis occupationibus, quæ nonnunquam perfecte vivere cupientium processus impediunt. Ipsos etiam suæ carnis affectus in illam sublimitatem divinæ contemplationis evectus exsuperat, et infra se universa despicere, quæ plerumque animas de præterita sanctitate securas dejiciunt in terrena, ipsis jam cœlestibus appropinquat, tanto vicinior factus divinis, quanto supra humana omnia studio perfectionis ascendit. Certus namque quod si contemplativam vitam hic incertis honoribus, divitiis anxiis, et caducis delectationibus plena voluntate prætulerit, veros honores, securasque divitias et delectationes æternas inveniet, cum ad perfectionem contemplativæ virtutis in illa beata vita, ubi futura est, Deo remunerante pervenerit.

Et revera quid erit honoratius eo quem divinæ clementiæ gloria angelicæ dignitatis beaverit? Quid ditius eo quem regni cœlestis ineffabiliter affluens beatitudo ditaverit? Aut quid etiam hic delectabilius

contemplatione divina, quæ sibi veraciter inhianti incorruptibilem suavitatem futuræ remunerationis infundit? Quoniam quidem contemplativa vita hic quoque amatores suos futurorum bonorum consideratione delectat, ac sibi tota mentis intentione vacantes, quantum in hac vita fieri potest, dono sapientiæ spiritualis illuminat, et ad illam divinæ visionis plenitudinem, cujus spem studiis intenti cœlestibus gerunt, incentivo quodam ipsius consequendæ perfectionis inflammat, ut quod nunc in ænigmate cernunt nec perfecte discernunt, tunc in illa revelatione conspiciant.

CAPUT XII.

Quæ et quanta sit in hac carne contemplativæ vitæ perfectio.

Denique contemplativæ vitæ sectator ad Conditorem suum corde illuminandus accedat; ipsi contemplando ac insatiabiliter perfruendo vigilanter inserviat; ipsum jugiter concupiscat, præ amore ejus omnia quibus inde potest averti refugiat. Omnes cogitationes suas ac spem totam in illius delectatione suspendat. Litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in eis se divinitus oblectet. Ibi se totum velut in speculo quodam refulgente consideret, et in se quod pravum deprehenderit, corrigat; quod rectum, teneat; quod deforme, componat; quod pulchrum, excolat; quod sanum, servet; quod infirmum, assidua lectione corroboret; Domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplicabiliter diligat, efficaciter impleat; et quid sibi cavendum quidve sectandum sit, ex eis sufficienter instructus agnoscat. Mysteriis earumdem divinarum Scripturarum perscrutandis insistat. Christum sibi promissum legat, repræsentatum videat; prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat; de salute gentium gaudeat; et præteritis, quæ prædicta et impleta tenet, et futuris promissionibus credat. A strepitu negotiorum sæcularium remotissimus, ea ferventer excogitet quibus animum suum in desiderium futuræ remunerationis inflammet. Studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior ac eruditior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotium. Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandimentis et illecebris exhibeat crucifixum. Delectationi spectaculorum præsentium incomparabiliter anteponat sui creatoris intuitum; semper proficiente successu in fastigium divinæ contemplationis attollat. Nunquam, ne ad momentum quidem, a promissionibus futuris considerandis aversus ad terrena respiciat. Eo aciem mentis indesinenter attendet quo pervenire desiderat. Beatitudinem vitæ futuræ ante oculos animi sui proponat ac diligat. Nec metuat aliquid temporale, nec cupiat: ne aut metus amittendæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ intentionem mentis emolliat. Non eum blanda corrumpant, nec adversa concutiant; non inflet opinio secunda, non sinistra dejiciat; non falsa vituperatio, sive laudatio, augeat ejus gaudia vel imminuat. Non gaudeat omnino de temporalibus nec lugeat. Inter læta ac tristia unam faciem animi constantis obtineat. Nec pectoris stabilem firmitatem quidquid promittit mundus, aut minatur, excutiat; sed idem semper ac sibi similis perseverans, mundi hujus damna simul et lucra non sentiat.

Et cum hæc atque his similia contemplativæ vitæ affectus impleverit, non se hic jam ex omni parte perfectum, sed perficiendum in illa vita beata, quæ futura est, immobiliter credat, atque ad eam se, ubi Dei substantiam revelata facie videre possit, extendat. Nam sicut hic comparatione juste viventium dicitur quisque perfectus: justus namque præcepta facit, perfectus autem præcepta transcendit; ita idem collatus illis absolute perfectis qui in illa vita beata futuri sunt, non est, ut ita dicam, perfecte perfectus; cui etsi dimissa est omnis iniquitas, non est adhuc sanata, sed sanatur ejus infirmitas. Et ideo si non peccat, ut sit vere perfectus, peccare tamen potest, quia non est consumpta omni infirmitate sanatus. Ac per hoc ubi ab omni peccato mundatus peccare non poterit, ibi perfecte sanus et summe perfectus erit. Hic autem quantalibet excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem pro modulo hujus vitæ fieri perfectus, sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus. Et utique ubi est sollicitudo, non absoluta beatitudo, quæ nequaquam perfecta credenda est, si secura non fuerit; nec secura erit, nisi omnem sollicitudinem securitas æterna consumpserit. Quapropter ibi omnium sanctorum beatitudo perfecta erit, ubi natura humana sui gloriam conditoris visura est, atque ei sine ullo defectu beatitudinis adhærebit.

CAPUT XIII.

Quod Deum perfecte sancti videre non possint, nisi cum ad beatitudinem futuræ vitæ pervenerint.

Quocirca sic hortandi sunt ad contemplativam vitam, quicunque plene voluerint, et Deo auxiliante potuerint, ut meminerint ipsius sibi contemplationis divinæ perfectionem in illa vita beata, quæ futura est, reservari: ut ibi Deum sicuti est perfecte videant, ubi et ipsi vitæ æternæ ac regni cœlestis consecutione sint perfecti. Cæterum si hic perfecte potuisset Dei substantiam humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus evangelista dixisset: *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18). Non dixit, *nemo videbit*. Denique ut evidenter ostenderet visionem Dei non negatam sanctis hominibus, sed dilatam, quod in præsenti tempore negavit, in futuro promisit, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Nec hic dixit, quoniam ipsi Deum vident. Igitur si Deus, qui in hac vita sine alicujus ele...ati assumptione nec potuit videri nec potest, in futura vita videndus est; ibi profecto contemplationis divinæ est sperandæ perfectio, ubi erit bonorum omnium plenitudo. Quapropter non sic contemplativæ vitæ sublimitatem in futuro, ubi

perfectio perficienda est, nuntiavi, ut in præsenti eam negarem posse ab hominibus mundi contemptoribus apprehendi, si modo se ad eam tota devotione convertant; si desiderio ejus accensi præsentia blandimenta fastidiant, et longe fortiores effecti, quam ut eos terrenæ occupationes illaqueant, divinis rebus ac futuris promissionibus inhæreant. Isti tales etiam in hac vita contemplativæ vitæ possunt fieri participes. Itaque quoniam de contemplativa vita in superioribus capitibus multa jam dicta sunt, sufficiunt ista quæ diximus, ut et reliqua consideremus quæ de vita solitariorum dicenda sunt.

CAPUT XIV.

Quod pro perfectione vitæ contemplativæ a sanctis Patribus solitaria vita primitus fuit inchoata.

Antiqui Patres nostri supernam patriam desiderantes, et contemplativa vita perfecte frui cupientes, non solum mores hominum sæcularium, sed et consortia fugiebant, atque in saltibus specubusque latitabant; scientes quia quanto se separabant a voluptatibus mundi, tanto frequentabantur ab angelis; et quanto remotiores a sæculo, tanto propinquiores fiebant Deo. Corporaliter autem separari desiderabant a sæcularibus, ne forte in eorum aliquando volverentur actibus. Nos vero eorum exempla, in quantum possibile est, sequi cupientes, si in contemplativa vita cupimus aliquid proficere, a consortio sæculi nitamur cito separari. Quia licet in medio carnalium sæpe Deus vitam protegat electorum, tamen satis rarum est ut quisque inter sæculi voluptates positus, a vitiis maneat illibatus. In quibus denique etsi non cito implicetur, aliquando tamen abstrahitur. Neque enim diu securus esse poterit, qui periculo proximus fuerit. Unde in Collationibus Patrum ita loquitur: Bonum est enim fugere sæculum. Quando autem est homo juxta sæculum, assimilabitur viro stanti super lacum profundissimum, ut qua hora visum fuerit inimico ejus, facile eum impingat deorsum. Si autem a sæculo remotus fuerit, assimilabitur viro longe posito a puteo, ut vel si nitatur eum inimicus projicere deorsum, dum eum violenter trahit, Deus ei auxilium dirigit. Item ibi: Homo fugiens homines similis est uvæ maturæ; qui autem cum hominibus conversatur, sicut uva acerba erit. Et rursum: Imperforabilis enim manet a sagittis inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini, crebra suscipit vulnera. Hoc quippe metuebat beatus Arsenius, cum adhuc esset in palatio: et ideo oravit Dominum dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et confestim venit ei vox dicens. Arseni: fuge homines, et salvus eris. Postea vero accessit ad monasticam vitam, et rursum oravit ad Dominum eumdem sermonem dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et iterum audivit vocem dicentem sibi: Arseni, fuge, tace, quiesce; hæ enim radices sunt non peccandi. Præterea quoque narravit quidam Patrum quia tres fratres studiosi facti sunt monachi; et unus quidem ex eis elegit litigantes in pace revocare, juxta illud quod scriptum est: *Beati pacifici*, etc. (*Matth.* v, 9). Secundus vero visitare infirmos, secundum illud: *Infirmus fui*, etc. (*Matth.* xxv, 36). Tertius autem ablit quiescere in solitudine. Primus ergo laborans propter lites hominum, non potuit in pacificando proficere; et ideo victus venit ad eum qui serviebat infirmis, et invenit etiam ipsum animo deficientem, et non prævalentem mandatum perficere. Et concordantes hi duo abierunt videre illum qui in eremo discesserat, et narraverunt ei tribulationes suas, et rogaverunt ut diceret eis quid ipse proficeret. Et reticens paululum misit aquam in scyphum, et dixit eis: Attendite in aquam. Et erat turbulenta. Et post modicum rursus dixit eis: Attendite modo quomodo limpida facta est aqua. Et cum intenderentin aquam, viderunt tanquam in speculo vultus suos. Et tunc dixit eis: Sic est qui in medio hominum consistit; præ turba enim non videt peccata sua; cum autem quieverit, et maxime in solitudine, tunc delicta sua conspicit. Hic evidenter ostenditur quantum emolumentum præstat vita solitaria. Est enim stadium quoddam ad emendationem morum formandam. Qui enim in solitudine, hoc est in retrusione, sedet, a tribus bellis eripitur, id est, auditus, locutionis, et visus; et contra unum tantummodo habebit pugnam, id est, cogitationem cordis. Sciendum vero est quia multo melius est alicui ut cum multis sit et solitariam agat vitam, quam sit in eremo et proposito mentis desideret esse cum multis. Nam et homines sæculares, si in isto sæculo aliqua commiserunt crimina, etiam nolentes mittuntur in carcerem. Ita ergo et nos propter peccata nostra redigimus nosmetipsos in carcerem retrusionis, ut per voluntariam mentis nostræ vindictam futuras a nobis pœnas excludere mereamur. Quia igitur, ut ait Apostolus: *Si nosmetipsos dijudicemus in hoc sæculo, non utique a Domino judicabimur in futuro* (*I Cor.* II, 31).

CAPUT XV.

De disciplina suscipiendorum fratrum ad retrusionem.

Dominus noster Jesus Christus omnes ad suam vocat servitium, omnesque ad se venientes pie misericorditerque recipit. Idcirco enim omnes vocat et recipit, quia ipse novit qui sunt ejus, et non est opus ei ut quis testimonium perhibeat de homine: ipse enim scit quid est in homine. Nos vero qui notitiam bonorum malorumve hominum minime habemus, nisi eos probaverimus, debemus tenere consilium apostoli dicentis: *Probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV, 1). Sic quoque noviter venientem quemque ad Dei servitium, oportet per multa prius experimenta probare, et postea recipere, ne forte quis simulata mente ac fallaci animo ad hanc solitariam vitam præsumat accedere. Ergo oportet de præterita ejus vita et conversatione inquirere, si est moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si sapiens, si humilis, si obediens, si affabilis, si in lege Domini instructus, si in ipsa instructione castus.

Cum ergo his singulis aliisque experimentis fuerit probatus, si perseveraverit pulsans; et illatas sibi injurias, et difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere affectu petitionis suæ, annuatur ei sive ab episcopo, sive ab abbate suo, ingressus. Sine licentia autem et consensu episcopi, aut abbatis proprii, atque omnium fratrum ejusdem monasterii, in quo idem frater educatus fuerit, nihil omnino de hac re fiat. Prohibendum est etiam ut in nullo alio loco hoc religionis propositum a quoquam assumatur, nisi in cœnobiorum congregationibus tantum. In villis autem aut in campestribus ecclesiis, sive in aliis quibuslibet locis nullatenus præsumatur assumere, nisi forte quis more antiquorum Patrum ad eremum velit secedere. Postquam autem episcopus aut prælatus monasterii licentiam ei retrudendi concesserit, unum annum habitet inter fratres, ita ut extra claustra, nisi tantum in ecclesiam, non exeat; quatenus in ipso ejus probetur voluntas vel stabilitas. Si autem in eodem monasterio, aut in circumvicinis monasterii solitarius est, probatus aliquis ei deputetur ad probandum. Si vero solitarius ibidem minime reperitur, deputetur ei senior talis qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat, et sollicitus sit si revera Deum quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad orationem, ad lectionem, et cætera hujusmodi. Prædicentur ei omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum. Et si promiserit stabilitatis suæ perseverantiam, legatur ei hæc Regula, et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis, si potes servare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, legatur ei hæc Regula sedule, ut sciat ad quod ingreditur, et probetur in omni patientia. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, tunc blande leniterque suscipiatur ad destinatum propositum, sciens se lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi ex ipsa retrusione; nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei excusare aut suscipere. Suscipiendus autem in oratorio coram episcopo et omni clero promittat verbis tantum de stabilitate sua, et conversione morum suorum, coram Deo et sanctis ejus; ut si aliquando, quod absit, aliter fecerit, a Deo se damnandum sciat, quem irridet. Tunc frater ipse prosternatur ad pedes episcopi et omnium fratrum ibidem astantium, ut orent pro eo. Ipsi omnes illico orent pro eo, quantum eis visum fuerit. Signa autem ad ejus ingressum, si episcopus aut abbas jusserit, sonent, ut omnes illud signum audientes, pro eo orent. Res vero si quas habet, sicut in superioribus capitulis continetur, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Cum talibus autem vestimentis intret cum qualibus manere debebit, et sic deinceps in solitaria vita permaneat. Post ingressionem autem præcipiat episcopus ostium retrusionis cellulæ aposphragismo suo sigillare, ne fortassis aliqua in aliquo remaneat opinio.

CAPUT XVI.

Qualis debet esse cellula retrusionis.

Cellula igitur retrusionis debet esse exigua, et firmissimis undique munitionibus circumsepta, quatenus nec solitario foras evagandi facultas maneat, nec cuiquam ad eum, quod non decet, introeundi aditus pateat. Ut autem omnis obstruatur necessitatis occasio, habeat interius præparatas habitationes suis usibus necessarias, hoc est, oratorium ab episcopo consecratum, si tamen ipse solitarius est sacerdos. Idipsum quoque oratorium ita sit domui ecclesiæ contiguum, quatenus idem solitarius per fenestram ejusdem oratorii possit ad missas per manus sacerdotum oblationes offerre, ac cantantes et legentes fratres congrue audire, atque simul cum eis possit psallere; et etiam ad venientes quosque ibidem valeat responsa dare. Sint etiam ante ipsam fenestram deintus et deforis vela appensa, ne facile a foris videri vel videre queat, ne forte per oculorum portam mortuus extrahatur; unde scriptum est: *Cave ne intret mors in animam tuam per fenestras tuas* (*Jer.* IX, 21). Et Apostolus præcipit, spectaculis et pompis præcaveri. Habeat autem infra septa retrusionis hortulum exiguum, si fieri potest, in quo per tempus exire et aliqua olera plantare vel colligere, atque ab aere tangi possit, quia multum ei proderit tactus aeris. Sit etiam extra septa retrusionis et alia cellula, in qua discipuli illius habitent, quæ ita sit cellulæ ipsius contigua, ut aptissime possint discipuli illius congruo tempore per fenestram ei ministrare ea quæ ei fuerint necessaria. Si autem duo in unum solitarii fuerint, sicut multis in locis noscitur esse, sit inter eos silentium ingens, quies magna, charitasque perfecta. Sint autem singuli in singulis cellulis separati, sed animo, et fide, ac charitate inseparabiliter conjuncti. Cellulæ quoque illorum nulla intercapedine inter se dividantur, sed ita sint ad invicem connexæ quatenus ad unam fenestram venientes, alterutrum se valeant ad Dei servitium excitare, sacris orationibus simul vacare, divinas Scripturas simul recitare, et ad corporalem etiam refectionem simul tempore congruo possint convenire. Sint etiam eorumdem cellulæ, ita ut præfatum est, ecclesiæ valde contiguæ. Feminis namque non solum in cellulis solitariorum eorumque discipulorum prandendum aut requiescendum non est, quin potius nec in eas intrandi ulla eis tribuatur facultas, quia hoc a sanctis Patribus valde legitur inhibitum. Si quando autem eis de confessione aut de consilio animarum sermocinandi necessitas incubuerit, in ecclesiam veniant; et ante fenestram oratorii coram omnibus simul loquantur, et quod deliberandum est, prudenter utiliterque deliberent atque disponant. Decet enim solitarios, ut sicut in cæteris rebus, ita etiam in mulierum confabulationibus bonum exemplum omnibus præbeant; ut scilicet hujusmodi confabulatio nullam possit a quoquam

sinistræ ophiomis afferre suspicionem. Non solum autem a collocutione mulierum, verum etiam ab ipso visu et tactu illis est observandum. De locutione autem earum sanctus Basilius dixit : Ne accommodes aures tuas ad percipienda verba mulierum, ne concipias ex eis nequitiam in anima tua. Hinc beatus Hieronymus ait : Prima quidem tentamenta sunt servorum Dei, feminarum frequentes accessus. Nam flammigero igne percutit femina conscientiam eorum, et exurit cor eorum. De tactu vero idem Basilius ait : Mulieris carnem ne velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum : sicut enim stipula proximans igni comburitur, ita et qui tangit mulieris carnem, non evadet sine damno animæ suæ ; et licet corpore castus evadat, mente tamen et corde læsus abscedit. Neque osculari debent a solitariis omnino, quia osculum una est ex quatuor speciebus amoris carnalis. Diligendæ sunt autem mulieres non carnaliter, sed spiritualiter. De visu autem illarum quid dicam? cum Dominus manifestat dicens : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 24). Unde etiam idem Basilius ait : Ne improbo oculo intuearis speciem mulieris, ne per oculorum tuorum fenestras intret mors in anima tua. Frequens denique visus feminarum devitandus est, et maxime his qui inter sæculares exstiterunt vel conjugati fuerunt. Compatres quoque et commatres minime faciant ; quamvis liceat, non expedit tamen.

CAPUT XVII.

Quod nunquam minus quam duo vel tres sint simul solitarii.

Præcipue vero hoc solitariis satagendum est, ut, si fieri potest, nunquam minus quam duo vel tres simul sint solitarii, in singulis tamen cellulis retrusi ; ita videlicet ut per fenestram ad invicem loqui possint, et ad opus Dei alterutrum se valeant excitare. In multis denique causis societatem duorum solitariorum his qui ejusdem voluntatis ac propositi sunt, utilem video esse ; in plurimis vero solitariam vitam ducere absque ullius societate, discrimen esse conspicio. Primum quidem periculum imminet solitario, quod certe gravissimum est, in hoc quod ipse sibi placet, et videtur sibi ad summam perfectionem jam venisse, et putat se esse quod non est. Hoc enim illi accidere solet, qui non habet cum quo opus suum probet. De talibus enim ait Apostolus : *Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (*Gal.* vi, 3). Postea vero neque si aliqua virtus in eo abundat, neque si aliqua desit, agnoscit. Neque etiam hoc quod utile est, neque quod deest, cum solus sit, ab alio aliquo quæri potest. Denique, sed nec culpas quidem suas aut vitia facile agnoscit, cum qui arguat vel reprehendat, nemo sit. Hujusmodi solitario facile illud potest accidere quod scriptum est : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem* (*Eccl.* iv, 10).

Quomodo ergo solitarius seipsum ad prava desideria non exercebit, neminem habens qui videatur ejus voluntatibus obviare? Aut quomodo humilitatem, aut patientiam, sive charitatem suam probabit, neminem habens cui hæc exhibeat? Neque enim sufficere potest unus, quamvis summus, ad suscipienda omnia sancti Spiritus dona ; quia, ut ait Apostolus, *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* xii, 8), et cætera hujusmodi. Quapropter si secundum dispensationem Spiritus sancti uni datur quod alteri negatur, necesse est ut sint duo, vel tres, aut eo amplius, et de charismatibus quæ singuli acceperunt, utrique consolenter pariter et ædificentur. Sed et adversus insidias inimici, quæ intrinsecus et extrinsecus inferuntur, multum prodest societas plurimorum. Facilius enim excitantur a somno, et incitantur ab omni opere bono. In oratione autem non parvum emolumentum nascitur a duobus fratribus, maxime cum Dominus dicat : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* xviii, 19). Et iterum idem ipse : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Ibid.*, v. 20). Præterea quoque plures orationes duo peragere possunt quam unus. Habet autem et alia quamplura bona communis solitariorum vita, quæ non est possibile nunc dinumerare omnia. Sed ita duos solitarios in unum esse dicimus, ut unus, si fuerit probatus, ad hanc vitam perfruendam non prohibeatur.

CAPUT XVIII.

Si oportet suscipere ad solitariam vitam suburbium presbyteros vel juvenes ætate.

Cum Dei clementia omnes vocet per illam piissimam vocationem qua dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* xi, 28), non est absque discrimine quemplam ad servitium Dei venientem abjicere. Verumtamen neque absque subtilissima probatione indulgendum est cuiquam intrare in sanctam conversationem : sed sicut Dominus juvenem illum qui venit ad eum de priori vita sua interrogavit, et cum audisset quia recte transacta esset, quod ei deerat præcepit adimplere, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* xix, 21), et ita demum jussit eum se sequi : ita ergo et nos oportet prius probare spiritus, si ex Deo sunt, et sic advenientes quosque cum charitate ad Dei servitium suscipere.

Si quis autem ex ordine sacerdotum extraneorum se suscipi rogaverit, ita ut ad solitariam vitam quandoque venire desideret, non ei quidem citius assentiatur. Tamen si omnino in hac supplicatione perstiterit, recipiatur, sciatque se omnem Reguke disciplinam servaturum. Sed ne forte quis simulata mente ad hoc propositum venire pertentet, primitus duriter probandus est. Quod ita demum facile dignoscitur, si omnem laborem corporis qui ei injungitur æquanimiter ferat, et ad austeriorem vitam libenter inclinetur ; vel si etiam delictum aliquis suum cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare

confunditur, et modicam delicti, quæ ei adhibita fuerit, gaudenter assumat; etsi ad omnem humilitatem absque verecundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non erubuerit. Cum autem his atque aliis exercitiis probatus fuerit, si stabilis et prompto animo perstiterit, tunc eum suscipi decet. Sit autem, sicut supra dictum est, duos annos inter fratres in congregatione, et postea, si ejus voluntas firma manserit, ad solitariam vitam suscipiatur.

Similiter quoque et si monachus aliquis peregrinus vel clericus de longinquis provinciis supervenerit, et pro eadem causa se suscipi rogaverit, pro hospite suscipiatur, et probetur ita ut prius dictum est. Et si contentus fuerit consuetudine loci quam invenerit, et stabilitatem suam firmare voluerit, non renuatur ejus voluntas. Quod si superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, quia his temporibus maxime dignosci poterit, non solum non debet recipi, verum etiam dicatur ei honeste ut recedat, ne etiam ejus miseria alii vitientur. Si vero talis non fuerit qui mereatur projici, nullatenus projiciatur, sed suadeatur ut stet, quatenus ejus exemplo alii erudiantur. Cavendum est autem ne aliquando de alio noto monasterio monachus ad habitandum suscipiatur sine consensu abbatis ejus aut litteris commendatitiis. De juvenum autem ætate nulla ambiguitas est an recipi debeant, cum Dominus de eis dicat : *Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* x, 14). Non enim alicui obest ætas puerilis, si fuerit mente perfectus. Nec senilis cuiquam proderit ætas, si fuerit sensu parvulus. Perfectus enim dicitur, non qui ætate, sed qui sensu perfectus est. Unde in libro Sapientiæ dicitur : *Cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8). Nam et David cum puer esset, et perfectum sensum haberet, a Domino in regem electus est, et prophetiæ spiritus ei creditus est. Saul vero cum senilis esset ætate, pro sua nequitia de culmine regali expulsus est, et maligno spiritui traditus est. Senissimi etiam erant sacerdotes illi qui Susannam violare conati sunt ; et Daniel adhuc puerulus erat qui eos ore suo condemnavit. Et Dominus noster Jesus Christus ingressus Hierosolymam a parvulis collaudatur et a senioribus postea crucifigitur. Nam et arbor, multorum licet annorum sit, nisi fructuosa fuerit, abscindetur ; si tamen novella fuerit, fertilis et fructuosa, magis colitur, ut uberiorem proferat fructum. Omne autem tempus a prima ætate opportunum esse dicimus ad suscipiendum aliquem in eruditione et timore Dei. Ex eo tamen firma erit professio virginitatis, ex quo jam quisque adultus fuerit, ex quo solent sæculares nuptiis apte deputari. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui. Sint autem in ipsa pulsatione, quo supra, usque ad præfinitum tempus duorum annorum, et si viriliter ac ferventer perstiterint, recipiantur eodem modo quo supra. Præterea quoque si aliquis ex catholicis venit ad nos dicens : Volo apud vos manere aliquod spatium temporis ut proficiam ex vobis, illum etiam suscipi oportet, Domino pronuntiante, qui ait : *Omnem ad me venientem non ejiciam foras* (*Joan.* VI, 37). Interdum enim potest fieri ut per tempus proficiat, et delectetur ei permanere in sanctitate vitæ. Oportet autem nos in conversatione nostra et religione, de qua fortassis homines aliter opinantur, caute et sollicite agere, et præceptum illius implere qui dixit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* VII, 16). Ita denique fiat ut si ille bonus et verax est, de nobis proficiat ; et si explorator et fallax est, erubescat.

CAPUT XIX.

Qualem vel quam sanctum oportet esse solitarium.

Talem ergo oportet esse solitarium qualem Apostolus jubet fore episcopum, ubi ait : *Oportet episcopum sine crimine esse* (*Tit.* I, 7). Similiter autem et solitarium oportet esse sine crimine ; non protervum, non iracundum et vinolentum, non multum edacem, non percussorem, non bilinguem, non neophytum, non turpis lucri appetitorem. Primum itaque quod dicimus sine crimine esse solitarium, non ita intelligendum est ut si ante conversionem aliquod crimen habuerat, ad solitariam vitam non recipiatur, cum ipso proposito pro ante admisso scelere pœnitentiam agere possit ; sed sic dictum est, ut ex eo tempore quo in solitaria vita manere cœpit, nulla peccati conscientia mordeatur ! qui enim vitia non habet, sine crimine est. Omne enim crimen peccatum est, sed omne peccatum crimen non est. Et ideo sive solitarius, sive quilibet alius, sine crimine esse potest, sine peccato nunquam esse potest. Sequitur : *Non protervum*, id est, non superbum eum esse oportet, ne elatus incidat in laqueum diaboli. *Non iracundum :* iracundus enim est, qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram, quasi a vento follum commovetur. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est, sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. *Non vinolentum*, et non multum edacem eum esse dicimus ; quia ubi ebrietas et nimia edacitas fuerit, ibi libido dominatur et furor. Solet enim ille qui his duobus vitiis fuerit occupatus, contra gravitatis decorem in risu vocem exaltare, et labiis dissolutis turpiter cachinnare. *Non percussorem*, id est non facile manum porrigat ad cædendum. Sed non ita dictum est, ut si discipulum habuerit, et facultas permiserit, non pie verberetur, cum Salomon dicat : Latera puerorum virgis assidue tundenda sunt, ne indurescant (*Prov.* XXIII, 13). Sed ideo dictum est ut is qui mansuetus et patiens esse debet, ne in os alterius vel caput verberandum insanus erumpat. *Non bilinguem* eum esse oportet, ne conturbet habentes pacem. *Non neophytum*, ne incidat in laqueum diaboli, dum nesciat præcavere tentamenta inimici. Ignorat enim momentaneus solitarius

humilitatem et mansuetudinem. Ignorat etiam divitias sæculi contemnere; ignorat semetipsum despicere. Non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, non assidua meditatione correxit. De cathedra enim transfertur ad cathedram, de superbia ad superbiam. *Non turpis lucri appetitorem*, ne de servitio Dei lucra terrena quærat. Turpis lucri appetitio est plus de præsentibus quam de futuris cogitare : solitarius enim habens victum et vestitum, his tantum contentus esse debet. Unde ait Apostolus : *Qui altari serviunt, de altari vivant* (*I Cor.* IX, 13). Vivant, inquit, et non, divites fiant. Oportet ut non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus : non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia hujusmodi solitarius nunquam requiescit. Non sit etiam murmurosus, quoniam scriptum est quod murmurantes a serpentibus perierunt. Non sit detractor, propter hoc quod scriptum est : *Qui detrahit fratrem suum eradicabitur* (*I Cor.* X). Non odium habeat in corde, quia scriptum est : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15). Non sit vaniloquus, quia scriptum est : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Non sit piger, propter hoc quod scriptum est : *Serve male et piger*, etc. (*Matth.* XXV, 26). Non sit somnolentus, nec aliis quibuslibet vitiis substratus, quatenus fiducialiter audeat dicere cum Propheta : *Ero immaculatus coram Deo, et observabo me ab iniquitate mea* (*Psal.* XVII, 24). Hucusque qualis non debet esse Dei servus ostendimus, nunc qualis esse debeat dicamus. Dei autem servum oportet esse pudicum, id est, a libidine continentem, et, ut ita dixerim, in tantum eum inter cunctos oportet esse eminentem, ut non solum ab opere immundo se abstineat, verum etiam et a cogitationis errore mens ejus sit libera. Oportet etiam eum esse justum, sanctum, continentem, abstinentem, hospitalem, bonorum operum amatorem, modestum, sobrium, patientem, benignum, humilem, charitativum, obedientem ; et non solum a pravis actibus se abstineat, verum etiam ab oculi, et verbi, et cogitationis instinctu se contineat, et sic fiat ut dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro suis populorumque facinoribus valeat. Talis insuper sit idem solitarius, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant. Si enim talis fuerit et ista supradicta sectatus fuerit, tunc Dei minister utilis erit, et propositum suum, opitulante divina clementia, perfecte consummabit.

CAPUT XX.

Quomodo solitarii debeant esse docti, et qualiter alios doceant ac semetipsos discrete provideant.

Solitarius itaque debet esse doctor, non qui doceri indigeat; etiam debet esse sapiens et doctus in lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera. Multis modis etiam necessarium est solitariis, ut instructi sint in divinis eloquiis. Primum propter astutias et fraudes diaboli per quas seipsum solet in cordibus insipientium sæpe demergere. Deinde ut adventium quorumdam corda arentia proximorum, fluentis rivis doctrinæ valeat irrigare. Nam et si quos habet discipulos, affatim possit instruere eos. In his denique, et in aliis quibuslibet rebus, scientia Scripturarum valde solitario necessaria est; quia si ei tantum sit sancta vita, sibi soli prodesse potest quod sancte vivit. Porro et si doctrina fuerit eruditus, potest cæteros quosque imbuere, et hæreticos, sive Judæos, seu alios quoslibet adversarios repercutere vel refutare; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex et apertus, plenus gravitate et honestate; plenus suavitate, gratiaque, et lenitate. Ipsius namque speciale officium est tractare de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ. Scripturas divinas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, ut videlicet prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat; quia non omnibus una eademque semper exhortatio est adhibenda, sed unumquemque diversa exhortatione admoneat, juxta professionis morumque qualitatem. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero increpatio corrigit blanda. Sicut enim periti medici juxta vulnerum varietates diversa adhibent medicamina, ita et solitarius singulis quibusque congruum exhortationis adhibere debet remedium ; et quid cuique oporteat pro ætate, pro sexu, ac professione annuntiet. Non omnibus quæ sunt clausa aperienda sunt : multi sunt enim qui capere non possunt. Rudibus præcipue hominibus atque carnalibus plana seu communia prædicanda sunt, non summa atque ardua. Unde et Apostolus ait : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Carnalibus quippe animis, ut diximus, nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena convenit dicere, sed mediocriter et discrete. Corvus enim dum suos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantumdem attendit donec paterno colore nigrescant, et sic illos frequenti cibo reficit. Ita et strenuus solitarius nisi eos quos monet viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, et nitore sæculari deposito, lamentationis habitum peccati recordatione induere, non expedit eis aperire intelligentiæ spiritualis profundiora mysteria; ne dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere quam venerari cœlestia præcepta. Propter quod et Dominus inter cætera ait : *Nolite mittere margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis* (*Matth.* VII, 6).

Hactenus autem diximus quam doctus vel quam discretus in doctrina debet esse solitarius. Nunc autem ad sententiam beati Gregorii venientes, videamus quam discreta circumspectione in docendo nosmetipsos oportet providere. Nos, inquit, quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quid sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine fra-

tribus consolamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut aliquando tales fuimus; et si jam divina gratia operante tales non sumus, oportet ut tanto eos temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his flagitiis aliquando fuisse agnoscimus. Si nos quoque tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare per pœnitentiam cupimus, videamus ne forte cor nostrum de ipsa innocentia superbiat, et in pejus quam hi quorum mala corrigimus ruat. Nam et alia eorum bona opera nobis ante oculos revocemus, quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus; quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati, posterius etiam ipsa possint bona, quæ nos ante accepimus, prævenire. His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

Sciendum vero est quia aliter convenit prædicare episcopis et presbyteris, atque aliter solitariis. Illis utique tanquam sibi commissis plebibus oportet arguendo, increpando, et obsecrando prædicare; istis vero non tanquam commissis, sed pro sola charitate convenit advenientes quosque spiritualium verborum dapibus reficere, et ad Dei servitium ut convertantur humiliter et secrete suggerere: non tamen eos oportet quasi pro gratia hominum acquirenda exhortationis rigorem reticere. Præterea quoque debemus et nos quotidie etiam tacendo prædicare; tunc etenim tacendo prædicabimus cum aliis hominibus formam bene vivendi præbebimus, et lucis exempla monstrabimus.

CAPUT XXI.

Ut solitarii lucis exempla omnibus dent; et ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant.

Vita ergo et conversatio solitariorum normam et exemplum ab Apostolo sumere debet, qui dixit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX, 22). In tantum enim idem Apostolus se imitabilem cunctis præbebat, ut cum fiducia clamaret, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI, 1). O quam felix, o quam secura conversatio Pauli, qui prætermittens prophetas et apostolos, cæterosque sanctos, jubet se imitari Christianos. Quapropter et solitarii, licet inferiores quam Paulus, tamen debent se imitabiles præbere omnibus. Nam sicut pretiosum atque præcipuum est in medio multorum bene agere, et plurimos ad profectum et exemplum boni operis incitare; ita periculosum ac perniciosum est negligentius agendo multorum fidem frangere multorumque animas depravare. Hoc autem ideo dico quia, quod pejus est, facilius inveniuntur qui ea quæ sunt deteriora quam qui meliora sectentur. Quamobrem sicut ille valde admirandus atque laudandus est cujus cursus bonus multorum est profectus, ita ille merito lugendus est cujus vita multorum ruina est. Plerique igitur solitarii prave viventes forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt. Hi autem quoscunque exemplo malæ conversationis suæ perdunt, simul cum eis procul dubio in æternum peribunt, si tamen in malo perseveraverint. Multo enim deteriores sunt hi qui sive exemplis, sive doctrinis, vitam moresque bonorum corrumpunt, quam illi qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim quæ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, auferunt; corruptores vero morum proprie nos ipsos decipiunt, quoniam divitiæ hominum mores eorum sunt.

Quapropter nos qui solitariam vitam expetimus, semper ea quæ ad ædificationem pertinent, agere studeamus. Videamus autem ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam nostra ira commaculet, iracundia violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra depravet, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet, ne aliorum ardentes exstinguamus lampades; ne, quod absit, simul cum fatuis virginibus a regno Dei excludamur. Sed tales nos econtra exhibeamus, ut nostra humilitas aliorum confundat superbiam, nostra patientia proximorum exstinguat iracundiam, nostra obedientia pigritiam aliorum tacite increpet, noster fervor aliorum teporem excitet. Tales insuper nos exhibeamus, ut cunctis in exemplo luminis simus. Unde Dominus præcipit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Hinc Paulus apostolus ait: *In omnibus ergo teipsum præbe exemplum bonorum operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, etc. (*Tit.* II, 7; *I Tim.* IV). Hinc etiam Gregorius doctor egregius in expositione Ezechielis dicit: Quisquis igitur in occulto bene vivit, sed alieno provectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est, quia et sibi ardet et aliis lucet. Item ipse: Qui enim, inquit, vitam suam ab aliis sciri refugiunt, sibimetipsis accensi sunt, sed aliis in exemplum luminis non sunt. Hi autem qui exempla virtutum prærogant, et lumen per vitam boni operis, et verbum prædicationis aliis demonstrant, jure lampades appellantur. Hinc etenim beatus Hieronymus ait: Innocens et absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Hinc enim satis evidenter ostenditur quod et conversatione et verbo omnibus esse debemus in exemplum.

Sed valde cavendum est solitariis ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant, ne pro ipsa laude in elationem aut vanam gloriam incidant, ne in ipso quidem pestifero vitio vanæ gloriæ ruant: oportet ut semper illud Apostoli exemplum in corde teneant: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). Et iterum: *Si gloriari oportet, non expedit quidem* (*II Cor.* XI, 30). Idcirco enim hoc dico quia satis rarum est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, et vana gloria non subripiat. Ille igitur modis omni-

humilitatem et mansuetudinem. Ignorat etiam divitias sæculi contemnere; ignorat semetipsum despicere. Non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, non assidua meditatione correxit. De cathedra enim transfertur ad cathedram, de superbia ad superbiam. *Non turpis lucri appetitorem*, ne de servitio Dei lucra terrena quærat. Turpis lucri appetitio est plus de præsentibus quam de futuris cogitare : solitarius enim habens victum et vestitum, his tantum contentus esse debet. Unde ait Apostolus : *Qui altari serviunt, de altari vivant* (*I Cor.* IX, 13). Vivant, inquit, et non, divites fiant. Oportet ut non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus : non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia hujusmodi solitarius nunquam requiescit. Non sit etiam murmurosus, quoniam scriptum est quod murmurantes a serpentibus perierunt. Non sit detractor, propter hoc quod scriptum est : *Qui detrahit fratrem suum eradicabitur* (*I Cor.* X). Non odium habeat in corde, quia scriptum est : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15). Non sit vaniloquus, quia scriptum est : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Non sit piger, propter hoc quod scriptum est : *Serve male et piger*, etc. (*Matth.* XXV, 26). Non sit somnolentus, nec aliis quibuslibet vitiis substratus, quatenus fiducialiter audeat dicere cum Propheta : *Ero immaculatus coram Deo, et observabo me ab iniquitate mea* (*Psal.* XVII, 24). Hucusque qualis non debet esse Dei servus ostendimus, nunc qualis esse debeat dicamus. Dei autem servum oportet esse pudicum, id est, a libidine continentem, et, ut ita dixerim, in tantum eum inter cunctos oportet esse eminentem, ut non solum ab opere immundo se abstineat, verum etiam et a cogitationis errore mens ejus sit libera. Oportet etiam eum esse justum, sanctum, continentem, abstinentem, hospitalem, bonorum operum amatorem, modestum, sobrium, patientem, benignum, humilem, charitativum, obedientem; et non solum a pravis actibus se abstineat, verum etiam ab oculi, et verbi, et cogitationis instinctu se contineat, et sic fiat ut dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro suis populorumque facinoribus valeat. Talis insuper sit idem solitarius, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant. Si enim talis fuerit et ista supradicta sectatus fuerit, tunc Dei minister utilis erit, et propositum suum, opitulante divina clementia, perfecte consummabit.

CAPUT XX.

Quomodo solitarii debeant esse docti, et qualiter alios doceant ac semetipsos discrete provideant.

Solitarius itaque debet esse doctor, non qui doceri indigeat; etiam debet esse sapiens et doctus in lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera. Multis modis etiam necessarium est solitariis, ut instructi sint in divinis eloquiis. Primum propter astutias et fraudes diaboli per quas seipsum solet in cordibus insipientium sæpe demergere. Deinde ut advenientium quorumdam corda arentia proximorum, fluentis rivis doctrinæ valeat irrigare. Nam et si quos habet discipulos, affatim possit instruere eos. In his denique, et in aliis quibuslibet rebus, scientia Scripturarum valde solitario necessaria est; quia si ei tantum sit sancta vita, sibi soli prodesse potest quod sancte vivit. Porro et si doctrina fuerit eruditus, potest cæteros quosque imbuere, et hæreticos, sive Judæos, seu alios quoslibet adversarios repercutere vel refutare; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex et apertus, plenus gravitate et honestate; plenus suavitate, gratiaque, et lenitate. Ipsius namque speciale officium est tractare de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ. Scripturas divinas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari, ut videlicet prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat; quia non omnibus una eademque semper exhortatio est adhibenda, sed unumquemque diversa exhortatione admoneat, juxta professionis morumque qualitatem. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero increpatio corrigit blanda. Sicut enim periti medici juxta vulnerum varietates diversa adhibent medicamina, ita et solitarius singulis quibusque congruum exhortationis adhibere debet remedium; et quid cuique oporteat pro ætate, pro sexu, ac professione annuntiet. Non omnibus quæ sunt clausa aperienda sunt : multi sunt enim qui capere non possunt. Rudibus præcipue hominibus atque carnalibus plana seu communia prædicanda sunt, non summa atque ardua. Unde et Apostolus ait : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Carnalibus quippe animis, ut diximus, nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena convenit dicere, sed mediocriter et discrete. Corvus enim dum suos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantumdem attendit donec paterno colore nigrescant, et sic illos frequenti cibo reficit. Ita et strenuus solitarius nisi eos quos monet viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, et nitore sæculari deposito, lamentationis habitum peccati recordatione induere, non expedit eis aperire intelligentiæ spiritualis profundiora mysteria; ne dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere quam venerari cœlestia præcepta. Propter quod et Dominus inter cætera ait : *Nolite mittere margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis* (*Matth.* VII, 6).

Hactenus autem diximus quam doctus vel quam discretus in doctrina debet esset solitarius. Nunc autem ad sententiam beati Gregorii venientes, videamus quam discreta circumspectione in docendo nosmetipsos oportet providere. Nos, inquit, quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quid sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine fra-

tribus consolamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut aliquando tales fuimus; et si jam divina gratia operante tales non sumus, oportet ut tanto eos temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his flagitiis aliquando fuisse agnoscimus. Si nos quoque tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare per pœnitentiam cupimus, videamus ne forte cor nostrum de ipsa innocentia superbiat, et in pejus quam hi quorum mala corrigimus ruat. Nam et alia eorum bona opera nobis ante oculos revocemus, quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus; quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati, posterius etiam ipsa possint bona, quæ nos ante accepimus, prævenire. His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

Sciendum vero est quia aliter convenit prædicare episcopis et presbyteris, atque aliter solitariis. Illis utique tanquam sibi commissis plebibus oportet arguendo, increpando, et obsecrando prædicare; istis vero non tanquam commissis, sed pro sola charitate convenit advenientes quosque spiritualium verborum dapibus reficere, et ad Dei servitium ut convertantur humiliter et secrete suggerere: non tamen eos oportet quasi pro gratia hominum acquirenda exhortationis rigorem reticere. Præterea quoque debemus et nos quotidie etiam tacendo prædicare; tunc etenim tacendo prædicabimus cum aliis hominibus formam bene vivendi præbebimus, et lucis exempla monstrabimus.

CAPUT XXI.

Ut solitarii lucis exempla omnibus dent; et ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant.

Vita ergo et conversatio solitariorum normam et exemplum ab Apostolo sumere debet, qui dixit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX, 22). In tantum enim idem Apostolus se imitabilem cunctis præbebat, ut cum fiducia clamaret, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI, 1). O quam felix, o quam secura conversatio Pauli, qui prætermittens prophetas et apostolos, cæterosque sanctos, jubet se imitari Christianos. Quapropter et solitarii, licet inferiores quam Paulus, tamen debent se imitabiles præbere omnibus. Nam sicut pretiosum atque præcipuum est in medio multorum bene agere, et plurimos ad profectum et exemplum boni operis incitare; ita periculosum ac perniciosum est negligentius agendo multorum fidem frangere multorumque animas depravare. Hoc autem ideo dico quia, quod pejus est, facilius inveniuntur qui ea quæ sunt deteriora quam qui meliora sectentur. Quamobrem sicut ille valde admirandus atque laudandus est cujus cursus bonus multorum est profectus, ita ille merito lugendus est cujus vita multorum ruina est. Plerique igitur solitarii prave viventes forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt. Hi autem quoscunque exemplo malæ conversationis suæ perdunt, simul cum eis procul dubio in æternum peribunt, si tamen in malo perseveraverint. Multo enim deteriores sunt hi qui sive exemplis, sive doctrinis, vitam moresque bonorum corrumpunt, quam illi qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim quæ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, auferunt; corruptores vero morum proprie nos ipsos decipiunt, quoniam divitiæ hominum mores eorum sunt.

Quapropter nos qui solitariam vitam expetimus, semper ea quæ ad ædificationem pertinent, agere studeamus. Videamus autem ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam nostra ira commaculet, iracundia violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra depravet, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet, ne aliorum ardentes exstinguamus lampades; ne, quod absit, simul cum fatuis virginibus a regno Dei excludamur. Sed tales nos econtra exhibeamus, ut nostra humilitas aliorum confundat superbiam, nostra patientia proximorum exstinguat iracundiam, nostra obedientia pigritiam aliorum tacite increpet, noster fervor aliorum teporem excitet. Tales insuper nos exhibeamus, ut cunctis in exemplo luminis simus. Unde Dominus præcipit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Hinc Paulus apostolus ait: *In omnibus ergo teipsum præbe exemplum bonorum operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, etc. (*Tit.* II, 7; *I Tim.* IV). Hinc etiam Gregorius doctor egregius in expositione Ezechielis dicit: Quisquis igitur in occulto bene vivit, sed alieno provectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est, quia et sibi ardet et aliis lucet. Item ipse: Qui enim, inquit, vitam suam ab aliis sciri refugiunt, sibimetipsis accensi sunt, sed aliis in exemplum luminis non sunt. Hi autem qui exempla virtutum prærogant, et lumen per vitam boni operis, et verbum prædicationis aliis demonstrant, jure lampades appellantur. Hinc etenim beatus Hieronymus ait: Innocens et absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Hinc enim satis evidenter ostenditur quod et conversatione et verbo omnibus esse debemus in exemplum.

Sed valde cavendum est solitariis ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant, ne pro ipsa laude in elationem aut vanam gloriam incidant, ne in ipso quidem pestifero vitio vanæ gloriæ ruant: oportet ut semper illud Apostoli exemplum in corde teneant: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). Et iterum: *Si gloriari oportet, non expedit quidem* (*II Cor.* XI, 30). Idcirco enim hoc dico quia satis rarum est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, et vana gloria non subripiat. Ille igitur modis omni-

bus se dedit ad exemplum pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit et vanam gloriam contemnit.

CAPUT XXII.

De his qui in regimine prodesse possunt, et propter quietam vitam præesse refugiunt.

Sunt nonnulli qui magnis muneribus sapientiæ et scientiæ ditati, dum solius contemplationis studio inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt. Qui nimirum si vocati culmen regiminum suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua et non aliorum lucra cogitant, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? Denique ipsa Veritas discipulis in Evangelio dicit: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (*Matth.* v, 14). Et iterum: *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Luc.* xi, 33). Hinc Petro ait: *Simon Joannis, amas me* (*Joan.* xxi, 15)? Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas* (*Ibid.*, v, 16). Si ergo testimonium dilectionis est cura pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. Si curam proximi sicut nostri gerimus, quasi utrumque pedem per calceamenta munimus. Qui vero suam cogitans, utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt etiam nonnulli qui ex sola humilitate aliis præesse refugiunt, ne his quos superiores sibi æstimant præferantur: quorum profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter subire præcipitur pertinax non est. Neque enim vere est humilis, qui superni nutum arbitrii ut debeat præesse intelligit et tamen contemnit. Cum enim sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus aliis præesse et prodesse possit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. Huc usque beatus Gregorius. Nam de eadem re ait sanctus Isidorus: Vir, inquit, ecclesiasticus et crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, et dispensationem ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat. Multis intercipit Satanas fraudibus eos qui vitæ sensus et utilitate præstantes præesse et prodesse aliis nolunt; et dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitrantes otiosam vitam degere quam lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentis eos per speciem boni, ut dum illos a pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant qui eorum verbis atque exemplis instrui poterant.

CAPUT XXIII.

De vita et moribus solitariorum, et qualiter eis in solitaria vita conversandum sit.

Beatus igitur Paulus apostolus de nostra vita ac conversatione, ut ita dicam, sollicitus, more paterno nos admonet dicens: *Videte vocationem vestram*, etc. (*I Cor.* i, 26). Quapropter et nos videamus vocationem nostram, quia aut aliquid aut nihil prodest quod solitariam vitam expetimus, si tales in ea sumus quales in sæculo esse potuimus. Venire quidem ad solitariam vitam summa perfectio est, sed non perfecte in solitudine vivere, summa damnatio est. Quid enim prodest si locus quietus tantum corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid, inquam, prodest si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vitiorum sit tumultus, et conluctatio passionum, si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas? Non ideo ad solitariam vitam venimus, ut rebus omnibus abundantes omni quiete frueremur. Non utique ad requiem nec ad securitatem, sed ad pugnam huc venimus, ad agonem processimus, ad exercenda cum vitiis bella properavimus. Vitia enim nostra hostes nostri sunt. Caveamus autem ne unquam cum eis habeamus fœdus. Necessaria enim nobis est pervigil cura indefessaque custodia, quia hostis iste sine pace est: vinci potest, et recipi in amicitia non potest. Et ideo prælium istud quod suscipimus satis arduum, satis durum, satis periculosum est, quia intra hominem geritur et nisi cum ipso homine non finitur. Ideo ergo ad hanc tranquillam, secretam et *spiritua*lem vitam venimus, ut quotidie contra passiones nostras infatigabili congressione decertemus, ut cordis nequitias circumcidamus vel linguæ gladium retundamus. Turrim namque excelsam exstruere volumus, præparemus nobis sumptus ad structuram, ut cœptum ædificium ad perfectionem deducamus; ne quando prætereuntibus veniamus in derisum, et gratulentur de nobis inimici nostri, et dicant: Isti cœperunt ædificare, et non potuerunt consummare. Avertat autem Dominus hoc improperium a nobis (*Luc.* xiv, 30). Hæc enim turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus animæ; nec auri et argenti sumptibus indiget, sed conversatione fideli: nam terrenæ opes plurimum ad ædificandum impediunt. Difficile namque est duobus dominis servire, nec potest quisquam serviens mammonæ spiritualia arma portare, sed jugum suave Christi repellit et projicit a se; et quidquid grave et onerosum est animæ suæ, suave ei videtur ac leve. Istiusmodi solitarius a propriis armis vulneratur, et cum diligit periculum, incidit in mortem. Nos autem si cupimus militare Deo, illi soli serviamus, et terrenas opes postponamus. Peculiariter autem ad professionem nostram pertinet, nihil honoris in hac vita requirere, sed honores fugere, et ad æternæ remunerationis promissa animum præparare, subjectione atque ab-

jectione gaudere, voluntariam paupertatem amplecti, et non solum facultates, sed etiam ipsas cupiditates de cordibus nostris eradicare; quia nihil prodest non habere divitias, cui voluntas suppetit habendi eas. Non enim tantum habere debemus, quantum cupiditas concupiscit, sed quantum necessitas poscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis et plus torquetur in minimis. Est autem et alia causa valde dura et nimis dolenda, hoc est omni intentione studium laboris impendere, et fructum non recipere post laborem. Quid enim prodest jejunare et vigilare, et mores non corrigere? Sic est quomodo si aliquis extra vineam aut circa vineam exstirpet et excolat, et vineam ipsam desertam ac incultam relinquat, ita ut spinas et tribulos germinet. Aut quid prodest afflictio corporalis, si linguæ nequitiis et obtrectationibus polluamur, cum apostolus dicat: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jac.* I, 26). Nonne omne opus nostrum velut fumus atque umbra evanescit, et velut favilla stupæ in nihilum redigitur? Quapropter frustra nobis de corporis cruce et pectoris afflictione blandimur, si exterior homo noster, hoc est corpus nostrum, sanctis laboribus exercetur, et interior a passionibus, hoc est, a detractione, ab ira, ab indignatione, ab hypocrisi et cæteris hujusmodi vitiis non curatur. Hujusmodi quippe solitarius talis videtur mihi esse, quomodo si a foris statuam aeream faciat aliquis quæ intro lutea sit; vel quomodo si domus magnifica arte exstructa, a foris pulcherrimis depicta videatur coloribus, ab intus serpentibus et scorpionibus plena sit. De talibus enim Christus in Evangelio dicit: *Væ vobis, hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris hominibus parent speciosa; intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 27). Ipse quoque Dominus velut pius medicus hac de causa nobis infirmis paulo superius dat consilium, dicens: *Munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod deforis est, mundum* (*Ibid.*, *v.* 26). Hoc est, munda prius cor tuum ab omni hypocrisi et iniquitate, et ab omni ira et detractione, et tunc erit opus tuum lucidum totum, et non habens aliquam partem tenebrarum.

CAPUT XXIV.

Item de eadem re quæ supra.

Certi enim simus, secundum Domini nostri sententiam superius dictam, quod nisi nostras quotidie caveamus et circumcidamus passiones, deteriores nos multum effici quam fuimus dum in sæculo viveremus, ita ut fiant extrema nostra pejora prioribus. Quapropter non solum nobis a capitalibus criminibus caveamus, sed etiam ipsas parvas negligentias quotidie quasi venenum diaboli respuamus. Sicut enim per minutissimas rimulas in sentinam navis guttæ concurrunt, sic et minuta peccata quotidie in animas nostras confluunt. Et sicut navis posteaquam de fluctibus pelagi evasit, si in portu exsentinata non fuerit, de minutissimis guttis impletur et mergitur; ita et solitarius, devictis et superatis mundi hujus criminibus, quasi periculosis fluctibus, cum ad portum solitudinis venerit, si repentina et minuta peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso quietis portu naufragii discrimen incurrit.

Sed dicit aliquis: Quomodo potest anima exsentinari? Utique orando, vigilando, jejunando, abstinendo, ipsa peccata confitendo, veram charitatem, veram humilitatem, veram patientiam exhibendo. Quanquam enim solitarius sit justus et sanctus, nunquam necesse est ut in hac vita sit securus, quia, ut ait Scriptura: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futuro reservantur incerta.* Multi enim adhuc laquei tensi sunt ante pedes animæ nostræ. Sicut enim quis transiens super flumen, per angustias arctissimi pontis, etiamsi majorem partem inoffenso pede jam periculi evasisse se credat, cum in ultimo pontis spatio venerit, et si paululum titubaverit, casum quem in medio pontis timebat, incurrere poterit. Sic nos etiamsi magna pars vitæ istius prospere videatur jam fuisse transacta, non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculi pars extrema minetur. Nemo ergo securum se esse judicet, antequam ad finem felici consummatione perveniat. Quid ergo prodest si mihi vinea spem omnem in flore ostendat, et vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis, spem omnem in consummatione subducat? Ideoque omnis prosperitas, omnis labor felicitatis in fine consistit. Ne ergo nimia securitate solvamur, adducatur ille Domini sententia in medium, de qua dicitur: *Utinam calidus esses, aut frigidus! nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15). Ac si dicatur: Melius tibi fuerat in sæculo remansisse frigidum, quam in solitaria vita esse tepidum. Nunc autem quia de sæculo recessisti, et fervorem spiritualem præ negligentia apprehendere noluisti, tepidus effectus es, vix iterum ex ore Domini respiciendus evomeris. Et ideo necesse est nobis diligenter attendere illam divinæ Scripturæ sententiam dicentis: *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23). Oportet itaque ut invicem opera nostra quotidie consideremus et perspicaciter attendamus: quis nostrum in opere Dei sit promptior, quis in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in lacrymarum ubertate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior; quis in ira sit mitior, in mansuetudine modestior, in risu rarior, in compunctione fervention, in gravitate fundatior, in charitate jucundior; et sic nosmetipsos quotidie ipsi nobiscum de conversatione nostra rationem habeamus ad invicem dicentes: Videamus si hunc diem sine peccato, sine invidia, sine murmuratione, sine ira ac detractione transegimus. Videamus si hodie aliquid quod ad profectum nostrum et ad ædificationem aliorum pertinet, operati sumus. Videamus si plus hodie risui, si plus cibo ac potui, si plus otio ac somno quam decebat, indulsimus. Si minus legimus, si minus oravimus quam debuimus: ac sic de omnibus negligen

tils nostris compungamur in cubilibus, hoc est, in A cordibus nostris; et si aliquod bonum in nobis, Domino largiente, conspicimus, illi, a quo est omne bonum, gratias referamus. Si vero, quod absit, aliquod vitium in nobis deprehenderimus, illud nobismetipsis reputemus, et ad pœnitentiam denuo recurramus. Hæc autem quæ supra breviter prælibavimus, generaliter ad omnes pertinent solitarios; et non solum ad eos, verum etiam ad omnes Dei servos et catholicos Christianos. Præterea quoque si duo fuerint simul, ita ut præfatum est, solitarii, oportet ut non otio torpeant, non detractionibus et obscenis confabulationibus incumbant, sed aut psalmorum modulationibus, aut divinis lectionibus, aut certe manuum operationibus insistant, horas canonicas cum omni devotione custodiant, et in his divinum officium im- B pleant, moxque ut datum fuerit signum, ad oratoria propria conveniant. Quotidie quoque ad collationem simul veniant, ubi de Dei servitio et de communi profectu tractent, et pro admissis sibi invicem veniam postulent. Si autem unus solummodo fuerit solitarius, ipse etiam quotidie collationem secum habeat. Sedeat quidem quotidie in tribunali mentis suæ, et statuat se ante faciem suam, atque ita in corde suo constituto judicio adsit accusatrix ejus cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: deinde sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat; postremo in conscientia sua se indignum et peccatorem fore judicet. Hæc quidem de uno.

Si autem, ut prædictum est, duo fuerint, honorem sibi invicem humiliter deferant. Junior natu C eum qui ætate senior est obsequio sanctitatis veneretur: senior vero ætate juniorem dictis et exemplis ad bene vivendum informet. Nobilis genere nequaquam ignobili se præferat. Sciat autem quia non est personarum acceptio apud Deum. Neque enim is, qui scientiæ doctrinis, et cæterorum bonorum operum prærogativis pollet, se alteri præferat, sed potius de muneribus sibi divinitus collatis Deo gratias agat, semper illud Apostoli perpendens, quo dicitur: *Qui se stare putat, videat ne cadat* (*I Cor.* x, 12). Et illud Hieronymi: Timendum est, inquit, et cavendum, ne veterem gloriam et solidam firmitatem unius horæ procella subvertat. Charitatis autem officio se alterutrum humiliter præveniant. Ad illo- D rum autem infirmitates procurandas invicem condescendant, et eorum necessitates invicem provideant: et quotidie, si locus ita fuerit congruus, ita pariter reficiantur utrisque et spiritualibus et carnalibus dapibus. Una prosperitas sit utriusque similiter et adversitas, si forte contigerit. Unius voluntas alterius voluntati succumbat. Utrorumque illorum voluntates Domini voluntati, imo servituti subjiciantur; et non quod singuli singillatim cupiunt, sed quod utrique disponunt, agant; illam Dominicam semper reminiscentes sententiam: *Non veni*, inquit, *voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me, Patris* (*Joan*, vi, 38).

CAPUT XXV.

De instrumentis bonorum operum.

Cum ergo omnium sanctarum Scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum sint refertæ, et per earumdem sanctarum Scripturarum campos inveniri possint arma quibus vitia comprimantur et virtutes nutriantur, necesse est tamen huic regulæ sententiam cujusdam Patris inserere de instrumentis bonorum operum; in qua sub magna brevitate quid solitariis agendum quidve vitandum sit, continetur. Oportet enim eos 1. Imprimis Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. 2. Deinde proximum tanquam seipsum. 3. Deinde non occidere: hoc est, non detrahere; quia, ut ait apostolus: *Qui detrahit fratri suo, homicida est* (*Joan.* III). 4. Deinde non adulterare. 5. Non furtum facere. 6. Non concupiscere. 7. Non falsum testimonium dicere. 8. Honorare omnes homines. 9. Et quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat. 10. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. 11. Corpus castigare. 12. Delicias non amplecti. 13. Jejunium amare. 14. Pauperes recreare. 15. Nudum vestire. 16. Infirmum visitare. 17. Mortuum sepelire.

Quærendum est itaque quomodo possit solitarius infirmum vel in carcere positum visitare, aut mortuum sepelire, qui non habet quidem facultatem de cellula foras exire. Infirmum enim, vel in carcere positum, ille procul dubio visitat, qui in lecto vel in tenebris vitiorum videt aliquem jacere, et morbo suæ iniquitatis laborare, eumque suo exemplo operationibus atque antidoto salubris exhortationis roborat, quem in bona actione titubare ac debilitari cernebat. Mortuum quoque ille sepelit qui *pro* eo devote seduleque preces ad Dominum fundit: non solum autem mortuum sepelit, sed etiam eum, ut ita dicam, a morte suscitat, quando videt aliquem funibus peccatorum suorum obstrictum, et in tenebris suæ iniquitatis quodammodo sepultum, eumque ad confessionem ac pœnitentiæ lamenta per sacræ admonitionis studium provocat, atque ut ad viam salutis redeat salubriter instigat. Quocirca sciendum est nobis quia major merces est, peccatorem suscitare de vitiis quam mortuum de sepulcro. Sequitur. 18. In tribulatione subvenire. 19. Dolentem consolari. 20. A sæculi actibus se facere alienum. 21. Nihil amori Christi præponere. 22. Iram non perficere. 23. Iracundiæ tempus non reservare. 24. Dolum in corde non tenere. 25. Pacem falsam non dare. 26. Charitatem non derelinquere. 27. Non jurare, ne forte perjuret. 28. Veritatem corde et ore proferre. 29 Malum pro malo non reddere. 30. Injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre. 31. Inimicos diligere. 32. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. 33. Persecutionem pro justitia sustinere. 34. Non esse superbum. 35. Non vinolentum. 36. Non edacem. 37. Non somnolentum. 38. Non pigrum. 39. Non murmurosum. 40. Non detractorem. 41. Spem suam Deo committere. 42. Bonum aliquod in se cum viderit, Deo ap-

plicet, non sibi. 43. Malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet. 44. Diem judicii timere. 45. Gehennam expavescere. 46. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. 47. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. 48. Actus vitæ suæ omni hora custodire. 49. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. 50. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere. 51. Et seniori spirituali patefacere. 52. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. 53. Multum loqui non amare. 54. Verba vana, aut risui apta, non loqui. 55. Risum multum et excussum non amare. 56. Lectiones sanctas libenter audire. 57. Orationi frequenter incumbere. 58. Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri; et de ipsis malis in reliquo emendare. 59. Desideria carnis non perficere: voluntatem propriam odisse. 60. Præceptis seniorum in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter, quod absit, agant; memores illius Dominici præcepti: *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII). 61. Non velle dici sanctum antequam sit; sed prius esse, quod verius dicatur. 62. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. 63. Castitatem amare. 64. Nullum odisse. 65. Zelum et invidiam non habere. 66. Contentionem non amare. 67. Elationem fugere. 68. Seniores venerari. 69. Juniores diligere. 70. In Christi amore pro inimicis orare. 71. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. 72. Et de Dei misericordia nunquam desperare.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis; quæ cum fuerint a nobis die noctuque ineffabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa nobis merces a Domino recompensabitur, quam ipse promisit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (*I Cor.* II, 9). Officina vero ubi hæc diligenter operemur, claustra vel cellulæ sunt solitariorum, et stabilitas in retrusione.

CAPUT XXVI.

De observatione mandatorum Dei.

Omnibus quidem Christianis expedit observare et obedire mandatis Domini nostri Jesu Christi, et maxime solitariis. Sed sciendum nobis est quod ad conservandam memoriam Dei, et ad obediendum præceptis ejus plurimum prodest etiam secretius et remotius habitare. Nam permixtim vivere cum his qui negligentius agunt circa timorem Dei, et contemptum habent mandatorum ejus, plurimum nocet; sicut et Salomonis sermo testatur dicens: *Cum homine irreligioso ne habitaveris, ne forte discas semitas ejus, et facias laqueos animæ tuæ* (*Eccli.* XXXVII, 12). Et iterum: *Ne æmuleris hominem injustum, ne imiteris vias ejus* (*Prov.* III, 31). Unde et Petrus apostolus ait: *Justum igitur et valde justum est separari eum qui salvari vult, ab eo qui non vult.* Hinc Paulus sub magna denuntiatione dicit: *Denuntiamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante* (*II Thess.* III, 6). Hinc etiam Hieronymus ait: Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, et ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge: corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ. Tu aurum contemnis, alius diligit; tu calcas opes, ille sectatur; tibi cordi est mansuetudo, silentium, secretum; illi loquacitas. Hic satis evidenter ostenditur quod plurimum impedit societas et permixtio eorum qui vitam dissimilem ducunt.

Igitur ut neque per oculos, neque per aures recipiamus malas delectationes ad peccandum, et ut orationi possimus vacare liberius, oportet omnino habitare secretius atque remotius: hoc enim modo et præcedentes consuetudines a nobis excidere poterimus, in quibus contra præcepta Dei agebamus. Non enim parvus labor est ut se aliquis a priori non bona consuetudine reflectat ac revocet. Unde illud vulgare proverbium dicitur: Mala consuetudo aut vix aut nunquam tollitur. Quapropter si volumus mandata Dei observare et custodire, studeamus primo omnium nos ipsos abnegare, et crucem Christi tollere et sic eum sequi. Ipse Dominus ad amorem sui et observationem mandatorum suorum nos provocat, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate* (*Joan.* XIV, 15). Et iterum dicit: *Qui habet mea mandata, et servat ea, ille est qui diligit me* (*Ibid.*, *v.* 21). Tunc namque diligimus Deum, si ejus mandata servamus, et omnia visibilia pro amore ejus contemnimus. E contrario tunc nequaquam eum diligimus, cum ejus præcepta non custodimus. Unde Joannes apostolus ait: *Qui dicit quoniam diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* IV, 20). Vere enim diligimus Deum, si ejus mandata observamus. In operatione autem mandatorum ejus cognoscere possumus utrum Deum diligamus an non. Non enim ordinem mandatorum Christi hic inserere per omnia disposuimus, sed ex parte, et quantum ad propositum nostrum sufficit, et præsens ratio postulat. A parte enim totum intelligitur. Primum itaque ea commemorare oportet quæ nos ad amorem Dei et proximi provocent, id est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis; hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 37). Unde beatus Gregorius ait: Præcepta Dominica multa sunt et unum. Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Si in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ, et si utilitas omnium mandatorum una est, et si omnia mandata unum esse videntur, tunc non est nobis necesse cuncta mandata Dei in hoc capitulo sigillatim inserere. Sed videamus quid sit quod nobis præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quid enim est Deum ex toto corde diligere, nisi ut cor nostrum non sit inclinatum ad ullius dilectionem amplius quam Dei? Verbi gratia, si aurum, si argentum, si varias possessiones et ho-

nores temporales, si mancipia, et animalia, cæteraque hujusmodi toto affectu diligimus, Deum ex toto corde non amamus. Pro quanta enim parte in aliquo horum amor cordis nostri fuerit occupatus, pro tanta parte minus est ad Deum, et pro tanta parte minus diligimus Deum. Sicut enim casta mulier, quæ virum suum amat, nullum alium amat, ita et homo, si Deum amat, mundum non amat : si autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non diligit. Et ideo reflectamus cor nostrum, et mentem nostram, et omnes actus nostros ab amore visibilium rerum, et Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligamus. Tunc enim Deum diligimus, si omnes sensus nostri, qui pertinent ad mentem, Deo vacant : si intellectus noster Deo ministrat, si sapientia nostra circa Deum est, si omnis cogitatio nostra ea quæ Dei sunt tractat. Tunc etiam vere Deum diligimus, si semper de ejus servitio cogitamus et loquimur, et ejus mandata juxta vires adimplere satagimus. Deus enim non se verbis tantum vult diligi, sed corde puro et operibus justis. Non postulat a nobis aurum neque argentum, neque aliquid hujusmodi ; sed si fuerint nobis ista, dispertiri egentibus præcipit. Nos ipsos quærit, in nobis requiescere cupit. Hoc solummodo a nobis exigit ut eum ex toto corde diligamus, et mandata ejus custodiamus, et templa nostra impolluta ei servemus, quatenus ipse semper in nobis habitet, et nos in illo permaneamus. Quapropter accedamus ad eum et copulemur in affectu ejus.

Sequitur : *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum. Qui diligit proximum*, inquit Apostolus, *legem implevit* (*Rom.* XIII, 8) ; qui autem e contrario odit, homicida est. Qui proximum suum diligit sicut seipsum, non occidit illum, non mentitur illi quem diligit, non falsum testimonium de eo dicit, nec illius rem concupiscit ; non insuper hoc quod non vult ut faciat ei aliquis, facit illi quem sicut seipsum diligit. Sequitur : *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40) ; jam enim supra diximus, ut omnium mandatorum una est utilitas, et omnia mandata unum videntur esse mandatum, ita sibi invicem cohærent, ut alterum sine altero esse non possit. Nec enim Deus vere sine proximo, nec proximus vere diligitur sine Deo. Nam, sicut supra diximus, impossibile est omnia mandata Dei in hoc capitulo inserere, sed breviter succincteque ea commemoravimus quæ nos ad amorem Dei possint excitare. Sciendum tamen nobis est quia non solum præcepta evangelica, verum etiam prophetica et apostolica mandata diligentissime scrutari, et fidelissime observare, et obedire eis debemus. Ideoque studeamus Deum ex toto corde diligere, et mandata ejus scrutari, et semper ante oculos mentis habere, et ea non ex parte, sed per omnia diligere ; quatenus illam beatitudinem consequi mereamur quam ille hymnidicus rex et propheta commemorat dicens : *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* (*Psal.* CXVIII, 2). Studeamus etiam, fratres mei, et proximos nostros ut propria viscera diligere, ut simul cum eis ad gaudia sempiterna feliciter pervenire et gaudere mereamur.

CAPUT XXVII.

Lamentabilis descriptio de his qui præcepta Christi non observant.

De præceptis ergo Domini nostri Jesu Christi unum adhuc capitulum excipere volui ; sed cum reminiscerer quod istis temporibus pene jam nemo sit qui ea observare valeat vel satagat, majus mihi desiderium extitit flendi quam scribendi. Merito enim lugendum est præsentis vitæ tempus, in quo tot mala tantaque flagitia videmus quotidie cumulari ; quæ si velimus per singula considerare, nunquam poterimus a lacrymis temperare. Sic autem omnia confusa, sic cuncta sunt resoluta, ut jam nec virtutis quidem vestigium usquam appareat. De spurcitiis enim et luxuriis, atque de cæteris nequitiis, nostris diebus mundum repletum esse perspicimus : et, quod est omnium malorum infelicius, jam nec ipsi emendamur, nec aliis emendandi exemplum præbemus ; sed sumus velut sepulcra dealbata, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Et contigit nobis hoc quod illis solet evenire qui vel phrenesin patiuntur, vel mente capti sunt ; a quibus cum multa turpia et periculosa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris aliquid, nec etiam pœnitudinis capiunt, quinimo, et magnifici sibi ac sapientiores videntur esse sanis ac sapientibus. Ita ergo et nos, cum omnia quæ sanitati contraria sunt gerimus, nec hoc ipsum quidem quod est sanitas novimus. Si forte enim in corpore parum aliquid morbi nos pulsaverit, statim medicos adhibemus, et pecunias eis damus, et omni observantia, quod nobis competit, gerimus, nec prius cessamus quam ea quæ nobis molesta sunt mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ipsa nos cura sollicitat. Certum est enim quod nos omnes pariter corrumpit et absumit incuria, dum nemo est qui opportuna præbeat et inopportuna prohibeat, et cum omnes cura indigeamus, nemo est qui medicinam prædicationis adhibeat et pœnitentiam curationis imponat. Etenim si religiosus homo aliquis extrinsecus undecunque in his partibus adveniret, et præceptorum Christi ac nostræ conversationis confusionem videret, nescio si alios aliquos magis quam nos inimicos esse et contrarios præceptorum Christi judicaret, et quasi qui studium quoddam habuerimus in omnibus contraria agere quam Christus nobis præcepit. Sed ne quis putet forte exaggerationis causa a me hæc verba proferri, prohamenta jam nunc adhibebo, non aliunde quam de ipsis Christi mandatis ; Christus enim noster in Evangelio ait : *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo,*

racha, reus erit concilio ; qui autem dixerit, fatue, A *reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 21, 22). Hæc quidem Dominus Jesus. Nos autem tanquam increduli et infideles calcamus hanc legem, et quotidie innumeris injuriis fratres nostros afficimus, quasi inde aliquid præmii exspectemus. Sed videamus nunc quantum sit inter justitiam Pharisæorum et Christianorum discrimen. Illos occisio reos facit judicio, nos autem ira similiter reos facit judicio. Et si nos ira reos facit judicio, quomodo audemus quotidie tam leviter non solum contra juniores, verum etiam contra æquales ac majores nostros irasci? Non solum autem de ira, verum etiam de omni verbo otioso, secundum ejusdem Domini nostri sententiam, reddituri sumus Deo rationem. Racha enim dicitur inanis et fatuus. Et cum frater noster ita B credat in Christum sicut et nos, quomodo illum audemus inanem, vel fatuum, vel absque mente vocare? Nam quod Dominus racha et fatue dicit, hoc ostendit quia nec leve quidem, nec minimum in fratre collatum convicium nobis relaxabitur, ut non pro omnibus judicemur, nisi læso satisfecerimus, et condignam pœnitentiam in hac vita agamus. Et ideo de istis levioribus mandatis sententiam dedit nobis Christus, ut et de cæteris omnibus quæ prævaricamur similiter sentiamus. Præterea quoque in tantum humanus metus timori Dei præponitur, ut si fortiores ac potentiores nostri aliquam injuriam aut contumeliam nobis faciant, ipsas etiam prompte et mansuete sustinemus ; erga coæquales vero vel in- C feriores interdum nec læsi commovemur et irascimur. Quis ergo erit immunis aut alienus ab hac culpa? Si autem miles terrenus in conspectu regis terreni non ausus est irasci, neque aliquid suæ indignationis ante oculos ejus ostendere, quomodo audemus coram Rege æterno irasci, et indignationem nostram ante faciem ejus ostendere? Rex ergo terrenus deforis tantum videt hominum corpora, et ipsa solummodo habet in potestate : Rex vero cœlestis cordis nostri conspicit arcana, et potestatem habet utrumque, et corpus et animam, perdere in gehennam. Propter quod nec erga famulos quidem negligendum est istud præceptum : neque enim sine causa debemus contra ipsos irasci, quia et illi a Christo simili ut nos libertate sunt donati. Neque D etiam si aliquem videmus mandatum Domini præterire, irasci contra eum debemus, sed potius miserationem et compassionem erga illum nos habere oportet, secundum eum qui dixit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (*II Cor.* xi, 29)? Illud autem quod in sequentibus habetur, quis non infidelium etiam fabulosum judicet, cum æterna Dei voce sancitum sit? ait enim : *Si autem offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo ; et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* v, 23). Nos autem e contra pugnas habentes ad invicem, et dolos in corde versantes, accedimus ad altare Dei. Et cum Deus et Dominus tantam curam reconciliationis nostræ habeat, ut patiatur munera sua relinqui, et ante altare imperfecta manere, atque interrumpi mysteria sua, donec eamus, et iracundiam cum fratribus nostris solvamus, et nodos et inimicitias : nos vero nec hoc quidem erubescimus, sed dies multos manemus in inimicitiis, et trahimus sicut funem longum iram et voluntatem malam, ignorantes quod tantum longa erit nobis pœna quantum et discordia. Hoc etiam ad cumulum nostræ confusionis est, ut si quid boni nobis dicatur de inimico, non credimus ; si quid autem mali, hoc solum credimus et confirmamus. Et si forte irasci nobis accidat, præcipit Dominus ut ante solis occasum iracundiam nostram finiamus. Unde dicit : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv, 26). Nos autem e contra ne hoc quidem contenti sumus ut iracundiam nostram ultra solis terminum produceamus, sed insidias invicem ponimus, et sive verbis sive rebus supplantare proximos nostros cupimus. Nam osculum pacis quo tempore munera sacra offeruntur, porrigere invicem in usu habemus ; sed vereor ne plures ex nobis hoc labiis tantummodo faciant, cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret. Unde per hæc Deus potius exacerbari quam placari credendus est. Puritas enim et veritas in conspectu Dei placent ; respuit autem et odit omne quod simulatur et fingitur. Nam pro his singulis lacrymæ nobis fundendæ sunt, et confusio habenda est. Cætera vero præcepta quæ restant, in sequenti capitulo, ob compendii causam, breviter et diligenter discutienda relinquimus.

CAPUT XXVIII.

Item de eadem lamentatione quæ supra.

Jam vero quæ de consentiendo adversario, vel de concupiscentia illicita, et de oculo dextro, et de manu dextra, et de relinquendis uxoribus præcipiuntur (*Matth.* v), quasi nec scripta sint nec audita, ita contemnuntur. In oculo enim dextro et manu dextra parentes nostros atque propinquos intelligimus : quod si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento sunt, debemus truncare istiusmodi portiones ; ne dum volumus cæteros lucrifacere, ipsi in æternum pereamus. Nam de non jurando erubesco proferre in medium, non solum propter juramenta, sed etiam propter perjuria. Si enim vere jurare crimen est et prævaricatio mandati, de perjurio quid dicamus? Evangelica autem veritas juramentum non recipit, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Post hæc autem Dominus ait : *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi et alteram ; et volenti tecum judicio contendere, et tunicam tuam auferre, relinque illi et pallium. Et si quis angariaverit te mille passus, vade cum illo alia duo. Petenti te, da ei. Et volenti mutuari a te, ne avertaris* (*Matth.* v, 39). Ad hæc enim quid dicimus? Pro singulis autem his lacrymæ nobis tantummodo proferendæ sunt, et confusio habenda est : aperte enim contra hæc omnia militamus. Pati autem ali-

quid ex his quæ scripta sunt ac ferre, neque in verbis, neque in rebus unquam volumus. Sed etsi in aliquo saltem vel leviter pulsemur, continuo velut feræ bestiæ contra eos insurgimus. Sed licet nos in omnibus contraria agamus quæ præcipit nobis Christus, tamen eminentius ab eo docemur; qui diripuerit, inquit, quæ tua sunt, qui te læserit, qui tibi nocuerit, non solum pro his quæ tibi abstulit, non indigneris; sed et dilige, et tota charitate constringe, et etiam pro ipso ad Deum diligenter preces funde. Ac si dicatur : Cum ille qui ad diripienda quæ tua sunt iniquo spiritu fuerit accensus, si te prolixiorem invenerit in largiendo quam ille venerat in diripiendo, quamvis ille sit ferus et barbarus, erubescet tamen bonitatem tuam, mitigabitur a furore, resipiscet continuo et facti pœnitebit, ac suum quidem peccatum exhorrescet, tui vero animi virtutem mirabitur et amabit. Sed hoc ubi nunc invenio? Cujus enim talem vitam mirabor? Neminem autem nunc invenire queo qui hanc injuriam patienter ferre velit. Christus enim nos orare pro persequentibus et calumniantibus jubet; nos autem non solum contra inimicos, sed etiam contra amicos sæpe inimicitias et insidias ponimus. Christus maledicentibus benedici jubet, nos e contra non solum multiplicatas maledictiones restituimus, sed etiam, si possumus, pro verbis flagellis eos cædimus. Nonne tibi videntur, o homo, omnimodis contraria esse, ut dixi, præceptis Christi quæ gerimus? Nonne magis pugnam habemus contra mandata ejus, quam obedientiam? Et ideo merito lugemus, et inobedientiam nostram merito plangimus. Sed dicit aliquis : Impossibilia nobis præcipit Christus. Quid agis, o homo? nunquid ignoras quid David in Saul fecit? Quid Stephanus martyr, qui pro lapidantibus exoravit? Oblitusne es quid ipsemet Christus docuit et fecit, dicens : *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34)? Volentibus enim observare Christi præcepta, non sunt impossibilia, sed levia; nolentibus vero et inobedientibus videntur esse dura et impossibilia, cum idem Dominus dicat : *Onus meum leve, et jugum meum suave* (*Matth.* XI, 30). Jam vero quid dicam de hoc quod scriptum est in oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12)? Quisnam est ex omnibus nobis qui cum fiducia hæc Deo dicere audeat? Nam etsi nihil faciamus inimicis et debitoribus nostris, habemus tamen intra nos insanabile vulnus iræ retentum in corde. Et si tantummodo non lædas eum qui te læsit, avertis te tamen ab eo, nec libenter eum vides, manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augescit in corde. Nunquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum, ut non quidem te lædat, avertat se tamen abs te, et peccatorum tuorum memoriam teneat et videre te nolit? Igitur qualem vis esse erga te Deum, cum peccatorum veniam poscis, talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te, sicut et sapientium quidam dixit : *Homo homini servat iram, et a Deo* A *quærit medelam* (*Eccli.* XXVIII, 3). Et si homo erga hominem non habet misericordiam, quis propitiabitur delictis ejus? Vellem silere jam et huc usque progressus finem sermonibus meis imponere. Erubesco enim et confundor ultra procedere. Sed quid iterum tacere proderit, cum ab ipsis mandatis Christi, quæ impugnamus, silenter etiam arguamur? Quomodo autem latebimus, cum qui novit corda nostra, judicaturus est ea? Quid ergo dicam de illo mandato quo jubemur non thesaurizare super terram? Cæteri vero quasi e contrario audierint præceptum, et quasi dictum sit ad eos : Thesaurizate omni modo super terram; ita relinquentes cœlum adhæserunt terræ, et insaniunt erga pecunias congregandas, totoque affectu odiunt Deum, diligunt autem B mammonam. Quod autem dictum est. *Nolite cogitare de crastino*, nec audire scio aliquem, nec omnino servare. Et propterea de hoc mandato dicere aliquid erubesco. Etenim oportebat nos quocunque pacto loquente Christo et pronuntiante non dubitare, sed credere. Nunc vero etiam cum et causas et rationes adhibeat mandatorum suorum, atque exemplis ea validissimis muniat, nec sic quidem erubescimus. Propter hoc enim et avium quæ non arant, neque seminant, et liliorum, quæ non nent, similitudines posuit, ut nemo dubitaret, et tamen nos sicut gentes, aut forte etiam aliquid desperabilius gentibus de his cogitando consumimur. Sed de hoc, ut dixi, mandato plura dicere erubesco, ad sequentia tamen veniam, si forte alicubi solatium qualecun- C que mei pudoris inveniam. Quid ergo sequitur post hæc? *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Matth.* VII). Ego enim solatium mei pudoris invenire *credebam*, augmenta nunc confusionis reperi. Si autem nullum nobis peccatum aliud fuisset admissum, pro hoc solo gehennæ nos tradi satis abundeque sufficeret; quippe qui in alienis delictis severi et amarissimi judices residemus, nostras autem trabes in oculis propriis infixas non videmus : a quo vitio neque sæculi hominem, neque monachum, neque etiam solitarium ullum facile reperies liberum. Neque etiam de hoc exhorrescimus quod idem ipse ait : *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini* (*Ibid.*). Nam dic mihi, quid laboris habet ut non judices alium? Nos autem qui cum possimus sine labore manda- D tum Dei servare, laboramus et nitimur ut illud prævaricemur. Quia et revera ipse pronuntiavit de præceptis suis quod nihil in eis onerosum sit, sicut paulo ante retuli, id docens : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Nos namque e contra gravia efficimus quæ ille levia constituit. Quamvis enim sint aliqua in quibus paululum laboris adhibendum est, tamen quidquid ipse præcepit leve est, etiam si sit tribulatio. Et si tribulatio, quomodo leve est? Leve, inquam, est, quia immensum pondus futuræ gloriæ levem facit præsentis temporis tribulationem. Sequitur : *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Nos vero e contra laudis

amore et jactantiæ vitio corrupti, etiam huic præcepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purum habentibus, neque fidem sanam retinentibus, et insuper peccatorum maculis innexis, sine ulla discretione mysteriorum secreta nudamus. Multum est enim, si velimus singula quæque mandata discutere, quæ omnimodis in contemptu habentur ab hominibus, ut illud : *Quodcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (*Ibid.*). Nos namque e contrario omnia facimus hominibus quæ ipsi nolumus pati. Et rursum, qui jussi sumus per angustam viam incedere, per latam semper incedimus. Hi autem qui videntur sustulisse crucem suam et sequi Christum, de lata et spatiosa via sollicite requirunt. Sic enim facere solent illi qui sæculum relinquere disponunt. Cum autem de monasteriis aut retrusione vel etiam de locis habitantium percunctantur, ante omnia de requie tractant et de opportunitate. Prima tamen sollicitudo statim et prima verba ista sunt : Estne ibi requies quo eundum est? Inveniuntur ibi ea quæ necessaria sunt abundanter? Primum enim, ut dixi, sollicite requirunt si nihil horum desit quæ lata et spatiosa via deposcit. Quid agis, o homo? Quid loqueris? Arctam et angustam viam jussus es ambulare, utquid de requie, utquid de abundantia percunctaris? Verum ne me existimet aliquis hæc dicendo alios incusare, jam nunc de meipso narrabo. Quondam cum de sæculi abrenuntiatione et de solitaria habitatione cogitare cœpissem, ego scio quam sollicite infra memetipsum perscrutabar, unde viverem, et unde mihi in ipsa habitatione ea quæ necessaria sunt corpori præberentur? Sed et illud non segniter requirebam, unde haberem vestimenta, unde luminaria, unde etiam ligna, et legumina, et cætera talia. Ita enim ego cum omni sollicitudine de requie corporis apud memetipsum tractabam. Heu! quam subtiliter ille artifex mali diabolus nos decipit, et quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit! Ad regnum cœlorum cupimus ascendere, et interrogamus si aliqua nobis difficultas occurrat in itinere. Ad cœli fastigium et divitias festinamus : ad ipsas, inquam, divitias, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt; et de requie corporis percunctamur.

Nam sicut diximus supra, multum est si velimus singula quæque mandata Christi in hoc loco discutere. Tamen oportet nos flere et lugere pro his singulis quæ impugnamus, et in contemptu habemus, quatenus ab ipsis sceleribus quæ per inobedientiam et contemptum eorumdem mandatorum Christi incurrimus, uberrimis lacrymarum fletibus ablui expiarique, Deo opitulante, mereamur.

CAPUT XXIX.

De compunctione cordis.

Compunctio etenim cordis est humilitas mentis, cum lacrymis, et recordatione peccatorum, et timore judicii. Nam ex humilitatis virtute compunctio cordis nascitur. De compunctione cordis confessio peccatorum propagatur. De confessione peccatorum pœnitentia generatur. De pœnitentia autem indulgentia peccatorum percipitur. Quatuor enim sunt qualitates affectionum quibus mens justi tædio salubri compungitur; hoc est, memoria præteritorum peccatorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ in hujus vitæ miseria, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam quantocius valeat pervenire. Quando ergo ista in corde fiunt, credendum est tunc esse Deum per gratiam cordi humano præsentem. Præterea quoque oportet nos, qui compunctionem cordis perfecte desideramus habere, prius animo et mente ab omni perturbatione ac fluctuatione visibilium rerum secedere, atque ad illa conscendere silentia ubi quies summa, jugis tranquillitas et pura est serenitas; ibique oculum mentis nostræ tota intentione semper debemus defixum habere. Oportet etiam nos diem mortis ante oculos mentis habere, et præterita peccata ad memoriam revocare; et eorum qui in inferno gemunt rememorari, et quomodo ibi sunt animæ, in quam amaro silentio, aut in quam pessimo gemitu, vel metu, sive cruciatu, aut in quali exspectatione et dolore; et pro his infinitas debemus lacrymas fundere. Recogitemus autem diem resurrectionis, et illud terribile, et horrendum, atque tremendum judicium Christi; et præmium justorum, et repositam peccatoribus pœnam, quam passuri sunt in conspectu Dei. Sed et supplicia omnia, et ignem inexstinguibilem, et vermes immortales, et tartarum tenebrarum ad memoriam revocemus : et super hæc omnia dentium stridorem et tormenta perpetua per imescamus. Adducamus etiam ad medium bona, et gaudiosa gaudia, quæ sunt justis reposita coram Deo et angelis ejus in æterna gloria. Cogitemus autem quam gloriosi sint illi angelorum chori, quæ societas beatorum spirituum, et quæ sit majestas æternæ visionis Dei. Utrorumque horum commemorationem jugiter in cordibus nostris habeamus : super judicia quidem peccatorum ingemiscamus, super bona vero justis reposita gaudeamus : sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis.

CAPUT XXX.

Quod duo sunt genera compunctionum.

Duo igitur sunt compunctionum genera, hoc est, irriguum superius, et irriguum inferius (*Jos.* xv, 19). Irriguum quippe inferius quisque accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Irriguum vero superius accipit, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit. Sciendum namque est quia nullum habebit accessum ad compunctionem cordis, is qui in risu et jocis immoderatus fuerit. Non enim convenit ei qui ad perfectionem nititur ascendere, in modum parvuli insensati jocari, nec dissolutis labiis risum proferre, sed subridendo tantum mentis lætitiam indicare. Amentia namque est cum strepitu ridere. Parvuli enim est ludere, perfecti autem viri lugere, jocus vero et risus negligentem

et lepidum efficiunt virum justum erga Dei servitium. O quantam perniciem præparant risus et jocus! et e contrario quantum lucrum afferunt fletus ac luctus! Quem enim delectat hic ridere, postmodum flebit amarissime; qui autem hic lugere voluerit, imposterum sine fine gaudebit. Nam et Salvator noster beatos vocat lugentes; et qui nunc lætantur, flere eos dicit in novissimo. Unde Jacobus apostolus ait: *Miseri estote et lugete, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* IV, 9). Hinc per Salomonem dicitur: *Risus dolore miscebitur* (*Prov.* XIV, 13). Hinc Gregorius ait: Nemo potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. Hinc etiam in collationibus Patrum legitur: Vidit, inquit, senex quemdam ridentem, et ait illi: Coram cœlo et terra rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides? Quapropter non nos oblectet puerilis jocus ac risus, sed lectiones sacræ et spiritualis melodiæ cantus. Quamvis enim dura sint corda nostra ad lacrymas producendas, mox tamen ut psalmorum dulcedo insonuerit, ad compunctionem cordis animum nostrum inflectit. Multi enim reperiuntur qui cantus suavitate commoti sua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavitatis. Sed studendum nobis est ut etiam post compunctionis tempora, in quantum Deo largiente possumus, ipsam vim lacrymarum in nosmetipsos conservemus; ne nos post compunctionem cordis cogitatio fluxa dissolvat; ne mentem nostram vana lætitia subripiat, ne lucrum compunctionis anima nostra per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sic quippe quod poposcerat, obtinere anima meruit, quia se post lacrymas in eodem mentis vigore servavit. De qua nimirum scriptum est: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I, 18). Quia igitur non est oblita quæ petiit, non est privata munere quod poposcit. Nos autem quia post baptisma inquinavimus vitam, rebaptizemus in lacrymis conscientiam nostram. Qui ergo lacrymas indesinenter fundit, et tamen peccare non desinit, lamentum habet, sed mundationem non habet. Ubi autem lacrymæ abundant, ibi cogitationes sordidæ non approximant. Compunctio sanitas animæ est, compunctio illuminatio mentis est; compunctio remissio peccatorum est; compunctio Spiritum sanctum habitare facit in se.

CAPUT XXXI.

De reverentia et instantia orationis.

Oportet itaque nos certissime scire et veraciter credere, quia assiduitate orationum adipisci possumus remissionem omnium peccatorum; si tamen actus orationi et labia cordi non discrepaverint. Melius enim est corde orare cum silentio sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis; quia non verba deprecationis Deus intendit, sed cor orantis aspicit. Nam negligentes orationes nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt. [a] Si enim cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate et reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum cordis humilitate et puritatis devotione supplicandum est! Et non in multiloquio, sed in puritate cordis nos exaudiri sciamus: et ideo brevis et pura debet esse oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. Cum enim in oratione assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes quam gravia sunt scelera quæ commisimus, quamque dira inferni supplicia quæ timemus. Longe quippe a Deo est animus qui in oratione cogitationibus sæculi fuerit occupatus. Et tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Sed valde perpauci sunt qui tales orationes habeant; et licet in quibusdam sint, difficile tamen est ut semper sint. Tunc autem magis diabolus cogitationes curarum sæcularium nostris mentibus ingerit, quando nos orantes aspexerit. Sed nos e contra tam perseveranter in oratione persistere debemus, quousque importunas sæcularium rerum cogitationes ab inimico latenter immissas superemus. Quoties enim quilibet aliquo tangitur vitio, toties se ad orationem subdat; quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit. Et qui læditur, non desistat orare pro se lædentibus: quia sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit, ita nihil illius oratio proficit, cujus adhuc dolor est in mente et odium manet in pectore.

Tantus ergo debet esse orantis affectus erga Deum, ut non desperet precis effectum. Inaniter autem oramus, si spei fiduciam non habemus: *Petat autem unusquisque*, ut ait Apostolus, *in fide nihil hæsitans. Nam qui dubitat, similis est fluctui maris, quæ a vento movetur, atque dispergitur* (*Jac.* I, 6). Diffidentia enim nascitur ex hoc quod adhuc se quisque sentit circa peccandi affectionem versari. *Multum enim*, inquit Apostolus, *valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* V, 16). In tantum utique valet, ut etiam per eam dæmonia vincantur, et aditus eorum per ipsam obstruantur, ut non quocunque volunt, vadant. Unde in Tripertita historia legitur ita. Temporibus Juliani Apostatæ missus est dæmon ab ipso in Occidentem, ut iret velociter et afferret ei inde aliquod responsum. Cum autem pervenisset dæmon ille in quodam loco ubi quidam monachus habitabat, stetit ibidem per decem dies immobilis, eo quod non poterat ultra progredi, quia monachus ille non cessabat orare neque nocte neque die; et regressus est sine effectu ad eum qui miserat illum. Cui revertenti dixit Julianus: Quare tandiu tardasti? Respondens dæmon ait: Et moram feci, et sine actione reversus sum. Sustinui enim decem dies Publium monachum, si forte cessaret ab oratione et transirem; et non cessavit, et prohibitus sum transire, et redii nihil agens. Tunc impiissimus Julianus indignatus dixit: Cum illuc ingressus fuero, faciam in eo vindictam. Et intra paucos dies Julianus De

[a] Ex regula sancti Benedicti, cap. 20.

providentia interiit. Et continuo unus ex præfectis qui cum eo erant, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et veniens ad senem illum factus est monachus magnus, et sic permansit cum eo, donec quievit in Domino. Ubi datur intelligi quia oratio servorum Dei continua non solum homines salvat, sed etiam diaboli tela exsuperat. Per orationes autem purissimas omnia nobis utilia a Domino tribuuntur, et cuncta noxia procul dubio effugantur. Idcirco necesse est nobis et ore et corde sine intermissione orare.

CAPUT XXXII.

Quomodo possit aliquis sine intermissione orare.

Dei servum autem, et maxime solitarium, oportet sine intermissione orare, legere et operari, ne forte mentem otio deditam spiritus malignus invadat. Orationibus autem mundamur, lectionibus instruimur, operationibus vero corpus, ne forte superbiat, fatigamus. Sed quærendum nobis est quomodo quis possit sine intermissione orare. Quidam enim dicere volunt quod ille sine intermissione orat qui canonicas horas observat. Nobis vero non expedit cæteris horis ab oratione vacare; sed secundum Apostolum sine intermissione debemus orare. Sic autem Domino miserante poterimus illud præceptum implere, id est, si jugiter lingua orare non possumus, vel corde oremus: et si ore, vel corde indesinenter orare nequimus, vel etiam actus nostri tales sint ut semper pro nobis Deum exorent.

Unde in Collationibus Patrum tale datur exemplum: Lucius abbas interrogavit quosdam fratres, dicens: Quod est opus manuum vestrarum? At illi dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum; sed, sicut Apostolus dicit, sine intermissione oramus. Dixit eis senex: Et non manducatis? illi autem dixerunt: Etiam manducamus. Et dixit eis: Quando ergo comeditis, quis orat pro vobis? Et iterum interrogavit eos dicens: Non dormitis? Et illi dixerunt: Etiam dormimus. Et senex adjecit: Cum dormitis, quis orat pro vobis? Et non invenerunt quid ad hæc responderent ei. Et adjecit: Ignoscite mihi, fratres, quia ecce non facitis sicut dixistis. Ego autem ostendam vobis quia operans manibus meis sine intermissione oro. Sedeo namque, juvante Domino, infundens mihi paucas palmulas, et facio ex eis plectam, et dico: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (*Psal.* L, 1). Et dixit eis: Oratio hæc est, an non? Et dixerunt ei: Etiam. Ille autem dixit: Quando permansero tota die laborans, et orans ore vel corde, facio plus aut minus sex nummos, et duos ex his dono pauperibus foras ad ostium, et residuos expendo in usus meos et discipulorum meorum. Ille vero qui accepit illos duos denarios orat pro me tempore quo ego manduco vel dormio, atque ita per gratiam Dei impletur in me hoc quod scriptum est: *Sine intermissione orate* (*Rom.* I, 9). Quapropter oportet nos, sicut prædictum est, ore vel corde indesinenter orare, vel tale opus facere ut ipsum pro nobis Deum exoret.

Illud quoque huic apostolico præcepto quasi contrarium esse videtur quod Dominus ait: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt* (*Matth.* VI, 7). Itaque animadvertendum est quod Dominus non dixit: Nolite multum orare, sed *Nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt*, qui secundum politem eloquentiæ facultatis facundiam orant. Ille enim sine intermissione ad Deum orat, qui peccanti in se fratri dimittit; qui non ab hominibus, sed a Deo laudem quærit, qui adversus turbam vanorum phantasmatum ostium cubilis cordis sui claudit: et ne aliquod impedimentum ejus oratio patiatur, in amore Dei mentis oculum figit.

CAPUT XXXIII.

Quod omnes vanæ cogitationes ex illusione dæmonum fiunt.

Nulla ergo virtus est in conversatione servorum Dei quæ talem habeat laborem quomodo oratio. Dum enim voluerit homo Deum suum orare, semper dæmones festinant orationem ejus interrumpere, scientes quia ex nulla alia re tantum impediuntur, quantum per orationem ad Deum fusam. Siquidem omnem alium laborem quem homo in conversatione religiosa positus assumpserit, quamvis instanter agat, habet tamen aliquam requiem. Oratio autem, ut dictum est, nullam habet requiem. Qua de re in Vitis Patrum ita legitur: Quodam tempore, nocte dæmon ad ostium cellulæ beati Macarii pulsavit, dicens: Surge, abba Macari, et eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille, qui gratia Dei repletus erat prudentia, falli non poterat, intellexit diaboli esse fallaciam, et ait: O mendax et veritatis inimice! quæ tibi societas cum collecta et congregatione sanctorum? At ille: Latet ergo te, inquit, o Macari, quod sine nobis nulla congregatio monachorum agitur? Tum ille: Imperet, inquit, tibi Dominus, immunde. Et ille adjecit: Veni denique, et videbis opera nostra. His dictis, dæmon discessit. Et abbas conversus ad orationem petiit a Deo ut ei ostenderet si hoc verum esset quod gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad collectam ubi a fratribus vigiliæ celebrabantur, et iterum in oratione Dominum deprecatur ut sibi verbi hujus veritatem ostendat; et ecce vidit per totam ecclesiam quasi parvulos quosdam Æthiopes discurrere huc atque illuc et volut volitando deferri. Discurrentes ergo illi Æthiopes pueruli singulis quibusque sedentibus illudebant: et si cui duobus digitulis oculos compressissent, statim dormitabat. Si cui vero in os misissent digitum, oscitare eum faciebant. Ubi vero post psalmum ad orandum projecissent se fratres, percurrebant nihilominus singulos, et ante alium jacentem in oratione quasi in mulierum speciem vertebantur; ante alium autem quasi ædificantes, aut aliquid portantes, ac diversa quæque agentes apparebant; et quæcunque dæmones quasi ludendo formassent, hæc illi orantes in cordis sui cogitatione versabant. A nonnullis ta-

men ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi quodam repulsu præcipites dejiciebantur, ita ut nec stare quidem prorsus aut transire juxta eos auderent. Aliis vero etiam supra dorsa et cervices ludebant. Hæc cum vidisset sanctus Macarius, ingemuit graviter, et ait cum lacrymis : Exsurge, Domine, ut dispergantur inimici tui, et fugiant a facie tua; quoniam impleta est illusionibus anima nostra. Post orationem autem vocatis seorsum singulis quibusque fratribus ante quorum faciem dæmones variis imaginationibus ludentes, requisivit ab eis si in oratione vel ædificandi, vel portandi cogitationes habuerint, vel ita agendi talia diversa quæ unicuique imaginata per dæmones viderat; et singuli eorum confitebantur ita fuisse in corde suo ut ille arguebat eos. Et tunc intellectum est quod omnes vanæ et superfluæ cogitationes, quas somniorum, vel psalmorum, seu orationum tempore unusquisque conceperit, illusione dæmonum fiant. Ab his autem qui omni custodia servant cor suum facile repelluntur Æthiopes. Deo enim conjuncta mens, et in ipso tempore præcipue orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit.

CAPUT XXXIV.

Quod cantantibus et psallentibus præsentia Dei et angelorum semper adsit.

Quoniam quamvis ubique Deum per potentiam divinitatis esse noverimus, et oculos ejus speculari bonos et malos credamus, præcipue tamen sine aliqua dubitatione, cum divino officio assistimus, per gratiam nobis eum adesse præsentem credimus. Ideoque semper memores simus quod Propheta ait : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II, 11). Et iterum : *Psallite sapienter* (*Ibid.*). Tunc etiam angelici spiritus maxime nobis præsentes adesse credendi sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est, cum lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solemnia celebramus. Unde idem Propheta ait : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII, 2). Quapropter solerter nobis studendum est ut cum ad divinum officium vel ad missarum solemnia celebranda convenimus, semper memores simus qualiter nos oporteat esse in conspectu Dei et angelorum ejus. Et sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostræ. Sic enim Apostolus ait : *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV, 15).

Cavendum est autem ut non negligenter, nec tepide, vel inhoneste divinum officium celebremus, neque ad perficiendum pigre adveniamus; ne, quod absit, in illam sententiam incidamus qua dicitur : *Maledictus homo qui opus Dei fecerit negligenter* (*Deut.* XXVII, 15). Observandum est ut ne quid in oratoriis, vel in cellulis nostris inhonestum vel indecens, ne quid ineptum, vel perversum, aut cogitationibus, aut verbis, aut actibus perpetremus; sed cum timore et veneratione cœleste compleamus officium, quatenus in conspectu Dei et angelorum ejus digni efficiamur astare, et Dominus ad nos veniens non quod condemnet in nobis, sed potius quod remuneret, inveniat.

CAPUT XXXV.

De laude psalmorum et dispositione horarum in quibus psallere debemus.

Psalmorum denique assidua decantatio tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint corda nostra, tamen mox ut psalmorum dulcedo insonuerit, ad profectum pietatis animum nostrum inflectit. Omnis enim duritia cordis eorum dulcedine emollitur : et sicut orationibus regimur, ita psalmorum studiis delectemur. Oratio autem in præsenti tantum vita pro remedio peccatorum effunditur; psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat, et gloriam sempiternam. Sic enim scriptum est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Cujus operis frequentiam quicunque fideliter intentaque mente exsequitur, quodammodo angelis sociatur. Quocirca necesse est ut certis horis certisque temporibus nostræ servitutis officia persolvamus, id est, matutino, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorio. De his diurnis horis ait propheta David : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 64). De nocturnis autem vigiliis idem ipse propheta ait : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Ibid.*, *v.* 62). Et rursus dicit : *Memor fui nocte nominis tui, Domine* (*Psal.* LXII, 7). Et rursus dicit : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te* (*Ibid.*).

Propterea quoque de divinis in noctibus officiis cæterisque horis diei ab oratione nos non oportet vacare, sed semper per intervalla horarum aut oremus, aut legamus, aut aliquod opus manuum exerceamus, quatenus tædium cordis et cogitationum evadere possimus, sicut legitur fecisse beatus Antonius. Qui quodam tempore cum sederet in eremo, animus ejus tædium et confusionem cogitationum incurrit, quia nondum adhuc instanter laborabat, et ait ad Deum : Domine, volo salvus fieri, et non permittunt me cogitationes meæ. Quid faciam in hac tribulatione, et quomodo salvus ero? Et post pusillum surgens exiit foras, et vidit quemdam tanquam seipsum sedentem et operantem; denique vidit eumdem ipsum ab opere surgentem et orantem, et iterum sedentem, et flectam de palmis facientem; inde rursus ad orationem surgentem. Erat autem angelus Domini missus ad correctionem et cautelam dandam Antonio. Post hæc audivit vocem angeli dicentis : Sic fac, et salvus eris. Ille autem hoc audito, magnum gaudium sumpsit atque fiduciam. Et ita postea faciens, salutem quam quærebat invenit. Ita et nos facientes, Deo opitulante, salvabimur. Numerum quoque et mensuram psalmorum quos quotidie canere debemus hic minime describimus, quia hoc quod Apostolus sine intermissione præcipit agere, ego nullatenus præsumo determinare. Testis

sit unicuique conscientia sua, quia Deum, quem nulla fallunt occulta, inspectorem cordis sui omni hora habebit. Oportet præterea nos orare indesinenter pro nostris benefactoribus, et pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam habere possimus. Sciendum vero est quia quanto quisque magis assiduus fuerit in oratione, tanto feliciorem remunerationem recepturus est in æterna beatitudine. Luminaria vero cum omni diligentia sive de propriis laboribus seu de fidelium oblationibus in suis oratoriis noctis tempore provideant solitarii.

CAPUT XXXVI.

Si quotidie corpus Domini quilibet audeat sumere vel missam cantare.

Non mea itaque opinione, sed sanctorum Patrum assertione hæc utraque reor fieri posse, id est, et missas quotidie celebrare, et sacrosancta corporis et sanguinis Domini mysteria quotidie cum tremore et timore sumere; ab his tamen, qui mundi sunt ab omni inquinamento carnis ac spiritus, et hoc cum metu magno et pavore: quia qui tantum hospitem cupit intra se suscipere, castus debet esse non solum in corpore, sed et mundus in corde. Nam fuit quidam venerabilis Pater nomine Apollonius, qui hoc monebat fratres, ut, si fieri posset, quotidie communicarent mysteriis Christi, ne forte, qui se ab his longe facit, longe fiat a Deo. Qui autem, inquit, frequentius hoc suscipit, frequentius ipsum sine dubio Salvatorem suscipit; quia idem ipse ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 55). Sed et ipsa commemoratio Dominicæ passionis cum assidue sit a servis Dei celebrata, primum per hoc commonitio datur, ut studeat unusquisque ita paratus inveniri, ne indignus Dominicis mysteriis habeatur. De hac denique re beatus Gregorius in libro Dialogorum ait: Debemus itaque præsens sæculum tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia offerre, quotidianas carnis et sanguinis ejus hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat. Sed necesse est ut cum hæc agimus nosmetipsos in cordis contritione mactemus. Et fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus. Quapropter bonum est ut quod quisque post mortem suam sperat pro se agi per alios, agat ipse dum vivit per se. Beatius quippe est liberum exire de carcere, quam post vincula libertatem quærere. Hinc iterum idem papa in eodem libro adnectit dicens: Nam vir vitæ venerabilis Cassius Narniensis episcopus fuit, qui quotidianum sacrificium Deo offerre consueverat, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet quin omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Dum autem sese cum lacrymis mactaret, mandatum Domini per cujusdam sui presbyteri visionem suscepit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natalitio apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. Qui cum post annos septem ipso natalitio apostolorum die missarum solemnia peregisset, et mysteria sacræ communionis accepisset, e corpore exivit. Qua in re pensandum est quantum præsidium sit quotidie sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi hostias immolare; et patenter ostenditur quam salubre est vesci tanto medicamine. Unde quidam venerandus poeta dixit.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci
Si cor participis crimina nulla premunt.

Hinc etiam egregius doctor Augustinus dixit: Nihil sic debet formidare Christianus quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a copore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, non vegetatur spiritus ejus. Unde ait Apostolus: *Quisquis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

Quapropter faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim inter se litigaverunt, aut quisquam eorum alterum alteri se prætulit, Zachæus scilicet et centurio; cum alter eorum gaudens susceperit Dominum, alter vero dixerit: *Non sum dignus, Domine, ut intres sub tectum meum* (*Luc.* VII, 6). Ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Sic et sacramentum Dominici corporis et sanguinis unus honorando non audet quotidie sumere, alter similiter honorando non audet ullo die prætermittere.

CAPUT XXXVII.

Si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, debeat quis missam celebrare an non?

Nam, ut ait beatus Gregorius, in ipsa illusione, quæ per somnium solet accidere, necessaria est valde discretio, quæ subtiliter pensare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando contingit ex cogitatione. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda. Unde ait Propheta: Quoniam *Dominus cognovit figmentum nostrum* (*Psal.* CII, 14). Sed quando hoc acciderit, lotus tantummodo aqua, valet se sociare divinis sacramentis. Cum vero appetitus gulæ ultra modum in sumendis alimentis rapitur, atque ideo humorum receptacula gravantur, habet exinde animus quemdam reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacramenta vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi ministerium, pro eo quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compulit, vel amor sacrificandi animum ad hoc ipsum compellit. Nam si adsunt alii qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione divini Sacramenti abstinere, ut arbitror, humiliter debet, quousque dignis fletibus reconciliatus et aquarum effu-

sione lotus, accedere iterum valeat ad sacra mysteria. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio menti dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit; quia quod sciens cogitavit, hoc nesciens pertulit. Et quando hoc fit, necesse est ut humiliter se subtrahat divinis mysteriis, et prius per aquam abluat sordes corporis, et per pœnitentiam abstergat vulnus cordis; et sic demum, Domino propitiante, reconcilietur vivificis sacramentis. Nam in Evangelio Dominus dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). In corde suo, inquit, non in corpore. Ideo Scriptura alibi nos admonet, dicens: *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23). Nam sunt alii quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno positus turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, si ipsa mens non tamen sit rea, vel suo judicio libera, cum se et dormiente corpore nihil meminit vidisse. Siquidem, ut quidam Patrum ait, si tale aliquid evenerit per somnum absque phantasiis mulierum, non est peccatum. Ingenitus, inquit, humor in corpore, cum propria repleverit receptacula, suis necesse est ut meatibus digeratur. Ubi vero visus mulierum et blandimenta carnis per somnia occurrunt, si per superfluas et illecebrosas cogitationes contigerit, peccatum esse dicebat. Præterea quoque sciendum est quia tres sunt motus corporales: unus quidem naturalis, alius autem ex plenitudine ciborum, quando nutritur et fovetur corpus cibis ac potibus, ex quibus calor et sanguis crescunt et excitant corpus ad libidinem; propter quod Dominus ait: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI). Tertius vero motus est ex insidiis et invidia veniens dæmonum. Quapropter oportet ut ipsam nimiam abundantiam fluxusque libidinum per multam continentiam, et per multa jejunia, et per continuas orationes restringamus; quia, ut ait beatus Augustinus, sicut occisus inimicus non facit nobis injuriam, sic mortificata caro non turbabit animam nostram. Denique hi qui in deliciis vivunt, si forte corporis sui ægritudo deposcat, ab omnibus quæ judicaverit medicus esse noxia abstinebunt absque mora; cur non multo magis hoc nos facimus, quibus sanitas animæ et spiritus est expetenda? Tales enim debet Dominus habere ministros, qui nulla carnis contagione corrumpantur, sed potius castitatis continentia splendeant mente et corpore.

CAPUT XXXVIII.

De assiduitate lectionis et orationis.

Oportet autem nos assiduitatem habere legendi et instantiam orandi. Nam assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta Prophetam qui ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII, 11). Hæc sunt enim arma, lectio videlicet et oratio, quibus diabolus expugnatur et æterna beatitudo acquiritur. His enim armis vitia comprimuntur et virtutes nutriuntur. In his ergo, quasi in speculo quondam seipsum considerare potest homo, qualis sit, vel quo tendat, aut qualiter se dirigat. Ideoque qui vult cum Deo semper esse, debet frequenter legere et frequenter orare. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum autem confert donum lectio sacrarum Scripturarum: unum, quia intellectum mentis erudit; alterum, quia a mundi vanitate hominem abstrahit, et ad amorem Dei perducit. Lectio assidua timorem gehennæ incutit, animam purificat et ad gaudia superna legentis cor instigat. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis nutritur ac pascitur interior homo; unde ait Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo* (*Ibid.* v. 103)! Omnis plane Scriptura sancta ad nostram scripta est salutem et doctrinam, ut per consolationem Scripturarum in bonis actibus proficiamus. Sicut enim cæcus sæpius offendit quam videns, sic ignorans Dei legem ignoranter sæpius peccat quam ille qui eam novit. Multi namque habent intelligentiæ ingenium, sed negligunt lectionis studium; et quod legendo scire potuerunt, negligendo nesciunt. Multi etiam legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt; de quibus ait Propheta: *Seminastis multum et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis ebriati* (*Aggæi* I, 6). Multum cordi suo seminat, sed parum recipit, qui de mandatis cœlestibus vel legendo, vel audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, et non satiatur, qui verba Dei audiens lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Bibit, et non inebriatur, qui ad vocem lectionis vel prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Bibit, et inebriatus non est, qui ea quæ sunt hujus sæculi adipisci desiderat. Solet enim per ebrietatem libentium mens turbari. Si enim quis debriatus esset, mentem procul dubio mutasset, ut terrena jam non quæreret, jam vana et transitoria, quæ amaverat, non amaret. Ille enim beatissimus est, qui divinas Scripturas legens verba vertit in opera. Nemo enim potest sensum Scripturæ sacræ plene cognoscere, nisi legendi familiaritate. Nam sicut terra, quæ quanto amplius excolitur, tanto uberiorem fructum reddit; sic quanto quisque frequentius legit, tanto ex ea uberiorem intelligentiam capit. Non oportet solitarios gentilium libros legere, ne forte per oblectamenta inanium fabularum vel figmenta poetarum mentem excitent ad incentiva libidinum. Neque etiam secreta Dei nimis oportet rimari, Scriptura dicente: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccl.* III, 12). Unde Apostolus mirans aiebat: *O altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Quapropter caute meditanda, cautæque sunt sensu ea quæ leguntur rimanda; et juxta Apostoli mandata, teneamus quæ recta sunt, et refutemus ea quæ contraria veritati existunt. Sicque

in bonis instruamur, ut a malis Deo auxiliante illæsi permaneamus.

CAPUT XXXIX.

De quotidiano opere manuum solitariorum.

Si quando enim ab oratione et lectione cessemus, manuum operationibus insistere debemus, propter hoc quod scriptum est : *Otiositas inimica est animæ.* Antiquus etenim hostis eum quem otiosum invenerit facile ad vitia rapit; nam sancti Patres nostri et apostoli de labore manuum suarum vivebant. Unde Apostolus Thessalonicensibus scribens, ait: *Ipsi enim scitis quemadmodum oportet imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos; neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sicut et cæteri, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, denuntiabamus, quoniam si quis non vult operari, nec manducet* (*II Thess.* III, 7-10). Cum enim iste sanctus apostolus, qui Evangelium prædicabat, nolebat panem gratis manducare, sed in labore et fatigatione victum quærebat, quo nos fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed ne ulla quidem, nisi animæ nostræ solius cura mandatur? Proinde necesse est nobis laborare manibus nostris quod bonum est, ut habeamus unde vivamus, et unde aliquid necessitatem patientibus tribuamus. Unde sanctus Cæsarius dixit: sic lectioni et orationi debetis incumbere, ut etiam manibus possitis aliquid exercere; majorem quoque diei partem sancto operi dedicare. Sed quærendum nobis est cur doctor gentium et prædicator Evangelii dicit se non panem ab aliquo gratis manducasse, qui novit Dominum præcepisse, ut *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant* (*I Cor.* IX, 14). Et rursum : *Dignus est operarius mercede sua et cibo suo* (*Luc.* X, 7). Ideo quippe manibus operabatur unde vivebat, quia indignum erat ab his aliquid accipere qui errori studebant. Peccat enim, et libertatem prædicandi amittit, qui ab eo accipit munus, qui ideo dat ne corripiatur. Unde idem apostolus dicebat : *Omnia mihi licent, sed non omnia mihi expediunt* (*I Cor.* VI). Hoc ideo dixit quia licebat illi ab his queis prædicabat sumptus accipere; sed quoniam sciebat pseudo-apostolos occasionem accipiendi quærere, noluit ab his accipere, ne causa ventris vigor evangelicæ veritatis torpesceret. Non enim instanter potest argui, a quo accipitur. Quamvis enim idem apostolus pro occasione superius dicta elegerit manibus suis laborare unde viveret, tamen quoties illi necessitas erat, a fidelibus victum accipiebat. Itaque cum esset quodam tempore in magna indigentia, missum est illi a fratribus unde necessitati et indigentiæ ejus ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, et dixit : *Bene fecistis communicare necessitatibus meis. Ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio enim esurire et abundare, novi et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Verumtamen vos bene fecistis mittere usibus meis* (*Phil.* IV, 14). Hic autem ostenditur quia aliquando accipiebat sustentationem necessitatis a fidelibus. Qua de causa beatus Augustinus nobis dat consilium, dicens : Qui ergo non possunt facere sicut Paulus, ut manibus suis se transigant, accipiant a populo unde sustentent suam necessitatem, sed non negligant eorum infirmitatem. Si in nostra, inquit, domo vel societate æger est aliquis, non prohibeo religiosos, vel religiosas mittere illi, quod eis videtur, ut mittant; neque istis prohibeo, ut non recipiant. Nam et ipse Dominus, cui angeli ministraverant, loculos habebat, et a fidelibus oblata suscipiens, et suis discipulis et aliis indigentibus, necessaria tribuebat.

Quanquam autem ita dictum sit, oportet tamen solitarios propriis manibus instanter laborare, etiamsi aliunde habuerint unde vivant. Sic faciebat Paulus primus et probatissimus eremitarum. Cum esset in eremo vastiore, securus erat de victu, quia de fructibus palmarum, et de oleribus herbarum vescebatur tantum; tamen colligebat folia palmarum, et quotidianum pensum, velut exinde sustentandus esset, a semetipso jugiter exigebat. Cumque opere totius anni autrum ejus fuisset impletum, id quod sollicita cura laboraverat annis singulis, igne supposito concremabat. Iste enim non pro necessitate victus, ut dictum est, laborabat, sed pro corporis afflictione, et cordis purgatione, atque cogitationum soliditate, seu perseverantia cellæ faciebat. Dicebat autem, sine opere manuum nec in loco posse perdurare solitarium, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere. E contra vero fuit alius frater, qui veniens ad abbatem Silvanum in monte Sina, vidit ibi fratres operantes, et dixit eis : Nolite operari cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Maria optimam partem elegit. Et dixit senex discipulo suo : Vade, voca fratrem istum, et mitte illum in cellam ubi nihil est. Et cum facta fuisset hora nona, intendebat idem frater ad ostium si mitterent alii, et vocarent eum ad manducandum. Et cum nemo loqueretur ei, surgens venit ad senem, et dixit ei : Abba, manducaverunt hodie fratres? Et dixit ei senex : Etiam jam comederunt. Et ille : Et quare, inquit, me non vocasti? Et senex respondit : Tu homo spiritualis es, et hoc cibo non indiges; nos autem carnales sumus, et manducare volumus, ideo manibus nostris operamur : tu vero bonam partem elegisti, tota die legens, et nolens sumere carnalem cibum. Qui cum hoc audisset, prostravit se in terram humiliter pœnitentiam agens, et dixit : Ignosce mihi, abba. Et senex dixit ei : Puto quod opus habet omnino Marthæ Maria. Per Martham enim Maria laudatur. Quapropter opus habent solitarii propriis manibus laborare et operari unde pascantur; quia qui otiosa quiete perfruitur, nisi operi manuum insiterit, et nisi spiritualiter vixerit, more pecudum se componit.

Si quid vero ex operibus solitariorum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transeunda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ et Saphiræ, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subripiat avaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis sæcularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

CAPUT XL.

Quod certis horis occupari debent solitarii in labore manuum.

Ergo statutis certisque temporibus occupari solent solitarii in oratione et lectione, et certis iterum in labore manuum. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari, id est, ut omni tempore a manè usque ad horam pene tertiam orationi et lectioni vacent. Ab hora autem tertia usque ad horam quasi nonam laborent, quod necessarium fuerit, nisi forte paululum in stratis suis æstivo tempore pausare voluerint; et semper intermisceatur oratio cum opere. A nona quoque hora usque ad vesperam iterum orationi et lectioni vacent.

Si vero necessitas loci aut paupertas exegerit, magis in labore manuum demorentur. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes. Dominicis vero diebus sive festis, orationi tantum et lectioni vacent. In noctibus quoque vigilias sacras et orationes purissimas devotissime peragant. Infirmi namque solitarii talia opera agant, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur. Qui vero ita fuerint infirmati, aut senectute gravati, ut neque legere, neque operari queant, vel orationi tantum juxta vires suas devotissime instent. Hoc sane præcipue monentes, ut si forte cui hæc dispositio displicuerit, ordinet si melius aliter judicaverit. Quibus autem horis reficere debeant, in antea, Domino miserante, dicturi sumus.

CAPUT XLI.

Ut solitarii nihil proprium habeant, et oblationes fidelium suscipiant.

Nihil ergo proprium solitarii habeant præter utensilia et vilia supellectilia sine quibus vivere nullatenus possunt. Victum vero rationalem, et vestem simplicem, aut de proprio labore, aut de fidelium oblatione habeant. Quidquid autem his superfuerit, pauperibus tribuant. Nam, sicut in superiori capitulo continetur, licitum est eis a populo oblata suscipere, ad suam et pauperum indigentiam sustentandam. Unde in libro Prosperi ita legitur: Propterea, inquit, Deus voluit cultores suos omnibus quæ habentur in mundo renuntiare, ut exclusa mundi cupiditate, divina in eis charitas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita et sacrificia pro peccato, et vota quæ sibi Dominus jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit, ut devotissimo populo vitæ necessaria ministrante, ipsi Creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent, atque in ejus cultu sine ulla sollicitudine corporali proficerent; ne terrenis occupationibus implicati, officio suo dignas excubias strenue curare non possent. Item ibi: Denique sanctus Paulinus, et beatus Hilarius omnia sua aut parentibus reliquerunt, aut vendita pauperibus erogaverunt. Sed postea cum facti fuissent episcopi, non contempserunt Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensaverunt. Isti ergo tam sancti viri tamque perfecti pontifices factis evidentibus clamant posse et debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines, tam sæcularium quam divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, nunquam eas haberent, qui omnia sua reliquerant. Unde datur intelligi quod tanti ac tales viri qui, volentes fieri discipuli Christi, renuntiaverunt omnibus quæ habebant, non ut possessores, sed ut procuratores Ecclesiæ facultates possidebant. Et ideo res Ecclesiæ nihil aliud scientes esse nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Item ibi: Sacerdos, inquit, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta; quia omnia sua aut reliquit aut Ecclesiæ rebus junxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde etiam tanquam pauper voluntarius vivat.

De eadem re etiam in Regula canonicorum legitur ita: Monachi namque sive solitarii, qui evangelicum præceptum sequentes distractis atque renuntiatis omnibus patrimonia sua Christo dederunt, merito de facultatibus Ecclesiæ subsidium temporale accipiunt; ut quia toto mentis desiderio cœlestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea quæ contempserunt minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Item ibi: Clericos, quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes, necessaria vitæ accipiant; quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas. Porro si tales fuerint qui nec suas nec Ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissima gubernatione de facultatibus Ecclesiæ prælati debent subvenire, illud Prosperi attendentes: Quod habet, inquit, Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habeat. Sed et eorum curam nihilominus gerere debent, quos aut infirmitas aut senectus aggravat. Post hæc autem memorari oportet hoc, quod in Actibus apostolorum legitur: *Afferentes*, inquit, *pretia prædiorum suorum: et ponebant ante pedes apostolorum. Distribuebantur autem singuli, prout unicuique opus erat* (*Act.* IV, 35). Item: *Neque egens quisquam erat inter illos* (*Ibid.*, *v.* 34). Et rursum: *Nec quisquam suum esse aliquid dicebat; sed erant illis omnia communia* (*Ibid.*, *v.* 32). Ita ergo et solitarii nec suum quidquam dicant, sed sint fideles dispensatores, et ea quæ pauperibus dare debent, non nimis in suos

usus reflectant : ne quod absit, cum Juda, qui loculos Domini furatus fuerat, sententiam damnationis incurrant ; sed potius de fideli administratione ab ipso, cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur

CAPUT XLII.

Quibus horis oportcat solitarios reficere.

Statuendum itaque censeo quibus horis reficere debeant solitarii, ne forte quis propriam sequatur voluntatem, et remissius vivat quam necesse sit. Quapropter tali dispositione reor utraque tempora ordinari, hoc est, ab octavis Paschæ usque ad Pentecosten bis in die reficiant. His ergo diebus quarta et sexta feria usque ad nonam jejunent : quia sicut equis frena sunt imponenda, ita corpora nostra jejuniis sunt infrenanda. A Pentecoste usque ad Kalendas Septembris quarta et sexta septimaque feria jejunent usque ad nonam. Reliquis vero diebus ad sextam reficiant, et ad vesperam cœnent. A Kalendis autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant ; nisi forte quis voluerit jejunium usque ad vesperum protelare. In Quadragesima vero usque ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei manente omnia consummentur. Sed et omni tempore, sive cœnæ, sive refectionis hora sic temperetur, ut de luce fiant omnia. Præterea quoque si quis voluerit omni tempore jejunare, exceptis Dominicis et aliarum festivitatum diebus, non prohibeatur ei ; quia sic faciebant sancti Patres nostri Antonius, et Benedictus, nec non Macarius, et cæteri alii.

Sed licet omni tempore vita solitariorum Quadragesimæ debeat observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus ipsis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis nos temperemus ; orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni cordis atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus aliquid ad pensum solitum servitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam ; ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid cum propria voluntate et gaudio sancti Spiritus offerat Deo : id est, subtrahat corpori suo de cibo et potu, de somno et quiete, de loquacitate et scurrilitate ; et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.

Deinde omni tempore, sive prandii, sive cœnæ, mox ut surrexerint a refectione, sedeant, si duo fuerint simul, et legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certe aliquid unde ædificentur. Et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permiserit, si meridies fuerit, aut paululum in stratis suis requiescant, aut aliquod opus manuum agant. In tempore autem jejunii lectione lecta, si vespera fuerit, confestim ut a lectione surrexerint, ad completorium celebrandum veniant. Exeuntes autem a completorio nullatenus loquantur aliquid denuo, excepto si necessitatis causa prælatus aut aliquis e fratribus aliquid alicui indicare voluerit ; quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat. Si autem unus solummodo fuerit solitarius, similiter faciat. Omni siquidem tempore silentio studere debent solitarii, et maxime nocturnis horis. Si quis autem eorum nocturno tempore peculiariter voluerit orare, aut aliud aliquid agere, sic agat ne alium inquietet.

CAPUT XLIII.

De mensa solitariorum.

Quotiescunque solitarii aut de proprio labore aut de fidelium oblatione aliquam sufficientiam ciborum et potus habuerint, semper ad mensulam suam pauperes et peregrinos habeant, et cum illis Christum convivam esse noverint. Si vero pauperes minus habuerint, quos de fratribus voluerint vocare, charitatis causa in eorum pendeat arbitrio. Eis autem quos vocant, hoc quod Deus eis dederit, cum charitatis officio exhibeant. Ipsi tamen solitarii non solum a qualitate ciborum, sed etiam a quantitate se custodiant, et in pondere et mensura, cum sine hospitibus fuerint, vivant. Cum autem aliqui simul fuerint cum eis, communes in cibo et potu se exhibeant, ob vanam gloriam devitandam, sed constitutionem Regulæ non transcendant.

Sufficere enim credimus ad refectionem quotidianam duo pulmentaria cocta, propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno edere non potuerit, ex alio reficiatur. Et si fuerint poma, aut leguminum nascentia, addatur et tertium. Cibus autem illorum talis sit : aliquando olera et legumina, aliquando caseum et ova, interdumque pisciculos pro summis deliciis ducant. Quidquid enim, inquit Hieronymus, post gulam non sentitur, idem tibi quod panis et legumina. Panis autem libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ. Sunt enim qui plus, et sunt qui minus indigent ; quia nec robur unum inest cunctis corporibus : et ideo de ciborum qualitate et quantitate non facile a nobis oportet disputari, quia nec ab omnibus potest uniformis regula custodiri. Tamen studendum est ut non semper saturitas edendi finem faciat, sed voluntas ; nec impleat ventris saturitatem edacitas, sed comprimat parcitas. Unde ait Apostolus : *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Non enim carnis curam omnimodis interdixit, sed ut in desideriis ne fieret, prohibuit. A carnibus vero tam quadrupedum quam volucrum omnino abstineant, nisi forte aliqui in gravi ægritudine fuerint detenti. Ipsis enim pro reparatione tantum concedatur. Illico autem ut validiores effecti fuerint, a carnibus more solito abstineant.

CAPUT XLIV.

De crapula cavenda.

In quantum ergo solitarii possunt, delicias et ciborum opulentias fugiant ; et non solum a cupiditate pretiosorum ciborum, sed etiam a nimia perceptione

vilium se contineant : remota præ omnibus crapula, ut nunquam subripiat eis indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo crapula. Unde Dominus ait : *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Nihil enim sic inflammat et titillat membra genitalia quomodo indigestus cibus ructusque convulsus. Escæ enim multæ non solum corda nostra, sed etiam corpus et animam debilitant. Sæpe enim per ciborum aviditatem stomachi franguntur vires, necnon et abundantiam sanguinis, et choleram, et plurimas ægritudines escarum nimietate patimur. Idcirco tantum cibum unusquisque sibi concedat, quantum sustentatio corporis, non quantum desiderium carnis exposcit. Oportet itaque ut caro nostra subjecta sit animæ nostræ, et sicut ancilla famuletur dominæ suæ. Non enim bene possumus vigilare, cum dapibus fuerit venter noster onustus ; sed somno oppressi vigiliarum fructus amittimus, et maximum detrimentum animæ nostræ acquirimus. Nam sicut miles plurimo onere prægravatur et præpeditur ad bellum, ita præpeditur solitarius ad vigilias cum escarum largitate fervescit.

Sed et diabolus plurimum inde gaudet, cum Dei servos viderit nimio cibo refertos, sicut legitur de quodam viro venerabili, sancto Philiberto. Hic cum esset in quodam monasterio, et jugum Christi suave et onus ejus leve susciperet, in tantum religionis cultum excrevit, ut etiam viris perfectioribus in abstinentia et cæteris virtutibus imitabilis fieret. Cumque antiquus hostis ejus invideret abstinentiam, quadam die pulsavit animum illius ut ampliora sumeret cibaria. Post hæc vero in ipsa nocte, dum fuisset cibo saturatus, nutu Dei detectus inimicus sancto Philiberto per somnium est ostensus, et cœpit ventrem ejus velut gaudens palpare ac dicere : Modo hic bene, modo hic bene. Tunc miles Domini agnoscens jacula inimici, crucis se vallavit munimine, rigorem abstinentiæ deinceps studuit triplicare. Qua in re ostenditur qualibus quantisve muscipulis diabolus Dei servos præpedire molitur, quantum de nimia edacitate lætatur

Ideoque studeamus nos taliter ab escis temperare, ut si quando inimicus de nimia nostra edacitate exstiterit gavisus, de nostra iterum abstinentia abscedat confusus. Omnia tamen mensurate et cum discretione fiant ; quia nimia abstinentia ciborum non solum vires corporis frangit, sed etiam intentionem animæ minuit, mentisque ingenium marcescere facit, et vigorem orationis amittit. Quapropter quidquid cum temperamento fit, salutare est ; quod vero nimis et ultra modum fit, perniciosum est studiumque suum in contrarium vertit. Unde sanctus Antonius dixit : Sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo. Hinc beatus Gregorius ait : Plerumque enim dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter intus superbitur. Ideo admonendi sunt abstinentes, ut solicite se semper aspiciant, ne dum gulæ vitium fugiunt, in superbiam aut vanam gloriam incidant. Et rursum admonendi sunt, ut abstinentiam suam et semper sine intermutatione custodiant, et nunquam hanc apud occultum judicem eximiæ virtutis credant ; ne forte magni meriti se esse æstimantes, corda in elationem levent. Sic enim corpora nostra, vel etiam corporum incentiva rigore districtioris abstinentiæ castigemus, ut a carnalibus desideriis absoluti, sanctis virtutibus floreamus.

CAPUT XLV.

De mensura potus solitariorum.

Eamdem quippe mensuram potus quam sanctus Benedictus constituit monachis, eamdem et nos infirmorum contuentes imbecillitatem constituimus solitariis, id est, unicuique heminam vini per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant : *Unusquisque enim*, ut ait Apostolus, *proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (*I Cor.* VII, 7). Quod si loci necessitas, vel labor, aut infirmitas amplius poposcerit, in eorum consistat arbitrio ; considerantes tamen in omnibus ne eis satietas aut ebrietas subripiat. Licet enim legamus vinum omnino monachorum vel solitariorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis aut solitariis persuaderi non potest, saltem et hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibant, sed parcius, quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri posset, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, et non contristentur ; sed gaudeant, eo quod a tali peste sunt liberati. Hæc autem ante omnia admonendi sunt, ut absque murmurationibus sint.

De vino autem abstinendo Apostolus certam fixit regulam, dicens : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Quasi diceret, luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura. Et ideo solitarios non uti vino, sed inebriari prohibeo ; quandoquidem infirmum stomachum usus moderatus vini confortat, ebrietas vero animum corpusque debilitat. Denique Timotheo discipulo suo præcipit Apostolus dicens : *Noli aquam bibere ; sed modico vino utere, propter stomachi dolorem et propter frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt ; nec hoc eis offert voluntas, sed permittit infirmitas. Si autem infirmitas defuerit, a vino est abstinendum ; ne vini perceptio, quæ infirmum corpus sustentat, sanum incendat. Quoniam quidem vino uti et usui habere oleum nullus dixerit esse peccatum ; in his autem regionibus ubi defuerit oleum, si necessitas exposcerit, adipe utantur interdum.

CAPUT XLVI.

De ebrietate cavenda, et de laude sobrietatis.

Ante omnia autem ebrietatis vitium solitarii caveant, quia scriptum est : *Homo ebriosus servus est*

omnium vitiorum. Nullum enim peccatum vincere valet, qui multo vino captus est. Unde Salomon dixit : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicunque in his delectatur, non erit sapiens* (*Prov.* xx, 1). Et iterum : *Non intuearis in vino quomodo flavescit, dum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber; et sicut regulus venenum diffundet* (*Prov.* xxiii, 31). *Nullum secretum est, ubi ebrietas regnat* (*Prov.* xxxi, 4). Hinc beatus Hieronymus ait : Ebrietas semper flagitiorum mater est, radix criminum, materia culparum, et origo omnium vitiorum. Venter enim mero æstuans cito despumat in libidines. Quapropter ebrietatem fugiamus, ne crimen luxuriæ incurramus. Plerique homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam sanitatem, quia non temperaverunt gulæ ardorem. Per vinolentiam enim armatur os ad maledicta et convicia proximorum, et mens immutatur atque balbutit lingua. Hujusmodi enim vir cum se putat bibere, bibitur; sicut piscis cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, repente hamum inter fauces reperit, ita et ebriosus inimicum intra se vinum suscipit, et, heu! homo rationabilis ut irrationabile animal capitur. Nihil est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon. Idcirco non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas poscit, bibamus. Vinum enim nobis Dominus non ad ebrietatem, sed ad lætitiam cordis creavit. Nam sicut ebrietas mater est omnium vitiorum, ita sobrietas mater est omnium virtutum. Sobrietas quippe est corporis et animæ utilis medicina. Conservat autem memoriam, acuit sensum, sincerat (*sic*) mentem, mitigat vitia, frangit libidinem, propagat senectutem, revelat divini sacramenti arcana, atque stantem et in omnibus castum hominem facit. Itaque in omnibus exhibeamus nos sobrios, ut sobrietas nos per omnia exhibeat sanos et castos.

CAPUT XLVII.

Si omnes æqualiter necessaria vitæ debent acciper..

Beatus igitur Augustinus, vir per omnia discretus, ait : Victus et tegumentum non æqualiter omnibus tribuatur, sed potius sicut unicuique opus fuerit. Sic enim legitur in Actibus apostolorum : *Distribuebatur singulis prout unicuique opus erat; et nullus egens erat inter illos* (*Act.* iv, 34, 35). Ubi non dicimus quod personarum sit apud Deum acceptio, sed infirmitatum consideratio : ut qui minus indiget, gratias agat Deo; qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia, et tamen Deo gratias agat, quatenus in omnibus benedicatur Deus. Qua de re in Collationibus Patrum tale datur exemplum, et licet sit prolixum, est tamen in hac re proficuum, ut mihi videtur. Venit aliquando quidam monachus ab urbe Roma, qui in palatio magnum locum habuit, et habitabat in Sciti in vicinitate ecclesiæ. Habebat autem secum unum ex servis suis qui ministrabat ei. Videns autem presbyter ecclesiæ infirmitatem ejus, et recognoscens quia vir ille esset de deliciis, ex hoc quod Deus ei donabat mittebat ei. Qui cum viginti quinque annos fecisset in Sciti, factus est vir contemplator prævidens et nominatissimus. Audiens autem quidam de magnis monachis Ægyptiorum opinionem ejus, venit videre eum, sperans conversationem corporalem invenire apud eum plus arduam. Qui cum intrasset, salutavit eum, et facientes orationem sederunt. Videns autem eum Ægyptius vestitum mollibus rebus, et pellem stratam sub ipso, et modicum capitale sub caput ejus, sed et pedes mundos habentem cum galliculis, scandalizatus est intra se de eo, quia in illo loco non erat consuetudo taliter conversandi, sed magis duram abstinentiam habere consueverant. Senex autem ille Romanus habens contemplationem, sive prævidentiæ gratiam, intellexit quia scandalizatus fuisset Ægyptius monachus in ipso, et dixit ministro suo : Fac nobis hodie propter abbatem qui venit bonam diem. Coxit autem parva olera quæ habebat, et surgentes hora competenti comederunt. Habuit etiam modicum vini senex propter infirmitatem suam, et illud biberunt. Et dum factum esset vespere, dixerunt duodecim psalmos et dormierunt. Similiter et in nocte. Surgens autem mane Ægyptius ille dixit ei : Ora pro me. Et egressus est non ædificatus in eo. Et cum paululum discessisset, volens eum senex ille Romanus sanare, misit post illum et revocavit eum. Qui cum venisset, iterum suscepit eum cum gaudio. Et interrogavit eum dicens : Ex qua provincia es? Et ille respondit : Ægyptius sum. Et dixit : Cujus civitatis? At ille dixit : Ego omnino non fui de civitate, nec habitavi in ea. Et senex dixit ei : Antequam monachus esses, quid operabaris in possessione qua manebas? Et ille : Custos eram agrorum : Et dixit ei : Ubi dormiebas? Respondit Ægyptius : In agro. Et Romanus ait : Habebas aliquod stratum? Et ille : Ego in agro debui habere stramenta? Et senex : Quomodo dormiebas? Respondit Ægyptius : In terra nuda. Et Romanus ait : Quid manducabas in agro, aut quale vinum bibebas? Et ille : Manducabam panem siccum, et si inveniebam aliquid de salsamentis, et bibebam aquam. Ad hæc senex Romanus dixit ei : Grandis tibi labor erat. Et adjecit : Erat tibi vel balneum in possessione ubi lavares? Et Ægyptius : Non; sed in flumine lavabam quando volebam. Cum ergo hæc omnia senex ab eo inquisisset et cognovisset modum prioris vitæ ejus atque labores, volens eum proficere, narravit ei vitam suam præteritam, quam habebat, dum esset sæcularis, dicens : Me miserum quem vides, de magna civitate Romana sum, habens in palatio maximum locum apud imperatorem. Cumque audisset Ægyptius initia verborum ejus, statim compunctus est, et sollicite quæ dicebantur ab eo, auscultabat. Et senex adjecit : Reliqui ergo Romam, et veni in solitudinem istam. Et iterum dixit : Me quem vides, habui domos amplas et magnas, et pecunias multas, et contemnens eas veni, et maneo in ista parvula curva cella. Audi adhuc : Habui etiam lectos ex

auro vestitos, et pretiosissima stramenta : et pro his dedit mihi Deus stramentum hoc de papyro et hanc pellem. Sed et vestes meæ inæstimabili pretio erant, et pro his utor has viles rescellas. In prandio quoque meo multum aurum expendebatur, et pro illo dedit mihi Deus modica olera hæc et parvulum calicem vini. Erant et qui serviebant mihi plurimi servi, et pro omnibus illis, istum Deus compunxit ut ministraret mihi. Pro balneo autem profundo, aqua modica utor ad pedes meos, et galliculis propter infirmitatem meam. Et rursum pro calamis et cithara et alio musico opere quo delectabar in conviviis meis, decanto in die duodecim psalmos, similiter et in nocte ; sed et pro peccatis meis quæ ante faciebam exhibeo Deo modicum servitium. Unde rogo te, abba, ut non scandalizeris propter infirmitatem meam. Et hæc audiens Ægyptius atque in semetipso reversus dixit : Væ mihi, quia de multa tribulatione et labore sæculi magis ad repausandum in conversationem monachi veni, et quæ non habebam tunc, modo habeo : tu autem ex multa delectatione sæculi, voluntate propria, in tribulationem hanc venisti, et ex multa gloria ac copiosis divitiis, hanc humilitatem atque paupertatem arripuisti. Ex quo multum proficiens Ægyptius, vale dicto discessit ; et dehinc factus ei amicus sæpe ad eum veniebat suæ utilitatis causa. Erat autem idem Romanus vir discernens in bonis, et repletus optimo odore Spiritus sancti. Quapropter habenda est inter nobiles et ignobiles, inter sanos et infirmos, inter senes et juvenes magna discretio. Non enim possunt hi qui de deliciis veniunt, et hi qui nunquam in deliciis fuerunt, æqualem tenere rigorem abstinentiæ. Neque sani et infirmi æqualiter abstinere possunt. Idcirco secundum consilium Apostoli : *Is qui non manducat, manducantem non spernat ; et qui manducat non manducantem non judicet* (*Rom.* XIV, 3). Sed alterutrum pie supportantes considerent infirmitates illorum.

CAPUT XLVIII.

De infirmis et senibus solitariis.

Infirmorum autem et senum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur : Ipsemet enim in judicio dicit jusiis : *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* XXV, 36). Et, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Ibid.*). Sed et illi imbecilles et infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri ; et non superfluitate sua atque nugacitate verborum contristent fratres servientes sibi. Qui tamen, si excesserint, patienter sunt portandi ; quia de talibus copiosior merces acquiritur in regno Dei. Ergo cura maxima sit prælatis ac cæteris fratribus, ne aliquam negligentiam patiantur ; sed eis compatiendo subveniant, et assiduis visitationibus sanctarumque Scripturarum consolationibus, necnon et propriarum rerum facultatibus adminicula præbeant necessaria. Deputetur autem frater timens Deum, et diligens atque sollicitus, qui eis ea quibus opus habuerint misericorditer administret, et balnearum usus quoties expedit, offerat : Sed et carnium esus, si voluerint, pro reparatione tantum usque dum meliorati fuerint, comedant. Cellulæ infirmorum infirmitatis tempore sub sigillo minime habeantur, quatenus a fratribus visitari possint. Ipsi tamen caveant ne foras ultra constitutum terminum exeant, si ab episcopo sunt reclusi et sigillati. Non enim eos teneat sigillum ceræ vel plumbi, sed sigillum Christi. Sic namque legitur in libro Dialogorum fecisse quondam venerabilem virum, nomine Martinum : qui cum in quodam monte necdum clauso specu habitaret, catena sibi ferrea pedem ligavit, eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi quam catenæ ejusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, ei per discipulum suum mandare curavit : Si servus es Christi, non te teneat catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Martinus eamdem protinus solvit compedem, sed nunquam postmodum tetendit pedem ultra locum quo hunc tendere consueverat ligatum. Atque postea in tanto se spatio sine catena coercuit, in quanto et antea ligatus permansit. Ita ergo et reclusi faciant. Illico autem ut ab infirmitate convalescere cœperint, more solito ostium cellulæ sigilletur, et soli iterum maneant.

Curam autem habeant maximam prælati, ut diximus, ne a cellariis negligantur senes et infirmi; quia ad magistros respicit quidquid a discipulis delinquitur. Consideretur autem semper eorum imbecillitas, et nullatenus in eis districtio regulæ teneatur in alimentis sive cæteris necessariis ; sed sit in eis pia consideratio, et præveniant, si necesse fuerit, horas canonicas.

CAPUT XLIX.

De vestimentis et calceamentis solitariorum.

Oportet itaque solitarios sanctarum Scripturarum auctoritati parere, sanctorumque Patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitatem, quam corde gestant, actu, habitu, etiam ipso incessu religiosissime demonstrent : plusque velint sancta conversatione eximiisque moribus quam ornatu vestium fulgere. Quantum igitur a superfluo et immoderato cultu vestium se compescere debeant, multis sanctorum Patrum exemplis perdoceri potest. Ait enim beatus Gregorius : Nemo æstimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse ; quia si hoc culpa non esset, nullo modo Dominus Joannem de vestimenti sui asperitate laudasset. Hinc rursum ait : Nemo quippe vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. Nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Pro sola enim inani gloria vestimenta pretiosa quæruntur. Hinc Basilius dixit : Si enim studium nobis habendum est omnium nos esse minimos, et omnium novissimos, certum est quia et indumentis omnium nos putare debemus novissimos. Hinc Cassianus dicit : Oportet ut talis sit vestis solitarii, quæ corpus contegens, tantum verecundiam nuditatis cooperiat, et frigoris injuriam repellat, non quæ occa-

sionem vanitatis enutriat. Quæ ita sit vilis, ut nulla coloris vel compositionis novitate inter cæteros fratres spirituales insignis habeatur. Hinc Isidorus ait: Vestimenta solitariorum nec multum vilia, nec multum sint pretiosa: quia nimis pretiosa vestis animum ad lasciviam pertrahit; nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Hactenus de qualitate vestium diximus, nunc autem et de quantitate aliquid dicamus. Vestimenta quippe non multa, nec superflua sint solitariis, imitantes dictum Dei nostri ad discipulos suos: *Neque duas tunicas habeatis* (*Luc.* IX, 3) Quas duas tunicas non numero intelligere debemus, sed si alia gestamus, et alia causa avaritiæ servamus, hæc superflua sunt, et hæc pauperibus dare præcipimur. Unde sanctus Hieronymus ait: quidquid corpora nostra defendere potest, et humanæ succurrere imbecillitati, hoc una appellanda est tunica; et quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, unius diei victus appellatur. Unde et præceptum a Domino est ne cogitemus de crastino, hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus: *Habentes*, inquit, *victum et vestimentum, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa, et inutilia, et nociva, quæ hominem mergunt in interitum et perditionem* (*I Tim.* VI, 8). Qua de causa ad Regulam beati Benedicti recurrimus, et quantum ipse concessit monachis habere de vestimentis, et nos concedamus solitariis: id est, propter noctes, et propter ipsa vestimenta lavanda habeant, si monachi sunt, duas tunicas et duas cucullas. Si vero nondum assumpserunt propositum monachale, cucullas non induant, sed cappas; in æstate puram, in hieme villosam. Habeant enim pelliceam unam de pellibus, et duas staminеas, et duo femoralia. Femoralium autem usus cuiquam permittendus est, et maxime his qui in ministerio altaris implicantur. Reliqui vero gradus utrum ea velint gestare, an non, in ipsis sit. Sint etiam illis indumenta pedum, caligæ, et pedules, et subtelaria. Hæc autem consideratio in eorum pendeat arbitrio, ut secundum qualitatem locorum ubi habitant et aerum temperiem vestimenta habeant, quia in frigidis regionibus amplius indigetur quam in calidis. Præterea quoque sacerdotes vestimenta sacerdotalia et altaris lineamina cum summa diligentia conservent nitida; id est, unusquisque casulam unam, albas duas, amictus duos, stolas duas cum manipulis, duos etiam corporales, et duos linteos semper habeant nitidos, sicut tantum decet ministerium.

CAPUT L.

De lectisterniis solitariorum.

Solitarii autem sicut in cæteris, ita etiam in lectisterniis modum tenere debent discretionis, id est, non pretiosa velint habere lectualia, sed vilia: vestimenta quippe et calceamenta, vel lectualia eorum, nec nitida nimium, nec abjecta sint plurimum. Inter utrumque enim, ut diximus, virtus discretionis tenenda est. Sufficiant autem eis stramenta lectorum, matta et cilicium, sagum, vel toxa et capitale. Vestiti quoque dormiant et cincti, ut semper sint parati. Quiescentes autem in lectulis suis frequenter decantent cum Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 6). Et iterum: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* (*Psal.* CXVIII, 55). Et si ante non surrexerint, vel facto signo absque mora surgentes, festinent ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Cum autem surrexerint, primum signum crucis frontibus suis imprimant, et cum silentio dicant: *Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* LXIX, 1). Et hoc cantantes mox ad oratorium pergant, et prostrati in terra humiliter cum lacrymis et gemitu orent. Expleta autem oratione, necessaria corporum suorum provideant. Inde revertentes illico nocturnum officium solemniter et devote incipiant. Euntes autem aliquo vel redeuntes semper ore et corde aliquid psallant, quatenus cum Propheta fiducialiter dicere queant: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 1).

CAPUT LI.

Ut certo tempore sese raaant, ne sint comati.

In barbis quoque radendis et capillis tondendis tenendus est etiam a solitariis modus discretionis. Nam, sicut legitur in Vitis Patrum, fuit quidam vir sanctus, nomine Apollonius, qui eos valde reprehendebat, qui barbam et comam capitis nutriebant. Dicebat autem: Certum est quod isti ab hominibus laudem quærunt, et ostentationis causa barbam vel comam capitis nutriunt; cum mandatum sit etiam ipsa jejunia in occulto celebranda, ut Deo soli sint cognita, qui videt quæ in occulto sunt, et reddit in palam. Sed ut mihi videtur, isti non sunt contenti ejus remuneratione qui videt in occulto, sed manifestari se apud homines volunt. Unde etiam ad quemdam Romanum fertur dixisse beatus Gregorius istud proverbium: Si sanctitas, inquit, in barba est, tunc nemo sanctior est hirco. Quapropter juxta considerationem rationis arbitror congruum fore ut solitarii, et præcipue illi qui sacra mysteria contrectant, de quadraginta in quadraginta diebus se radant, et capillos tondeant, ut juxta Apostolum: *Exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus eum qui renovatur in agnitionem Dei* (*Coloss.* III, 3). Id est, criminibus carnis nostræ, quasi crinibus capitis exuamur, atque inde innovatis sensibus enitescamus. Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Habeant etiam infra cellulam retrusionis dolium, et quoties expedit, sacerdotes pro munditia corporis balneorum usibus fruantur. Sed fortasse aliqui dicent: Sanctus Antonius nunquam se balneavit. Quibus breviter respondendum est: Si sanctus Antonius nunquam se balneavit, nec unquam missam cantavit; ideoque balneorum

usus in sacerdotum relinquitur arbitrio, ut mundi et digni habeantur sacra mysteria celebrare.

CAPUT LII

De discipulis solitariorum, et de eorum obedientia.

Discipuli ergo solitariorum sæpe admonendi sunt, ut sic vivant, quatenus aliis bonum exemplum præbeant, et humiliter magistrorum imperiis subjaceant. Mox ergo ut aliquid eis imperatum a magistris fuerit, ac si divinitus imperetur moram pati nesciant in faciendo. Sed ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non tarde, non tepide aut cum responso nolentis efficiatur; quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit : *Qui vos audit, me audit*, etc. (*Luc.* x, 16). Nam cum malo animo si obediat discipulus, et non solum ore, sed etiam corde si murmuraverit, quamvis impleat jussionem magistri, tamen acceptabile non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit. Quapropter hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, secundum Domini sententiam qui dixit : *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me* (*Joan.* vi, 38); mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequantur. Unde in Collationibus Patrum tale datur exemplum : Abbas Sylvanus habuit discipulum quemdam, nomine Marcum, et hic fuerat magnæ obedientiæ, quique etiam scriptor erat. Diligebat autem eum senex propter obedientiam suam. Habebat autem alios undecim discipulos, qui contristabantur pro eo quod eum diligeret plus eis. Quod cum audissent vicini seniores, quia plus eum cæteris suis discipulis diligeret, moleste tulerunt. Una autem die venerunt ad eum : quos assumens secum abbas Sylvanus, egressus cœpit singulorum discipulorum suorum cellas pulsare, dicens : Frater, veni, quia opus te habeo; et unus ex eis non est mox secutus eum. Venit autem ad cellam Marci, et dixit ei : Veni, frater, quia opus te habeo. Ille autem scribebat, et non perfecit litteram O, et venit. Et dixerunt senes : Vere, abba, quem tu diligis, diligimus, quoniam et Dominus diligit eum. Ideo istud hic posui exemplum, ut discant discipuli agere obedientiam sine mora. Ipsi quoque discipuli non sint superbi, non tardi, non turbulenti, non vinolenti, non multum edaces; sed sint moribus honesti, ac Deum timentes. Qui etiam ea quæ Deus dederit tempore opportuno diligenter magistris administrent, et in ministrando nullatenus eos contristent; memores semper divini sermonis, ubi ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis, qui in me credunt*, etc. (*Matth.* xviii, 6.) Illud etiam ad memoriam revocent quod ait Apostolus : *Qui bene ministrat, gradum bonum sibi acquirit* (*II Cor.* ix, 7). Et rursum : *Hilarem datorem diligit Deus* (*Ibid.*). Cui autem substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus. Sicut scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum* (*Eccli.* xviii, 16, 17). Omnia autem vasa eorum cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciant. Nihil ducant negligendum, neque avaritiæ studeant, neque sint prodigi, et exstirpatores substantiæ illorum; sed omnia mensurate faciant, et secundum jussionem magistrorum. Non enim velint habere solitarii plures discipulos, quia nequaquam vincere avaritiam possunt quando ad multorum sustentationem intendunt. Habeat autem unusquisque unum, aut duos, vel ad plurimum tres discipulos. Paucos tamen condiscipulos ad convivendum et plures ad docendum. Non tamen dicimus ut scholas generaliter teneant; quamvis liceat, non tamen expedit. Unde Apostolus : *Omnia*, inquit, *mihi licent, licet non omnia expediunt* (*I Cor.* vi, 12).

CAPUT LIII.

De zelo bono quem debent habere solitarii erga discipulos.

Ut autem ait sanctus Benedictus, sicut est zelus bonus qui separat hominem a vitiis et ducit ad Deum et ad vitam æternam, ita est et zelus amaritudinis qui separat a Deo et ducit ad infernum. Hunc ergo zelum qui ad vitam ducit æternam, ferventissimo amore exerceant solitarii erga discipulos, id est, ut infirmitates illorum sive corporum, sive morum, patientissime tolerent, et si forte aliquid deliquerint, cum omni moderatione eos corripiant. In ipsa autem correptione prudenter agant, et plus studeant amari quam timeri. Et ne quid nimis, ne dum nimis eradere cupiunt rubiginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspecti sint; meminerintque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittant nutriri vitia, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox ut oriri cœperint, quantum prævalent, radicitus ea amputent; memores semper quia Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est (*I Reg.* ii). Quapropter teneant consilium Apostoli dicentis: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*I Tim.* iv). Id est, indisciplinatos durius argue, obedientes et mites, ut in melius proficiant, obsecra; negligentes et contemnentes increpa; omnia tamen cum patientia. Improbos autem, et duros, et superbos, vel inobedientes, si ætas siverit, verberum castigatione et corporum afflictione coerceant, sicut scriptum est : *Percute filium tuum virga, et animam ejus de inferno liberabis* (*Prov.* xxiii, 14). Hoc summopere perpendentes ut juxta qualitatem vulnerum exhibeant fomenta curationum. Caveant autem ut, dum alios de admonitionibus suis emendare procurant, ipsi ab omnibus vitiis emendati inveniantur; ne forte aliis prædicantes, ipsi (quod absit) reprobi efficiantur.

CAPUT LIV.

Quomodo jejunare debeant solitarii.

Sic enim necessaria nobis sunt jejunia sicut vulneribus medicina, ita tamen ut duarum rerum testi-

monio comprobentur, id est, oratione et eleemosyna. Unde beatus Augustinus ait : Bonum est jejunare, sed melius est eleemosynam dare. Eleemosyna enim sufficit sine jejunio, jejunium vero non sufficit sine eleemosyna. Tale est jejunium sine eleemosyna qualis est sine oleo lucerna. Et sicut lucerna quæ sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest; ita jejunium sine eleemosyna, carnem quidem cruciat, sed charitatis lumine animam non illustrat. Sed quærendum nobis est quomodo solitarii eleemosynam dare jubentur, qui non solum facultates, sed etiam seipsos Domino fideliter obtulerunt. Ad hæc non ego, sed Dominus per prophetam respondit, dicens : *Frange esurienti panem tuum*, etc. (*Isai.* LVIII, 7). Non enim dixit : Da esurienti totum panem tuum, sed ait : *Frange esurienti panem tuum.* Unde Apostolus : *Non*, inquit, *ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio. Sed ex æqualitate vestra abundantia aliorum sustentet inopiam; ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* (*II Cor.* VIII, 13). Et alias scriptum est : *Si multum tibi fuerit, multum tribue; si autem exiguum fuerit, etiam exiguum da* (*Tob.* IV, 8). Tria sunt enim genera eleemosynarum quæ indesinenter agere debemus, unum corporale, egenti dare quidquid poterimus : alterum spiritale, dimittere a quo læsi fuerimus; tertium, delinquentes corrigere, et errantes in viam veritatis reducere. Ad hæc autem jungatur oratio, et erit jejunium perfectum. Unde dictum est : *Bona est oratio cum jejunio* (*Tob.* XII, 8). Per jejunia enim et orationes occulta mysteriorum cœlestium revelantur, divinique sacramenti arcana panduntur. Non enim quispiam potest virtutem perfectionis attingere, nisi prius ventris edomaverit ingluviem. Jejunia quippe moderata debent esse, ne nimis debilitent stomachum, quia modicus et temperatus cibus utilis est corpori et animæ. Quærendum est etiam si biduana ac triduana jejunia facere oporteat solitarios. Ad quod beatus Hieronymus respondens, ait : Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, multoque melius est quotidie parum comedere, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est quæ sensim descendit in terram; nam subitus et nimis imber in præceps arva subvertit. Qua de re in Collationibus Patrum ita legitur : Interrogavit, inquit, abbas Joseph abbatem Pasterem dicens : Quomodo opus est jejunare? Et respondit : Bonum est ut monachus vel solitarius quotidie comedat, et paululum subtrahat sibi de cibo ne satietur. Et dixit abbas Joseph : Ergo quando juvenis eras, non jejunabas biduanas : Dixit senex : Crede mihi, quia et triduanas et hebdomadam; sed hæc omnia probaverunt senes magni, et invenerunt quia bonum est quotidie manducare, et parum, ut sit quotidie esuries. Hanc enim viam regiam levem nobis esse demonstraverunt. Nam biduana et triduana jejunia vanam gloriam ostendunt. Alius quidam frater interrogavit dicens : Jejunia et vigiliæ quas facit homo, quid proficiunt? Dixit ei senex : Quoniam ipsa sunt quæ faciunt humiliari animam. Unde dicebat David : *Humiliabam in jejunio animam meam; oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XLIII, 13). Nam justi et prophetæ nostri, quando a Deo aliquid impetrare volebant, jejunio se affligebant; et sic quod postulabant, impetrare se gaudebant. Ita et nos jejunando humiliemus animas nostras, et tunc quod poposcerimus, a Deo impetrabimus. Non ergo nos præferamus eis qui jejunii nostri non valent obtinere mensuram, ne forte plus humilitatis aliarumque virtutum habeant illi unde jure nobis jejunantibus et abstinentibus præferantur. Neque enim istud jejunium corporale ad perfectionem nobis proficit, nisi fuerit huic animæ quoque jejunium copulatum. Habet namque anima suos noxios cibos, a quibus impinguata etiam sine escarum abundantia ad luxuriæ præcipita devolvitur. Nam superbia, vana gloria, detractio, et invidia, et cætera talia cibus ejus sunt. Nihil ergo nobis prodest ab escis carnalibus abstinere, et talibus vitiis pectus replere. Quocirca si volumus nobis abstinentiam jejuniaque proficere, ab his et ab aliis omnibus vitiis nobis caveamus, et ad sanctarum culmen virtutum, divina opitulante gratia, nitamur conscendere.

CAPUT LV.

Quod solitarii pro hospitibus jejunium solvant.

De susceptione itaque supervenientium fratrum ob causam charitatis beatus Prosper ita loquitur, dicens : si enim propter quoslibet advenientes jejunio internisso reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium. Cæterum si propter abstinentiam vel jejunium meum spirituales fratres, quos novi mea remissione delectari, contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium. Quoniam quidem ipsa abstinentia ac jejuniorum continuatio, nisi fuerit, quando res exigit, prætermissa, et me inflat, et fratrem meum, cui charitas jubet servire, contristat; vel certe mihi nihil inesse charitatis supernæ demonstrat. Hinc sanctus Benedictus ait : Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est : *Hospes fui, et suscepistis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis. Et post pauca : jejunium, inquit, frangatur a monacho vel solitario propter hospitem, nisi forte præcipuus sit dies jejunii qui non possit violari. Aliis vero temporibus consuetudines jejuniorum prosequantur. Pauperum vero, et peregrinorum maxime, cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. Qua de re in Collationibus Patrum tale datur exemplum. Abbas Sylvanus, dum cum discipulo suo Zacharia ad quoddam monasterium visitandi gratia pervenisset, fecerunt eos monachi, antequam egrederentur, charitatis causa reficere. Erant autem dies jejunii. Postquam autem egressi sunt, invenit discipulus ejus aquam in via, et voluit bibere; et respiciens abbas Sylvanus ait : Zacharia,

noli bibere, an nescis quia jejunium est hodie? At ille dixit : Nunquid non manducavimus hodie, Pater, ad monasterium et bibimus? Dixit senex : illud manducare charitatis fuit; nos autem teneamus jejunium nostrum, fili. Hinc patenter ostenditur quia cum discretione utrumque possumus agere, et cum supervenientibus hospitibus charitatis causa aliquando reficere, et jejunii regulam non prætermittere. Itaque sanctus Cassianus de eadem re interrogavit quemdam senem, dicens : Cur sic indifferenter apud vos quotidiana jejunia pro hospitibus solvuntur? Respondit senex : Jejunium semper mecum est : Vos autem continuo dimissurus sum, et mecum jugiter tenere non potero; ideo charitatis officium in vobis impleo, et adjecit dicens : Non enim *possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus: Cum autem discesserit, tunc jejunabunt* (*Matth* IX, 15). Ita et nos vobis dimissis licite jejunii nostri regulam observabimus.

A

B

CAPUT LVI

De charitate.

Charitas est dilectio Dei et proximi in toto corde et in tota mente. Inter cæteras quippe virtutes charitas obtinet principatum : sine ipsa quidem ad perfectionis culmen nemo conscendere valet. Tunc enim homo perfectus est, quando charitate plenus est, quam nos habere Apostolus præcipit, dicens : *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (*Col.* III, 14). Et iterum : *Charitatem fraternitatis invicem diligentes* (*Rom.* XII, 10). Hinc Petrus apostolus ait : *Ante omnia autem charitatem in vobismetipsis continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8). Hinc Joannes apostolus ait : *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV, 8). Quamobrem tenenda est ab omnibus sanctis viris unitas charitatis, et præcipue a solitariis; quia quanto se subtrahunt mundo, tanto necesse est ut habeant dilectionem in Deo et proximo; tunc servant in se dilectionem Dei, quando a charitate non dividuntur proximi. Unde ipsa Veritas ait : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). Quantam enim charitatem sancti Patres nostri habebant ad invicem, in præsenti exemplo manifestatur quod subditur : Quodam tempore venit quidam frater ad sanctum Macarium, et obtulit ei causa charitatis uvam unam. Ille autem gratias egit Deo pro fratris officio; statim ad alium fratrem, qui ei infirmior videbatur, secundum charitatem detulit eam; sed et ipse nihilominus plus de proximo quam de semetipso cogitans, ad alium fratrem detulit eamdem uvam : et ille iterum ad alium detulit eam; et rursus ille ad alium; et sic per omnes cellulas, quæ longe lateque per eremum erant dispersæ, ipsa uva circumportata est, ignorantibus omnibus quis eam primus misisset. Gratulans autem sanctus Macarius quod tantam videret in fratribus charitatem tantamque continentiam, ad ampliora semetipsum spiritualis vitæ extendit exercitia. Credo enim quod inter istos sanctos fratres erat perfecta charitas, quia nemo ex eis quærebat quæ sua sunt, sed quæ alterius. Tanta est enim virtus charitatis, sicut Apostolus testatur (*II Cor.* XIII), ut nec martyrium, nec sæculi contemptus, nec eleemosynarum largitio sine ipsa quidquam prosit. Quocirca si volumus ad supernam patriam feliciter pervenire, charitatem Dei et proximi studeamus veraciter habere : quia sicut sine via nemo potest pervenire quo tendit, ita sine charitate, quæ dicta est via, non ambulare possumus, sed errare. Omnis insuper bonitas ex charitate et humilitate procedit. Et sicut ignis sine calore et splendore esse non potest, ita et charitas sine humilitate et vera obedientia esse non potest. Scien dum est autem quia humilitas et obedientia ac reliquæ virtutes cum corpore incipiunt, et cum corpore deficiunt, et tamen merces earum permanet in æternum; charitas vero in præsenti incipit sæculo, et in futuro permanet cum Deo.

C

D

CAPUT LVII.

De humilitate.

Ad fastigium ergo veræ humilitatis suo nos Dominus exemplo provocare dignatus est, dicens : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 29). Hinc Petrus apostolus ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei et exaltabit vos* (*I Petr.* V, 6). Hinc enim datur intelligi, quia quanto quisque se pro Christi amore inclinat ad ima, tanto proficit in excelso; et quanto superbus gloriosior apparet inter homines, tanto dejectior erit ante Deum. Unde idem Dominus ait : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 14). Nam cum hæc dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ. Deus enim humilis factus est nostræ salutis causa : erubescat homo superbus esse, quia, ut ait Salomon, *ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem humilitas, ibi et sapientia* (*Prov.* XI, 2). Et, Super eum requiescet Spiritus sanctus. Unde ait Dominus per prophetam : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isa.* LXVI, 2)? Quapropter quicunque humilis et quietus non erit, non potest in eo habitare gratia Spiritus sancti. Illi autem panduntur secreta, et quod latet in divinis sermonibus, qui humilitatem tenet in moribus. Semper autem conscientia solitariorum humilis debet esse et tristis, scilicet ut per humilitatem non superbiat, et per utilem mœrorem cor ad lasciviam non dissolvat. Per humilitatem etiam spiritus immundi Dei servis subjiciuntur. Unde in Collationibus Patrum ita legitur : Homo qui a dæmonio vexabatur, et fortiter spumabat, vidit quemdam senem solitarium, et elevans manum percussit eum in maxilla; senex vero secundum Domini præceptum convertit ei alteram. Statim autem dæmon non ferens incendium humilitatis illius, clamans et ejulans discessit ab eo. Alio denique tempore transiens abbas Macarius per eremum, ecce

occurrit ei diabolus in via cum falce messoria. Voluit autem illum percutere de falce illa, et non potuit. Et dixit dæmon : Multam violentiam patior a te, o Macari, quia non possum prævalere adversum te. Ecce enim quidquid tu facis, et ego facio. Tu jejunas, ego nihil comedo; tu vigilas, ego omnino non dormio. Unum est autem solum in quo me superas. Et dixit ei abbas Macarius : Quid est illud? et respondit diabolus : Humilitas tua me vincit, propter quam non prævaleo adversum te. O quanta est virtus humilitatis, quæ non solum homines salvat, sed etiam dæmones superat! Quanta autem sit virtus humilitatis iterum beatus Antonius ostendit, dicens : Vidi omnes laqueos Satanæ tensos in terra, et ingemiscens dixi : Quis putas transiet istos? et audivi vocem dicentem mihi : Humilitas. Quocirca inclinemus cervicem cordis in vera humilitate, ut omnes laqueos Satanæ possimus illæsi transire. Tunc enim veram humilitatem habebimus, si quando peccaverit in nos frater noster, antequam ille pœniteat, indulserimus ei. Et tunc veram humilitatem habemus, quando nec læsi irascimur, nec alios irasci permittimus; sed potius pro ipsis ex corde oramus. Præterea quoque si cui de humilitate altius libuerit perscrutari, ad Regulam sancti Benedicti recurrat, ibique duodecim humilitatis gradus satis luculenter expositos inveniet.

CAPUT LVIII.

De obedientia.

Obedientia itaque dicitur obtemperantia, eo quod humiliter quis obediat vel obtemperet imperanti. Recte enim ille obediens vocatur, qui per obedientiæ humilitatem Deo se toto animo subdit, et ejus præcepta humilitate implet. Ille etiam recte obediens vocatur, qui præcepta magistri juxta vires humiliter implere studet. Nam Christus Dominus noster qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, factus est obediens pro nobis Patri usque ad mortem, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Ideoque omne quod solitario injunctum fuerit ab aliquo religionis gratia, libenter obtemperet imperanti : et si forte aliqua gravia aut impossibilia ei injunguntur, libenter quidem et cum omni mansuetudine jubentis imperium suscipiat. Quod si omnino virium suarum mensuram hoc quod ei injungitur viderit excedere, non resistendo illud spernat, sed causam impossibilitatis suæ ei qui sibi injunxerat humiliter et patienter enarret, quatenus ejus moderamine quod illi onerosum fuerit, sublevetur, ut contradictionis vitio careat. Sancti quoque Patres nostri per obedientiæ laborem ad celsitudinis perfectionem pervenerunt. De pluribus autem unum, miræ obedientiæ virum, hic inserere studeamus. Quidam enim sæcularis homo renuntiavit sæculo, et venit ad monasterium, relinquens tres filios suos in civitate; et cum fecisset tres annos in monasterio, cœperunt ei cogitationes suæ filios ad memoriam frequenter adducere, et contristabatur pro eis valde. Videns autem eum abbas tristem, dixit ei : Quid habes quod tristis es? Et narravit ei quia tres filios haberet in civitate, et quia vellet eos ad monasterium adducere. Præcepit autem ei abbas ut adduceret eos. Qui cum perrexisset in civitatem, invenit duos ex his jam fuisse defunctos, unum vero solummodo remansisse. Quem assumens venit ad monasterium. Erat autem abbas ad pistrinum. Ille vero tollens filium suum quem adduxerat, abiit ad abbatem in pistrinum; et videns eum abbas venientem salutavit, et tenens infantem, quem adduxerat, amplexatus est eum et osculabatur. Et dixit patri ejus : Amas eum? Et ille respondit : Etiam. Et rursus dixit ei : Omnino diligis eum? Et respondit : Etiam. Hæc audiens abbas, dixit ei : Tolle ergo, si amas eum, et mitte in furnum sic modo dum ardet. Et tenens eum pater suus jactavit eum in clibano ardenti : statim autem factus est clibanus velut ros. Ex qua re acquisivit gloriam in tempore illo, quemadmodum patriarcha Abraham. O quam magnam obedientiam habuit iste sanctus vir, qui nec proprio filio suo pepercit, sed ad unius jussionem abbatis ignibus eum tradidit! Puto enim quia si illi præcepisset abbas obedientiæ causa in clibanum intrare, intrasset utique. Nos ergo qui per inobedientiam mandatorum Dei ac sanctorum ejus, necnon et magistrorum nostrorum, recessimus a Deo, per obedientiæ laborem redeamus ad illum, qui dixit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28).

CAPUT LIX.

De virtute patientiæ.

Patientia enim vera est, in præsenti injurias fortiter sustinere, et in futuro vindictam non quærere, sed ex corde ei qui mala irrogat ignoscere. Nam sunt nonnulli qui ideo per aliquod spatium temporis patienter sufferunt injuriam, ut subsequenter facilius vindicare se queant : isti tales veram non habent patientiam. Ille enim vere patiens est, qui et ipsum amat quem portat : nam tolerare et odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. In patientia enim quærenda est virtus mansuetudinis et ignoscendi facultas, non vindicandi opportunitas. Sicut enim patienter sufferre debemus injurias ab aliis in nos illatas, ita et tribulationes infirmitatum quæ nobis eveniunt patienter sufferre necesse est. Probabitur enim homo flagellis Dei, quo animo bene faciat, et qua fortitudine tentationes sibi supervenientes sufferat. Unde ait Apostolus : *Tentat enim vos Deus, ut sciat si diligatis eum* (*Deut.* XIII, 3). Tribus enim modis solent accidere tentationes Dei servis. Uno modo tentantur a Deo per flagella; alio modo a diabolo per illusiones et diversas machinationes; tertio modo tentantur a proximo per damna, et contumelias ac persecutiones. Sed ille beatus est qui hæc omnia patienter tulerit; de tali enim viro dicit Scriptura : *Beatus vir qui suffert tentationem*, etc. (*Jac.* II, 13).

Sine ferro autem martyres esse possumus, si pa-

tientiam veraciter in animo servamus. Tanto enim quisque minus ostenditur doctus, quanto minus convincitur patiens. Unde per Salomonem dicitur: *Doctrina viri per patientiam noscitur* (*Prob.* XIX, XI). Super omnia autem contumelias detrahentium patientia superemus; sagittas contumeliæ patientiæ clypeo frangamus; contra linguæ gladium patientiæ scutum præbeamus. Et si quis nobis intulerit mala, nequaquam irascamur contra illum; sed potius doleamus pro illo, quia Deus illi irascitur. Videamus autem quantam patientiam iste sanctus senex habebat, de quo hic locuturi sumus. Erat in eremo magnus quidam senex, qui de labore manuum suarum vivebat: et erat alius frater vicinus ei, qui sæpe ingrediebatur, et rapiebat quidquid senex habebat in cella. Videbat autem eum senex, et non objurgabat eum; sed extorquebat sibi plus solito manibus operari, dicens: Credo, opus habet ille. Astringebat autem ventrem suum, et cum indigentia manducabat panem. Cum autem mori cœpisset senex ille, circumsteterunt eum fratres, et respiciens in eum qui furabatur, dixit ei: Junge te huc ad me; et tenuit manus ejus, et osculatus est eas, dicens: Gratias ago istis manibus, frater, quia propter istas vado ad regnum cœlorum. Ille autem, compunctus et pœnitentiam agens, factus est etiam ipse probatus monachus, exempla sumens de actibus magni illius senis. Valde enim laudabilis est patientia ejus sancti monachi, sed valde laudabilior est patientia Christi. Senex iste rapientem fratrem vidit et tacuit; Christus vero opprobria, contumelias, irrisiones, alapas, sputa, flagella, spineam coronam crucemque sustinuit, et nec contumeliosum cuiquam verbum respondit. Iste enim raptoris manus deosculans gratias egit; Christus autem in cruce positus pro persecutoribus exoravit. Sed in his omnibus exemplum patientiæ nobis reliquit. Quapropter studeamus patientes esse ad omnes et in omnia, quia, ut ait Christus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Simus mansueti, quia, ut ait Propheta: *Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI, 11). Quisquis igitur lenis, mitis et patiens est, Dei filii imitator est. Et quisquis amplectitur pacem in mentis suæ hospitio, mansionem in se præparat Christo, quia Christus pax est et in pace requiescere consuevit.

CAPUT LX.

De discretione.

Discretio namque est mater omnium virtutum, et ideo in omnibus tam spiritualibus quam corporalibus operibus tenenda est a solitariis temperantia discretionis, ne superflue laborantes corde pariter et corpore deficiant. Sed sic omnis eorum actio temperetur, quatenus alacri animo plus se adhuc cupiant in bonis operibus exercere. Sive enim sint vigiliæ, sive jejunia, sive abstinentia, et cætera his similia, sic temperentur, ut nec animi virtus succumbat, nec corporis fortitudo lassescat. Unde quidam Patrum dicebat: Corpus nostrum sic est fragile sicut vestimentum. Si diligenter tractabimus illud, stabit; sin autem, in parvo tempore corruet. Prætorea quoque supervenit quidam venationem faciens in silva agrestium animalium, et vidit abbatem Antonium gaudentem cum fratribus, et displicuit ei. Volens autem ei senex ostendere quia oportet aliquando condescendere fratribus, dixit ei: Pone, quæso, sagittam in arcu tuo, et trahe. Et fecit sic. Et dixit iterum: Trahe; et traxit. Trahe adhuc; et traxit. Dixit ei venator: Si super mensuram traxero, frangetur arcus. Dixit ei abbas Antonius: Ita est in operibus Dei; si plus a mensura tendimus, fratres cito deficient. Expedit ergo vel ad momentum relaxare rigorem eorum. Hæc audiens venator compunctus est; et multum proficiens in sermone senis discessit: et fratres confirmati tum reversi sunt ad locum suum. Hæc ergo aliaque testimonia discretionis consideranda sunt a solitariis; et sic omnia temperent atque discernant, ut ipsi nimis fatigati non deficiant, et alii a cœpto itinere non refugiant.

CAPUT LXI.

De taciturnitate.

Taciturnitas autem virtus est humilitatis et indicium gravitatis, nutrix virtutum et custos animarum. Hinc Salomon ait: *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam* (*Prov.* XXI, 23). Quanto igitur quisque sub silentio deprimit se, tanto compunctionis aciem in cœlo figit; et quanto taciturnitatis freno constringit linguam, tanto ad cœlestia erigit mentem suam. Ideoque solitarius taciturnitatem diligat, et a malo ac pravo, vel omni stultiloquio linguam suam coerceat dicatque cum Propheta: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII, 1). Et iterum: *Posui ori meo custodiam* (*Ibid.*). Et rursum: *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Ibid.*, *v.* 3). Ille enim bene vias suas, id est actus vitæ suæ, custodit, qui in lingua minime offendit. Ille etiam bene ori suo custodiam ponit, cujus lingua nec in maliloquium, nec in vaniloquium, nec in multiloquium procaciter fluit. Ne ergo in maliloquium labatur lingua, ponat unusquisque nostrum ori suo custodiam, et diligenter attendat quid de male loquentibus dicat Propheta: *Disperdat*, inquit, *Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam* (*Psal.* XI, 4). Quid etiam de multiloquio Salomon dicat, audiamus: *In multiloquio*, inquit, *non effugies peccatum; et qui multis utitur verbis, lædit animam suam* (*Prov.* X, 19). Hinc iterum Propheta: *Si quis vult veram et perpetuam habere vitam, et cupit dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo; et labia ejus ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII, 14). Hinc Apostolus ait: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jac.* I, 26). Hinc beatus Ambrosius ait: Est homo qui silentium quidem affectat, sed cor ejus multum se condemnat: iste talis multum loquitur; et est alius qui a mane usque ad vesperam loquitur, et cum discretione, silentium magnum custodit. Hoc

autem dicebat de illo qui sine utilitate audientium A nunquam loquitur. Ille enim bene taciturnitatem custodit, qui usque ad interrogationem non loquitur. Quapropter solitarius modum loquendi non transeat; maneat in verbo ejus mensura, in sermone statera. Semper verba ejus sint moderata, et plus diligat semper audire quam loqui; et ne prius respondeat verbum, quam audiat. Unde scriptum est: *Qui ante respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat* (*Prov.* XVIII, 13). Nam loqui et docere, ut ait sanctus Benedictus, magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit. Et si qua sunt requirenda a magistro, cum omni humilitate et subjectione reverentiæ requirantur. Scurrilitates vero, vel verba otiosa et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad talia B eloquia discipulum os aperire non permittimus.

CAPUT LXII.

De cavenda detractione, et quod duobus modis potest aliquis sine peccato alieni peccata dicere.

Quanquam enim beatus Hieronymus dicat quia non est detrahere verum dicere, tamen cavenda est omnimodis detractio a solitariis, monente beato Jacobo apostolo: *Nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, fratres mei, qui enim qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem* (*Jac.* IV, 11). Hinc Salomon ait: *Remove a te os pravum, et detrahentia labia procul sint a te* (*Prov.* IV, 24). Et iterum: *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum* C (*Prov.* XIV, 21). Hinc Hieronymus ait: Cave ne linguam aut aures habeas purulentes, id est, non ipse detrahas, aut alios detrahentes audias; quia qui detrahit, et qui detrahentem libenter audit, utrisque unum crimen est. Hinc Isidorus ait: Ne detrahas peccanti, sed condole; et quod in alio detrahis in te potius pertimesce. Hinc etiam in Vitis Patrum dicitur: Melius est, inquit, quotidie carnem comedere et vinum bibere, quam lacerare carnes fratrum in obtrectatione. Denique, ut ait sanctus Basilius, duobus modis possumus sine detractione aliorum peccata dicere, vel retractare. Id est, si quando necesse est cum cæteris consilium habere quomodo corrigitur is qui peccavit, tunc possumus ipsius peccata in medium adducere et publicare abe- D que detractione. Et rursum, si quando necesse est prævenire et commonere aliquem, ne forte incurrat in consortio vel societate alicujus mali hominis, tunc etiam possumus sine detractione illius peccata manifestare. Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus, dum dicit ad Timotheum: *Alexander æramius multa mala mihi ostendit, quem tu quoque devita: valde enim restitit sermonibus meis. Reddet illi Deus secundum opera sua mala* (*II Tim.* IV, 14). Præter hujusmodi autem necessitates quicunque dixit aliquid adversus alium, ut vel deroget ei, vel obtrectet, illud est, detrahere, etiamsi videantur vera esse en quæ dicit.

CAPUT LXIII.

Consolatio solitariorum de detractione.

Non ergo solitarii multum contristari debent, si forte ab aliquibus pravis hominibus sine culpa detrahantur; quia in consolatione nostra, sua Dominus opprobria adducere dignatus est, dicens: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* X, 25)? Et iterum: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus* (*Joan.* XV, 19). Hinc Apostolus ait: *Nolite mirari si odit vos mundus* (*I Joan.* III, 13). Sunt autem plurimi qui vitam solitariorum fortasse amplius quam debent, laudant; et ne eis de laude elatio subripiat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectatione et objurgatione prorumpere; ut si qua culpa ab ore laudantium in corde solitariorum nascitur, per obtrectationem malorum ad pœnitentiam revocentur. Sed inter hæc verba laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrere debemus; et si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magna lætitia prosilire debemus. Unde beatus Job dicebat: *Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis* (*Job*, XVI, 20). Qui enim vitæ suæ in cœlo testem habet, detractiones hominum in terra pertimescere non debet. Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Nisi enim fuissent qui eidem Apostolo malam famam imponerent, et seductorem vocarent, nequaquam diceret: *Per infamiam et bonam famam; ut seductores, et veraces* (*II Cor.* VI, 8). Sed quid de Redemptore nostro agimus, qui a Judæis dæmoniacus, et blasphemus, atque persecutor vocatus est? Beatus quoque Arnulphus cum esset episcopus, postea solitarius factus, detractiones pravorum hominum æquanimiter toleravit. Unde in gesta ipsius ita legitur: Quidam namque homo, nomine Noddo, cum complicibus suis eidem beato Arnulpho derogare ausus est. Dicebat autem illum non esse cultorem Dei, sed potius hominem voluptati deditum. Cumque idem detractor stratum una cum detrahente socio petiisset, jubente Deo, omnia vestimenta illorum flamma circumdans vallavit. Illico exsilientes aquam urgentibus vocibus deposcebant, sed aqua injecta flammam divinitus missam non extinguebat. Ardebant autem nequiter circa nates vel genitalia loca camisiæ illorum, nec a se ardentia vestimenta exuere prævalebant. Quid plura? Quia aliud facere non poterant, exsiliunt foras, et ad instar porcorum in volutabro luti sese vociferantes involvunt: sed magis ac magis genitalia ipsorum ignis immissus cremabat. Tunc quippe, ut reor, impletum est super illos quod scriptum est: *Detrahentem occulte proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* C, 5). Sicque divina censura jubente actum fuit, ut de quibus virum sanctum detraxerant, in ipsis pœnam sentirent. Ipse quoque sanctus episcopus atque solitarius nec pro

detractione illorum fuit tristior, nec pro vindicta divinitus facta exstitit lætior; sed potius, juxta præceptum Domini, eos dilexit, atque pro eis oravit. Ubi nos pariter docemur non contristari pro detractione, sed magis gaudere de contumeliis, reminiscentes hoc quod scriptum est : Quia *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v, 41). Si illi non contristabantur de contumeliis et verberibus, neque nos contristari debemus de verbis atque detractionibus. Quid ergo aliud faciunt detrahentes, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant? Vocandi tamen sunt et patienter increpandi, juxta præceptum Domini, qui dixit : *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum. Et si dixerit, Pœnitet me, dimitte illi : et si septies in die peccaverit in te, et septies dixerit, Pœnitet me, dimitte illi* (*Luc.* xvii, 3). Quisquis igitur hoc fecerit, et seipsum salvabit, et detrahentem proximum de peccati fovea liberabit.

CAPUT LXIV.

De cogitationibus et diabolicis illusionibus.

Sicut enim a malis operibus et perversis locutionibus oportet solitarios abstinere, ita etiam a pravis cogitationibus debent se corda illorum custodire. Unde beatus Hieronymus admonet dicens : Non sinas cogitationes malas in corde tuo crescere. Et alibi : Caput cogitationis exclude, et cætera superantur. Non enim potest corrumpi corpus, nisi prius corruptus sit animus; et nihil potest facere caro nisi quod voluerit animus. Idcirco munda prius a pravis cogitationibus animum, et caro non peccabit in æternum. Bonæ autem cogitationes semper a Deo procedunt, malæ cogitationes vero aliquoties a nobismetipsis veniunt, et aliquoties instinctu diaboli excitantur. Nemo enim potest a diabolo decipi, nisi is qui ei suæ voluntatis assensum præbere voluerit. Si enim repugnamus ei, fugiet a nobis. Unde beatus Jacobus apostolus : *Resistite*, inquit, *diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* iv, 7). Qua de causa ita in Collationibus Patrum legitur : Quodam tempore beatus Macarius habitabat in loco deserto solus, et erat prope alia solitudo in qua habitabant plurimi fratres. Et vidit senex Satanam venientem in habitu hominis, ut transiret per cellam ejus. Videbat autem eum quasi tunica uti linea omnino vetusta, et per omnia foramina ejus pendebant ampullæ. Et dixit ei senex : Quo vadis? Et ille respondit : Vado commemorare fratres. Senex autem dixit : Et utquid tibi ampullas istas? Et dixit : Gustum fratribus porto. Dixit ei senex : Totas istas cum gustu portas? Et respondit : Etiam; ut si unum alicui non placet, offeram aliud; si autem nec illud, dabo tertium, et ita per ordinem, ut omnino vel unum ex eis placeat ei. Et cum hæc dixisset, transiit. Et observabat senex, custodiens vias, donec ille remearet. Et cum videret eum senex, dixit ei : Sanus sis. Et respondit : Ubi mihi salus? Et dixit senex : Quare? Et respondit? Quia mihi modo omnes sanctificati sunt, et nemo mihi acquiescit. Et dixit senex : Neminem amicum habes illic? Et respondit : Unum tantummodo fratrem habeo ibi, vel ipse solus mihi acquiescit; et quando me videt, convertitur velut ventus. Senex vero dixit ei : Quomodo vocatur frater ille? Respondit : Theoctistus. Et cum hæc dixisset, transiit. Surgens autem abbas Macarius perrexit ad fratres. Qui cum audissent, acceperunt ramos palmarum et occurrerunt ei obviam; et parabant singuli eorum cellas suas, incerti apud quem declinaret. Senex autem inquirebat quis inter eos Theoctistus vocabatur; et inveniens eum, intravit in cellam ejus. Theoctistus ergo suscepit eum gaudens. Cum autem cœpissent secrete loqui, dixit ei senex : Quomodo circa te est frater? Et ille dixit : Orationibus tuis adjuvantibus, bene. Et dixit senex : Non impugnant te cogitationes tuæ? Respondit iterum : Bene sum : erubescebat enim dicere ei. Et dicit ei senex : Ecce quot annos habeo in conversatione loci istius, et omnes honorant me, et tamen in hac senectute infestus est mihi spiritus fornicationis. Et respondit Theoctistus, dicens : Crede, abba, quia et mihi. Senex autem simulabat etiam alias cogitationes sibi esse molestas, donec faceret eum confiteri. Deinde dicit : Quomodo jejunas? Et ille dixit : Ad nonam. Dixit ei senex : Jejuna usque ad vesperam, et abstine, et lege Evangelia, ut memoriter retineas. Sed et alias ex animo meditare Scripturas; et si tibi ascenderit cogitatio mala, nunquam deorsum aspicias, sed semper sursum, et statim te Dominus adjuvabit. Et corrigens senex fratrem illum, reversus est in solitudinem suam. Et cum observaret, vidit iterum dæmonem illum, et dixit ei : Quo vadis iterum? Et ille respondit : Visitare fratres, et abiit. Dum autem reverteretur, dixit ei senex : Quomodo sunt fratres illi? Et respondit : Male. Senex autem : Quare? Et ille respondit : Quia toti sancti sunt : et magis malum, quia unum quem habui amicum et obedientem, mihi etiam ipse, nescio unde, subversus est : nec ipse mihi jam acquiescit, sed omnibus sanctior factus est, et propterea juravi me jam non calcare ad illum locum, nisi post longum tempus. Hæc dicens transiit, relinquens senem. Sanctus vero senex intravit cellam suam adorans et gratias agens Deo. Hic datur intelligi quia nisi quis voluntatibus diaboli se sponte subdiderit, potestatem adversus hominem non habet. Et sicut superius patefactum est, nescit Satanas a qua passione anima seducatur : et ideo seminat quidem in ea zizania sua, aliquando spargit semina fornicationum, aliquando detractionum et cæterorum vitiorum; similiter passiones, et in qua passione videt animum declinare, hanc ei subministrat. Nihil enim sic extradiat dæmonem, quomodo si revelentur stimulationes ejus : et nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes ejus. Quia ergo Dominus noster Jesus Christus dedit nobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, hoc est, malas cogitationes, mundemus per humilem confessionem corda nostra, et parvulos cogitatus nostros allidamus ad

Christum, quatenus de nobis dicatur hoc quod scriptum est : *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* CXXXVI, 6). Et rursum : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

CAPUT LXV.

De diversis tentationibus solitariorum.

Multis ergo calamitatum tentationibus mentes solitariorum in hac vita pulsantur, sed non amplius tentat eos diabolus quam Dei voluntas permittit. Tentando autem, eorum profectus erudit; etsi nolens, tamen eorum utilitati diabolus servit, quando tentationibus suis non decipit, sed potius erudit; multis enim modis, ut diximus, mentes solitariorum diabolus tentat. Tentat autem eos aliquando per stimulos paupertatis : nam cum per stimulos paupertatis non potest eos movere, divitias adhibet ad seducendum. Et dum per contumelias et opprobria non prævalet, laudes et gloriam adhibet. Si per salutem corporis non potest, ægritudines mittit. Et dum per delectationes seducere eos non potest, per molestias, quæ contra votum eveniunt, eos conatur evertere. Infirmitates etiam quasdam graves adversus eos qui tentandi sunt adhibet, ut per eas pusillanimes faciens solitarios, conturbet charitatem eorum quam habent ad Dominum. Sed quamvis concidatur corpus, et febribus validissimis inflammetur, insuper etiam si intolerabili contritione affligatur, quisquis es qui hæc sustines, recordare futuri sæculi pœnas, et æternum ignem, ac perpetua tormenta, ut hæc cogitans non deficias ad ea quæ in præsenti contingunt. Insuper etiam gaude quia visitavit te Deus; et illud famosissimum dictum in lingua habeto, id est : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* (*Psal.* CXVII, 18). Et illud : *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Si ferrum es, post adhibitum tibi ignem emittes æruginem. Quia si justus es, et hæc pateris, de magnis ad majora provocaris. Aurum es, sed per ignem probatior eris. Datus est tibi angelus Satanæ, stimulus carnis tuæ; exsulta videns cui similis factus es, Paulo apostolo simile donum accipere meruisti. Audi quemadmodum gloriabatur Apostolus in infirmitatibus suis, ita et tu gloriare dicens : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII, 5, 9). Et rursum : *Quando enim infirmor, tunc fortior sum et potens* (*Ibid.*, *v.* 10). Si febribus, si rigore frigoris castigaris, memor esto quid Scriptura dicit : *Transivimus per ignem et aquam* (*Psal.* LXV, 12); residuum est ut inducaris in refrigerium. Clama etiam cum Propheta : *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV, 1). Perfectus enim eris per hujusmodi tribulationes. Si forte amittis oculos, non feras graviter, extollentiæ enim instrumentum amisisti, sed interioribus oculis gloriam Dei speculari stude. Surdus factus es, non contristeris; quia auditum vanum amisisti. Manus tuæ ex aliqua passione debilitatæ sunt? sed interiores paratas habeas adversus inimici tentationes. Infirmitas totum tuum corpus tenet? sed interiori homini sanitas crescit. Nihil enim aliud est ægritudo corporis quam sanitas mentis. Si infirmitas tibi talis fuerit, ut non possis stare ad orandum et psallendum, non contristeris pro eo, quia infirmitas orat pro te. Si jejunas, non tibi invenias occasionem, dicendo : quia exacerbatus in ægritudinem incurristi : quoniam et qui non jejunant, similes ægritudines incurrunt. Inchoasti aliquid boni? non revoceris per impedimenta inimici; quoniam jejunia et labores nobis constituta sunt propter turpes delectationes. Hæc omnia nobis proficiunt ad destruenda corporis desideria. Tentari autem oportet justum, sed tentatione plagæ, non tentatione luxuriæ. Quapropter discat non murmurare, qui mala patitur, etiamsi ignorat cur mala patitur. Et per hoc juste se pati arbitretur, quod ab illo judicatur cujus nunquam judicia injusta sunt. Qui ergo in flagellis murmurat, justitiam judicandis accusat; qui vero juste se recognoscit a justo judice pati quod sustinet, etiamsi super quo patitur ignorat, per hoc jam justificatur per quod semetipsum accusat, et Dei justitiam laudat. Beatus qui hæc omnia tulerit patienter.

CAPUT LXVI.

De tentamentis somniorum.

Plerumque dæmones in noctibus solitariis occurrentes, ut formidolosos eos faciant, per soporem conturbant; et quos vigilantes intus tentant, nec superant, dormientes acriter impugnant. Nonnunquam autem et aperta impugnatione grassantes humana corpora verberant, sicut beato Antonio fecerunt. Quod tamen, Deo permittente, malorum fit ad vindictam, justorum vero ad tolerantiam et gloriam. Plerumque immundi spiritus eos quos incumbere in sæculi amore conspiciunt, dormientes quadam vana spei prosperitate illudunt, sicut legitur in Dialogorum libro cuidam contigisse; qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret. Nonnunquam etiam Satanas in angelum lucis sese non solum dormiendo, sed etiam vigilando transformat, ut quemlibet aliqua erroris fraude decipiat; sicut legitur in Collationibus Patrum de quodam sene, qui sedens in cella sua et sustinens tentationes, videbat dæmones manifeste, et contemnebat eos. Cum autem diabolus videret se vinci a sene, venit et ostendit se ei, dicens : Vis videre Christum? Et respondens senex dixit : Anathematizo te, et eum de quo dicis; ego autem Christo meo credo dicenti : *Si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus et ecce illic; nolite credere* (*Matth.* XXIV, 23). Et dixit diabolus : Ego sum Christus. Videns autem senex clausit oculos suos. Et dixit ei diabolus : Quare clausisti oculos tuos? Et dixit senex : Ego hic Christum nolo videre, sed in vita beata. Hæc audiens diabolus discessit ab eo.

Hic ergo patenter ostenditur quantis machinamentis Dei servos conatur decipere inimicus. Illi autem qui aut nullis, vel raris conscii sunt delictis, aut nunquam aut raro terroribus fatigantur nocturnis : et si ad momentum hujusmodi commoveantur, mox tamen evigilantes illusionum vanitates despiciunt intentionemque suam ad Deum convertunt. Interdum etiam quædam arcana ac mystica Dei servi per visionem videre solent. E contra vero peccatores qui corda sua gravioribus vitiis polluerunt, conscientiæ pavore illusi species tremendas aspiciunt; et quos vigilantes diabolus traxit ad vitia, dormientes fatigat, ut nunquam eos requiescere sinat. In oculis autem peccatorum diabolus terribilis est; in oculis autem justorum terror ejus vilis est. Sciendum quippe est quia diversæ sunt qualitates somniorum. Aliquando namque ex ventris plenitudine vel inanitate somnia generantur; aliquando vero ex cogitatione accidunt, sicut scriptum est : *Multas curas sequuntur somnia* (*Eccl.* v, 2). Nam sæpe quæ in die cogitamus, in noctibus recognoscimus. Aliquando autem ex illusione immundorum spirituum oriuntur, dicente Salomone : *Multos errare fecerunt somnia et illusiones vacuæ* (*Eccl.* xxxiv, 2). Aliquando quippe ex revelatione procedunt, sicut legitur in lege de Joseph filio Jacob, qui somnio fratribus præferendus prædicitur. Vel sicut in Evangelio de Joseph sponso beatæ Mariæ, qui ut fugeret cum puero in Ægyptum, somnio admonetur. Aliquando nempe ex revelatione simul et cogitatione generantur, dicente Daniele : *Tu, rex, cogitare cœpisti in strato tuo quid esset futurum post hæc ; et qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt* (*Dan.* ii, 9). Sæpe etiam dæmones deceptoria fraude multa solent vera prædicere, ut ad extremum valeant animam ex aliqua falsitate decipere vel illaqueare. Sed quamvis nonnulla vera sint somnia, facile tamen non oportet credere illa, ne forte aliquando ex illusione diaboli procedant, et simplicium corda decipiant, recolentes testimonium Scripturæ dicentis : *Si dixerint vobis, et ita evenerit, nolite credere* (*Matth.* xxv, 23). Somnia enim similia sunt auguriis, et qui eis intendunt, revera augurare noscuntur. Solitarii autem inter illusiones ac revelationes discreta circumspectione discernant, ut sciant quid a bono spiritu percipiunt, vel quid a malo spiritu patiuntur.

CAPUT LXVII.

Ut solitarii signa et miracula fieri non quærant.

Signa igitur et miracula a solitariis non sunt quærenda, propter ostentationem et vanam gloriam. Nam quisquis signorum et mirabilium indiciis vult probari, non potest probus videri. Quia ipse Dominus et Salvator non dixit : Ex signis et mirabilibus cognoscetis eos, sed ait : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* vii, 20). Neque enim in die judicii remuneraturum se promittit eos qui signa et prodigia faciunt, sed eos qui præceptis suis obediunt, dicens ad eos : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*, etc. (*Matth.* xxv, 34.) Sed et beatos non dicit eos qui signa et mirabilia fecerunt, sed humiles spiritu, mansuetos, lugentes et hujuscemodi opera exsequentes. Nusquam in signorum opere beatitudo ponitur, sed in expletione mandatorum Dei. Vita enim bona, atque actus probi, etiam sine signis et mirabilibus merentur coronam; iniqua autem conversatio, etiamsi signa et prodigia fecerit, supplicia non evadit. Et ideo superflue hæc quæruntur, imo et periculose. Per ostentationem vero nihil faciant solitarii. Nam quantum malum sit per ostentationem aliquid agere, præsens exemplum ostendit, cum subditur : Fuit quidam juvenis monachus, qui cum vidisset quosdam senes iter agentes, ostentationis causa jussit onagris venire, ut portarent eos, donec pervenirent ad se. Illi autem senes indicaverunt hoc beato Antonio. Et dixit abbas Antonius : Videtur mihi monachus iste similis esse navi omnibus bonis oneratæ, de qua incertum est utrum pervenire possit ad portum an non. Et modicum post subito abbas Antonius flere cœpit, et capillos sibi trahere et lugere. Quod cum vidissent discipuli ejus, dixerunt : Quid ploras, abba? Et respondit : Magna Ecclesiæ columna cecidit modo. Dicebat autem hoc de illo juvene monacho. Ite, inquit, fratres, ad eum, et videte quid agat. Perrexerunt ergo discipuli ejus, et invenerunt monachum illum sedentem et flentem peccatum quod fecit. Videns autem discipulos senis, ait eis : Dicite seni ut roget Deum, decem tantum dierum dari mihi inducias. Qui intra quinque dies mortuus est. Quapropter caveant omnino solitarii, ut nihil per ostentationem faciant. Insuper autem morbum vanæ gloriæ fugiant : quæ non solum in carnalibus vitiis, sed etiam in spiritalibus causis solitarios pulsat; ut qui non valent carnalibus vitiis decipi, spiritalibus successibus acrius saucientur. Nam quem diabolus sub specie pretiosæ vestis ac nitidæ non potest in vanam gloriam immergere, pro squalida et inculta conatur decipere. Et quem non potest per honorem dejicere, per humilitatem supplantat; et quem scientiæ et elocutionis ornatu nequit extollere, gravitate taciturnitatis elidit. Si jejunat quis palam, gloriæ vanitate pulsatur. Si illud causa vanæ gloriæ contemnendæ contexerit, eodem vitium elationis incurrit. Alius enim oratione, alius vigiliarum prolixitate pulsatur. Multi enim vanam gloriam fugiendo in ipsam incidunt; et multi in hoc ipse cupiunt laudari quod laudes contemnunt; et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. Ideo pulchre sancti Patres nostri naturam morbi hujus in modum cæpæ conscribunt, quæ uno decoriata tegmine, alio rursum invenitur induta, totiesque reperitur obtecta quoties fuerit exspoliata. Quapropter oportet solitarios, juxta consilium Apostoli (*II Cor.* vi, 7), *per arma justitiæ a dextris et sinistris* transire; per gloriam, et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam incedere. Et ut per Salomonem dicitur : *Non divertant ad dexteram, neque ad sinistram* (*Prov.* iv, 27); id est, nec de virtutibus et dextris successibus se extollant, nec ad sinistrum vitiorum

tramitem flectantur; sed medium tenentes ad ipsum qui via, veritas et vita est, prospero incessu pervenire mereantur.

CAPUT LXVIII.

De trimoda charismatum gratia.

Usque ad spiritualium narrationem charismatum proferendam præcedens disputationis ordo pervenit, quam tripartitam esse, majorum traditione percepimus. Prima siquidem curationum causa est, cum pro merito sanctitatis electos quosque ac justos viros signorum gratia comitatur, sicut apostolos multosque sanctorum signa et prodigia secundum auctoritatem Domini fecisse manifestum est, ita dicentis: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia ejicite: gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8). Secunda, cum ob ædificationem Ecclesiæ, vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt fidem, sanitatum virtus etiam a peccatoribus indignisque procedit. De quibus Dominus in Evangelio: *Multi*, inquit, *dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, et multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis quia non novi vos: discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22). Propter hoc autem et discipulos monebat dicens: *Nolite gaudere quod dæmonia vobis subjecta sunt, sed quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x, 20). Tertius curationum modus etiam colludio dæmonum ac factione simulatur: ut dum homo apertis criminibus fuerit obligatus, propter admirationem signorum sanctus ac Dei servus credatur; vel certe ut is qui curationum dona habere se credit, per superbiam cordis elatus gravius elidatur? Inde est quod Dominus in Evangelio loquitur: *Exsurgent*, inquit, *pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Marc.* XIII, 22). Quapropter nunquam de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse quisquam laudabilis. Et revera majus miraculum est de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de alienis corporibus; et magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ coercere quam dæmonibus imperare ac de alienis corporibus infirmitates pellere: et præcelsior virtus est animæ propriæ languorem curare, quam corporis alieni. Quanto enim anima sublimior carne est, tanto præstantior ejus et salus est. Et major merces est peccatorem suscitare de vitiis, quam mortuum de sepulcro. Ideoque a sanctis Patribus signorum opera nequaquam legimus affectata, sed quanquam ea Spiritus sancti gratia possiderent, nunquam exercere voluerint, nisi forte inevitabilis necessitas illos coarctasset, ut beatum Macarium, qui fuit discipulus sancti Antonii. Hunc enim ferunt aliquando cum homicidium in locis vicinis fuisset admissum, et innocenti cuidam impingeretur crimen homicidii, eum qui calumniam patiebatur confugisse ad ejus cellulam: adfuisse etiam eos qui innocentem perurgebant, jurantes, et dicentes periclitari seipsos, nisi comprehensum homicidam legibus traderent. Ille vero cui crimen impingebatur, cum sacramentis affirmabat conscium se non esse sanguinis illius. Et cum diu hoc certamen haberetur, interrogat sanctus Macarius ubi jaceret ille qui dicebatur occisus. Cumque designassent locum, cum omnibus qui ad perurgendum hominem venerant, ivit ad sepulcrum, et ibi fixis genibus, invocato nomine Christi, ad eos dixit qui astabant: Nunc Dominus ostendet si reus est hic quem perurgetis. Et elevata voce defunctum ex nomine clamavit. Qui cum de sepulcro respondisset, ait ei: Per fidem Christi te obtestor, ut dicas si ab eo qui calumniatur pro te occisus es? Tum ille de sepulcro elata voce respondit, dicens, non se esse ab eo læsum. Hoc audito cum stupefacti omnes decidissent in terram, rogaverunt pedibus ejus advoluti ut interrogaret eum a quo esset occisus. Tunc ille: Hoc, ait, non interrogabo; sufficit nunc mihi ut innocens liberetur, non est meum ut reus prodatur. Hæc igitur ejus virtus et gratia, quantum in ipso fuit, forte semper lateret, nisi eum necessitas periclitantis hominis et amor sincerus erga Christum hoc exercere miraculum compulisset. Sciendum itaque est quia sicut thesaurus apertus cito expenditur, sic et virtus quælibet, cum publicata fuerit, exterminabitur; et ut cera solvitur a facie ignis, ita et anima laudibus inaniter exaltata perdit virtutum vigorem. Proinde necesse est solitariis, ut si eis cujusque conscientia boni operis fuerit, occultent illam, et cum omnia fecerint quæ Deus præcipit, dicant: *Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII, 10). Virtutes quoque si forte in se esse senserint, sileant et celent; Deus divulgabit opera eorum, et adducet ad medium, cum venerit Dominus, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor.* IV, 5); tunc reddet singulis secundum opera sua.

CAPUT LXIX.

Ut solitarii post retrusionem ad sæcularem vitam minime redeant; et de perseverantia boni operis.

Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, ut solitarii post retrusionem, causa elationis vel negotiationis, ad sæculum veluti præda dæmonum facti infeliciter redeant. Nam quam grave crimen solitarios apostatare, hoc est, a priori proposito recedere, Dominus in Evangelio testatur: *Nemo*, ait, *mittens manum suam in aratro, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Hinc Paulus apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæculi, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II, 5). Non enim liber est a laqueis diaboli, qui se negotiis mundi post retrusionem voluerit implicare. Talibus enim convenit illa beati Petri vera et multum timenda sententia: *Melius enim illis fuerat viam vitæ non agnoscere, quam post agnitam retrorsum reverti* (*II Petr.* II, 21). Et iterum: *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* (*Ibid.*, *v.* 22). Si quis ergo suadente diabolo hæc perficere tentaverit,

nisi inevitabilis necessitas eum compulerit, excommunicetur omnimodis ab episcopo suo, vel a cæteris prælatis, quousque ad prius propositum redeat, quod propter Deum primitus elegerat. Non enim quæritur in solitariis initium boni operis, sed finis; quia de fine suo unusquisque judicabitur, non de vita præterita, dicente Domino per Prophetam : *Qualem te invenero, talem te judicabo* (*Ezech.* VII, 3). Sunt enim, quod pejus est, qui bene incipiunt, sed male finiunt conversationem, ut Judas, qui bene cœpit, sed male finivit : et Paulus male cœpit, sed bene finivit. Cœpisse enim multorum est, sed culmen perfectum attigisse rarorum est. Ideo non insipientibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur, dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, XXII *et* XXIV, 13). Si autem solitarius aliquis ideo securum se putat de solitaria vita aliquando posse discedere, quod in ipso proposito bene cucurrerit, quod ibi multum laboraverit, hic talis agit ac si aliquis oneratam mercibus navim a portu solvat, et tempestati tradat, et ad scopulos et saxa detorqueat. Hic talis videat quam incerti et quam A lubrici sunt exitus vitæ hominum, sicut per Salomonem dicitur : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro reservantur incerta* (*Eccli.* IX, 1). Ideoque nemo de præteritis sit securus, quia quamvis solitariorum conversatio probabilis sit, incertum tamen est hominibus quo sint fine destinati. Tunc enim felix et beata eorum inchoatio, et tunc placet Deo eorum conversatio, dum absque ullo erroris titubationisve naufragio ad optatum finem perfectionemque prospero cursu perveniunt. Quapropter studeant solitarii hanc Regulam breviter de sanctarum floribus Scripturarum collectam, et sanctorum Patrum exemplis hinc inde munitam, sedula meditatione perlegere, et per singula verba discutere, ac memoriæ commendare, et divina auxiliante gratia, juxta vires adimplere, quatenus ad eamdem gloriam valeant pervenire quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9); ipso opitulante qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. B

Explicit Regula Solitariorum.

CODICIS REGULARUM PARS TERTIA.

REGULÆ SS. PATRUM AD VIRGINES.

SANCTI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLA CIX, REGULAM SANCTIMONIALIBUS PRÆSCRIPTAM CONTINENS.

(*Vide Patrologiæ tom. XXXIII, col.* 958.)

SANCTORUM

CÆSARII, AURELIANI, DONATI,

ARELATENSIS, ITEM ARELATENSIS ET VESONTIONENSIS EPISCOPORUM,

REGULÆ AD VIRGINES.

(*Vide Patrologiæ tom. LXVII, col.* 1103; *tom. LXVIII, col.* 399; *tom. LXXXVII, col.* 273.)

CUJUSDAM PATRIS REGULA AD VIRGINES.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVIII, col.* 1151.)

SANCTI LEANDRI HISPALENSIS

REGULA

SIVE DE INSTITUTIONE VIRGINUM ET CONTEMPTU MUNDI, AD FLORENTINAM SOROREM LIBER.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXII, col.* 871.)

CODICIS REGULARUM APPENDIX.

SANCTORUM PATRUM

EXHORTATIONES AD MONACHOS ET VIRGINES

DE OBSERVANTIA VITÆ RELIGIOSÆ,

Collectæ olim a sancto Benedicto Anianensi.

OBSERVATIO CRITICA IN APPENDICEM AD CODICEM REGULARUM.

In hac quidem Appendice continentur insignes quædam adhortationes SS. Patrum, quæ, etiamsi non monachorum Regulæ appellari possint, attamen ad monasticam vitam recte dirigendam omnino pertinent; cum paræneticam doctrinam utriusque sexus monachis accommodatam complectantur. Hæc adhortationum opuscula eruit Holstenius ex duobus vetustis codicibus, in lectissima bibliotheca serenissimæ Suecorum reginæ conservatis, cui etiam et hanc Appendicem consecravit.

Existimat quoque doctissimus editor, has adhortationes ex sanctis Patribus collectas esse idem opus quod sanctus Benedictus Anianus composuit, atque collectioni Regularum monasticarum adjunxit; prout ex Vita ejusdem sanctissimi abbatis constat, ubi exerte dicitur, illum præter Regularum Codicem *alium nihilominus composuisse librum ex sanctorum doctorum homiliis.* Quod sane assertum satis quadrat in hoc præsens opus ex Patrum variorum opusculis contextum, et partim monachos, partim sanctimoniales apprime erudiens, et ideo dignissimum ut Codici Regularum adjungatur; quamvis in ipso mss. codice Coloniensi inventum non fuerit. Nam Codices illi mss. olim pertinebant ad monasterium Floriacense, atque eadem manu scripti erant ac ipse Codex Regularum. Adeoque simillimum vero videtur, hæc pia opuscula ab ipso sancto Benedicto Aniano collecta fuisse, atque ipsi codici Regularum assuta ad majorem disciplinæ monasticæ perfectionem procurandam. Fatetur quoque Hugo Menardus in suis eruditissimis notis ad Vitam sanctissimi hujus abbatis, se reperisse ad calcem vetusti codicis Floriacensis, ex quo eruit Concordiam Regularum, etiam tale opusculum sed mancum, quod ideo cum ipsa Concordia non edidit, quia in fine deerant quædam folia. Quemadmodum igitur piissimus abbas Anianus ad calcem Concordiæ Regularum appendere voluit sententias et testimonia quorumdam sanctorum Patrum, qui non Regulas monasticas scripserunt, sed selectam asceticam doctrinam ad evitanda vitia et excolendas virtutes tradiderunt : sic etiam veritati consentaneum videtur, quod Codici Regularum monasticarum adjecerit integra opuscula SS. Patrum, ex quibus tales sententias desumpserat. Notum quippe est, Concordiam Regularum solummodo continere selectas sententias et testimonia ex ipsis Regulis monasticis collecta; pari quoque modo et opusculum illud Concordiæ Codici assutum solummodo comprehendebat farraginem sententiarum excerptam ex his integris sermonibus et adhortationibus quæ hanc Appendicem apte conficiunt.

INCIPIT LIBER

SANCTI ATHANASII

EPISCOPI ALEXANDRIÆ

DE OBSERVATIONIBUS MONACHORUM

Etsi gloriari in Christo licet quod hujusmodi principiis sitis initiati, ut sit inchoatio vestra perfectio, et ad veram vivendi frugem gradus interpositos prævolantes, apice ipsius culminis occupato, disciplinæ summam teneatis, ut in votis habere debeat imitari quisque vos potius quam posse credat instituti : mihi tamen hujus licentiam prærogativæ paternus ascripsit affectus, et amplectenda mihi vestræ expostulationis exactio; qui dum me auditis non solum libenter, sed etiam avide, impudentem me vestro amore fecistis. Præcedentes duco, et ultra mensuram meæ possibilitatis extensus quos sequi cupio ducere compellor. Pergam igitur per tramitem vitæ vestræ, et quasi qui primis litterarum imbuatur elementis depictis, adumbratas præfigurationibus notas stylo imitatore calcabo, accedentibus ad speranda beati instituti præmia quæ sequenda sunt.

Primum abstinentiæ cura, jejunii patientia, orandi assiduitas, legendi, vel si quis adhuc litterarum expers sit, audiendi sit desiderium cum cupiditate discendi. Hæc enim sunt prima quasi lactentium in Dei A agnitione crepundia : quibus homo admonitus ortus sui, divini tramitis ingredi viam velle incipiat, dum posse consuescat. Et quidem ista tradens, non de vulgi promiscua fide loquor, quem omnipotentis Dei misericordia insinuata confessio, et innocentiæ singularis instillata doctrina venia sola efficit esse contentum. Quanquam Dominus noster, sicut legimus, omnes velit salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire : tamen quia præeminentis gratiæ cuncti capaces esse non possunt (*Non enim omnes qui ex Israel sunt, Israelitæ sunt* (*Rom.* IX, 6); nam et Ismael a consortio fraternæ hæreditatis excluditur, et compugnantes Jacob atque Esau unius uteri claustra ruperunt), vel contenti puteo aquæ vivæ, nos in holocaustum nostri hostiam voluntariæ oblationis aptemus,

desiderantes escas et parantes ac primatibus prævertamus, illis ad mensuram veniæ hanc sententiam largientes : *Omnis creatura Dei bona, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV, 4). Nos ad præmium gloriæ illo labore nitentes : *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21). Et rursum : *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, et ille quidem ut corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam* (*I Cor.* IX, 25). Abstinentia enim continentiæ nutrix est, qua innupta sive nupta facilius passibilitatis frena patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur. Quam sic eos qui ad summa nituntur, vel cupio vel mando colere, ne putent in aliis crimen esse nupsisse, scientes scriptum esse : *Bonum est nubere : melius est non nubere* (*I Cor.* VII, 25). Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi præmium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cavere, jugum necessitatis est; permissa vincere munus arbitrii. Malis abstinere, disciplinæ merces est; bona supergredi, libertas meriti est, non finis imperii. Illud legis indultum est terminis; hoc gratiæ reservatum est incrementis.

Jejuniorum quoque non sit volentibus certa mensura : sed in quantum possibilitas valet, nisu laborantis extensa ; quæ præter Dominicam diem semper sint solemnia, si votiva sunt. His sese Moyses beatissimus præparans affectibus Dei dignus ingessit. His prædictas per Jonam Ninivitæ minas in placidam rursus flexere sententiam. His Bethuliæ populus Assyria obsidione conclusus, et usque ad deditionem sui experta plurima virtute conterritus, ab Holofernis tumentibus minis constantis manu feminæ meruit vindicari. His Mardochæus Aman crudelem superbia præparato sibimet ligno, acceptæ pœnæ conversione suspendit. His Jesus Salvator noster in carne hominis quam assumpserat eruditus, suadelas diaboli tentantis obtudit : quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen sibi populos voluit hac imitatione formare.

Orationibus vero ita frequenter instandum est, ut vix eas aliquod tempus interpolet. Scriptum est enim : *Orationi instate, vigilantes in ea* (*Colos.* IV, 8). Et iterum : *Quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 17). Per has amicus dormiens excitatur; et quamvis omnem familiam sopor altus obsederit, depromi tamen sibi panes ac porrigi importunus expostulator extorquet.

Has, si fieri potest, sola legendi intercapedo disrumpat. Cujus rei cura in canonicis ponenda est monimentis : non quod apocrypha debeamus præsertim ignorata damnare; sed quod ad scientiam Dei digestam canonis seriem putemus posse sufficere. Illa enim si consentiunt, supervacua sunt; si dissentiunt, vitanda sunt. Sine legendi autem studio nemo ad Deum valebit esse intentus. Primum, quod hujusmodi opera ab aliis actibus caducæ occupationis abducunt : et diversorum exemplorum insinuata cognitio vel bonorum appetentiam, vel malorum facit esse cautelam. Neque enim alias Petrus apostolus admoneret : *Præparati semper estote ad rationem reddendam ad omnes poscentes vos de verbo fidei vestræ et spei vestræ* (*I Petr.* III, 16). Et Apostolus : *Non cessamus pro vobis orantes, ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia et intellectu spiritali* (*Col.* I, 9). Et rursus : *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia* (*Col.* III, 16). Nam et in Veteri Testamento similem hominibus curam sacræ præceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 1). Et ad Jesum Nave Dominus loquitur : *Non recedet liber iste de manibus tuis, et meditaberis in eo die ac nocte* (*Jos.* I, 8). His quoque se negotiis malarum cogitationum lubrica frequenter interserunt; et quamvis ipsa sedulitas animum ad Deum præstet intentum, efficit tamen in sese mordax sæculi cura sollicitum. Quod si hæc frequenter et importune patitur religioso laboris deditus, numquam profecto illis carebit otiosus.

Nunc quoniam studiorum membra digessimus, morum augmenta cumulemus. Illud autem non extra commonitionem puto, ut sit victus facilis, vilisque vestitus : cum et hæc tegendi corporis gratia reperta sint, non ornandi; et illa sustinendæ animæ potius quam obruendæ. His igitur quæ supra ostendimus actibus mancipatus omne odium deponat inimici. Nec hoc tantum fine contentus, simultates amore commutet; iram patientiæ temperet freno; avaritiam abstinentiæ vincat imperio; ac præcipue linguam custodia taciturnitatis obsepiat; ne in litigium contentiosa fervescat; ne in maledictum procax incurrat; ne in obtrectationem maledicta serpat; ne in jurationem facilis prolabatur; ne in mendacium ficta dissimulet; ne in circumventione astuta calleat : ne in elatione superba jactetur; sedulo servans tempus tacendi et tempus loquendi, omne otiosum verbum obnoxium sciat esse rationi. Nam ideo et David beatissimus ori suo custodiam deposcit : et condiendum sale sermonem beati Pauli pagina sacra constituit et nullum indomabile membrum esse quam linguam testifica Jacobi præcepta signarunt.

Sit igitur qui hujusmodi viam scandit, tacitus, mitis, benignus; et quia charitatis insolubilis nexus habetur, abjiciendus in studio parili semper alium judicans potiorem. Hoc enim freno astringit invidiam, quam vicinæ sibi elationis sæpius incitatam judicio, dum gratias referendi sibi honoris appetit, notam miseri livoris incurrit. Nec præmium a Deo unusquisque percipit, si ab hominibus id requirit. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* IV, 6); qui cum de hujusmodi studio discipulos erudiret, ipsum pronuntiat maximum, qui minimus velit esse cunctorum. Esto, ab aliquibus frater tuus propensius honoretur, nec illos minus amicos habeas, nec hunc æmulum prælatæ venerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum

illius honoris accrescere, sciens scriptum : *Si enim glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra; vos autem estis corpus Christi et membra* (*I Cor.* XVI). Nam quicunque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quem vos coitis, ascribit. In hoc nite silentium placet; in hoc affabilitas blanda diligitur : hunc rudis et innata simplicitas, hunc scientia erudita commendat : hujus in jejunii jugitate patientia, hujus in abstinentiæ virtute contemptus, hujus in lectionis assiduitate sedulitas pro divinorum munerum diversitate laudatur. *Hæc autem*, sicut scriptum est, *operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Sicut enim corpus unum membra habet multa, omnia autem membra de corpore uno cum sint multa, corpus unum sunt : ita et Christus. Omnes enim nos in unum corpus baptizati sumus* (*I Cor.* III, 10, 8). Singuli vobis potestis omnium bonorum summam præsumere, si nullus se incipiat in eo quod alteri præcellit efferre. Sed cum vos invicem nexu astrictæ charitatis arctabitis, tunc eos qui foris sunt, et in sæculari adhuc actu mundialibus vinculis colligantur, nolite attentioris vitæ austeritate damnare, scientes scriptum : *Nolo judicetis, ne judicemini* (*Matth.* VII, 1). Et iterum : *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Potens est enim statuere illum Deus* (*Rom.* XIV, 4). Magis benignis adhortationibus, et illiciente blandimento via veritatis ostensa nubem erroris aperite; ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi pedetentim. Semper duriora flectenda sunt, ne viribus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens fragmen offendat. Hic enim sæpius scandala vulgi gignuntur, dum ad religionis jugum censorium arrogatur imperium. Vita nostra jubeat, lingua persuadeat; quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui morum lenis formatio. In omni igitur actu vestro quasi speculo relucente fulgete, ubique circumsepti, ubique solliciti; ne quid livor inveniat, ne quid rumor falsus infligat.

Feminas probatas et religionis studio deditas cum mensura venerationis honorate : ut nec austeritas inhumana, nec sedulitas sit remissa. Accessus ad vos invicem vester non ingestus sit, sed innatus; quem causa fecerit; non quem supervacuitas relaxarit. Plures audite cum pluribus : aut si quando alterius sexus frequentia deerit, vel annorum cujusdam probata gravitas, vel celebritas loci, vel ratio temporis id honestet, quia præcipue vobis ætas, hora, solitudo vitanda sunt. Non quod mihi fas sit de his, qui vere semel devota Deo pectora dicaverunt secus æstimare aliquid; sed ut ex abundanti sic vitetis omne, quod fingi potest, tanquam possit et credi. Caveamus ne in nullo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina priusquam linguis nutriantur intereant. Non tantum vobis fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacii. Beata enim vita est et præclara, de qua nil licet falsitati. Nec enim ego hoc judicium meum austerus censor arripui; sed cœleste imperium monitor blandus assumpsi. Nam sic ait Apostolus : *Zelans vos zelo, despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Sciens scriptum esse : *Non ponatis offensionem vel scandalum fratri* (*Rom.* XIV, 13). Et iterum : *Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei* (*I Cor.* XIII, 32). Et iterum : *Non blasphemetur bonum nostrum* (*Rom.* XIV, 16). Et iterum : *Ut quid libertas nostra judicetur ab infideli conscientia* (*I Cor.* X, 29)? Et iterum : *Omnia autem vestra honesta fiant* (*I Cor.* XIV, 40). Et iterum : *Commendantes nosmetipsos in omnem conscientiam hominum coram Deo* (*II Cor.* IV, 2). Et iterum : *Provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII, 17). Et iterum : *Ut is qui ex adverso est confundatur, nihil habens de nobis dicere mali* (*Tit.* II, 8).

Neque me præterit sæcularis livoris invidia in obtrectationem semper religionis ardere, et mordacem malignis rumoribus dentem impressum dicacitatis infigere. Utatur sua mundus natura, dum nihil in nostra inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum ne verisimile quidem possit esse quod dicitur. Nemo ideo debet contemnere vulnus infamiæ, quia semper consueverit rumor simulare : sed ideo intentius præcavere, quod soleat etiam ficta componere. Nemo ab obtrectationis metu redditur obtrectandi solemnitate securus; neque est negligentiæ causa sollicitudinis continuata materia. Sit igitur pudoris ac verecundiæ vestræ tuta et circumspecta custodia. Necessarius e domo et rarus egressus, quem aut religionis ratio extulerit, aut ad substantiam victus causa exercendi operis ordinarit; a muneribus cunctis nisi quæ ad quotidianum cibum annuumque vestitum suppetant, abstinentes; scientes scriptum esse : *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (*I Tim.* VI, 8). Et iterum : *Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* (*I Thes.* IV, 12). Ne quidem præbendæ eleemosynæ gratia ultra supradictos victus ab ullo quippiam præsumatis; scientes scriptum : *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet acceptum est, non secundum id quod non habet* (*II Cor.* VIII, 22). Sic illa evangelici sermonis divina sententia anum pauperem, inter larga locupletum munera gemina tantum æra mittentem, magnifica accepta largitione ditavit. Quia non potest parum esse quod totum est; neque quisquam amplius dedit, quam qui sibi nihil reservavit. Hæc si qui præter vos nimium videbuntur astricta, qui Dei claustra pulsare tentaverit, prout ratio sua tulerit, relaxabit : ne quis forte aut connexus sit conjuge, aut liberis impeditus. Habet præter hæc arcta substantia plura quæ sequantur. Neque se repulsum credat, sed aditu alterius vocationis admissum, sicut scriptum est : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor.* VII, 20). Non tamen propensiorem curam patrimonio quam religioni in caducis magis occupatus intendat, agnoscens scriptum esse : *Et possidentes tanquam non possidentes* (*I Cor.* VII, 30). Si quem ta-

men posteritatis compede felicior natura si intelligatur absolverit, causam hærendi in mundo, nisi ignarus est Dei munerum, non habebit. Cur enim vivendi voluntate non solvat, quod moriendi lege rumpendum est; faciens de sorte mercedem, ut de necessitate virtutem augeat? Quinimo qui in sua re familiari de parvis magna, de vilibus pretiosa, æterna facit de caducis; solus est cum pervenerit, ut sempiternus patrimonii sui possit esse possessor. Si avarus non est, debet terminanda contemnere; si avarus est, debet desiderare perpetua, sciens scriptum esse : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea, neque ærugo exterminant, ubi fures non effodiunt nec furantur* (*Matth.* VI, 19).

Hoc ei qui non caret filiis hortamentum est; qui caret, imperium. Ista vos cuncta congrua temporibus, apta personis, referta exemplis, condita blanditiis, hortamento mites ingerite : facilius potest persuadere qui facit. Neque enim aliquo horum omnium fructu invidi estis cujusquam æstimatione fraudandi. Erat vobis certe corpus firmum, ætas integra, rudes animi, quamvis angusta pro humani generis varietate substantia : patebat vel negotiandi usus, vel studium militandi : diversæ artes, et innumera in actibus mundi augendæ facultatis officia. Postremo non deerat vel pauper uxor, quæ vivendi pararet voluptatem, et insita humanis sensibus pignorum blandimenta. Quæ vos omnia quidem corpore et castis sensibus respuentes, divinæ sententiæ formam religiosis actibus custoditis, dicente Scriptura : *Quicunque plus me fecerit domum, aut uxorem, aut filios, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Vestra igitur intuentes exempla, nec illi de meritorum summa angusta sui æstimatione desperent, qui substantia parili ad studium vitæ hujus advenerit. In hoc ergo, filii charissimi, vivendi tramite constituti, *vacate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXV, 9).

Dies noctesque lectionibus atque orationibus ducite; et mei semper, quem in opere et scientia abortivum omnium sacerdotum præceptorem tanti vobis habuistis eligere, mementote. *Vigilate, state in fide, confortamini, omnia vestra in charitate fiant, et Deus pacis erit vobiscum* (*I Cor.* XVI, 13).

EJUSDEM S. ATHANASII

EXHORTATIO AD SPONSAM CHRISTI.

Quantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter Scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur : quia discimus peculiare illi subsistere meritum, cujus specialis est consecratio. Nam cum universa turba credentium paria gratiæ dona percipiat, et eisdem omnes sacramentorum benedictionibus glorientur, istæ proprium aliquid præ cæteris habent, cum de illo sancto et immaculato Ecclesiæ grege, quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis a sancto Spiritu eliguntur, et per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, et nulla magis ei quam imaginis suæ hostia placitura. De ejusmodi enim Apostolum præcipue dixisse reor : *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Possidet ergo virginitas et quod alii habent, et quod alii non habent : dum et communem et peculiarem obtinet gratiam, et proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam et Christi sponsas virgines dicere ecclesiastica nobis permittit auctoritas; dum in sponsarum modum quas consecrat Domino velat : ostendens eas vel maxime habituras spiritale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritualiter copulantur, quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime impletur illud Apostoli : *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17).

Grande est et immortale, et pene ultra naturam corpoream, sopire luxuriam et concupiscentiæ flammam adolescentiæ facibus accensam animi virtute restringere, et spiritali conatu vim genuinæ oblectationis excludere, vivere contra humani generis morem, despicere solatia conjugum, dulcedinem contemnere liberorum, et quæcunque præsentis vitæ esse commoda possunt, pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, ut dixi, et admirabilis virtus est, et non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinata. *Dabo*, inquit Dominus, *spadonibus meis in domo mea, et in muro meo locum nominatum meliorem a filiis et filiabus Israel, nomen æternum dabo eis, quod non deficiet Isai.* LVI, 4). De quibus spadonibus Dominus in Evangelio repetit dicens : *Sunt enim spadones qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed majus præmium : temporalis custodia, sed remuneratio æterna. De his enim et beatus Joannes apostolus loquitur, quod *sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Quod ita intelligendum puta, nullum eis locum in cœlesti aula claudendum, et cuncta eis divinarum mansionum habitacula reseranda.

Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, et quam Deo digna sit manifestius possit intelligi, illud cogitetur, quod Dominus et Salvator noster Deus,

cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum. Et ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, et pudicitiæ bonum utrique sexui intimaret, virginem habuit matrem virgo mansurus; in se viris, et in matre feminis præbuit virginitatis exemplum : quo demonstraretur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis haberi, et plenitudinem meruisse; dum totum in matre fuit, quidquid habebatur in filio. Sed quid ego satago excellens ac sublime pudicitiæ meritum revelare, et gloriosæ virginitatis bonum ostendere; cum de hac re plerosque perorasse non nesciam, et ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse, et nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem majoris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam aut nullius præmii, aut parvi existimat, certum est illum aut ignorare, aut non voluntarium ferre laborem. Unde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent, aut habere coguntur inviti.

Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem quam meritum integritatis ostendimus; ne res, quæ grandi virtute constat, et ingenti præmio destinatur, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quanto enim quæcunque species pretiosior fuerit, tanto majori sollicitudine custoditur. Et quoniam multæ sunt quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio; ut est mellis species, quæ nisi cerarum custodia et favorum cellulis conservetur, et (ut verius dixerim) nutriatur, naturalem gratiam perdit, et subsistere per se ipsam non potest. Sicut et vini species, quod nisi boni odoris vas sit, et reparatis crebrius picibus foveatur, genuinæ vim suavitatis amittit. Attentius ergo providendum est, ne forte et virginitati alia sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat; et tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque rebus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob cœlestis regni præmium pudicitiæ servatur integritas, quod sine æternæ vitæ merito neminem consequi posse satis certum est. Æternam vero vitam non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri posse Scriptura testatur dicens : *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Vitam ergo non habet, nisi qui cuncta legis mandata servaverit : et qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas sola proficiet, quæ cœlestis regni gloriam sperat; nisi et illud habuerit, cui perpetua vita promittitur, per quam cœlestis regni præmium possidetur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque servantibus, et ejus remunerationem a Dei æquitate sperantibus mandatorum sunt custodienda præcepta; ne gloriosæ castitatis et continentiæ labor in irritum deducatur.

Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem sapiens et legens nullus ignorat, Apostolo dicente : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum statuit; supra mandatum vel præceptum eam esse professus est. Quicunque ergo virginitatem servant magis quam præceptum est faciunt. Tunc enim proderit amplius fecisse quam jussum est, si quod jussum est facias. Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum : volens virginitatis præmium consequi, vitæ amplectere merita, ut tua remunerari castitas possit : nam ut vitam præstat remuneratio mandatorum; ita e contrario eorum generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit; neque pudicitiæ præmium exspectare constitutus in pœna.

Tres enim species sunt, per quas cœlestis regni possessio introitur. Prima est pudicitia; secunda mundi contemptus; tertia vero justitia : quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant, ita divisæ prodesse difficile possunt : dum unaquæque earum non propter se tantum, sed propter aliam efflagitatur. In primis ergo quæritur pudicitia, ut facilius subsequatur mundi contemptus : quia ab illis mundus contemni levius potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, ut justitia conservetur; quam implere difficile possunt, qui sæcularium bonorum et mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, et secundam, quæ est mundi contemptus, non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam prima quæsita est. Et si primam et secundam habeat, cui tertia, quæ est justitia, desit, frustra laborat : quoniam superiores duæ propter justitiam præcipue requiruntur. Quid enim prodest propter mundi contemptum pudicitiam habere, et propter quod eam habeas non habere? Vel cur res mundi contemnas, si justitiam, propter quam pudicitiam et mundi contemptum habere te convenit, non custodias? Quia ut prima species propter secundam est, ita prima et secunda propter tertiam : quæ si non fuerit, nec prima nec secunda proficiet.

Dicis forsitan, Doce ergo me quid sit justitia; ut eam si cognoverim, facilius implere sufficiam. Dicam breviter ut valeo, et verborum utar simplicitate communium : quia causa de qua agimus talis est, quæ dissertioribus facundiæ sermonibus nequaquam debet obscurari, sed simplicioribus eloquentiæ narrationibus pandi : res enim in commune necessaria communi debet sermone monstrari. Justitia ergo non est aliud quam non peccare. Non peccare autem est legis præcepta servare. Præceptorum autem observatio duplici genere custoditur : ut nihil eorum quæ prohibentur facias, et cuncta quæ jubentur implere contendas. Hoc est quod dicit : *Recede a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15). Nolo enim putes in hoc constare justitiam, ut malum non facias; cum et bonum non facere malum sit; et in utroque

legis prævaricatio committatur. Quoniam qui dixit: *Recede a malo*, et ipse dixit, *Fac bonum*. Si a malo recesseris, et non feceris bonum, transgressor es legis; quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed et in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis, sed et ut spoliatum operias tuis: neque ut habenti panem non auferas suum, sed ut non habenti tuum libenter impertias: neque solum ut pauperem suo non pellas hospitio, sed ut pulsum et non habentem recipias tuo. Præceptum enim nobis est, *Flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquod eis in his propter quas lacrymantur causis præbemus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum quærit humorem: sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas; et quomodo tibi in tali tribulatione si esses subveniri cuperes, ita alteri subvenias propter illud: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis similiter* (*Matth.* VII, 11). Nam cum flente flere, et nihil, cum possis, flenti conferre, subsannationis non pietatis indicium est. Denique Salvator noster cum Maria et Martha Lazari sororibus flevit, et immensæ misericordiæ affectum lacrymarum contestatione monstravit, et veræ pietatis indicia mox opera subsecuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cujus causa fundebantur, sororibus redditur (*Joan.* XI). Hoc fuit pie cum flentibus flere, occasionem fletus auferre. Sed quasi potens, inquies, fecit. Verum nec tibi impossibile aliquid imperatur. Implevit omnia qui quod potuit fecit.

Sed, ut dicere cœperamus, non sufficit Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Quod illo vel maxime testimonio comprobatur, quod comminatur Dominus æterni ignis reos fore, qui quamvis mali nihil gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens: *Tunc dicet rex his qui ad sinistram sunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV, 41). Non dixit: Discedite a me, maledicti, quia homicidium, quia adulterium, aut quia furta fecistis: non enim quia malum fecissent; sed quia bonum non fecerant, condemnantur et æternæ gehennæ supplicüis addicuntur: nec quia quæ prohibita sunt admisissent; sed quia quæ præcepta erant implere noluere. Unde advertendum est quam spem habere possint, qui adhuc aliquid eorum faciunt, quæ prohibentur; cum etiam rei sunt, qui non fecerunt quæ jubentur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, quia aliqua feceris; cum scriptum est: *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Adam enim semel peccavit, et mortuus est; et tu te vivere existimas illud sæpe committens quod alium dum semel perpetrasset occidit? An grande illum commisisse crimen putas, unde merito pœna damnatus sit acriori? Videmus ergo quid fecerit contra mandatum. De fructu arboris edit. Quid ergo? Propter arboris fructum Deus hominem morte mulctavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ, ut de arboris fructu non ederet, ipse tibi præcepit ut non maledicas, non mentiaris; non detrahas; non detrahentem auscultes; ut omnino non jures; ut non concupiscas; non invideas; non sis tepidus; non sis avarus; ut nulli malum pro malo reddas; ut inimicos tuos diligas; ut maledicentibus benedicas; ut pro calumniatoribus et pro persecutoribus tuis ores; ut percutienti maxillam alteram præbeas; ut in judicio sæculari non litiges; ut si quis tua auferre voluerit, gratanter amittas; ut nec iracundiæ, nec zeli, nec livoris malum intra pectus admittas; ut crimen avaritiæ fugias; ut omnis superbiæ ac jactantiæ malum caveas, et humilis ac mitis Christi vivas exemplo: malorum consortia in tantum vitans; ut cum fornicatoribus, aut avaris, aut maledicentibus, aut invidis, aut detractoribus, aut ebriosis, aut rapacibus, nec cibum capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet et tibi. Imo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis et novellus erat, et nullius ante peccantis et propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo: tibi vero post tanta documenta, post legem, quo modo indulgere possit ignoro.

An tibi de virginitatis prærogativa blandiris? Memento Adam et Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Evæ non Mariæ comparanda est. Non negamus in præsenti tempore pœnitentiæ remedium; sed hortamur magis præmium sperare debere, quam veniam. Turpe est enim illis delicti indulgentiam postulare, quæ palmam virginitatis exspectant; et illicitum aliquid incurrere, quæ se etiam a licitis castravere. Licitum quippe est matrimonii iuire consortium. Et ut laudandæ sunt, quæ propter Christi amorem et cœlestis regni gloriam copulam contempserint nuptiarum; ita damnandæ non sunt, quæ propter innocentiæ voluntatem, nondum Deo devotæ remedio apostolico abutuntur. Ergo, ut diximus, quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent; si maledicant; si detrahant; si detrahentes patiantur audire; si malum pro malo reddant; si cupiditatis in alienis, aut avaritiæ in propriis crimen incurrant; si zeli aut livoris venena possideant; si contra legalia et apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur aut cogitent; si in carne placendi studio compte et ornate procedant; si aliqua quæ, ut assolet, illicita sunt faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit, et exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licitum contempsisti, vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum enim est timuisse quod minus est, et non timere quod majus est: aut ab his non

vitari quæ prohibentur, si subterfugerint quæ conceduntur. Dicit enim Apostolus : *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro* (*I Cor.* VII, 34). Nuptam placere viro asserit, cogitando quæ mundi sunt : innuptam vero Deo, eo quod nulla cura illi sit sæculi. Dicat ergo mihi quæ virum non habet, et tamen quæ sunt mundi cogitat, cui placere desiderat? Nonne incipiet illi nupta præponi? quia illa cogitando quæ mundi sunt, complacet vel marito : ista vero non marito, quæ non habet, potest placere, nec Deo.

Sed nec illud silentio præterire nos convenit, quod dixit : *Innupta cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore et spiritu* (*I Cor.* VII, 34). Quæ sunt ergo Domini dicat Apostolus. *Quæcunque sunt sancta, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ. Si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Philip.* IV, 8). Ista sunt Domini, quæ sanctæ, et veræ, et apostolicæ virgines die noctuque sine ullo temporis intervallo meditantur et cogitant. Domini est regnum cœlorum, Domini est resurrectio mortuorum; Domini immortalitas; incorruptio Domini est; splendor solis, qui sanctis promittitur, Domini est, sicut in Evangelio scriptum est : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII, 43). Domini sunt plures sanctorum in cœlestibus mansiones; Domini est fructus tricesimus, et sexagesimus atque centesimus. Hæc cogitant, et quibus possint operibus promereri, quæ Domini sunt cogitant. Domini est etiam lex Novi et Veteris Testamenti, in quibus oris ejus eloquia sancta refulgent; quæ si quæ virgines sine intermissione meditantur, quæ Domini sunt cogitant; et completur in eis illud propheticum : *Fundamenta æterna super petram solidam : et mandata Domini in corde mulieris sanctæ* (*Eccles.* XXVI, 24). Sequitur : *quomodo placeat Deo ;* Deo, inquam, non hominibus : *ut sit sancta corpore et spiritu* (*I Cor.* VII, 34). Non dixit, Ut sit sancta membro aut corpore tantum; sed, *ut sit sancta corpore et spiritu.* Membrum enim una corporis pars est, corpus vero omnium compago membrorum est. Cum ergo dicit, *ut sit sancta corpore*, ex omnibus membris eam sanctificari debere testatur. Quia non proderit cæterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta.

Sed ut quod dico manifestius et lucidius fiat; esto, sit quæcunque omnium membrorum sanctificatione purgata, et lingua tantummodo peccet, qua aut blasphemet, aut falsum testimonium dicat; nunquid liberabunt omnia membra unum? an propter unum judicabuntur et cætera? Ergo si nec aliorum membrorum sanctificatio proderit, cum in uno sit vitium; quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proderit integritas? Unde quæso te, virgo, neque in sola tibi pudicitia blandiaris; ne in unius membri integritate confidas : sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput : quia crimen est illud post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere sordidari; aut auro vel gemmis cujuscunque terrenæ speciei comi : quod jam cœlestis ornatus splendore refulget. Grandis quippe divinæ gratiæ contumelia est : mundani et sæcularis ornamenti prælatio. Munda frontem, ut humana non divina opera erubescat, et illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed Dei gloriam parit, Scriptura dicente : *Est confusio adducens peccatum : et est confusio adducens gloriam* (*Eccl.* IV, 25). Munda collum, ut non aurea reticula capillus portet, et suspensa monilia, sed illa potius ornamenta circumferat, de quibus Scriptura dicit : *Misericordia et fides non deficiant a te, suspende autem illa in corde velut in collo tuo* (*Prov.* III, 13). Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, et ab intuitu pauperum nunquam avertis, et ab omnibus facis liberos ea qua a Deo facti sunt sinceritate custodias. Munda linguam a mendacio : quia *os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11). Munda eam a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo præposterum ordinem putes, quod prius a juramento, quam a perjurio linguam dixi debere mundari : quia tunc perjurium facilius effugies, si in toto non jures. Impleatur in te illa sententia : *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII, 14). Et memor esto dicentis Apostoli : *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14); sed illud crebrius recordare : *Videte ne quis malum pro bono alicui reddat, neque maledictum pro maledicto ; sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis* (*I Petr.* III, 9); et illud : *Si quis autem in lingua non offendit, hic perfectus est* (*Jac.* III, 2). Nefas est enim ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, et laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia et lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus; et ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis et veris auditum præbeant; ut nunquam obscena, aut turpia, aut sæcularia verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccl.* XXVIII, 29); ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur, quoniam auditu et visu justus erat; hoc est, nec auribus, nec oculis delinquebat. Manus ne porrectæ ad accipiendum sint, ad dandum autem collectæ, nec ad feriendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ et pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam et spatiosam pergant viam, quæ ducit ad splendida sæculi et pretiosa convivia; sed arduum magis et angustum gradiantur iter, quod

tendit ad cœlum : quia scriptum est : *Iter rectum facite pedibus vestris* (*Isa.* LVII, 14); agnosce tibi a Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata : et cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, et toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum omni fiducia palmam virginitatis exspecta.

Quid sit sanctam esse *corpore*, breviter quidem, sed plene exposuisse me arbitror : nunc quod sequitur, *et spiritu*, nosse debemus : hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec fas sit cogitatione concipere. Illa enim est sancta tam corpore quam spiritu, quæ nec mente nec corde delinquit; sciens etiam cordis esse inspectorem Deum : et idcirco satagit ut omni modo etiam animum cum corpore mundum habeat a peccato, sciens scriptum esse : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23). Et iterum : *Diligit Dominus sancta corda; accepti sunt autem ei omnes immaculati* (*Ibid.*). Et alibi : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8); quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati. De quibus et Joannem in Epistola dixisse reor : *Si cor nostrum nos non reprehendit, fiduciam habemus ad Deum, et quæcunque petierimus accipiemus ab eo* (*I Joan.* III, 20). Nolo existimes te crimen fugisse peccati, si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit : *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V, 27). Nec dicas, Cogitavi quidem sed non perfeci : quia etiam concupiscere nefas est. Unde beatus Petrus præcepit dicens : *Animas vestras castificantes* (*I Petr.* I, 22), qui si nullam animæ constuprationem nosset, nec castificari eam desiderasset. Sed et locum illum quo continetur : *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt : hi sequuntur Agnum, quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Attentius considerare debemus et animadvertere, si solius integritatis pudicitiæ merito ipsi divino comitatui copulentur, et per omnia cœlorum tabulata discurrant : an et alia sint, quibus adjuncta virginitas tantæ beatitudinis gloriam consequantur. Sed unde hoc scire poterimus? De sequentibus, nisi fallor, in quibus scriptum est : *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt* (*Ibid.*). Vides ergo quod non in uno tantum membro Dominicis referantur inhærere vestigiis; sed illi qui præter virginitatem ab omni contagione peccati immaculatam gesserint vitam. Idcirco virgo vel maxime nuptias spernit, ut dum securior est, facilius, quod etiam a nubentibus quæritur, ab omni se delicto custodiat, et universa legis mandata perficiat. Nam si non nubat, et ea nihilominus faciat, a quibus et nuptæ esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit? Quanquam enim nulli Christianorum peccare liceat, et omnes quicunque spiritalis lavacri sanctificatione purgantur, immaculata decurrere conveniat vita; ut Ecclesiæ quæ sine macula, sine ruga, sine aliquo ejusmodi esse describitur, possint visceribus intimari : multo magis tamen hoc virginem implere necesse est, quam nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis causa prohibet, quominus divinam Scripturam perficiat; nec aliqua, si peccet, poterit excusatione defendi.

O virgo, serva propositum tibi magno præmio destinatum. Præclara est apud Deum virginitatis et pudicitiæ virtus, si non aliis peccatorum et malorum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris; vide ne quid indignum eo, cui desponsata videris, admittas : cito scribet repudium, si in te vel unum viderit adulterium. Quæcunque enim humanorum sponsaliorum pignoribus subarrhatur, statim a domesticis, a familiaribus, ab amicis sponsi sollicite et diligenter requirit et a servulis, quales juvenis habeat mores, quid potissimum diligat, quid accipiat, quo usu vivat, qua se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, quibus, præcipue rebus delectetur et gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se in omnibus temperat, ut sponsi moribus suum obsequium, sua jucunditas, sua diligentia, sua vita concordet. Et tu quæ Christum sponsum habes, a domesticis et familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga, et strenue ac solerter inquire, in quibus præcipue delectetur, qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in Epistola sua scripsit : *Mulieres similiter subjectæ viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant : considerantes in timore Dei castam conversationem vestram, quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconsus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, quod est in conspectu Dei locuples* (*I Petr.* III, 1). Dicat et alius apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens episcopum, eadem de fidelium feminarum disciplina testatur : *Mulieres similiter in habitu ornato cum verecundia et sobrietate, ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem* (*I Tim.* II, 9).

Sed forsitan dicis : Cur hæc iisdem apostoli virginibus non jusserunt? Quia non necessarium judicabant : ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur? Sed nec eas unquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut ne nuptis quidem concessa carnalia ornamenta et terrena præsumerent. Revera ornare se et componere virgo debet : nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita et ornata processerit? Ornetur plane, sed interioribus ornamentis, et spiritaliter non carnaliter componatur : quia Deus non corporis sed animæ decorem in illa considerat. Ergo et tu, quæcunque animam tuam a Deo diligi et inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, et spiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil fœdum

appareat. Resplendeat auro justitiæ, gemmis refulgeat sanctitatis, ac pretiosissimo pudicitiæ margarito coruscet. Pro bysso et serico, misericordiæ et pietatis tunica vestiatur; secundum quod scriptum est: *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem*, etc. (*Col.* III, 12). Et non decorem cerussæ aut alterius pigmenti quærat, sed innocentiæ ac simplicitatis candorem habeat. Roseum verecundiæ colorem et purpureum ruboris pudorisque possideat. Cœlesti abluatur nitro doctrinæ, et lamentis spiritalibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla diaboli macula relinquatur; et ne quando male redoleat odore peccati, unguento suavissimæ sapientiæ et scientiæ perfundatur.

Hujusmodi Deus quærit ornatum, et animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici secundum quod ait: *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV, 11). Sed et tu ipsa quotiescunque Deum Patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide ne quid eorum facias quæ Deo Patri incongrua sint: sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus sæculi nobilium filiæ se gerant, quibus assuescant moribus, quibusve se disciplinis instituant. Tanta quibusdam verecundia est, tanta gravitas, tanta modestia, ut cæterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant: et ne quam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiæ inurant notam, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis studeant facere naturam. Et tu ergo originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte: agnosce te non hominis, sed Dei filiam, et divinæ nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te cœlestis nativitas pateat, et ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus, et sermo semper modestus, et suo in tempore proferendus: ut quisquis te viderit, admiretur et dicat: Quæ hæc novæ inter homines gravitatis patientia est? quæ pudoris verecundia? quæ honestatis modestia? quæ maturitas sapientiæ? Non est ista humana institutio, nec disciplina moralis: cœleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te Christi famulam esse cognoverit, majore stupore tenebitur, et cogitabit qualis ille sit Dominus, cujus talis ancilla est.

Si vis ergo esse cum Christo, et partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia et nequitia ità fuit extraneus, ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius et pro ipsis oraret. Nolo enim eas animas Christianas existimes, quæ aut fratres aut sorores non dico oderunt, sed quæ proximos toto corde et conscientia coram Dei testimonio non diligunt; cum Christianis Christi similitudine inimicos etiam amare necesse sit. Si sanctorum cupis habere consortium, a malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo te fallaci sermone seducat. Non nisi sanctos et justos et simplices et innocentes et puros cœlestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia et dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam exsecrabile Deo, quam aliquem odisse, aliquem velle lædere; nihil tam probabile, quam omnes amare. Quod Propheta sciens testatur dicens: *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* XCVI, 10).

Vide ne in aliquo humanam gloriam diligas; ne et tua inter illos portio computetur, quibus dictum est: *Quomodo vos potestis credere, gloriam ab invicem quærentes* (*Joan.* V, 44)? Et de quibus per prophetam dicitur: *Auge eis mala, auge mala gloriosis terræ* (*Isa.* XLV). Et alibi: *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Dei.* Nolo enim illas respicias, quæ sæculi non Christi sunt virgines; quæ propositi sui et professionis immemores gaudent in deliciis, in opibus delectantur, et corporeæ nobilitatis origine delectantur. Quæ si profecto Dei filias se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato: si Patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris, et complaces? Duos homines fecit ab exordio Deus, ex quibus totius generis humani silva descendit: mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstitit, sed cupiditatis ambitio. Certe omnes per divini lavacri generationem æquales efficimur, et nulla inter eos potest esse discretio, quos nativitas secunda generavit; per quam tam dives quam pauper, tam liber quam servus, tam nobilis quam ignobilis Dei efficitur filius; et terrena nobilitas splendore cœlestis gloriæ adumbratur, et nusquam omnino jam comparet: dum qui retro in sæcularibus honoribus impares fuerant, cœlestis et divinæ nobilitatis gloria æqualiter vestiuntur. Nullus jam ignobilitati locus, nec degener quisquam est, quem divinæ nativitatis sublimitas ornat, nisi apud illos, qui non putant humanis cœlestia præponenda: aut si putant, quam vanum est, ut se illis in minoribus præferant, quos sibi in majoribus pares sciunt, et quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi æquales in cœlestibus credunt? Tu autem quæcunque Christi, non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam quæ in futuro promittitur consequaris.

Contentionum verba, et animositatis causas evita; discordiarum quoque et litium occasiones subterfuge. Nam si, juxta Apostoli doctrinam, *Servum Domini litigare non oportet* (*II Tim.* II, 24), quanto magis Dei ancillam? cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam a maliloquio cohibe, et ori tuo frenum legis impone, ut tunc, si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, cave ne quid quod in reprehensionem veniat dicas. Lapis emissus est sermo prolatus; quapropter diu antequam proferatur cogitandus est. Beata quippe labia

sunt, quæ nunquam quod revocare iterum velint emittunt. Pudicæ mentis sermo etiam debet esse pudicus, qui ædificet semper magis, quam aliquando destruat audientes, secundum quod præcepit Apostolus dicens : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Ephes.* IV, 29). Pretiosa Deo lingua est quæ non sine divinis rebus novit verba construere, et sanctum os unde cœlestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos Scripturæ auctoritate deterre, quia hoc inter virtutes perfecti hominis Propheta commemorat (*Psal.* XIV, 5), si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit. Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire; quia nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est quidquid contra Christi Evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri (*Matth.* VII, 12). Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, et auditum tuum ad bonorum magis laudem quam ad malorum vituperationem accommoda.

Vide ut omnia quæcunque benefacis, propter Deum facias; sciens ejus rei tantum te a Domino recepturam esse mercedem, quam ejus timoris et dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude : quia nihil prodest æstimari quod non sit : et duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, et quod non habeas simulare.

In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus Deo serviens die ac nocte. Et si vidua quidem in Judæa talis erat, qualem nunc virginem convenit esse Christi? Divinæ magis lectionis convivium dilige, et spiritalibus te saturari dapibus concupisce; et illos potius quære cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis et vini species quasi caloris fomenta et libidinis incitamenta fuge; et tunc, si forte, vino exiguo utere cum stomachi dolor et nimia corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince; animositatem cohibe; et quidquid illud est, quod post factum pœnitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam et quietam convenit esse mentem, et ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat; qui per Prophetam testatur et dicit : *Super quem requiescam alium, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Psal.* LXVI, 2)? Omnium operum et cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, et cave ne quidquam quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites.

Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe quasi quæ sis cum Domino locutura. Cum psalmum dicis, cujus verba dicis agnosce; et in compunctione magis animi quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam vocis gratiam comprobat : sicut Propheta dicit : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Ubi timor et tremor est, ibi non vocis elatio est, sed animæ flebilis et lacrymosa dejectio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe, quia scriptum est : *Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter* (*Jer.* XLVIII, 10). Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia; et fides eo perfectior videatur, quo senior es : quia Dominus noster Jesus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, proficiebat non *ætate* tantum corporea, sed et *sapientia et gratia* spiritali *coram Deo et hominibus* (*Luc.* II, 25). Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc te æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem usque conserva; quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtutis est, sicut in Evangelio Dominus ait : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXII, 10). Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est; criminosior est enim Christi adultera quam mariti. Unde pulchre Romana Ecclesia apostolico, sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam nuper hujusmodi sententiam statuit, ut vix vel pœnitentia dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset.

Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum : præcede et in actu quos in castitatis sanctificatione præcurris. Virginem te in omnibus exhibe; nihil corruptionis objiciatur capiti tuo, cujus corpus integrum est; ut et tua sit inviolabilis conversatio. Et quoniam sicut in exordio epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium factum; quod utique sanctitatem suam etiam aliis impertit, ut quisquis ex eo digne sumpserit, sanctificationis et ipse sit particeps : ita ergo et per te, quasi per divinam hostiam, sanctificentur et cæteræ; cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam aut auditu contigerit aut visu, sanctificationis vim sentiat; et in tantum sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio et ipse sit dignus.

Explicit.

SANCTI BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ EPISCOPI

ADMONITIO AD FILIUM SPIRITUALEM.

PROŒMIUM.

Audi, fili, admonitionem Patris tui, et inclina aurem tuam ad verba mea, et accommoda mihi libenter auditum tuum, et corde credulo cuncta quæ

dicuntur ausculta. Cupio enim te instruere quæ sit spiritualis militia, et quibus modis regi tuo militare debeas. Intensissime ergo audiat sensus tuus, et animam tuam nullus prægravet somnus; sed ad vigilandum excita eam, et ad studium intelligendi sermonem meum. Verba enim ista sunt ex me, sed prolata ex divinis fontibus. Neque enim nova doctrina instruam te, sed ea quam didici a patribus meis. Hanc enim si immiseris in cor tuum, in pace dirigentur itinera tua, nec approximabit ad te ullum malum, sed procul abscedet a te omnis adversitas animæ.

CAPUT PRIMUM.

De militia spirituali.

Si ergo cupis, fili, militare Deo, illi soli militabis. Sicut enim qui militant regi terreno omnibus jussis ejus obediunt, sic et qui militant regi cœlesti, debent cœlestia custodire præcepta. Miles terrenus quocunque loco mittitur, paratus ac promptus est, neque se uxoris vel liberorum gratia excusare audebit; multo magis miles Christi sine aliquo impedimento regis sui debet imperio obedire. Miles terrenus contra hostem visibilem pergit ad bellum; tecum vero hostis invisibilis quotidie præliando non desinit. Illi contra carnem et sanguinem est dimicatio; tibi vero adversus spiritalia vitia in cœlestibus eluctatio. Ille contra carnalem hostem carnalibus armis utitur; tu vero contra spiritalem hostem spiritalibus armis indiges. Ille in prælio galeam ferream gestat; sed tua galea Christus sit, qui est caput tuum. Ille lorica, ne vulneretur, indutus est; sed pro lorica sis fide Christi circumdatus. Ille contra adversarium suum mittit lanceam et sagittas; tu contra adversarium divina eloquia jaculare, et percutiens eum verbis propheticis dicito : *Dominus mihi adjutor est, et ego deridebo inimicos meos* (*Psal.* CXVII). Ille donec pugna geritur, arma a semetipso non projicit, ne ab adversario vulneretur; ita et tu nunquam debes esse securus, quia tuus hostis hoste illius est astutior. Illius quidem hostis ad tempus dimicat; tuus vero hostis, quandiu in stadio vitæ hujus consistis, tecum pugnare non cessat. Illius arma laboriosa et gravia sunt ad portandum; tua vero arma volentibus portare suavia ac levia sunt. Ille cum superaverit adversarium, ad domum conjugis ac liberorum revertetur; tu vero, hoste prostrato, in illud cœleste regnum cum omnibus sanctis intrabis. Ille pro labore terreno terrenum accipit donarium; tu vero pro spiritali labore cœleste recipies præmium. Cœleste enim donum exspectet monachus, qui terrenos actus a semetipso projicit, ne implicet se negotiis sæcularibus militans Deo. Difficile namque est servire duobus dominis; nec potest quisquam serviens mammonæ spiritalia arma portare, sed jugum Christi suave ac leve a semetipso repellit ac projicit : et quidquid grave et onerosum est animæ suæ, hoc ei videtur suave ac leve. Istiusmodi vir a propriis armis vulneratur, et cum diligit periculum, incidit ad mortem. Tu autem considera A cui regi te ad militandum probasti; et quanto superius est rege terreno imperium cœleste, tanto præcellentior est gradus excellentiæ tuæ terreno milite. Turrim excelsam construere cogitas, præpara ergo tibi sumptus ad structuram, ut cœptum ædificium ad perfectum deducas; ne quando prætereuntibus venias in risum, et gratulentur de te inimici tui. Hæc turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus animæ : nec auri, nec argenti indiget sumptibus, sed conversatione fideli : nam terrenæ opes plurimum ad ædificandum impediunt.

CAPUT II.

De virtute animæ.

Unus profectus sit tibi, fili, si domino uni servire B desideras, nec alicui in vita tua placere coneris nisi illi soli; nec occupes in diversis rebus animum tuum; sed abscinde a te carnalem amorem, ne a te Dei timorem excludat. Omne vitium expelle ab anima tua, ut virtutes animæ conquirere possis. Audi igitur quæ sit virtus animæ, et quam maximum ei conferat lucrum. Virtus animæ est diligere Dominum, et odisse quæ non diligit Deus. Virtus animæ est et patientiam sectari, et ab impatientia declinare. Virtus animæ est castitatem tam corporis quam animæ custodire. Virtus animæ est vanam gloriam contemnere, et omnia caduca calcare. Virtus animæ est humilitati studere, et tumorem superbiæ abominari. Virtus est animæ veritatem amplecti, et omne mendacium fugere. Virtus est animæ iram C cohibere, et furorem reprimere. Virtus est animæ pacem diligere, et invidiam exsecrari. Virtus animæ est ab omni stultitia declinare, et sapientiam divinam amplecti. Virtus animæ est omnem voluptatem carnis subjicere menti. Virtus animæ est avaritiam spernere, et voluntariam assumere paupertatem. Has igitur virtutes facile poteris obtinere, si sæcularium rerum curas neglexeris, et caducis ac terrenis rebus cœlestia præposueris : et si voluntas tua in laudibus Dei fuerit occupata, et judicia ejus die ac nocte impensius meditatus eris; eris autem *Tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I, 3), et omnes fructus spiritales orientur ex te, et ex servo amicus vocaberis Dei.

CAPUT III. D

De dilectione Dei.

Ex tota igitur virtute tua dilige Dominum, ut in omnibus actibus tuis placeas illi. Si enim qui conjugium contraxerit, festinat placere uxori suæ, multo magis monachus omnibus modis debet placere Christo. *Qui diligit Dominum, ejus præcepta custodit* (*I Joan.* II). Deus enim non se vult verbis tantummodo diligi, sed ex corde puro et operibus justis. *Qui enim dicit : diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*Ibid.*). Hujusmodi enim vir fallit semetipsum, et a semetipso seducitur. Deus enim non verborum sed cordis inspector, et diligit eos qui in simplicitate cordis serviunt ei. Si terrenos parentes cum tali affectu diligimus, qui in tam parvo

tempore pro nobis sustinuerunt laborem, nonne magis nobis cœlestis amandus est? Nam et circa nos, quod fuit eorum obsequium, Christi est beneficium, qui omnium dispensator optimus est. Nam antequam nasceremur in hoc sæculo, parentes nobis sua providentia antea præparavit, quorum obsequio nutriemur. Sed et matris ubera tunc lacte replentur, quando infans fuerit natus. Ergo magis omnibus diligamus Deum, qui nos et propinquos nostros propriis manibus finxit; et cuncta bona quæ erga nos geruntur quotidie ejus beneficiis ascribamus. Nam et parentes nostros quasi propria viscera diligamus, si accedere nos ad servitium Christi non prohibent : si autem prohibent, nec sepultura illis a nobis debetur. Christus diligendus est super parentes, quia non tribuunt nobis parentes ea quæ Christus tribuit. Et quis beneficia ejus congruenter enarret? Vel quantum nobis tribuit, et quotidie præbendo non desinit? Videns enim Deus innumeris peccatis nos obnoxios, non despexit, sed liberavit; nec cum alienati ab eo in diversis erroribus vagaremur, in præcipitium mortis non duxit, sed ad vitam perpetuam revocavit. Et cum ingrati beneficiorum ejus fugeramus ab eo, ut Pater clementissimus exquisivit nos : et cum in sede sublimi sederet, nostri gratia descendit ad terras, et in tanta humilitate venit, ut servilem formam assumeret; et qui in pugillo suo continet orbem terrarum, pannis in præsepio involutus est : et qui cœlum palma metitur, non habuit ubi caput reclinaret. Cum esset dives, pauper est factus, ut nos ditaremur in illo; et qui in nubibus venturus est ad judicandos vivos et mortuos, judicium hominis pertulit; et cum sitientibus sit fons æternalis, cum sitisset postulavit aquam a Samaritana muliere : et qui in carne propria nostram esuriem saturavit, esurivit cum tentaretur in eremo; et cui ministratur cum Patre ab angelis, hominibus ministrare dignatur : et manus ejus per quas virtutes plurimas operatus est, pro nobis confixæ sunt clavis; et ori ejus per quod salutarem doctrinam annuntiavit hominibus. pro cibo fel dederunt : et qui nullum læsit vel nocuit, cæsus et opprobria pertulit; et cujus nutu omnes mortui resuscitati sunt, voluntate sua mortem crucis sustinuit. Et ideo hæc omnia passus, ut nobis vitam æternam donaret. Et cum nobis immensa beneficia præstet, nihil exigit a nobis, nisi ut templa nostra impolluta ei servemus, ut semper in nobis habitet, et nos permaneamus in illo. Non postulat a nobis aurum, aut argentum, vel quidquid hujusmodi; nam et si fuerint nobis ista, dispertiri egentibus præcipit : nos ipsos quærit, nos desiderat, in nobis requiescere cupit.

CAPUT IV.

De dilectione proximi.

Accedamus ergo ad eum, et copulemur in affectu ejus, et ut nos ipsos amemus et proximos. *Qui diligit*, inquit, *proximum, filius Dei vocatur*. Qui autem e contrario odit, filius diaboli nuncupatur. Qui diligit fratrem suum, in tranquillitate est cor ejus; fratrem vero odiens tempestate maxima circumdatus est. Vir benignus etiamsi patitur injuriam, pro nihilo ducit; iniquus etiam proximi actus contumeliam arbitratur. Qui charitate plenus est, serenissimo vultu procedit : vir autem odio plenus ambulat iracundus. Tu autem, fili, benignitati stude in vita tua, et proximum tuum habeto tanquam unum ex membris tuis. Omnem hominem judica fratrem tuum. Memento quod unus artifex ac verus est qui condidit nos. Non moveas cuiquam scandalum in vita; et non quod tibi utile est, sed illi, facito. Quod tibi accidere non vis, nec ei cupias evenire. Si eum videris in bonis actibus conversantem, congratulare ei, et illius gaudium tuum ducito; et si aliquid patiatur adversum, compatere ei, et illius tristitiam tuam deputa : omnem malitiam expelle ab anima tua, et odiorum flammæ non comburent cor tuum. Contra impotentem aut subjectum tibi noli iracundia commoveri; sed tanquam tuum membrum proprium eum habeto in omnibus. Ne diligas fratrem tuum simulato corde, nec eum labiis osculans ex alia parte insidias facias ei. Dolosus enim vir pacifica verba profert ex ore, et in abdito mentis supplantare proximum suum meditatur. In his ergo operibus ad iracundiam provocatur Deus. Puritas enim quæ placet in conspectu Domini, respuit omne quidquid simulato corde efficitur.

CAPUT V.

De studio pacis.

Tu autem omnem simulationem longe fac a te, et ne cupias supplantare proximum tuum, neque mordere aut laniare membrum tuum. *Quod* et si quandoque ut homo iratus fueris, ultra solis terminum non producas iracundiam tuam; sed et reconciliare ad pacem, et deprime omnem furorem ab anima tua. Qui enim amplectitur pacem in mentis suæ hospitio, mansionem præparat Christo; quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit; vir autem invidus omnibus modis exsecratur. Vir pacificus in tranquillitate est semper cor ejus; invidus autem similis navi cum jactatur a fluctibus maris. Homo pacificus securam possidet mentem : invidus autem in perturbatione est semper; qui autem sectatur pacem, tutus est semper undique ac munitus. Nam invidus ut lupus rapax insanit inaniter. Pacificus est ut vinea honesta abundans fructu copioso; invidi autem opus indigentia ac miseria detinetur et quantum pacificus gaudens in Domino delectatur, tantum invidus tabescens ad nihilum redigitur. Ex abundantia lætitiæ pacificus homo dignoscitur; ex vultu marcido et furore pleno invidus demonstratur. Pacificus homo consortium angelorum meretur : invidus homo particeps dæmoniorum efficietur : et sicut pax secreta mentis illuminat, ita invidia occulta cordis obcæcat. Pax enim effugat et perturbat omnem discordiam, invidia autem iracundiam cumulat. A splendore autem pacis effugatur omnis caligo; et ubi obsederit invidia, ibi obscuritas et exte-

riores tenebræ. Sectare ergo, fili, desiderabile nomen pacis, ut fructus pacis possis acquirere; et exsecrare invidiam, ne malorum fructibus replearis. Rationabile namque animal creavit te Deus, ut possis discernere inter bonum et malum, ut quæ sint optima eligas, et inutilia respuas, omnia examines, quæ sint bona teneas, ab omni specie mala abstineas.

CAPUT VI.

De patientia.

Fili, patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, ut in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Patientia grandis est medela animæ, impatientia autem est pernicies cordis. Per patientiam enim exspectatur futurorum bonorum spes; et quod non videtur, quasi quod videtur amplectitur.

CAPUT VII.

De continentia et castitate.

Castum te in omnibus serva, fili, ut videas Dominum in gloria consistentem. Ab omni pollutione mundum sit cor tuum, et ne des inimico aditum eundi ad te. Ab aspectu nefando averte oculos tuos, et ne delecteris pulchrarum vultibus feminarum, ne per talem oblectationem ultima exsolvas supplicia. Memento cui dedicasti membra tua, et ne commisceas illa meretricibus. Reflecte amorem ab amore mulieris, neque ab amore Domini te amor excludat. Noli minima contemnere, ne paulatim diffluas in malo. Non te simules simpliciter accedere ad virginum domus, nec velis cum eis uti longis et otiosissimis fabulis, ne per plurimas sermocinationes utrorumque mens polluatur. Noli, fili, graviter ferre sermones meos, nec stultum arbitreris eloquium meum, sed crede mihi et gratanter accipe verba mea. Si ad feminarum domus importune accesserit clericus vel monachus, et virgo patiatur hujusmodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, et quod Domino polliciti sunt sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt hujusmodi mansionem in se Domino præparare, sed desolabuntur ut lignum aridum : nunquid virginitatem Dominus extorquet invite? Hoc enim munus voluntarie Christo offertur in propria voluntate. Nec enim licitum est profanari aliquid quod Domino promissum. Non peccabis, homo, si non voveris votum : si enim vovisti, jam ne facias moram reddere illud quod Dominus quasi suum requirit illud a te; nec pollutione vult misceri membra tua, quæ sibi jam dedicata sunt. Vide ergo ne te seducat corporis pulchritudo, et decorem animæ tuæ amittas. Ne improbo oculo tuo intuearis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras tuas. Ne aperias aures tuas ad perficienda verba eorum, nec concupisces nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum, et spiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fenum proximans igni comburitur, ita qui tangit mulieris carnem non evadit sine damno animæ suæ; et licet corpore castus evaserit, mente tamen et corde corruptus abscedit.

CAPUT VIII.

De sæculi amore fugiendo.

Dic mihi, quæso, fili, quis sit profectus animæ, amare carnis pulchritudinem? Nonne sicut fenum cum a fervore æstatis percussum fuerit, arescit, et paulatim pristinum decorem amittit? Similis est etiam species humanæ naturæ : succedente sibi senectute omnis decor pristinus deperit, et quos in amorem sui antea concitabat, postmodum odio eorum afficietur. Nam cum intervenerit mors, tunc penitus omnis pulchritudo delebitur; et tunc cognosces, quia vanitas, quod ante inaniter diligebas. Cum videris totum corpus in tumorem et fetorem esse conversum; nonne intuens maximo horrore concuteris? Nonne claudis nares tuas, non sustinens fetorem durissimum? Ubi est postmodum omnis illa oblectatio? Require si est aliquod pristini decoris vestigium. Ubi est suavitas luxuriæ et conviviorum opulentia? Ubi sunt blandimentorum verba, quæ corda simplicia molliebant? Ubi sunt sermones dulces, qui amaritudinem amantibus infundebant? Ubi est immoderatus risus et otiosus? Ubi est effrenata et inutilis omnis lætitia? Velut fluxus aquæ transiens nusquam comparuerunt. Hic est finis carnis pulchritudinis quam amabas : hic oblectationis terminus corporis. Reflecte igitur animum tuum ab his obscenis amoribus, et omnem amorem converte ad splendidissimam pulchritudinem Christi, ut radii fulgoris ejus illustrent cor tuum, et omnis obscuritas caliginis expelletur a te. Hæc pulchritudo diligenda est, fili, quæ lætitiam spiritalem amantibus consuevit infundere. Hic decor omnibus modis amplectendus est, unde nobis serenitas tranquillitatis acquiritur. Devitemus perniciosas pulchritudines, ne omnium malorum genera in nos irrogentur. Multi enim admirantes mulierum species, a veritatis via naufragaverunt. Plerique ornamentis earum oblectati, perniciem animarum suarum perpessi sunt, et a perfectionis fastigio in profundum inferni demersi sunt. Caveto ergo, fili, species per quas plurimos cernis periisse. Quæso ne bibas poculum, unde multos perspicis interiisse : ne percipias cibum quem edi in aliorum perniciem videris. Ne incedas iterum, quo naufragium perpessi sunt plurimi. Devita laqueos, per quos captos cæteros senseris. Postula tibi a Domino cor prudens et pervigilem sensum, ut non ignores fraudes et astutias inimici et in retia ejus non incidat pes tuus. Sapiens non corporis decorem desiderat, sed animæ; insipiens homo speciem in carnalibus ornamentis amplectitur. Sapiens vir comptam mulierem respuit, stultus vero concupiscens eam miserabiliter supplantabitur. Vir prudens ab imprudente femina avertit oculos suos, luxuriosus autem vir intuens eam solvetur ut cera a facie ignis. Tu autem cave omnibus mo-

dis species perniciosas ac falsas pulchritudines, quia deturpatur anima si earum decorem attendas. Christus non in corporis decore, sed in animæ delectatur. Illa ergo dilige, fili, in quibus delectatur Christus.

CAPUT IX.

De avaritia fugienda.

Et ne pecuniarum cupiditati te subjicias, ab omni avaritia declina cor tuum, ut non condemneris sicut adulter et idolorum cultor. Noli amare mammona, ne offendas eum cui membra tua et mentem pariter dedicasti. Ne petas ea quæ te avocant et separant a Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cœlestes. Multi cupientes aliena, et suis privati sunt. Alienatæ sunt a nobis sæculi hujus facultates, nostra autem possessio regnum cœlorum est. Noli appetere aliena, ne a tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto : quidquid superfluum est projice abs te tanquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, et in laqueos diaboli. Caveto avaritiam, quia radix omnium malorum ab Apostolo nominata est. Pecuniarum cupidus jam animam suam venalem habet : si enim invenerit tempus, pro nihilo perpetrabit homicidium ; et sicut qui effundit aquam super terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plerique per avaritiæ ardorem in mortis periculum inciderunt. Propter avaritiam Achan cum suis omnibus lapidatus est (*I Reg.* xv). Propter avaritiam Saul alienus a Domino effectus est, et ad extremum de culmine regali expulsus est, et ab inimicis suis peremptus. Et Achab propter avaritiam invasit vineam Naboth (*III Reg.* xxi) ; et hujus rei gratia in prælio vulneratus defunctus est. Dominus noster et Salvator a corde pharisæorum volebat pecuniarum amorem excludere : sed quia illi erant cupidissimi, salutaria ejus monita deridebant. Nam et illum divitem cum Dominus vocans ad regna cœlorum facultates suas vendere præcepisset, aviditas intrare non permisit (*Matth.* xv). Et Judæ pectus avaritiæ ardore exarsit, ut Dominum largitorem sibi cunctorum bonorum in manus traderet impiorum (*Matth.* xxvi). Avarus enim vir inferno similis est. Infernus igitur quantoscunque devoraverit, nunquam dicit satis est ; sic etsi omnes thesauri terræ confluxerint in avarum, non satiabitur. Alienum te facito, fili, ab hoc vitio, et voluntariam paupertatem libenter assume. Noli esse desidiosus et piger ; sed labora manibus tuis, ut habeas unde tribuas indigenti. Secundum possibilitatem tuam mediocriter porrige : tantum enim expetitur a te quantum tibi fuerit creditum. Nemo enim exigit a te quod ipse minime possides. Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominatio est coram Christo, sed acceptum est illi quod fuerit fideliter acquisitum. Fili, non habet hanc artem misericordiæ bonum. Sunt enim nonnulli qui, diripientes aliena, præstare se eleemosynam simulant ; et cum alios premant, aliis misereri se fingunt : sed Deus non delectatur in operibus eorum, et simulationem cordis eorum exsecratur ac respuit. Tu autem, fili, licet exiguum de tuis laboribus porrigas, hoc gratum est et acceptum coram Domino. Non te velis jactare cum porrigis eleemosynam indigenti ; et illo cui feneras ne te arbitreris esse meliorem ; sed in omnibus operibus tuis humilia te coram Domino, quia non erit gratum Deo quidquid efficitur cum superbia ; quod autem fit humiliter, acceptum est ei.

CAPUT X.

De studio humilitatis.

Fili, præ omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere : cum justæ institutiones non aliter nisi per humilitatem impleantur, et multorum temporum labores per superbiam in nihilum deputentur. Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. Superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis vero licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem homo, etsi decorus videatur aspectu et clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, et per os, incessus et motus dignoscitur ejus superbia, et ex verbis ejus publicabitur levitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, et virtutibus, quibus alienus est, se prædicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper primatum cupit, et ad majorem gradum se conatur immergere ; et quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat invadere ; ambulans semper tumens ut uter vacuus et inanis. Et sicut navis absque gubernatore cum jactatur a fluctibus, ita et is levis circumfertur instabilis inter omnes actus suos. Humilis e contrario respuit omnem honorem terrenum, et ultimum se esse judicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur. Cum consummaverit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, et omnes virtutes animæ suæ celare festinat : sed divulgat Dominus omnia opera ipsius, et profert in medium, et mirificat gesta ipsius, et exaltabit et clarum faciet eum, et in tempore precum suarum quod postulat impetrabit.

CAPUT XI.

De oratione.

Et tu, fili, cum accesseris ad precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu ejus. Ne postules quidquam, quasi ex gratia meritorum tuorum : et si est tibi etiam conscientia boni operis aliqua, cela illam, ut te silente multipliciter restituatur a Deo ; et peccata tua cito produc in medium, ut deleat Dominus illa, cum confessus fueris ea. Nec te velis justificare cum ad orandum accesseris, ne sicut Pharisæus ab illo exeas condemnatus. Memento publicani, vel qualiter pro se oraverit (*Luc.* xviii), et æmulare eum, ut veniam peccatorum tuorum invenias. Non clamore vocis orabis eum qui occultorum est cognitor, sed clamor cordis tui pulset aures ejus. Ne longitudinem verborum protendas

ante eum, quia non in multiloquio, sed ex mente purissima placabitur Dominus. In tempore orationis omnem malitiam cordis projice abs te, et remitte si quid habes adversus proximum tuum. Est denique quoddam genus serpentis, quod cum vadit ad bibendum aquam, antequam accedat ad fontem evomit venenum : imitare ergo hujus serpentis astutiam, et omne venenum amarissimum projice ab anima tua. Remitte conservo tuo centum denarios (*Matth.* XVIII), ut tibi dimittatur debitum decem millium talentorum; et qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum. Quodcunque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere cum perfeceris illud.

CAPUT XII.

De vigiliis.

Quære Dominum et invenies eum, nec dimittas cum tenueris, ut copuletur mens tua in amorem ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. Cogitationes non conturbent cor tuum, nec in diversis locis vel rebus rapiatur mens tua. Memento enim te, fili, sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, et abdita mentium novit. Vigilanter ergo assiste in conspectu Domini in tempore orationis vel psalmorum. Non te opprimat somnus animæ, et ne dissonans sit sensus et lingua, sed consonantia sint, et utrorumque proferant verba. Sicut impossibile est servire duobus dominis, ita nec duplex oratio poterit ascendere ad Dominum. Ne tibi ullum tempus, fili, otiosum vel vacuum transeat; tam in diebus quam in noctibus vigilare te convenit, ut imminentem tentationem facilius effugere possis. Si enim cogitationes sordidæ conturbaverint cor tuum, et si te coarctaverint quod est illicitum perpetrare, per orationes ac vigilias depellantur ab anima tua. Oratio munimentum grave est animæ. Per orationes purissimas omnia nobis quæ sunt utilia tribuuntur a Domino, et cuncta quæ noxia sunt procul dubio effugantur. In tempore psalmodiæ sapienter psalle, fili, et spiritales cantus vigilanter cane coram Domino, ut virtutem psalmorum facilius possis advertere. Omnis namque duritia cordis eorum dulcedine mollietur; tunc dulces habebis fauces, gaudensque cantabis : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII) ! Sed non poteris sentire hanc dulcedinem, nisi cum summa vigilantia ac sapientia cantaveris. Fauces enim, inquit, escam gustabunt, sensus autem verba discernit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita et divinis eloquiis interior homo pascitur ac nutritur. Sed in his omnibus vigiliis sanctis indiges, fili. Hæ sunt namque vigiliæ inutiles, per quas læditur et deperit anima, cum vigilaverit quis circa cogitationes turpissimas, vel ad gerendum contrarium aliquid, vel ad perpetrandum facinus. Sed tu talibus insiste vigiliis, ut possis effici sanctus. In omnibus actibus et moribus tuis convenit te vigilare, ne quando oppressus somno placere hominibus gestias. Præterquam Domino soli ne studeas placere alteri. In omne opus quod cogitas facere cogita Dominum primum ; et si secundum Dominum est quod cogitas diligenter examina ; et si est rectum coram Deo, perfice illud, si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. Quotidie actus tuos discute curiosius ; et si te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam cito confuge. Nolo ut protrahas peccatum tuum de die in diem ; sed si quid cogitaveris male, in Deo pœnitentiam age, et velociter de corde tuo seca illud. Ne velis dicere : Non est grande hoc facinus quod cogitavi tantummodo, quia in conspectu Domini manifesta et aperta sunt omnia. Ne ut spinas ac tribulos in te crescere sinas cogitationes malas, neque tanquam minima negligas ea : *Qui enim spernit minima, paulatim defluet.* Noli spernere morsum serpentis, ne venenum ejus conspergatur in cor tuum. Abscinde virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices. Scito quod cor tuum ager est Domini, excole eum cœlestibus disciplinis, et non sinas in agro Domini zizania seminari. Si igitur taliter vigilaveris, facile poteris ascendere ad perfectionem.

CAPUT XIII.

De jejunio.

Ad vigilandum autem multum jejunium proderit. Sicut enim miles plurimo onere prægravatus præpeditur, ita monachus ad vigilias cum escarum largitate torpescit. Non enim possumus vigilare cum fuerit dapibus venter noster onustus; sed oppressi somno vigiliarum fructus amittimus, et maximum detrimentum animæ nostræ acquirimus. Vigiliis ergo copula jejunium; ut cunctis animæ virtutibus florere possis, et caro tua subjecta sit animæ tuæ, et ancilla tua famuletur dominæ suæ. Ne præbeas vires corpori tuo; ne bellum adversus spiritum exerceat; sed semper subjecta sit caro spiritui, et obtemperet jussis spiritus. Noli incrassare ancillam, ne contemptui habeat dominam suam, sed ut in omnibus ejus obsequiis mancipetur. Sicut enim equis sunt frena imposita, ita jejuniorum frena imponamus corpori nostro. Nam quemadmodum auriga, si equorum frena laxaverit, rapidissimo cursu cum eo in præcipitia deferuntur, ita et anima, si corpori suo non imposuerit frenum, uterque ad inferni præcipitia devolvitur. Esto peritissimus auriga corpori tuo, ut per tramitem rectum possis pergere. Escæ enim plurimæ non solum animam, sed et corpus nostrum plurimum lædunt. Sæpe enim per ciborum aviditatem stomachi franguntur vires; nec non abundantiam sanguinis et cholerarum ægritudines plurimas per escarum largitatem perpetimur. Sicut enim ista sunt animæ et corpori contraria, ita etiam medelæ sunt utriusque temporata jejunia. Quantum vero possumus mundi delicias et ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flamma guttam aquæ quæramus, nec re frigerium consequamur.

CAPUT XIV.

De crapula fugienda.

Fugiamus ebrietatem, ne in retia luxuriæ incurramus. Vinum enim nobis Dominus ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem creavit; non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas postulat. Et Apostolus Timotheo modico præcipit uti vino; et hoc propter dolorem stomachi, et propter ejus frequentissimas infirmitates (*I Tim.* v). Ne igitur nos quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem deputemus. Plurimi namque maximam per vinum debilitatem contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam firmitatem, qui primum gulæ non temperaverunt ardorem. Plerique per vinum homicidium perpetraverunt, nec ipsam mortem recusaverunt. Alii per vinum a dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon. Ebriosus putat se boni aliquid agere cum per præcipitia devolutus fuerit. Per vinolentiam armatur os ad maledicta et convicia proximorum, et immutatur mens, et lingua balbutit. Quæso quid minus habetur quam dæmonium ebrietas? Hujusmodi enim vir cum se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis, cum avidis faucibus properat ut glutiat escam, et repente hamum inter fauces reperit hostem: vel sicut aves cum per escam capiuntur in retibus; ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod intra eum morans impellit ad omne opus fœdissimum; et homo rationabilis ut irrationabile animal capitur. Tu autem in omnibus exhibe te sobrium, ut te sobrietas in omnibus castum exhibeat.

CAPUT XV.

De vitanda superbia.

Sed caveto hoc, fili, ne per ciborum abstinentiam mergaris in superbiam, et ne infleris adversus eos qui jejunii tui mensuram non valent obtinere: ne quando videaris escis carnalibus abstinere, et vitiis pectus tuum replere. Grándis namque est confusio animæ quæ cum sibi subjecerit carnem, ipsa sit subjecta vitiis. Quid prodest ventrem ab escis resecare, et animam passionibus obruere! vel carnis amorem vincere, et in corde livoris stimulos machinari! Verus enim continens tam a corporis quam animæ se passionibus abstinet, quia in utriusque substantiis homo constare videtur. Nulla est enim perfectio in una parte esse sublimem, in alia esse prostratum; in una parte fulgere, et in alia vitiorum caligine occupari. Qui enim castus cupit esse corpore, castus debet perseverare et spiritu, quia nihil proderit castum esse corpore, et mente corruptum. Civitas si fuerit in una parte munita, ex alia vero destructa, aditum ad se hosti præbebit. Et navis si fuerit forti compage solidata, et unam in se habuerit tabulam perforatam, repleta aquarum fluctibus mergetur in profundum. Verus enim continens cuncta quæ vana sunt spernit, nec ullam gloriam sectatur humanam; furorem iracundiæ reprimit, exsecrationem despicit, potius sustinet detrimentum, quam dissolvat vinculum charitatis; non detrahit cito proximo, nec libenter audit detrahentem; cupit semper declinare a vitiis, et ad virtutes animæ semetipsum instigat.

CAPUT XVI.

De lingua compensanda.

Talem te exibe, fili, cum volueris exercere jejunium, et cum te abstinueris, abstine et linguam tuam ab illicitis verbis. Omnem blasphemiam longe fac a te, nec superflui sermones procedant de ore tuo, quia et pro otiosis verbis in die judicii reddituri sumus Deo rationem. Nec ad maledicendum quempiam assuescas linguam tuam, quæ ad benedicendum et ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus in conventu noli proferre sermonem; sed opportuna verba procedant a te cum opportunum tempus inveneris, ut te audientibus cunctis gratiam præbeant. Ab omni vaniloquio tempera linguam tuam; ne quando qui audiunt horrescentes obturent aures suas, et sit tibi confusio coram omnibus. De quibus molestiam non pateris, noli contendere acriter, nec insuescas consuetudini pessimæ, quia mos qui longo usu fuerit confirmatus, non parvo labore vitatur.

CAPUT XVII.

De vano gaudio fugiendo.

Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est cum strepitu ridere, sed subridendo tantummodo mentis lætitiam indica. Nec in modum parvuli jocari velis assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, et vir perfectus in sensu. In quibusdam te exhibe senem, et in quibusdam *te* exhibe parvulum. Parvuli namque est ludere, perfecti vero viri lugere; sed præsens luctus lætitiam generat sempiternam; jocus autem remissiorem efficit animam, et negligentem erga Dei præcepta, nec delicta sua potest ad memoriam revocare; sed obliviscens ea non se instigat ad pœnitentiam, et ita paulatim ab omnibus bonis privabitur. Nullum enim habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus. Ubi vero fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat et vitia cuncta exurit. Tunc aviditate cœlesti anima flagrans, Christi amori copulatur: et in terris degens de cœlestibus et supernis jugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, et ad præmia se futura extendit, nec ulla sæculari cura ab amore eam segregat Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur, et tota ejus conversatio de cœlestibus intelligitur. Mors illi præsens tanquam vita ipsa est dulcis: cupit dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I), quem in carne vivens intra suum portaverat templum. Vide ergo quantum lucrum afferant fletus et lacrymæ, et quantam perniciem præbeat risus ac jocus. Qui enim ridere hic delectatur, postmodum flebit amare; qui autem hic lugere voluerit, gaudebit in posterum (*Matth.* v). Nam et Salvator noster beatos appellat lugentes; et qui nunc lætantur, flere eos dicit in novissimo. Non te ergo delectet

puerilis jocus vel risus, sed lectionum spiritualium cantus. Non te solvant in risum verba inania, sed proferant ex te gaudii risum perfectorum virorum virtutes, ut ad eorum spectaculum vitam tuam moresque componas. Perfectus enim ille dicitur, non qui in ætate, sed qui in sensu perfectus est; non enim tibi obest puerilis ætas, si fueris mente perfectus; nec senilis tibi proderit ætas, si fueris puer sensibus. Nam et David cum puer esset, et perfectum cor haberet in Domino, in regem electus est; et Saul cum senili ætate esset perfectus, quia in se malitiam perfectam habuit, de culmine regali expulsus est. Vetustissimi jam erant presbyteri qui Susannam violare conati sunt, quos Daniel adhuc parvulus detecto eorum scelere condemnavit: et Dominus noster ingressus Hierosolymam a parvulis collaudatur. Nam et arbor, licet sit multorum annorum, si fuerit infructuosa, abscinditur: si autem novella fuerit fertilis, colitur ut magis proferat fructus.

CAPUT XVIII.

De malorum contubernio vitando.

Perfectorum vero virorum consortio fruere, et contubernio abstinentium delectetur anima tua, et a colloquiis eorum ne avertas aurem tuam: verba enim vitæ sunt verba eorum, et incolumitas animæ iis qui ea libenter attendunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina a sensibus tuis expellit tenebras. Talium virorum, quæso, ne devites consortia; ut eorum monitionibus mens tua erigatur ad cœlum, et fluxam sæculi gloriam pro nihilo possis despicere, et virtutes animæ hauriant sensus tui. Devita viros quos erga mandata Dei vides negligentes, qui mortui sunt virtutibus et videntur vivere passionibus, quia lætantur in propriis voluntatibus et gaudio carent divino. Cum hujusmodi viris nec sit tibi ulla commixtio, nec velis cum eis sermocinari assidue, nisi poteris solummodo ab erroris itinere revocare eos: cæterum si non vales, devita ut publicum hostem: sæpe enim per unam ovem morbidam grex totus polluitur; et modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit, *et fermentum modicum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v). A tali enim fermento Dominus tibi attendere præcipit (*Matth.* xvi). Fermentum hoc nequissimorum hominum doctrina intelligitur: nam etsi in habitu quis videatur esse clarus et nobilis, et dulcia verba tibi proferat eleganter, simulatio cordis ejus ex subsequentibus actibus intelligitur: non enim ex verbis, sed ex fructibus homo comprobatur. Denique quam plurimi callide vitia sua celare festinant, et apud quosdam videntur esse mirabiles, sed floribus amissis fructus qualis est ostenditur: cum vero diu intra sinum servaverunt serpentem, attacti morsu ejus intumescunt, et palam fiunt omnibus, quia *nihil occultum est quod non revelabitur* (*Matth.* x).

CAPUT XIX.

De ira cohibenda et differenda pœnitentia.

Si quis tibi intulerit mala, ne velis irasci ei aut retribuere illi, etiamsi possis, sed dole potius pro eo, quia Dominus irascetur ei. Qui enim patienter pertulerit mala, in futurum coronabitur; qui vero intulerit mala, in die mala ut reus damnabitur. Ne pro carnalibus damnis frangatur animus tuus, nec vigorem patientiæ tuæ res emolliant caducæ, sed time potius damnum, si a proposito tuo retardaveris. Et quando te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam cito converti ne confundaris; qui enim hic pœnituerit, in novissimo non pœnitebit, clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne misericordia Domini fretus peccatis peccata adjicias, neque velis dicere: Donec viget ætas mea, carnis concupiscentiam exercebo, et postremo in senectute malorum meorum pœnitentiam geram: pius namque est Dominus et multum misericors, nec ultra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter, fili, cogitare, quia summa stultitia est hæc mente apud Dominum concipere; cum et impium sit talem licentiam a Deo exspectare quempiam. Noli, inquam, sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis. Quis enim novit hominum diem exitus sui? non enim omnes in senectute privabuntur hac luce, sed in diversis ætatibus in hoc mundo migrabunt; et in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est reddere rationem. Nemo enim in inferno confitebitur Domino (*Psal.* vi), sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam converti.

CAPUT XX.

De morte cogitanda.

Semper ante oculos versatur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis adventu, ut facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent. Esto nunc talis in operibus bonis qualem te vis futurum postmodum. Omnia terrena quæ possides in cœlestes mansiones transfer, ut cum illuc fueris profectus, fruaris bonis cœlestibus. Bonorum operum sumptus tibi in itinere præpara, ut incunctanter libenterque, cum vocatus fueris, pergas ad Dominum. Tunc cum a carnis vinculo anima tua absoluta fuerit, mox in occursum tuum angelorum chorus occurret, omne sanctorum agmen in tuis miscebitur complexibus, et te ad adorandum verum judicem perducent. Tunc tibi fiet pax per girum et summa securitas, nec timebis ultra jacula ignita diaboli. Non tibi terrorem incutiet barbarorum immanitas, nec formidabis hostes ferocissimos, qui cupiunt animas jugulare, non corpora, non ferrum, non ignem, non faciem truculentam tortorum, non famem, non sitim, nec ullam ægritudinem carnis; nec metues invidiam hominum, nec insidias malignorum, verba venenata mulierum luparum; nec ultro adversabitur caro contra spiritum tuum: non timebis periculum maris, nec ullos casus adversos, sed hæc omnia sedabuntur. Cum anima tua abjecerit sarcinam carnis, tunc Spiritus sanctus

tribuet tibi in cœlestibus mansionem, cui paulo ante intra corporis tui hospitium feceras mansionem : et lætus gaudensque exspectabis diem judicii futuri, in quo singulorum animæ recipient merita pro suis operibus. Sed frustra tunc peccatores et impii pœnitebunt, fornicatores et adulteri ululabunt, nec ullam requiem poterunt invenire. Rapaces et avari flebunt amariter, nec malorum suorum veniam consequentur. In luctu maximo detinebuntur omnes qui carnis suæ voluntates secuti sunt. In mœrore et fletu maximo in sempiternum erunt qui vitiis et passionibus servierunt. Et cum hi omnes pro suis criminibus gehennæ ignibus mancipentur, justis sempiterna præmia tribuentur a Domino, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II).

EVAGRII MONACHI SENTENTIÆ.

(*Vide Patrologiæ tom. XX, col.* 1181.)

FAUSTI ABBATIS LIRINENSIS SERMONES AD MONACHOS.

(*Vide Patrologiæ tom. LVIII, col.* 869.)

SANCTI EUCHERII

LUGDUNENSIS EPISCOPI

EXHORTATIO AD MONACHOS, ETC.

(*Vide Patrol. tom. L, col.* 865, 1207 *et* 1209.)

SANCTI CÆSARII

ARELATENSIS EPISCOPI

AD CÆSARIAM ABBATISSAM EJUSQUE CONGREGATIONEM EPISTOLA.

(*Vide Patrologiæ tom. LXVII, col.* 1125.)

NOVATI CATHOLICI

SENTENTIA DE HUMILITATE ET OBEDIENTIA ET DE CALCANDA SUPERBIA.

(*Vide Patrologiæ tom. XVIII, col.* 67.)

SANCTI PAULINI

AD MONACHOS DE POENITENTIA.

INTERROGATIO.

Quomodo debemus agere pœnitentiam?

RESPONSIO.

Detur utique pœnitentia sæculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet sæculi; et huic pro immanitate peccati sive delicti terminetur tempus, quia adhuc tempori servit. Cæterum abrenuntians sæculo et ejus militiæ, spondensque se exactis diebus servaturum Deo, cur pœnitentiam mereatur, qui liber effectus, velut onager, sectatur eremi vastitatem? Sicut ait Job: *Quis dimisit onagrum liberum in deserto* (*Job.* XXXIX, 5)? A leone fortiter cavent et arentibus herbis, poculoque exiguo alatur in eremo: erigat in aera caput, et flagrantem nimium sitis ardorem sancti Spiritus aura restringat: ne dum valde desiderat amœna virentia, nimis deficiis præpeditus periculum salutis incurrat. Igitur abrenuntianti pœnitentia publica non est necessaria, quia conversus ingemuit et cum Deo æterno pactum inivit. Ex illo igitur die non memorantur ejus delicta, quæ gessit in sæculo, in quo facturum se justitiam de reliquo promiserit Deo. Ergo chirographum de quo

se monachus debitum ex tota fide promiserit impliere, etsi fidelis factus peccavit in sæculo, post abrenuntiationem suam iterum factam Dominicum corpus non dubitet accipere, ne occasione humilitatis nimiæ prolongetur a corpore ejus et sanguine, cui se junxit ut unum corpus efficeretur. Communicare non desinat qui peccare quievit, tantum ne de reliquo peccet. Nam sicut ignis iste visibilis duas in se quasdam efficacias habet, id est, comburere fragilia et illuminare tenebrosa, ita ignitum illud Dominicum corpus, quando cum metu et reverentia grandi fuerit sumptum, corporis quidem delicta consumit, animæ vero sensum illuminat : et idcirco maxime communicare frequentius debet. *Si vero fuerit*, sicut scriptum est, *lepra in pelle, immunda erit* (*Levit.* XIII) : id est, peccatum in monacho : quia pellem esse monachum Scriptura significat mortificantem membra sua super terram ; cujus ossibus adhæsit caro, cujusque caro immutatur propter oleum, et a jejunio infirmatur, et genua velut fenum arescunt. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, immunda erit, et nisi fuerit hyacintha aut rubra pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta.

SANCTI EUTROPII

ABBATIS

EPISTOLA AD PETRUM PAPAM DE DISTRICTIONE MONACHORUM ET RUINA MONASTERIORUM DIRUTA ROMÆ.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXX, col.* 15.)

INCERTI AUCTORIS SERMO DE DECEM VIRGINIBUS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVIII, col.* 1071.)

EXPLICIT SANCTI BENEDICTI CODEX REGULARUM.

SANCTI BENEDICTI

ABBATIS ANIANENSIS

CONCORDIA REGULARUM.

(Ex editione Hugonis Menardi monachi Benedictini.)

PROLEGOMENA.

SANCTO PATRI BENEDICTO MONACHORUM OCCIDENTIS PATRIARCHÆ.

Quod summo divini numinis beneficio a te accepimus, Pater sanctissime, id tibi qua par est devotione et grati animi testificatione referimus offerimusque : hoc videlicet opus plane divinum singulari Dei providentia ad hunc usque diem servatum nobisque transmissum. Nam quis dubitet plane divinitus accidisse ut hic sapientiæ cœlestis thesaurus tot seculis in agro tuo Floriacensi, quem sacrosancto corporis tui pignore locupletasti, hucusque defossus, hoc potissimum tempore appareret, imo tu nobis ipse traderes, quo primum nascente sub sanctissimi tui nominis auspiciis congregatione tua Benedictina instaurationis florentissimi tui ordinis jacta fundamenta visuntur ? maxime cum id ipsius auctoris votis omnino respondeat. Ipse enim tibi cognominis, gratia benedictus et nomine (ut de te quondam sanctissimus pontifex Gregorius Magnus prædicavit) tuus alumnus, ordinis tui primus instaurator hoc suum opus in manus nostras venire gestit, quo tempore sua consilia, suaque vota post tot sæculorum decursus, Deo favente, renascentia conspicit : quippe qui in id potissimum curas et labores suos contulit, ut sopitam pietatem et monasticæ vitæ vigorem consenescentem excitaret, atque ex institutis sanctæ tuæ Regulæ repararet, cui quam simillimas cæteras omnes sanctorum Patrum regulas in hoc opere esse demonstrans, illi tanto impensius monachos adhærere debere ostendit, quod una cæteras omnes perfecte cum illateque contineat. Quæ cum ita sint, Pater sanctissime, ego, cui a superioribus hujus libri recognoscendi, et a tenebris vindicandi demandata provincia est, illum tibi sane merito auctoris et argumenti natura gratissimum omnium Benedictinorum nomine offerre non dubitavi : quem si non obtulissem, jus omne, natura, superi denique

reclamassent : et ipse ingrati filii notam non effugissem, qui sanctissimo æque ac optimo parenti munus tot nominibus atque titulis debitum subtraxissem. Nec me retrahit a proposito tenuitas nostrarum lucubrationum, quas libro quasi teruncium Crœsi thesauris adjeci animo juvandi nonnihil lectoris, et salebras amovendi ad quas potuisset restitare, quod suam ex sese habeat commendationem opus, ex tot Patrum sententiis ab alumno tuo sanctissimo, tuique ordinis assertore ac vindice, multis vigiliis concinnatum. Quin potius, Pater sanctissime, indignus licet tanti parentis filius exsulto, et nova spe erigor, dum ego prospicio hoc opus cum non mediocri accessione gloriæ supremi numinis, tuique nominis celebratione, insigni etiam legentium et tui maxime ordinis alumnorum uberiore fructu, ac totius ordinis monastici commendatione sub tuo patrocinio omnibus piis non mediocriter profuturum. Id quod profecto de misericordia Dei nobis longe facilius pollicebimur, si ut tuo nomini librum hunc consecrare ausi sumus, ita tuo patrocinio tum opus hoc, tum nascentem Benedictinam tuam congregationem, ejusque alumnos adeoque meipsum omnium minimum complecti ac protegere velis, nobisque paterno affectu cœlestem opem impetrare, cujus adminiculo latentes in sancta tua Regula thesauros investigare, eosque in nostros usus convertere valeamus. Hoc igitur accensi desiderio te cum hoc munusculo adire præsumimus : te patronum, te ducem, te Patrem suspicimus, teque precamur ut quo spiritu hanc Regulam dictasti, eodem Deo aspirante, vivamus; ut re et nomine Benedictini et tui bene meriti filii cœlestium tuarum benedictionum hæredes, eas tecum æternum possidere mereamur.

Ultimus alumnorum tuorum

Fr. Hugo Menardus.

LECTORI BENEVOLO PRÆFATIO.

Adest tandem, lector benevole, liber Concordiæ Regularum a multis viris piis et doctis jampridem desideratus, a me quidem, Deo aspirante et adjuvante, editus et illustratus; sed non tam meo arbitrio quam alterius imperio. Non enim audebam tantam materiem aggredi, quam meis semper viribus imparem esse judicavi ob rerum obscuriorum et varietatem et difficultatem. Accedebat antiqua difficultas in regulam sancti Benedicti, quæ in hoc opere continetur, enarratio : quæ quam difficilis sit, ipsi norunt qui libros οὐκ ἀβασανίστως legere solent. Ab ipsa adolescentia in eam aliquid moliri cupiebam, sed me semper rei difficultas in hoc campo decurrere deterruit, dum hunc librum editurus minus rationi consentaneum esse duxi, si cæteros hujus Concordiæ auctores explanans Rugulam sancti Benedicti tacitus prætermitterem. Ego enim in omnibus meis lucubrationibus hoc Sapientis effatum μηδὲν ὑπὲρ δύναμιν, *nihil supra vires*, sempe ob oculos mihi ponendum esse putavi; simulque illud Horatii præceptum :

> Sumite materiem vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus.....

Quod si a quibusdam tractatoribus observaretur, melius profecto cum musis ageretur : cum nonnulli in uno argumento desipiant, qui fortassis in alio saperent. Quamobrem si quibusdam visum fuerit me hoc opus supra vires aggressum esse, quod jussus id egerim, saltem temeritatis notam effugiam, nec propterea Theoninos dentes multum verebor.

Hujus libri auctor est Benedictus abbas, ut habetur in præfationis epigraphe. Sed quis sit hic Benedictus, videndum est. Trithemius, libro de Scriptoribus ecclesiasticis, existimat hujus libri auctorem esse sanctum Benedictum Biscopium Anglum. Sed sine auctore hæc scripsit, nec ullus ante eum id asseruit, nec Beda, qui in historia Anglorum, et homilia ultima de sanctis hujus Benedicti Biscopii Vitam et laudes scripsit, nec Guillelmus Malmesberiensis, Florentius Wigorniensis, Matthæus Westmonasteriensis, nec ullus antiquus Anglorum historicus. Præter hunc Benedictum Anglum fuerunt alii Benedicti, sed nulli horum hic liber attribui potest, nisi sancto Benedicto abbati Anianæ in diœcesi quondam Magalonensi, nunc Montispessulani, deinde abbati sancti Cornelii ad Indam rivulum prope Aquisgranum, ut clarum est ex illius Vita scripta a sancto Ardone, quam huic libro præfiximus : in qua pag. 29 hæc habentur : « Alium collectis regularum sententiis composuit librum, cui nomen *Concordiæ Regularum* dedit, ita duntaxat ut beati Benedicti præcederet sententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. » Quæ verba conveniunt eis quæ mox citabuntur ex præfatione ejusdem Concordiæ. In cod. Floriacensi ms. hic titulus repertus est : *Liber patroni nostri beati Benedicti abbatis Floriacensis monasterii*. Sed hujus tituli scriptor erravit, quod existimaverit magnum Benedictum monachorum patriarcham, qui est patronus monasterii Floriacensis, esse hujus Concordiæ auctorem. Si autem fuerit aliquis Benedictus abbas monasterii Floriacensis, non adeo certum est, nam in catalogo abbatum hujus monasterii nullus hoc nomine abbas reperitur. In glossis tamen veteribus ab Henrico Stephano editis est quoddam Glossarium quod præfert titulum sancti Benedicti abbatis Floriacensis. Si quis autem fuerit sanctus Benedictus abbas Floriacensis, probabile est hunc non esse alium a sancto Benedicto abbate Anianæ, et postea sancti Cornelii ad Indam rivulum. Nam hic sanctus

Benedictus fuit multorum monasteriorum abbas et sancti Maximini, ut notum est ex ejus Vita. Hoc autem monasterium sancti Maximini situm est in diœcesi Aurelianensi, nec ita remotum a monasterio Floriacensi. Sed quia sanctus Ardo non scripsit hunc sanctum Benedictum Anianæ abbatem fuisse etiam abbatem monasterii Floriacensis, omnino non definimus.

Hic liber inscribitur *Concordia Regularum*. Hanc rationem reddit auctor in sua præfatione : « Quapropter seu propter eos, qui eas (regulas) habentes ignorant quibus in locis sit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias, quæ cum Patris Benedicti concordare noscuntur regula, quatenus unus ex multis existeret codex, ita ut beati Benedicti præcederent, quibus sequentes cæteræ necti possent : quamobrem *Concordia Regularum* hic liber sortitus est nomen. » Ita prorsus docet sanctus Ardo paulo ante citatus et Trithemius libro citato. Hic liber appellari etiam posset Catena regularum, ut sunt catenæ Patrum a Niceta et aliis quibusdam Græcis auctoribus compositæ in Psalterium, in Job, in Canticum canticorum, in Evangelia, etc., in quibus accumulantur diversorum Patrum sententiæ ad horum librorum elucidationem spectantes, licet interdum diversæ sint, quemadmodum etiam aliquando contingit in hac Concordia regularum.

Codex ms. quem modo edimus, sumptus est ex bibliotheca monasterii sancti Benedicti Floriacensis; ad cujus elucidationem et castigationem fuerunt nobis auxiliares copiæ alter codex ms. Concordiæ Regularum, ex bibliotheca monasterii sanctæ Trinitatis de Vindocino, quem nobis commodato dedit Reverendus admodum abbas ejusdem monasterii Michael Subletus. Regula Magistri ms. ex bibliotheca Corbeiensi; Regula sancti Fructuosi archiepiscopi Bracarensis ms. ex bibliotheca monasterii Crassensis; Regulæ sancti Augustini et Patrum mss. ex bibliotheca Corbeiensi. Regula sancti Columbani et ejus Pœnitentialis mss. ex bibliotheca Floriacensi; item duæ ejusdem Regulæ editæ, altera editionis Parisiensis, altera Insulæ Goldasti studio et cura edita. Regula Paphnutii, Serapionis, Macarii, et aliorum ms. ex bibliotheca Floriacensi et Corbeiensi. Accesserunt duæ Regulæ Patrum cum Regula Pauli et Stephani mss. ex bibliotheca Floriacensi, necnon Regulæ sancti Cæsarii, et sancti Isidori excusæ. Nec parum opis attulerunt mihi decreta Burchardi, Ivonis Carnotensis et Gratiani, necnon libellus centum quatuordecim sententiarum de Rectoribus Ecclesiæ, in quibus quædam sententiæ et capitula Regularum hujus Concordiæ citantur. Adfuerunt etiam mihi septem Regulæ sancti Benedicti mss. : una, cui adjuncti erant commentarii Ruthardi monachi Eremi sanctæ Mariæ apud Helvetios; duæ ex bibliotheca monasterii sancti Germani a Pratis; item duæ ex bibliotheca monasterii sancti Victoris Parisiis siti; una ex monasterio sancti Ebrulphi diœcesis Luxoviensis; postrema et recentior sancti Faronis prope Meldas. His accedit Regula sancti Benedicti a sancto Dunstano archiepiscopo Cantuariensi emendata; duæ vetustissimæ editionis Parisiensis, altera ex officina Colinæi typographi, altera edita studio et opera Guidonis Juvenalis abbatis sancti Sulpitii Bituricensis, cum ejus interpretatione Gallica, et una Coloniensis anno 1575, edita una cum commentariis Smaragdi et Joannis a Turrecremata. Aliquid etiam auxilii nobis contulit Alamannica interpretatio vocabulorum Regulæ sancti Benedicti a Kerone discipulo sancti Othmari abbatis elaborata.

Librum notis et observationibus illustravimus in quibus locos obscuriores explicamus, corruptos castigamus, et diversis lectionibus quæ inutiles videbantur, rejectis, utiles solas notavimus. Hæc est tota nostri instituti ratio. Faxit Deus ut hæc omnia in sui nominis gloriam cedant, et in tuam, lector benevole, utilitatem.

DE HUJUS CONCORDIÆ REGULIS EARUMQUE AUCTORIBUS.

Ad faciliorem hujus Concordiæ intelligentiam operæ pretium est in ipso limine aliquid de Regulis a nostro auctore prolatis, earumque scriptoribus præfibare; prius hic subjecto earumdem catalogo.

1. Regula sancti Patris Benedicti.
2. — sancti Pachomii.
3. — sancti Orsiesii.
4. — Orientalis.
5. — sancti Macarii.
6. — item Macarii.
7. — Patrum.
8. — item Patrum.
9. — item Patrum.
10. — sancti Basilii.
11. — sancti Hieronymi.
12. — sancti Augustini.
13. — Cassiani.
14. — Stephani et Pauli.
15. — Tarnatensis.
16. Regula sancti Cæsarii.
17. — sancti Aureliani episcopi.
18. — sancti Ferreoli episcopi.
19. — sancti Isidori episcopi.
20. — sancti Fructuosi episcopi.
21. — alterius Fructuosi.
22. — sancti Columbani.
23. — Donati.
24. — Magistri.
25. — cujusdam Patris.
26. — item cujusdam Patris.

Quod spectat ad Regulam sancti Benedicti, ejusque auctorem, non est quod immoremur, cum multi de iis multa scripserint.

Regula sancti Pachomii non est ea quæ ab angelo dictata apud Palladium in Historia Lausiaca exstat, sed est ea, etiam ab angelo revelata, quam de Ægyptiaca lingua in Græcam versam Latinam fecit sanctus Hieronymus. Quæ quidem non est solius Pa-

chomii, sed etiam discipulorum ejus Orsiesii et Theodori, angelo quidem revelante. A tribus enim illis Patribus conscripta est, ut notum est ex præfatione sancti Hieronymi ad eamdem Regulam, et principio ejusdem regulæ apud Gazæum. Nec obstat quod appelletur vulgo Regula Pachomii : nam præcipui Patris ac magistri nomen retinere potuit. Pachomii meminit idem Hieronymus in epitaphio Marcellæ ad Principiam : « Vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii et virginum et viduarum didicit disciplinam. » De eo et ejus Regula agit Sozomenus, lib. III, cap. 13; Gennadius in Catalogo, et Palladius in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis*. Ejus Vita ampla satis habetur in Vitis Patrum. Floruit sub Constantino Magno. De eo agit Menologium Græcorum 15 Maii. Ejus Regula exstat excusa, centum supra viginti octo articulos complectens. Quæ tamen non est integra : nam in hoc Concordiæ libro citantur multi articuli qui in ea non exstant, aliusque articulorum ordo in Concordia videtur quam in edita Regula.

Regula Orsiesii habetur excusa tom. IV Bibliothecæ Patrum, ubi liber inscribitur, *Regulæ de institutis monasticis*. Fuit sancti Pachomii discipulus, ut multis locis ejusdem Regulæ videre est, in quibus sanctum Pachomium Patrem suum appellat. De eo agit Gennadius in Catalogo, ubi eum vocat « collegam Pachumii et Theodori. » Græci auctores mentionem faciunt; Socrates lib. IV, cap. 14; Sozomenus, cap. citato; Palladius in Lausiaca, cap. 8, a quibus appellatur Ἀρσίσιος, apud Socratem legitur Ἀρσήνιος, male : nam Socrates agit de illis Patribus qui tempore sancti Antonii floruerunt sub Constantino Magno et Constantio, cum Arsenius sub Arcadio et Honorio vixerit. Constanter tamen appellatur a Latinis Orsiesius, sive Orsiesis, tum in ejus opere edito, tum apud sanctum Hieronymum, tum apud Gennadium supra citatos, atque etiam in ms. cod. nostræ Concordiæ. Quare non assentior cuidam viro docto qui apud sanctum Hieronymum legendum putat *Arsesii*, non *Orsiesii*. In Vita sancti Pachomii, quæ est in Vitis Patrum veteris editionis, male appellatur *Orsenius*.

Regula Orientalis affinis est Regulæ sancti Pachomii : ita ut sæpe eadem verba proferat, ut notavimus in nostris observationibus : quis sit illius auctor, ignoratur.

Regula Macarii duplex est : una quæ non solius Macarii est, sed Serapionis, Macarii Paphnutii, alterius Macarii abbatis et aliorum. Duas vidi mss., alteram bibliothecæ Floriacensis, quæ hunc titulum profert : *Incipit Regula monasteriorum vel Deum timentium discipulorum, id est, Serapionis, Machari, Pacnuti, et alterius Machari*. In fine vero Regulæ hæc verba habentur : *Explicit regula Patrum abbatum triginta octo*. Alteram bibliothecæ Corbeiensis, cui hic titulus præfigitur : *Incipit regula sanctorum Patrum Serapionis Machari Paunuthi et alti Machari*. Ita legitur in mss., sed utrobique legendum, *Macarii, Paphnutii*. Hi autem codices sunt dissimiles quoad verba duntaxat, nam sæpissime codex Corbeiensis non modo mutat, sed etiam auget verba, et quodammodo paraphrastice se gerit : at Floriacensis non item, sed convenit cum iis quæ in hoc Concordiæ codice citantur. Corbeiensis quatuor duntaxat capita complectitur, eaque majora : at Floriacensis octo, sed angustiora. Auctores vero hujus Regulæ prænominati videntur esse duo celebres illi Macarii, quorum alter Ægyptius, alter Alexandrinus dicitur : de quibus agunt fere omnes auctores supra citati. Serapion, qui prope Arsenoitem circiter decem millibus monachis præfuit in Ægypto, de quo Sozomenus lib. VI, cap. 28. Paphnutius abbas monasterii in Thebaide, et anachoreta ultimæ solitudinis in regionibus Heracleos, de quo in Vitis Patrum. De eo etiam agunt Cassianus, coll. 3, Palladius in Lausiaca, cap. 125. Illius et duorum Macariorum meminit Sidonius carm. 16, ad Faustum Reiensem :

Nunc duo Macarii, nunc et Paphnutius heros.

Ratio est quia eodem tempore in Ægypto, ut ex præfatis auctoribus notum est, vixerunt, et simul de componenda Regula convenire potuerunt. Hæc autem Regula in Concordia aliquando sub nomine Regulæ Patrum citatur, ut suis locis observavimus, sed et sub nomine Macarii, nunquam Serapionis et Paphnutii.

Altera Macarii Regula quædam admixta habet ex D. Hieronymo, ut suis locis observatum est. Præter superiores Macarios multi alii reperiuntur apud scriptores, sed cujus sit hæc Regula, dicere obscurum est.

Regula Patrum, præter eam quæ est Serapionis, Macarii et aliorum, triplex est; quarum duas vidi in codice ms. bibliothecæ Floriacensis, adeo breves, ut singulæ vix tria folia contineant. Prima sic incipit : *Cum resideremus in unum in nomine Domini Jesu Christi secundum traditionem Patrum sanctorum virorum visum est nobis conscribere*, etc. Alterius hoc est initium : *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus, in primo placuit ut Regula et instituta Patrum per ordinem legerentur*. Utrique Regulæ in præfato codice tantum hic titulus præfigitur : *Item Regula*. Priorem etiam vidi in vetustissimo codice bibliothecæ Corbeiensis, sub hoc titulo : *Incipiunt statuta Patrum;* cujus initium est : *Residentibus nobis in unum in nomine Domini Jesu Christi secundum traditionem Patrum virorum sanctorum visum est nobis conscribere*, etc., prout habentur in codice Floriacensi. De tertia Regula Patrum nihil me legisse alibi memini.

Regula sancti Basilii hic citata nihil aliud continet quam illius constitutiones, tam fusius quam brevius disputatas ex interpretatione Rufini, quæ in vetustissimo codice ms. bibliothecæ S. Germani a Pratis dividuntur in ducentas interrogationes.

Regula sancti Hieronymi nihil aliud est quam epistola illa quam præfixit Regulæ sancti Pachomii, nam quædam ex illa Regula hic citata videre est in eadem epistola; alia vero sapiunt stylum sancti Hieronymi, nec discrepant ab institutis sancti Pachomii quæ in illa epistola recensentur : quam si integram haberemus, haud dubie in ea omnia reperirentur quæ hic ex ea proferuntur, maxime cum sanctus Hieronymus nullam scripserit Regulam monachorum.

Regula sancti Augustini nulla alia est quam ea quæ vulgo observatur a Canonicis regularibus, Eremitis Augustinianis, et cæteris hujus instituti professoribus, sumpta ex ejusdem doctoris epistola centesima nona, ad sanctimoniales : quam quidem ut accommodaret suo proposito hujus Concordiæ auctor Benedictus, nomina feminina in masculina mutavit, ut fecit in Regulis sancti Cæsarii, cujusdam Patris et sancti Aureliani episcopi, quæ a suis auctoribus ad sanctimonialium usum scriptæ sunt, ut infra docebitur. Hæc autem Regula olim divisa est in quadraginta capita. Nam in cap. 71 Concordiæ profertur caput quadragesimum Regulæ sancti Augustini, quod est ultimum in eadem Regula excusa, quæ in editione Coloniensi anni Domini 1575 dividitur in quinque et quadraginta capita, etsi in recentioribus editionibus vulgo dividatur in pauciora. Sed et in bibliotheca Corbeiensi exstat ms. vetustissimis characteribus exarata sine ulla capitum divisione, etiam ad usum virorum mutato genere accommodata.

Regula Cassiani, quæ hic citatur, maxime sumpta est ex libro IV, qui inscribitur *de institutis renuntiantium*. Quædam sumuntur etiam ex lib. II, *de nocturnis orationibus*, atque etiam ex lib. I, *de vestitu monachorum*, nec non ex lib. III, *de diurnis orationibus*, contractius quidem, quam apud Cassianum, descripta, exceptis duobus capitibus; quibus Regulæ

nomen non præfigitur : ita ut hæc regula compacta sit ex præfatis Cassiani libris. Quæ quidem verum Regulæ nomen sortiri potest, non enim in ea narrantur monachorum Ægypti mores et instituta, sed quid faciendum sit præcipitur. Regulæ Cassiani meminit sanctus Gregorius Turonensis lib. x Hist., cap. 18 : « Cœnobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ. » An vero Regula hic citata scripta sit a Cassiano, non adeo certum est, cum Photius, Gennadius et alii qui de operibus Cassiani scripserunt, nullam ejusmodi Regulæ mentionem faciant : nisi id forte ex loco Gregorii Turonensis citato conjicere liceat. Quis suspicari poterit ejusmodi Regulam ab Eucherio Lugdunensi fuisse compositam, qui, teste Gennadio in Catalogo, « Cassiani quædam opuscula lato tensa eloquio angusto revolvens verbi tramite in uno coegit volumine? » Præterea notandum est in hac Concordia Cassianum sæpe appellari sanctum : quam appellationem reliqui, prout inveni in codice ms., neque eam in locis in quibus non erat adjeci. Nec mirum videri debet hunc appellari sanctum : fuit enim sanctus ille vir et admiratione dignus, ut satis ex ejus scriptis constat, quæ etsi quibusdam in locis Pelagiana fuligine aspergi quodammodo videantur, maxime collatione XIII, in qua disputat quosdam sine gratia Dei præveniente solis arbitrii liberi viribus, nonnullos non sine ea ad Deum converti, et eo nomine a Prospero Aquitanico impugnatus sit, et a Gelasio papa inter scriptores apocryphos relatus, nunquam tamen, quoad vixit, ab Ecclesiæ communione separatus est, errore ejus multis post annis in concilio Arausicano secundo, quod anno Christi 529 habitum est, tantum condemnato, nempe can. 8. Qui sane errorem emendasset, si illum ab Ecclesia reprobari vidisset. Unde Prosper in suæ Disputationis epilogo dixit : « Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda est magis intentio quam desperanda correctio. » Accedit quod in Ecclesia Massiliensi hic Cassianus tanquam sanctus quotannis solemni officio colatur 23 Julii, ut videre est in Proprio Sanctorum diœcesis Massiliensis, ubi ejus officium est duplex minus per annum. Colitur etiam in parochia de Tabernis diœcesis Reiensis, ut videre est in Proprio Sanctorum ejusdem diœcesis. Adnotaturque ejus solemnitas in veteri Martyrologio ms. cœnobii S. Sabini in Valle Lavitania diœcesis Tarbensis, nuper edito a doctissimo viro Andrea du Saussay, pastore ecclesiæ SS. Lupi et Ægidii Lutetiæ Parisiorum, ad calcem eruditissimi sui Martyrologii Gallicani. Ejus caput Urbanus V pontifex maximus, S. Victoris cœnobii Massiliensis quondam abbas, thecis argenteis jussit includi et venerari, inquit idem Proprium Sanctorum ecclesiæ Massiliensis. Collocatum est ad sinistrum latus altaris, caput S. Victoris ad dextrum in crypta ejusdem monasterii. Corpus vero ejusdem Cassiani conditum est in eadem crypta, in tumulo marmoreo. Sed plura vide in præfationibus Henrici Cuichii episcopi, et Alardi Gazæi ad Cassiani opera, et in vindiciis pro sanctitate Joannis Cassiani ejus operibus Duaci præfixis.

Regula Pauli et Stephani fere ubique in hoc Concordiæ codice horum duorum Patrum nomina præfert, raro alterius tantum. Qui sint isti Patres, et quando vixerint, non mihi compertum est. Hæc Regula exstat in cod. ms. bibliothecæ Floriacensis, unum et quadraginta capitula complectens, ut ex serie capitulorum Regulæ præfixa manifestum est sub hoc quidem titulo : *Incipiunt capitula pro quibus sunt ammonendi fratres, Pauli et Stephani.* Et initio Regulæ hæc habentur : *Incipiunt tituli pro quibus sunt fratres ammoniti, Pauli et Stephani.*

Regula Tarnatensis, vel, ut in quibusdam codicibus legitur, *Regula Tarnatensis monasterii*, a quo et quo tempore condita sit, nondum mihi exploratum est. Quidam putant Regulam esse celeberrimi illius monasterii Agaunensis, quod in Helvetiis de nomine S. Mauritii et sociorum conditum est : eo quod Tarnadæ locus, cujus meminit Antoninus Augustus in Itinerario, idem sit cum Agauno horum sanctorum passione celebrato : quod quidem probabile est ; sed de eo amplius est inquirendum ; hæc autem Regula Tarnatensis quædam sumit a Regula sancti Augustini, ut in notis est a nobis observatum.

Regula sancti Cæsarii est magni illius Cæsarii episcopi Arelatensis, cujus scripta habemus et Vitam duobus libris compositam auctore Cypriano. Floruit sub Symmacho papa et Theodorico Italiæ rege. Hujus Regulæ meminit Fortunatus, lib. v, carm. 1, ad sanctum Martinum Galliæ episcopum :

> Atque ascita sibi servetur in urbe Genesi
> Regula Cæsarii præsulis alma pii,
> Qui fuit antistes Arelas de sorte Lirini.

Lib. VIII, carm. 1 :

> Regula Cæsarii linea nota tibi est.

Et carm. 4 ejusdem libri :

> Concipiente fide Christi Radegundis amore
> Cæsarii lambit, regula quidquid habet.

Mentio fit apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 41, in epist. episcoporum ad sanctam Radegundem : « Tamen specialiter definivimus si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi commissis in Pictaviensi civitate vestro monasterio meruerit sociari secundum beatæ memoriæ domni Cæsarii Arelatensis episcopi constituta, nulli sit ulterius discedendi licentia. » Et cap. seq. : « Arelatem urbem expetunt, de qua Regula sancti Cæsarii atque Cæsariæ beatæ suscepta, regis se tuitione munierunt. » Et cap. seq., in epist. sanctæ Radegundis : « Insuper congregationi per me Deo præstante collectæ Regulam sub qua sancta Cæsaria degit, quam sollicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, adscivi. » Hanc Regulam, ut clarum est ex locis citatis, sanctus Cæsarius sorori suæ sanctæ Cæsariæ scripsit, ejusque sanctimonialibus. Id etiam videtur in eadem Regula, quæ exstat exusa : sed auctor hujus Concordiæ mutato sexu eam aptavit suo proposito. Scripsit etiam sanctus Cæsarius ejusdem Regulæ recapitulationem, in qua addit novas constitutiones ; sed nihil de illa citat auctor noster.

Regula sancti Aureliani episcopi est illius Aureliani episcopi Arelatensis successoris Auxanii, cujus decessor fuit sanctus Cæsarius, ut habetur in epistola Vigilii papæ ad episcopos Galliæ : « Unde, quia dudum Auxanio quondam Arelatensis civitatis antistiti vicum nostrarum sollicitudinem dederamus, sed cursum vitæ præsentis implendo de hac luce migravit : in cujus loco Aurelianus frater noster nosciter successisse. » Duas ei scripsit epistolas Vigilius papa, alteram qua ei suas vices in Gallia delegat ; alteram, qua eum certum facit nihil a se contra fidem quatuor conciliorum generalium et decreta Romanorum pontificum in causa trium Capitulorum factum. Subscripsit Aurelianensi concilio quinto, anno Domini 549, sub Childeberto rege. Apud Smaragdum scribitur, ubique, *Aurelius* : sed mendum est manifestum. Nam in epistolis et concilio citatis, et apud Trithemium, de Proprietate monachorum, cap. 5, semper scribitur *Aurelianus*, atque etiam in codice ms. Concordiæ nostræ, uno aut altero loco exceptis. Ratio autem cur hunc Aurelianum hujus Regulæ faciamus auctorem, hæc est, quia Regula quæ in hac Concordia citatur sub nomine Aureliani episcopi majori ex parte sumpta est ex Regula sancti Cæsarii Arelatensis episcopi, etiam iisdem verbis sæpe transcriptis, quemadmodum suis locis a nobis observatum est. Scripsit autem duas Regulas sanctus Aurelianus, alteram sanctimonialibus, ut videre est apud Trithemium, lib. de Proprietate monachorum, cap. 5 : « Aurelianus episcopus in Regula ad moniales,

« capitulo tertio, sic dicit : Nihil occulte accipiatis; sed « si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento « aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut « transmiserit, in potestate sit abbatissæ, » etc. ; quæ verba ita citantur in hac Concordia mutato feminino genere personarum in masculinum pro more auctoris nostri. Cap. 60 : « Nihil occulte accipiatis : sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatis, etc. » Alteram monachis, ut planum est ex cap. 69 Concordiæ, ubi hæc habentur ex Regula sancti Aureliani episcopi : « Nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat, præter abbatem. Si voluerit ordinari presbyterum et unum diaconum et subdiaconum quos ipse voluerit, ordinandi habeat potestatem ; si vero Deo propitio ita profeceritis, ut aliquis ex vobis ad episcopatum petatur, ipse solus egrediatur. » Quæ quidem verba nullatenus monialibus convenire possunt.

Regula sancti Ferreoli a Trithemio capite laudato citatur sub nomine sancti Ferreoli episcopi et martyris. Sed duos lego martyres Ferreolos, non tamen episcopos : alterum qui Vesuntione, alterum qui Viennæ passus est ; alios duos Ferreolos historiæ commemorant, episcopos quidem, sed non martyres : alterum Lemovicensem, de quo sanctus Gregorius Turonensis lib. v, cap. 28, qui subscripsit concilio Matisconensi II sub Guntranno rege; alterum Uceticensem seu Ucetiensem in prima Narbonensi, nepotem et successorem sancti Firmini Ucetiensis episcopi, ut habetur in ejusdem Firmini Vita ms., nullum vero episcopum et martyrem. Hujus Regulæ auctor se in præfatione episcopum nominat, et multis locis hujus Concordiæ ita appellatur. Ex his igitur duobus Ferreolis episcopis probabilius est Ucetiensem hujus Regulæ esse auctorem. Stylus enim hujus Regulæ aliarum stylis præstat, sanctus vero Ferreolus Ucetiensis fuit vir litteratus, qui epistolas instar Sidonii composuit, teste Gregorio Turonensi, lib. VI Hist., cap. 8. Præterea hic Ferreolus dedicat suam Regulam Lucretio episcopo, qui sane nullus videtur alius esse quam Lucretius episcopus Deensis, ut suo loco dicetur. Cum enim Ucetia sit in prima Narbonensi non procul a Rhodano, nec adeo remota a Dea civitate sita in provincia Viennensi; civitas vero Lemovicum remotissima, quippe quæ jaceat in prima Aquitania ; Ferreolum Ucetiensem familiarem fuisse Lucretio episcopo Deensi, quam Ferreolum Lemovicensem credibilius est. Hi autem tres episcopi eodem tempore floruerunt.

Regula sancti Isidori episcopi est Magni illius Isidori Hispalensis episcopi, quæ exstat inter ejus opera Coloniæ edita 1617. Hanc recenset inter sancti Isidori scripta sanctus Braulio episcopus Cæsaraugustanus : « Monasticæ Regulæ librum unum quem pro patriæ usu et invalidorum animis decentissime temperavit. » Non multum differt a sancti Benedicti Regula.

Regula sancti Fructuosi duplex hic citatur : altera Magni illius Fructuosi pontificis Bracarensis, quæ complectitur quinque et viginti capita, ut est in codice ms. abbatiæ Crassensis, cujus primum caput ita incipit : *Post dilectionem proximi.* Id satis notum est ex cap. 18 ejusdem Regulæ, in quo statuitur una Quadragesimæ jejunanda ante festum sanctorum Justi et Pastoris : quam sane instituit sanctus Fructuosus, quia suum monasterium dedicatum erat sub patrocinio horum sanctorum martyrum, quod ideo Compluticum appellatum est, quia dicti martyres Compluti passi sunt, ut habetur in Fructuosi Vita, quæ ex membranis exiit a Prudentio Sandovaldo episcopo Pampilonensi. Floruit anno 656. Altera Regula est cujusdam alterius Fructuosi, qui in hac Concordia a superiori distinguitur, etsi interdum hi duo Fructuosi exscriptoris incuria confundantur. Quis autem sit alter hic Fructuosus, non mihi plane compertum est. In Chronico sancti Maximi Cæsaraugustani episcopi ad annum 569, fit mentio cujusdam Fructuosi abbatis Constantinæ in agro Bracarensi ; « Sanctus Fructuosus Benedictinus abbas floret Constantinæ in agro Bracarensi sancti Romani, de quo supra, discipulus. » Quis sit autem hic Romanus, declarat idem Chronicon ad annum 568 : « Sanctus Romanus, abbas, sancti Lupicini frater, natione Gallus, veniens ad Hispanias, aliqua monasteria condidit, moriturque in agro Aurichensi in Lusitania, oppidoque Pannoniis ejus corpus in pretio habetur et honoratur. » Quod spectat ad hunc Fructuosum, juxta hoc Chronicon, videtur esse alius a sancto Fructuoso Bracarensi episcopo. Primo, quia tantum abbas dicitur ; 2°, quia sanctus Fructuosus Bracarensis episcopus nunquam fuit abbas Constantinæ, sed Complutici in diœcesi Asturicensi, ut habent ejus Acta : qui et altero multo junior fuit, creatus episcopus Bracarensis anno 656. Sed, ne quid dissimulem, hoc Chronicon, ut inter legendum animadverti, multa continet absurda, et sancto Maximo prorsus indigna. Est enim multis erroribus maculatum a quodam nebulone, qui passim huic Chronico multa inepta adjecit pro sua libidine, ut sunt illa quæ hic de sancto Romano citata sunt. Nunquam enim hic sanctus Romanus, frater sancti Lupicini, in Hispaniam venit, neque ibi mortuus est, sed in Gallia, et in eadem regione sepultus est a fratre Lupicino in monticulo supra monasterium Condatiscense, in locis Jurensibus sub Chilperico Burgundionum rege, ut videre est apud sanctum Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 2, sub finem. Fuit tertius Fructuosus episcopus Segoviensis. Hæc tamen Regula, ut mihi videtur, potius tribuenda est sancto Fructuoso abbati Constantinæ : fere sequitur Regulam sancti Benedicti.

Regula sancti Columbani est magni illius Columbani primo Luxoviensis abbatis in Burgundia, deinde Bobiensis in Italia. Sub nomine hujus Regulæ multa hic citantur ex Pœnitentiali sancti Columbani, quod exstat ms. in bibliotheca Floriacensi, et citatur a Trithemio capite supra laudato *libri* de Proprietate monachorum. Vitam sancti Columbani luculente scripsit Jonas ; cujus etiam meminit in Vitis sancti Eustasii abbatis Luxoviensis, sanctorum Attulæ et Bertulphi abbatum Bobiensium. Mentio fit etiam in Vitis sancti Galli et sancti Magnoaldi. De eo etiam agunt Fredegarius, cap. 36 Chron. ; Aimoinus, lib. III de Gestis Franc., cap. 95, et Appendix ad sanctum Gregorium Turonensem.

Regula Donati appellatur Regula a Donato collecta, quia ex multis Patrum Regulis conflata est, maxime ex Regulis sanctorum Cæsarii, Benedicti et Columbani, ut suis locis notavi. Inter plures Donatos sanctitate insignes unus celebris est monachorum Pater ; qui ex Africa trajiciens venit in Hispaniam, ubi Sirvitanum monasterium ædificavit, dicturque prior monasticam observantiam et regulam in Hispaniam intulisse, ut scribit sanctus Hildefonsus lib. de Viris illustribus, cap. 4. De eo agit Joannes Biclariensis in Chronico ad annum 572, et sanctus Maximus Cæsaraugustanus in Chronico ad annum 575 : « Sanctus Donatus, qui Regulam Eremitarum sancti Augustini locupletiorem mitioremque primus in Hispaniam invexit, et in agro Setabitano monasterium Sirvitanorum construxit : et verborum meritis et miraculis abunde nobilitatus migrat ad Dominum, coliturque Kalendis Novembris. » Sed nonnulla hic videntur additita. Nullam enim sanctus Augustinus composuit Regulam Eremitarum : nec, si composuisset, eam mitiorem fecisset sanctus Donatus [a]. Quinimo olim sancti Donati discipuli in Hispania graviter impugnabantur, eo quod austeriori vitæ animum adjungerent; quod non contigisset, si san-

[a] Vide Bellarmin. de Scriptoribus ecclesiasticis.

ctus Donatus Regulam mitiorem in Hispaniam invexisset. Id satis patet ex Eutropii Valentini episcopi epistola ad Petrum episcopum, quam, cum esset abbas Sirvitanus, scripsit de districtione monachorum, in qua austeriorem monachorum vitam adversus impugnatores defendit. Quod frustra fecisset, si ejus prædecessor sanctus Donatus Regulam Eremitarum mitiorem fecisset. Hujus epistolæ mentionem facit sanctus Isidorus lib. de Viris illustribus, cap. 45, exstatque ms. in bibliotheca Floriacensi. Præterea tanti fuit olim nominis apud omnes nationes beatus Augustinus, ut, si ejus Regulam, etsi non mitiorem, advexisset in Hispaniam sanctus Donatus, ne quidem ullus adversus eum ejusque discipulos hiscere ausus fuisset. Tandem sanctus Donatus non fuit Eremitarum, sed monachorum cœnobitarum Pater; ipse enim cum septuaginta monachis in Hispaniam trajecit, quibus monasterium Sirvitanum subsidio et ope Micineæ illustris feminæ ædificavit, ut docet sanctus Hildefonsus capite citato. Hæc fusius prosecutus sum, ut ostenderem quam futilibus ineptiis a nescio quo hoc sancti Maximi Chronicon conspersum fuerit. Fuit alius Donatus sancti Columbani in baptismo filius, archiepiscopus Vesontionensis. Libenter hanc Regulam Donato Afro tribuerem, nisi multis annis ei sanctus Columbanus superstes fuisset, vix, dum vixit, Hispanis notus. Quare si ejusmodi Regulam sancto Donato Vesontionensi archiepiscopo addixerim, non multum abs re erit, cum ille monachus fuerit, et monasterium sub Regula sanctorum Benedicti et Columbani ædificaverit, ut habetur in fragmento Vitæ illius apud Chifflletium lib. II de Archiepiscopis Vesontionensibus.

Regula Magistri ita appellatur in hac Concordia, quia in ea discipulus interrogat, et magister respondet. Exstat in veteri codice ms. bibliothecæ Corbeiensis sine auctoris nomine quinque et nonaginta capita complectens, inter quæ omnia fere capita Regulæ sancti Benedicti recensentur. Hic Pater non raro usurpat sancti Benedicti sententias integras et ipsamet verba, interdum ab eo dissentit, et quæ a sancto Benedicto generaliter statuta sunt, specialius ab eo sæpe ordinantur. Codex autem citatus videtur esse scriptus circa annum Domini septingentesimum primum. Nam ad calcem illius exstat catalogus Romanorum pontificum scriptus eadem manu litteris quadratis, desinitque in Joanne sexto, qui sedit anno septingentesimo primo. Hæc Regula magna cum simplicitate, fervore et regularis observantiæ cura procedit. Auctor illius juxta Trithemium, lib. et cap. citatis, est Vigilius abbas et diaconus : « Vigilius quoque diaconus et abbas in capitulo 33 suæ Regulæ sic loquitur : « Si quid peculiare apud aliquem inventum fuerit, grandi eum abbas et diuturna excommunicatione condemnet, ut illius exemplo deterriti omnes, nullus hoc audeat imitari. » Quæ quidem verba exstant in Regula Magistri, cap. 82, ubi agitur de peculiaritate monachorum : ita ut citatio Trithemii sit in notis arithmeticis mendosa. Gennadius in Catalogo scribit de quodam Vigilio diacono, qui etiam monachorum Regulam composuit : « Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum monachorum Regulam, quæ in cœnobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone totius monasticæ perfectionis in se tenentem disciplinam. » Sed puto hos Vigilios esse distinguendos. Nam hic Gennadii Vigilius aperto et breviato sermone Regulam scripsit, at hic Magister seu Vigilius Trithemii longo, obscuro atque perplexo, cum vix Latine loqui possit. Vigilius Gennadii vixit circa annum Domini 440, ante tempora Gennadii, at Vigilius Trithemii vixit post sanctum Benedictum; nam multa a sancto Benedicto, ut dixi, emendicat, quæ a reliquo ejus sermone rudi et scabro longe discrepant. Vixisse videtur circa tempora Clodovæi secundi, Francorum regis, non multo post sanctum Gregorium Magnum, quia utitur vocabulo *majoris domus*, quod tunc maxime erat in usu. Gallus fuit, aut certe aliquandiu in Gallia vixit, quia phrasis illius Gallicum idiotismum sapit, et quædam vocabula habet a Gallis usitata. Suspicarer esse sanctum Benedictum Biscopium Anglum; sed amplius quærendum est.

Regula cujusdam duplex est. Quæ prior citatur, est mihi prorsus incognita quoad auctorem illiusque tempus quo scripta sit. Altera, quæ secunda post illam citatur, est veluti quædam Regulæ sancti Benedicti paraphrasis. Illius auctor appellatur a Trithemio, libro et cap. citatis, *servus Dei*. Nam ibi citat quædam ex Regula *servi Dei*, quæ habentur in hac secunda Regula cujusdam, in cap. 42 Concordiæ, ut ibidem notavimus. Hæc Regula ad usum sanctimonialium scripta est, ut liquet ex eodem Trithemio; ita ut existimem ejusmodi Regulam nihil aliud esse quam Regulam sancti Benedicti ad usum sanctimonialium accommodatam, etsi nostræ Concordiæ auctor pro suo more femininum genus in masculinum mutaverit. Cum autem multi fuerint nomine *servi Dei* nuncupati, quis illorum hujus Regulæ scriptor fuerit non constat : videtur tamen non multo post sancti Gregorii Magni tempora vixisse. Citantur insuper capitulum unicum ex Jona abbate de Vita sanctæ Burgundoforæ, unum ex divo Gregorio Nazianzeno, unum ex Cassiodoro in psalmos, quædam etiam ex divo Hieronymo, divo Augustino et Beda, et quædam capitula Cæsariæ, de qua dicetur suo loco.

Citatur præterea caput unicum ex sancto Valerio de generibus monachorum. Hic Valerius natione fuit Hispanus, civitate Asturicensis (ut ipse scripsit in sua Vita, quam refert Prudentius Sandovaldus prima parte fundationis monasteriorum, n. 3). Appetiit monachatum in monasterio sancti Fructuosi Complutico; sed qui eadem de causis, quas non profert, a proposito deterritus secessit in montem Vergidum, in solitudinem juxta castrum sancti Petri. Varie exagitatus sæpe mutare sedes coactus est. Tandem per multas temptationes viginti annis varie tentatus et vexatus conquievit in oratorio sancti Petri, ædificato olim a sancto Fructuoso in solitudine Vergidi. Sed quia litteratus erat, Isidorus episcopus Asturicensis eum inde abstractum Toletum secum ducere voluit invitum; quod tamen morte interveniente episcopi minime perfectum est. Varia opuscula composuit. Floruit circa annum Domini 675. Quod autem dicta sancti Valerii a nostro auctore citata sint hujus Valerii, ex illius verbis clarum est : « Et cum in ista ultimæ extremitatis occiduæ partis confinia rara videlicet et exigua pullularent sacræ religionis crepundia. » Quæ verba homini Hispano eoque Asturicensi plane conveniunt.

CONCORDIA REGULARUM PATRUM.

PRÆFATIO.

Benedictus ultimus abbatum, abbatibus et monachis omnibus in Deo Christo salutem.

a Dum communi utilitati consulens attentius quærerem quomodo utilius possem cunctis prodesse,

a *Dum communi*. Hac epistola auctor hujus Con-

quæpi sanctorum Vitas regulasque legere Patrum. Quas dum sagaci intentione percurrerem, et eadem pene, quæ a sancto Benedicto prolata sunt, verba in quibusdam locis, in quibusdam vero sensum eumdem cognoscerem, occurrit animo ea quæ a tepidis segnibusque monachis dici assolet. Quid cæteræ huic conferunt regulæ? Quid ad me, [a] quas non promisi, pertinet legere? et hæc quidem dicunt ignorantes beatum Benedictum [b] suam a cæteris assumpsisse Regulam, et veluti ex manipulis unum strenue contraxisse manipulum. Quapropter, seu propter eos qui eas habentes ignorant quibus in locis sit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias quæ cum Patris Benedicti concordare noscuntur Regula, quatenus unus ex multis collectus existeret codex. Ita duntaxat ut beati Benedicti præcederent, quibus sequentes cæteræ necti possent. Quamobrem *Concordiæ Regularum* hic liber sortitus est nomen. Noverint tamen omnes qui hunc lecturi sunt librum, quoniam non vanæ laudis instinctu, nec arrogantiæ fastu, quasi meum post in toto orbe diffusam doctrinam in aren-

A ti rivulo cupiens ostendere nomen; sed dilectionis affectu, animæ meæ omniumque legere cupientium salutis augmento a me esse cœptum. Qua de re testem invoco non mei solummodo, sed omnium cordium cognitorem; quoniam ipse novit me non tumoris, sed charitatis causa hoc opus egisse. Quem totis viribus sedulo deprecor, ut, qui se daturum pro calice aquæ frigidæ mercedem promisit, meorum saltem pro hoc exiguo opere remissionem tribuat omnium peccatorum. Vos vero omnes, qui hunc audituri, lecturique estis librum, suppleX exoro ut dum ex vobis spiritalia sumpseritis mella, pro meis reatibus Domino non dedignemini fundere precem: quatenus, dum vobis propriis laboribus merces largietur æterna, meorum vel mihi vestro B suffragio detur remissio peccatorum. Sumite ergo gratanter a nobis utilem vobis contractum libellum. Siquidem invictam robustis condidimus turrem, eamque præclaris munivimus armis; invalidis vero multigenis ex floribus nectare assumpto lucidum depinximus favum.

Explicit præfatio.

omnes monachos, maxime Occidentalis Ecclesiæ, quatuorque præstat. Primo occurrit quorumdam remissorum monachorum objectioni, qui dicturi essent nihil ad se hunc librum attinere, qui tantum in sancti Benedicti Regulam, non in alias jurassent; 2° suum propositum, totiusque operis rationem aperit; 3° causam reddit propter quam se ad hoc opus accinxerit; aitque se charitatis impulsu, non vanæ gloriæ motu opus aggressum; 4° mercedis nomine lectoris poscit orationes.

[a] *Quas non promisi.* Cum hic auctor noster omnibus monachis saltem Ecclesiæ Occidentalis loquatur, quidamque tepidiores opponant se solam sancti Benedicti Regulam vovisse, alias, quæ in hoc ope-

re continentur, ignorare; planum est solam sancti Benedicti Regulam tempore hujus Concordiæ auctoris, hoc est, Caroli Magni et Ludovici Pii a monachis Ecclesiæ Occidentalis observatam esse: alioqui epistolæ dedicatio auctorisque objectio ineptæ essent.

[b] *Suam a cæteris Regulam assumpsisse.* Nempe ab iis qui ante eum vixerunt, ut a sancto Pachomio, Basilio, Cassiano, etc. Nam hic citantur Regulæ quorumdam Patrum qui ætate sunt sancto Benedicto posteriores, ut sunt sanctus Isidorus, Fructuosus uterque, sanctus Columbanus, et *nonnulli* alii, ut ex supra dictis clarum est.

ITEM PRÆFATIO.

[a] Arbiter ut mundi tenebras depelleret omnes,
Sidus ab Eoo jussit consurgere; cujus
Luce peropacæ fugiunt ex orbe tenebræ,
Multigenæque simul micuere per æthera stellæ.
Quas lustrare suo jussit ex lumine noctes
Ne frustra pateant oculi sine lumine nostri.
Fulsit et exemplo pandens sua cornua luna,
Nec mora [b] lucifugæ fugiunt per concava terræ,
Expavere quidem rutilantia sidera cœli.
Cæcus erat mundus, paradisi gaudia postquam
Perdiderat gestans tetras in corde tenebras,
Nec oculis lucem poterat intendere clausis
Luce quidem vacuus, male sanus, dæmone plenus.
Has tamen ut tenebras superus discinderet omnes,
Fulgidus in carne patuit sol verus Eoi.
[c] Ecclesiæ splendere jubar jubet, alta polorum
Ut petat, edocuit, typice quæ luna vocatur.
Surgit et exinde nimium sat turba beata,
Cœtus apostolicus reboans per compita mundi
D Verba Tonantis. Et exsurgit [d] post denique fulgens

[a] *Arbiter ut mundi.* Altera præfatio est versibus conscripta, in quibus non semper servatur quantitas syllabarum. In hac ante a præfatione scribit quod quemadmodum Deus creavit solem et lunam ad depellendas tenebras, sic cum homo peccatis obscuratus fuisset, misit alterum solem, nempe Christum, qui Ecclesiam illuminavit; in qua primo fulsere apostoli, tum martyres, tandem monachi et anachoretæ, qui non modo virtutis splendore, sed etiam scriptorum suorum luce nobis viam ad cœlum munierunt. Ex quorum scriptorum floribus dicit se sertum composuisse, et Regularum Concordiam appellasse, quo horum sanctorum Patrum unam fidem unamque mentem fuisse ostenderet. Tandem subjungit epilogum, quo abbates et monachos ad hujus libri lecturam hortatur; quem sequitur oratio.

[b] *Lucifugæ.* Solibet tenebras.

[c] *Ecclesiæ.* Hæc ita distinguenda sunt:

Ecclesiæ splendere jubar jubet, alta polorum
Ut petat, edocuit, typice quæ luna vocatur.

Et *luna* vocabulum ad *Ecclesiæ* est referendum, hoc modo, *Ecclesiæ, quæ typice luna vocatur, jussit splendere jubar: edocuit, ut petat alta polorum.* Est hyperbaton.

[d] *Post denique fulgens*, etc. Martyres intelligit.

Astrigerus ordo roseo vestitus amictu :
Sanguine quippe suo rutilans, quem fundere Christi
Fecit amor [a] sacrus. [b] Patuit post, millia mille
Exsuperans numerum niveo qui micat amictu
Ordo beatus iter gradiens quod tendit ad astra,
[c] Ibicibus similis temnens morientia cuncta,
Et deserta petens, recubans in montibus altis,
Aut profunda nimis retinens confinia vallis
Mortificare semet cupiens; ut scandere cœlum
Posset, et angelicis junctus per sæcula Christum
Conlaudare choris dulci modulamine cantans.
Hic opere verbisque suis documenta salutis
Demonstravit ovans cunctis, qui regna polorum
Scandere quantocius satagunt. Nam multa libellis
Conscripsere quidam, potius quos ordo beatus
Eximios tenuit, docuit quos maxime Christus
Qui pandunt iter astrigerum, qui gaudia vitæ
Vocibus excelsis reboant, ut terrea linquant
Mortales homines : valeant ut vivere semper.
Vir Benedictus et Isidorus, Basilius exstant
Eximii, quorum renitent sat dicta per orbem.
A Ex quorum documentis hos decerpere flores
Multigenos placuit, unoque scribere libro,
Florigerum veluti monachis depingere sertum,
In quo valde rosæ rutilant, et lilia candent,
Ac violæ fulgent, redolent vernantia quæque.
Jam quidquid docuere Patres concorditer, atque
Verius ut fatear, [d] eadem simul unus et ipsa
Verba, licet sensus dispar, non scinditur unus,
Una tenet patria, trames qua duxit et unus,
Dicimus ergo libri nomen *Concordia* rite.
Sumite, cœlicoli Patres, hæc munia Patrum.
Sumite hæc, monachi, monita, quæ [e] *Regula sancta*
Vos monet assidue; pavido ne corde fugaces
Avia sectetis barathri, quod tendit ad ima :
Hæc est vera via; porgit hæc pocula vitæ
B Pabula dulciflua melle, quæ dulcius exstant,
Hæc tribuit codex, tribuit sine fine beate
Vivere cum Christo, dignasque promere grates.
Te, Trinitas, rogito, nobis iter esto salutis,
Ut te dante tuo valeamus vivere regno.

[a] *Sacrus*. Pro *sacer*. Glossæ veteres : θεῖος τόπος, *sacrus, sacer*, locus videlicet.

[b] *Patuit post millia mille exsuperans numerum*, etc. Intelligit monachos et anachoretas.

[c] *Ibicibus*. In Concordia ms. codicis Vindocinensis legitur *Obicibus*. Male. Ibices sunt capreæ mirandæ admodum pernicitatis. De quibus Plinius, lib. VIII, cap. 53 : « Sunt capreæ, sunt rupicapreæ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam oneratæ capite vastis cornibus; gladiorumque vaginis. In hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant. » Comparantur monachi ibicibus juxta illud Cant. cap. II : *Similis dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum*. Sunt etiam ibices aves streperæ et clamosæ. Ἴβεξ ἐστὶ ὄρνεον ὀρεινὸν κραυτικόν. Id est, ibix species avis streperæ, unde verbum ἰβυκίσαι; quod per metaphoram significat buccinare, docet Etymologicon vetus. C

[d] *Eadem simul unus et ipsa*, etc. Id est, eadem verba, unus sensus non divisus, etsi dispar, nempe pro varietate sententiarum.

[e] *Regula sancta*. Id est, Regula sancti Benedicti. Ita appellatur a Paulo diacono, aliisque auctoribus, ut alias docuimus.

INCIPIT LIBER.

CAPUT PRIMUM.

DE CONCORDIA REGULARUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti (*cap. ult.*). *Quod non omnis observatio justitiæ in hac sit Regula constituta.*

[a] Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis [b] aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis [c] qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. [d] Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ?

[a] *Regulam autem*. Quispiam fortasse quæret cur hujus Concordiæ auctor ultimum Regulæ sancti Benedicti caput huic suæ Concordiæ præfixerit; et id quod est Regulæ epilogus, operis sui voluerit esse præludium. Verum, cum auctor noster Regulam sancti Benedicti cum aliorum Patrum institutis conferre in hoc opere instituerit, non abs re fuit hoc ultimum Regulæ caput huic libro præponere; in quo etiam sanctus Benedictus Regulam suam cum aliorum Patrum institutionibus monachicis contulit, ea nimirum ratione, ut eam illis postponeret; etsi illorum vestigiis, quantum maxime potuerit, inhæserit, quemadmodum hic auctor noster demonstrare contendit, qui et hoc præsens caput in lemmatum recensione D Concordiam Regularum appellat. Dici etiam potest : quia suos ad illas institutiones remittit sanctus Benedictus.

[b] *Aliquatenus vel honestatem morum*. Hæc per extenuationem humilitatis gratia dicta sunt. Nam longe excellentiorem perfectionem sancti Benedicti Regula complectitur.

[c] *Qui festinant*. Subaudi, *iis*. Hoc modo : *iis, qui festinant*. Est hellenismus.

[d] *Quæ enim pagina*, etc. Hæc non dicta sunt per elevationem, seu extenuationem, sed res ita est ut verba sonant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus qui sancti Benedicti Regulam divinis illis oraculis æquiparare velit.

cœpi sanctorum Vitas regulasque legere Patrum. Quas dum sagaci intentione percurrerem, et eadem pene, quæ a sancto Benedicto prolata sunt, verba in quibusdam locis, in quibusdam vero sensum eumdem cognoscerem, occurrit animo ea quæ a tepidis segnibusque monachis dici assolet. Quid cæteræ huic conferunt regulæ? Quid ad me, [a] quas non promisi, pertinet legere? et hæc quidem dicunt ignorantes beatum Benedictum [b] suam a cæteris assumpsisse Regulam, et veluti ex manipulis unum strenue contraxisse manipulum. Quapropter, seu propter eos qui eas habentes ignorant quibus in locis sit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias quæ cum Patris Benedicti concordare noscuntur Regula, quatenus unus ex multis collectus existeret codex. Ita duntaxat ut beati Benedicti præcederent, quibus sequentes cæteræ necti possent. Quamobrem *Concordiæ Regularum* hic liber sortitus est nomen. Noverint tamen omnes qui hunc lecturi sunt librum, quoniam non vanæ laudis instinctu, nec arrogantiæ fastu, quasi meum post in toto orbe diffusam doctrinam in arenti rivulo cupiens ostendere nomen; sed dilectionis affectu, animæ meæ omniumque legere cupientium salutis augmento a me esse cœptum. Qua de re testem invoco non mei solummodo, sed omnium cordium cognitorem; quoniam ipse novit me non tumoris, sed charitatis causa hoc opus egisse. Quem totis viribus sedulo deprecor, ut, qui se daturum pro calice quæ frigidæ mercedem promisit, meorum saltem pro hoc exiguo opere remissionem tribuat omnium peccatorum. Vos vero omnes, qui hunc audituri, lecturique estis librum, supplex exoro ut dum ex vobis spiritalia sumpseritis mella, pro meis reatibus Domino non dedignemini fundere precem: quatenus, dum vobis propriis laboribus merces largietur æterna, meorum vel mihi vestro suffragio detur remissio peccatorum. Sumite ergo gratanter a nobis utilem vobis contractum libellum. Siquidem invictam robustis condidimus turrem, eamque præclaris munivimus armis; invalidis vero multigenis ex floribus nectare assumpto lucidum depinximus favum.

Explicit præfatio.

omnes monachos, maxime Occidentalis Ecclesiæ; quatuorque præstat. Primo occurrit quorumdam remissorum monachorum objectioni, qui dicturi essent nihil ad se hunc librum attinere, qui tantum in sancti Benedicti Regulam, non in alias jurassent; 2° suum propositum, totiusque operis rationem aperit; 3° causam reddit propter quam se ad hoc opus accinxerit; aitque se charitatis impulsu, non vanæ gloriæ motu opus aggressum; 4° mercedis nomine lectoris poscit orationes.

[a] *Quas non promisi.* Cum hic auctor noster omnibus monachis saltem Ecclesiæ Occidentalis loquatur, quidamque tepidiores opponant se solam sancti Benedicti Regulam vovisse, alias, quæ in hoc opere continentur, ignorare; planum est solam sancti Benedicti Regulam tempore hujus Concordiæ auctoris, hoc est, Caroli Magni et Ludovici Pii a monachis Ecclesiæ Occidentalis observatam esse: alioqui epistolæ dedicatio auctorisque objectio ineptæ essent.

[b] *Suam a cæteris Regulam assumpsisse.* Nempe ab iis qui ante eum vixerunt, ut a sancto Pachomio, Basilio, Cassiano, etc. Nam hic citantur Regulæ quorumdam Patrum qui ætate sunt sancto Benedicto posteriores, ut sunt sanctus Isidorus, Fructuosus uterque, sanctus Columbanus, et *nonnulli* alii, ut ex supra dictis clarum est.

ITEM PRÆFATIO.

[a] Arbiter ut mundi tenebras depelleret omnes,
Sidus ab Eoo jussit consurgere; cujus
Luce peropacæ fugiunt ex orbe tenebræ,
Multigenæque simul micuere per æthera stellæ.
Quas lustrare suo jussit ex lumine noctes
Ne frustra pateant oculi sine lumine nostri.
Fulsit et extemplo pandens sua cornua luna,
Nec mora [b] lucifugæ fugiunt per concava terræ,
Expavere quidem rutilantia sidera cœli.
Cæcus erat mundus, paradisi gaudia postquam
Perdiderat gestans tetras in corde tenebras,
Nec oculis lucem poterat intendere clausis
Luce quidem vacuus, male sanus, dæmone plenus.
Has tamen ut tenebras superus discinderet omnes,
Fulgidus in carne patuit sol verus Eoi.
[c] Ecclesiæ splendere jubar jubet, alta polorum
Ut petat, edocuit, typice quæ luna vocatur.
Surgit et exinde nimium sat turba beata,
Cœtus apostolicus, reboans per compita mundi
Verba Tonantis. Et exsurgit [d] post denique fulgens

[a] *Arbiter ut mundi.* Altera præfatio est versibus conscripta, in quibus non semper servatur quantitas syllabarum. In hac ante a prefatione scribit quod quemadmodum Deus creavit solem et lunam ad depellendas tenebras, sic cum homo peccatis obscuratus fuisset, misit alterum solem, nempe Christum, qui Ecclesiam illuminavit; in qua primo fulsere apostoli, tum martyres, tandem monachi et anachoretæ, qui non modo virtutis splendore, sed etiam scriptorum suorum luce nobis viam ad cœlum munierunt. Ex quorum scriptorum floribus dicit se sertum composuisse, et Regularum Concordiam appellasse, quo horum sanctorum Patrum unam fidem unamque mentem fuisse ostenderet. Tandem subjungit epilogum, quo abbates et monachos ad hujus libri lecturam hortatur; quem sequitur oratio.

[b] *Lucifugæ.* Scilicet tenebræ.

[c] *Ecclesiæ.* Hæc ita distinguenda sunt:

Ecclesiæ splendere jubar jubet, alta polorum
Ut petat, edocuit, typice quæ luna vocatur.

Et *luna* vocabulum ad *Ecclesiæ* est referendum, hoc modo, *Ecclesiæ, quæ typice luna vocatur, jubet splendere jubar: edocuit, ut petat alta polorum.* Est hyperbaton.

[d] *Post denique fulgens*, etc. Martyres intelligit.

Astrigerus ordo roseo vestitus amictu :
Sanguine quippe suo rutilans, quem fundere Christi
Fecit amor [a] sacrus. [b] Patuit post, millia mille
Exsuperans numerum niveo qui micat amictu
Ordo beatus iter gradiens quod tendit ad astra,
[c] Ibicibus similis temnens morientia cuncta,
Et deserta petens, recubans in montibus altis,
Aut profunda nimis retinens confinia vallis
Mortificare semet cupiens; ut scandere cœlum
Posset, et angelicis junctus per sæcula Christum
Conlaudare choris dulci modulamine cantans.
Hic opere verbisque suis documenta salutis
Demonstravit ovans cunctis, qui regna polorum
Scandere quantocius satagunt. Nam multa libellis
Conscripsere quidam, potius quos ordo beatus
Eximios tenuit, docuit quos maxime Christus
Qui pandunt iter astrigerum, qui gaudia vitæ
Vocibus excelsis reboant, ut terrea linquant
Mortales homines : valeant ut vivere semper.
Vir Benedictus et Isidorus, Basilius exstant
Eximii, quorum renitent sat dicta per orbem.

A Ex quorum documentis hos decerpere flores
Multigenos placuit, unoque scribere libro,
Florigerum veluti monachis depingere sertum,
In quo valde rosæ rutilant, et lilia candent,
Ac violæ fulgent, redolent vernantia quæque.
Jam quidquid docuere Patres concorditer, atque
Verius ut fatear, [d] eadem simul unus et ipsa
Verba, licet sensus dispar, non scinditur unus,
Una tenet patria, trames qua duxit et unus,
Dicimus ergo libri nomen *Concordia* rite.
Sumite, cœlicoli Patres, hæc munia Patrum.
Sumite hæc, monachi, monita, quæ [e] *Regula sancta*
Vos monet assidue; pavido ne corde fugaces
Avia sectetis barathri, quod tendit ad ima :
Hæc est vera via; porgit hæc pocula vitæ
B Pabula dulciflua melle, quæ dulcius exstant,
Hæc tribuit codex, tribuit sine fine beate
Vivere cum Christo, dignasque promere grates.
Te, Trinitas, rogito, nobis iter esto salutis,
Ut te dante tuo valeamus vivere regno.

[a] *Sacrus.* Pro *sacer.* Glossæ veteres : *θεῖος τόπος, sacrus, sacer,* locus videlicet.

[b] *Patuit post millia mille exsuperans numerum,* etc. Intelligit monachos et anachoretas.

[c] *Ibicibus.* In Concordia ms. codicis Vindocinensis legitur *Obicibus.* Male. Ibices sunt capreæ mirandæ admodum pernicitatis. De quibus Plinius, lib. VIII, cap. 53 : « Sunt capreæ, sunt rupicapreæ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam oneratæ capite vastis cornibus; gladiorumque vaginis. In hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant. » C Comparantur monachi ibicibus juxta illud Cant. cap. II : *Similis dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Sunt etiam ibices aves streperæ et clamosæ. Ἴβεξ ἔδος ὀρνίου κραχτικοῦ. Id est, ibix species avis streperæ, unde verbum ἰβυκίσαι; quod per metaphoram significat buccinare, docet Etymologicon vetus.

[d] *Eadem simul unus et ipsa,* etc. Id est, eadem verba, unus sensus non divisus, etsi dispar, nempe pro varietate sententiarum.

[e] *Regula sancta.* Id est, Regula sancti Benedicti. Ita appellatur a Paulo diacono, aliisque auctoribus, ut alias docuimus.

INCIPIT LIBER.

CAPUT PRIMUM.

DE CONCORDIA REGULARUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti (*cap. ult.*). *Quod non omnis observatio justitiæ in hac sit Regula constituta.*

[a] Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis [b] aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis [c] qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. [d] Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ?

[a] *Regulam autem.* Quispiam fortasse quæret cur D Concordiam Regularum appellat. Dici etiam potest : quia suos ad illas institutiones remittit sanctus Benedictus.

[b] *Aliquatenus vel honestatem morum.* Hæc per extenuationem humilitatis gratia dicta sunt. Nam longe excellentiorem perfectionem sancti Benedicti Regula complectitur.

[c] *Qui festinant.* Subaudi, *iis.* Hoc modo : *iis, qui festinant.* Est hellenismus.

[d] *Quæ enim pagina,* etc. Hæc non dicta sunt per elevationem, seu extenuationem, sed res ita est ut verba sonant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus qui sancti Benedicti Regulam divinis illis oraculis æquiparare velit.

hujus Concordiæ auctor ultimum Regulæ sancti Benedicti caput huic suæ Concordiæ præfixerit; et id quod est Regulæ epilogus, operis sui voluerit esse prælu.ium. Verum, cum auctor noster Regulam sancti Benedicti cum aliorum Patrum institutis conferre in hoc opere instituerit, non abs re fuit hoc ultimum Regulæ caput huic libro præponere; in quo etiam sanctus Benedictus Regulam suam cum aliorum Patrum institutionibus monachicis contulit, ea nimirum ratione, ut eam illis postponeret; etsi illorum vestigiis, quantum maxime potuerit, inhæserit, quemadmodum hic auctor noster demonstrare contendit, qui et hoc præsens caput in lemmatum recensione

[a] Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? [b] Nec non et Conlationes Patrum: sed et Regula sancti Patris nostri Basilii quid amplius sunt, nisi bene viventium et obedientium monachorum [c] instrumenta virtutum? [d] Nobis autem desidiosis et male viventibus, aut negligentibus, rubor confusionis est. Quisque ergo ad patriam cœlestem festinas, [e] hanc minimam inchoationis regulam descriptam adjuvante Christo perfice: et tunc demum ad majora, quæ supra commemoravimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo prot'gente, pervenies. [f] Facientibus hæc regna patebunt [g] superna.

§ II. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 1).

[h] Tertium vero monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientia magistri, sicut aurum fornacis, et cætera.

§ III. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 7).

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.

§ IV. — *Item in eadem Regula* (*cap.* 18).

Dum quando legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implevisse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.

§ V. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 40).

Licet legamus vinum monachorum omnino non esse: sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibamus.

§ VI. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 48).

Si autem aut necessitas loci, aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia vere tunc monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut et Patres nostri et apostoli.

§ VII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 49).

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, etc.

§ VIII. — Ex Regula Isidori.

[i] Plura sunt præcepta vel instituta majorum quæ a sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur, quæque etiam nonnulli altius vel obscurius posteritati composita tradiderunt. Ad quorum exemplum nos hæc pauca vobis eligere ausi sumus, ut [j] sermone plebeio vel rustico quam facillime intelligatis quo ordine professionis vestræ [k] morem retineatis. Præterea quisquis vestrum illam universam veterum disciplinam contendit appetere, pergat, in quantum placet, et [l] arduum illum limitem atque angustum aditus, qui patuit summis illis monachicæ vitæ coryphæis, Mauro, Placido, Bonifacio archiepiscopo Moguntino, Anselmo Cantuariensi, Oddoni Cluniacensi: et in umeris aliis, seu martyribus, seu confessoribus, qui ab ipsa sancti Benedicti Regula auspicati, eamque studiose observantes virtutum sublimitate et excellentia antiquis illis Patribus haudquaquam inferiores fuere. Quod quidem impensius notandum est: nec sine causa a sancto Benedicto scriptum.

[a] *Aut quis liber sanctorum catholicorum*, etc. Hic textus profertur ab Ivone Carnotensi, IV parte Decreti, cap. 88. Quod attinet ad sensum illius, si spectes aliquorum sanctorum Patrum libros, certum est Regulam sancti Benedicti cum quorumdam Patrum scriptis posse comparari, imo illis præponi: et hæc verba quodammodo humilitatis gratia esse dicta.

[b] *Necnon et Conlationes*, etc. Si Collationes, instituta et vitæ sanctorum Patrum in universum spectentur, dubium non est quin eis Regula sancti Benedicti cedere debeat. Certe multa videmus apud Palladium, Cassianum, Severum Sulpicium, Joannem Moschum, sanctum Pachomium et alios antiquos vitæ asceticæ Patres altioris perfectionis, quam ea quæ a S. P. Benedicto præscribuntur: ut sunt assiduus labor, oratio continua, quotidiana jejunia, parcissimus cibus, silentium fere perpetuum, inclusio, vigiliæ longiores, brevis somnus, chameuniæ, vestis cilicina, vini carentia, crudorum et siccorum esus, et similia, quæ præcellentioris sunt perfectionis iis quæ in hac Regula statuuntur. Divus enim Benedictus cum videret paucos ad sublimem illam priscorum Patrum perfectionem posse pertingere, sancti Spiritus impulsu Regulam discretione præcipuam, ut loquitur sanctus Gregorius, condidit, eamque veterum Patrum austeritate temperata hominum imbecillitati accommodavit. Nihilominus tamen si ad particularia Regulæ veniamus, multa sane in ea reperire est quæ veterum Patrum institutis haudquaquam inferiora sunt; ut duodecim humilitatis gradus, perfecta obedientia, etiam in his, quæ impossibilia sunt, instrumenta bonorum operum, et multa alia quæ eam pervolvendo observare licet.

[c] *Instrumenta virtutum.* Ita in mss. S. Germ. et S. Faronis et apud Ivonem. At vulgo cum Smaragdo et sancto Dunstano legitur, *Exempla et instrumenta virtutum.*

[d] *Nobis autem desidiosis.* Est extenuatio humilitatis causa.

[e] *Hanc minimam inchoationis Regulam.* Est etiam extenuatio. Dicitur autem Regula sancti Benedicti inchoatio, quia si ad amussim observetur, facilis erit ad sublimem priscorum Patrum perfectionem

[f] *Facientibus hæc*, etc. Hæc clausula non exstat in cod. ms. S. Far., neque in editionibus Colonienssi, Parisiensi vetustissima, et Colmæi, neque apud Smaragdum, sanctum Dunstanum, et Turrecrematam. Nihilominus exstat in Concordia ms. monasterii Sanctæ Trinitatis de Vindocino, atque in aliis mss. nostris codicibus, et in vulgatis editionibus.

[g] *Superna.* In parvo codice ms. S. Victoris legitur, *æterna.*

[h] *Tertium vero monachorum teterrimum genus est.* In codice ms. Floriacensi cætera hujus capituli desunt, et sequentia capitula et maxima pars prologi Regulæ sancti Benedicti usque ad hæc verba, *Evangelii pergamus*, quæ supplevi ex Concordia ms. cod. Vindocinensis. Hic autem locus et sequentes, sumpti ex Regula sancti Benedicti proferuntur ab auctore nostro, ut repudiatis imperfectorum monachorum moribus vitam nostram ad antiquorum Patrum instituta componamus.

[i] *Plura sunt præcepta.* Hæc habentur in præfatione Regulæ excusæ sancti Isidori Hispalensis episcopi, quæ exstat inter ejus Opera.

[j] *Ut sermone plebeio*, etc. Lege ut in excusa Regula: « Usi sermone plebeio et rustico, ut quam facillime. »

[k] *Morem retineatis.* In excusa, *Votum retineatis.*

[l] *Arduum illum limitem.* Limes est via, callis. Plautus in Pœnulo.

Si male dicetis vostra gradiar limite.

Silius Italicus, lib. XV:

At si me comitare, puer, non limite duro
Jam tibi decurret concessi temporis æstas.

[a] levigato cursu incedat. Qui vero tanta jussa priorum explere nequiverit, [b] in hujus limitis disciplinam gressum ponat, neque ultra declinandum studeat : ne, dum [c] delicatius appetit inferiora, tam vitam quam nomen monachi perdat. Quapropter sicut illa præcepta priorum [d] perfectum reddunt, ac summum, ita facient ista vel ultimum : illa custodiant perfecti, ista sequantur post peccatum conversi. [e] Hæc igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita a vobis volumus custodiri, ut majora præcepta Patrum per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc commonitionem nostram humili corde custodientes quæ dicimus ; libenter sumentes quæ dispensamus, quatenus et vobis de effectu sit gloria, nobis pro ipsa admonitione proveniat postulata venia.

§ IX.—Ex Regula Stephani et Pauli.

[f] Regulæ quoque Patrum ideo a nobis assidue leguntur, ut eorum sanctis exhortationibus interiorem accommodantes auditum, et disciplinæ concipiamus amorem dulcissimum, et Domino per omnia adjuvante, vitæ ipsorum exempla sequamur. Propter quod festinandum, ut a nostris mentibus tepor excludatur inolitus. Nam et hæc quæ vobis per singula præsenti loquimur scriptura, non in suggillatione A sanctorum ac beatissimorum Patrum Regulæ ausu temerario [g] ad vos proferenda præsumpsimus ; sed ea tantum specialiter ex eorum constitutionibus vobis litteris ingerenda curavimus. Plenitudo autem sanctæ conversationis et spiritalis vitæ perfecta doctrina in eorum sanctorum Patrum Regulis nobis quotidie recitatur, [h] quorum et probata vita divino munere et docendi est attributa auctoritas.

§ X. — Ex libro Orsiesii.

[i] Hæc cuncta replicavi, ut sanctorum vitam considerantes non circumferamur omni vento doctrinæ : sed laboremus, et eorum conversationem nostræ vitæ propositum habeamus ut simus populus peculiaris Dei. Nec contristemus Spiritum sanctum, in quo signati sumus in die redemptionis (*Eph.* IV), B nec illum exstinguamus in nobis, et prophetias contemnamus : ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis non demus locum. Nullum alium timeamus præter Deum, qui ultor et judex est operum singulorum, et cum sancto sanctus, et cum viro innocente innocens (*Psal.* XVII). [j] *Ego amantes me diligo : et qui me quærunt, invenient gaudium* (*Prov.* VIII). Et alibi loquitur : [k] *Si ambulaveritis contra me perversi, et ego ambulabo contra vos perversus* (*Levit.* XXVI).

[a] *Levigato cursu.* Id est, facili, plano, non scabroso.

[b] *In hujus limitis disciplinam gressum ponat.* In Regula excusa : *In hujus limite disciplinæ gressus constituat.* Hoc loco innuit sanctus Isidorus Regulam ad captum imperfectorum et infirmorum a se compositam fuisse ; quod confirmatur auctoritate sancti Braulionis episcopi Cæsaraugustani, cum agit de scriptis sancti Isidori : « Monasticæ regulæ librum unum, quem pro patriæ usu et invalidorum animis decentissime temperavit. »

[c] *Delicatius.* In Regula excusa : *Declinatus.* Lege, *declinatius.*

Perfectum reddunt. In Regula excusa, *Perfectum monachum reddunt.*

[e] *Hæc igitur, o servi Dei.* Hæc usque ad finem capitis in Regula excusa desiderantur.

[f] *Regulæ quoque Patrum.* Hoc caput ultimum est in Regula Pauli et Stephani, ut constat ex serie lemmatum ejusdem Regulæ in cod. Flor., in qua ultimum ita habetur : *Quod et Patrum Regulæ legantur assidue.* Hoc tamen caput in eodem codice, quia ultimum folium avulsum est, non exstat.

[g] *Ad vos.* Lege, *apud vos.*

[h] *Quorum.* Lege, *quibus.*

[i] *Hæc cuncta replicavi.* Hæc videre est in libro Orsiesii edito circa finem.

[j] *Ego amantes me diligo.* Proverb. VIII in versione vulgata : *Ego diligentes me diligo ; et qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Fere juxta textum Hebraicum. At sanctus Orsiesius locum citat juxta Interpretes Septuaginta : Ἐγὼ τοὺς ἐμὲ φιλοῦντας ἀγαπῶ : οἱ δὲ ἐμὲ ζητοῦντες εὑρήσουσι χάριν. Id est, *ego diligentes me diligo, et me quærentes invenient gratiam.* Sed aut Orsiesius, aut ejus interpres qui vertit, *gaudium*, legisse videtur χαράν, id est gaudium, pro, χάριν, id est gratiam. C

[k] *Si ambulaveritis contra me perversi*, etc. Locus habetur Levit. XXVI : *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me, et ego incedam adversus vos in furore contrario.* In textu Græco : Ἀλλὰ πορεύησθε πρός με πλάγιοι, πορεύσομαι κἀγὼ μεθ' ὑμῶν θυμῷ πλαγίῳ· id est, *et ambulaveritis contra me obliqui, et ego ambulabo vobiscum furore obliquo.* Apud Arnobium in psal. XVII fere juxta Orsiesii interpretem : *Si vero ambulaveritis perversi, et ego vobiscum perversus ero.* Hæc autem verba et versiculus psalmi citatus nihil aliud sonant quam quod Deus bonis bonus est, id est clemens ; et malis malus, id est severus, ut fuse enarrat Arnobius.

CAPUT II.

PRÆFATIO S. BENEDICTI ET ALIORUM.

§ I. — Præfatio Regulæ sancti Benedicti.

[a] Ausculta, [b] o fili, præcepta [c] magistri, et inclina aurem cordis tui, [d] et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple : ut [e] ad eum [f] per obedientiæ laborem redeas, a quo [g] per inobedientiæ desidiam recesseras.

Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis. In primis, [h] ut quidquid agendum inchoas bonum, [i] ab eo perfici instantissima oratione deposcas : ut qui nos in filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Ita enim et omni tempore [j] de bonis suis in nobis parendum est : ut non solum [k] iratus pater suos non aliquando filios exhæredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam [l] tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerunt ad gloriam. Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos Scriptura, ac dicente : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII). Et apertis oculis nostris ad deificum lumen, [m] attonitis auribus audiamus divina quotidie clamans quid nos vox admoneat. *Hodie si*

[a] *Ausculta.* Ita vulgo habetur. Codex Vindocinensis habet, *Obsculta.* Quam lectionem defendit Smaragdus, sicut dicitur, obaudi, obtempera, obsecunda. Et certe in præfatione Regulæ Magistri scribitur : *qui me obscultas dicentem.*

[b] *O fili.* Particula, *O*, non habetur in Regula ms. cod. S. Ebrulphi, et Vict. P.

[c] *Magistri.* Nempe Spiritus sancti, non Benedicti. Ita explicat Trithemius. Recte quidem ; nam alienum esset ab humilitate sancti Patris Benedicti se magistrum et pium Patrem appellare, maxime cum nulla sit ei hic se laudandi necessitas. Imo ejus humilitati maxime consentaneum, ut ea quæ in hac Regula instituit, non sibi, sed Spiritui sancto attribuat. Eadem est explicatio Petri Damiani, opusculo 13, de Perfectione monachorum, cap. 6 : « Quod in ipso libri principio manifeste colligitur, si ad quem sua verba Spiritus sanctus dirigit subtiliter attendatur. Spiritum sanctum dico. Neque enim vir sanctus tantæque cultor humilitatis protinus, ut in verba prorumperet, magisterii cathedram, et præcipue pii Patris privilegium usurparet, dicens : *Ausculta, o fili, præcepta magistri*, etc. » Smaragdus per magistrum et pium patrem intelligit Christum, quod perinde est. Ruthardus ms. Ista omnia indifferenter habenda esse arbitratur.

[d] *Et admonitionem.* Hic mentio fit admonitionis et præceptorum. Nam eorum quæ in hac Regula continentur quædam sunt admonitionis, seu consilii, ut vocant, ut demisso capite ubique esse, etc., quædam præcepti, ut votorum observatio, officii divini recitatio, etc. ; qua de re consule sanctum Thomam. Quodl. 1, art. 20, et 1, 2, qu. 186, art. 9, et Joannem a Turrecremata, tract. 5 et 6 in Prologum Regulæ.

[e] *Ad eum.* Spiritum sanctum. Turrecremata legit, *ad Deum.* Hic autem proponitur scopus Regulæ sancti Benedicti, nempe ut homo per Adæ inobedientiam lapsus, et a Deo aversus, ad eum redeat per obedientiam : ut possit pristinam illam primæ innocentiæ gratiam, quam genus humanum per Adæ prævaricationem in paradiso voluptatis amisit, recuperare.

[f] *Per obedientiæ laborem.* Obedientiæ labor dicitur, quia propriæ voluntati nuntium remittere perdifficile est. Qui se vitæ asceticæ addicit, per obedientiam ad Deum redire dicitur, quia obedientia est in religione caput.

[g] *Per inobedientiæ desidiam.* Est elegans antithesis. Si labor obedientiæ est, ita et inobedientiæ desidia. Deses et piger est inobediens, qui nihil quod carni adversetur agit, sed semper suis cupiditatibus obsequelam facit.

[h] *Ut quidquid agendum inchoas bonum*, etc. Per gratiam Dei videlicet. Nam ne vel minimum bonum quis sine Dei gratia inchoare potest. Quantum autem Dei gratiæ tribuat sanctus Benedictus satis hoc capite manifestat, cum ait : « Sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant. » Cum igitur inchoatio boni bonum sit, et sanctus Benedictus palam dicat bona nostra esse a Deo, qui ea in nobis operatur, facile conficitur sanctum Benedictum credidisse ipsam boni inchoationem a Deo manare.

[i] *Ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* Instantissima, id est, ferventi et assidua ; qua quidem oratione indigemus ad Dei dona obtinenda : quæ, ut magna sunt, non sine assidua oratione impetranda : ne facile impetrata vilescant, ut præclare monet Faustus Reiensis serm. ad monachos : « *Petite*, inquit, *et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis.* Id est, ut petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando : ut in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Non vult Deus noster bona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa et concupiscibilis merces cupidum amatorem et avidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum. Lentum enim et parum gratum quærere gratiam divini muneris maxima est injuria remuneratoris. »

[j] *De bonis suis in nobis.* Id est, per bona sua, quæ sunt in nobis. Ita autem loquitur sanctus Pater Benedictus, quia bona, per quæ Deo parendum et serviendum est, ab ipso Deo manant, ita ut ne quidem ipsi Deo sine Deo servire possimus.

[k] *Iratus Pater.* Alias, *ut iratus Pater*, recte, quia sequitur, *ut Dominus.*

[l] *Tradat ad pœnam.* Est antitheton. In serm. 351 D. Augustini de Tempore (si modo illius sit) eadem verba habentur : « Non ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam. »

[m] *Attonitis auribus.* Smaragdus et Turrecremata illud, *attonitis* exponunt, *intentis.* Sed, quid amplius sonare videtur Servius in illud II Æn.,

Talibus attonitus visis et voce deorum.

« *Attonitus, stupefactus.* Proprie is attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis et sonitus tonitruum dant stuporem. » Ergo et hoc loco, *attonitis*, est, stupefactis, per metaphoram ; quemadmodum enim is qui, excusso somno, ad repentinam lucem stupet attonitus, sic is qui rerum sæcularium sopori immersus repente evigilat, ad divinum lumen obstupe-

vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIII). Et item : *Qui habet aurem audiendi audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.* II). Et quod dicit : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII). *Currite, dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant* (*Joan.* XII). Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum iterum dicit : *Quis est homo qui vult vitam;* [a] *et cupit videre dies bonos* (*Psal.* XXXIII)? Quod si tu audiens respondeas : Ego; dicit tibi Deus : Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum; diverte a malo et fac bonum, inquire pacem, [b] et sequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos, et aures meæ ad preces vestras : [c] et antequam me invocetis, dicam vobis : Ecce egó adsum. Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi. Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ. Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus; ut mereamur eum, qui nos vocavit in regnum suum, videre. In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, [d] nisi illuc bonis actibus [e] curratur, minime pervenitur. Sed interrogemus Dominum cum Propheta, dicentes ei : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* (*Psal.* XIV)? Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, dicentem : *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit* [f] *adversus proximum suum.* Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui deduxit ad nihilum, et parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes : *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Sicut nec Paulus apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit dicens : *Gratia Dei sum, id quod sum* (*I Cor.* XV). Et iterum, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Unde Dominus in Evangelio ait : [g] *Qui audit verba mea hæc, et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit, quia fundata est supra petram* (*Matth.* VII). [h] Hæc complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis, factis respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum hujus vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo : [i] *An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II). Nam pius Dominus dicit : *Nolo mortem peccatoris, sed magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi præceptum; sed, si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum, [k] ergo præparanda sunt corda et corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura; et quod [l] minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiæ suæ [m] jubeat nobis adjutorium ministrare. Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et hæc omnia per hanc [n] lucis vitam vacat implere, currendum et agendum est modo quod in

scit. Et ita hoc vocabulum usurpavit sanctus Paulinus epist. 12, ad Severum :

Attonitis oculis nova lux aperitur....

[a] *Et cupit videre dies bonos.* Ita in Psalterio Romano, quod ubique sequitur sanctus Benedictus.

[b] *Et sequere eam.* Ita in Psalterio Romano.

[c] *Et antequam me invocetis*, etc. Isaiæ LXV : *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Sed adaptat suo textui hunc locum sanctus Benedictus.

[d] *Nisi illuc bonis actibus.* Ut hæc sententia superiori annectatur, hæc subaudienda : *Sciendum est quod.* Hoc modo : « In cujus regno si volumus habitare, sciendum est quod nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur. »

[e] *Curratur*, vulgo, *currendo.*

[f] *Adversus proximum suum.* Ita apud Smaragdum, ut in Psalterio Romano, juxta textum Hebraicum עַל קְרֹבוֹ *aal kerono.* In versione communi, *adversus proximos suos.*

[g] *Qui audit verba mea*, etc. Hic locus non videtur ad rem. Nam quæstio est de inani gloria fugienda. Sed notandum est hoc Matthæi capite agi de hypocritis et seductoribus, qui omnia ad ostentationem et vanam gloriam referre solent, et omne quod agunt bonum, sibi arrogant, nec Deo referunt acceptum, sicque non ædificant supra petram, qui est Christus; sed super arenam arrogantiæ et inanis gloriolæ : ac proinde cum ejusmodi hominum opera Christus reprehendisset, ut veros suos amatores laudaret, subjunxit, *Qui audit verba mea, et facit ea, similabo eum,* etc. Sic sanctus Benedictus, agens de iis qui vere Deum timent, bonaque sua in ejus gratiam refundunt, nec inanis gloriolæ fumos venantur, aliis Scripturæ locis hunc Matthæi locum bene subjecit, quia ii qui omnia sua Deo referunt accepta, ædificant supra petram; ii vero qui secus faciunt, et plebeculæ rumores sectantur, super arenam ædificant.

[h] *Hæc complens.* Id est, hæc absolvens et concludens : de hoc vocabulo infra.

[i] *An nescis quia patientia Dei*, etc. In versione communi vulgata ad Rom. II : *Ignoras quia benignitas Dei.* Juxta textum Græcum, τὸ χρηστὸν, id est, bonitas, benignitas.

[j] *Præceptum.* Doctrinam virtutum, quæ præcipitur eis qui in Dei tabernaculo habitaturi sunt.

[k] *Ergo præparanda sunt corda et corpora nostra.* Corda, ut prompta voluntate et parato animo; corpora ut opere obedientiam impleamus.

[l] *Minus.* Id est *non*, sæpe apud Tullium. Et natura nihil habet possibile sine Dei gratia.

[m] *Jubeat nobis adjutorium ministrare.* Ita in aliis mss. nostris, cum Smaragdo, sancto Dunstano, cum editionibus Parisiensi vetusta et Coloniensi. Et ut sensus clarus sit, sciendum τὸ *jubeat* hic sumi pro velit, ut alibi loquitur sanctus Benedictus. *Si tamen jusserit abbas*, id est, velit. In ms. S. Far. in editione Colivæi et vulgatis legitur, *ministrari.*

[n] *Lucis vitam.* Ita in utroque ms. cod. S. Ger., S. Ebrul. Far., Vind., Vict. ma. Ita apud Smaragdum, et Turrecrematam. At in ms. P. Vict. apud S. Dunstanum cum vetusta editione Parisiensi, gemina Co-

perpetuum nobis expediat. [a] Constituenda est ergo nobis Dominici schola servitii, in qua institutione nihil asperum nos constituturos speramus. Sed etsi quid paululum strictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum vel conversationem charitatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda : processu vero conversationis et fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, ut ab ipsius magisterio nunquam discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi usque ad mortem [b] participemur : ut regni ejus mereamur esse consortes.

§ II. — Præfatio ex Regula Magistri.

O homo, primo tibi qui legis, deinde et tibi qui me [c] obscultas dicentem, dimitte alia modo quæ cogitas, et per os meum Deum te convenientem cognosce. Ad quem Dominum Deum ex voluntate nostra per bona acta vel beneplacita justitiæ ire debemus, ne per negligentiam peccatorum inviti rapiamur accersiti per mortem. Ergo auditor qui me audis dicentem, percipe quæ tibi non per os meum, sed per hanc scripturam loquitur Deus, qui te, dum adhuc vivis, convenit [d] de hoc, quod ei post mortem redditurus es rationem. Quia quod adhuc vivimus, ad inducias vivimus; cum nos pietas Dei exspectet quotidie emendari, et meliores vult esse nos hodie quam fuimus heri. Ergo, tu, qui me auscultas, ita intende ut dicta mea et auditus tuus per considerationem mentis ambulando in trivium cordis tui perveniant. [e] In quo trivio unam ignorantiæ peccatorum, post dicta mea veniens, post te relinque, et duas observantiæ præceptorum ante ingredere vias. Et, dum quærimus ad Deum ire, stemus in trivio cordis nostri, et consideremus ipsas duas, quas ante nos scientiæ conspicimus. In quibus duabus viis, per quam ad Deum possumus pervenire, consideremus. Si sinistram tenemus, timemus, quia lata est, ne ipsa sit quæ ducit magis ad interitum. Si dextram corripimus, bene imus quia angusta est et ipsa est quæ diligentes servos ad proprium ducit Dominum. [f] Ergo vacuus vester auditus sequatur eloquium meum : et intellige, tu homo cujus admonemus intuitum, quia te per hanc scripturam admonet Deus, ut modo, dum adhuc vivis, et tibi emendare vacat, curras, quantum potes, ne jam cum accersitus per mortem fueris, nullam Deo in die judicii, vel in pœna æterna excusationem afferas, quod nullus te de emendatione, quoad vixisti, convenerit : et cum ulterius tibi jam succurrere non potueris, in æternum te incipiat sine remedio pœnitere. Ergo amodo, qui audis, observa, antequam de hac exeas sæculi luce. Quia si hinc exieris, non huc reverteris, nisi in resurrectione : et de resurrectione, si hic modo bene egeris, ad æternam cum sanctis gloriam deputaberis. Si autem hanc scripturam, quam tibi lecturus sum, factis non adimpleveris, in æternum ignem gehennæ cum dia-

loniensi, et Colivæi habetur, *lucis viam*. Quæ quidem lectio optima et priori præferenda. Quia cum lux hoc loco vitam significet, ineptum esset dicere, *lucis vitam*, id est, vitæ vitam. Legendum est ergo, *viam*. Et sane hæc præsens vita via est ad vitam futuram. De qua via præclare sane sanctus Columbanus epist. 1 : « Via es mortalium non vita, a peccato incipiens usque ad mortem. » Et paulo post : « Quid ergo es, humana vita ? non vita, vera es enim via : sed non plena; aliis longa, aliis brevis; aliis lata, aliis angusta; aliis læta, aliis tristis; omnibus similiter festinans, et irrevocabilis. Via, inquam, via es, sed non omnibus manifesta es. Multi enim te vident, et pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es, et sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam; interroganda ergo es, et non credenda vita, nec vindicanda; transeunda, non habitanda misera humana vita. Nullus enim in via habitat, sed ambulat; ut qui ambulant in via, ambulent in patria. » Hæc ille. In vulgatis editionibus legitur, *lucis usuram*, sed hæc lectio nullius optimi codicis auctoritate fulcitur, et videtur esse cujusdam correctoris.

[a] *Constituenda est ergo.* Conclusio prologi seu præfationis.

[b] *Participemur.* Ita in utroque cod. ms. Germ. in editione Coloniensi, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum. Vulgo *participemus*.

[c] *Obscultas.* Ita in ms. Regula ejusdem Magistri codicis Corbeiensis.

[d] *De hoc quod.* Lege, ut in Regula ms. cod. Corb., *De hoc de quo*.

[e] *In quo trivio unam*, etc. Subaudi viam. Hæc dicit Magister ea ratione qua olim Prodicus philosophus apud Xenophontem (*Lib.* II *de dictis et factis Socratis*) finxit malitiam et virtutem Herculi in trivio occurrisse, hinc malitiam ei omnia voluptatum genera promisisse, illinc virtutem initio quidem labores et sudores, postea vero gloriam immortalem; at Herculem labores et sudores amplexatum eos voluptatibus prætulisse. Sic pereleganti fictione apud Silium Italicum, lib. XV de Bello Punico, Scipioni sub umbra requiescenti et animo multa versanti ab aere delapsæ læva dextraque astant voluptas et virtus, utraque eum in suam pertrahere sententiam pro virili enitens. Sic enim ait poeta :

Has lauri residens juvenis viridante sub umbra
Ædibus extremis volvebat pectore curas,
Cum subito assistunt læva dextraque per auras
Allapsæ (haud paulum mortali major imago)
Hinc Virtus, illinc Virtuti inimica voluptas.
Altera Achæmenium spirabat vertice odorem
Ambrosias diffusa comas, et veste refulgens
Ostrum qua fulvo Tyrinm diffuderat auro.
Fronte decor quæsitus acu : lascivaque erebras
Ancipiti motu jaciebant lumina flammas.
Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquam
Composita mutata coma : stans vultus, et ore,
Incessuque viri propior : lætique pudoris
Celsa humeros nivea fulgebat stamine palla, etc.

Hæc quidem ex doctrina Pythagoræ, qui hoc trivium effinxerat ad similitudinem litteræ Y, quæ diversam virtutis et voluptatis viam ostendit, de qua Persius sat. 3 :

Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Ausonius, Idillio 16 :

Pythagoræ bivium ramis patet ambiguis, Y.

Herricus lib. I de Vita sancti Germani episcopi Autissiodorensis :

Cumque iter ambivium ramosa ad compita vexit
Proposuitque viam Samio præeunte bicallem.

[f] *Ergo vacuus.* In Regula ms., *Ergo vacivus*, id est qui vacat, optime; ita etiam infra loquitur Magister. Glossæ veteres : *Vacivus εὔκαιρος*, id est opportunus, tempestivus.

bolo, cujus voluntatem magis secutus es, deputaberis. Audi ergo, et age quod est bonum et justum, per quod Deus invenitur propitius. Hæc Regula, quæ tibi ostendit, factis adimple. Quæ Regula ad perficiendum rectum Regulæ nomen accepit, sicut dicit Apostolus in Epistola sua : *Secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos* (*II Cor.* x). Nam Regula veritatis habet initium et justitiæ finem, sicut dicit Propheta : *Reges eos in virga* (*Psal.* II). Hoc est, in timoris vigore, sicut item dicit Apostolus : *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate* (*I Cor.* VI)? Item dicit Propheta : [a] *Virga recta est virga regni tui,* [b] *in qua dilexisti justitiam et odisti iniquitatem* (*Psal.* XLIV). Et iterum dicit Dominus : *Visitabo in virga iniquitates eorum* (*Psal.* LXXXVIII).

A

B

§ III. — Præfatio Ferreoli

[c] Domino sancto et cæterorum comparatione santissimo, et socio apostolorum, Christique discipulo [d] Lucretio [e] papæ Ferreolus episcopus.

[f] Hortatu quorumdam operante Deo, et una devotione accensus; in qua servorum Dei habitaculum ipsa sibi Divinitas collocaret, ipsi terra obtuli aliam terram conferens. Quod deputo sanctæ congregationi, hoc mei donare saluti credo, ut in unum more apum religiosorum turba collecta, dum pro meis plene peccatis orationum suarum flores offerunt, quam dulcia mihi intercessione mella conficiant. Et quoniam necesse fuit novo huic populo velut jugum novæ legis imponi, non quo eorum colla deprimerem, sed ut mentium cervices potius inclinarem; Regulam, quæ ab eis pro lege servetur, licentia a vobis tam petita quam accepta, conscripsimus. In qua si quid severitate durum, si quid remissione mollissimum judicio scientiæ adjudicaveritis, censuram manus vestræ pagina melius inde lecturis placitura, suscipiat. Ut hoc mihi magis gloriæ detur, [g] quod digna inventa est Regula, quam per vos correxistis, fugiendo a facie verecundiæ. [h] Si vero, ut credo, indicium amoris operam veram inflixerit dignæ correctione litteræ, [i] quidquid demum inepti lectio incastigata protulerit erroris, liberum a culpa erit, cum libellum vestræ me constat subdidisse censuræ. Mihi tamen orandum est, ut in primis Deo, deinde vobis illud placeat quod scripsimus, et illis quibus hæc servanda mandamus, ut in nomine Jesu Christi obedientes in omnibus divinis præceptis, æterna ab eis præmia, et gloria sine fine bonæ tantum vitæ empta pretio vindicetur, præstante Domino et Deo nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum. Amen.

[a] *Virga recta est.* Ita in Psalterio Romano.

[b] *In qua dilexisti*, etc. Ita in Regula ms. cod. Corb. et in Concordia ms. Vindocinensi, etsi non ita legatur in Psalterio Romano.

[c] *Domino.* Hæc præfatio nihil aliud est quam epistola dedicatoria, in qua commemorat sanctus Ferreolus monasterium a se ædificatum hortatu quorumdam et regulam monachis conscriptam, quam Lucretii censuræ permittit.

[d] *Lucretio.* Quis sit hic Lucretius episcopus, non adeo exploratum est. Puto tamen hunc esse Lucretium Diensem seu Deensem quondam episcopum Viennensis provinciæ, qui subscripsit conciliis Aurelianensi IV an. 541, Parisiensi II, Lugdunensi II, per Vincentium presbyterum, et Parisiensi IV anno 573, ita ut sedisse videatur plus quam quatuor et triginta annos. Ei mittit Regulam corrigendam sanctus Ferreolus tanquam amico, vel quia monasterium in ejus diœcesi situm erat.

[e] *Papæ.* Id est episcopo, ut ex Sidonio et multis aliis patet, honoris causa : nam papa est nomen honoris, nec papa est simpliciter pater, sed πρὸς πατέρα σεπτικὴ φωνή, inquit Suidas, id est venerationis vox ad Patrem. Dicitur et πάπας pater et Jupiter apud Bithynos. Hac voce utitur Juvenalis sat. 6, significatque nutritium, pædagogum :

C

> Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
> Quæ peperit, timidus prægustet pocula papas.

Glossæ Isidori : *Papas, pædagogus, qui sequitur studentes.* Dicitur et ἄππα pro πάπα, per metathesim apud Suidam.

[f] *Hortatu quorumdam*, etc. Ita emendavi ex alio codice.

[g] *Quod digna inventa est*, etc. Ita restitui quæ erant transposita. *Digna*, id est, bona, congrua : Virg., II Æn.,

> Aut quæ digna satis fortuna revisit.

[h] *Si vero, ut credo, indicium*, etc. Ita emendavi ex alio codice.

[i] *Quidquid demum ineptum*, etc. Ita emendavi hunc locum corruptissimum.

CAPUT III

DE GENERIBUS MONACHORUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum [b] cœnobitarum, hoc est monasteriale, militans [c] sub Regula vel abbate. Deinde secundum

D

[a] *Monachorum.* Quoniam, ut in unaquaque arte sunt quidam cauponatores qui eam adulterant, et, ut aiunt, aquam miscent vino, sic in vita ascetica quidam pseudomonachi reperiuntur qui fucata quadam virtutis specie quosvis simplices et parum cautos

[b] *Cœnobitarum, hoc est monasteriale.* Vide Cassianum, coll. XVIII, cap. 4, et sanctum Hieronymum in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis.

[c] *Sub regula vel abbate.* Ms. Vict. P., *Sub regula vel sub abbate.* Hæc autem conjunctim sumenda sunt, ita ut particula *vel* ponatur pro copulativa. Sic etiam loquitur sanctus Eulogius lib. II, Memorialis sanctorum, cap. 4 : « Qui dudum sub Regula vel abbate se dediderint. » Et ita passim loquitur sanctus Benedictus et auctores in hac Concordia citati. Nec cœnobitæ Regulæ vel abbati seorsim, sed Regulæ et abbati simul subjiciuntur.

nus est anachoretarum, id est, eremitarum, ho- A rum, qui non conversionis [a] fervore novitio, sed tos decipere solent.

> Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
> Quod sit triste habitu vultuque et veste severum.
> (Juven., *sat.* 14.)

Ideo magnus ille vitæ monachicæ magister ac legislator sanctus pater Benedictus prudenter ab ipso limine veros monachos a spuriis et adulterinis discernit, ut hujus vitæ studiosus sciat, quos sequi et amplecti, quos fugere et expuere debeat. Quod spectat ad nomen monachi ita glossæ veteres interpretantur: μοναχὸς, *solitarius*, *singularis*, *monachus*. Consentit Rutilius in Itinerario agens de monachis Capraríæ insulæ, etsi male feriatus ille paganus eos irrideat:

> Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt:
> Quod soli nullo vivere teste volunt.

Et Cassianus coll. XVIII, cap. 5: « A singularis et B solitariæ vitæ districtione nominatos esse, » dicit. Aliter auctor Etymologici veteris, παρὰ τὸ μόνος ἄχει ἔχειν, id est, quod solus doleat, hoc est, solus fleat peccata sua. Sanctus Dionysius Areopagita, lib. de Hier. Eccl., cap. 6, deducit a nomine μονὰς, id est, unitas; quod ex pura Dei servitute, abdicata rerum temporalium diversitate, debeat πρὸς τὸ ἓν ἑνοποιεῖσθαι, καὶ πρὸς ἱερὰν μόναδα συνάγεσθαι, id est, cum eo quod unum est, unum fieri, et ad sacram unitatem aggregari. Ergo monachus ille est qui, quantum in se est, per Dei gratiam ad veræ monadis, quæ Deus est, similitudinem accedit, ac proinde recte a monade nomen sortitur. Præclare autem Deus monas appellatur, quæ, juxta Mercurium Trismegistum, cap. 4, omnium est principium, radix et origo. Quod et multis disputat Nicomachus Gerasenus in opere de Arithmeticis theologicis; qui e contra, ait dyadem, hoc est, binarium esse ignorantiam atque imprudentiam, falsum, permixtionem, dissidium et mortem. Nam C recedit ab unitate et divisionem parit, quam quidem monachus cane pejus et angue odisse debet: quia in monasterio omnia communia sunt: omnibus etiam monachis est cor unum et anima una, si modo veri monachi sunt, et divina charitate conjuncti; imo cum Deo mente conjuncti, qui vera charitas est et unitas, ad quam tendit monachus; qui ideo a dyade discedit, quæ est simultas, dissidium, atque etiam permixtio, ut ait Nicomachus, quæ etiam monacho ad Dei unitatem et simplicitatem tendenti fugienda est. Quod quidem satis nos Christus docuit, cum Martham, quæ turbatur circa plurima, benigne increpans, dixit unum esse necessarium, quod quidem Deus est, vera illa monas et unitas, quam quidem cum Maria tanquam meliorem partem, omnibus, quæ mentem perturbant a se amandatis, omni animi contentione appetere et eligere debet monachus. Sunt et aliæ sanctæ hujus professionis sectatorum denominationes: nam et dicuntur θεραπευταί, a Philone Judæo in libello Therapeutarum et sancto Dionysio capite citato, id est, ministri, qui singulari quadam ratione Deo servire debeant. Sic et olim auctore Julio Polluce lib. I Onomastici, cap. 1, gentilium mystæ οἱ θεῶν θεραπευταὶ appellati sunt. Dicuntur et philosophi a sancto Joanne Chrysostomo in libello de Differentia regis et monachi, a D. Gregorio Nazianzeno orat. 9 et 21, et a multis aliis sanctis Patribus Græcis, quia monachi divinæ sapientiæ studiosi sunt et amatores. Quamobrem sanctus Dionysius Areopagita capite citato monachorum vitam τὴν τελειοτάτην φιλοσοφίαν, id est, perfectissimam philosophiam, appellat. Dicuntur etiam ἀσκηταὶ, id est, exercitatores, apud sanctum Basilium, Maximum, Palladium et alios: quia contentiori studio et animo quam cæteri homines se in omni virtutum genere exercere debent. Hoc nomen sumptum est a ludis gymnicis. Nam olim athletæ ἀσκηταὶ appellabantur, ut docet Julius Pollux lib. III Onomastici, cap. 5. Veri quidem athletæ monachi sunt, qui quotidie adversus cacodæmonis insultus acriter pugnant. Unde et vita monachalis dicitur ἄσκησις, id est, exercitatio. In concilio Gangrensi (*Can.* 12, 15, 17, 18), et a Palladio in prooemio et passim alibi, ἐνάρετος ἄσκησις, id est eximia exercitatio. Atque etiam λαυρῶται dicuntur monachi cap. 3 Prati spiritalis, a voce λαύρα, id est monasterium, de qua paulo post. Appellantur et nonni. A Latinis religiosi per excellentiam. Sanctus Ferreolus in præfatione Regulæ: « Ut in unum more apud religiosorum turba collecta, » etc. Sanctus Hildefonsus, lib. de Viris illustribus, cap. 5: « Aliam vero epistolam ad Turibium religiosum. » Hunc autem Turibium monachum fuisse constat ex Chronico sancti Maximi Cæsaraugustani episcopi. Salvianus, lib. IV de Providentia: « Atque videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum sæculares, non multi etiam religiosi, imo sub specie religionis vitiis sæcularibus mancipati; qui scilicet post veterum flagitiorum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conversatione alii, sed professione, nomen tantum demutavere, non vitam; et summam divini cultus habitum magis quam actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. » Idem lib. III ad Ecclesiam catholicam de filiis qui Deo offeruntur in monasterio a parentibus: « Sed præclarum videlicet, qui hæc faciunt, rationem consilii sui reddunt dicentes: Quid opus est ut filiis jam religiosis æqua cum fratribus suis hæreditatis portio relinquatur? » Et paulo post: « Dicitis: Quid opus est religiosis æquam accipere cum fratribus patrimonii portionem? » Concilium Tarraconense I, can. 1: « Si vero religiosus vel monachus in cella monasterii inclusus pœnitentiæ lamentis incumbat. » Ubi particula, *vel*, exposititie sumitur. Nec locus intelligi potest de clericis, nam paulo ante in eodem canone de illis actum est. Magister, cap. 83 Regulæ suæ: «*Per multorum religiosorum testimonia conventi ab abbate.*»

Hinc religio pro vita monachica. Salvianus, lib. III ad Ecclesiam cathol.: « Id agitis, ut sæculi eos cultores faciatis, quibus sæculares filios antetertis. Quid est enim aliud quam religionem interdicere? » Sanctus Ferreolus, cap. 5 Regulæ: « Si quis veniens ad religionem expetens monasterium, » etc. Sanctus Fructuosus pontifex Bracarensis, cap. 24 Regulæ: « Et multos ex his cognoscimus ob necessitatis imbecillitatem polliceri pactum, non religionis obtentu. » Fructuosus alter, cap. 14 Regulæ: « Quod non ob religionis venerit occasionem. » Servus Dei, cap. 3 Regulæ: « Intus vero tantummodo qui sacram Deo voverint religionem, » etc. Tandem monachi etiam conversi appellati sunt. Salvianus, D lib. IV ad Ecclesiam cathol.: « Et licet de conversorum venerabili choro esse videaris, licet religionem vestibus simules, » etc. Id etiam manifestum est ex Isidoro in libello quem scripsit de Conversis, id est, monachis; quod nomen postea jam satis longo usu devolutum est ad illos fratres seu monachos qui laici etiam appellantur. Mulier vero hujus vitæ cultrix dicitur ἀσκήτρια, ascetria, μονάστρια, monastria. Cod. lege 45, *de episcopis et clericis*, etc. Authentica Justiniani, 124, et apud Manuelem Moschopulum, scheda 3, dicitur et monacha, sanctimonialis, nonna, et barbare, monalis.

[a] *Fervore novitio.* Novitius hoc loco adjective sumitur, ut apud Plautum in Mostellaria:

> Novitium mihi quæstum institui non malum.

[a] monasterii probatione diuturna, [b] qui didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugna-

A re. Tertium vero monachorum [c] teterrimum genus est [d] sarabaitarum, qui nulla regula approbati, [e] experientia [f] magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc operibus servantes sæculo fidem, [g] mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui [h] bini aut terni, aut certe singuli [i] sine pastore

[a] *Monasterii.* Monasterii vocabulum antiquissimum; quod ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio in usu fuit. Nam anti ui illi Esseni et Therapeutæ Alexandrini, quos sancti Patres Christianos fuisse arbitrantur, sua habuerunt monasteria, ut patet ex Philone Judæo in libro de eorum Vita, et in libello de Vita theoretica : Ἑκαστῳ̃ δὲ τῶν θεραπευτῶν ἐστιν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, κ. τ. λ. Singulis therapeutis seu cultoribus est domus sacra, quod semnæum et monasterium appellatur, in quo solitarii venerandæ vitæ mysteria peragunt : ubi hæ voces pro cellulis sacris sumuntur. Ubi et nota B σεμνεῖον idem esse quod monasterium, ut etiam videre est apud Suidam et Moschopolum scheda. 3. Σεμνεῖον, τὸ μοναστήριον. Habet et alias appellationes, dicitur μονὴ in concil. Constantinop., can. II, et apud sanctum Antiochum in lemmate epistolæ ad Eustachium. *Monachium* Codicis lege *Generali*, de sacrosanctis ecclesiis, etc. ἀσκητήριον, noveila Justiniani 105, et apud Palladium passim, id est exercitatorium et Latine etiam usurpatur. Asceterium apud sanctum Eugenium, epist. ad Willisindum episcopum Pampilonensem. Dicitur et φροντιστήριον apud D. Gregorium Nazianzenum, orat. 21, quod ibi maxime cura salutis geratur. Appellatur et λαύρα apud Joannem Moschum, cap. 3 et 4 multisque aliis, et sanctum Antiochum in epist. ad Eustathium non semel. Estque proprie angustum et parvum monasterium, ut notat Suidas : Λαύρα ἡ στενὴ κατοικία τῶν μοναχῶν, id est angusta monachorum domus. Indifferenter tamen sumitur pro quovis monasterio, ut notum ex C Moscho et Antiocho supra citatis. Dicitur et cella, ut infra probabitur : atque etiam cœnobium a communi monachorum vita. Hanc tamen differentiam inter cœnobium et monasterium Cass. coll. XVIII, cap. 10, refert. Monasterium est diversorii nomen, nihil amplius quam locum, id est, monachorum habitaculum significans; cœnobium vero ipsius professionis qualitatem disciplinamque designat. Monasterium potest esse unius monachi habitatio, id est, cella, cœnobium tantum plurimorum. Antiquum sane vocabulum cœnobium est, notumque olim Pythagoræ et ejus sectatoribus apud Agellium, lib. I, cap. 9 : « Sed id quoque non prætereundum est quod omnes simul qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæque habebant, in medium dabant : et coibatur societas inseparabilis. Tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re atque verbo Romano appellabatur κοινόβιον, id est, contubernium. » D Sed locus corruptus. Nam quid τὸ *in re* sibi velit non video, quemadmodum nec illud quod κοινόβιον appelletur verbo Romano, cum Græcum sit. Itaque hunc locum ita castigandum puto : *Quod Græce atque verbo Romano appellabatur* κοινόβιον *et contubernium.* Græce quidem κοινόβιον et Latine contubernium. Hujus autem communis inter Pythagoricos vitæ meminit Diogenes Laertius lib. VIII in Vita Pythagoræ : καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατέθεντο τὰς οὐσίας εἰς ἓν κοινωνίας. Id est, ipsius discipuli facultates in unum deponebant, communesque faciebant.

[b] *Qui didicerunt.* Τὸ *qui* redundat, quia antea habetur. Anachoretæ seu Eremitæ prius in cœnobio exerceri debent quam in solitudinem transeant, ubi nullus est vitæ spiritalis præceptor. Ita etiam docet Cassianus capite citato : « Secundus anachoretarum, qui prius in cœnobiis instituti, jamque actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta. » Sanctus Hieronymus in epist. ad Rusticum : « Sed de ludo monasteriorum hujusmodi volenti egredi militiæ, quos eremi cura rudimenta non terrent, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint ultimi, ut primi omnium fierent. » Sanctus Isidorus, lib. VI Origin. cap. 13 : « Sunt qui post cœnobialem vitam deserta petunt, et soli habitant per desertum. » Idem videre est apud Cassiodorum, lib. de divinis Lectionibus, cap. 29.

[c] *Teterrimum.* Ita apud Papiam mox citandum. In cod. ms. S. Germ. et apud Cassianum coll. XVIII, c. 7, legitur, *Deterrimum.*

[d] *Sarabaitarum.* In Apologia Henrici IV, imperatoris, ubi hic locus citatur, legitur; *sambaitarum*, id est *sibi viventium.* Lectio quidem vix alibi reperitur, optima tamen interpretatio. Nam sarabaitæ sibi vivunt, semetipsos a cœnobiorum congregationibus seqnestrantes, et ideo Ægyptiæ linguæ proprietate sarabaitæ nuncupati sunt, inquit Cass. cap. citato. Unde in glossis anonymis : *Sarabaitæ lingua Ægyptiaca dicuntur renuitæ, qui refutant abbatem haberę.* Ubi, *refutant*, est, recusant. Recte, quia, qui renuunt abbatem habere, sibi vivunt et suo arbitrio. De sarabaïtis hunc sancti Benedicti locum profert Papias, sed mutilum et ex Regula corrigendum. In serm. 21, ad fratres in eremo, dicitur, ejusmodi homines esse hypocritas porcorum vel boum pellibus succinctos, in Ægypto, in foraminibus petrarum habitantes; qui cincti funibus palmarum spinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas nudis pedibus et C cruentatis ad festum Scenopegiæ Hierosolymam veniunt, et ejusmodi fictæ pietatis quadinatione pecunias corradunt, ut ad sua reversi sevino et cibis ingurgitent : quæ quidem auctor hujus sermonis se a sancto Hieronymo per epistolam accepisse asserit. Sed hæc esse fictitia nemo est qui non videat, maxime cum hic sermo et alii huic similes ad fratres in eremo non sint sancti Augustini (*Vide Bellarmin. de Script. eccles.*); nec Cassianus aliique scriptores, et sanctus Hieronymus quid simile de sarabaïtis scripserint; cum etiam tunc non staret templum Judæorum, nec sancta sanctorum, in quæ tamen ejusmodi auctor scribit solitos fuisse ingredi sarabaïtas in festo scenopegiæ.

[e] *Experientia.* Lege, *Et experientia*, ut in Regula ms. Magistri.

[f] *Magistra.* Ita communiter et in Regula ms. Magistri. At in mss. cod. Ebrulphi S. Germ. ma., S. Viet. P. cum Smaragdo et editione Coloniensi habetur, *Experientia magistri.* Quæ quidem lectio non est contemnenda. Nam sarabaïtæ arguuntur a sancto Benedicto quod sint sine pastore.

[g] *Mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Per tonsuram Deo mentiuntur sarabaïtæ, quia non resecant superfluos appetitus, cujus resectionis signum est tonsura; et quia etiam tonsura se monachos fingunt, cum sæculi moribus vivant.

[h] *Qui bini aut terni.* Divus Hieronymus epistola citata agens de Romoboth pseudomonachis : « Hi bini aut terni, nec multo plures simul habitant. »

[i] *Sine pastore.* Cassianus coll. XVIII, cap. 7, de sarabaïtis : Cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subjiciuntur arbitrio : aut eorum traditionibus instituti discunt vincere voluntates, nec ullam sanæ discretionis regulam. » Sanctus Hieronymus, epist. supra citata : « Non patiuntur se alicui esse subjectos. »

non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas : cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum ; et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum genus est monachorum quod nominatur [a] gyrovagum, [b] qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, nunquam stabiles et propriis voluptatibus et gulæ illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis. [c] De quorum omnium horum misera conversatione melius est silere quam loqui. His ergo omissis ad cœnobitarum [d] fortissimum genus disponendum, Domino adjuvante, veniamus.

§ II. Ex Regula Magistri *De generibus monachorum.*

[e] Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum cœnobitarum, hoc est, monasteriale, militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum, id est eremitarum, qui non conversationis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, [qui] didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare, et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum [f] cum Deo et spiritu [g] repugnare sufficiunt. Tertium vero monachorum deterrimum genus est sarabaitarum, quod melius adhuc laicum dixissem, si me propositi sancti non impediret censura. Qui nulla Regula approbati, et experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc [h] factis servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni certe singuli sine pastore non Dominicis sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas : cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Et dum in proprio arbitrio quærunt habere [i] cellas et [i] rescellas, ignorant quia perdunt suas animellas. Simul et ii, qui nuper conversi immoderato fervore eremum putant esse quietem : et non putantes insidiari et nocere diabolum, singularem cum eo pugnam indocti et securi invadunt, sine dubio inducti lupi faucibus occursuri. Quartum vero genus est monachorum nec nominandum, quod melius tacere quam de talibus dicere. Quod genus dicitur gyrovagum, qui totam vitam suam per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas et monasteria hospitantes ; cum pro hospitum adventu a diversis volunt quotidie noviter suscipi, et pro gaudio supervenientium exquisita sibi pulmentaria adparari, et animantia pullorum sibi curant quotidie a diversis hospitibus pro adventu cuiuslibet occidi, gravare se ita diversos non credunt, commutando quotidie hospites [k] pro adventu novitatis sub importuna charitate diversos conantur sibi praeparare diversa ; et velut ab invito a diversis hospitibus exigentes præceptum Apostoli, in quo dicit : *Hospitalitatem sectantes* (*Rom.* XII), per occasionem præcepti inquietos sibi pedes post viam fomentari expostulant, per occasionem itineris intestina sua latiori cœna vel prandio inquinata infinitis poculis magis quam pedes desiderant. Et post exinanitam a famelico hospite mensam et miculas ipsas panis post viam detersas sitim suam sine verecundia hospiti ingeratis, si calix his casu defuerit, rogatur hospes in ipsa patella ut misceat. Et postquam ex utraque parte nimietate cibi et potus percalcatiusque ad vomitum hucrint, totum laboriosæ viæ imputant quod gula lucravit. Et antequam novus lectus lassum a potionibus magis, vel ab escis, quam a via hospitem suscipiat, laborem suæ viæ pro magno hospiti enarrantes, dum mercedem repausationis largioribus pulmentariis et infinitis poculis hospitem sibi cogunt [l] largire, rationem erroris sui per peregrinationem et capitivitatem celando excusant. Et mox de vicinis monachis

[a] *Gyrovagum.* Hujusmodi monachis plenus est mundus, qui et dicuntur circumcelliones ; de quo vocabulo infra. Hi sunt pseudo-eremitæ, palliata mendicabula, qui urbes et pagos obambulant, ut ventrem et marsupium impleant ; quales erant olim illi Ἐρημῖται μελανειμονοῦντες καιφαλὰς κομῶντες, id est nigra veste induti, criniti ; quos sexta synodus, can. 42, in monasteria aut in solitudinem amandari jubet.

[b] *Qui tota vita sua.* Codices Victorini, *qui per totam vitam suam.*

[c] *De quorum omnium.* Cod. S. Ebrulphi, *de horum omnium.*

[d] *Fortissimum genus.* Cœnobitarum genus dicitur ortissimum, quia cœnobitæ multorum solatio adjuti facilius diabolum vincere possunt.

[e] *Monachorum.* Initium hujus capitis sumptum est ex Regula sancti Benedicti usque ad illa verba : *et dum in proprio arbitrio*, ut pleraque alia ejusdem operis.

[f] *Cum Deo et Spiritu.* In Regula sancti Benedicti, *Deo auxiliante.*

[g] *Repugnare.* Ita in Regula ms. Magistri cod. Corb. In Regula sancti Benedicti, *pugnare.*

[h] *Factis.* In Regula sancti Benedicti, *operibus.*

[i] *Arcellas.* Arcella est arca. Glossæ veteres : *Arca et arcella*, κιβωτὸς, κάμπτα ; utitur Cæsarius Arelaten., cap. 36 Regulæ : *et claves de arcellis* : dicitur et arcellula. Gregorius Turonensis, lib. X Hist., c. 16, *Si quis earum arcellulas scrutaretur.*

[i] *Rescellas.* In Regula ms. Magistri, *recellas.* Rescellæ sunt panni et vestes exiles. Pelagius, lib. X de Vitis Patrum, n. 76, « Pro his utor his viles rescellas. » Dicuntur et reculæ. Apuleius lib. IV Milesiæ fabulæ : « Quid, oro, paupertinas pannosasque reculas miserrimæ anus donas vicinis divitibus. » Dicuntur et reiculæ et recellulæ, sumunturque etiam pro ornamentis et supellectile. Legis Burgundionum, tit. 14, § 6, « Nisi forsitan quid ex matris bonis, id est in recellulis et ornamentis, etc., » lib. VIII Capitul. Caroli et Ludovici, tit. 192 : « Qui reiculam ecclesiæ petunt a regibus. » Sunt etiam res quælibet exiguæ aut parvi momenti

[k] *Pro adventu novitatis.* Id est pro adventu novi, phrasis Hebraica.

[l] *Largire.* Ita in Regula ms., pro, *largiri.* Sic veteres aliquando locuti sunt.

Sanctus Columbanus in Monasticis :

Non perdit pietas quidquid largire videtur.

Idem infra dixit, ulciscere pro ulcisci :

Injuriasque tuas in fratrem ulciscere noli.

aut monasterii positione interrogant; ubi cum inde [a] levaverint, [b] ponant vel applicent, velut lassi et quasi quibus jam universus clausus sit mundus, et ex toto eos nec loca, nec silvæ, nec lata ipsa Ægypti eremus capiat, nec universa monasteria ad servitium Dei eos suscipiant; et eos, ut diximus, totus mundus non capiat: inde se dicunt juste errare, et ex toto locum repausationis et refrigerium animæ et integram se observationem disciplinæ nusquam posse se invenire: quasi dicant se ita multum sapientes, ut totum ipsis solis displiceat, quidquid Deo et hominibus placet. Ideoque magis eligunt ambulare, et noviter per diversos hospites mutatos, et varias refectiones; ut per occasionem sitientis viæ repropinata pocula sumant. Hoc ergo agunt, ut gulæ suæ magis quotidie peregrinari videantur quam animæ. Et cum eis post biduum ad unum hospitem apparatus ipse in pulmentariis jam minuendo subducitur, et mane, alia die, facto, cum non ad refectionem coquendam, sed ad laborem cellulæ suæ viderint hospitem occupari, mox quæri sibi alium hospitem placet. Tunc vale festinant, quasi ab aliquo impellantur, quasi eos jam exspectent aliorum hospitum prandia præparata; et non longe ab ipso monasterio si cellam invenerint monachi repausantes dicunt se a finibus advenire Italiæ, et noviter aliquid de peregrinatione aut de captivitate, et ipsi hospiti quasi humili et inclinato capite mentientes cum proprietate longi itineris cogunt pii hospitis totam paupertatem in [c] cacabis et in mensa exinaniri: sine dubio et ipse hospes nudus, et a [d] glutonibus exinanitus post biduum relinquendus. Et cum post triduum et ipse et cella ejus et mores et ejus displicuerit disciplina: et cum subducta eis post biduum ab eo minus exhibuerit mensa, mox et ipse reconsignare [e] bisacias cogitur, quam diversorum hospitum jam panes tosti impleverant: cum in diversorum hospitaliis in mensis recentes sumunt, illos servantes cogunt mucidare. Ergo postquam eis bisaciæ consignantur, mox et de pastura miser asinus revocatur, cui post recentes viæ labores misera pastura placuerat, si domino ejus hospitalis non displicuisset in biduo: et noviter [f] restratus, et diversis tunicis et cucullis resarcinatus, quas aut importunitas a diversis exegerat, aut inventa occasio fraudis diversos hospites nudaverat, et ut alios petant, fingunt se pannos advestiri; et vale et ipsi hospiti dicentes, adhuc non venerunt, et jam vadunt, cum ad alia jam hospitalia in animo invitantur. Cæditur, pungitur, ustulatur, [g] lordicat miser asellus, et non vadit, vapulant aures ejus, postquam clunes defecerint. Ideo perocciditur et manibus lassus impingitur: quia festinatur et satagitur, ut ad alterius monasterii prandium occurratur. Et cum pervenerint ad alterius monasterii aut monachi [h] regias, ita hilari clamosa voce deforis, [i] *Benedicite*, clamant: et quasi jam illum calicem in manum acceperint, quem mox ingressi monasterium pro siti sunt petituri: et intrantes regias adhuc non nuntiati et suscepti [j] excarricant; et quasi pro aliquo debito aut ex alicujus delegatione ibi adveniant. Ante intus bisaciæ porriguntur, quam hospes suscipitur, et non prius ad oratorium festinatur, nisi pro labore desiderandi vini per occasionem viaticæ sitis, ut tu pro charitate hospiti vinum porrigas, ab illis sic manu aqua exposcitur. Hi enim tales cum ipsi jejunia ambulando ignorant, et ad quoscunque supervenerint jejunantes, aut superventu hospitali cogunt eos jejunia frangere, aut non erubescunt sua voce hoc eis dicere, magis eos propter avaritiam jejunare, ut non velint hospitem recreare post viam. Et post vagam suæ consuetudinis gulam cogunt perseverantium jejunia violari: et nesciunt,

[a] *Levaverint.* Supple *se.*

[b] *Ponant.* Id est, quiescant, cessent, ambulare videlicet. Nonnius, cap. 4, *ponere, desinere. Virgilius, lib.* VIII:

Cum venti posuere.....

[c] *In cacabis.* Cacabus est olla. Varro, lib. IV de Lingua Latina: «Vas ubi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt.» Sanctus Isidorus, lib. XX Orig., cap. VIII: «Cacabus et cucuma a sono fervoris cognominantur; sed utrum Latini a Græcis, an Græci a Latinis hæc vocabula sumpserint, incertum est.» Tamen dubium non est quin cacabus a Græco deducatur. Nam Κακάβης, apud Athenæum lib. IV, ex Aristophane et Antiphane est χύτρα, id est olla; apud auctorem veteris Etymologici dicitur: κακκάβη σκεῦος πρὸς ἕψησιν ὑπιτηδειον, id est vas aptum ad coquendum. Vide Pollucem, lib. X, cap. 24.

[d] *Glutonibus.* Gluto est gulosus, vorax, Gall. *Glouton.* Glossæ veteres Latino-Græcæ: *Gluto*, λίμβος. Glossæ Græco-Latinæ, λίμβος, *lingurius*, id est liguritor, gulosus. Sanctus Isidorus, lib. X Originum, *Glutto, a gula, id est gulosus*, Glossæ Isidori, *Ardalio, glutto, vorax, manduco*, a nomine glutum, id est, guttur. Eædem Glossæ: *guttur, guttum.*

[e] *Bisacias.* Bisacia, seu potius bisaccia, est manica hinc inde ex humero pendens mendicantium usui apta. Papias. *Bisaccia, sarcina, muntica.* Gallice, *Besace.*

[f] *Restratus.* Id est, veteribus laciniis abjectis, novis et melioribus instratus.

[g] *Lordicat.* Infra eodem capite: *lordicando.* Lordicare est dorso incurvato incedere. Græce λορδὸν ὑπόκυρτον, id est incurvatum, λορδὸς, curvatus, ligno innixus, corpore pendens, notat Suidas. Unde Gallice *lourdaud*, qui non recte incedit, facile impingit, ineptus ad omnia. Et, *lourd*, id est grave, ponderosum, quia dorsum incurvat gestantis. Lordicat ergo Gyrovagus, cum incurvato dorso incedens se valde fessum esse simulat.

[h] *Regias.* Regia est janua, de quo vocabulo infra.

[i] *Benedicite clamant.* Mos fuit monachorum, ut adveniens hospes ab hospite benedictionem peteret. Vita sancti Onufrii, cap. 8: «Appropiavi volens sciscitari si forte quispiam intus maneret, secundum consuetudinem monachorum clamare cœpi, benedictionem humillime petii.»

[j] *Excarricant.* Supple *se.* Excarricare est exonerare, onus deponere. Magister, cap. 91 Regulæ: «Excarricato de se onere facultatum,» a verbo *carrico*, id est onero. Glossæ Arabico-Latinæ dictæ: Carrico, onero. Rufinus, lib. III de Vitis Patrum, n. 73: Stetit ergo, et ipse tanquam peregrinus carricavit animal.» Lib. V legis Wisigothorum, tit. V, l. 2: «Sin autem nimium cædendo vel fasces carricando, aut quocunque onere, vel percussione mortuum fuerit.»

quia, ut eis non liceat jejunare aut abstinere; aut [a] aliquo [nesciant] aliquando loco stare, non eos aliqua ambulare compellit necessitas, sed gulæ cogit voluntas; cum securi et supervenientes alieni laboris quærunt panes comedere, et diversorum lectis peregrinis straminibus sudores suos amant abstergere. In quibus straminibus cum indigesti per crapulam cibi et potus cupiunt satisfacere somno, vel [b] cum quando occupationem gulosæ ambulationis psalmos aliquando neglexerint meditari, ipsorum ore respondent se lassis post viam ossibus non posse de lecto surgere, cum visi fuerint sani in mensa serotina manducare. Mox matutinorum expleto opere Dei surgunt velut gementes et lassi. Sic primo mane calefacti mero, petito panis fragmento ficti ægroti succos desiderantes monasteria ipsa aut cellas false exeunt lordicando defecta infirmitate, [c] absconse securi, quod sanitatis gressus sint, ab ipso limine reformantes. [d] Nam sibi nolunt sub imperio monasterii abbatem de omnibus necessariis cogitare, vel ipsi alicubi suo viventes arbitrio facta cellula persistendo [vel ipsi] [e] sibi necessaria vitæ debuerant cogitare. Et, si nostra illis displicet vita, vel suam nobis ostendant formam. Unde nunquam persistentes [f] acti sunt quotidie ambulando mendicare, sudare, et gemere, quam uno loco stando laborare, et vivere, quotidie noviter diversorum cellas, ut humiles intrant hospites solo capite inclinati. Deinde superbi et velut ingrati post biduum migraturi, et veluti quibus diversorum vita et actus et omnium monasteriorum disciplina non placeat, eligunt magis ambulare quam sistere. Qui per diversa semper vagando ignorant apud quem tædia sua suscipiant; et, quod est ultimum, nesciunt ubi suam constituant sepulturam. Unde ergo magnum existimantes primum genus cœnobitarum, cujus militia vel probatio voluntas est Dei, ad ipsorum Regulam revertamur.

Fratres, clamat nobis quotidie Dominus dicens: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I). Conversio ergo nostra ad Deum, fratres, non aliud est nisi a malis reversio, dicente Scriptura: *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII). A quibus autem dum avertimur, Dominum intuemur; et ille nos statim illuminans suo vultu, donans nobis adjutorium suum, mox gratiam suam petentibus tribuit, quærentibus ostendit, pulsantibus patefacit. Hæc tria Domini dona concessa ipsis conveniant, qui Dei voluerint, non suam facere voluntatem. Quia aliud nobis Dominus in spiritu imperat, aliud caro cogit in anima: et quis a quo victus fuerit, ipsius servus est. Ecclesiæ suæ namque Dominus secundum Trinitatis nomen tres gradus doctrinæ constituit, primum prophetarum, apostolorum secundum, doctorum tertium; sub quorum imperio vel doctrina Christi regerentur ecclesiæ, vel scholæ, ut pastorum vice sanctis ovilibus divinas oves et cludant et doceant, dicente Domino per [g] Isaiam prophetam: *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina.* Ipso Domino dicente: *Simon Joannis, pasce oves meas* (*Joan.* XV). *Docens servare ea quæ mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Ideoque omnes quibus adhuc insipientia mater est expedit sub unius esse potestate majoris, ut doctoris arbitrio ambulantes iter voluntatis propriæ discant nescire. Per doctorem enim nobis imperat Dominus. Quia sicut dixit superius, cum ipsis doctoribus est semper omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; sine dubio non aliud, nisi nos ædificaturus per eos, dicente ipso Domino discipulis suis doctoribus nostris: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (*Matth.* X). Ergo si quæ a doctoribus audivimus, et facimus non jam quæ volumus exercemus; ut in die judicii nihil habeat in nobis quod secum diabolus vindicet in gehennam, [h] quando in nobis egit Dominus quod [i] judicaret ad gloriam.

§ III. — Ex Regula sancti Basilii episcopi.

[j] Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata Dei contemnunt vitam ducere, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujuscemodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an vero cum fratribus ejusdem proposito et ejusdem animi vitam sociare.

In multis utile esse video vitam communem ducere cum his qui ejusdem voluntatis sunt atque propositi. Primo quod etiam ad usus corporales victusque ministerium unusquisque nostrum solus sibi non sufficit, et ideo pro his quæ ad ministerium vitæ nostræ necessaria sunt, [k] invicem opera nostra egemus. Sicut enim [l] hominis pes in alio quidem suis

[a] *Aliquo nesciant.* Ita in Regula ms., sed *Tò nesciant* redundat.

[b] *Cum quando occupationem.* Lege, *cum quidam per occupationem.*

[c] *Absconse securi quod sanitatis gressus sint*, etc. Lege *absconse securi quod sani sint, gressus ab ipso limine reformantes; absconse*, id est apud se.

[d] *Nam sibi nolunt.* Lege *nam, cum sibi nolunt.* Ita in Regula ms., et tunc sensus clarus est.

[e] *Vel ipsi sibi.* Hæc verba, *ipsi sibi*, redundant, quamvis in Regula ms. reperiantur.

[f] *Acti sunt.* Ita in Regula ms. habetur, id est coacti sunt. Nonnius Marcellus, cap. 4: *Actum, coactum, territum Virgilius lib.* VI:

Prodigiis acta cœlestibus ossa piabunt.

[g] *Per Isaiam prophetam dabo vobis.* Ita in Regula ms. Hic locus non exstat apud Isaiam, sed reperitur Jeremiæ III, de quo infra.

[h] *Quando.* Id est *siquidem* Servius in VI Æneid. *Quando, si quidem; nam conjunctio est, non adverbium.*

[i] *Judicaret.* Cod. Vind., *vindicaret*, satis recte.

[j] *Quia ostendit.* Hæc habentur apud sanctum Basilium, interrog. 7 Regularum fusius disputatarum, et apud Rufinum interpretem, cap. 4, cujus interpretatione utitur auctor noster in hoc libro. Hoc autem sancti Basilii caput profertur, quia sanctus Pater Benedictus cœnobitarum genus fortissimum appellat. Passim autem quædam lineæ hic et in Regula edito desiderantur, quæ habentur in textu Græco.

[k] *Invicem.* In Rufino edito additur, *homines.*

[l] *Hominis pes.* Tò *hominis* non reperitur apud Rufinum nec in textu Græco.

viribus utitur, in alio vero indiget alienis, et sine adjumento cæterorum membrorum [a] nec sufficere suis viribus potest; ita etiam vita solitaria mihi pati videtur, cum neque quod ei inest utile, esse; neque quod deest, aliquid possit acquiri. Præter hoc autem nec ratio quidem charitatis unumquemque permittit, quod suum est, quærere, dicente Apostolo : *Charitas non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII). Deinde sed nec culpas quidem suas unusquisque ac vitia dignoscit; cum, qui arguat, nemo sit : et facile hujusmodi homini accidere potest illud quod scriptum est : *Væ soli, quia si ceciderit, nemo est alius, qui erigat eum* (*Eccl.* IV). Sed et mandata a pluribus quidem facilius adimplentur; ab uno vero, dum unum videtur impleri, aliud impeditur. Ut puta quomodo solus quis visitabit infirmum, aut quomodo suscipiet peregrinum ? Si vero omnes corpus sumus Christi, singuli autem alterutrum membra per consonantiam, velut in unius corporis compagem in Spiritu sancto aptari et conjungi debemus ad invicem. Quod si unusquisque nostrum solitariam eligat vitam, scilicet non ab aliqua causa, vel ratione, quæ Deo sit placita, vel quod ad communem cæterorum pertineat dispensationem, sed propriæ voluntati et passioni satisfaciens : quomodo possumus discissi, et divisi adimplere, et integram assignare membrorum ad se invicem consonantiam ? Iste enim talis neque cum gaudentibus gaudet, neque cum flentibus flet : quoniam quidem separatus ac divisus a cæteris, neque cognoscere quidem necessitates poterit proximorum. Tum deinde nec sufficere potest unus ad suscipienda omnia dona Spiritus sancti : quia secundum uniuscujusque mensuram fidei, et donorum spiritalium distributio celebratur, ut id quod per partes unicuique distributum est, rursum tanquam membra ad ædificationem unius corporis coeat et conspiret : *Alii enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii prophetia, alii gratia sanitatum*, etc. (*I Cor.* II). Quæ singula utique non tam pro se unusquisque quam pro aliis suscipit ab Spiritu sancto. Et ideo necesse est uniuscujusque gratiam, quam susceperit a Spiritu Dei, in commune prodesse. Accidit ergo ut is qui remotus vivit, et separatus unam quamcunque suscipiet gratiam, et hanc ipsam inutilem faciat, dum nihil per eam operatur, sed effodit eam in semetipso : quod cujus et quanti sit periculi nostis omnes qui legitis Evangelium. Si autem cæteris communicat gratiam, et ea ipsa perfruitur proprie quam ipse suscepit, et multiplicatur in eo dum communicatur et cæteris, et ipse nihilominus perfruitur gratia reliquorum. Habet autem et alia quam plurima bona communis vita ista sanctorum, quæ non est nunc possibile omnia dinumerare. Interim, ut diximus, ad conservanda sancti Spiritus dona commodior est multo quam si degamus in solitudine. Sed adversus insidias inimici, quæ extrinsecus inferuntur, multo cautior est et utilior societas plurimorum; ut facilius suscitetur e somno si quis forte obdormierit somnum illorum qui ducit ad mortem. Sed et delinquentis delictum suum facilius apparebit, cum a pluribus vel arguitur, vel notatur, secundum quod et Apostolus ait : *Sufficit ei qui et ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus* (*I Cor.* II). Sed in oratione non parvum emolumentum a pluribus nascitur cum consensu et unitate orantibus, ut ex multorum personis per gratiam, quæ in nobis est, Deo gratiæ referantur. [b] Sed et interdum periculo proxima est vita solitaria. Primo quidem illi periculo subjacet, quod certe gravissimum est, in quo ipse sibi placet, et neminem habens qui possit opus ipsius probare, [c] videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Tum deinde sine ullo exercitio degens, neque quid sibi vitii abundet, neque quid virtutis desit, agnoscit. Neque discretionem habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis exclusa sit. In quo enim humilitatem suam probabit, neminem habens cui se humilem debeat exhibere ? Ad patientiam vero quomodo seipsum exercebit, nullum habens qui videatur ejus voluntatibus obviare ? Si quis autem dicat sufficere sibi Scripturæ doctrinam et apostolica præcepta ad emendationem morum vitamque formandam, simile mihi aliquid videtur iis qui semper fabrile artificium discunt, nunquam tamen fabri faciunt opus; vel his qui instructorum artem semper docentur, nunquam tamen ædificandæ domus operam dabunt. Ecce enim et Dominus non existimavit sufficere sibi solam verbi doctrinam, sed et opere ipso voluit nobis tradere humilitatis exempla, cum præcinctus linteo lavit pedes discipulorum suorum. Tu ergo cujus pedes lavabis ? quem curabis officiis ? cujus inferior aut ultimus eris, cum solus vivas ? Sed et illud quod dicitur bonum et jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII), quod unguento pontificali de capite in barbam descendenti Spiritus sanctus comparavit, quomodo in solitaria habitatione complebitur ? Studium namque est quoddam et apostolica præcepta ad emendationem morum vitamque formandam, in quo per virtutis exercitium proficitur, in quo meditatio divinorum mandatorum effulget amplius et clarescit. Hæc communis inter se unanimorum fratrum habitatio habet in se illam similitudinem et exemplum, quod in Actibus apostolorum refert de sanctis Scriptura

[a] *Nec sufficere suis viribus potest.* In textu Græco additur : πρὸς διακονίαν, id est, ad diuturnum tempus, quod quemadmodum hic, sic apud Rufinum desideratur.

[b] *Sed et interdum periculo proxima est*, etc. Quæ hic dicuntur de vitæ solitariæ professoribus, tantum de his qui illotis, ut aiunt, manibus et in nulla cœnobii palæstra antea exercitati ad hanc vitam accedunt, intelligenda sunt.

[c] *Videbitur sibi ad summam perfectionem venisse.* Quod unicum est ulterioris progressus in virtute impedimentum. Quod præclare notat Seneca lib. de Tranquillitate animi : « Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse, nisi quædam in se dissimulassent, quædam apertis oculis transilissent. Non est enim quod nos magis aliena judices adulatione perire quam nostra. »

divina dicens : *Quia omnes credentes erant in unum, et habebant omnia communia* (*Act.* II).

§ IV. — Dicta sancti Hieronymi.

[a] Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum : ut [b] ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam; unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat quod vult, comedat quod jubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult, lassus ad stratum veniat ambulansque dormitet, nec demum expleto somno, surgere compellatur; passus injuriam taceat; præpositum monasterii timeat ut dominum, diligat ut parentem; credat sibi hoc esse salutare quidquid ille præceperit; nec de majoris sententia judicet, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse : *Audi, Israel, et tace* (*Deut.* XXVII). Quidam profitentur se renuntiare sæculum vestimentis et vocis professione, qui nihil de pristina conversatione mutantes, res familiares magis augent quam minuunt. Eadem ministeria servorum, idem apparatus convivii, et inter turbas et examina ministrorum nomina sibi vindicant solitarii. Plerique monachi [c] artibus et negotiationibus pristinis carere non possunt. Plerique non victum et vestitum, quod Apostolus præcipit, sed majora, quam sæculi homines, emolumenta sectantes, sub religionis titulo exercent injusta commercia, et plenis sacculis moriuntur divites, qui quasi pauperes vixerant.

§ V. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 1).

[d] Solent enim nonnulli ob metum gehennæ in suis sibi domibus monasteria componere, et cum uxoribus, filiis, et servis atque vicinis cum sacramenti conditione in unum se copulare, et in suis sibi, ut diximus, villis ex nomine martyrum ecclesias consecrare, et eas falso nomine monasteria nuncupare. Nos tamen hæc non dicimus monasteria; sed animarum perditionem et Ecclesiæ subversionem. Inde surrexit hæresis et schisma, et grandis per monasteria controversia; et inde dicta hæresis, eo quod unusquisque, suo quod placuerit arbitrio, eligat; et quod elegerit, sanctum sibi hoc putet. Hos tales ubi repereritis, non monachos, sed hypocritas et hæreticos esse credatis. Et hoc optamus, et hoc omnino sanctitatem vestram quæsumus cum talibus nullam conversationem jubemus habeatis, neque imitemini eos. Et quia suo arbitrio vivunt, nulli seniorum volunt esse subjecti. Et nihil de propria substantia pauperibus erogant, sed adhuc aliena, quasi pauperes, rapere festinant, ut cum uxoribus et filiis [e] plus quam in sæculo erant lucra conquirant. Et hæc faciendo de perditione animarum non curant, ut non animarum, sed corporum plusquam sæculares homines emolumenta habeant, et pro suis pignoribus more luporum doleant, et de die in diem non retro acta peccata plangant, sed cum scandalis semper studio rapacitatis anhelant, et non de pœna futura cogitant, sed unde uxores et filios pascant, acrius anxiantur. Et cum ipsis vicinis, cum quibus prius se juramentis ligaverant, pro hoc tepefacti cum grandi jurgio et discrimine se ab invicem separant : et res suas, quas ante per charitatem expendendas communiter miscuerant, non jam simpliciter, sed cum exprobratione unus alteri raptat. Quod si alicui ex illis imbecillitas apparuerit, propinquos, quos in sæculo reliquerunt, cum gladiis et fustibus et minis adjutores adducunt. Et qualiter hæc disrumpant, in prima dudum conversatione excogitant. Et [f] vulgares et ignari cum sint, talem abbatem sibi præesse desiderant, ut ubi se voluerint convertere, [g] quasi cum benedictione suas voluntates faciant, et quidquid eis placuerit dicere, dicant. Et alios more instigationis dijudicant, et [h] servos Christi dente canino dilaniant. Et hoc agunt ut semper cum *sæcularibus* et hujus modi principibus commune consortium habeant, et amatores mundi cum mundo diligant, qualiter immundi cum mundo pereant. [i] Tali [se] sæpe exemplo taliter alios vivere invitant. De talibus Dominus in Evangelio ait : *Cavete a falsis fratribus qui veniunt ad vos in vestibus ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos, quia non potest arbor mala fructus bonos facere* (*Matth.* VII). In fructu operationem dixit, in foliis tores haud dissimiles sunt iis de quibus agit synodus Constantinopolitana prima et secunda, qui suis possessionibus monasterii nomen imponebant, se eas Deo consecrare profitentes, sacratarum rerum dominium usurpabant, easque pro libidine tractabant, tandemque vendebant. Quam rei monasticæ cauponationem in posterum fieri prohibet dicta synodus.

[a] *Monachus.* Hæc sumpta sunt ex epistola ad Rusticum de forma vivendi. Citantur ab auctore nostro in vitæ cœnobiticæ commendationem, et ob pseudo-monachos, de quibus agit sanctus Pater Benedictus.

[b] *Ab alio discat humilitatem.* De hac re infra.

[c] *Artibus et negotiationibus pristinis.* Monachis, qui omnes suas cogitationes et studia ad Deum convertere debent, turpe est rursus negotiorum sæcularium mæandris intricari. Quod docet sanctus Dionysius Areopagita, Eccl. Hier. cap. 6, cum ait multa quæ sæcularibus permittuntur monachis prohiberi, quæ sunt, ut explicat Georgius Pachymeres in paraphrasi, γάμος, καὶ τὸ στρατεῖαις καὶ ἐμπορίαις ὁμιλεῖν, καὶ ἑτέροις, ἐν οἷς ὁ λαϊκὸς οὐ κατακρίνεται, id est, nuptiæ, in bello et negotiatione versari, et aliis rebus, ob quas laicus non condemnatur. Quod sane prohibuit concil. Chalcedonense, can. 4.

[d] *Solent enim.* Hæc non exstant in Regula ms. sancti Fructuosi Bracarencis episcopi ms. cod. Crassensis, sed sunt alterius Fructuosi, non episcopi, sed abbatis. Hujusmodi autem vitæ monasticæ caupona-

[e] *Plus quam in sæculo erant.* Lege, *plus quam cum in sæculo erant.* Ita in cod. Vindocinensi.

[f] *Vulgares.* Glossæ veteres : *Vulgaris*, κοινὸς, λεώδης, χυδαῖος, id est, communis, plebeius, gregarius.

[g] *Quasi cum benedictione.* Quia olim monachi nihil sine abbatis benedictione agebant, de qua re infra.

[h] *Servos Dei dente canino.* Fructuosus abbas, cap. 2 : « Cum episcopis sæcularibus et principibus terræ vel populorum communem regulam servant, et Antichristi discipuli contra ecclesiam latrant. »

[i] *Tali se sæpe.* Τὸ *se* redundat.

verbum. Et ut eos in opere cognoscatis, verba illorum pensare potestis, quia cupiditatis face succensi non possunt Christi pauperibus adæquari. Christi vero pauperes hanc habent consuetudinem, nihil in hoc mundo cupiunt habere, ut possint Deum et proximum perfecte diligere. Et qualiter supra dictos lupos possint evadere per Dominum cognoverunt dicentem : *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum; non portetis sacculum neque peram* (*Matth.* x). Proinde Christi servus, qui cupit verus esse discipulus, [a] nudam crucem ascendat nudus, ut mortuus sit sæculo, Christo vivat crucifixo. Et postquam deposuerit corporis sarcinam, et hostem viderit trucidatum, tunc se putet devicisse mundum, et cum sanctis martyribus æquiparasse triumphum.

§ VI. — Dicta sancti Isidori de generibus monachorum.

[b] Unde autem ad monachos studium [c] defert paupertatis, vel quis hujus conversationis exstiterit auctor, cujus isti habitum imitantur; quantum enim, inquam, attinet ad auctoritatem veterum, hujus propositi principes Elias et discipulus ejus Elisæus fuerunt, sive filii prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Jordanis. Hujus etiam propositi in Evangelio Baptista Joannes auctor exstitit, qui eremi solitudinem incoluit locusta et agresti melle nutritus. Jam deinde progrediens conversationis hujus nobilissimus princeps Paulus, inde Antonius, Hilarion, Macarius, cæterique Patres, quorum exemplis per universum mundum adolevit sancta institutio monachorum. Sex autem sunt genera monachorum, tria optima et præcipua, reliqua vero deterrima, atque omnimodis notanda. Primus est cœnobitarum, id est, in commune viventium ad instar sanctorum illorum qui temporibus Apostolorum in Hierosolymis vendita ac distributa omnia sua dabant indigentibus qui habitabant [d] in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, et anima et cor unum (*Act.* iv). Horum institutione monasteria sumpserunt principium. Secundum genus est eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca et vastas solitudines sequi atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ et Joannis Baptistæ, qui eremi secessus penetrarunt. Hi quippe incredibili conversationis desiderio, mundo contempto, sola solitudine delectantur, herbis tantum arescentibus aut pane solo vel aqua contenti, [e] quod his per certa intervalla temporum defertur. Sicque secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, remoti divino tantum colloquio perfruuntur, cui puris mentibus inhæserunt, et propter cujus amorem non solum mundum, sed etiam hominum consortia reliquerunt. [f] Tertium genus est anachoretarum, qui jam cœnobiali conversatione perfecti, includunt semetipsos in cellulis procul ab hominum conspectu remoti, nulli ad se præbentes ingressum, sed sola contemplatione Dei viventes. [g] Quartum genus est, qui sibi anachoretarum imagine blandiuntur. Ipsi, ut ait Cassianus, in primordii sui fervore quodam brevi cœnobii perfectionem videntur expetere : sed continuo tepefacti, dum pristinos mores et vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt; subdique seniorum imperio dedignantes separatas expetunt cellas et solitarie sedere desiderant, ut a nemine lacessiti, mansueti et humiles æstimentur. Quæ institutio, imo tepor, eos quos semel infecerus. Tertio dicuntur anachoretæ ii qui sine tecto per solitudinem errantes nullo certo loco consistebant, de quibus Severus Sulpitius, dialogo primo : « Habitant (inquit) illi plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos anachoretas vocant. Vivunt herbarum radicibus, nullo unquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur. » Id innuit Cassianus, coll. xviii, cap. 6, cum ait : « Ad imitationem quoque Eliæ et Elizæi, atque illorum de quibus Apostolus, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, etc. »

[a] *Nudam crucem*, etc. D. Hieronymus, epist. ad Paulinum : « Et nudam crucem nudus sequens expeditior et levior scandis scalam Jacob. »

[b] *Unde autem.* Hoc caput habetur apud sanctum Isidorum lib. ii de Officiis ecclesiasticis, cap. 15.

[c] *Defert.* Apud sanctum Isidorum legitur, *defluxerit*, recte.

[d] *In sancta communione vitæ.* Apud sanctum Isidorum : *in sancta communi vita.*

[e] *Qui eis per intervalla*, etc. Eremitis olim victus suppeditabatur a cœnobiis e quibus discesserant. Severus Sulpitius dialogo i : « transgressis ad eremum abbatis illius ordinatione panis et quilibet cibus alius administratur. »

[f] *Tertium genus est anachoretarum.* Hic distinguit inter eremitas et anachoretas. Sed anachoretæ sunt in triplici differentia. Primo pro eremitis sumuntur, ut videre est in Regula sancti Benedicti, cap. 1. Secundo pro his monachis qui post cœnobiticam palæstram includebantur in cellis, iique duplices. Nam quidam infra septa monasterii in cellis includebantur, ut patet ex Justiniani novella 5 : « Nisi quidam illorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio, quos vocare anachoretas, id est discedentes, et hesychastas, id est quiescentes, consueverunt, » etc. Ubi hospitium sumitur pro cella. Ibi enim agitur de iis qui in monasteriis includuntur. Id etiam planum est ex can. 41 sextæ synodi, quæ ait ejusmodi inclusos ἀναχωρητικὴν παιδοτριβεῖσθαι διαγωγήν, id est anachoreticam exercere vitam. Quidam vero extra septa monasterii inclusi erant, de quibus hoc capite agit sanctus Isidorus. Tertio dicuntur anachoretæ ii qui sine tecto per solitudinem errantes nullo certo loco consistebant, de quibus Severus Sulpitius, dialogo primo : « Habitant (inquit) illi plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos anachoretas vocant. Vivunt herbarum radicibus, nullo unquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur. » Id innuit Cassianus, coll. xviii, cap. 6, cum ait : « Ad imitationem quoque Eliæ et Elizæi, atque illorum de quibus Apostolus, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, etc. »

[g] *Quartum genus*, etc. Hæc sumuntur ex Cassiano, coll. xviii, cap. 8, cujus etiam verba proferuntur. Agitur de quibusdam qui sibi anachoretarum nomine blandientes, in primordiis conversionis tepefacti, nec ultra valentes ferre seniorum jugum, se in cellis includunt, ad id etiam humanæ laudis applausu compulsi. Quorum stultitiæ ut remedium adhibeatur, concilii Toletani vii, cap. 5, cautum est, ne quis prius includatur, quam multos annos in militia cœnobitica exercitatus fuerit, adhibito etiam episcopi et abbatis consensu, ut habetur in concilio Francofordiensi, can. 15; et sextæ synodi can. 41, statuitur ut qui hujusmodi vitam appetunt, quadriennio probentur : nempe, ut prius ingrediantur monasterium, et per triennium ejusmodi vitam seclusam exerceant abbati monasterii subditi; quo evoluto, ab episcopo interrogentur, qui eorum voluntatem, an firma sit, exploret; qua perspecta e cella exeant, et anno integro maneant in monasterio, ut eorum propositum plenius tentetur : quibus ita perfectis, si modo certa sit eorum voluntas, includebantur.

rit, ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non solum non abscindentur, verum etiam interius convalescunt, dum a nemine provocati, ut quoddam lethale et intestinum virus, quod quantum amplius celatum fuerit, tantum profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reverentia enim cellæ nullus jam vitia solitarii audet arguere, quæ ille ignorari maluit potius quam curari.

[a] *Quintum genus est circellionum.* Hæc fere excerpta sunt ex divo Augustino, lib. de opere monachi, cap. 28. Quid sint circelliones, exponunt Glossæ Isidori : *Circelliones falsi anachoretæ :* Eædem Glossæ : *Circellio monachus per cellas vagans : Augustinus.* De quibus ipse sanctus Augustinus in psalmum CXXXII : « Quid sibi vult nomen circellionum? Sed non, inquiunt, vocamur circelliones. Forte corrupto sono nominis eos appellamus. Nam circumcelliones dicti sunt, qui circum cellas vagantur. » De qua voce Papias : « Circumcelliones dicuntur, qui sub habitu monachorum usquequaque vagantur. » Idem : « Circumcelliones genus monachorum vagantium, dicti quod circum cellas vagentur. » Sunt et alii circumcelliones hæretici qui, ut martyres haberentur, seipsos perimebant, atque etiam obvios passim Christianos : de quibus sanctus Augustinus in ps. LXXXII, epist. 48, 61, et multis aliis locis : et Philastrius, lib. de hæresibus; meminit collatio tertia Carthaginensis.

[b] *Alii membra martyrum*, etc. Exsecrabilis illa hypocritarum nundinatio, cujus beneficio æruscatores illi multam stipem cogebant. Hanc attribuit circellionibus sanctus Augustinus, lib. de opere monachi, cap. 28. Similem licitationem exercebat falsus quidam eremita Desiderius nomine, qui Parisiis olim cum cruce sacra loca obambulans in sacculo gestabat radices diversarum herbarum, dentes talparum, ossa murium, ungues et adipes ursinos, quibus tanquam sacris reliquiis a plebe occurrente venerationem exhiberi volebat, ut refert sanctus Gregorius Turonensis, lib. IX Hist. Rodulphus Glaber, lib. IV Hist., c. 3, narrat de simili temporis sui balatrone circumforaneo qui ossibus mortuorum, quæ e sepulcris eruebat, eis varia prophetarum, martyrum et confessorum nomina imponens, superstitiosos homines passim decipiebat, emunctis eorum marsupiis. Hinc nata est quorumdam superstitio, ut falsas reliquias falsosque sanctos colerent. Qualis fuit olim mulier quædam Carthagine, Lucilla nomine, quæ obscuri et nondum vindicati cujusdam martyris obsequio ita addicta erat, ut antequam sanctam Eucharistiam sumeret, illius caput veneraretur, eoque nomine a Cæciliano archidiacono correpta, ob idque furore incensa a communione Ecclesiæ discessit, suaque auctoritate atque opibus Donatistarum partes multum adjuvit, ut refert Optatus Milevitanus lib. I contra Parmenianum. Nota est illa historia sancti Martini, apud Severum Sulpitium in ejus Vita, cap. 8, qui latronis cujusdam aram, qui ab indocta et imperita multitudine pro martyre colebatur, submovit. Sanctus Gregorius papa, lib. III, epist. 30, improbat quosdam Græcos qui Romæ ossa mortuorum effodientes, ea pro reliquiis sanctis in suam patriam asportabant. Fuit etiam olim Romanæ plebeculæ superstitio, ut Dalmaticam, quæ corpus papæ mortuum, dum efferretur, involvebat, scinderet, et partes pro reliquiis servaret, quod idem Gregorius, lib. IV, epist. 44, fieri prohibuit. Guillelmus Neubrigensis, lib. V Hist., cap. 20 et 21, narrat de quodam Guillelmo Lundoniensi, qui a stolida plebecula martyr habitus est. Ille enim divitum nummis inhians, seditiosis concionibus multitudinem commovebat, seque pauperum salvatorem nominabat : jamque multa ferramenta ad infringendas locupletum ædes circulator ille paraverat, dum captus de

[a] Quintum genus est circellionum, qui sub habitu monachorum usquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes provincias ; nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii, quæ non viderunt, confingunt, opiniones suas habentes pro Deo. [b] Alii membra martyrum (si tamen martyrum) [c] venditant. [d] Alii fimbrias [e] et phylacteria sua magnificant, gloriam

sententia regii senatus equis prius distractus de patibulari trabe pendere jussus est. Post cujus mortem quidam sacerdos catenam qua tristifer ille et sesquilavernio in carcere vinctus fuerat, cuidam ex febre laboranti supposuit, eumque inde sanatum imprudenti mendacio per lam divulgavit. Statim, ut est cæca et præceps vulgi devotio, patibulum, in quo pependerat impostor ille, a loco reptisum nocte sublatum est; solumque ipsum, ubi defixum fuerat, a fatuis undique concurrentibus, ut reliquias sibi inferrent, abrasum est. Nomen quædam Rumesciensis in Anglia cœnobii quemdam recens defunctum pro sancto colere cœperant; quod cum rescivisset sanctus Anselmus Cantuariensis antistes per epistolam (*Lib.* III, *ep.* 151) eas ejusmodi superstitione prohibuit. Contigit etiam tempore Alexandri tertii, ut quidam vino madidus ac temulentus, cum petulantius baccharetur occisus, pro martyre coleretur. Olim stultum vulgus quibusdam insomniis et nocturnis visionibus delusum, ficta martyrum monumenta venerabatur. Quod prohibitum fuit in concilio V Carthaginensi, can. 5 (*De reliq. et venet. sanct.*). Sic etiam a quibusdam stolidioribus martyribus hæreticis honor exhibitus est. Quod postea vetitum fuit in concilio Laodiceno, can. 34.

[c] *Venditant.* Vendere reliquias martyrum prohibetur. Codicis leg. 3, *de sactosanctis ecclesiis*, etc. : *Nemo martyres distrahat, nemo mercetur*, et cap. *Cum ex eo*, de reliquiis et veneratione sanctorum.

[d] *Alii fimbrias.* More Pharisæorum et Scribarum. Fimbriæ enim sunt quædam texturæ quæ assuebantur a Pharisæis et Scribis quatuor angulis amiculi, eo tempore quo se ab uxoribus abstinebant, ad castimoniæ ostentationem, ut nemo tangeret sanctificatos, ut scribit sanctus Epiphanius lib. I de Hæres., tom. I, cap. 15.

[e] *Et phylacteria.* Phylacteria sunt quædam notæ ex purpura, quas Scribæ et Pharisæi palliis suis ostentationis causa apponebant, ut refert sanctus Epiphanius capite citato. Ubi, etsi tantum de Scribis loquatur, tamen capite sequenti ait Pharisæos Scribarum indumentis uti solitos. Sunt et tabulæ parvæ, seu chartæ, in quibus Decalogus scriptus erat, quas Scribæ et Pharisæi memorialis causa in fronte gestabant. Divus Hieronymus in cap. XXIII Matth. : *Pictaciola illa decalogi phylacteria vocabant.* Rabbini, תפילין, *Tephilin.* Sunt etiam quædam amuleta seu conservatoria, quæ magi ad morbos curandos seu averruncandos, aut ad aliquem casum declinandum mulierculis dabant collo appendenda, aut brachiis alliganda, ut docet sanctus Epiphanius cap. 15 libri citati. Glossæ veteres : φυλακτήριον, *servatorium, amolimentum, amuletum, prævia.* Glossæ Isidori, *Phylacteria Carmina*, id est incantamenta, juxta illud Virgilii in Pharmaceutria :

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam,

Dæmonum inventura in seductionem ethnicorum. Meminit Bedæ lib. IV Hist. Angl., cap. 27 : « Aliqui etiam tempore mortalitatis neglectis fidei sacramentis quibus erant imbuti, ad erratica idololatriæ medicamina concurrebant : quasi missam a Deo conditore plagam per incantationes vel phylacteria vel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana cohibere valerent. » Et sexta synodus, cap. 61. Hinc capiendus Tertullianus in Scorpiaco : « Nescio quid magia cir-

captantes ab hominibus. Alii criniti incedunt, ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, ut videlicet qui eos viderit, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, Eliam, et cæteros. Alii honores, quos non acceperunt, habere se protestantur. Alii parentes et consanguineos in illa regione se audisse, videre et ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt aut sumptum lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Cum interea ubicunque in factis suis malis ac verbis deprehensi fuerint, vel quomodo innotuerint, sub generali nomine monachorum propositum blasphematur. Sextum genus est monachorum ipsum deterrimum atque neglectum, quod per Ananiam et Saphiram in exordio Ecclesiæ pullulavit, et apostoli Petri severitate succisum est; quique ab eo quod semetipsos a cœnobiali disciplina sequestrant suasque liberi appetunt voluntates Ægyptiorum lingua sarabaïtæ, sive [a] renuitæ nuncupati sunt. Construunt sibi cellulas easque falso nomine monasteria nuncupant. Liberique ab imperio seniorum, arbitrio suo vivunt, certatim in operibus laborantes, non ut indigentibus distribuant, sed ut acquirant pecunias quas recondant. Et sicut ait de ipsis Hieronymus, quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint, charitatis est pretii. Revera, ut idem dicit, solent certare jejuniis, A et rem secreti, victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, fluxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum : et quando dies festus venerit, satiantur ad vomitum.

§ VII. — Dicta sancti Valerii de genere monachorum.

[b] Hinc subsistit septimum genus monachorum nuper adjectum pejus prioribus. Dum olim secundum superiorem seriem de primo exordio ædificationis Ecclesiæ tantus inardesceret [c] candor desiderii regni cœlorum atque timor Domini corda perterreret populorum; ut non solum per cœnobialium crebras atque juges congregationes innumerus et infinitus exercitus multiplicaretur monachorum, verum etiam B diversa eremi deserta coplosius contegerentur perfectorum [d] ergastulis anachoretarum, et cum in ista [e] ultimæ extremitatis occiduæ partis confinia rara videlicet et exigua pullularent sacræ religionis crepundia, a paucis electis et perfectis viris in desertis locis rara ope Domini constructa sunt monasteria : ex quibus multas animas Redemptor expiatas fece peccaminum suscepit in regna cœlestia. Et quia discedente et ad finem extremante mundi tempore refrigescit charitas, acrescit sævissime iniquitas, et inexplebilis voraxque exardescit mundana

cumligat. » Varia autem fuere hæc phylacteria, seu ligaturæ, ut nervi, ossa, radices in corio inclusæ, ut notat Tatianus Assyrius oratione contra gentiles, pag. 172 editionis Parisiensis. Alii ursos circumducebant per urbes et oppida, et in eorum capite totoque corpore tincturas appendebant, dabantque passim ex pilis eorum cum tincturis tanquam phylacteria ad morbos et fasciuos oculorum alioliendos, ut docet Theodorus Balsamo in canonem citatum sextæ synodi. Additque præfectum quemdam fuisse synodice condemnatum, quod deprehensus esset habere ἔνδυμα, id est, indumentum infantis recens nati a muliere acceptum ad os occludendum iis qui in eum dicere conarentur. Hoc autem ἔνδυμα nihil est aliud quam pellicula quædam capitis instar pileoli, cum qua quidam nascuntur, quam olim ad vocati in sinu gestantes ad eloquentiam conferre credebant, ut refert Lampridius in Antonino Diadumeno : « Solent deinde pueri pileo naturali insigniri, quod obstetrices rapiunt, et advocatis credulis vendunt, si quidem causidici hoc juvari dicuntur. » Litteræ solutoriæ sunt etiam phylacteria, quas qui apud se gerebant se nullo pacto vinciri posse credebant. Ut videre est apud Bedam lib. IV Hist. Angl., cap. 22 : D « Quarum celebratione factum est, quod dixi, ut nullus eum possit vincire. Interea comes, qui eum tenebat, mirari et interrogare cœpit, quare ligari non posset : an vero litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet. » Huc etiam spectat effigies Alexandri Magni, quam qui apud se gestabant, vel in annulis, vel in dextrocheriis, et in omni ornamentorum genere, se in omni actu juvari credebant, ut scribit Trebellius Pollio in Quieto imperatore. Tandem apud Christianos phylacteria sunt sacræ reliquiæ, ut sanctæ crucis, martyrum, etc., in auro vel argento, seu crystallo, aut quavis alia materia celatæ. Sanctus Gregorius papa, lib. XII, epist. 6 : « Excellentissimo autem filio nostro Adulowaldo regi transmittere phylacteria curavimus, id est, crucem cum ligno crucis Domini et lectionem Evangelii theca persica inclusam. » Helgaldus Floriacensis monachus in Vita Roberti regis : « Unde nimirum suos a quibus juramentum recipiebat, volens justificari quemadmodum seipsum, fecerat unum phylacterium holocrystallinum in gyro auro puro ornatum absque alicujus sancti pignorum inclusione, super quod jurabant primates hac pia fraude nescii. » Acta sancti Guillelmi Gellonensis : « Miserat illis ab Hierosolymis per Zachariam magni propositi magnique testimonii sacerdotem, perque duos monachos Hierosolymitanos magnæ religionis, nec parvæ auctoritatis illud Dominicæ crucis venerabile cunctis mortalibus phylacterium adorandum gemmarum splendoribus et auro purissimo, quantum potuit ars humana, recentissime ornatum. » C

[a] *Sive renuitæ.* Τὸ *sive* sumitur ex positis. Nam τὸ *renuitæ* Latinum est, non Ægyptiacum. Et ita Latini sarabaïtarum nomen exposuerunt. Smaragdus in cap. 1 Regulæ sancti Benedicti : « Sarabaïtæ autem interpretantur renuitæ, eo quod majorum exempla vel virtutem sequi renuant. » Sanctus Odo abbas Cluniacensis, collatione III : « Nos miseri non sumus monachi, ut falso nominamur; sed sarabaïtæ, id est renuitæ, qui jugum regularis disciplinæ renuimus. » Glossæ anonymæ : *Sarabaïtæ lingua Ægyptiaca; in Latina dicuntur renuitæ, qui refutant abbatem habere.* Unde glossæ mss. in Regulam sancti Benedicti, quæ Parisiis exstant in bibliotheca S. Victoris : *Sarabaïtarum, qui refutant, vel renuunt.*

[b] *Hinc subsistit.* Non hic citatur integrum caput sancti Valerii, sed ultima pars cujusdam capitis de genere monachorum, in qua septimum genus addit, eorum qui ex famulitio et servitio monasterii, inviti tondebantur ab abbatibus, paucis tunc ad conversionem accedentibus; eorumque mores pessimos describit, invehiturque in eorum præpositos.

[c] *Candor desiderii.* Id est, ardor desiderii.

[d] *Ergastulis.* Metaphorice vocat cellas anachoretarum ergastula, ubi illi laboriosam vitam agunt, quemadmodum fossores in ergastulis.

[e] *Ultimæ extremitatis occiduæ partis.* Id est, Hispaniæ ex qua oriundus est hic sanctus Valerius, ut supra dictum est.

cupiditas, atque infestior invidens invalescit dæmonum atrocitas, in [quibus] sacratissimis locis paucissimi tandem reperiuntur electi viri, qui de toto corde convertantur ad Dominum. Et ne ipsa monasteria desolata desertaque remaneant, tolluntur ex familiis sibi pertinentibus [a] subulci de diversisque gregibus [b] dorseni atque de possessionibus parvuli qui pro officio supplendo inviti tondentur, et nutriuntur per monasteria, atque falso nomine monachi nuncupantur. Qui dum nec pridem foris in activa vita mundanis studiis, sive servitiis vel operibus excocti eruditique patescunt; nec postea in monasteriis citra electionem Domini non ultronee, sed inviti sanctæ religioni sociati concipiunt in corde timoris Domini compunctionem aut desideria regni cœlestis; non obedientiæ humilitate, aut sinceræ charitatis dilectione fundantur, sed crescunt typo superbiæ turgidi, fastu elationis inflati, cupiditati [c] philargyriæque fomiti [d] insatiabiliter mersi, voracitati [e] gastrimargiæ et temulentiæ inexplebiliter dediti atque atrocissimæ invidiæ flamma succensi, ut A si viderint aliquos toto corde convertentes et Domino fideliter servientes bonaque opera et Deo placita exercentes : cum de ipsis monasteriis originales servi existant juris sui ea debita et sibi pertinentia defendere contendentes, insurgant superbientes invidiæ atra obscuritate cæcati [f] et adversus opus assumunt justum sævissimæ crudelitatis odium, atque diversis publicis et clandestinis insidiis impedire nitentes. Considerate, obsecro, quantum hos punitura sunt mala sua, [g] quos etiam bona puniunt aliena. Et quis ei poterit subvenire, [h] qui se sibi exhibet invidendo carnificem? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salute bonorum contrahit male utendo perniciem? Cum autem in arcem superbiæ atrociter sublimantur, interitum primæ perditionis incurrunt. B Scriptum est enim : *Quoniam quem dirus superbiæ infecerit spiritus, similem eum effecit diabolo : et quem similem fecerit vitio, simili eum sine fine cruciandum tradet exitio.* Insuper hypocrisi falsæ religionis ita captantur, ut in conspectantium obtutibus sæcularium protendant falsum sacræ religionis

[a] *Subulci.* Glossæ veteres : *Subulcus συοβοσκὸς, χοιροβοσκὸς*, id est, qui porcos pascit.

[b] *Dorseni.* Glossæ Isidori : *Dorsennus persona parasitorum.* Et sane Dorsennus quidam parasitus introducitur apud Plautum. Hoc tamen loco dorseni videntur esse pueri opiliones, seu pastores.

[c] *Philargyriæ.* Philargyria, inquit Cassianus, lib. VII, cap. 1, est pecuniarum amor, de qua toto illo capite sapienter disputat. Dicitur et φιλοχρηματία, quod idem sonat. Appellatur a sancto Antiocho, homil. 8, *νόσημα δεινὸν καὶ ὀλέθριον*, id est morbus gravis et lethalis.

[d] *Insatiabiliter mersi.* Avaritia insatiabilis est. Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. V, ep. 55, Ἡ τὸ προστιθέμενον ὕλη καὶ ὑπέκκαυμα τῆς τοῦ πλείονος ὀρέξεως γίνεται. Πάντοτε γὰρ διχομένη οὐδέποτε πληροῦται. Οἷον δέ τις πολυκέφαλος ὕδρα μυρίοις στόμασι τὴν τροφὴν γαστρὶ τῇ ἀκορέστῳ παραπέμπουσα, etc., id est, cui id quod adjicitur est materia et fomes cupiditatis multo plura possidendi; undique enim rapiens nunquam expletur. Tanquam multorum capitum hydra, quæ per mille ora cibum in alvum inexplebilem demittens, tanto plus eum appetit, quasi nihil antea acceperit. Et præclare sane Antiochus monachus, homil. citata, ὥσπερ ἡθάλασσα οὐκ ἐμπιπλᾶται δεχομένη πλῆθος ποταμῶν, οὕτως ἐπιθυμία φιλάργυρου οὐ πληροῦται χρημάτων, id est, quemadmodum mare ob multitudinem fluviorum quos recipit, non impletur, sic avari cupiditas nullis divitiis satiatur.

[e] *Gastrimargiæ.* Gastrimargia, juxta Cassianum, lib. V, cap. 3, est gulæ concupiscentia, et juxta sanctum Isidorum Pelusiotam, lib. I, epist. 384, *περὶ γαστέρα μανία*, id est, ventris rabies et insania. Cui suffragatur sanctus Dorotheus doctrina 15, qui deducit, *παρὰ τὸ μαργαίνειν, ὅ ἐστι μαίνεσθαι, τὴν γαστέρα*, id est ab eo quod venter insaniat. Et *γαστρίμαργος* apud Suidam *ἄπληστος*, id est, insatiabilis. Dicitur etiam *ἀδδηφαγία, πολυφαγία*, id est voracitas, edacitas immoderata apud Athenæum libro X, et *λαιμαργία* apud eumdem ibidem, et *λαίμαργος*, ciborum gurges, seu vorator. Glossæ veteres *λαίμαργος, glutto.* Moschopulus, scheda 3, *λαίμαργος πολυφάγος μετὰ συντόνου ἐπιθυμίας*, id est, multivorus cum vehementi cupiditate. Distinguit tamen sanctus Dorotheus doctrina citata inter læmargiam et gastrimargiam. Nam læmargia est insana gutturis voluptas, *παρὰ τὸ μαργαίνειν τὸν λαιμὸν*, id est ab eo quod guttur insaniat; estque immoderatus saporis affectus; cum quis opiparas epulas et cupedias immoderate appetit, quales fuerunt Philoxenus Leucadius Euryxidis filius et Melanthius decoctores, qui ut diutius cibos saperent, hic avis oblongi colli, ille gruis collum optavit, atque alter Philoxenus dithyramborum poeta Cytherius, qui ob eamdem causam collum tricubitale appetiit, ut docet Athenæus lib. I. Gastrimargia vero non tam ciborum saporem et lautitias, quam abundantiam et ingluviem exquirit. C Læmargia igitur plus saporis delectatione, quam eduliorum ingurgitatione trahitur : licet tandem gustus titillatione victa, ut usu venire solet, in gastrimargiam degeneret, quemadmodum *docet* sanctus Dorotheus doctr. citata. Exempla gastrimargiæ vide apud Athenæum, lib. IX, et Ælianum lib. I de varia Hist., cap. 26 et seq.

[f] *Et adversus opus assumant justum.* Hæc sunt transposita et ita legenda : *Et adversus opus justum assumant sævissimæ crudelitatis odium.*

[g] *Quos etiam bona puniunt aliena.* Nam ex alieno bono contabescit invidus. Sanctus Gregorius, lib. V Moral., cap. 34 : « Livor alieni boni suum punit auctorem; nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. » Ovidius II Metam., in descriptione invidiæ.

Sed videt ingratos intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque et carpitur una.

Sanctus Cyprianus, tractatu de zelo et livore: D « Qualis vero est animæ tinea, etc., illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam. » Sanctus Prosper, lib. III de Vita contemplativa, cap. 5. « Invidus alienum bonum suum facit invidendo supplicium. » Unde Apollinaris, lib. I, epist. 4 : « de cujus culmine datur amicis lætitia, lividis pœna.

[h] *Qui se sibi exhibet invidendo carnificem.* Sanctus Gregorius supra : « Livor alieni boni suum punit auctorem. » Præclare admodum quidam poeta apud sanctum Isidorum in fine libri de Differentiis :

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.

Ovidius, libro citato :

.... carpitque et carpitur una,
Suppliciumque suum est....

Et sanctus Cyprianus tractatu citato ait invidos pectori admovere carnifices.

habitum : ut etiam ac si desperantes de bono merito vel vacuum adipiscantur sanctitatis vocabulum. Atque in supra dictorum auditum multiplicant diversas crebrasque series officiorum, et in sublimi arte attollunt canentes melodia vocum, [a] atque crebris genuflexionibus protrahentes copiam orationum, et quotidianis diurnis atque nocturnis temporibus torporem desidiosum otiumque implicant somnolentum, ut scribitur, *Habentes religionis signum, non religionis meritum :* hippocentauro similes, nec equi, nec hominis facta discretio, uti superius dictum est, adversus fidelissimos Dei servos dolosa et iniqua machinantur odia, atque impiissimæ atrocitatis persecutionem incutiunt : et quos noverint esse latrones homicidas, maleficos, adulteros, atque cætera diabolicæ infanda crudelitatis opera exercentes, eos summi amoris affectione, ex totoque corde charitatis connexione amplectuntur. Hinc procul dubio aperta ratio manifestat quia, despecto Deo, diabolo obediunt et servi fideles existunt, cujus satellites amant, amplectuntur et diligunt : et Domino, cujus fidissimos servos persequuntur et odiunt, inimici, [b] refugæ, odibiles, et exteri fiunt : qui dixit : *quod fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* xv). Iterum scriptum est : *ille Dominum odit et contemnit qui non solum non timet Deum, sed gratis odit timentes Deum.* Rectores vero eorum, et si se existiment se graviter ante Deum esse culpabiles, sed quia erga gregem sibi creditum negligentes, et mala non prohibentes existunt, non solum propter propria delicta, sed pro subditorum flagitiis dupliciter condemnabuntur. Hinc David deprecans orat. *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* xviii). Quicunque ex senioribus [c] causam delinquentis adornat, majorem ei insolentiæ fomitem generat : ita ut cor ejus magis magisque indurari faciat : et contumaciam delinquentis differendo non discutit, nec humiliari eum sinit, [d] nec dissimulanter quæ permittit de satisfactione et venia cogitare, sed idem denuo iterare, quoniam Scriptura nempe testatur, *Quod omne peccatum quod remissus indisciplinatusque admiserit frater, ad negligentem protinus revertatur seniorem ; et propter se et pro illo duplam redditurus est rationem.* Recte namque censetur : ut cum quo participat errorem, æternam retributionis cum eo sortiatur ultionem, quia :

Ipse jubere nefas, ipse perhibetur amare,
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.

Horum et similium prævaricatricem clandestinæ simulationis perniciem simul cum publica mundanæ delinquentiæ facinorum contagione debet fideliter juxta sibi creditum supernæ veritatis divini imperii vicem et gloriosum terrenæ potestatis principium severitas justissimæ censuræ et zizaniorum ac tribulorum de agro cordium delinquentium pessimam suffocationem falcifera emendationis succisione radicitus exstirpare, atque vomere justitiæ et rastro veritatis excolere, ut novalem fructum fidei et sanctitatis creatori suo valeat procreare. Hæc exigua verba de exsecranda hypocrisis nequitia dixisse sufficiat. Nam de gravioribus flagitiis delictorum disserere non est meum. Illius semper sententiæ recordabor : *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me* (*Psal.* xxxviii). *Ut non loquatur os meum opera hominum* (*Psal.* xvi). Ille justus judex, qui est mentium testis et occultorum cognitor, ipse est et erit bonis bonorum in sempiterna gloria retributor, et malorum secundum merita singulorum veracissimus ultor.

[a] *Atque crebris genuflexionibus.* De genuflexionibus monachorum infra dicetur.

[b] *Refugæ.* Refuga substantivum hoc loco est desertor, apostata. Glossæ veteres ἀποστασία, ἀποστατης, *refuga.* Tertullianus, de Habitu muliebri, cap. 5 : « De ignominiis in honores metalli refuga mutatur. » Poemate 1 contra Marcionem :

Territilis refuga attribuit fera munera mortis,

Et secundo :

Postquam fracta fides refugis spirantibus hostis, etc.

Et infra :

Affixit ligno refugarum immane tropæum.

Refuga, qui aliquid refugit. Flodoardus lib. 1 Hist., cap. 24 : « Humanæ laudis et mundanæ retributionis refuga. » Alias adjectivum est, ut, *refuga cæsaries*, apud Sidonium lib. 1 epist. 2, id est, in occipitium reflexa.

[c] *Causam delinquentis adornat.* Causa hoc loco est defensio, excusatio. Terentius in Hecyra, act. IV, sc. IV :

Etsi tibi causa est de hac re.

Ubi Donatus : « Causam more suo pro defensione posuit. » Et in Phormione :

Justam illam causam, facilem, vincibilem, optimam.

Donatus : « causam pro defensione posuit. » Causam ergo adornare est defensionem parare, instruere, quasdam rationes ad delictum excusandum vel extenuandum proferre.

[d] *Nec dissimulanter quæ permittit.* Lege, *nec dissimulando*, et τὸ *quæ* expunge, quia redundat. Ut hæc ita connectantur : *Nec humiliari eum sinit : nec dissimulando, permittit de satisfactione et venia* (sup. *eum*) *cogitare.*

CAPUT IV.

[a] DE ORDINANDO ABBATE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[b] In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur [c] quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, [d] sive etiam pars, quamvis parva, congregationis saniore consilio elegerit. Vitæ autem merito et sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa in notitia episcopi ad cujus diœcesim pertinet locus ipse, A [e] vel ad abbates [f] aut Christianos vicinos clamaverint; prohibeant pravorum prævalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud [g] caste et zelo Dei faciant; sicut e diverso peccatum, si negligant. Ordinatus autem abbas cogitet semper quale onus suscepit, [h] et cui redditurus est rationem villicationis suæ; sciatque sibi oportere prodesse magis quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum [i] lege divina, [j] ut sciat, et sit unde proferat nova et vetera; castum, sobrium, misericordem; et semper [k] superexaltet misericordia judi-

[a] *De ordinando abbate.* In omnibus regulis sive editis, sive mss. quas viderim, hoc caput est sexagesimum quartum ordine.

[b] *In abbatis ordinatione.* Hæc usque ad illa verba, B *constituant dispensatorem*, extant Dist. 61, can. *In ordinatione.* Ubi quædam variant maxime cum legitur, τὸ *præpositi*, pro, *abbatis;* et infra, *præpositos*, pro, *abbates.* Sed hæc mutatio facta videtur ex industria. Quare non video cur huic canoni præligatur palea.

[c] *Quem sibi omnis concors elegerit.* Fuit antiqua Ecclesiæ consuetudo, ut monachi sibi suum abbatem eligant. Id præscribunt antiquorum Patrum regulæ, et ecclesiasticæ civilesque sanctiones. Vide titulum sextum *De Electione et electi potestate;* concilium Lateranense sub Gregorio Magno, ubi etiam præcipitur, ut abbas de ipsa congregatione eligatur, si in ea idoneus quispiam repertus fuerit. Cod. l. 46. *De sacrosanctis ecclesiis.* Justiniani Novellam 5, cap. 10; lib. I Capitularis Caroli et Ludovici imperatorum, titulo 8. Et praxis videtur in epistola monachorum Laubiensium ad Rothardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem episcopos apud Baldricum C lib. I Chron. Cameracensis, cap. 105. « In cujus electione noveritis non deesse nostram unanimitatem secundum nostræ Regulæ institutionem: quæ præcipit, vel omnino concordem in hoc fieri congregationem, vel saniori consilio etiam, quamvis minimam partem. »

[d] *Sive etiam pars, quamvis parva, congregationis*, etc. *Parvus* id est minor, hellenismus, positivus pro comparativo. Et sane in epistola Hincmari ad Rotrudem electam monasterii Sanctæ Crucis, seu Sanctæ Radegundis Pictavis apud Flodoardum, lib. III Hist. Eccl. Rem., cap. 27, legitur, τὸ *minor.* « Pro qua rex præceperat Frotario archiepiscopo, et Eraldo atque Angenoldo ad præfatum monasterium pergere, et electionem regularem ibi facere; et si cuncta concors congregatio, vel pars, quamvis minor, tamen melior Rotrudem elegerit, constitueretur in ordine abbatissæ. » Idem autem Hincmarus in epist. ad Richildem reginam apud Flodoardum eodem capite D mentionem facit hujus capitis de ordinando abbate: « Monens ut legat capitula regulæ beati Benedicti de ordinatione abbatis vel abbatissæ, et inveniet quam graviter pro hac ordinatione in Spiritum sanctum, quo ipsa regula est promulgata, peccaverit. » Monachi Laubienses in epistola citata dixerunt, *minima;* « vel saniori consilio, etiam quamvis minimam partem. » Sed non citaverunt ex codice. Hunc sancti Benedicti locum respicit illud de electione, can. ecclesiast. « Ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major vel senior pars consentit; subaudi, *quamvis parva.* Hoc statuit sanctus Pater Benedictus ut pravorum factionibus fenestram ad licentiam præcludat.

[e] *Vel ad abbates.* ita apud Smaragdum. In cod. mss. Ebrul. et Vict. P. deest præpositio *ad.* In ms. Vict., *vel abbatibus aut Christianis vicinis.*

[f] *Aut Christianos vicinos.* Non tanquam jus habeant in monachos, sed qui sint episcopis et abbatibus aut suasores, aut adjutores, ut nova electio rata habeatur. Quamvis enim hæc omnia sub eodem verbo dicantur, sunt tamen secundum personarum qualitatem intelligenda.

[g] *Caste.* Id est sine corruptela et muneris palpatione. Cicero, Orat. pro lege Manilia: « Et meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus. » Nonius Marcellus, cap. 4: « Castum a furtis et rapinis abstinens. » Varro Andabatis. « Nec manus visco tenaci tinxerat viri casta. »

[h] *Et cui redditurus est rationem villicationis suæ.* In canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis ad hunc locum fit allusio: « Fac eam semper agnoscere, quia tibi redditura est rationem villicationis suæ. »

[i] *Lege divina.* Id est, sacra Scriptura et rerum divinarum scientia, ut infra fusius.

[j] *Ut sciat et sit unde.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. et apud Ruhardum mss. recte, nam phrasis, *sit unde*, est familiaris sancto Benedicto. Vulgo, *ut sciat et sic unde*, etc.

[k] *Superexaltet misericordia judicio.* Ita Smaragdus. At sanctus Dunstanus, editio Colonniensis, vetus Parisiensis cum vulgatis: *Superexaltantem misericordiam judicio.* In canone Theodori Anglorum episcopi, in antiquo ordine Romano: *Superexaltet misericordiam judicio.* Sed lege cum Turrecremata: *Superexaltet misericordia judicium.* Nam sanctus Jacobus, cap. II, unde hæc verba sumuntur, scribit: *Superexaltat autem misericordia judicium*, id est, ut in textu Græco habetur; κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως; hoc est, *gloriatur misericordia adversus judicium*; unde, *superexaltet misericordia judicium*, est, se exaltet misericordia super judicium. Judicium hoc loco pro justitia ponitur, et sæpe in sacra Scriptura. Hæc virtus digna rectore monasterii, quia digna Deo, cujus *miserationes super omnia opera ejus.* Digna principe, ut bene monet Cassiodorus lib. I Variarum epist. 9: « Benigni principis est ad clementiæ commodum transire terminos æquitatis: quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. » Hanc maxime sectatus est sanctus Odilo abbas Cluniacensis, qui etiam se eo nomine arguentibus respondebat, quod si damnandus foret, se malle ob clementiam, quam ob severitatem damnari, ut refert beatus Petrus Damiani in ejus Vita. Quinimo non descendit in Tartarum mise

cio, ut idem ipse consequatur. [a] Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et [b] ne quid nimis : [c] ne, dum nimis eradere cupit æruginem, frangatur vas. [d] Suamque fragilitatem semper suspectus sit : memineritque [e] calamum quassatum non esse conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter

A et cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, ut diximus. [f] Et studeat plus amari, quam timeri. [g] Non sit turbulentus et [h] anxius; non sit [i] nimius et obstinatus; non sit [j] zelotypus et nimis suspiciosus : quia nunquam requiescit. In ipsis imperiis suis providus et consideratus; et [k] sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit opera quam

ricordia, cui Christus misericordiam pollicitus est. Quod innuit sanctus Ambrosius in obitu Theodosii : « Bonum est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit, et in alieno remedio vulnera sua curat. »

[a] *Oderit vitia, diligat fratres.* Hæc hominis omni perturbatione vacui virtus et perfectio est. Idem præclare monet sanctus Augustinus serm. 1, 7. « Quando autem judicas, dilige homines, oderis vitium. Noli propter hominem diligere vitium, nec propter vitium odisse hominem. Homo proximus est tuus, vitium inimicum proximo tuo. Tunc amas amicum, si oderis quod nocet amico. » Prosper Aquitanicus, Epigram. 2.

Divinum in nullo figmentum despiciatur,
Sola malis studiis addita non placeant.

Idem Epigram. 25.

Legem spernentes odit cum legis amator,
Non homines odit, sed reprobat quod agunt.

Et Epigram. 65.

Recta volens animus, sapiens et amator honesti
Quosdam odio dignos judicat esse suo.
Nec tamen hos toto depellit fœdere, guardis
Naturam errantem dividere a vitiis;
Sic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
Optet, et ut damnet crimina, non homines.

Sanctus Gregorius papa lib. IX, epist. 8 : « In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris ut personas diligas, vitia persequaris. » Sanctus Eutropius Valentinus episcopus in epist. ms. de districtione monachorum : « Sed Dominus in Evangelio sic dicit : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Et hoc qualiter intelligatur, adverte. Ille in hoc dicto tenetur obnoxius, qui non vitio quod in homine malum, sed naturæ ipsi humanæ, quam utique Deus bonam condidit, irasci voluerit, et prærogare stimulum. » Ita se gerebat erga subditos sanctus Fulgentius Ruspensis episcopus, qui, ut in ejus Actis habetur : « Odiens vitia, et diligens homines tandiu severus apparebat, quandiu disciplinæ spiritalis severitas exigebat. »

[b] *Ne quid nimis.* Hæc est discretionis et prudentiæ regula. Hujus sententiæ meminit Terentius in Andria.

Nam id arbitror
Apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.

Ausonius in ludo septem Sapientum.

Dixisse ex isto loco
Afer poeta videtur, ut ne quid nimis.

Per Afrum poetam intelligit Terentium. Meminit et sanctus Isidorus Pelusiota lib. v, epist. 73 : Ἐς μὲν τῶν ἐπὶ τῷ βουλουμένων, σοφῶν παρῆσαν, μηδὲν ἄγαν, id est, unus e septem Sapientibus hortabatur : Ne quid nimis. Et epist. 528 : Σοφὼ δὲ ἄνδρε εἶπα τὴν· ὁ μηδὲν ἄγαν· ὁ δὲ μέτρον ἄριστον· id est, duo viri sapientes dixerunt : alter, ne quid nimis; alter, modus optimus. Idem repetit epist. 413. Sanctus Leander de Institutione virginum, cap. 15 : « Unde vera est illa sententia philosophorum : Ne quid nimis. » Hanc sententiam tribuit Soloni Diogenes Laertius lib. I, in ejus Vita. Hæc autem regulæ verba usque ad illa, *ut diximus. Et studeat plus amari*, etc., citantur in conc. Duziac. II.

[c] *Ne, dum nimis eradere*, etc. Idem alia similitudine præclare docet sanctus Gregorius epist. citata : « Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare, quod sanum est : ne, si plusquam res exigit ferrum impresseris, hoc eas cui prodesse festinas. »

[d] *Suamque fragilitatem semper suspectus sit.* Ut possit alienæ fragilitati compati. Unde præclare admodum sanctus Ambrosius de obitu Theodosii : « Agnoscit se hominem esse, qui novit ignoscere. »

[e] *Calamum quassatum non conterendum.* Isaiæ XLII; et citatur a Matthæo, cap. XII, dictum de Christo, quem antistites monasteriorum debent imitari. Calamus quassatus, ut notat sanctus Basilius interr. 291, Regul. brev., is est qui nondum omni fastu B vacuus non adeo sincere mandatum exsequitur : qui non ideo conterendus est, et severius increpandus, sed benigne ferendus, ut sanari possit. Quid sit arundo, seu calamus, belle exponit Eusebius Gallicanus, homilia in hæc verba : « Arundini quoque, id est, carici, quæ a vento movetur, peccatrix et infidelis anima comparatur, ut pote levis, mobilis, inquieta, infirma, fragilis, infecunda velut inutilium numerositate foliorum, plena superfluis, vacua necessariis, inanis gratiis, nodosa peccatis, ad omnia blandientia obnoxia, et facile cujuslibet injuriæ commotione cassanda, inconstans, radicibus, a foris nitida vanitatibus, intus cava virtutibus. Quam nulla extrinsecus utilitas vestit, nulla intrinsecus fidei medulla corroborat. Quam, sicut carices, quæ fluvios amant, ita mundi hujus præterfluentia, et veleri decursu peritura delectant. » Postea concludit invicem alterius commodis laborandum, et invicem labores atque onera esse portanda. Unde sanctus C Hieronymus hunc locum Matthæi explicans sapienter dicit : « Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit. »

[f] *Et studeat plus amari, quam timeri.* Hic locus habetur in supra citata epistola monachorum Laubiensium. Eandem sententiam profert regula Tarnatensis cap. 25 : *Plus amari appetat, quam timeri.* Præclare Corippus lib. IV.

Corrector iniqui
Censuram gravitate ferens, meritoque rigore
Terribilis, mitique magis pietate tremendus.

[g] *Non sit turbulentus*, etc. Hæc sancti Benedicti verba ita præclare modificantur et explicantur in libello supplici monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum : « Fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio. »

[h] *Anxius.* Ut contingere solet pusillanimis, meti- D culosis et scrupulosis, qui ad quamlibet, vel levem, difficultatem, trepidare solent, atque etiam ardelionibus, qui omnia facere volunt, quos profecto necesse est nimia anxietate sæpius lancinari, cum sæpe negotiorum mole obruantur.

[i] *Nimius.* Hoc loco est molestus, importunus. Magister in regula ms., cap. 9 : *Ne aut nimius ei appareat, aut improbus.* Nam *improbus*, ut infra dicetur, est importunus. Proprie *nimius*, est modum in rebus agendis excedens. Unde adverbium, *nimie*, id est, immoderate, apud Julium Capitolinum in Gordianis : « Moribus ita moderatus, ut nihil possis dicere, quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit. »

[j] *Non zelotypus.* Metaphora ducta est a maritis, qui de uxoribus aliquid sinistri semper suspicantur : quales sunt ii, qui scrupulosius monachorum suorum actiones rimantur, et observant.

[k] *Sive secundum Deum*, etc. Lege, ut apud san-

injungit, discernat et temperet, considerans discretionem sancti Jacob dicentis : *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die* (*Gen.* XXXIII). Hæc ergo et alia testimonia discretionis, matris virtutum, sumens, sic temperet omnia [a] ut sit et fortes quod cupiant, et infirmi non refugiant; et præcipue ut præsentem regulam in omnibus [b] conservet. Et dum bene ministraverit, audiat a Domino quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo : *Amen dico vobis*, ait, *super omnia bona sua constituet eum* (*Matth.* XXIV).

§ II. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 20).

[c] Abbas vel præpositus [d] e propriis semper cœnobii monachis eligatur : vir sanctus, discretus, gravis, castus, charus, humilis, mansuetus et doctus. Qui divinis experimentatus [est] documentis omnibus perfectis rebus bene fuerit eruditus. Qui in abstinentia præcellat, in doctrina refulgeat, [e] exquisitas epulas mensæ lautioris consuetudinemque contemnat, vini nimii perceptionem respuat, cunctis in commune fratribus, ut pater proprius piissimusque provideat. Quem nec ira subita immoderate dejiciat, nec mœror ac pusillanimitas frangat, nec libido corrumpat. Qui et in patientia discretionem et cum ira exhibeat lenitatem. Quique sic egentibus aut pauperibus pareat, ut ministrum se, non prælatum tantum Christi visceribus recognoscat.

A Cujusque tanta debet sermonis et vitæ consonantia esse, ut id, quod docet verbis, confirmet operibus sedulis. Et bis acuto præcedens gladio quidquid alios informat verbo, jugi ipse gerat studio : ut nec sermonem operatio destruat, nec e contra operationem bonam sermo inconveniens frangat, sed sint sibi cuncta ita in [f] Patre convenientia, sicut chordarum concordia in lyra vel cithara, quæ tunc dulcifluum ex se sonum repercussæ reddunt cum artificis pulsante manu temperato æquitatis ordine, et non confusæ inæqualitatis præcipitatione feriuntur.

§ III. — Ex Regula alterius Fructuosi (*cap.* 3).

Primum prævidendus est abbas vitæ sanctæ institutione duratus, [g] non conversatione novellus, sed B qui per diuturnum tempus in monasterio sub abbate desudans inter multos est comprobatus; [h] et non habet hæreditatem in sæculo, sed in toto Israel absque sorte in terra repromissionis est Levita verus. In tantum, ut omnem [i] causandi usum radicitus a suo corde depellat : et si [j] fas fuerit, per nullam occasionem in judicio cum hominibus contendat. Sed, si quis eum incitaverit, et tunicam tulerit, [k] qualiter contendat, ad vocem continuo Dominicam et pallium relinquat. Si certe aliquis insecutor monasterii accesserit, et aliquid auferre conatus fuerit, et per vim tollere voluerit, uni de laicis causam in-

ctum Dunstanum, Smaragdum, et in vulgatis : *Sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint. Opera, quæ injungit discernat, et temperet.* Ita ut verbum C substantivum, *sint*, referatur ad τὸ *imperia*. Unde Smaragdus : « Imperia secundum sæculum sunt, quæ ad corpus spectant, ut sunt arare, metere : secundum Deum, quæ ad animam, ut orare, jejunare. »

[a] *Ut sit et fortes quod cupiant*, etc. In cod. ms. Ebrul. : *Et fortes sit quod cupiant;* sed vocabula sunt transposita. In Vict. et S. Germ. legitur, *sint*, male. In vulgatis, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum, habetur *sint*, et *qui* pro *quod;* non ita recte. Sed locus corruptus est apud Smaragdum. Nam in Commentario ait : « Sic enim cum discretione, quæ est mater virtutum, monachorum opus est temperandum, ut sit, id est, tale opus, et fortes quod cupiant; subauditur, agere, vel implere. » Recte admodum. In hanc lectionem conspirat Arnoldus abbas Lubecensis lib. IV Chron. Slavorum, c. 13, agens de Regula sancti Benedicti : « Ibi enim est quod fortes cupiant et infirmi non refugiant. » Idem sensus habetur in canone Theodori supra citato : « Ut fortes habeant quod cupiant [*Sup.* agere] D et infirmi non refugiant. » His consentit editio Colinæi, quæ est veluti quædam hujus loci paraphrasis : « Ut sit, quod fortes agere cupiant, et infirmi, quod non refugiant. »

[b] *Conservet.* Ita vulgo habetur. Et ad abbatem hoc verbum refertur : et ita explicat Smaragdus. Sed in utroque ms. cod. S. Germ. et Vict. legitur : *Conservent :* quæ lectio satis mihi arridet, quia sequentia melius cohærent antecedentibus, hoc modo : *Sic temperet omnia, ut sit et fortes quod cupiant*, etc., *et præcipue, ut præsentem regulam in omnibus conservent.*

[c] *Abbas.* Hæc habentur in R. ms. sancti Fructuosi episcopi Bracarensis, Cod. Crassensis eodem capite 20; et referuntur in libello qui inscribitur : *Centum et quatuordecim sententiæ Patrum de officio rectorum ecclesiæ, Coloniæ edito, anno Domini* 1531.

[d] *Ex propriis cœnobii monachis.* Abbas eligendus est ex ipsa congregatione cœnobii. Ita statuit sanctus Gregorius Magnus in concilio Lateranensi : « Defuncto vero abbate cujusquam congregationis, non extraneus (eligatur) nisi de propria congregatione, quem sibi propria voluntate concors *fratrum* societas elegerit. » Et lib. I Capitularis Caroli et Ludovici impp. tit. 86.

[e] *Exquisitas epulas mensæ lautioris consuetudinemque contemnat.* In præfato libello *Centum et quatuordecim sententiarum* legitur : « Exquisitas epulas in mensa lautiores consuetudine contemnat, » male. Consuetudo hoc loco est victus, qua de re infra.

[f] *Patre.* Leg., *pace.*

[g] *Non conversatione novellus.* Quia is qui vix monasterii leges didicit, nondumque omnia vitia mortificationis falce resecuit atque etiam artis spiritalis ignarus, vix poterit alios regere. Quod sane maxime cavendum est; ne etiam in superbiam elatus, in judicium, id est damnationem incidat diaboli, quia existimabit monasterium indiguisse sua sapientia et auxilio, et se cito ad eam perfectionem, quæ in prælato requiritur, gradum fecisse.

[h] *Et non habet hæreditatem in sæculo.* Hæc metaphorice dicuntur. Id est, non appetit hujus sæculi bona.

[i] *Causandi usum.* Causari est litigare, causam agere, contendere judicio. Papias : *Caussari, caussas agere, vel reprehendere, calumniari, inculpare.* Sanctus Hieronymus in caput primum Abacuc : « Causatur adversus Deum propheta. » I disputat. lib. II legis Longobardorum, tit. 52, l. 1 : « Si quis causam alterius agere aut causari præsumpserit. » Lib. II Capitul. Caroli et Lud. impp., tit. 34 : « Si inventus fuerit aliquis, qui non habeat justitiam causandi aut reclamandi. »

[j] *Fas fuerit.* Id est, si fieri possit.

[k] *Qualiter contendat.* Id est, ita ut inde ad contendendum irritetur.

jungat, et ipsi fidelissimo Christiano, quem bona vita commendat, et fama mala non reprobat. Qui res monasterii absque peccato [a] judicet et quærat. Et, si usus jurandi est, hoc faciat [b] sine juramento et pœna : et non tantum pro rerum lucris, sed ut persecutorem humilem et mansuetum ad veniam postulandam reducat. Quod si persecutor in sua perseveraverit contumacia, et plus lucra dilexerit quam animam, statim [c] causator cum eo contendere dimittatur. [d] Abbas vero absque ullo usu causandi, et eraso rancore stomachi, simpliciter in monasterio cum suis monachis vivat, et nullam cum sæcularibus causandi licentiam habeat.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 93).

[e] Videte, fratres, ne quis hanc ordinationem animo malo suscipiat, et Christum contemnat, cujus vicem in monasterio vobis iste acturus est. Post hæc statim oratione ab omnibus facta, accersitus statim [f] præsul Ecclesiæ ipsius territorii vel testimonio ejus [g] clericatus officii mutato, [h] episcopi manu nomine ejus in abbatis honorem [i] in diptyco post nomen prioris ejus, jam [j] missa altaris in oratorio operam suam in re ecclesiastica administranda commodant : ut in jure civili officium dicitur certus hominum numerus, qui judici jus dicenti assistunt. Cod. l. 6, *de Sententiis et interlocutionibus*, etc. : « Cum sententiam præsidis irritam esse dicis, quod non publice, sed in secreto loco officio ejus non præsente sententiam suam dixit. » Edicti Theodorici regis cap. 4, 10 et 55, apud Optatum Milevitanum, lib. VI adversus Parmenianum : « Per judicia sæcularia et leges publicas divinæ legis instrumenta executione officiorum a plurimis eripienda esse dixistis. » In collatione Carthaginiensi n. 201 « cujus loco Felix episcopus subscripserit, officium aperte demonstret. » Officium etiam milites sunt aulici. Corippus lib. III de laudibus Justini minoris :

Omnis sacrorum vis adfuit officiorum,

Et infra :

Officia stratos jussu monituque jubentis
Erexere viros.....

Et lib. IV :

Dona Calendarum, quorum est ea cura, parabant
Officia, et turmis implent felicibus aulam.

[a] *Judicet.* Lege, *vindicet.*

[b] *Sine juramento et pœna.* Lege, *Sine juramenti pœna.* Pœna est difficultas. Jonas in Vita sanctæ Burgundoforæ : « Cumque mater monasterii sæpe anxia quæreret quæ pœnæ foret occasio, ut nullatenus veritatem valerent exprimere. »

[c] *Causator.* Id est, litigator, qui judicio contendit. Legis Salicæ tit. 6 : « Cum causa discussa fuerit inter duos causatores. » Lib. III Capitul. Car. et Lud. Impp., tit. 10 : « Et non soli accusatori liceat testes eligere absente suo causatore. » In Glossis Isidori : *Causarius*, *litis amator;* eædem Glossæ : *Causarius*, *reus.*

[d] *Abbas vero absque usu ullo causandi.* Laudanda sane constitutio. Neque etiam placuit sancto Gregorio magno ut abbas per se litiget, ut videre est libro II Regesti, cap. 42, ad Joannem abbatem : « Non frequenter foras egrediaris : in causis istis procuratorem institue : et tu ad lectionem atque orationem vaca. » Notent abbates et rectores monasteriorum. Turpe est sane videre abbatem per fora volitantem, qui in litigiorum mæandris misere consenescat.

[e] *Videte.* Hæc habentur in Regula ms. cod. Corb. eodem cap. 93, cujus hoc est initium : *Ideoque judicio Dei*, etc. Ut autem hæc intelligantur, notandum est ex cap. 92 et 94 ejusdem Regulæ quod hic Magister non vult abbatem eligi a fratribus, propter ambitus, rixas et jurgia ; sed statuit ut abbas eum quem magis idoneum judicaverit designet oculo, et cum se videt lethali morbo corripi, convocatis fratribus, eum quem antea apud se designaverat, eis patefaciat, et accersito loci illius episcopo, nominatus frater ab eo ordinetur.

[f] *Præsul.* Adhibetur episcopus territorii in quo situm est monasterium, qui abbatem electum benedicat atque ordinet, juxta antiquum morem, quo abbates ab episcopis benedicuntur et ordinantur, ut videre est in antiquo ordine Romano, et statuitur Codicis lege 46, *de episcopis et clericis*, etc. Novella Justiniani 123, cap. 34, et lib. IV Basilicorum. Idem videre est apud sanctum Gregorium Magnum, lib. IX, epist. 42, et can. 14 synodi VII : « Lectori autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli unicuique abbati facere, *εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσια παρὰ ἐπισκόπου*, id est, Si ipsi abbati ab episcopo manus est imposita. » Abbatissæ etiam ab episcopis ordinantur, ut videre est in antiquo ordine Romano, apud sanctum Gregorium II, lib. VI, epist. 12 : « Quam tamen (abbatissam) si digna hoc monasterio judicata fuerit, ejusdem loci episcopus ordinet. » Et lib. VIII, epist. 43. Id etiam constat ex epistola sanctæ Radegundis apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 42 : « Quam (abbatissam Agnetem) beatissimi Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecravit. » Intelligit sanctum Germanum episcopum Parisiensem. De abbatum dignitate vide Chassanæum, parte IV Catalogi gloriæ mundi, consideratione 31 et seq.

[g] *Clericatus officii.* Clericatus officium nihil aliud est quam clerici, qui præsto sunt episcopo, eique

[h] *Episcopi manu ejus in abbatis honorem.* Locus corruptus, qui ita restitui potest : *Episcopi manu nomen ejus abbatis, qui in honorem ordinatur, post nomen prioris ejus scribatur.*

[i] *In diptyco.* Glossæ Isidori : *Diptycha tabellæ, quas ferimus.* Δίπτυχον, seu, δελτίον δίπτυχον, adjective, est tabella duas plicas habens dicta ab Atheniensibus γραμματεῖον δίθυρον, id est liber habens duas valvas. Nam illi valvas, seu θύρας appellant, quas alii plicas. Dicitur, et τρίπτυχον, id est, tabella habens tres plicas : et πολύπτυχον, id est, tabella habens plures plicas, ut scribit Julius Pollux lib. IV Onomastici, cap. 2. Quod etiam Latine usurpatum est : apud Cassiodorum, lib. V Var., epist. 4 : « Ut omnibus a te sollicite atque æquabili indagatione compertis polyptycis jubeantur ascribi ; » et Marculphum, formula 3 : « Et in polyptyco publico censitus non est. » Dicuntur et diptycha sacra libri in quibus scribebantur nomina defunctorum pontificum orthodoxorum, quorum in sacra Liturgia fiebat commemoratio : qua de re agit sanctus Maximus Cæsaraugustanus episcopus in Chron., æra 650, mentionem facit Georgius episcopus Alexandrinus in Vita sancti Joannis Chrysostomi, concilium Constantinopolitanum sub Agapeto et Menna, actione 5 (*Photius*, *n.* 96), et multi alii. Seorsum etiam in illis scribebantur nomina pontificum viventium orthodoxorum, ut notum est ex concilio Chalcedonensi, actione 11. Horum diptychorum mentio fit in Liturgia sancti Joan. Chrysostomi : Ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, id est, Diaconus per circuitum incensat sanctam mensam et diptycha. Ubi interpres non ita recte vertit, *corporale.* Consule Onomasticon doctissimi viri Heriberti Rosweidi societatis Jesu.

[j] *Missa altaris.* Appellat missam altaris, ut distinguat a missa quæ dicitur conclusio seu collecta.

torio a [a] clerico recitetur, ipso oblationem fratrum recitante. Si tamen abbas adhuc defunctus non fuerit, et adhuc deletus a vivis non fuerit, tunc post nomen majoris. [b] Nam postquam defuncti nomen inter quiescentes migraverit, novi nomen in capite scribatur. Mox ergo celebrantes in oratorio missas, cum explicuerint, præsente, ut diximus, pontifice, vel cuncto ordine clericatus officii, data ei a priore pace, vel subsequente congregatione, tradat ei in manum hanc Regulam, simul, et petitas claves a cellerario de [c] inticis monasterii et [d] brevem rerum universarum ferramentorumque et codicum, vel universarum mobilium, et collata singulorum [e] testamenta omnia ante pontificem assignentur. Nam dicat ei cui dat Regulam hanc, præsente pontifice vel universo clero ejus : *Accipe, frater, Legem Dei hanc Regulam, in qua observantibus æternam promittetur vitam, negligentibus sempiternum proponas judicium. Hic anima vincit, aut perit; hic vita aut amittitur, aut tenetur.* Hic pendet istarum, quas conspicis, animarum a te Dei exactio. [f] De hoc breve gregis istius in judicio Domini post me tu facturus es rationem. Memento, frater, memento, quia plus cui creditur, plus ab eo exigitur : et esto jam sollicitus, et noli esse securus de lupi voracibus faucibus [g] diabolicas insidias gregi tuo futuras, [h] sed et vulneribus animarum vel ruinis culparum, quibus artibus vel monitionibus ad salutem animas valeas instaurare. Esto jam, quantum potes, vigilans et sollicitus, quia usque hodie fuisti securus. Hæc cum compleverit, Regulam istam tenenti in manu iterato dicat abbas : Ingredere in oratorium Domini, et sta in loco meo cum congregatione jam tua. Alliget [i] summus sacerdos orationibus suis in gestis cœlorum quod suscepisti in terris. Et post hæc dicta tradat ei pallium suum : quo accepto, qui acceperit [j] osculetur manum dantis. Et cum acceperit, mox ingressus cum sacerdote novus abbas cum congregatione jam sua in oratorium et stans in loco prioris, postquam sacerdos pro eo orationem fuderit, statim vadat novus abbas ad altare : et ponat super eum Regulam, [k] et dum eam ponit quam accepit, dicat retro omnis congregatio una cum ipso hunc versum : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Cum gloria et cantilena. Quæ cum prædixerit, mox clara voce prosternens se in orationem pavimento expetat pro se orare sacerdotem : [l] [quo] et retro stans congregatio similiter pavimento adhæreat; et [m] surgentes post completam orationem, [n] osculetur genua sacerdotis, et erigatur ei ad pacem. Deinde omni officio ejus pacem contradat, deinde præpositis vel omni congregationi : et sic exeat disciplinæ; tradens claves manu sua cellerario. Mox vadens et orationem cum omnibus complens sine sacerdote jam ipse petita benedictione in cathedra sedeat prædecessoris, primo præpositi, deinde omnes ejus genua osculentur. Mox surgens vadat ad jacentem priorem, et osculetur genua ejus, porrigatur ad pacem ei. Post acceptam pacem quondam prior dicat omnibus : fratres, et pro me orate, ut orationes animarum vestrarum transactus una cum mea possim in die judicii ante Dominum discussorem integras exponere et fideliter consignare : et quomodo vos constabilivit Dominus in terris, et meos bene exitus suscipere dignetur in cœlis. Unde si post hoc forte melioratus ipse abbas defunctus non fuerit, omnem licentiam vel potestatem, ordinationemque vel honorem pristinum [o] disciplinæ

[a] *A clerico.* Id est, presbytero. Nomen generale pro speciali.

[b] *Nam postquam defuncti nomen*, etc. Id est, cum nomen abbatis defuncti in eam partem seu paginam diptychi in qua nomina defunctorum abbatum scribuntur, relatum fuerit; id est, cum abbas mortuus fuerit.

[c] *Inticis.* Inticæ, id est, enthecæ, ut diptycum, pro diptychum; eptatycum, pro heptateuchum. Enthèca à Græco, ἐνθήκη, repositorium, cella, in qua substantia domus seu monasterii reconditur. Cassianus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14 : « Cumque totam enthecam cœnobii suam credat esse substantiam. » Sanctus Augustinus, serm. 1, de vita clericorum : « Enthecam nobis habere non licet. » Novella Justiniani 128 : « Cum omnibus qui in ea invenientur, agricolis et peculiis eorum, et enthecis, et fructibus. »

[d] *Brevem.* De hac voce infra dicetur.

[e] *Testamenta.* Testamenta sunt instrumenta seu chartæ donationum et acquisitionum. Lex Ripuariorum, tit. 59, § 1 : « Si quis aliquid alteri vendiderit, et emptor testamentum venditionis accipere voluerit, » etc. Marculphus, formula 101 : « Sub libertatis testamento solemniter. » Et hoc sensu multa testamenta abbatum intelligenda sunt, quorum fit mentio in historiis et multis sanctorum Vitis.

[f] *De hoc breve gregis.* Ita loquitur, quia ibi erat breve seu matricula, in qua monachorum nomina scripta erant.

[g] *Diabolicas insidias.* In Regula ms. *Vel diabolicas insidias.* Sed lege, *vel diabolicis insidiis gregi tuo futuris.*

[h] *Sed et vulneribus.* Lege : *sed et de vulneribus.*

[i] *Summus sacerdos.* Id est, episcopus.

[j] *Osculetur, qui accepit, manum dantis.* Veteres olim manus osculabantur in signum honoris et venerationis. Sanctus Hieronymus in Vita sancti Hilarionis : « Et benedicentes Deum sancti deosculati sunt manus. » Idem in Vita sancti Pauli eremitæ : « Osculatis ejus oculis manibusque. » Et epist. ad Asellam : « Osculabantur mihi mamas quidam, et ore viperco detrahebant. »

[k] *Et dum eam ponit; quam accepit.* Hæc sunt transposita, et sic legenda : *Et ponat super illud Regulam quam accepit, et dum eam imponit, dicat.*

[l] *Quod et retro.* Ita in Regula ms. Nihilominus tò *quod* videtur redundare.

[m] *Surgentes.* Ita in Regula ms. Nominativus absolutus pro ablativo. Quod sæpe occurrit in hoc auctore, a quo non adeo exactam Latinitatem quærimus.

[n] *Osculetur genua sacerdotis.* In signum reverentiæ et submissionis olim subditi superiorum genua osculabantur, quod etiam paulo post videtur. *Jam ipse (Abbas) petita benedictione in cathedra sedeat prædecessoris; et venientes primo præpositi, deinde omnes ejus genua osculentur.* Apud sanctum Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 6 : « At ego cum trepidatione consurgens oscalatus sum sancta ejus genua. »

[o] *Disciplinæ.* Vocabulum, *disciplinæ*, videtur redundare.

ipse recipiat : si meritò, sui Deus hi hoc ipsum reddidit vitâm. Nihilque sibi noviter ordinatus ex illa hora usque ad diem veræ mortis de honore constituto vindicet. Et cum ei certus advenerit dies mortis, qui jam sub præsentia sacerdotis priùs exstitit ordinatus, sine dubio ipse succedat. Ita tamen si casus superbiæ vel elationis ejus non deposuerit merita. [a] Ergo cum nihil illo vivo sibi usurpaverit de honore, [sed] hoc tota mentis intentione assumat, et diligenti observatione custodiat : ut non jam de honore designato reddatur elatus, sed in melius magis acta sua de præceptis Dei in Regula constitutis quotidie de se coram Deo et fratribus, vel omnibus hominibus præbeat. Et plus se ex tunc in verbis et factis ipso habitu humiliet, quam antea pro ipsius humilitatis gratia fuerat incurvatus, ut omnes æstiment eum humiliorem et viliorem omnibus [magis] post designationem honoris effectum quam ante : ut quasi profectus merito in se Domini impleat sententiam dicentis : *Qui vult inter vos esse* [b] *fortior, sit vester* [c] *ultimus; et qui se humiliaverit, merito exaltetur* (*Matth.* xx). Tamen propter honorem quem sacerdos orationibus constituerat : et manu sua post abbatis prioris, cum infirmaretur, in diptyco monasterii nomen scripserat : et suo honorabilius prior et verus abbas indicio elegerat; et quod ante non licebat per regulam pro oratione sacerdotali et ipsius abbatis electione, et magis propter additam et augmentatam in eo humilitatem secundarius jam judicetur. Quod nomen non suo judicio ipse præsumpsit, sed perfectæ observantiæ merita in eo elegerunt. [d] Nam regula ideo vetat constitui secundarios propter elationem et superbiam. Nam istum per actum bonæ observantiæ, vel firmitatem humilitatem et Deus elegit, et abbas concessit, et sacerdos ordinavit : sed constitui adhuc vita prioris reddita non permisit. Unde et illa die [e] quasi jam spiritalis Cæsar designatus secus abbatem sedeat; alium chorum psallentium contra abbatem teneat in oratorio; post illum calicem ad mensam accipiat, post ipsum in omnibus habeatur : et ubicunque abbas ambulaverit, ipse locum pro se suscipiendi vel vitia fratrum emendandi vel excommunicandi licentiam habeat attributam. Quod si excommunicatus satisfacere ei consuete noluerit, reservata culpa ejus abbati, ipse vero usque ad adventum in reatu excommunicationis permaneat. Omnia ista ex delegatione ambulantis exerceat, et in omnibus absentis agat vices abbatis. Sed hoc ipsum non suo judicio sibi defendens, sed jussu prioris et veri abbatis : cum ei per præceptum permittitur, tunc licentiam habeat aliquid ordinare aut in hoc honore credat se posse consistere. Nam omni hora omnibus indicans se esse æqualem, et magis, si vult esse perfectus, et digne vult, ad quid deputatus est, pervenire, humiliando se universis fratribus suis, magis se omnibus inferiorem adjudicet, et viliorem se universis ultimo cordis credat affectu. Quia tales novit Dominus exaltare, dicente Scriptura : *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* iv). Nam hoc cavere semper ipse frater debet, ne aliquando de proviso honore cordis elationem assumat, et in aliquam prorumpens superbiam in aliqua parte aut humilitatis aut præcepti divini corruens Regulam, sicut priùs, observabat, minus aliquid modo adimpleat, jam designato honore securus. Et mox sciat pro certò quia cum abbas frequenter [f] in aliquas culpas, quem elegerat, non in majus proficientem, sed per negligentiam magis deterioratum eum aspexerit, et monitus ab abbate non emendaverit se; et nomen ejus deleat, [g] quamvis sacerdos rogatus ab abbate, de diptyco : et ipse in suum rediens numerum judicetur negligentibus coequalis : excommunicationi consuetæ subjaceat, qui culpas non vitat, quia per negligentiam perdidit, quod intervenerat; et recipiat quod admiserat. Et postquam fuerit inferiori redditus merito, a latere jam disjungatur abbatis. Et ex illa jam die ab abbate alius frater de omnibus jam oculo et animo quæratur superior negligenti : Qui et ipse electus absconse quotidie, tempore mortis suæ manu sua eum apertius indicet juste et fiderito omnibus præponendum in ordinatione primatus. Et reprobi isti, qui per negligentiam de summo honoris culmine cadunt, audiant Apostolum dicentem : *Bene curre-*

Ergo cum nihil, etc. Longi et perplexi hujus circuitus sensus est. Si electus nihil altero adhuc vivente sibi arrogaverit, sed se humiliorem exhiberit; propter honorem ab episcopo sibi traditum, deinceps habeatur secundarius, id est secundus post abbatem in potestate.

[b] *Fortior*. Id est major, superior. Id postulat textus evangelicus Matth. xx, Marc. x, Luc. xxii. Et certe aliquando fortior significat τὸ *major*. Lib. Capitularis Caroli et Ludovici imperatorum, tit. 36 : « Comites fortiores librarii de argento aut valentem donent in elemosyna. » Et paulo post : « Fortiores comites uncias tres, minores denarios viginta. Lib. iii legis Longobardorum, tit. 11, l. 1 : « Sive etiam nonnulli fortiores vassi comitum. » Regula sancti Benedicti, cap. 14 : « Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inveniuntur, id est maires. » Sed hic locus spectat ad quantitatem.

[c] *Ultimus*. Apud Matthæum et Marcum legitur, *minister*.

[d] *Nam Regula vetat ordinari secundarios*. Secundarius hic appellatur is qui declaratus ab abbate moribundo ei successurus est. Quod cap. 92 Regulæ magister prohibet sano abbate fieri.

[e] *Quasi jam spiritalis Cæsar designatus*. Is qui in socium ab imperatore asciscebatur ei successurus Cæsar appellabatur, ut vulgo notum ex historicis, qui de gestis imperatorum scripserunt : sic iste secundarius ita ordinatus mortuo abbati successurus est veluti Cæsar spiritalis.

[f] *In aliquas culpas*. Supple *incidentem*, vel quid simile.

[g] *Quamvis sacerdos rogatus ab abbate*. Ita in cod. Vind. In Regula ms. legitur : *Quivis sacerdos*, etc., ita ut sensus sit delendum esse nomen istius secundarii a quovis sacerdote quem abbas rogaverit. Sed non video rationem cur ipse abbas non possit delere nomen secundarii. Quod si delendum sit a sacerdote, satis non sit a quovis, sed ab illo qui scripserat. Itaque legendum puto : *Quamvis sacerdos rogatus ab abbate scripserit*; ut sensus sit nomen secundarii superbi delendum esse de diptycho etsi prius a sacerdote scriptum fuerit.

batis, quis vos impedivit? Satanas, qui electos deponit. Et antequam deletus reprobus fiat, et in negligentiam convertatur, audiat quid eum quotidie conveniat Scriptura dicens : *Tene quod habes, ne* [a] *alter accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III). Et qui audierit, et non observaverit, sibi imputet cum ceciderit. Quia a Domino superbi et negligentes et indigni ideo deponuntur, ut digne observantes præceptum Dei, ut humiles, exaltentur : quia apud judicem justum Dominum non est personarum acceptio. Nec vult aliquid præstare indignis, cum solos justos bonos et sanctos novit diligere, et ipsis solis de præsentis vitæ honore et de perpetuæ coronæ retributione sit debitor.

§ V. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 3).

[b] Abbas interea eligendus est [c] institutione sanctæ vitæ duratus atque inspectus, patientiæ et humilitatis expertus, quique etiam et per exercitium vitam laboriosam toleravit, ac transcendens ætatem adolescentiæ [d] juventutem seu senectutem tetigerit. Cui et majores non dedignentur parere, obedientes ei [e] tam pro ætate, quam etiam pro morum probitate. Iste se imitandum in cunctis operum exemplis exhibebit. [f] Neque imperare illi cuiquam licebit quod ipse non fecerit. Singulos autem hortamentis mutuis excitabit, alloquens cunctos, exhortans, vel ædificans in eis si quid eorum vitæ pro uniuscujusque gradu prodesse perspexerit. Circa omnes servans justitiam, contra nullum livore odii inardescens, omnes ex corde amplectens, nullum conversum despiciens, paratus etiam quorumdam infirmitatibus [g] compatiendi misericordiam Apostolum sequens : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix* [h] *foveat pullos suos* (*I Thess.* II).

§ VI. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 12).

Interrog. [i] Si licet alicui dicere ex proprio sensu, quod sibi videtur bonum absque testimonio [j] Scripturarum, Domino nostro Jesu Christo dicente de Spiritu sancto : *Non enim loquetur a se, sed quecunque audierit, hæc loquetur* (*Joan.* XVI). De seipso autem : *Non potest filius a se facere quidquam* (*Joan.* V). Et iterum ; *Ego a me ipso non sum locutus; sed qui me misit Pater, ipse mihi dedit mandatum. Quid dicam, aut quid loquar et scio, quia mandatum ejus vita æterna est. Sicut dixit mihi Pater, ita loquor* (*Joan.* XII). — *Resp.* Quis potest in tantum temeritatis progredi, ut audeat a se quidquam vel loqui, vel cogitare? Imo vero sciendum est, quia omnes duce itineris indigemus Spiritu sancto, ut ipse nos in viam dirigat veritatis et in cogitatione et in verbis et in actibus. Cæcus est enim et in tenebris degit omnis qui est absque sole justitiæ, qui est Dominus noster Jesus Christus; cujus mandatis velut radiis quibusdam illuminamur : *Mandatum enim*, inquit, *Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII). Quia ergo in omnibus negotiis, quæ inter nos versantur, vel verbis, quædam quidem per mandatum Dei in divinis Scripturis distinguuntur, quædam vero reti-

[a] *Ne alter*. Apocalypsis III, ubi legitur in editione vulgata, *ut nemo*.

[b] *Abbas*. Hæc reperiuntur in Regula sancti Isidori excusa, cap. 2.

[c] *Institutione sanctæ vitæ duratus*. Ita sanctus Fructuosus supra : *Vitæ sanctæ institutione duratus*, id est, qui multos annos constanter in sancta observantia perseveraverit. Quod etiam habetur Codicis lege 46 de Episc. et Clericis, etc. Ubi agitur de electione abbatis : « Sed quem utique et vita optima et mores honesti commendant; καὶ ἡ περὶ τὸν ἄσκησιν συντονία : id est, *circa exercitationem, seu vitam monachicam constantia*, et commune reliquorum monachorum complementum, aut maxima pars idoneum ad hoc putaverit. »

[d] *Juventutem seu senectutem tetigerit*. Ita in Concordia Vindocinensi. In Regula excusa legitur *juventute sua senectutem tetigerit*. Sed hæc manant a correctore, qui locum non intelligens, dum corrigere voluit, corrupit. Hæc enim verba nullum sensum efficiunt. Itaque constanter retinenda lectio nostrorum codicum mss. Nec ineptum est aliquem institui abbatem in juventute, si juventus proprie sumatur : quæ juxta eumdem Isidorum lib. II Orig., cap. 2, ab anno vigesimo octavo, quo desinit adolescentia, producitur usque ad annum quinquagesimum : « Tertia, inquit, adolescentia ad gignendum adulta, quæ porrigitur usque ad vigesimum octavum annum. Quarta juventus firmissima omnium ætatum finiens in quinquagesimo anno. » Vel juxta Censorinum libello de Natali die, cap. 14, a trigesimo anno usque ad quadragesimum quintum. « Secundo, inquit, ad tricesimum annum adolescentes ab adolescendo sic nominatos; in tertio gradu, qui erant usque quinque et quadraginta annos juvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari possent juvare. » Et certe intra hoc annorum spatium poterit quispiam muneri abbatiali idoneus inveniri, modo neophytus non sit, sed, ut ait sanctus Isidorus, in institutione sanctæ vitæ duratus.

[e] *Tam pro ætate*. Recte : quia adolescentior senioribus esset despectui. In Regula excusa legitur : *Non tam pro ætate;* male.

[f] *Neque imperare illi cuiquam*, etc. Recte et apposite : quia quod nunquam quis sustulit pondus, quam grave illud sit, ignorat. Pharisæorum est imponere onera gravia, et nolle ea minimo digito tollere. Aliud est ferre pondus et æstus religionis, et molam versare monasticam; aliud suæ voluntati obsequelam facere suisque affectibus lenocinari. Idem plane docet sanctus Cæsarius Arelatensis in epist. ad Oratoriam. « Prius cauta consideratione perpensa, ut quod ore promis, factis impleas, ut quod aliis prædicas, operibus præbeas : scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla sororum constes. » Quod servabat sanctus Erminoldus abbas Prufeningensis et martyr, ut habetur in ejus Vita lib. I, cap. 3 : « Hic itaque fidelis servus et prudens subjectis tamen non tam præesse studuit, quam prodesse, nihil subditis faciendum injungens, quod ipse exempli causa non primitus pertulisset. »

[g] *Compatiendi misericordiam*. In Regula excusa legitur : *compati misericordia;* recte. Legi etiam potest : *compati; misericordiam apostoli sequens.*

[h] *Foveat pullos suos*. Ita in regula excusa, alibi tamen in vulgata versione : *Foveat filios suos*; ut in textu Græco : Θάλπῃ τὰ ἑαυτοῦ τέκνα : quod idem sonat. Itaque apud sanctum Isidorum legendum puto *Foveat parvulos suos*.

[i] *Si licet*, etc. Hæc habentur apud sanctum Basilium, interrogatione prima Regularum brevium, et apud Rufinum interpretem, cap. 14.

[j] *Scripturarum*. In textu Græco additur, θεοπνεύστων, id est, a Deo inspiratarum ; quod vocabulum hic desideratur, quemadmodum apud Rufinum.

centur; de nis quidem, quæ scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam vel admittere quod prohibitum est, vel omittere quod præceptum est: cum ipse Dominus ita præceperit dicens : *Et custodi verbum hoc, quod ego tibi mando hodie : non adjicies ad illud, neque auferes ab eo* (*Exod.* XXXIV; *Deut.* XII). Sed et terribilis inest exspectatio judicii, et ignis zelus, qui consumpturus est adversarios et eos qui ausi sunt tale aliquid operari. De his vero quæ scripta reticuit, regulam nobis posuit Apostolus dicens : *Omnia licent, sed non omnia expediunt. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius* (*I Cor.* VI, X). [a] Itaque omnimode non quæ nobis licita sunt, A sed quæ ædificant proximos, agere debemus ; non nobis placere, sed proximis ad ædificationem. Scriptum est enim : *Subjecti invicem in timore Christi* (*Eph.* V). Sed rursus Dominus ait : *Qui vult in vobis major esse, fiat omnium novissimus et omnium servus* (*Matth.* X). Quod utique qui implere vult, sine dubio proprias amputat voluptates secundum imitationem ipsius Domini dicentis : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* VI). Et iterum præcepit dicens : *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo* (*Matth.* V).

[a] *Itaque omnimode*, etc. Ita apud Rufinum. Aliter in textu Græco : Ὥστε παντὶ λόγῳ ἐπάναγκες ἦ τῷ Θεῷ ὑποτάσσεσθαι κατ' ἐντολὴν αὐτοῦ, id est, B Quocirca omni ratione necesse est Deo subjici propter mandatum ejus.

CAPUT V.

QUALIS DEBET ESSE ABBAS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Abbas qui præesse dignus est monasterio, semper meminere debet quod dicitur, et nomen majoris factis implere. Christi enim vices agere in monasterio creditur quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* (*Rom.* VIII). Ideoque abbas [b] nihil contra præceptum Domini, quod absit, debet aut constituere, vel jubere : sed jussio ejus, vel doctrina [c] fermentum divinæ justitiæ in C discipulorum mentibus conspergatur. Memor semper abbas quia [d] doctrinæ suæ et discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciatque abbas culpæ pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias [e] utilitatis minus potuerit invenire. [f] Tantum [g] iterum erit liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi* (*Psal.* XXXIX). : ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus [h] pœna sit eis prævalens ipsa mors. Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis ; id est, omnia bona et sancta factis amplius, quam verbis ostendat. Ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat ; duris vero et simplicioribus factis suis divina præcepta demonstret. Omnia vero quæ discipulis docuerit esse contraria, [i] in suis factis indicet non agenda :

[a] *Abbas*, etc. Hujus capitis et præcedentis hæc mentio fit in concilio Trosleiano, cap. 3 : « In ipso ingressu sanctæ Regulæ legitur de eligendo abbate, et qualis esse debeat. » Ex quo patet caput de ordinando abbate olim primum fuisse Regulæ sancti Benedicti.

[b] *Nihil contra præceptum Domini*, etc. In Canone sancti Theodori Anglorum apostoli, de ordinatione abbatissæ : « Quatenus tua gratia prævenia nihil contra tuum præceptum faciat, doceat, constituat, vel jubeat. » D

[c] *Fermentum justitiæ divinæ*. Non fermentum Pharisæorum, quod inflet ad vanitatem, sed fermentum Christi, quod pusillos discipulorum animos extollat, et excitet ad grandia operanda atque ferenda propter Deum.

[d] *Doctrinæ*. Si apta fuerit ad lucrandas animas earumque fervorem augendum et conservandum. Non sufficit enim pastori multa et præclara docere, sed bene et apposite ad animarum salutem.

[e] *Utilitatis minus invenerit*. Nota. Non tantum de gregis detrimento, sed etiam de minori illius profectu abbas rationem redditurus est, eoque nomine plectendus, non secus ac opilio, cui juste paterfamilias irascitur non tantum si videat oves suas interisse, vel saltem morbidas, sed etiam si macras et exiles.

[f] *Tantum iterum liber erit, ut si*, etc. Ita apud Luthardum, ita in cod. mss. Vind. S. Faronis, S. Germani utroque, et in editione Coloniensi. At in Regula ms. Magistri, apud Trithemium et Smaragdum, *Tantumdem iterum erit liber, ut si*. In Vict. p., *tandem*. In vulgatis deest particula *ut* ; et ante τὸ *pastor* pingitur punctum, ita ut nullus ex tota hac periodo sensus elici possit. In editione Colinæi ita legitur : « Tantummodo apud Deum liber erit, si (postquam inquieto et inobedienti gregi pastoralis omnis diligentia fuerit attributa, et morbidis earum actibus universa cura exhibita) pastor ipse in judicio Domini absolutus dicat, » etc. Clarus est sensus et plausibilis. Itaque legendum puto hoc modo : *Tantum iterum liber erit si (ut inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa cura exhibita) pastor earum in judicio Domini absolutus dicat*, etc. Et particula *ut* hoc loco est *cum* vel *postquam*, ut sæpe apud classicos auctores.

[g] *Iterum*. Nempe in judicio, cum antea in vita liber fuerit evadendo negligentis pastoris supplicium temporaneum.

[h] *Pœna sit eis*. Est phrasis Hebraica, per quam redundat sæpe pronomen *is*, ut : *cujus participatio ejus in idipsum*.

[i] *In suis factis*. In Canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis legitur, *in operibus suis*. In epistola monachorum Laubiensium ad episcopos Rotbardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem, *in suis actibus* (*Baldricus, l.* 1 *Chron., cap.* 105

ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur (*I Cor.* IX) : ne quando illi dicat Deus peccanti : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum : tu vero odisti disciplinam, et projecisti* [a] *sermones meos post te* (*Psal.* XLIX). [b] Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti (*Matth.* VII). Non ab eo persona in monasterio discernatur, non unus plus alio ametur, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus [c] ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita ratione dictante abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat : sin alias, propria teneant loca. Quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus (*I Cor.* XII) : quia non est apud Deum personarum acceptio (*Rom.* II) : sed solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores [ab] aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas, una præbeatur [d] in omnibus secundum merita disciplina. [e] In doctrina namque sua abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit ; [f] *Argue, obsecra, increpa* (*II Tim.* IV) ; id est, [g] miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta ; dirum magistri, [h] pium patris ostendat affectum, [i] indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites, et patientes, ut in melius proficiant obsecrare ; negligentes et contemnentes, ut increpet et corripiat, [j] ammonemus. [k] Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo (*I Reg.* II). Et honestiores quidem, atque intelligibiliores animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat ; improbos autem et duros, ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat : sciens scriptum : [l] *Stultus verbis non corrigitur* (*Prov.* XVIII). Et iterum : [m] *Percute filium tuum virga, et*

[a] *Sermones meos post te.* Ita in Psalterio Romano.

[b] *Et qui in fratris tui oculo.* Horatius, sat. 3, lib. I, vers. 24 :

Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari,
Cum tua perviderit oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius ?...

[c] *Ex servitio convertenti.* Huc referri potest id quod scribit sanctus Leander, cap. 12 de Institutione Virginum : « Quas tibi facit, vel fecerit ancillas conditio pares, jam non pro nexu servitutis exulceres, sed pro paritate professionis honores. Quæ tecum Christo virginitatis stipendiis militat, pari tecum libertate exsultet. Nec sic vos provocamus ad humilitatem, ut illas superbia erigamus : quas dum ut accipia ut sorores, gratius illæ tibi sint famulæ, præbeantque obsequium, non servitute addictæ, sed libera charitate. Quoniam quidem non est personarum acceptio apud Deum, sed in distribuendo fides. Ubi pariter consulitur dominæ et ancillæ, ibi non eligitur domina, et reprobatur ancilla. » Nec omittam præclare illud dictum a sancto Ambrosio, epist. 55 : « Apud Dominum enim servitus et libertas æqua lance penduntur, cum nulla sit major dignitas quam servire Deo. » Quod non sint contemnendi servi, plura vide apud Macronium, lib. I Saturnal., cap. 11, et apud Agellium, lib. II, cap. 18.

[d] *In omnibus secundum merita disciplina.* Disciplina hoc loco est correctio, quæ adhibenda est prout quisque meruerit.

[e] *In doctrina*, etc. Hic locus citatur in concilio Troslejano, cap. 5, tom. III Conc. Galliæ.

[f] *Argue, obsecra*, etc. Est merismus seu distributio, elegans figura, cum omnia simul accumulantur, ut postea debito ordine distribuantur ; quod rite præstat sanctus Benedictus cum subjungit : « Indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant obsecrare : contemnentes autem et negligentes ut increpet et corripiat, admonemus. » Ubi etiam notandum est quam apposite hic sancti Pauli locus a sancto Benedicto expositus sit.

[g] *Miscens temporibus tempora.* Tempora, id est, occasiones. Miscet temporibus tempora monasterii rector, cum, prudenter arrepta occasione, modo arguit, modo obsecrat, modo increpat, modo terret, modo blanditur. Omnia ergo cum temporis occasione facienda.

[h] *Pium Patris*, etc. Declarat amplius quomodo est miscenda severitas lenitati. Cujus doctrinam tanquam sub ejus Regula enutritus sanctus Gregorius Magnus mirifice illustrat parte II Curæ pastoralis, cap. 6 : « Curandum quippe est ut rector subditis et matrem pietatis, et patrem exhibeat disciplinæ. » Et paulo post exponens illud Psalmistæ : *Virga tua et baculus tuus.* « Virga enim percutimur, et baculo sustentamur : si est ergo districtio virgæ, quæ feriat, sit et consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens ; sit rigor, sed non exasperans ; sit pietas, sed non amplius quam expediat parcens ; ut, dum se in arce regiminis justitia clementiaque permiscent, is qui præest cordis subditorum et terrendo demulceat, et tamen terroris reverentiam demulcendo constringat. » Sanctus Cæsarius epist. ad Oratoriam, « per virgæ disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatam sustentes. » His adde illud Senecæ, lib. I de Clementia : « Officium bonorum parentum, qui objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus. » Ita se gerebat sanctus Maximus episcopus Reiensis, qui, ut in ejus Actis habetur : « Metuendus severitate, benignitate venerandus, auctoritatem humilitatis mansuetudine superabat. »

[i] *Indisciplinatos*, etc. Præclare sanctus Gregor., lib. IX, epist. 8 : « Boni te dulcem, pravi sentiunt correctorem. »

[j] *Ammonemus* pro *admonemus.* Ita passim scribitur in hoc Concordiæ codice ms, ut in Victorino utroque et S. Germ. Ita scripserunt veteres, ut docet Papyrianus apud Cassiodorum lib. de Orthographia : « *Ad*, præpositio interdum retinet d litteram, ut, *adfert, adfuit* ; interdum variat, ut, *ammoneo, amminiculum.* » Et Beda, lib. de Orthographia : « *Ad*, euphoniæ causa in sequentem mutabitur, ut *affero, affluo, allido, ammoneo, annuo.* » Itaque ubique hanc scripturam retinemus.

[k] *Neque dissimulet peccata.* Demissi est animi atque angusti pectoris dissimulare peccata delinquentium, nec illa corrigere : qualis fuit Claudius imperator, qui socordi lenitate universum imperium labefactavit : qui etsi bonus esset, tamen, ut de eo canit Ausonius (*In Cæsaribus Tetrast.* 6) ;

Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

Sic stolidus abbas, qui sibi barbam velli, ut aiunt, a subditis patitur, licet probus, nocens tamen est, non faciendo peccata, sed patiendo.

[l] *Stultus verbis non corrigitur.* Prov. XVIII : *Stultus non recipit verba prudentiæ.* Sed sanctus Benedictus videtur potius protulisse sensum quam verba.

[m] *Percute filium tuum virga*, etc. Prov. XXIII.

liberabis animam ejus a morte (*Prov.* XXIII). [a] Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur; et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. [b] Sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit, regere animas, et multorum servire moribus : et [c] alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus. Et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam se omnibus conformet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne, dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, [d] plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis, atque caducis; sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est. [e] Et, ne causetur de minore substantia, meminerit scriptum : *Pri-*

A *mum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Et iterum : [f] *Nihil deest timentibus eum* (*Psal.* XXXIII). [g] Sciatque quia qui suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam : [h] et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suæ animæ : et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis [i] ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de monitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

§ II. — Ex Regula sancti Macarii (cap. 5).

B [j] Debetis, qui præestis, Patres, tales vos exhibere [k] ut ait Apostolus : *Estote formæ exemplum*

Hoc etiam loco protulit potius sanctus Benedictus sensum quam verba. Nam ita habetur hic locus : *Noli subtrahere a puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percutiens eum, et animam ejus ab inferno liberabis.*

[a] *Meminere* pro *meminisse*. Ita apud Keronem discipulum sancti Othmari in expositione Alamannica vocabulorum Regulæ sancti Benedicti, apud Smaragdum et sanctum Dunstanum et in ms. S. Faronis.

[b] *Sciatque quam difficilem*. Præclare sane. Nam ut sapienter ait sanctus Gregorius, lib. I Curæ pastoralis, cap. 1 ; « Ars est artium regimen animarum. » Quarum tanta est varietas, ut plus dissideant inter se moribus, ingeniis, propensionibus, studiis et affectibus, quam hominum ora et vultus lineamentis.

C [c] *Alium quidem blandimentis*, etc. Subaudi verbum *regere*.

[d] *Plus gerat sollicitudinem*, etc. Ita in mss. cod. Vind., S. Ebrul, et S. Germ. min. Ita apud Smaragdum. In vulgatis : *Non plus gerat*, etc. Sed hanc negationem superfluam esse arbitror, quia antea scriptum est, *Ne dissimulans* : Nimia autem rerum temporalium in prælatis cura quantum mali pariat sic docet sanctus Gregorius Magnus parte II Curæ pastoralis, cap. 7 : « Sicque fit ut dum urgeri se mundanis tumultibus gaudent (rectores) interna, quæ alios docere debuerant, ignorent. Unde subjectorum quoque procul dubio vita torpescit; quia, cum proficere spiritualiter sibi appetit, in exemplo ejus qui prælatus est, quasi in obstaculo itineris, offendit. Languente enim capite incassum membra vigent; et in exploratione hostium frustra exercitus sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat. » Sed quomodo circa hæc se gerere debeat prælatus, optime docet epistola monachorum Laubiensium ad episcopos Rothardum Cameracensem et Notkerum Leodiensem, cujus locum subjiciam, quia mirifice sancti Benedicti doctrinam illustrat. « Nobiscum provideatis abbatem qui hoc sit quod dicatur, id est, ut et corporibus paterno affectu necessariam curam impendat, et animarum salutem pastoris vigilantia non negligat : sicque interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, et exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens : ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solum interioribus occupatus quæ foris debet, proximis non impendat. » Quod facile præstabit, si hoc sancti Gregorii consilium cap. citato sequatur : « Sæcularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda : ne, cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus immergant. » Recte, quia id quod ex amore suscipitur, ægre relinquitur. Hic autem ex amore sæcularia amplectitur, qui seu per agoras seu per plateas civitatum volitare delectatur.

[e] *Et, ne causetur de minori forte substantia*. Causari hoc loco est excusationem et defensionem afferre. Ulpianus, ff. l. 2, § *si non propter, si quis cautionibus*, etc. « Neque iterum permittendum est ei, si quid sit, quod ei imputetur causari tempestatem, vel vim fluminis. » Tertullianus, lib. de Fuga in persecutione : « Ne, ut nunc fecis, de carnis quidem infirmitate causeris, de spiritus autem firmitate dissimules. » Rufinus, lib. II de Vitis Patrum : « Et cum causaretur non inveniri navigium. » Hinc causatio, prætextus, defensio, excusatio. Tertullianus, lib. de Corona militis : « Cæterum subvertit omnem substantiam sacramenti causatio hujusmodi. » Idem, lib. de Exhortatione ad castitatem. « Scio quibus causationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditatem. » Hæc autem verba : *Et, ne causetur de minori forte substantia*, incipiunt periodum, et jungenda cum sequentibus : *Meminerit scriptum*, etc.

[f] *Nihil deest timentibus eum*. Ita in Psalterio Romano.

D [g] *Sciatque quia qui suscepit animas regendas, præparet se*. Ita in Regula ms. Magistri, in ms. cod. Vind., in vetusta editione Parisiensi, ubi tamen habetur, *susceperit*, in cod. mss. S. Faronis, utroque S. Germ.; recte. In Parisiensi recentiore editione : *Sciatque, quia suscepit animas regendas, se præparet se*. Ferenda utique lectio. Apud sanctum Dunstanum et Smaragdum : *Sciatque qui suscipit animas regendas, præparet se*. Videtur deesse particula, *quia*. Lege ergo, ut in nostra Concordia, *Sciatque quia qui suscepit animas regendas, præparet se*. Istique ellipsis, qua interdum utitur sanctus Benedictus, ut supra, et alibi infra, et subaudi, *necesse est*. Quasi dicat, *Necesse est ut præparet se*

[h] *Et quantum sub cura sua*, etc. In Canone Theodori Anglorum episcopi, de ordinatione abbatissæ : « Et quantas sub cura sua animas habuerit, ipsas sine dubio ante sedem majestatis suæ sit latura. »

[i] *Ratiociniis*. Ratiocinium est ratio quæ redditur. Cod. L. *Actuarii*, De erogatione militaris annonæ. *Cujus ratiocinia pertractant*. Et lib. VIII Codicis exstat titulus 13, de Ratiociniis operum publicorum.

[j] *Debetis*. Hoc caput exstat in cod. ms. Floriacensis cœnobii, in Regula quæ appellatur Serapionis, Macarii, Paphnutii, alterius Macarii, etc., et edita est Romæ cum operibus Cassiani.

[k] *Ut Apostolus ait : Estote*. Locus citatus non prout est in Apostolo, sed textui auctoris accommodatur.

(*I Thess.* I). Hoc est, [a] pro qualitate quæ mysticæ pietatis et veritatis fiunt, animas ad cœlestia de terrenis erigere, dicente Apostolo · *Argue, increpa, obsecra cum omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV). Et alio loco inquit : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in Spiritu mansuetudinis ?* (*I Cor.* IV.) Decernendum est ab illo qui præest qualiter circa singulos debeat pietatis officium monstrare, æquitatem [b] tenere [debet] non immemor Domini dicentis : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII).

§ III. — Ex regula Patrum (*cap.* 11).

[c]. Abbati vero nulli liceat [d] sibi quidquam proprie vindicare, cum omnia, Deo propitio, in illius maneant potestate. [e] Si quis vero, quod in regula [f] junioribus prohibetur, sibi aliquid [g] ex successione parentum, seu quolibet modo, vel donato retinere præsumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur; si in vitio perstiterit, ad notitiam episcopi deferatur : quod si ab episcopo correptus, nec sic emendaverit, deponatur.

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 11).

[h] Illud quoque statuimus ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant : quia eo tempore quo fratres [i] aut pro negligentia arguere, [j] aut spiritali debent sermone imbuere, absque certa necessitate se removere non debent.

§ V. Ex libro Orsiesii ad monachos.

[k] Quapropter, o duces et præpositi monasteriorum ac domorum, quibus crediti sunt homines, et [l] apud quos inveniuntur K, sive I, sive E, sive A (ut in commune dicam), quibus crediti sunt homines singuli cum turmis suis exspectantes Salvatoris adventum; ut in conspectu illius ornatum armis exercitum præparetis; [m] ne refrigeretis eos in carnalibus, et spiritalia non tribuatis alimenta : aut rursum doceatis spiritalia, et in carnalibus affligatis.

[a] *Pro qualitate quæ mysticæ*, etc. Pronomen *quæ* transpositum, et subaudiendum demonstrativum, *eorum*, et ita locus construendus, ut sensus elici possit. *Pro qualitate mysticæ pietatis et veritatis eorum, quæ fiunt*, etc.

[b] *Tenere debet.* τὸ *aebet* redundat.

[c] *Abbati vero nulli liceat*, etc. Hoc capitulum reperitur in tertia Regula cod. Flor. supra citati, cujus initium est : *Cum in nomine Domini una cum fratribus.*

[d] *Sibi quidquam proprie vindicare.* Hic notandum est abbates et prælatos monasteriorum non esse dominos bonorum quæ sunt in monasteriis, sed administratores duntaxat, ut habetur cap. *Fraternit.* De donat., etc., ac proinde debere illa tantum in eos usus distribuere, ad quos ordinata sunt et destinata, ut recte docet Navarrus in cap. *Nullam*, 18, qu. 3, n. 6. Quod si ea in usus profanos ac inutiles, ac contra Regulam atque instituta suæ religionis profundant, peccant mortaliter, et sunt proprietarii, ut docet Rodericus tom. III, de Regul., qu. 29, art. 10.

[e] *Si quis.* Abbas videlicet.

[f] *Junioribus.* Id est, inferioribus, subditis.

[g] *Ex successione parentum.* Quod olim poterant monachi parentum hæreditatem adire, infra dicetur.

[h] *Illud quoque.* Hæc invenire est in eadem Regula ms. cod. Flor.

[i] *Aut pro negligentia arguendi sunt.* Si nimirum tardius ad mensam accedant, aut ibi quidpiam quod minus deceat monachum faciant.

[j] *Aut spiritali debent sermone imbuere.* Cum nimirum prior de lectura aliquid dicit quod sit ad ædificationem, ut infra habetur in Regula sancti Benedicti.

[k] *Quapropter, o duces.* Hæc habentur in editis Orsiesii.

[l] *Apud quos inveniuntur, K sive I*, etc. In libro Orsiesii edito hæc corrupta sunt. In codice Vindocinensi ita leguntur : *Et apud quos inveniuntur charitas sive justitia, sive æquitas, sive amor.* Sed hæc lectio manat a quodam correctore, qui divinare voluit quid sibi vellent hujusmodi litteræ quarum sensus pendet ex Vita sancti Pachomii, cujus sanctus Orsiesius fuit discipulus, apud Palladium cap. de Tabennesiotis; Sozomenum lib. III Hist. Eccl., cap. 13, et Nicephorum Callistum, lib. IX Hist. Eccl., cap. 14, qui dicunt monachos sancti Pachomii olim in quatuor et viginti classes seu domos fuisse divisos, et singulis earum nomen unius ex quatuor et viginti litteris Græcis fuisse impositum nempe *alpha, beta*, etc., convenienter moribus monachorum, qui per ejusmodi classes essent divisi; ita ut simpliciorum classi nomen imponeretur ι, morosiorum classi ξ, vel ζ, etc. Fuit hæc olim consuetudo, ut quibusdam hominibus nomen alicujus ex quatuor et viginti litteris imponeretur ob diversa eorum studia et *mores*, atque etiam corporis deformitates. Nam Valerius Crassus tribunus militum sub Tiberio Βῆτα est appellatus, eo quod herba, quam Latini betam vocant, libenter vesceretur. Orpyllis Cyzicenum scortum Γάμμα appellabatur. Antenor, qui Cretensium historiam scripsit, Δέλτα cognominatus est, quod bonus esset, nam Cretenses bonum δέλτον dicunt. Apollonius, temporibus regis Philopatoris astronomia clarus, Ἒψιλον appellatus est a figura E, quam luna in suo cursu describit, in quo ille multum studii contulerat. Satyrus, Aristarchi familiaris, Ζῆτα est nuncupatus ab investigandi rerum causas studio : nam ζητῶ est investigo. Æsopus *ab Idmone* hero Θῆτα est appellatus : nam θῆτες Græcis servi dicuntur. Pythagoras, qui numeros omnes descripsit a tertia littera Γάμμα est appellatus. Cypseli, Corinthiorum tyranni mater, quod pedibus valga esset et clauda, Λαμβδά a Pythio Apolline appellata est. Hæc habet Ptolemæus Hephæstion lib. V novæ Hist., in Bibliotheca Photii, n. 190. Idem de matre Cypseli referunt Helladius in Chrestomathia, apud Photium, n. 279, et Herodotus lib. V, apud quos tamen male legitur λαέδα, pro λάμβδα. Ptolemæus Hephæstion et Helladius nescio quid de Moyse nugantur, cum aiunt illum appellatum fuisse Ἄλφα, a nomine ἄλφος, id est, vitiligo, quod corpus vitiligine distinctum haberet. Fabula nata videtur ex eo quod Moyses manum a Deo in sinum mittere jussus eam inde lepra maculatam retulerit. Eratosthenes Βῆτα dictus est, quod summis proximus in omni disciplinarum genere secundas teneret, ut scribit Hesychius Illustris libello de Philosophis : Nec Christus Dominus hujusmodi a litteris appellationem repudiavit. Nam Apocalyps. I se ipse nominat Ἄλφα et Ὦ μέγα. Est enim ipse prima rerum creaturarum causa, et finis ultimus ad quem ipsæ referuntur. Sed de his satis. Cum igitur sanctus Orsiesius scribit. *Apud quos inveniuntur K, sive I*, etc., id est, vos præpositi domorum seu classium monasterii, in quibus sunt discipuli seu monachi, quorum ingenia, et mores sub hujusmodi elementorum figuris designantur, etc.

[m] *Ne refrigeretis eos*, etc. Sensus istorum est. Ne ita suppeditetis temporalia discipulis vestris, ut spiritualia subtrahatis; nec ita spiritalia subministretis, ut temporalia subducatis : sed utraque pro necessitate conferte.

in escis videlicet et vestitu : sed et spiritales et carnales cibos pariter tribuite; et nullam detis eis occasionem negligentiæ. Aut quæ est ista justitia, ut fratres affligamus labore, et ipsi vacemus otio? aut imponamus eis jugum quod ipsi ferre non possumus? Legimus enim in Evangelio : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII). Unde et laborem et refrigerium cum ipsis habeamus communia : nec discipulos servos putemus, et illorum tribulatio sit nostra lætitia : ne evangelicus nos cum Pharisæis sermo corripiat : *Væ vobis legis peritis, qui ligatis onera importabilia, et imponitis ea super humeros hominum, et ipsi ne digito quidem audetis attingere* (*Luc.* XI). Sicut aliqui attendentes semetipsos, ut viventes juxta mandatum Dei sibi loquantur et dicant : Quid mihi est cum aliis? ego vero ut serviam Deo et ejus mandata implere possim, non ad me pertinet quid alii faciant? Hos Ezechiel corripit dicens (*C.* XXXIV) : [a] *O pastores Israel, nunquid pascunt semetipsos pastores? nonne oves pascunt? ecce lac comedebatis, et lanis operiebamini. Quod pingue est immolastis et quod infirmum non confortastis; et quod confractum est, non ligastis,* [b] *quod errabat, non reduxistis; quod perierat, non requisistis,* [c] *quod forte erat, fecistis labore deficere, et dispersistis oves meas. Propterea ipse Dominus ad judicium veniet cum senioribus et principibus suis, complebitur illud in nobis. Exactores vestri deprædantur vos, et qui repetunt, errare vos faciunt.* Qui magis audire debemus : *Beata terra, cujus rex* [d] *filius ingenui, et principes tui in tempore comedunt in fortitudine, et non confundentur* (*Eccl.* X). Ideo, o homo, usque ad unam animam, quæ tibi credita est, monere non cesses, et docere quæ sancta sunt, et teipsum bonorum operum præbere exemplum : et cavere quam maxime ne alterum oderis; sed cunctis exhibeas æqualitatem : ne forte, quem tu diligis, Deus oderit; et quem tu odisti, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia consentias, et alterum premas, et alterum subleves, et pereat labor tuus : [e] non sedeas in locis humilioribus, in quibus [f] Pater noster præcipit penitus non sedendum. Caveant præpositi domorum, ne forsitan quilibet unus e fratribus injuriam præposito fecerit et iratus ille discernat et dicat : Quid causæ habeo ad hominem contemptorem? faciat quod vult, ad me non pertinet. O homo, quid hæc loqueris? intellige quo furore supereris, et quod odium occupaverit cor tuum, ut magis tuo vitio quam tuo peccato frater pereat, cui debes ignoscere, et eum suscipere pœnitentem, ut possis illud Evangelii dicere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Si ergo vis ut Deus tua peccata dimittat, et tu dimitte fratri tuo quidquid illud est quod in te peccavit.

§ VI. — *Item ipsius.*

Ex quibus omnibus discimus quod oporteat nos stare ante tribunal Christi, et de singulis non solum operibus, sed et cogitationibus judicari : et post rationem vitæ nostræ etiam pro aliis qui nobis crediti sunt reddituros esse similiter rationem. Et hoc non solum [g] de præpositis domorum audiendum est, sed et [h] de principibus monasteriorum, et de singulis fratribus qui reputantur in plebem, quod omnes invicem debent onera sua portare, ut adimpleant legem Christi (*Gal.* VI)

§ VII. — *Item ejusdem.*

Vos ergo monasteriorum principes, estote solliciti et adhibete omnem curam pro fratribus cum justitia et timore Dei. Ne abutamini potestate in superbia, sed [i] exemplum præbete vos cunctis, et subdito gregi, sicut et Dominus noster in omnibus se exemplum præbuit. Qui posuit quasi oves familias, ut misereamini gregi vobis credito, et memineritis apostolicæ sententiæ, in qua ait : [j] *Nihil subtraxi, ut non annuntiarem vobis* [k] *voluntatem Dei.* Et iterum : *Non*

[a] *O Pastores Israel.* In versione communi : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus vascuntur?* Sed idem est sensus.

[b] *Quod errabat.* Ita in textu Græco : τὸ πλανώμενον. In versione Vulgata, *quod abjectum est.*

[c] *Quod forte erat fecistis labore deficere.* Juxta textum Græcum : καὶ τὸ ἰσχυρὸν κατειργάσασθε μόχθῳ, id est, et forte afflixistis labore. In versione Vulgata : *Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.*

[d] *Filius ingenui.* Ut in textu Græco : υἱὸς ἐλευθέρου. In versione Vulgata, *nobilis.*

[e] *Sedeas in locis humilioribus.* Respicit ad articulum 128 Regulæ sancti Pachomii : « Præpositus non inebrietur : nec sedeat in humilioribus locis juxta casa monasterii. » Intelligit cellarium, a quo præpositos arcet.

[f] *Pater noster.* Intelligit sanctum Pachomium, cujus discipulus fuit sanctus Orsiesius.

[g] *De præpositis domorum.* Præpositi domorum sunt qui præsunt ædibus, seu classibus, in quas divisum erat monasterium sancti Pachomii, ut supra dictum est.

[h] *De principibus monasteriorum.* Principes monasteriorum sunt abbates; ita appellantur in Regula sancti Pachomii, cui addictus erat sanctus Orsiesius. Art. 8 : « Vel monasterii principe disputante. » Dicuntur et Patres monasteriorum in eadem Regula, art. 18 : « Nuntiabit Patri monasterii. » Art. 33 : « Nisi Pater monasterii præceperit. »

[i] *Exemplum vos præbete.* Nihil est tam efficax ad subditorum salutem promovendam, quam prælatorum exemplum : τὰ ὑποδείγματα μᾶλλον ἐνεργέστερα εἶναι, id est, exempla sunt (dictis) efficaciora, inquit sanctus Dorotheus, doct. 17. Quod bene monebat Chæremon apud Cassianum Coll. 11, cap. 4 : « Nunquam erit efficax instruentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis. » Et Cassiodorus lib. I Variarum, epist. 4 : « Facilis recti persuasor est innocuus judex, sub cujus prædicabili conversatione pudet mores probabiles non habere. » Et lib. VI, epist. 2 : « Prima æquitas est, a se præsules inchoare. » Prælatus docens et non faciens est cymbalum tinniens, et crotalus crepitans. His accedat, quod præsul non audet in aliis corrigere id in quo se novit delinquere : « Suos actus nullus damnat in altero, » ait Cassiodorus epist. citata.

[j] *Nihil subtraxi.* In versione Vulgata, ut in textu Græco : *Nihil subtraxerim vobis utilium.*

[k] *Voluntatem.* In textu Græco : βουλὴν, id est, consilium, ut est in versione Vulgata.

cessavi [a] *deprecando unumquemque vestrum, et docendo vos publice* (*Act.* x). Videte quanta viscera misericordiæ fuerint in homine Dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus ecclesiis, sed languet cum languentibus, et omnium sustinet passiones. Caveamus ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur et corruat, et obliviscamur verborum Domini Salvatoris qui in Evangelio loquitur : *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis aliquem* (*Joan.* xvii). Nullam animam contemnamus, [b] ne quisquam per nostram duritiam pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem et [c] Pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, et monebat, ne impleretur in nobis illud eloquium : *Singuli opprimunt proximum suum.* Et iterum : *Si invicem mordetis et devoratis, videte ne invicem consumamini* (*Gal.* v). Ex quo apparet, quod, qui alterius servat animam, custos animæ suæ sit. Sed et vos, [d] qui secundi estis monasteriis, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat ; ne incurratis in illud opprobrium, in quo incurrit ille qui comedit et bibit cum ebriis, et non dedit in tempore suo conservis cibaria (*Matth.* xxiv).

§ VIII. — *Item ejusdem.*

Et vos, Patres, nolite provocare ad iracundiam filios vestros; sed enutrite eos in disciplina et admonitione : et scitote, quod cui plus datum est, plus quæritur ab eo; et cui plus creditum est, amplius exigitur (*Ephes.* vi; *Coloss.* iii). Nec tantum ea consideretis quæ vobis prosint; sed et illa quæ proximis ; et impleatur in vobis Scriptura dicens : *Quia vos sequimini unusquisque utilitatem domus suæ* (*Agg.* i).

§ IX. — *Item ejusdem.*

Sæpius dicam, et eadem repetam. [e] Cavete, ne alios diligatis, et alios oderitis; ne hunc sustentetis, et illum neglegatis : et cassus inveniatur labor vester, et omnis sudor pereat; et quando exieritis de corpore, et de mundi hujus turbine liberati portum vos putaveritis quietis intrare, tunc inveniatis injustitiæ naufragia ; et in qua mensura mensi estis remetiatur vobis ab eo qui personas in judicio non accipit. Si quid mortale aut aliquid turpitudinis ob negligentiam præpositorum in domibus commissum fuerit, [f] post illorum propria supplicia, præpositus quoque reus tenebitur et criminis. Quod semper nobis sanctæ memoriæ [g] Pater noster solebat ingerere.

§ X. — *Item ejusdem.*

Vos igitur qui estis [h] principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, et esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes quod reddituri estis rationem pro omni grege, super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere et [i] pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit [j] proprio sanguine (*Act.* xx). Propterea nos qui fortiores sumus, debemus infirmitates invalidorum [k] portare, et non nobismetipsis placere, sed proximo in [l] bonum ad ædificationem (*Rom.* xv). Nam Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* lxviii).

§ XI. — Ex Epistola sancti Cæsarii.

[m] Cum vero annuntiandum verbum Dei te fratri-

[a] *Deprecando.* In textu Græco : μετὰ δακρύων νουθετῶν, id est, cum lacrymis monens, ut in versione communi.

[b] *Ne quis per nostram duritiam pereat.* Quam perniciosa sit nimia rectorum sævitia ex subjecto patebit exemplo. Quondam prope Salizburgum in monasterio sanctæ Erentrudis quædam erat abbatissa nomine Wiradis, severa nimis in sanctimoniales. Huic erat frater sanctissimus nomine Mazalinus, abbas monasterii sancti Petri, non procul ab eadem urbe. Accidit igitur ut quædam sanctimonialis monasterii sanctæ Erentrudis concepto fœtu alvum duceret. Imminente partu misera illa hinc ignominiam, hinc verberum atrocitatem metuens in sacellum sancti Viti se contulit, oravitque ut tantis miseriis levaretur. Post orationem obdormivit, sed expergefacta nihil consolationis retulit. Desperata fœtum diabolo in æternam damnationem transcripsit. Tum vir Dei Mazalinus in cella orans vidit dæmones lætos admodum coram se transeuntes. Quid rerum esset, eos interrogavit. Illi grande negotium esse responderunt. Præcepit vir Dei, ut eo peracto ad se quamprimum redirent. Euntes illi puerum natum reperierunt, et subito raptum ad sanctum Mazalinum tulerunt, ei rem gestam narrantes. Eos per Deum sanctus abbas adjuravit, ut puerum sibi traderent. Qui parere coacti, infante in cellam viri Dei projecto, abierunt. Surgens sanctus Mazalinus cum puero ante auroram ad sororem abbatissam venit, puerum dedit; et re gesta ex ordine narrata eam ob sævitiam severius adhibuit, puerumque baptizari jussit.

[c] *Pater noster.* Sanctus Pachomius.

[d] *Qui secundi estis monasteriis.* Id est, præpositi monasteriorum, secundi post abbates. Quia in hoc libro Orsiesii mentio fit superiorum diversi generis, notandum est plura monasteria a sancto Pachomio, cujus fuit Orsiesius discipulus, ædificata fuisse, quæ in multas classes seu domos distincta erant, et domus in cellas. Itaque in singulis monasteriis hi erant superiores : primo princeps monasterii, qui et abbas; post eum præpositus, qui appellatur secundus monasterii; deinde erant singularum domorum, seu classium præpositi, et post eos secundi singularum domorum, ut videre est in eodem Orsiesii libro. Secundus in monasterio, id est præpositus appellatur a Zacharia papa in Dialogis δευτερόαρχος, a, ὄρχος, id est, secundus.

[e] *Cavete ne alios diligatis*, etc. Idem sanctus Orsiesius supra, « Ne alterum ames, et alterum oderis, sed cunctis exhibeas æqualitatem. »

[f] *Post illorum.* Qui peccaverunt videlicet.

[g] *Pater noster.* Sanctus Pachomius.

[h] *Principes monasteriorum.* Id est abbates, ut supra notatum est.

[i] *Pascere.* Ita in textu Græco : ποιμαίνειν. In versione communi : *regere.*

[j] *Proprio sanguine.* Ut in textu Græco : ἴδιον αἵματος. In versione communi : *Sanguine suo.*

[k] *Portare.* Ut in textu Græco : βαστάζειν. In versione communi, *sustinere.*

[l] *In bonum.* In excuso Orsiesii libro : *In bono*; male. In textu Græco : εἰς ἀγαθόν, ut in versione communi.

[m] *Cum vero.* Hoc fragmentum est epistolæ sancti Cæsarii episcopi Arelatensis ad Oratoriam abbatissam, quod etiam habetur in Consilii Aquisgranensis lib. II de institutione sanctimonialium, cap. 7, licet fusius, quamvis multa hic habeantur, quæ non exstant in citato concilii libro. Auctor autem noster pro more suo femininum genus in masculinum mutavit.

bus affectaveris, seu pro utilitate animarum, tenoreque regulæ constituendo necessitas incubuerit [a] altercandi, prius cauta consideratione perpensa, ut quod ore promis, factis impleas, ut quod aliis prædicas, operibus præbeas : scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla fratrum onustes ; verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam [b] extra consuetudinem, nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Primus in ecclesia inveniaris, et postremus exeas ; primus suscipias laborem, posterior solvas ; et in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his cum quibus pari in mensa uteris [c] consensu ; iisdem denique et tu quibus fratres ferculorum saporibus delectare ; et æqualia vobis cibaria potionesque communes exhibeant discoferi vel pincernæ. Primatumque tuum, quem prior ad mensam tenes, primus ad virtutem parcimoniæ vindices, ut abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces vel vicinus sentiat stomachus. Ne forte subditi audientes tacitis cogitationibus dicant. [d] O quam pulchre nobis abstinentiam prædicat plenus venter, et [e] contentos nos jubet esse vilissimis cibis ac poculis, accuratis cibis poculisque refertum guttur et eructans. Illa enim de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam lurida jejuniis ora decantant. Et in his omnibus hoc noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quæ socios ammones [f] gradi, prior ipse gradiaris. Omnia quæ agenda sunt ante factis impleas, ut postmodum ductilis tuba ex percussione perducta rectius erumpas in voce propter illud Dominicum : *Quicunque*, inquit, *scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt*, et reliqua (*Matth.* XVIII). Inter cætera cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio, quorum gubernacula tuis æqualiter imposuisti cervicibus, diligas : ne unum plus minusve ames ; [g] sed cuncta quæ sunt, in quo possibilitas exstat, æquo moderamine disponas, parique moderatione dispenses, ac parem eis charitatem impertias : et non quibuslibet per privatum amorem, sed cunctis secundum merita singulorum, quæ sunt necessaria, largiaris. Non qui tibi vultu intuituque placuerit, [h] non quem tibi ad oculum cognoveris, vel a cujus blandiori fueris obsequio delinitus, sed quem amor Christi, et religiosior commendaverit vita, [i] præponas.

§ XII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 2).

[j] Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat : neque cultius quam ea quæ in commune consistunt, præparari sibi quidpiam expetat. Sicque fiat ut, dum præsens est, omnia diligenter administrentur ; et dum communia sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Æqualia quippe erunt mensarum omnium fercula [k] simillimisque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres.

§ XIII. Ex Regula sancti Frutuosi episcopi (*cap.* 20).

Abbas vel præpositus divinis semper officiis et vigiliis intersint : et prius ipsi agant, quod alios docent.

§ XIV. — Ex Regula Ferreoli (*cap.* 37).

[l] Ut abbatem cunctis quibus præest monachis strenuitas quidem, sed mansuetudo et potius vita commendet : ita ut illum sanctum magis timeant quam severum et plus [in] metuant quod meritis est primus quam quod honore primarius. [m] Habeat enim in correptione modum et in familiaritate temperamentum ; eritque in cunctis ita moribus dispensatus, ut et blandimento vocet et terrore castiget, faciens se ab omnibus, eo quod vitia oderit, plus amari. Tota enim ejus conversatio erit quasi positum fundamentum ut in eo superædificetur quisquis imitatione illius optat bonis Deo meritis proximare. [n] Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus ; nec tamen ita illi quisquam familiaris, ut cæ-

[a] *Altercandi.* Altercari hoc loco non est φιλονεικεῖν, id est, contendere, sed disserere, ratiocinari. Glossæ veteres : *Altercatur*, διαλέγεται, id est, disserit, ratiocinatur.

[b] *Extra consuetudinem.* Ita in cod. Vind., sed videtur deesse verbum, *præcipere*, aut quid simile ut sensus ita procedat : *Prius sentias utrum gravibus aut levibus oneribus colla fratrum onustes ; verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam extra consuetudinem præcipere : nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Primus in ecclesia inveniaris.*

[c] *Consensu.* Lege, *consessu*, ut in capite concilii citato.

[d] *O quam pulchre nobis abstinentiam prædicat.* Recte : nam, ut ait Juvenalis sat. 1 :

Probitas laudatur, et alget.

Facile est saturo ventre sobrietatem laudare : « Plenus venter facile de jejuniis disputat, » inquit sanctus Hieronymus, epist. ad Paulinum.

[e] *Et contentos non jubet esse.* His satis quadrat locus Juvenalis, sat. 5 :

Aspice quam longo distendat pectore lancem
Quæ fertur domino squilla, et quibus undique sæpta
Asparagis : qua despiciat convivia cauda,
Dum venit excelsis manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur exigua feralis cœna patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit : at is, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam. Illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta.

[f] *Gradi.* In citato concilio legitur : *Gradiendum.*

[g] *Sed cuncta, quæ sunt.* Deesse videntur hæc verba : *in monasterio.* Vel certe hæc verba, *quæ sunt*, redundant.

[h] *Non quem tibi ad oculum.* Ita in concilio citato. Sed in ms. nostro cod. obliteratum apparet verbum, *Servire* : quod sane restituendum.

[i] *Præponas.* Addidi hoc verbum ex præfato concilio.

[j] *Abbas.* Hæc habentur in regula sancti Isidori excusa cap. 9. Quod autem debeat abbas cum fratribus reficere, fusius infra disputabitur.

[k] *Simillimisque alimentis*, etc. Quidam tamen Patres aliter censuerunt delicate in mundo enutritis aliquid indulgentes, de quo infra.

[l] *Ut abbatem.* Videtur deesse verbum, *oportet*, vel quid simile.

[m] *Habeat in correptione modum.* Nam correptio sanare debet, non vulnerare. Vide supra.

[n] *Nullus ab ipso erit potestate, sed ratione damnandus.* Ex his manifestum est non oportere abbatem

teris plus præsumat; neque ita offensus, ut ad veniam expleta contritione non redeat. Convenit namque illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totoque studio atque industria providere, ne aliquis ex his quos regendos propria cura suscepit, adverso quolibet casu discedat de numero. Et ideo plurimis medicamentis necesse est illum subvenire monachorum languoribus, et ægritudinibus mentium remedium curæ spiritalis inferre. Hoc est, si superbum viderit, jugi exhortatione humilitatis porrigat potionem; si iracundum, patientiæ illi afferat unguentum; si mendacium sectantem, veritatis ministret antidotum : beati in hoc ipso Apostoli monitis excitatus, qui dicit : *Attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (*I Tim.* IV). Et iterum ad Timotheum : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu* (*II Tim.* I). Et iterum : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple* (*II Tim.* IV). Similiter et beatus Petrus scribens : *Seniores qui in vobis sunt obsecro consenior, et testis Christi passionum, et ejus quæ incipiet revelari* [a] *gloriæ socius, pascite qui in vobis est gregem Dei* (*I Petr.* V). Et addidit : *Neque quasi dominantes in clero,* [b] *sed forma estote gregi, ut cum apparuerit princeps pastorum,* [c] *percipiatis* [d] *illam floridam et immarcessibilem gloriæ coronam* (*Ibid.*). Jeremias quoque sanctissimus in persona Domini ait : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (*Jer.* III). Et iterum : *Hæc dicit Adonai Dominus ad pastores Israel :* [e] *Nunquid semetipsos pascunt pastores* (*Ezech.* XXXIV)? Et adjungit : [f] *Ob hoc, pastores, audite verbum Domini. Hæc dicit* [g] *Adonai Dominus : Ecce ego ipse ad pastores, et requiram* [h] *oves meas* [i] *de manibus eorum* (*Ibid.*). Dominus vero idem in Evangelio [j] Petrum apostolorum principem, si se amaret, interrogans, adjungit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Manifestum est ergo, frater, quisquis præesse videris monachis, magnum tibi per honorem onus impositum, ita ut, cum dignitate sis primus, desudes omnium pondere sarcinatus. Propter quod recti itineris curre semitam quæ ad cœlum perducit, et ire ostende gregi inoffensum callem, et sanctitatis [k] eum quoque passibus antecede. Atque ita stude, ut non erret quicunque te ducem gradibus imitationis insequitur : ut videaris apostolicæ monita sententiæ complesse, quæ habet : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (*I Tim.* IV). Et iterum : *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis* (*II Tim.* II). Hunc itaque tibi, abbas, [l] titulum, ut prætermissum te sermone regulæ non doleas, sicque unum te ex congregatione cognoscas, quasi peculiarius annotatus : monentes, seu coram Deo obsecrantes, ut [m] hæc omnia ferventi studio, etiam [n] cætera propter exemplum, quæ reliquis sunt dicta, custodias.

§ XV. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 33).

[o] Sanctus abbas extra congregationem non maneat.

uti libera et absoluta potestate, sed omnia ratione metiri, ut monet sanctus Benedictus, cap. 74 : « Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid. » Et sanctus Orsiesius : « Ne abutamini potestate in superbia. » Et Ezechielis cap. XXXIV malis pastoribus exprobratur : *Sed cum austeritate imperabatis et cum potentia.* Et præclare sane Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. I Var. ep. 12 : « Et quanquam potestati nostræ, Deo favente, subjaceat omne quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur; ut illud magis æstimemus elegisse, quod cunctos dignum est approbare. » Ita se gerebat sanctus Fulgentius episcopus Ruspensis, « qui (ut in ejus Actis habetur) nullis cum typho dominationis sæcularis, quamvis parvulis, imperabat. » Sit ergo abbas, ut de Nerva imperatore scribit Ausonius,

Princeps nomine, mente parens.

Paterna mansuetudine imperet, non regio supercilio.

[a] *Gloriæ socius.* In versione communi : *Gloriæ communicator.* In textu Græco δόξης κοινωνός, id est, gloriæ particeps; ita ut, *communicator*, sumatur intransitive, ut aliquando verbum *communico.* Itaque, *socius*, hoc loco nihil aliud est quam particeps.

[b] *Sed forma estote gregis.* In editione Vulgata, ut in textu Græco : *Sed forma facti gregis.*

[c] *Ut percipiatis.* In editione Vulgata : *Et percipietis*, ut in textu Græco.

[d] *Illam floridam et.* Hæc verba non sunt in Epistola Petri. Itaque puto hos textus citatos fuisse ex memoria, non ex codice.

[e] *Nunquid semetipsos pascunt pastores?* Ita in Septuaginta : Μὴ βόσκουσιν οἱ ποιμένες ἑαυτούς;

[f] *Ob hoc.* In communi versione : *Propterea.*

[g] *Adonai.* Ut in textu Hebraico.

[h] *Oves meas.* Ut in textu Græco : τὰ πρόβατά μου.

[i] *De manibus eorum.* Ita in textu Græco : ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν.

[j] *Petrum si se amet interrogans*, etc. Non prius constituitur pastor universalis Ecclesiæ Petrus, quam se Dominum amare ter profiteatur : quia Christus, cui ovilis sui cura magna est, illius regimen ei commisit, qui Deum præ cæteris apostolis amaret, ut recte docet sanctus Eulogius episcopus Alexandrinus lib. III contra Novatianos : Ὁ γὰρ τὸν φιλτρῳ πολλῷ πρὸς τὸν δεσπότην ἀναπτόμενον ἐφιστᾶν τῷ ποιμνίῳ, τὴν ὅσην περὶ τὰ λογικὰ πρόβατα, δεικθεὶς παρίστησιν ἀναμφιβόλως· διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν τρίτον ἐρωτᾷ, τὴν πολλὴν περὶ τὰ λογικὰ πρόβατα ἐπιμέλειαν ἐνδεικνύμενος, id est, præponens gregi eum, qui maximo amore in Dominum inflammatus erat, amorem quem in oves habebat exhibuit, et propter eamdem causam tertio interrogat, multam circa rationales oves curam ostendens.

[k] *Eum quoque.* Lege : *Eumque.*

[l] *Titulum.* Titulus hoc loco sumitur pro capite aut capitulo alicujus libri.

[m] *Hæc omnia.* Quæ in hoc titulo, seu capite scripta sunt.

[n] *Cætera.* In regula constituta.

[o] *Sanctus abbas.* Hac brevi quidem sententia, sed utili, præcipitur abbati, ut maneat in monasterio, et ægre illo exeat : ut possit nimirum omnibus exercitiis una cum fratribus interesse, eos sua præsentia urgere, et exemplo stimulare, eorumque culpas observare, et prudenter corrigere. Quod si stricte observetur, nescio quid salubrius ad salutem animarum, et ad disciplinæ regularis conservationem præstantius inveniri potest. Nihil æque domum auget ac ditat ut domini præsentia, quemadmodum

§ XVI. *Item ex eadem Regula* (*cap.* 42).

Sancto abbati non liceat aliquid de facultatibus monasterii donare aut vendere, nec aliquid contra regulæ instituta agere. Quod si facere tentaverit [a] secundum consilium et sine consensu fratrum, [b] et nostro permisso, non ei acquiescatis, et hoc fieri nulla ratione permittite : quia causam se ante Deum noverit esse acturum.

§ XVII. — *Item ipse* (*cap.* 48).

[c] Sanctus abbas, nisi [d] inæqualitate faciente, extra congregationem non reficiat.

§ XVIII. — Ex Regula Fructuosi (*cap.* 9).

[e] Abbates per monasteria tota mentis intentione cum fletu et cordis contritione, [f] tulta laboris aut itineris occasione, cum omni monachorum congregatione horas canonicas celebrare debent. Et ubi eis [g] properandi fuerit necessitas, et horarum cognoverint metas, continuo humi prostrati indulgentias a Domino supplices petant, et suis horis peculiaribus [h] id est, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima, octava, nona, decima, undecima orare non pigeant; qualiter septem et octo Salomonis congruant dicto : [i] *Da partem septem, nec non et octo* (*Eccl.* XI, 2) : ut per septiformis gratiæ Spiritum, et octo beatitudines, [j] ac resurrectionis diem liberis gradibus per scalam Jacob Christo sibi desuper innitente quindecim gradibus cœli conscendere valeant regionem.

Secundo, ut per capita mensium abbates de uno confinio uno [k] se copulentur loco, et mensuales litanias strenue celebrent; et pro animabus sibi subditis auxilium Domini implorent : quia de ipsis in tremendo judicio cum grandi discussione sperent se Deo rationem reddere.

Tertio qualiter quotidie vivere debeant, ibi disponant; et tanquam [l] a saionibus comprehensi ad cellas revertantur [m] supplacitati.

Quarto retro acta sanctorum Patrum per [n] scripturas sciscitantes revolvant, ut ab ipsis quid facere debeant agnoscant. Et intus ac foris, ante ac retro, plenam mentem oculis habeant : ne, quod absit, in aliquam hæresim devolvantur, ac pereant. Pro hoc

docet Aristoteles in Œconomico : « Persica sunt, inquit, instituta, ut paterfamilias ipse omnia statuat, omnia invisat : id quod et Dion de tyranno Dionysio dicebat. Nullus enim sic aliena curat ut sua. Debet igitur eniti ut omnia quæ potest, ipse curet. Huc pertinet quod Perses quidam et Libys argute simul et facete dixit. Rogatus ille quid optimum pinguemque faceret equum : Oculus domini, inquit. Libys autem cum ex eo quæreretur, quod stercoris genus optimum putaret : Domini vestigia, respondit. » Quod si hæc de domo et familia dicuntur, multo magis de monasterio dicenda sunt, cum familiæ administratio humanas tantum divitias, monasterii regimen cœleste spectet. Superior est sui monasterii sol, quo absente omnia tenebrescunt.

[a] *Secundum consilium.* Lege, *sine consilio.*

[b] *Et nostro permisso.* Lege, *et nostro permissu.* Sanctus Aurelianus episcopus prohibet abbati aliquid vendere sine sua licentia. Nam abbates nihil vendere aut alienare possunt de bonis monasterii injussu episcopi, ut cautum est concilii Agathensis can. 56. Idem habetur in concilio Aurelianensi, III, can. 23.

[c] *Sanctus abbas.* Hæc sunt emendicata ex regula sancti Cæsarii Arelatensis episcopi cap. 39 : « Abbatissa nisi inæqualitate aliqua, aut infirmitate, aut occupatione, extra congregationem penitus non reficiatur. »

[d] *Inæqualitate.* Inæqualitas morbum significat, ut in Actis sancti Eugendi : « Cum enim ultra sexagenariam ætatem sex fere mensibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret. » In concilio Carthaginiensi IV, can. 49 : « Clericus qui absque corporis inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privatus excommunicetur. » Et in loco citato sancti Cæsarii : Abbatissa nisi inæqualitate aliqua aut infirmitate, etc. Sic Græce ἀνωμαλία, id est, inæqualitas, pro morbo sumitur. Synodus Laodicena, can. 40 : ἀρκτὸς εἰ μὴ δι' ἀνωμαλίαν ἀπολιμπάνοιτο, id est, neque quam si propter ægritudinem non veniat.

[e] *Abbates.* Hoc caput est alterius Fructuosi, non quidem exstat in Regula ms. cod. Crass. In eo sane præclara documenta continentur, et abbatibus maxime necessaria.

[f] *Tulta.* Id est sublata, a *tollo*, cujus præteritum tiquum, *tetuli*. Plautus in Amphitryone, act. 2 : *Oculum tetuli tibi;* et alibi passim : quia antiqui dibant, *tulo*, ut notat Priscianus lib. X : « A *tulo* oque, quod veteribus in usu fuit, *tetuli*, dicent. » Supinum tamen se nunquam legisse dicit.

[g] *Properandi fuerit necessitas.* Id est, propere eundi aliquo videlicet extra monasterium.

[h] *Id est, secunda, tertia*, etc. Hic tantum pronuntur decem horæ canonicæ; cum tamen ex sequentibus intelligere detur ab hoc Fructuoso statui quindecim : ita ut hic videantur omitti prima, duodecima, initium noctis, seu completorium, nocturnæ vigiliæ, et matutinæ laudes. Sed exprimit tantum horas, quæ in via recitabantur : quia monachi ante primam non egrediebantur.

[i] *Da partem septem. Partem*, in singulari, ut in textu Hebraico חֵלֶק, *chelec*, id est, partem. Et in Græco : δὸς μερίδα τοῖς ἑπτὰ, id est, da partem septem. In versione Vulgata : *Da partes septem.*

[j] *Ac resurrectionis diem.* Lege, *ad resurrectionis diem.* Nam, cum hic sint tantum quindecim horæ canonicæ, quæ referunt septem dona Spiritus sancti et octo beatitudines, non potest illo numero comprehendi dies resurrectionis. Sed sensus est quod per illos veluti quindecim gradus in die resurrectionis ad cœlum ascenditur.

[k] *Se copulentur.* Est deponens. Plautus in Aulularia : *copulantur dexteras.*

[l] *A saionibus.* Saio est lictor, carnifex, exactor. Glossæ Arabico-Latinæ dictæ : *Saio, pœnator, tortor.* Eædem glossæ : *Pœnator, tortor, saio.* Sanctus Isidorus lib. X Orig.: *Sagio* (Lege, *Saio*), *ab exigendo.* Sed puto esse vocabulum Gothicum; cujus sæpe mentio in legibus Wisigothorum ut lib. I, tit. 1, l. 17 : « Nullus in territorio non sibi commisso, vel illo, ubi judicandi potestatem nullam habet, quemquam præsumat vel per jussionem, aut saionem distringere. » Et multis aliis locis. In concilio Emeritensi, can. 8 : « Diœcesim sibi debitam ordinante metropolitano cum suis fratribus per suum saionem recipiat. » Crebra etiam mentio fit apud Cassiodorum, et maxime lib XII, epist. 3, ubi ejus officium describitur.

[m] *Supplacitati.* Id est, citati, in judicium vocati : nam placitum est conventus, in quo lites disceptantur, de quo infra. Est autem hic metaphora : quod nempe ipsi abbates congregati peractis comitiis ita festinanter debeant ad cellas, id est, monasteria sua redire, ac si a saionibus seu lictoribus citati essent.

[n] *Scripturas.* Scripturæ hoc loco non sumuntur pro utroque Testamento.

ergo semper in communi concilio fratrum [a] æqua lance tanquam in penso persistant, ut præterita recordando, et futura prævidendo, [b] et præsentia recordando hæresum non patiantur stimulos.

Quinto, ut cum fratribus advenientibus, hospitibus et peregrinis in una mensa communiter vivant: quia de ipsis Dominus ait: *Hospes eram, et collegistis me* (*Matth.* XXV).

Sexto talem sibi consuetudinem debent facere, ut omnem [c] cupiditiam et avaritiam a se radicitus arceant. Si hoc malum non esset, idolorum servitutem eam Apostolus non dixisset (*Gal.* II). Et per hoc virus monachi mentem cognoscimus sauciari. Et a nullo vitio penitus unquam potest liber esse, qui talis consuetudinis vinculo fuerit obligatus, et in Dei et proximi dilectione nunquam erit firmatus. Quia hoc, quod in sæculo concupiscimus, sine dubio proximis invidemus. Unde et Patres sancti Spiritu sancto repleti, ut possent Deum et proximum perfecte diligere, studuerunt in hoc mundo nihil habere. Et quia sine aliquo esse non possumus, ipsum debemus habere, quod nos non pigeat cum necesse fuerit egenti proximo reddere, et a charitate Dei et dilectione proximi nunquam animum relaxare. Cujus videlicet fortitudo charitatis vera sanctæ Ecclesiæ voce laudatur, cum per Canticorum Canticum dicitur: *Valida est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII). Virtuti enim mortis dilectio comparatur, quia sine dubio mentem, quam semel cœperit, a dilectione mundi funditus occidit. Tales ergo debent esse abbates, ut possint Deum et proximum diligere: oculos lassos a concupiscentia hujus sæculi mala habentes, quales in paradiso habuit Adam ante transgressum.

§ XIX. — Ex Regula cujusdam.

Si quis ex senioribus, sive is qui abbas nuncupatur, voluptuosus existat, et ebriosus et dives, qui huic sæculo conformatur, hoc est, [d] in curribus et in equis de loco ad locum discurrat, hic non solum principatu fratrum indignus est, verum etiam [e] homicida animarum judicandus est: [f] et alius ministerio ejus præesse constituatur. [g] Sin vero non potuerint monachi, [h] ab illo exeant, et ille [i] excommunicetur. Sin vero pœniteat, subdat se sub manibus senioris et servituti subjiciat, donec probaveritis qui præest. Monachos in curribus et in equis discurrere præter infirmos, debiles et claudos non permittimus. Si autem hoc fecerint, [j] alieni sint ab unitate fratrum.

§ XX. — Ex Regula Orientalium.

[k] Oportet abbatem irreprehensibilem esse, patientem [l] jejunium,] pium, humilem: ut doctoris et patris locum impleat, seipsum in [m] formam præbens bonorum operum, ad cujus ordinationem omnes fratres respiciant, nihil sine consilio et auctoritate ipsius facientes. Qui sustinens necessitatem monasterii, de omnibus quæ in monasterio sunt libere judicabit, nullius personam accipiens, nec ulli gratiam præstans: sed unumquemque secundum merita quotidianæ conversationis in veritate judicans admoneat, hortetur, castiget, condemnet: [n] vel suscipiat, si ita utile videtur. Venientes ad monasterium vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes.

§ XXI. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 15).

Int. Quid sentire de se debet is qui præest, in quibus præcipit, vec imperat? — *Resp.* Apud Deum quidem sicut minister Christi et dispensator mysteriorum Dei (*I Cor.* IV); timens ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicat aliquid, vel imperet: et inveniatur tanquam falsus testis Dei, et sacrilegus: vel introducens aliquid alienum a doctrina Domini: vel certe subrelinquens et præteriens aliquid eorum, quæ Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet tanquam si nutrix foveat parvulos suos. Paratus autem secundum quod unicuique expedit, communicare cum eis non solum Evangelium Dei.

Abbas in hujusmodi luxum profusus, ac proinde cæteris vitiis contaminatus abdicandus est, nempe ab episcopo et vicinis abbatibus; ut habetur 18. qu. 2, cap. *Si quis*, ex concilio Triburiensi. Antiqua Regula Patrum, cap. 21, abbatem peculiaritati, hoc est, proprietati studentem deponi præcepit ab episcopo.

[a] *Æqua lance tanquam in penso persistant.* Hæc nihil aliud sonant, quam quod abbates accipere personas minime debent, sed esse tanquam lances in penso, seu libratione, quæ si justæ sunt, in alteram partem nec tantillum declinant. Idem dicit de lege Leo imperator Novella 21.

[b] *Et præsentia recordando.* Hæc videntur redundare.

[c] *Cupiditiam.* Id est, cupiditatem.

[d] *In curribus et in equis.* De hoc sumptu equestri in abbatibus refrenando vide bullas Gregorii IX, et Nicolai IV. Hac in re singularis modestia eluxit beati Joannis Marre monachi sanctæ Mariæ de Simora, ordinis sancti Benedicti vicarii generalis, abbatis Clupiacensis, et tandem episcopi Condomensis. Is cum esset episcopus sex tantum alebat equos: duobus equitabat, reliquis quatuor ad convehenda ligna et lapides pro instaurandis suæ diœcesis ecclesiis, novisque ædificandis utebatur. Hic beatus vir obiit anno 1521, miraculis in vita et post mortem clarus.

[e] *Homicida animarum.* Quia malo exemplo animas necat juxta sanctum Augustinum, lib. de Pastoribus, c. 4: « Tamen (pastor) qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, illum a quo attenditur, occidit. »

[f] *Et alius monasterio ejus præesse constituatur.*

[g] *Sin vero non potuerint monachi.* Videntur deesse hæc verba: *Eum deponere*, vel quid simile.

[h] *Ab illo exeant.* Nempe ad aliud monasterium.

[i] *Excommunicetur.* Ab episcopo.

[j] *Alieni sint ab unitate fratrum.* Id est, excommunicentur.

[k] *Oportet abbatem.* Imitatur divum Paulum, Epist. I ad Timotheum, cap. III.

[l] *Jejunium.* Puto hanc vocem redundare.

[m] *Formam.* Ex Epist. ad Titum, cap. II. In Vulgata editione habetur, *exemplum*. In textu Græco: τύπον, id est, formam: prout in hac interpretatione regulæ Orientalis habetur.

[n] *Vel suscipiat*, etc. Hæc sunt ita jungenda cum hac interpunctione: *Vel suscipiat, si ita utile videtur, venientes ad monasterium; vel ejiciat, si ita necessitas fuerit, male habitantes.* Id est, vel suscipiat ad monachatum eos qui volunt converti, vel ejiciat malos et incorrigibiles monachos.

sed etiam animam suam, memor præcepti Domini ac Dei nostri dicentis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13).

§ XXII. — *Item ejusdem* (*cap.* 13).

Int. [a]Quali affectu vel quali sensu oportet increpare eum, qui increpat? — *Resp.* Ad Deum quidem tali mente esse debet, qualem indicat beatus David dicens: [b] *Vidi non servantes pactum, et tabescebam: quoniam eloquia tua non custodierunt* (*Psal.* CXVIII). Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum servare, quem pater et medicus [c] erga ægrotantem filium servat, et tunc maxime, cum qualitas [d] curæ tristior videtur et gravior.

§ XXIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 24).

Int. [e] Quali affectu quis debet suscipere correptionem? —*Resp.* Sicut æger filius patris et medici de vita sua solliciti: qui etiamsi [f] offeratur aliquid asperum ad curandum filium, scit [g] [itaque] filius, quod nec pater in aliquo negligere potest de salute filii, nec medicus falli.

§ XXIV.— Ex Regula cujusdam (*cap.* 1).

Abbas, monasterii non tam genere quam sapientia nobilis esse debet: ut qui sermonem ad erudiendas animas justa eruditione lucubrat, propriis actibus non contradicat. Plus etenim [h] subjugati prælatorum actuum formam imitantur, quam doctrinæ illatæ aures accommodant. Debet enim sacris eloquiis opera nectere sacra, ut qui ejus imitatur doctrinam ex voce, imitetur cultum ex opere. Ne, si in aliquo voci opus contradixerit, fructus vocis non obtineat effectum. Sic ergo sit et voce ornatus et opere, ut et opus voci, et vox consentiat operi. Sit continentiæ et castitatis flore comptus, et omnium ore laudabilis, omnium desideriis imitabilis exemplo. Sit charitatis benevolentia ornatus, et omnium fidelium lætificet corda: erga peregrinorum et hospitum sollicitudinem [i] præstus, erga infirmantium curam sollicitus, erga inopum et ægrotorum juvamen opulentus. Sic delinquentium ignaviam corrigat, ut ad cultum religionis lascivas et [j] fessas mentes reducat. Sic misericorditer bonitatis dona distribuat, quatenus ex nimia bonitate, facinorum fomenta non nutriat. Sit ergo bonus bonis per meritum, sit malis malus per flagellum. Quod mediante [k] scientia agendum est, juxta psalmistæ orationem dicentis: [l] *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me*, [m] *Domine* (*Psal.* CXVIII). In utroque enim abbati cavendum est, ne aut nimia bonitate in subjectorum cordibus vitia nutriat, aut nimia disciplinæ austeritate, quæ leni increpatione sananda fuerant, rigida correptione diripiantur. Incautis etenim sic blanda persuasione subveniat, ut eorum saniei antidoti quodammodo medendo curam infundat; sanis vero moribus ea hortando præbeat, ut quæ agere cœperunt, meliorando usque ad finem perducant. Nihil etenim prodest cœpisse, si in bono opere, quod cœperant, non studeant perseverare. Habeat ergo tot animos pater, quot in suo regimine filios: ut juxta omnium mores, omnium noverit vitia coercere. Tuta sit in omnes prudentia, ut nec pietas disciplinæ, nec disciplina pietati locum tollat. Agat omnium curam; ut de omnium profectu mercedis recipiat lucrum; ut ex corruptione præsentis vitæ quandoque ereptus, tantum laboris recipiat præmium, quantis ad vincendum inimicum præsidiis præbuit supplementum.

§ XXV. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 19).

[n] Abbati vel monacho monasterii servum non li-

[a] *Quali affectu.* Exstat apud sanctum Basilium interrog. 99 Regulæ brev. et apud Rufinum, cap. 23.

[b] *Vidi non servantes pactum.* Ita in psalterio Romano. Apud Rufinum: *Vidi prævaricantes*, ut in editione Vulgata.

[c] *Erga ægrotantem filium servat.* Ita apud Rufinum. In textu Græco additur μετὰ συμπαθείας καὶ εὐπλαγχνίας, id est, cum compassione et misericordia.

[d] *Curæ.* Cura hoc loco est *curatio*. Nam *curatio proprie medicorum: cura reliquorum*, ait Donatus in Terentii Andrian.

[e] *Quali affectu.* Reperitur apud sanctum Basilium interr. 158 Regulæ br., et apud Rufinum cap. 23; sed potius reddit sensum, quam verba, maxime sub finem capituli.

[f] *Offeratur.* Apud Rufinum legitur, *offerat*, rectius.

[g] *Itaque.* Videtur redundare hæc particula.

[h] *Subjugati.* Id est, monachi subditi.

[i] *Præstus.* Supple, *sit*, id est, præsto sit et præsens. Glossarium vetus: « Præstos habeat, id est, præsentes. » Lex Salica tit. 47, § 2: « Et testes suos, qui ad placita fuerunt secum præstos habeat. »

[j] *Fessas.* Id est, segnes, desides.

[k] *Scientia.* Id est, discretione.

[l] *Bonitatem*, etc. Notanda sane explicatio hujus versiculi. Nam per bonitatem intelligit clementiam et lenitatem; per disciplinam, severitatem; et per scientiam, discretionem. Ita ut David a Deo petat, ut populum suum regat cum lenitate, et severitate, adhibita tamen discretione. Nam discretionis sale tum severitas, tum clementia condiendæ sunt, ne, dum rector clemens videri appetit, remittat omnino habenas regulari observantiæ; et dum vitia coercere cupit, fortius adducendo frenum monachos potius irritet quam emendet. Quod reprehendit in Urbico abbate sanctus Gregorius papa lib. IX, epist. 42: « Unde vehementer ingemisco, quia aliter esse monasterium vestrum quam putabam invenio. Quod ex nulla alia re evenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum gravitate aliquid valet disponere: sed modo studet peccantibus leniter blandiri, modo inordinate extra modum nimis irasci. » Sed hoc est stultorum ingenium, ut nullum valeant animi sui affectibus modum statuere; sed statim in vitium oppositum cadant, si velint ab aliquo declinare, juxta illud Horatii (*Sat.* 2):

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

[m] *Domine. τὸ Domine*, translatum est ex superiore versu.

[n] *Abbati.* Hæc habentur in Regula sancti Isidori excusa eodem capite 19, quæ nulla puto alia ratione huc referri, nisi quia in his aliqua fit abbatis mentio.

cebit [a] facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non debet. Nam sicut et sæculi leges sanxerunt : *Non potest alienari possessio, nisi a proprio domino.* Omne quod in monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est : quarum erit una pro infirmis et senibus, et pro aliquo coemendo in diebus sanctis cultius ad victum fraternum; alia pro egenis; tertia pro vestimentis fratrum et puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coemendis. Quas tres partes [b] custos sacrarii suscipiat, ac præcipiente abbate sub testimonio præpositi vel seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat.

[a] *Liberum facere.* Duplex fuit olim libertas seu manumissio : una regia, altera ecclesiastica. Regia fiebat domini consensu coram rege excussione nummi (*Cod. Theod.* lib. IV, tit. 7). Ecclesiastica instituta a Constantino Magno fiebat in ecclesia ante cornu altaris coram presbyteris, comitibus, baronibus, nobilibus et omni populo tam a laicis quam ecclesiasticis, sive illi servi sacris initiandi essent, sive non. Marculphus formula 91 : « Servum juris mei nomine ill. ingenuum esse præcipio, et in sacrosancta ecclesia sancti ill. sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium ante cornua altaris ab omni vinculo servitutis absolvo. » Et form. 97 : « Quia fratrum testimonio, inter quos nutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipiendum prædicaris, censeo te atque statuo ante sacri altaris cornu, in conspectu sacerdotum et cleri et populi astantis, a præsenti die et deinceps ab omni jugo servitutis humanæ absolutum fore, civemque Romanum appellari. » Idem videre est in charta Engiltrudæ et in petitorio sancti Ennodii. Porro manumittere servum abbati prohibetur in conciliis Agath., can. 56, et Epaon., can. 8.

[b] *Custos sacrarii.* Is est quem *sacristam* modo appellamus. De quo infra. Quid sit sacrarium explicant glossæ veteres : *Sacrarium*, ἱρῶον, θυσιαστήριον, id est, heroum, seu herois alicujus templum, altare. Eædem glossæ : *Sacrarium* ἱεροθήκη, id est, locus in quo sacra reconduntur. Item : *Sacrarium* καταχάριον, id est, parvulum templum. Pro altari sumitur D. ad legem Juliam lege ult. Hoc sancti Isidori capite sumitur pro loco in quo sacra reconduntur, ut apud Ulpianum D. lege 4, *De divisione rerum et qualitate.* « Sacer locus est locus consecratus : sacrarium est locus, in quo sacra reponuntur : quod etiam in ædificio privato esse potest. » Græcis σκευοφυλάκιον apud Theodorum Balsamonem in Nomocanonem Photii tit. 2, cap. 2, textu 3, quia in eo sacra vasa reponuntur. Dicitur et διακονικόν in conc. Laodiceno, can. 21. Latinis secretarium in conc. Agathensi, can. 66 : « Quoniam non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium (quod Græci diaconicon vocant) ingredi, et contingere vasa dominica. » Hujus vocis mentio fit a sancto Gregorio lib. IV Regesti, cap. 54. Unde vox Gallica *secretain*, vel, ut alii pronuntiant, *segretain*, id est, sacrista, custos sacrarii. Appellatur et receptorium. Sidonius lib. V, epist. 1 : « Et nuntiatum est progredi episcopum de receptorio. » Ad faciendum sacrum videlicet, ut ibi describitur. Atque etiam salutatorium in concil. Matisconensi I, can. 2 : « Nec intra salutatorium aut oratorium ingredi permittantur præcipue Judæi. » Ita appellatur, quod episcopus ante missarum celebrationem ibi sederet, et salutationes fidelium exciperet, qui se ejus orationibus commendabant, aut ei *aliquid* negotii communicabant. Quod videre est apud sanctum Gregorium lib. IV, ep. 98 : « Quo (pallio) non aliter uti memineris, nisi in propria tua civitate, dimissis jam filiis ecclesiæ, procedens a salutatorio ad sacra missarum solemnia celebranda, etc. » Et ep. 54 ejusdem libri : « In secretario vero secundum morem pristinum susceptis ac dimissis ecclesiæ filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad necessaria solemnia ita proficisci. » Quod etiam faciebant presbyteri, aliquando in alio salutatorio seu secretario. Sulpicius Severus lib. II Dial., cap. 1 : « Cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati. » Fuit etiam sanctimonialibus suum salutatorium; Gallice, *le parloir*. Sanctus Cæsarius in Recapitulatione regulæ, cap. 8 : « Quæcunque ad conversionem venerit, in salutatorio ei frequentius regula relegatur. » In sacrario seu salutatorio sacerdos sacris vestibus missas celebraturus induebatur; quibus completis ibidem exuebatur : ut videre est ex locis Sidonii et Gregorii supra, citatis.

CAPUT VI.

DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse, [a] unde agitur : et [b] audiens consilium fratrum tractet apud se; et quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, [c] quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum

[a] *Unde agitur.* Id est, de quo agitur. Hæc phrasis familiaris est sancto Patri Benedicto : ut supra cap. 2 : *Ut sit unde promat nova et vetera.* Id est, ut sit id, seu aliquid, ex quo promat nova et vetera.

[b] *Audiens consilium fratrum tractet apud se.* Sanum quidem præceptum, modo is sit abbas, qualem eum sanctus Benedictus supra depinxit. Quod ut perficiat, solum Dei honorem spectet consilium petens : nec huic potius quam isti opinioni adhæreat, ea interim pendente, dum auditis fratrum sententiis, quænam præstare videatur, judicaverit. Quod recte monet sanctus Dorotheus, doct. 7, cum ait : « Nihil decretum et præfixum in mente, vel sensu habeat. » Nam si antequam consilium inire velit, aliquam animo agglutinatam habet opinionem, nullo unquam fratrum consilio, quamvis salubri, ab ea deduci poterit.

[c] *Quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est.* Hujus rei habetur exemplum apud sanctum Cyprianum, epist. 10 : « Per nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt oculis et audit, et loquitur ea quæ nos Dominus monere et instruere dignatur. » Quod sane mirandum est, cum tunc temporis tot insignes essent prælati in Africa, inter quos eminebat sanctus Cyprianus; quibus ta-

omni humilitatis subjectione; et non præsumant procaciter defendere quid eis visum fuerit. Et magis in abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut [a] discipulos convenit obedire magistro, ita et ipsum provide, et juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere [b] declinetur a quoquam. Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem. Neque præsumat quisquam cum abbate suo proterve *intus* et foris monasterium contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulæ omnia faciat sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in monasterio, seniorum tantum utatur consilio : sicut scriptum est : [c] *Omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis* (*Eccle.* XXXII).

§ II. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 8).

[d] Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens. Vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ III. — *Item ipsius.*

[e] Igitur qui animo uno esse concupiscunt, et vivere [f] mente communi disposuerunt, consiliis majorum inserviant : quid ex consiliis processerit Patrum, id faciant.

§ IV. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 67).

Interrog. [g] Si quis non contentus quotidie sibi aliquid injungi de his quæ pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere, quali vitio ægrotat? aut si oportet ei acquiesci? — *Resp.* Iste talis, et præsumptor est, et sibi placens et infidelis, qui non timet sententiam Domini dicentis : *Estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet* (*Matth.* XXIV). Si enim quotidie exspectat quis Dominum, sollicitus est et trepidus, quomodo præsentem diem non transeat otiosus, et nihil amplius quærit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientia sua habeat lucrum, [h] et in hoc placeat Deo [i] et non in eo quod sibi placet, assumat judicium.

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 68).

Interrog. [i] Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata; agat autem, non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habebit? — *Resp.* Merces illius illa ipsa est quod sibi placet. Cum autem Apostolus dicat : *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem* (*Rom.* XV). Et ut amplius inclinaret et constringeret audientes addit dicens : *Quia ipse Christus non sibi placuit* (*Ibid.*). Scire debet unusquisque periculum suum

men postpositis, sanctus Spiritus pueris revelabat quæ agenda et futura essent : ut discant pastores humilitatem, cujus beneficio ad dona Spiritus sancti, qui maxime prælatis allabitur, suscipienda sint paratiores.

[a] *Discipulos.* Ita legunt codices Victorini. Ita habetur apud Smaragdum et Turrecrematam. Recte. Apud sanctum Dunstanum, *discipulis.* In vulgatis editionibus, *singulis*, non ita recte.

[b] *Declinetur.* Ita in omnibus cod. nostris ms.; ita apud Keronem discipulum sancti Othmari abbatis in expositione Alamanica vocabulorum regulæ sancti Benedicti, sanctum Dunstanum, Smaragdum, Trittemium. Ita etiam habetur apud Flodoardum, lib. III Hist. Eccl. Rem., cap. 25, ubi agit de epist. Hincmari ad Fulcramnum præpositum cœnobii Corbeiensis. « Qualiter in hac electione eis sit agendum secundum doctrinam beati Benedicti, ut in omnibus magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinetur a quoquam. » Et in Additione 1 Capitularis Ludovici imp. tit. ult : « In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. » Quare illud *devietur*, quod vulgo habetur, explodendum est.

[c] *Omnia fac cum consilio.* In versione communi, *sine consilio nihil facias*, ut in textu Hebraico et Græco. Notanda sententia, cui simile est illud Meandri effatum in Gnomicis :

Βουλὴν δὲ παντὸς πράγματος προλάμβανε.

I est, ante omne negotium consilium cape. Cui sane parebat beatus Ægila abbas Fuldensis, de quo hæc refert Candidus monachus in ejus Vita. « Audiebat libenter fratrum consilium. Sciebat enim scriptum : *Omnia fac cum consilio.* Atque ideo non sublimiorem, nec prudentiorem cæteris æstimavit. Neque etiam inani tumore jactabat se consolatione alterius non indigere. Attamen si quandoque unus prudens in aliquibus errabat, hoc magis aliorum minus prudentium introductione, quam propria ventione concepit. » O virum admirabilem, qui us ex alieno judicio sapiebat quam suo. In multis

libenter aliis cedimus; sed, ut ait poeta,

Qui vellit ingenio cedere, nullus erit.

[d] *Si inventus fuerit*, etc. Habetur in Regula sancti Pachomii excusa, art. 118. Citatur a nostro auctore ob illa sancti Benedicti verba : *Neque præsumat quisquam cum abbate suo*, etc. Fugienda est autem contentio non solum cum superiore suo, sed cum quacunque alia persona. Et si quid difficile occurrit, non per contentionem, sed per ea quæ lex spiritalis mandat, nempe per patientiam, precationem et spem dissolvendum erit, ut præclare monet sanctus Marcus Eremita capitulo 10 Legis spiritalis. De contentione fugienda vide homiliam 56 sancti Antiochi; Ivonem. part. XIII Decreti, et Burchardum lib. X.

[e] *Igitur.* Hoc caput non habetur in Regula sancti Pachomii excusa, quemadmodum et quædam alia quæ hic ex eadem Regula citantur. Unde signum est eam sancti Pachomii Regulam, quam excusam habemus, non esse integram.

[f] *Mente communi.* Id est, corde unanimi.

[g] *Si quis non contentus.* Reperire est apud sanctum Basilium, interr. 117 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42. Citatur autem ab auctore nostro ob illa sancti Benedicti : *Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem.*

[h] *Et in hoc placeat Deo.* Hæc non sunt apud Rufinum.

[i] *Et non in eo quod sibi placet, assumat judicium.* In textu Græco : Καὶ μὴ ἐν τῇ ὑπερθέσει τὸ κρίμα, id est, Et non in procrastinatione judicium. Sed Rufinus legisse videtur ἐν τῇ αὐταρεσκείᾳ, etc., id est, in sibi complacentia. Quod sane propius accedit ad mentem sancti Basilii. Nam hoc loco sanctus Basilius vult monachum, si ei injungatur aliquam artem ediscere, facere lucrum ex obedientia, non vero ex sibi complacentia, nempe ex propria voluntate artem eligendo, Dei judicium seu condemnationem incurrere.

[i] *Si quis industrius.* Habetur apud sanctum Basilium, interr. 118 Reg. br., et apud Rufinum, cap. citato. Affertur autem ab auctore nostro propter rationem ultima interrogatione dictam.

esse in eo quod vult sibi placere, simul enim et inobediens [a] invenitur

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 81).

Interrog. [b] Si omnino volenti litteras discere, vel lectioni vacare, indulgendum est? — *Resp.* Apostolo dicente : *Ut non quæ vultis, ea faciatis* (*Gal.* v). In omni negotio sua voluntate permittere unumquemque agere perniciosum est : sed oportet illud suscipere quod ab his qui præsunt injungitur : etiamsi contra voluntatem sit ejus cui injungitur, [c] secundum Domini exemplum dicentis : *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII).

§ VII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 23).

[d] Artificium vero discendum, aut quamlibet operam faciendam, non pro suo libito eligant, sed in arbitrio abbatis erit, quod utile prospexerit imperandum.

§ VIII. — Ex Regula Orientali.

[e] Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ IX. — Ex Regula Patrum (*cap.* 1).

[f] Ante omnia habentes charitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, vel cætera quæ docet Apostolus (*Col.* III); ita ut nemo quidquam suum vindicet; sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum, habeant omnia communia (*Act.* IV). [g] Ille vero qui præpositus est, Dei judicium et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire secundum veritatem debet. Quia si quis illum [h] putat [se] spernere, Deum spernit, sicut scriptum est : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit* (*Luc.* X). Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat [i] sine verbo.

§ X. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 2 *et* 3).

[j] Seniores junioribus affectum paternum impendant. Et cum [k] imperandi necessarium fuerit, [l] non tumenti animositate, et clamosis vocibus, sed fidocialiter tranquilla simplicitate et auctoritate bonæ vitæ, ad peragendam communem utilitatem, quæ fuerint opportuna, injungant. [m] Juniores senioribus sincera subjectione obediant, nec tumenti cervice in quocunque respondeant, aut fastidienti animo, et negligenti aure imperantibus obedire detrectent : sed unanimiter et concorditer, tam in spirituli opere quam in terreno omnes fideli intentione occurrant.

§ XI. — Ex Regula cujusdam Patris.

[n] Nullo alio vitio diabolus monachum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis seniorum, habeant omnia communia (*Act.* IV). [g] Ille vero qui præpositus est, Dei judicium et ordinationem sacerdotis in omnibus timere, diligere et obaudire secundum veritatem debet. Quia si quis illum [h] putat [se] spernere, Deum spernit, sicut scriptum est : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit* (*Luc.* X). Ita ut sine ipsius voluntate nullus frater quidquam agat, neque accipiat ab aliquo aliquid, neque det, nec usquam prorsus recedat [i] sine verbo.

§ X. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 2 *et* 3).

[j] Seniores junioribus affectum paternum impendant. Et cum [k] imperandi necessarium fuerit, [l] non tumenti animositate, et clamosis vocibus, sed fidocialiter tranquilla simplicitate et auctoritate bonæ vitæ, ad peragendam communem utilitatem, quæ fuerint opportuna, injungant. [m] Juniores senioribus sincera subjectione obediant, nec tumenti cervice in quocunque respondeant, aut fastidienti animo, et negligenti aure imperantibus obedire detrectent : sed unanimiter et concorditer, tam in spirituli opere quam in terreno omnes fideli intentione occurrant.

§ XI. — Ex Regula cujusdam Patris.

[n] Nullo alio vitio diabolus monachum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis senio-

[a] *Invenitur.* Ita apud Rufinum. In textu Græco : ἐλέγχεται, id est convincitur.

[b] *Si omnino volenti.* Invenire est apud sanctum Basilium, interr. 96 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 46. Profertur autem ab auctore nostro propter rationem supra dictam. Pro, *Si omnino*, apud Rufinum legitur : *Si hoc alicui.* In textu Græco, *si παντί*, id est, *Si omni.* Atque hic ita legendum puto, non, *Si omnino.*

[c] *Secundum exemplum Domini dicentis* : *Pater*, etc. Ita apud Rufinum, quæ in textu Græco non reperiuntur, sed ista : Τὸ δὲ ἔγκλημα ἀπιστίας τούτῳ ἁρμόζει, τοῦ κυρίου εἰπόντος· Γίνεσθε ἕτοιμοι· ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται· id est, huic autem incredulitatis crimen convenit, dicente Domino : *Sed estote parati, qua hora non putatis, filius hominis venit.* Sed cum hæc verba ad rem non faciant, puto textum sancti Basilii Græcum fuisse corruptum, cum illa conveniant interrogationi 117.

[d] *Artificium.* Hoc capitulum hic citatur ob eamdem causam quam de superioribus sancti Basilii capitulis diximus. Quod tamen videtur sumptum ex Regula sancti Cæsarii, cap. 6 : « Nemo sibi aliquid operis, vel artificii pro suo libito eligat faciendum : sed in arbitrio senioris erit, quod utile prospexerit imperandum. » Idem statuit Tetradius, cap. 7 Regulæ : « Operam, non quam unusquisque voluerit, sed quæ eis ordinata fuerit, faciant. » Quæ quidem sapienter instituta sunt, ut monachus discat suam frangere voluntatem, quod in vita monachica præcipuum est.

[e] *Si inventus fuerit.* Hæc sunt prorsus eadem verba supra hoc capite citata ex Regula sancti Pachomii. Et certe multa hic citantur ex Regula Orientali, quæ sumpta sunt ex Regula sancti Pachomii.

[f] *Ante omnia.* Hæc habentur in secunda Regula Patrum cod. Flor. cujus initium est : *Cùm residéremus in unum in nomine Domini.* Exstant etiam in veteri cod. ms. cœnobii Corbeiensis in Gallia, ubi eadem Regula habetur.

[g] *Ille vero qui præpositus.* Id est, qui secundus est a sacerdote; quem isti Patres faciunt veluti abbatem, cui debeat subjacere præpositus.

[h] *Putat se.* Τὸ *se* redundat.

[i] *Sine verbo.* Id est, sine jussu, licentia seu permissione, ut in Evangelio : *In verbo tuo laxabo rete.* In eadem significatione Patres Græci nomen, λόγος, id est verbum, usurparunt, ut videre est apud Palladium, cap. de Tabennesiotis : Ἐξελθοῦσα μία πατέρα τῶν παρθένων λόγῳ ἑαυτῆς· id est egressa junior virginum sui ipsius verbo, id est, sine permissu.

[j] *Seniores.* Hæc habentur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Floriac., cujus duo hic junguntur capita, primum et secundum.

[k] *Imperandi.* Lege, *imperare.*

[l] *Non tumenti animositate.* Notanda doctrina : nam aliud est imperium abbatum, aliud regum. Nam *reges gentium dominantur eorum*, etc. Vide supra.

[m] *Juniores.* Hic incipit secundum caput Regulæ Pauli et Stephani in dicto cod. Flor. 1.

[n] *Nullo alio vitio.* Hoc capitulum exstat collat. II Cassiani, cap. 11. Idem docet sanctus Dorotheus, doct. I : « Ego profecto, inquit, casum ullum alium monachis contigisse nescio, præter hunc, nempe quia judicio et sensui cordis sui facile credunt, atque obtemperant. Aiunt nonnulli : Propter hoc cadit monachus; alii : Propter illud : ego vero, ut modo dixi, casum alium evenisse cuipiam nescio; nisi quia proprio judicio et cordi suo credit. Itaque, cum videris quempiam cecidisse, scito nullam aliam potiorem esse causam, quam quod cordi suo credidit, et seipsum instruere voluit. » Hæc ille. Qui seipsum erudit monachus, diaboli discipulus est. Casus nonnullorum monachorum, qui plus æquo suo judicio tribuerunt, vide apud Palladium in Hist. Lausiaca, capitibus de Valente, Heronè, et Ptolemæo; et apud Cassianum, coll. II, cap. 5.

rum consiliis suo judicio [a] defensionique [b] conspexerit confidere.

§ XII. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 9).

[c] Maxima pars Regulæ monachorum mortificatio est : quibus nimirum per Scripturam præcipitur : *Sine concilio nihil facias* (*Eccli.* xxxii). Ergo, si nihil sine consilio faciendum, totum per consilium est interrogandum. Unde etiam per Moysem præcipitur : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* xxxii). Sed, licet duris dura videatur hæc disciplina, ut scilicet homo de ore pendeat alterius, certis tamen Deum timentibus [d] dulcis et secura invenietur, si ex integro et non ex parte conservetur. Quia nihil dulcius est conscientiæ securitate, nihil securius est [e] animæ impunitate, quam nullus sibi ipsi per se potest tradere, quia proprie [f] aliquorum est examinis.

[a] *Defensionique.* Lege, *definitionique*, ut apud Cassianum.

[b] *Conspexerit.* Lege, *persuaserit*, ut apud Cassianum.

[c] *Maxima.* Habetur in cod ms. Flor. et in editione Parisiensi eodem capite. Sed in editione Insulæ apud Goldastum (*Parte* I *Parœn. veterum*), ubi capita Regulæ sancti Columbani in plura alia dividuntur, capite 14. Proprii autem judicii et arbitrii abdicatio summa mortificatio est, quæ præcipue monachos decet; ac proinde maxima pars Regulæ monachorum mortificatio est.

[d] *Dulcius.* Ita in Reg. ms. cod. Flor. et apud Goldastum. In editione Parisiensi : *incertius*, male.

[e] *Animæ impunitate.* Impunitas animæ est, cum nullis maleficiorum stimulis pungitur, maxime quia illi qui prælati judicio innititur, errata non imputantur, nisi ea evidenter legi Dei adversentur.

[f] *Aliquorum.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In editione Insulæ apud Goldastum, *aliorum*, rectius.

CAPUT VII.

[a] QUÆ SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[b] Inprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, [c] tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam seipsum. [d] Deinde non occidere. Non adulterari.

[a] *Quæ sunt instrumenta bonorum operum.* Hæc instrumenta sumpta sunt ex epistola prima sancti Clementis papæ ad Jacobum fratrem Domini (si modo illius sit, aut saltem ad hunc Jacobum missa) sub finem ; in qua hæc instrumenta reperiuntur, paucis tamen exceptis et ordine mutato in multis. Hæc sanctus Clemens se a sancto Petro hausisse profitetur. Horum initium ita habetur. « Quotidiana enim illius (*Petri*) prædicatio inter cætera diurna mandata hæc erat. Quam in ejus exemplum etiam tibi, frater charissime, significare curavi. Bonorum, inquit, operum, inter cætera, semina ac negotia sunt, quantum unusquisque sapit et potest, » etc. Quædam etiam referuntur in antiquo Ordine Romano ex Canone Theodori Anglorum episcopi, in ordinatione abbatissæ.

Hæc eadem instrumenta, sed a sancto Benedicto emendicata, ejus tamen nomine suppresso, refert Theodulphus episc. Aurelianensis in suo Capitulari, c. 21 : « Libuit nobis, inquit, huic nostro Capitulari inserere sententiam cujusdam Patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi quidve vitari debeat, continetur. In primis Dominum tuum diligere ex toto corde, » etc. Referuntur etiam a Magistro cap. 3 Regulæ suæ etiam a sancto Benedicto sumpta, quibusdam tamen aliis instrumentis insertis. Quæ quidem a nostro auctore citata non sunt, ne fere eadem res repeteretur. Horum initium ita se habet : « Quæ hæc est ars sancta? Primo credere et confiteri, et timere Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum in trinitate, et trinum in unitate, » etc. Sed in ipso hujus capitis limine non minima occurrit difficultas, cur ipsamet bona opera, quæ hic recensentur, instrumenta bonorum operum, seu, ut loquitur sanctus Petrus, semina appellentur, cum nihil sit sui ipsius instrumentum aut semen. Verum dicendum est hic per ejusmodi bona opera intelligi perfectionis acquirendæ certam methodum, seu ut loquitur sanctus Pater Benedictus in fine hujus capitis, artem spiritalem, ad quam illa omnia quæ hic commemorantur, viam muniunt, ac proinde recte illius instrumenta ac semina appellantur. Huic sententiæ suffragatur Magister, qui in titulo capitis citati hæc bona non appellat instrumenta bonorum operum, sed artem sanctam, cum ait : « Quæ est ars sancta, quam docere debet abbas discipulos in monasterio? »

[b] *In primis.* In vulgatis et in ms. cod. S. Faronis, apud Smaragdum, et S. Dunstanum hæc verba præponuntur : *Primum instrumentum.* In ms. cod. S. Ebrulphi post ro *in primis* additur, *oportet.*

[c] *Tota anima.* Apud Ruthardum ms. legitur, *tota mente.* In epist. sancti Clementis, *totis intimis cordis visceribus*, tantum. In canone Theodori : *Ex totis viribus suis diligere.*

[d] *Deinde non occidere.* Mirabitur quispiam cur monachis, quorum professio est perfectionis studium, tam dira crimina prohibeantur. Sed quamvis rata hæc sint in monasteriis, non tamen abs re est illa prohibuisse : ut suæ recordentur fragilitatis monachi ; nec se ob statum religiosum jam perfectionem attigisse existiment seque ultra peccati metas pervenisse, nec posse amplius cadere : cogitentque angelos in barathrum e cœlo ob superbiam esse detrusos, Adam in paradiso peccasse, Judam unum e collegio apostolorum Dominum vendidisse et omni spe salutis abjecta sibi laqueo fauces obstrinxisse. Quamobrem cum timore et tremore salutem suam in monasterio operentur : humilitati acquirendæ in primis haud segniter incumbant, ad eamque in omnibus vitæ asceticæ procellis ac tempestatibus tanquam ad columnam Rhegiam velocius adnatent : curentque diligenter quotidie animæ sordes eluere ; ne sua negligentia et socordia in eum animi stuporem veniant, ut tandem (quod Deus avertat) gravia illa scelera perpetrent : quæ sane olim a profligatis quibusdam monachis admissa fuisse liquido constat. Nam (ut de cæteris taceam criminibus) SS. abbates Ermenoldus, Bercharius, Abbo, Gerardus a parricidis monachis culeo et simia dignis impie trucidati sunt. Recordabatur, qui scripsit hæc, sanctus Pater Benedictus, sibi a sceleratis monachis vinum veneno mixtum fuisse propinatum. Illud igitur sacræ Scripturæ ad memoriam revocent : *In terra sanctorum impie gessit, et non videbit gloriam Dei.* Et illud : *Dilectus in domo mea male operatus est.* Non locus, sed boni mores sanctum faciunt.

Non facere furtum. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere. [a] Honorare omnes homines. Et quod sibi quis fieri non vult, [b] alii ne faciat. [c] Abnegare semetipsum sibi, [d] ut sequatur Christum. [e] Corpus castigare. [f] Delicias non amplecti. [g] Jejunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. [h] Infirmum visitare. [i] Mortuum sepelire. [j] In tribulatione subvenire. [k] Dolentem consolari. [l] A sæculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi præponere. [m] Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reservare. Dolum in corde non tenere. [n] Falsam pacem non dare. Charitatem non derelinquere. [o] Non jurare, [p] ne forte perjuret. [q] Veritatem ex corde, et ore proferre. Malum pro malo non reddere. Injuriam

[a] *Honorare omnes homines.* Hoc instrumentum non exstat in Regula ms. Magistri ; sed loco illius istud : *Honorare patrem et matrem.*

[b] *Alii ne faciat.* In Capitulari Theodulphi legitur, *alteri ne faciat.* Apud S. Dunstanum, seu in Regula sancti Benedicti a S. Dunstano correcta : *Et quod sibi non vult, alii ne faciat.* Sed puto a chalcographo omissum fuisse verbum, *fieri.* Hoc autem legis naturalis effatum est, quod olim Alexandro Severo imperatori maxime placuit, ut ex his Lampridii verbis in ejus Vita manifestum est : « Si quis de via ad alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi. Aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis[q] contumeliis ; cum diceret : Vis hoc in tuo agro fieri, quod alteri facis ? Clamabatque sæpius quod a quibusdam sive Judæis, sive Christianis audierat et tenebat, idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat : Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quam sententiam usque adeo dilexit, ut in palatio et in publicis operibus præscribi juberet. »

[c] *Abnegare semetipsum sibi.* Luc. IX, ubi non est pronomen *sibi* in vulgata editione, quemadmodum nec in Regula Magistri. Est tamen in epist. S. Clementis, in Capitulari Theodulphi et in cod. N. mss. atque etiam in editis quos viderim ; ita etiam legit S. Ambrosius in epist. ad Constantium. Illud *sibi* idem est quod, *apud se, in sua conscientia, non coram hominibus.* Et hæc phrasis est sancto Benedicto familiaris, ut cap. 7 Regulæ : *Dicens sibi cum propheta.* Et cap. 52 : *Ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare.* Et paulo post : *Sed si alter vult sibi forte secretius orare.* Qui loci, quid sit illud, *sibi*, satis explicant. Abnegare igitur semetipsum sibi est renuntiare suis affectibus et desideriis vitiosis in sua conscientia et coram Deo, non coram hominibus ; conversionis suæ suorumque operum se ac solum Deum arbitrum seu testem quærere, non homines.

[d] *Ut sequatur Christum.* In epistola S. Clementis : *Ut Jesum Christum Dominum nostrum sequatur.* S. Benedictus contraxit.

[e] *Corpus castigare.* In epistola S. Clementis : *Corpus custodire.* Sed puto locum S. Clementis esse corruptum, et legendum *castigare*, In Regula Magistri adduntur hæc verba, *pro anima*, hoc modo : *Corpus pro anima castigare.*

[f] *Delicias non amplecti.* In epistola S. Clementis : *Vanas et caducas non amplecti delicias.* In Regula Magistri : *delicias fugire*, pro, *fugere.* In Theodori canone : *delicias non appetere.*

[g] *Jejunium amare.* In dicta epistola : *jejunium et vigilias sanctas amare.* Dicit vigilias sanctas, ut distinguat eas a prŏfanis vigiliis paganorum atque etiam hæreticorum.

[h] *Infirmum visitare* In epist. S. Clementis additur *Sitientes potare.*

[i] *Mortuum sepelire.* In epist. S. Clementis : *mortuos sepelire*, in plurali videlicet, quemadmodum in duobus præcedentibus et subsequentibus, additurque : *Et diligenter eorum exsequias peragere, pro eisque orare, et eleemosynas dare.*

[j] *In tribulatione subvenire.* In Canone Theodori : *tribulatis subvenire.*

[k] *Dolentem consolari.* In Regula Magistri hoc instrumentum hæc duo subsequuntur : *mutuum dare. Indigenti donare.* Quæ in nullo alio codice reperire potui.

[l] *A sæculi actibus se facere alienum.* In epist. S. Clementis : *Et a malis actibus se alienum facere.* Sed S. Benedictus recte mutavit hoc vocabulum, quia loquitur monachis, at S. Clemens omnibus Christianis. Non enim monachis sufficit se a malis actibus alienos facere, sed etiam a sæculi actibus, etiamsi aliqui boni sint, aut saltem indifferentes, ut sunt mercaturam exercere, negotiari, militare, causas agere et similia quæ haud decent monachos, ut docet S. Dionysius Areopagites ; ut sunt etiam alia sæculi opera vana et futilia, ut jocari, choreis et lusibus indulgere, lautius epulari, pretiosa veste delectari, et similia, a quibus monachi penitus abhorrere debent.

[m] *Iram non perficere.* Recte : nam ad iram perfectam quidam gradus sunt, ut notat S. Dorotheus, doctr. 8. Primus est παραχή, id est perturbatio, quæ est motus seu conflictatio cogitationum, quæ cor excitant illudque animosum et audax reddunt. Secundus, θυμός, id est furor, sanguinis fervor circa cor accensus, ut ait S. Basilius, vocaturque ὀξυχολία, id est acuta bilis ; quam potes exstinguere, antequam fiat ὀργή, id est ira perfecta, et tertius iræ gradus : cum veluti multis lignis aggestis magnum incendium excitatur, et complures prunæ inardescunt. Et hac ratione est iram perficere ; quod vetat sanctus Pater Benedictus hoc loco. Quartus gradus est μνησικακία, quam ad verbum injuriæ recordationem dixeris. At S. Basilius in Regulis brevibus, interrogatione 55, rem aliter exponit. Nam juxta illum ὀργή est tantum in affectu, θυμός in motu, in quo a S. Dorotheo discrepat ; sed quæstio de nomine est. Apud sanctum Basilium sequitur παροξυσμός vehementior furoris motus, et πικρία confirmatio perturbationis acrior ; quam Cassianus lib. VIII de spiritu iræ appellat amaritudinem tristitiæ. Saluberrimum autem iracundiæ sedandæ remedium est resectio voluptatum, ut monebat senior quidam monachus ; ille enim hæc dicere solebat : Ob hanc causam illecebras amputo, ut materiam præcidam iracundiæ ; etenim hanc novi pro voluptatibus perpetuo decertare, tranquillum mentis meæ statum, intelligentiæ vim auferre, ut refert Socrates lib. IV Hist. eccl., cap. 18. Charitate etiam exardescentes animæ partes sanari dicebat Serapion Thmuitensis, ut refert idem Socrates loco citato.

[n] *Pacem falsam non dare.* In Regula ms. Magistri : *De conscientia pacem falsam non dare.* Ubi sequuntur hæc tria instrumenta : *Fratri fidem servare. Non amare detrahere. Promissum complere, et non decipere :* quorum duo alibi non reperies. Nam illud : *Non amare detrahere*, paulo post exprimitur a S. Benedicto sub illis verbis : *non detractorem.*

[o] *Non jurare ; ne forte perjuret.* Regula Magistri : *non amare jurare.* S. Ambrosius in exhortatione ad virginitatem : « Non jurandum facile, quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat ; qui autem jurat, aliquando necesse est incidat in perjurium : quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare. »

[p] *Ne forte perjuret.* In epist. S. Clementis : *ne forte perjurium (quod absit) fiat.*

[q] *Veritatem ex corde et ore proferre.* Ita apud Ruthardum et alibi etiam vulgo habetur. In epist. S. Clementis deest præpositio *ex*, cujus loco in Capitulari Theodulphi est particula copulativa *et.*

non facere : sed et factam patienter sufferre. [a] Inimicos diligere. [b] Maledicentes se non [c] remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem propter justitiam sustinere. Non esse superbum. Non vinolentum. Non multum edacem. Non somnolentum. Non pigrum. [d] Non murmuriosum. [e] Non detractorem. [f] Spem suam Deo committere. [g] Bonum aliquid in se cum viderit, Deo [h] applicet, non sibi. [i] Malum vero a se factum sciat, et sibi reputet. [j] Diem judicii timere. Gehennam expavescere. [k] Vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare. [l] Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. [m] In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, [n] et seniori spiritali patefacere. [o] Os suum a

[a] *Inimicos diligere.* In Regula Magistri : *inimicos plusquam amicos diligere.*

[b] *Maledicentes se non remaledicere.* In Regula Mag., *Maledicentes se non solum non remaledicere.*

[c] *Remaledicere.* Ita vulgo habetur, quemadmodum et in Regula Magistri : sed apud S. Clementem, Ruthardum, et Theodulphum, *maledicere.*

[d] *Non murmuriosum.* Optima lectio. Ita apud Keronem. Ita etiam habetur in Regul. ms. Magistri, apud Trithemium, in utroque cod. ms. S. Germani et in editione Coloniensi : a nomine murmurium, id est, murmur. Quod vocabulum non semel in hac Concordia occurrit : a quo, *murmuriosus :* quod reperitur in glossis quæ vulgo inscribuntur nomine S. Benedicti abbatis Floriacensis, *Murmuriosus, γόγγυσος* lege, *γογγυστὴς*, id est murmurator. Quemadmodum in eisdem glossis habetur, *Memoriosus, μνήμων*, id est memor. Quare illud, *murmurosum*, quod vulgo habetur, excutiendum est. Apud S. Clementem legitur : *non murmuratorem.*

[e] *Non detractorem.* In epist. S. Clementis : *Nec detractorem : quia qui detrahit non se* [lege, *non solum*] *sed alios etiam occidit.* In Regula Magistri hoc instrumentum non exstat hoc quidem loco, sed superius habetur, *non amare detrahere,* quod perinde est.

[f] *Spem suam Deo committere.* In epist. S. Clementis : *Et totam spem Deo semper committere.*

[g] *Bonum aliquid in se cum viderit,* etc. Præclare S. Augustinus serm. 7 de verbis Domini secundum Matthæum « Quid tu juste credis ? te sine Deo non posse servare justitiam ipsius ? ergo totum reputa quod justus es pietati (*Dei videlicet*). Quod autem peccator es, tuæ iniquitati attribue. Esto accusator tuus, et ille erit indultor tuus. Omne enim crimen, facinus, vel peccatum nostræ est negligentiæ et omnis virtus et sanctitas Dei est indulgentiæ. » *Bonum aliquid.* Ita vulgo habetur. Apud Turrecrematam, *Bonum aliquod.* In epist. S. Clementis, *boni aliquid,* et est vera et germana lectio.

[h] *Applicet.* In epist. S. Clementis legitur, *Applicare,* id est attribuere. In Regula ms. Magistri hoc instrumentum ita habetur : *Bonum aliquid in se cum viderit, a Deo factum magis quam a se existimet.*

[i] *Malum vero a se semper factum sciat, et sibi reputet.* Ita vulgo scriptum habetur. In epist. S. Clementis, *Et malum a se factum cognoscat, et sibi imputet.* In Regula Magistri, *Malum a se factum judicet, et sibi et diabolo imputet.* Cui hæc instrumenta subsequuntur : *Desideria sua a Deo perfici adoptare. Substantiam suam non in solo labore manuum suarum, sed plus a Deo sperare.* Ubi, *adoptare,* est vehementer optare ; ut ab, *amare,* adamare.

[j] *Diem judicii timere.* Elegantem judicii descriptionem vide apud Tertullianum lib. de Spectaculis, in fine ; et Eusebium Gallicanum, homil. 4, ad monachos.

[k] *Vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare.* Ita vulgo habetur. In Regula Magistri : *Vitam æternam et Hierusalem sanctam desiderare.* In epist. S. Clementis vocabulum *spiritali* desideratur, forte a quodam correctore expunctum. Omni ergo spiritali concupiscentia vitam æternam desidere est puro Dei amore, et ad majorem Dei gloriam non ob privatam utilitatem æternam felicitatem exoptare. Et hic appetitus perfectus est, qui monachum maxime decet. Sed ut ardentius a nobis appetatur, illius excellentia hic subjicienda, primo ex S. Prospero lib. 1 de Vita contemplativa, cap. 2 : « Ergo futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata. Ubi est certa securitas et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas ; felix æternitas, æterna felicitas ; ubi est amor perfectus, et nullus timor ; dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, et de sua cum illo permansione securus ; ubi ipsa civitas, quæ est angelorum sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, et æterna salus exuberat, veritas regnat ; ubi nec fallit quisque, ne fallitur ; unde nullus ejicitur beatus, quo nullus miser admittitur. » Deinde ex S. Columbano, epistola 2 : « Beata familia, quæ in altis habitat, ubi senex non gemit, neque infans vagit ; ubi laudes Domini nulla vox retinet ; ubi non esuritur, ubi nunquam sititur ; ubi cibo superno plebs cœlestis pascitur ; ubi nemo moritur, quia nemo nascitur ; ubi aula regiæ cœlestis pascitur, in qua male resonans nulla vox audita est ; ubi vita viridis veraque futura est, quam nec mortis, nec mœroris, metus consumpturus est. Læti letho transacto lætum regem videbunt, cum regnante regnabunt, cum gaudente gaudebunt. Tunc dolor, tunc tædium, tunc labor delebitur. Tunc Rex regum, rex mundi a mundis videbitur. » Sed varie a variis Patribus hæc beata vita descripta, maxime a Cassiodoro, lib. de Anima, cap. 19, cujus locum non refero, quia prolixior est ; quem vide, quia nescio quid jucundius animæ spiritali legi potest.

[l] *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.* Hoc instrumentum non exstat apud S. Clementem. Mors ante oculos suspecta habenda est, quia cum certa sit, incerta tamen et perfida est : cum absens putatur, præsens est ; cum remota, propinqua ; incogitanti repentina advenit ; præmatura venit ; subsidet in insidiis, incautos aggreditur non præmeditata irrumpit, invitos trahit. Suspecta ergo habenda est, ne nos imparatos corripiat, quia mors peccatorum pessima, quæ ad perpetuum ducit supplicium, et ut ait S. Prosper Aquitanicus, epigr. 5 :

Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.

At contra sanctorum mors pretiosa in conspectu Domini, quæ perpetuum ducit ad gaudium. Et, si liceat mihi in Prosperi versibus ludere, dicam :

Ille igitur finis bonus est, quem palma sequetur,
Et qui perpetuæ porta salutis erit.

[m] *In omni loco Deum se respicere pro certo scire.* In epist. S. Clementis : *In omni loco Deum respicere, firmiter scire.* Sed incuria typographi intercidit pronomen *se,* quod habetur in capitulari Theodulphi, et in omnibus nostris cod., tam editis quam mss. ; habetur etiam in Regula Magistri, hoc modo : *In quovis loco a Deo se respici pro certo scire.* Ex quibus omnibus hic S. Clementis locus castigandus est.

[n] *Et seniori spiritali patefacere.* Hæc instrumenti pars abest a Regula Magistri. In epistola S. Clementis habetur hoc modo. *Et sacerdotibus Domini manifestare.* Sed sanctus Benedictus quædam mutavit, ut sententiam disciplinæ claustrali accommodaret.

[o] *Os suum a malo, vel pravo eloquio custodire.* In epistola S. Clementis : *Os suum a multo vel pravo eloquio custodire.*

malo vel pravo eloquio custodire. [a] Multum loqui non amare. [b] Verba vana, aut risui apta non loqui. [c] Risum multum aut excussum non amare. [d] Lectiones sanctas libenter audire. [e] Orationi frequenter incumbere. [f] Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri : de ipsis malis de cætero emendare. Desideria carnis non perficere. [g] Propriam voluntatem odire. [h] Præceptis abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat [i] memores illius Dominici præcepti : *Quæ dicunt facite : quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII).

Non velle dici sanctum, antequam sit ; [j] sed prius esse quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. [k] Castitatem amare. [l] Nullum odire. [m] Zelum non habere. Invidiam non exercere. Contentionem non amare. Elationem fugere. Seniores venerari. Juniores diligere. [n] In Christi amore pro inimicis [o] orare. [p] Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. [q] Et de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, et in die judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.

[a] *Multum loqui non amare.* « Multiloquium jactura est monacho, » inquit S. Ephræm parænesi 46. In epist. S. Clementis additur : *Sed custodire labia sua, ne dolum aut malum loquantur.*

[b] *Verba vana, aut risui apta non loqui.* In epist. S. Clementis : *Verba vana, aut mendacia non loqui : quia os, quod mentitur, occidit animam.*

[c] *Risum multum, aut excussum non amare.* Hoc instrumentum non exstat in epist. S. Clementis. Mentio fit in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, lib. 2 : « Locutio vere sua præ nimio gaudio ridere nos cogebat. Sed ille habenas moderationis manu tenens, mox capitulum Regulæ nobis apponebat dicens : Risum multum aut excussum non amare. »

[d] *Lectiones sanctas libenter audire.* In epist. S. Clementis : *Verba divina libenter audire.*

[e] *Orationi frequenter incumbere.* In epist. S. Clementis : *Prædicationi et orationi ac lectioni frequenter incumbere : et eleemosynas veras facere.* Recte autem monachis frequentius orationi incumbere præcipitur : nam, ut præclare monet S. Asterius Amaseæ episcopus in homilia in illud Evangelii : *Duo homines ascenderunt in templum* : Εὐχὴ τῆς ζωῆς ἡμῶν βοήθεια, ὁμιλία πρὸς Θεὸν, λήθη τῶν γηίνων, ἄνοδος πρὸς οὐρανόν· id est, Oratio vitæ nostræ auxilium, conversatio cum Deo, oblivio terrenorum, via ad cœlum. Unde recte docet S. Anastasius Sinaita in sermone de sacra Synaxi : Ἡ γὰρ προσεδρεία καὶ σχολὴ τῆς προσευχῆς, καὶ τῶν θείων γραφῶν μήτηρ ὑπάρχει πασῶν τῶν ἀρετῶν· διὰ μὲν γὰρ τῆς προσευχῆς πᾶν αἴτημα καὶ δώρημα παρὰ Θεοῦ κομιζόμεθα· id est, Assiduitas in oratione et in sacræ Scripturæ lectione mater est virtutum omnium : per orationem enim omnem petitionem et donum a Deo reportamus. Monachus mundo mortuus cœlo per orationem vivit excellentissima sane vita, qua per orationem cum Deo conjunctus est, qui in eo vivit, non jam ipse : ita ut cum Apostolo dicat : *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus.*

[f] *Mala sua præterita*, etc. Hoc instrumentum non est in epistola S. Clementis. Illud vero eisdem verbis habet S. Eligius episcopus Noviomensis, homil. 9.

[g] *Voluntatem propriam odire. Odire*, pro *odisse* : sed de hac re inferius. In epistola S. Clementis legitur : *Sed propriam frangere voluntatem.* Illos veros esse monachos præclare dicebat S. Fulgentius Ruspensis episcopus qui mortificatis voluntatibus suis parati essent nihil velle, nihil nolle, sed abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare.

[h] *Præceptis abbatis in omnibus obedire.* In Capitulari Theodulphi : *Præceptis sacerdotis et præceptoris*, etc. In epist. S. Clementis : *Eorum præceptis in omnibus obedire*, etc., intelligit episcopos, de quibus paulo ante loquitur. Sed sanctus Benedictus mutavit vocabulum S. Clementis, et Theodulphus S. Benedicti. Ille ut suis monachis, hic ut subditis suis sententiam aptaret.

[i] *Memores illius Dominici præcepti.* In Capitulari Theodulphi : *Memores illud Dominicum præceptum ;*

[j] *Sed prius esse quod verius dicatur.* Ita in Regula Magistri, in Capitulari Theodulphi, apud Ruthardum, Trithemium, S. Dunstanum, in cod. mss. S. Faronis, Vict. p. et in utroque S. Germani ; quæ quidem lectio optima est : ut prædicatio illa sanctitatis non sit causa finalis quæ nos moveat ad sanctimoniam acquirendam, sed tantum consequentia ad illam : nam fama et nomen ex sanctimonia oriuntur. Unde Ruthardus ait : « Sed si forte sine voluntate sua fuerit dictum, verius dicatur. » Vulgo, ut in epist. S. Clementis legitur, *ut verius dicatur.* Quam lectionem, qui admittere volet, dicat, necesse est, particulam *ut* hoc loco non significare causam finalem (ineptum enim esset, si quis famæ sibi comparandæ gratia sanctus esse vellet), sed tantum consequentiam eventus, quemadmodum sæpe in Evangelio occurrit, ut Joan. XIX : *ut Scriptura impleretur dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem.* Non enim hæc vestimentorum Christi partitio, et sors in ejus vestem contigere, *quia* hoc a Davide prædictum est, et ut ejus prophetia vera esset, tanquam illa esset causa finalis ob quam hæc facta sunt ; quinimo ideo prædicta sunt, quia contingere debebant.

[k] *Castitatem*, etc. In epistola S. Clementis legitur : *charitatem*, male.

[l] *Nullum odire. Odire*, pro, *odisse*, ut paulo ante : *voluntatem propriam odire.* S. Valerianus, orat. de bono disciplinæ : *odio colloquium mulieris.* In epist. S. Clementis legitur : *Nullum odio habere : quia qui odit fratrem suum, homicida est.* In Canone Theodori legitur : *neminem odisse.*

[m] *Zelum non habere.* Recte hoc instrumentum distinguitur a sequenti, nempe, *invidiam non exercere.* Nam ita habetur in cod. Vindocinensi, in epistola S. Clementis, et in Regula Magistri. Vulgo tamen, ut in Capitulari Theodulphi, ex his duobus unum conflatur : *Zelum et invidiam non habere.* Et in Canone Theodori, ubi sic legitur : *Zelum injustum et invidiam non habere*, Ruthardus addit *inimicitias non exercere.* Quod certe vix alibi repereris. Zelus autem hoc loco pro zelo malo sumitur, de quo infra.

[n] *In Christi amore*, etc. In epist. S. Clementis legitur *in Christi nomine*, ut in can. Theodori. Hoc instrumentum non exstat in Regula Magistri.

[o] *Orare.* In Can. Theodori, *Exorare.*

[p] *Cum discordante.* Ita apud Keronem. In epist. S. Clementis, legitur. *Cum discordantibus, etc.*, ut vulgo. In Regula Magistri habetur : *Ante solis occasum cum inimicis redire in gratiam.* Ubi et hoc instrumentum additur : *Omnibus bonis ex toto corde obedire.*

[q] *Et de Dei misericordia nunquam desperare.* In Regula Magistri : *et de Deo nunquam desperare.*

gunt eum. Officina vero ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.

§ II. — Ex Regula sancti Macarii.

[a] Milites ergo Christi sic taliter suos debent componere gressus, charitatem in se perfectissimam continentes Deum ex tota anima diligere, et ex tota mente, et ex toto corde, et ex tota virtute sua, invicem inter se perfectissimam sectantes obedientiam. Pacifici, mites, moderati; non superbi, non injuriosi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed Deo, cui militant, Christo. Non blasphemiam sectantes, nec dicere quidquam præter quod bonum est. Ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientia [b] præcincti, in vigiliis instantes, in jejunio hilares. Nullus se [ab] alio justiorem arbitretur; [c] sed unusquisque omnibus se inferiorem contemnat. Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Præceptum senioris est, ut salutem suscipias; non murmurando ullam operam facias; non responsionem contra præceptum usurpes, non te extollas, aut magnifices utilem operam aliquam fecisse. Non acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris. Non te familiaritas aliqua sæcularis trahat, sed tota dilectio tua in cellula demoretur. [d] Cellam ut paradisum habeas. Fratres tuos spiritales ut æternos confidas habere parentes. Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Similiter quoque et omnes oportet diligere fratres, cum quibus etiam te confidas [e] videre gloriam Christi. Non oderis laboriosam operam, otium quoque ne sectaveris, in vigiliis confectus, in opere justo affectus, ambulans quasi dormitans, lassus ad stratum tuum venias: cum Christo requiescere credas. [f] Cursumque monasterii super omnia diligas. Qui vero sæpius orare voluerit, uberiorem inveniet misericordiam Christi.

§ III. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 41).

Interrog. [g] Quid est maledicus, id est λοίδορος. — *Resp.* Omnis sermo qui ob hoc profertur ut infamet aliquem, deroget vel male commendet, [h] maledicus est, etiamsi non videatur esse injuriosus. Et hoc manifestum est ex sententia Evangelii, cum dicit de Judæis: *Quia maledixerunt eum dicentes: Tu sis ex discipulis ejus* (*Joan.* IX).

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 42).

Interrog. [i] Quid est detractio vel derogatio? — *Resp.* Duas opinor esse causas, in quibus licet alicui dicere et retractare aliena mala: si quando consilium habere necesse est cum cæteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccavit, vel male aliquid egit. Et rursum si quando necesse est prævenire aliquem et commonere ne forte incurrat in consortium alicujus mali, dum eum putat esse bonum: quia Apostolus dicit: *Nolite commisceri cum hujusmodi* (*II Thess.* III). [k] Item in Salomone: *Noli manere cum homine iracundo, ne forte vias ejus discas et sumas laqueum animæ tuæ* (*Prov.* XXII). Quod et ipsum Apostolum fecisse invenimus per hoc quod scribit ad Timotheum dicens: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; quem tu quoque devita: valde enim restitit nostris sermonibus* (*II Tim.* IV). Præter hujusmodi autem necessitates quicunque dicit aliquid adversus aliquem, ut vel deroget ei vel obtrectet, istud est detrahere, etiamsi vera esse videantur quæ dicit.

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 43).

Interrog. [l] Qui detrahit fratri, audit detrahentem, et patitur, quid dignus est? — *Resp.* Excommunicari debet. *Detrahentem*, inquit, *occulte adversus proximum suum, hunc persequebar* (*Ps.* C). Et alibi dictum est: [m] *Noli libenter audire detrahentem, ne forte eradiceris* (*Prov.* XX).

[a] *Milites Christi*, etc. Hæc non exstant in Regula Serapionis, Macariii et aliorum cod. Flor. Quædam, maxime circa finem, habentur in epist. S. Hieronymi ad Rusticum de forma vivendi.

[b] *Præcincti.* Id est, prompti.

[c] *Sed unusquisque*, etc. Lege, *Sed unusquisque se tanquam omnibus inferiorem contemnat.*

[d] *Cellam ut paradisum habeas.* Consule S. Hieronymum, S. Dorotheum, S. Antiochum, Severum Sulpitium, Cassianum, Palladium, Joannem Moschum, et cæteros, qui de vita ascetica, ejusque cultoribus scripserunt, et videbis, quantum sit e re monastica custodia cellæ.

[e] *Videre.* Pro, *Visurum.* Ut sæpe occurrit.

[f] *Cursum monasterii.* Cursus est pensum divini officii, quod quotidie excurritur, et persolvitur a monachis. De quo infra.

[g] *Quid est maledicus*, etc. Habetur apud S. Basilium, interr. 24 Regulæ brev. et apud Rufinum, cap. 33, ubi ita etiam legitur. At in textu Græco τί ἐστι οἰδορία; id est, quid est maledictum? quibus verbis responsio convenit: *Omnis sermo*, etc. Hæc autem Basilii capita citantur ob hæc sancti Benedicti verba: *non detractorem.*

[h] *Maledicus est.* Lege, *maledictum est*, ut in Græco. οἰδορία.

[i] *Quid est detractio.* Exstat apud S. Basilium interr. seq. et apud Ruf. eod. cap.

[l] *Si quando consilium*, etc. Videndum est tamen si is quicum inis consilium de alieno peccato emendando, sit vir prudens, ut ejusmodi peccatum alteri non sit patefacturus. Et ita hic Basilii locus est explicandus. De detractione plura vide apud Toletum, lib. V, cap. 63 et seq., Angelum et alios.

[k] *Item in Salomone.* In textu Græco nulla mentio fit Salomonis, sed tantum producitur finis hujus sententiæ, mutata secunda persona in tertiam: Μὴ ποτε λάβῃ βρόχους τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ, id est, Ne quando quis capiat laqueos animæ suæ. Locum textui suo accommodat.

[l] *Qui detrahit fratri.* Invenire est apud S. Basilium, interr. 26 Regularum brevium, et apud Rufinum, cap. 34.

[m] *Noli libenter audire detrahentem.* Ita apud Rufinum. Et ad verbum redditur textus sacræ Scripturæ, prout a S. Basilio profertur, qui est hujusmodi: Μὴ ἡδέως ἄκουε καταλαλοῦντος, etc.; id est, Ne libenter audias detractorem. Aliter tamen Prov. cap. XX, versu 13 ubi hic locus exstat, legitur in versione Septuag. Interpretum, Μὴ ἀγαπᾷ καταλαλεῖν ἵνα μὴ ἐξαρθῇς, id est, *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* In textu Hebraico אל־תוחב שנה, *al theheb schana*, id est, *noli diligere somnum*, ut in versione communi. Sed si mutatis punctis legas שׂנה *schone*, efficies τὸ

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 44).

Interrog. [a] Quod si de eo, qui præest, detraxerit, quomodo eum observabimus? — *Resp.* Et in hoc manifestum est judicium iracundiæ Dei, quæ facta est super Mariam, dum detraxit de Moyse : et peccatum ejus, nec ipso quidem Moyse orante, inultum Deus esse permisit (*Num.* XII).

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 61).

Interrog. [b] Quomodo intelligitur superbus, vel quomodo curatur. — *Resp.* Intelligitur quidem ex eo quod ea semper quæ eminentiora sunt quærit. Curatur autem, si credat sententiæ ejus quæ dixit : *Deus superbis resistit* (*Jac.* IV). Illud sane sciendum est quod quomodo quis timeat damnationem superbiæ, impossibile est curare hoc vitium, nisi abstrahat se, et secedat ab omnibus occasionibus elationis. Sicut impossibile exstingui linguam alicujus, vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitus abstrahat non solum ab agendo, vel loquendo [vel movendo], sed etiam audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agunt id quod oblivisci cupit. Et hoc observandum est de omnibus vitiis.

§ VIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 90).

Interrog. [c] Quomodo oportet jejunare, cum necessarium jejunium injungitur, si aliquando quod religio deposcit explendum tanquam ex necessitate, an voluntarie? — *Resp.* Domino dicente : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V), omne quod ad religionem pertinet, nisi ex proposito et religione fiat, periculum generat. Debet ergo jejunio sociari devotio. Quia autem necessarium sit jejunium in talibus quibusque causis, [d] et maxime cum desideramus aliquid impetrare de Domino, etiam sanctus Apostolus docet, qui inter cæteras suas virtutes addidit [e] etiam hoc dicens : *Quia in jejuniis* [f] *frequenter* (*II Cor.* XI).

§ IX. — *Item ejusdem* (*cap.* 138).

Interrog. [g] Quomodo possumus timere judicia Dei. — *Resp.* Naturaliter exspectatio omnis mali timorem incutit. Ita namque etiam bestias timemus et principes, scientes imminere ab eis aliquid quod ad vitæ exitium pertinet. Si ergo credamus quia veræ sunt comminationes futuri judicii et recordemur terribile illud futuri examinis tribunal, timebimus judicia Dei.

§ X. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 4).

[h] Monachis autem summopere studendum est ut apostolicam vitam tenentes, sicut in unum constituti esse noscuntur, ita cor unum habeant in Deo, nihil sibi proprium vindicantes, [i] [nihilque in] quantulumcunque amorem rei privatæ gerentes; sed juxta exemplum apostolicum omnia communia habentes, in præceptis Christi permanendo proficiant, i Patri honorem debitum reverentes, erga seniores obedientiam, erga æquales incitamentum virtutum, erga minores exempli boni ministerium conservabunt. Nemo cæteris se judicet meliorem, sed inferiorem omnibus deputans tanta humilitate clarescat, quanto plus cæteris culmine virtutum coruscat. Abstineat etiam a furore et detractione, parcat monachus linguæ. [k] Indecenter quoque vel [l] notabiliter non incedat. Philargyriæ contagium ut lethiferam pestem abhorreat, a turpibus verbis vel otiosis linguam avertat, atque indesinenter cor mundum labiaque exhibeat. Affectus quoque animi turpes ab intentione cogitationis abstergat, seque per compunctionem cordis in studio sancto meditationis exerceat. Torporem somni atque pigritiæ fugiat, vigiliisque et orationibus sine intermissione intendat. Gulæ concupiscentiam deprimat, atque abstinentiæ virtutibus semetipsum pro studio domandarum libidinum affligat, domans jejuniis carnem, quantum valetudo corporis sinit. Livore quoque invidiæ de fraternis profectibus nequaquam tabescat; sed quietus atque pacificus per amorem fraternæ dilectionis de cunctorum gaudeat meritis. Iracundiæ perturbationem a se rejiciens, et patienter omnia sustinens, nulla tristitia, nullo temporali mœrore affectus, sed contra omnia adversa interiori gaudio fretus, ipsam postremo vanæ gloriæ laudem procul a se abjiciat, ut dum his institutis radiat, merito nomen suæ professionis retineat.

§ XI. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 24).

[m] Transeuntibus de hac luce fratribus, antequam sepeliantur, pro dimittendis eorum peccatis » sacrificium offeratur. Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco, ut quos viventes charitatis tenuit unitas,

detractorem. Quemadmodum cap. XXIV, Prov. : *Et cum detractoribus ne miscearis*, ubi in textu Hebræo legitur שׂוֹנְאִים, *Schonim*, id est, detractores.

[a] Interrog. 27 Reg. brev.; Rufin. cap. 2.

[b] Interrog. 35 Reg. brev.; Ruf. c. 40.

[c] *Quomodo jejunare*. Reperitur apud S. Basilium, interr. 130 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 50. Hoc caput citatur ob hæc verba : *Jejunium amare*.

[d] *Et maxime cum desideramus*, etc. Ita apud Rufinum, sed non exstant in textu Græco.

[e] *Hoc etiam dicens*. Ita apud Rufinum. In textu Græco additur, πρὸς διδασκαλίαν ὑμετέραν, id est, ad nostram instructionem.

[f] *Frequenter*. Hoc vocabulum non invenitur apud Rufinum.

[g] Interrog. 209 Reg. brev.; Rufinus, cap. 72.

[h] *Monachis autem*, etc. Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 3.

[i] *Nihilque in quantulumcunque*. Dele τὸ *nihilque in* quod redundat, et lege, ut in Regula excusa *nec quantulumcunque*.

[j] *Patri honorem debitum reverentes*. Lege : *Patrem honore debito reverentes*. In Regula excusa legitur : *Patri honorem debitum referentes*.

[k] *Indecenter quoque*, etc. Monachus incedere debet juxta id quod præcipit S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 8 Regulæ suæ : « Definitum est ut ... in gressu nullos strepitus, neque saltus amplos tensis passibus faceret : nec alibi dum pergunt, aspicerent, nisi ante vestigia sua. »

[l] *Notabiliter*. Id est, superbe et fastuose.

[m] *Transeuntibus de hac luce fratribus*, etc. Hæc habentur in Regula excusa sancti Isidori eodem cap., quæ hic citantur ob illa sancti Benedicti verba : *mortuum sepelire*.

[n] *Sacrificium offeratur*. Antiquus fuit Ecclesiæ mos pro defunctis sacrificium offerre, de quo agit sanctus Augustinus, lib. de Cura pro mortuis habenda, cap. 1, et in epistola de octo quæstionibus ad Dulcitium, qu. 2. Mentio fit apud Cassianum, coll. II.

morientes unus locus amplectatur. Pro spiritibus defunctorum [a] altera die post Pentecosten sacrificium Deo offeratur, ut beatæ vitæ participes facti purgatiores corpora sua in die resurrectionis recipiant. Hæc igitur, o servi Dei, milites Christi, contemptores mundi, ita vobis custodienda volumus, ut majorum præcepta [[b] patrum] per omnia conservetis. Suscipite igitur inter illa et hanc admonitionem nostram, humili corde custodientes quæ dicimus, libenter sumentes quæ dispensamus: quatenus vobis de effectu operis sit gloria, et nobis pro ipsa admonitione postulata proveniat venia. Deus A autem omnipotens custodiat vos in omnibus bonis: et quomodo cœpit sic confirmet gratiam suam in vobis. Amen.

§ XII. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 127).

[c] Si frater dormierit, [d] omnis eum fraternitas prosequatur. [e] Nemo remaneat absque majoris imperio, [f] nec psallat, nisi ei jussum fuerit; nec post alterum psalmum jungat alterum sine præpositi voluntate.

§ XIII. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 23).

[g] Ut jurandi consuetudo ad integrum, si fieri po-

cap. 5: « Ab iis qui ejus compatiebantur exitio, vix a presbytero abbate Paphnutio potuit obtineri ut non inter biothanatos reputatus etiam memoria et oblatione pausantium judicaretur indignus. » Et in concilio Bracarensi I, cap. 24; Aurelianensi II, can. 14; Vasensi I, can. 2; Vasensi II, can. 3, et aliis auctoribus infra citandis. Sanctus Isidorus tantum unius diei, quo in exsequiis defunctorum salutaris offertur hostia, meminit; quæ tamen offerebatur etiam quibusdam aliis diebus ab ipsius defuncti obitu. Alcuinus, lib. de divinis Officiis, cap. 5; Amalarius Fortunatus, lib. IV de ecclesiasticis Offic., cap. 42, mentionem faciunt tertii, septimi et trigesimi dierum, quos adhuc observat sancta Romana Ecclesia. Sed olim mos iste varius fuit. Nam tempore sancti Ambrosii alii tertium diem et trigesimum observabant, alii septimum et quadragesimum, ut videre est in ejus oratione de Theodosii obitu: « Ejus ergo principis conclamavimus obitum, et nunc quadragesimum celebramus assistente sacris altaribus Honorio principe; quia sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita et hic Theodosio patri suo justa persolvit. Et quia alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt, quid doceat lectio, consideremus. » Ita in vetustis editionibus; nam in quibusdam recentioribus corrupte legitur: *alii tertium diem, alii trigesimum, alii septimum, alii quadragesimum observare consueverunt.* Dierum tertii et quadragesimi observationem commemorat Palladius in Lausiaca, capite de Eulogio: Καὶ συνέβη τοῦ μὲν μακαρίου Εὐλογίου τὰ τεσσαρακοστὰ ἐπιτελεῖσθαι, τοῦ δὲ λελωβημένου τὸ σῶμα τὰ τρίτα παρὰ τῆς ἀδελφότητος· id est: Et accidit ut celebraretur a fraternitate beati Eulogii quadragesimus dies, mutilati vero corpore dies tertius. Ecce ut veteres illi monachi Ægyptii dies tertium et quadragesimum celebrabant. An alium addiderint, etsi id non pateat ex Palladio, est tamen simile vero eos addidisse nonum. Nam olim in Orientali Ecclesia agebantur tres hi dies pro mortuis tertius, nonus et quadragesimus. Constitutiones apostolicæ: Ἐπιτελείσθω τρίτα τῶν κεκοιμημένων, etc., id est, tertius defunctorum dies fiat cum psalmis, lectionibus et precibus propter eum qui tertio die a mortuis resurrexit; dies nonus, in memoriam eorum qui superstites sunt, et eorum qui defuncti sunt; dies quadragesimus, juxta antiquam formam. Ubi male vertitur: *exsequiæ vero defunctorum fiant tertio die.* Justinianus Novella 133, cap. 3: « Sed neque aliquam excogitent occasionem aut vim ad monasteria muliebria ingrediendi, aut mulieres viris deputata occasione horum, quæ circa funus aguntur (quas utique memorias vocant) et tertiam et nonam convenientes diem, et dum quadraginta compleantur. » Idem docet Eustratius presbyter magnæ Ecclesiæ, tractatu 3, de defunctorum animis (*Photius in Bibl. n.* 171); ipse enim scribit tertiam, nonam et quadragesimam dies agi cum precibus et eleemosynis in memoriam defunctorum; tertiam, ob Christi resurrectionem, quæ tertia die contigit; nonam, quia post octo dies suæ resurrectionis suis discipulis denuo apparuit, quadragesimam post resurrectionem die ad cœlum ascendit. Nec his adversatur sanctus Augustinus, B cum ita ait sub finem Quæstionum super Genesim: « Et fecit luctum patri suo septem dies. Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novemdial appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum observant, qui magis est in gentilium consuetudine. » Nam aliud est loqui de nono die, aliud de novem diebus. Novem dies non celebrabant Christiani, sed nonum diem duntaxat. Novemdialis meminerunt glossæ veteres: *Novemdial*, ἔννατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα, quos dies etiam Athenienses ἔννατα appellabant, ut docet Julius Pollux lib. III Onomast., cap. 19.

[a] *Altera die post Pentecosten*, etc. Mos olim fuit in monasteriis multis ut anniversariæ preces et missæ stato die pro defunctis fratribus agerentur. Id instituit beatus Ægil abbas Fuldensis in suo monasterio, die sancti Ignatii martyris ad hanc memoriam deputato, ut scribit Candidus monachus Fuldensis in ejus Vita. C Sanctus Hugo abbas Cluniacensis idem statuit fieri quotannis feria 5, post octavas Pentecostes in omnibus monasteriis sibi subditis, ut videre est in charta quadam de quibusdam illius decretis (*Bibl. Clun. in S. Hugone*).

[b] *Patrum.* Lege *potius*, ut in Regula excusa.

[c] *Si frater dormierit*, etc. Hoc caput videre est in Regula sancti Pachomii excusa, art. 71.

[d] *Omnis eum fraternitas prosequatur.* Id est, omnes fratres ejus funus prosequantur.

[e] *Nemo remaneat.* Ex art. seq. sancti Pachomii, in quo ita habetur: « Nemo exeat foras, nemo loquatur; nemo remaneat excepto majoris imperio. »

[f] *Nec psallat.* Ex art. 73 ejusdem Regulæ, sed paulo aliter: « Nemo ante psallat, nisi et jussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine præpositi jussione audeat jungere. »

[g] *Ut jurandi consuetudo*, etc. Perfectionis Christianæ studiosis, ut sunt monachi, ab omni jurejurando cavendum est. Quod præclare docet sanctus D Leander, lib. de Inst. virgin., cap. 19: « Nunquam jurare, sed semper verum dicere pari observa studio. Nam sicut carnalibus pro terrore fraudis jurare permissum est; sic prohibita sunt spiritualibus, etiam dum bene conscii sunt sacramenta. *Sit*, inquit, *sermo vester, est est, non non.* Quod autem, plus est, a malo est. Cave itaque jurare in bono, quia de malo est. Propterea dicitur esse a malo, eo quod jurandi necessitas ex infidei sit conscientia. Ejus enim hominis jurandi extorquetur necessitas, cujus fides manet in dubio. » Cum autem monachorum fides neutiquam vacillare debeat, non opus est eis juramento, quo dictorum suorum veritas confirmetur. Bona conscientia non indiget juramento; tantus est in ea veritatis amor ut quidquid dicit, juratum putet. Recte olim Solon, teste Laertio lib. I, dicebat: καλοκαγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχει, id est. Probitatem juramento fideliorem cense (*S. Hieron.*,

test, de monachorum interlocutione tollatur : ut, etsi secundum humanam fragilitatem minus forsitan possunt mendacii cavere peccatum, possint saltem damnandum vitare perjurium. Quos rogo simul atque commoneo ut studeant in usum habere verba sacra, ne unquam necessaria sint sacramenta. Quam enim hujus vitii debeant omnes vitare flagitium, beato apostolo monente, didicimus. *Nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem verbum vestrum, Est est, Non non ; ut non sub judicio decidatis* (*Luc.* v). Et illud similiter divinæ Scripturæ : *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet de domo illius plaga* (*Eccli.* XXIII). His namque magnis atque evidentissimis documentis etiam lectio Evangelii, quæ maxima est plenitudo, similiter attestatur, dicente Domino ad discipulos : *Audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino : neque per cœlum, quia thronus Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est ; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis ; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est est, Non non* (*Matth.* v). Sufficiat ergo nos propria inserenda monita [a] exemplis docuisse vitanda.

§ XIV. — Ex Regula Aureliani (*cap.* 9).

[b] Non juretis, quia Dominus dixit : [c] *Nolite jurare* (*Matth.* v). Et alia Scriptura : *Vir multum jurans implebitur iniquitate, nec discedet de domo ejus plaga* (*Eccli.* XXIII).

§ XV. — *Item ejusdem* (*cap.* 10).

[d] Non maledicatis, quia scriptum est : *Maledici regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI).

§ XVI. — *Item ejusdem* (*cap.* 11).

[e] Mentiri omnino non liceat, quia *os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et illud : *perdes* [f] *eos qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V).

§ XVII. — *Item ejusdem* (*cap.* 12).

Iracundiam nullus usque ad aliam diem protrahere præsumat. Quod si, ut habet humana fragilitas, sermo durior inter fratres ortus fuerit, invicem sibi veniam petere et debita relaxare debebunt propter Domini mandatum, ubi dicit : *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V). Et : [g] *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Item : [h] *Si septies in die peccaverit in te, et conversus dixerit : Pœnitet me, dimitte illi* (*Luc.* XVII). Et : *Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Et alia Scriptura : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I). Et Apostolus : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Eph.* IV). Quod si, quod Deus avertat, diabolo instigante, ita fuerit quis furore repletus, ut ista mandata pertinaci corde contemnat, et unus de illis qui discordantes sunt, prævenerit alium veniam ei petens ; si ille cui petit non dimiserit, [i] legitimam disciplinam accipiat, ut ad charitatem se corrigat. Quod si ambo despexerint, pariter a communione i vel cibo suspendantur, donec invicem sibi reconcilientur.

§ XVIII. — Incipiunt gesta a beato Augustino, quando sibi successorem elegit.

[k] Gloriosissimo Theodosio duodecies et [l] Valentiniano, non ex codice.

epist. ad Celantiam). Quamobrem lib. II legis Longobardorum, tit. 47, prohibetur episcopis, presbyteris, clericis, monachis et sanctimonialibus, jurare etiam in judicium citatis, dilatata lege Marciani imperatoris, quæ tantum complectitur clericos Constantinopolitanos, ut habetur Cod. l. 25, *De episcopis et clericis*, etc. Quare in citata lege Longobardorum male legitur, *Marco* pro *Marciano*, et *Marci* pro *Marciani*. Juramentum etiam prohibetur monachis prima add. Capit. Lud. imp., titul. 43.

[a] *Exemplis.* Id est, auctoritatibus.

[b] *Non juretis.* Idem statuitur in Regula Teridii seu Tetradii, cap. 4 : « Non jurent, quia Dominus dixit : *Nolite jurare ; sed sit sermo vester, Est est, Non non.* »

[c] *Nolite jurare*, profert sensum, non verba.

[d] *Non maledicatis.* Eidem habet Tetradius, cap. 6 Regulæ suæ : « Non maledicant, quia scriptum est : *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* » Idem etiam statuit Cæsarius, cap. 2 Regulæ : Juramentum et maledictum velut venenum diaboli fugere et vitare contendat. »

[e] *Mentiri*, etc. Circa mendacium hæc statuit Tetradius in Reg. monach. cap. 5 : « Mentiri qui inventus fuerit legitimam disciplinam accipiat, quia *os quod mentitur occidit animam*, et : *perdes eos qui loquuntur mendacium.* »

[f] *Eos qui loquuntur.* Juxta textum Hebraicum. In versione communi, *omnes.*

[g] *Si non dimiseritis*, etc. Hæc citantur ex memoria.

[h] *Si septies in die*, etc. Hæc citantur ex memoria.

[i] *Legitimam disciplinam accipiat.* Disciplina est verberum supplicium. Lib. II legis Longobardorum, tit. 13, l. 3 : « Ancilla vero pro ipsa illicita præsumptione accipiat talem disciplinam a domino in præsentia servi, ut alia ancilla hoc facere non præsumat. » Legis Baiorum tit. 9, cap. 4, § 3, apud Marculphum, formula 175. In Regula S. Cæsarii cap. 24 : « Justum est ut legitimam disciplinam accipiant ; » et paulo post : « disciplinam tamen ipsam in præsentia congregationis accipiant ; et in Regula Tetrardii supra, cap. v.

[j] *Vel cibo suspendantur.* Particula *vel* summitur copulative. Suspendi a cibo est jejunio mulctari, quo monachi excommunicati cum cæteris fratribus non reficiebant, sed aliquot horis tardius, nec ejusdem cibis, ut patet ex multis hujus Concordiæ locis.

[k] *Gloriosissimo Theodosio*, etc. Hæc non exstant in Concordia Floriacensi, sed supplevi ex Vindocinensi : quo tamen spectent non video, nisi dicamus esse transposita et spectare ad caput de ordinando abbate, aut certe referri ad instrumentum, *Contentionem non amare.* Hæc autem Acta habentur inter epistolas sancti Augustini post centesimam nonam. Hic Theodosius junior est, qui fuit Arcadii filius et duodecies consul cum Valentiniano tertio iterum consule, ut notum est ex chronico Cassiodori.

[l] *Valentiniano.* Is est Valentinianus tertius, Theodosii consobrinus, filius Constantii, quem Honorius in

niano Augusto iterum consule, cum Augustinus episcopus una cum Regiliano et Martiniano coepiscopis suis consedisset [a] in ecclesia Pacis Iponiensium [b] regionum, præsentibus Saturnino, [c] Leporio, [d] Barnaba, Fortunatiano, Rustico, [e] Lazaro et [f] Eraclio presbyteris, astanti clero et frequenti populo, Augustinus episcopus dixit : Quod hesterno die promisi charitati vestræ propter quod volui frequentius convenire, et video frequentius convenisse, mora omni postposita, hoc agendum est. Si enim aliud velim loqui, in illud [g] suspensi sumus. Audistis, omnes in hac vita mortales sumus, et dies vitæ nostræ ultimus omni homini est semper incertus. Verum tamen in infantia speratur pueritia, in pueritia speratur adolescentia, in adolescentia speratur juventus, in juventute speratur gravitas, in gravitate speratur senectus. Utrum contingat, incertum est. Senectus autem aliam ætatem quam speret, non habet. Incertum est enim ipsa senectus quandiu sit homini : illud tamen certum est nullam remanere ætatem quæ possit succedere senectuti. Quia voluit Deus, ad istam civitatem cum vigore ætatis adveni : sed tamen juvenis fui et senui. Scio per obitum episcoporum per contentiosos, ambitiosos aut seditiosos solere Ecclesias perturbari; et, quod sæpe sum expertus et dolui, debeo, quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati. Sicut novit charitas vestra, in Milevitana Ecclesia modo fui. Petierunt enim me fratres, et maxime servi Dei, qui ibi sunt, ut venirem. Quia post obitum beatæ memoriæ fratris coepiscopi mei [h] Severi, nonnulla ibi perturbatio timebatur. Veni, et quomodo voluit, [i] Deus adjuvit nos per suam misericordiam. Acceperunt episcopum, quem vivus designaverat episcopus eorum. Hoc enim eis cum innotuisset, voluntatem [j] præcedentis episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat. Unde nonnulli contristabantur, quia frater Severus credidit posse sufficere, ut successorem suum apud clericos designaret : ad populum inde non est locutus. Et erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura? Deo placuit, fugata est tristitia, gaudium successit, ordinatus est episcopus quem præcedens episcopus designaverat. Ergo, ne aliquid de me quæratur voluntatis meæ, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam [k] profero. Presbyterum Eraclium mihi successorem volo. A populo acclamatum est *Deo laudes, Christo laudes.* Dictum est vicies tercies. *Exaudi, Christe, Augustino vitam.* Dictum est sexies vicies. *Te Patrem, te episcopum.* Dictum est octies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit, Non est opus me de laudibus ejus aliquid dicere; faveo sapientiæ, parco verecundiæ.

§ XIX. — Ex doctrina sancti Orsiesii.

[l] Non irascamur invicem. Etiamsi ira nos vicerit, [m] non peccamus irati solis occubitum pœnitentia prævenientes (*Eph.* IV). Meminerimus esse præceptum quoties peccanti in nos ignoscere debemus, et munus nostrum relinquere ante altare, quod nequaquam suscipitur, nisi fuerit reconciliatione placabile (*Luc.* VII); ut possimus dicere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Luc.* XI). Et Apostolus dicit : *Si quis habet adversus aliquem* [n] *querimoniam, sicut et* [o] *Christus* [p] *donavit nobis,* [q] *sic facite* (*Col.* III).

consortem imperii assumpserat, et Placidiæ amitæ Theodosii filius, qui cum triginta annos imperasset, a Trasila Ætii milite confossus interiit. De quo vide Idacium in Chron., Cassiodorum, Olympiodorum, Paulum Warnefridum et alios.

[a] *In ecclesia Pacis.* Ita appellabatur ecclesia Hipponis civitatis, ut notum est ex concilio Africano, anno Christi 395, ubi ita legitur : *Hippone, in secretario basilicæ Pacis.*

[b] *Regionum.* Lege *Regiorum.* Nam hæc urbs dicitur Hippo Regius, ut notum est ex Mela, lib. I, et aliis.

[c] *Leporio.* Is est Leporius presbyter, de quo sanctus Augustinus, serm. II de Vita et Moribus clericorum : « Presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus, et apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi. » Alius est a Leporio monacho et presbytero Gallo, qui in Pelagii hæresim lapsus in Africam trajecit; ubi ab Aurelio Carthaginiensi, sancto Augustino et aliis Africæ episcopis susceptus et sanatus, edito emendationis libello, ab eisdem in Gallias remissus est. De quo Gennadius in Catalogo, cap. 59, et Facundus Hiermianensis, lib. I de tribus Capitulis.

[d] *Barnaba.* Is est Barnabas de quo sanctus Augustinus serm. citato : « Dixi aliquid suum non habere presbyteros cohabitatores meos : inter quos est et presbyter Barnabas, » etc.

[e] *Lazaro.* Is est Lazarus diaconus cujus meminit sanctus Augustinus eodem serm., qui postea presbyter ordinatus est.

[f] *Eraclio.* Is est qui hic designatur episcopus Hipponensis, de quo sanctus Augustinus serm. citato : ubi, quemadmodum et in his gestis excusis, male appellatur Eradius. Nam hujusmodi nomen vix in usu fuit antiquis, Heraclius usitatissimum. Error manavit ex commissura litterarum, *e* et *l*, ex qua exsurgit littera *d*. Apponenda est tamen aspiratio, quæ sæpe in codicibus mss. desideratur.

[g] *Suspensi sumus. Audistis.* In editis : *Suspensi minus audistis.* Rectius.

[h] *Severi.* De quo serm. cit. : « Subdiaconus est cum sancto fratre meo et coepiscopo Severo in Ecclesia Milevitana. »

[i] *Dominus adjuvit nos.* In editis : *Dominus adjuvit nos pro misericordia sua, ut cum pace episcopum acciperent.*

[j] *Præcedentis.* In excusis additur, *et decedentis.*

[k] *Profero.* In editis, *perfero.*

[l] *Non irascamur.* Hæc habentur in editis circa finem. Proferuntur ab auctore nostro ob illa sancti Benedicti : *Cum discordante ante solis occasum*, etc.

[m] *Non peccamus irati.* Nempe contra præceptum Apostoli, si pœnitentia ducti solis occubitum prævenimus. Hic locus caute legendus est, *non* ira potest esse peccatum, etiamsi quis ante solis occasum reconcilietur.

[n] *Querimoniam.* In Vulgata versione, *querelam.*

[o] *Christus.* Ut in textu Græco. In versione Vulgata, *Dominus.*

[p] *Donavit nobis.* Ita in cod. Vind., juxta textum Græcum, ἐχαρίσατο ὑμῖν quod idem sonat. At in editione Vulgata, *donavit vobis*, quemadmodum et IV ad Eph. in eadem versione : *Condonavit vobis.* Ubi in textu Græco : ἐχαρίσατό ὑμῖν id est, condonavit nobis.

[q] *Sic facite.* Ita in cod. Vind. et in editis Orsiesii. At

§ XX. — Ex regula Magistri (*cap.* 4).

Interrogatio discipuli. [a] Quæ sunt ferramenta spiritalia, cum quibus operari possumus artem divinam? — *Resp. Dei per magistrum.* Quæ fides, spes, charitas, gaudium, mansuetudo, humilitas, obedientia, taciturnitas, præ omnibus castitas corporum, conscientia simplex, abstinentia, simplicitas, benignitas, bonitas, misericordia : præ omnibus pietas, temperantia, vigilantia, sobrietas, justitia, æquitas, veritas, dilectio, mensura, modus, et perseverantia usque in finem.

§ XXI — *Item ejusdem* (*cap.* 5).

Interrogatio discipuli. Quæ est materies vel causa malorum quæ in fornace timoris Dei excoqui debet, vel quæ est ærugo vel sorditatio vitiorum quam de nobis debet lima justitiæ mundare? — *Resp. Dei per magistrum.* Cavenda in nobis vitia hæc sunt. Primo superbia, deinde inobedientia, multiloquium, falsitas, avaritia, cupiditas, zelus, invidia, iniquitas, odium, inimicitia, ira, contentio, fornicatio, ebrietas, vorcitas, murmurium, impietas, injustitia, pigritia, furtum, detractio, scurrilitas, levitas, immunditia, vaniloquium, risus multus, vel excussus, subsannatio, concupiscentia, dolus, ambitio, vacatio. Hæc omnia non sunt a Deo, sed opera sunt diaboli, quæ in die judicii a Deo meritum suum perpetui ignis gehennam merentur.

§ XXII. — *Item ejusdem* (*cap.* 6).

Interrogatio discipuli. [b] Quod est officium divinæ artis, vel operatio spiritalium ferramentorum? — *Resp. Dei per magistrum.* Officina vero monasterium est, in qua ferramenta cordis in corporis clusura opus divinæ artis diligenti custodia perseverando operari potest.

in versione vulgata, *sic et vos*, quemadmodum in textu Græco : οὕτω καὶ ὑμεῖς, quod idem sonat.

[a] *Quæ ferramenta.* Ferramentum est instrumentum proprie ferreum. Glossæ veteres : *Ferramenta, ἐργολεῖα σιδηρᾶ*, id est, instrumenta ferrea.

[b] *Quod est officium.* Lege, *quæ est officina.* Ita in Regula ms. cod Corb. Id etiam postulat responsio magistri, *officina vero.* Et hic sancti Benedicti locus : *Officina, ubi hæc omnia diligenter operantur*, etc.

CAPUT VIII.

DE OBEDIENTIA.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit his qui nihil sibi [b] a Christo charius [c] aliquid [d] existimant [e] propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, [f] ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus Dominus dicit : [g] *Obauditu oris obedivit mihi* (*Psal.* xvii). Et item dicit doctoribus : *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* x). [h] Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes,

[a] *Primus humilitatis gradus.* Obedientia hic statuitur primus humilitatis gradus, quæ tamen cap. 7 in tertio gradu collocatur, timor vero in primo. Verum obedientia non est primus humilitatis gradus ordine, sed utilitate potior, quam ita commendat Smaragdus, cap. 13 Diadematis monachorum : « Obedientia salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni cœlorum inventrix [*Al.*, janitrix] est, cœlum aperiens, hominem de terra elevans, obedientia cohabitatrix est angelorum, obedientia sanctorum omnium cibus est : ex hac enim ablactati sunt et per hanc ad perfectionem venerunt. » Ipsa est primus humilitatis gradus quæ, ut ait S. Antiochus homil. 39, humilitatem parit, proxime quidem, nam timor remote. Ipsa etiam obedientia, ut idem testatur, charitatem gignit, quæ est præcipuus humilitatis effectus.

[b] *A Christo charius.* Ita in cod. Vind. et S. Germ. ma.; ita apud Magistrum, cap. 7, tum hic, tum in cod. ms. Corb.; vulgo tamen deest præpositio *a*.

[c] *Aliquid.* Est pleonasmus; nam satis erat dixisse τὸ *nihil*.

[d] *Existimant.* Ita vulgo habetur. Lege, *existimantes*, ut in editione Colinæi, et in Regula Magistri hic citata. In cod. Corb. legitur, *existimantes*, quod perinde est. Et ita participium cohæret particulæ *mox*, et sensus clarus est.

[e] *Propter servitium sanctum.* Id est, propter vitam religiosam. Tria hic ponit sanctus Benedictus quæ nos ad obedientiam moveant, servitium sanctum, gehennam ignis et gloriam vitæ æternæ, nulla gloriæ Dei facta mentione. Sed ea in servitio sancto continetur. Nullum est enim servitium sanctum, nulla religiosa vita, quæ non puram Dei gloriam tanquam omnium suarum actionum Cynosuram spectet.

[f] *Ac si divinitus imperetur.* Rectori monasterii tanquam Deo parendum est; nam, ut ait Corippus, lib. II de laudibus Justini minoris :

.... Deus est in corde regentum

Ea erat olim summa militum obedientia, ut imperatori tanquam Deo obedirent ac famularentur, ut notat Vegetius lib. II de Re militari, cap. 5. « Nam imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti ac corporali Deo fidelis est præstanda devotio, et impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus vel militans servit, cum bene liter eum diligit qui Deo regnat auctore. »

[g] *Obauditu auris.* Ita in Psalterio Romano.

[h] *Ergo hi tales*, etc. Est hyperbaton. Nam postrema hæc hujus periodi verba : *quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit*, referenda sunt ad superiora, *ergo hi tales*, hoc modo : *Ergo hi tales, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit, relinquentes statim quæ sua sunt.* Vel dicendum est hic esse duos hellenismos, primum, cum antecedens pronomen demonstrativum subticetur; quod non raro occurrit in Regula sancti Benedicti; secundum, cum dativus jungitur verbo passivo loco ablativi cum præpositione *a*, vel *ab*. Si igitur ita construas, sensus erit clarus : *Ambæ res communiter citius explicantur*, id est, *expediuntur ab eis quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit*,

mox [a] exoccupatis [b] mentibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur : et veluti uno momento [c] prædicta magistri jussio, et perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei [d] ambæ res [e] communiter citius [f] explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt. Unde Dominus dicit : *Angusta via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). [g] Ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in cœnobiis abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini [h] imitantur sententiam, qua dicit : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* V). Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut [i] cum murmurio, vel cum responso nolentis efficiatur. Quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit : *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* X). Et cum bono animo a discipulis præberi oportet, quia : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Nam cum malo animo si obediat discipulus, et non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat jùssionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor [ejus] respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam. Imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 4).

Volumus ergo unum præesse seniorem super omnes fratres, nec ab ejus consilio vel imperio quidquam sinistrum declinare; sed sicut imperio Domini omni lætitia obedire, dicente Apostolo ad Hebræos : [j] *Obedite præpositis vestris, quia ipsi vigilant pro vobis* (*Hebr.* XIII). Et Dominus dixit : [k] *Nolo sacrificium, sed obedientiam.* Considerandum est quoque ab his qui se tali opere unanimes esse cupient quia per obedientiam Abraham placuit Deo et Dei amicus appellatus est; per obedientiam ipsi apostoli meruerunt testes Domino in tribubus et populis esse. Ipse quoque Dominus Deus noster de supernis ad inferiora descendens ait : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* (*Joan.* VI). His ergo tantis virtutibus firmata obedientia magnopere, magno studio teneatur.

§ III. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 1).

[l] Primo omnium docemur Deum diligere ex toto corde, et tota mente, et ex totis viribus; et proximum tanquam nosmetipsos. [m] Deinde ad primum [n] verbum senioris omnes ad obediendum audientes surgere oportet. Quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro Jesu Christo : *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* X). Si quis igitur verbum audiens non statim surrexerit, inobediens judicandus est; qui autem contradixerit, contumaciæ crimen incurrit. Et ideo non solum inobedientiæ reus est, sed etiam contradictionis aditum multis aperiens, multorum destructor æstimandus est. Si quis vero murmuraverit, et ipse tanquam non ex voto obediens, inobediens putandus est. Idcirco opus ejus abjiciatur, donec illius bona voluntas cognoscatur. Obedientia autem usque ad quem finem definitur? Usque ad mortem certe præcepta est. Quia Christus usque ad mortem obedivit Patri pro nobis, cum ipse nobis per Apostolum insinuat dicens : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* [o] *et specie inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus* [p] *obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Nihil itaque recusandum est obedientibus veris Christi discipulis, quamvis durum et arduum sit; sed [q] cum

[a] *Exoccupatis.* Uno verbo, id est, evacuatis, ait Ruthardus ms. in hoc caput Regulæ.

[b] *Mentibus.* Leg. *manibus*, ut vulgo habetur.

[c] *Prædicta.* Id est, ante dicta imperata : nam dicere est imperare; *Dic, ut sedeant hi duo filii mei.* Matth. XX. In regula ms. Magistri cod. Corb. legitur, *Prædicata*, id est annuntiata, manifestata.

[d] *Ambæ res.* Est pleonasmus. Sic supra cap. 2 : *Quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ utrarumque rerum*, etc., majoris explicationis gratia.

[e] *Communiter.* Id est, simul. Caius Gracchus pro lege Papyria apud Sosipatrum Charisium, lib. II : « Qui et vobis et reip. et sibi communiter prospiciat. »

[f] *Explicantur.* Explicare est exercere, docet Nonnius cap. 4. Est etiam expedire, absolvere apud Tullium.

[g] *Ut non suo arbitrio. Ut*, hoc loco pro, *sicut*, hoc modo : *Ideo angustam viam arripiunt, sicut desiderant abbatem sibi præesse.*

[h] *Imitantur.* Id est, sequuntur.

[i] *Cum murmurio.* Recta lectio, quæ etiam habetur in codicibus mss. Vict. p., Vind. et Ebrul.; in Regula Magistri, tum hic, tum in cod. Corb., atque etiam apud Keronem, discipulum S. Othmari, in Expositione Alamannica vocabulorum Regulæ S. Benedicti; Smaragdum et Trithemium : quo vocabulo sæpe utuntur Patres in hac Concordia citati. Unde adjectivum *murmuriosus*, de quo supra.

[j] *Obedite*, etc. Ad Hebr. XIII; sensum potius protulit quam verba.

[k] *Nolo sacrificium.* Matth. IX : *Discite quid est, misericordiam volo, non sacrificium.* Ex Osee sexto capite. Sed neque hæc verba in tota Scriptura reperire est prout ab hoc Patre citantur. Videtur respicere ad hunc locum I Reg. XV : *Melior est obedientia quam victimæ;* sed ne quidem ipsa verba protulit, sed sensum.

[l] *Primo omnium*, etc. Ex S. Benedicto, cap. 4. In editione Insulæ legitur, *primum.*

[m] *Deinde ad primum.* In Regula ms. cod. Flor. et in editione Insulæ apud Goldastum legitur, *Deinde opera*, quæ verba hac interpunctione a sequentibus disjunguntur : *Deinde opera. Ad primum verbum senioris*, etc. Quæ quidem innuunt post dilectionem Dei et proximi sequi bona opera, nempe obedientiam, et alia quæ in hac Regula explicantur.

[n] *Verbum.* Id est, mandatum, juxta illud : *In verbo tuo laxabo rete.*

[o] *Et specie.* Ita apud Goldastum; in versione communi, *Et habitu.*

[p] *Obediens patri.* Ita in Regula ms. cod. Flor., in cod. Vindocinensi, et apud Goldastum; non est tamen τὸ *Patri* apud Apostolum, sed addidit S. Columbanus explicationis gratia.

[q] *Cum fervore, cum lætitia.* Sumpsit ex S. Benedicto. Hilaris et læta debet esse obedientia, quam ideo ita definit S. Antiochus, homil. 39 : Τρισσὸν

fervore, cum lætitia arripiendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo, qui ait : *Et* [a] *qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* (*Luc.* XIV). Et ideo dicit de digno discipulo : *Ut ubi ego sum,* [b] *ibi sit minister meus* (*Joan.* XII).

§ IV. — *Ex eadem Regula* (*cap.* 9).

[c] Hoc namque defendit a timore judicii, quod jam examinavit judicis censura, cui alieni ponderis imponitur moles, et totum portat quod suscipit. [d] *Majus enim,* ut scriptum est, *periculum judicantis quam ejus qui judicatur.* [e] Quicunque itaque semper interrogaverit, [f] si servaverit, nunquam errabit. Quia si alterius erraverit responsio, fides credentis et labor obedientis non errabunt, neque mercede interrogantis carebunt. [g] Nam si per se aliquid discusserit, qui debuit interrogare, in hoc ipso arguitur peccasse, quod judicare præsumpserit, qui debuit interrogare seniorem. [h] Etsi rectum fuerit, pravum deputabitur, dum per hoc a recto declinavit. Quia nihil audet per se judicare, cujus officium est tantum obedire. Cum hæc igitur ita sint, cavenda ubique est superba monachis libertas, ac vera humilitas discenda sine murmuratione et hæsitatione obedientibus, [i] quo juxta Domini verbum jugum Christi suave, et onus ejus leve sentiant. Alioquin donec Christi humilitatem discant, suavitatem jugi ejus et oneris illius levitatem non sentient.

§ V. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 1).

Primum ut monachus, quem proprie manet multas in se virtutes ædificare, obedientiæ in se collocet fundamentum, ut compleat illa quæ beatus Apostolus nos ammonet, cum præcipit dicens : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Ut cum gaudio hoc faciant non gementes. Hoc enim non expedit vobis* (*Hebr.* XIII).

§ VI. — Ex Regula cujusdam Patris.

Si quis ad vocem [l] compulsoris, sive invitantis ad aliud quodcunque, non statim surrexerit, hic [k] inobediens reus est. Petat veniam a Deo et iterare non præsumat. Quoniam oportet unumquemque ad propriam vocem invitantis assurgere, [l] velut carbo ignis ardentis descendisset super eum. Si autem obedientia hæc non fuerit quam diximus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Cum gaudio semper operandum est, et nihil cum tristitia faciendum, et semper dicendum : [m] *Gaudete in Domino, justi, et semper decet collaudatio* (*Psal.* XXXII). Et iterum Apostolus dicit : *Gaudete in Domino semper, et iterum dico gaudete* (*Ephes.* IV). Si autem triste aliquid oblatum fuerit a nobis in Dei donis, non erit acceptabile apud Deum.

§ VII. — Ex Regula Magistri

Interrogatio discipuli de obedientia, qualis esse debet.

Responsio Dei per magistrum. [n] Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Sed hæc forma paucis convenit et perfectis, his qui nihil a Christo charius aliquid æstimantes, propter servitium sanctum quod professi sunt, vel propter metum gehennæ; vel divitias vitæ æternæ, mox aliquid imperatum a majore viderint, moram pati nesciunt in sequendo. De quibus Dominus dicit : *Obauditu auris obaudivit mihi* (*Psal.* XVII). Item dicit doctoribus : *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* X). Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et

οὖν ἐστὶν ἀδιάκριτος πειθὼ ἵνα τις τὸ προσταχὲν ἄλυπος ἐπιτελῇ· id est, obedientia est persuasio sine discussione, ut quis quod jussum est, sine tristitia perficiat, juxta illud Ecclesiastici (*Cap.* XXXV) : *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultationem sanctifica decimas tuas.* Et paulo post : *Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.* Munus pravum est obedientia invita et cum murmuratione.

[a] *Qui non accipit.* Ita in Regula ms. cod. Flor. in editione Insulæ apud Goldastum. In versione communi, *qui non bajulat.* In textu Græco βαστάζει, quod idem sonat.

[b] *Ibi sit et minister meus.* Joan. XII, ubi in versione communi, *illic et minister meus erit;* citavit locum ex memoria, non ex codice.

[c] *Hoc namque defendit,* etc. Habetur in cod. Flor. et in editione Parisiensi eodem cap. et apud Goldastum, cap. 14, quia ibi Regula S. Columbani in plura capita dividitur quam in aliis libris editis seu inss.

[d] *Majus enim, ut scriptum est.* Hoc testimonium habetur in Sententiis Sixti, sententia 174.

[e] *Quicunque interrogaverit.* Nempe seniorem.

[f] *Si servaverit.* Senioris seu abbatis responsa videlicet. Notanda S. Columbani doctrina, quæ obedientibus tantam securitatem suppeditat.

[g] *Nam si per se aliquid discusserit.* Debet esse simplex et fidelis obedientia sine ulla discussione et curiositate. Est enim πειθὼ ἀδιάκριτος, id est persuasio sine discretione et discussione, inquit S. Antiochus, hom. 39. Hac una ratione primos generis humani parentes diabolus circumvenit, dum eis auctor fuit ut Dei mandatum quadam curiositate disenterent; dicebat enim ille veterator : *Cur præcepit vobis Deus,* etc. (*Gen.* III). Videant igitur illi mandatorum discussores qualem parentem et auctorem habeant.

[h] *Et si rectum fuerit.* Nempe id quod suo arbitrio egit.

[i] *Quo juxta verbum Domini,* etc. Id etiam docet Eusebius Gallicanus, homil. 2 ad monachos, vel juxta alios, 3 : « Sciendum est quod quanto humiliores et obedientiores fuerimus, tanto super nos levius et dulcius jugum Domini sentiemus. » Hac suavitatem et levitatem jugi et oneris Christi expertus est S. Dorotheus perfectæ hujus obedientiæ beneficio incredibili lætitia in animo perfusus : non tamen sine scrupulo, cum scriptum sit quod per multas tribulationes oporteat nos introire in regnum cœlorum ; ac proinde consuluit per epistolam abbatem Joannem discipulum Barsanuphii, qui respondit eum qui se totum dedidit obedientiæ, hac sancta indolentia et tranquillitate frui, ideoque nihil esse quod vereatur, ut ipse Dorotheus refert doctr. 1.

[l] *Compulsoris.* Compulsor ille est qui horam operis Dei significat, de quo infra.

[k] *Inobediens.* Leg. *inobedientiæ,* ut in cod. Vind.

[l] *Velut carbo.* Lege, *Velut si carbo,* ut in cod. Vindocinensi.

[m] *Gaudete in Domino, justi.* Ut in Psalterio Romano, sed verbis transpositis. Cætera citantur ex memoria.

[n] *Primus humilitatis gradus,* etc. Habetur in Regula ms. Mag. cod. Corb. Multa hic a sancto Benedicto sunt emendicata.

quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur : et veluti uno momento prædicta magistri jussio, perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur. Sed hæc paucorum, perfectorumque forma infirmorum et pigrorum animos in desperatione sua satis non reddat attonitos ; sed moneat [a] imitandos. Nam considerantes in nobis diversa esse vasa [b] flevilia, cum multum in diversis pigritiæ contulit tarda natura (nam quorumdam auditus noscuntur surdo stupore [c] eviscere, quorumdam etiam animos fusione subita in [d] silvosis cogitationibus cernimus aberrare), ideo remissius districtionem obedientiæ in doctoribus relaxamus, ut combinata præceptione discipulis, et jussionem suam magistrum non pigeat repetere secundum testimonium Domini, qui vocans, *Abraham, Abraham* (*Gen.* XXII). Quæ ergo repetitio manifestat nobis Dominum ostendisse non posse sufficere unam vocem auditui. Nam in ipsis interrogationibus repetita magistri vox reprærebetur. Discipulis secunda ideo interrogatio non respondentibus juste indulgetur, ut prima adhuc discipuli taciturnitas non reatui, sed reservatæ magistro reverentiæ [c custodia] deputetur. In qua reverentia utilis discipulus tarde creditur frangere taciturnitatem, quam continet, ut non ad interrogationem tuam mox præceps lingua suis te responsis occupet prius. In præceptionibus vero ideo magistri jussio repetitur, ut quamvis tardi aut negligentes sint auditores, cum secundo eis dicta primitus repetuntur, [usque adeo dignum est] jam obedientibus factis mora rumpatur. Si vero tertio (quod absit ut contingat), reatui deputetur. Nam et illud de duabus viis congrue hic et convenienter [f] taxandum est, id est, [g] latam, quæ ducit ad mortem : in quibus viis diversorum hominum obedientiæ gradiuntur, id est, per latam viam sæcularium, et sarabaitarum et gyrovagorum monachorum, qui aut singuli, bini, aut terni æqualiter viventes, et voluntarie ambulantes, et pro alterno imperio quidquid cuique placuerit, sibi vicibus invicem imperantes, quæ noluerint, peculiariter in se defendentes, cum in proprio unusquisque consilio non vult se vinci, scandala sibi tales nunquam faciunt esse absentia ; mox post studiosam litem male congregati ac se invicem separantes, et sicut grex sine pastore oberrans per diversa dispersus sine dubio lupi faucibus occursurus : providentes sibi non Deo, sed proprio arbitrio novas iterato cellas, et [h] de se solo sibi soli abbatis nomina imponentes, monasteria videas esse pluriora quam monachos. In hoc enim via lata a talibus creditur ambulari, cum in nomine monachi communi more viventes, [cum] a laicis solo tonsuræ habitu separati, obedientias suas magis desideriis subministrant quam Deo. Et suo judicio putant sibi licere quæ mala sunt : et quidquid noluerint, hoc putant non licere. Et acceptum ducentes, [i] ut cogitationibus suis corpori eorum magis provideatur quam animæ, id est, victus, vestimentum, et calciarium, magis sibi melius ipsi posse cogitare quam alium. Nam de futuris ratiociniis animæ negligendo ita se reddunt securos, ut sine majorum probationibus sub proprio arbitrio militantes credant se omnem legem et justitiam Dei perfecte in cellula operari. Nam si forte supervenientium quorumdam majorum [j cum] emendationum quædam eis monita ministrantur, et inutilis eis docetur talis solitaria dispositio habitandi, mox eis displicet cum ipsa doctoris persona consilium ; et statim non in consentiendo ei vel in sequendo eum emendationem promittunt, sed respondent se debere vivere simpliciter, nescientes illud quod dixit Propheta : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis* (*Psal.* XIII). Et illud testimonium Salomonis dicitur : *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* (*Prov.* IV). Ideo enim via lata a talibus ambulatur : quia quocunque eos desideriorum duxerit pes, mox assensu sequuntur ; et quidquid concupierint concupiscentiæ eorum, illico et novos sibi licentiæ calles, vel liberi sine magistro arbitrii facientes viam vitæ suæ illicitis voluptatum diversitatibus delectant, et quacunque etiam delectationes voluerint progredi licentes, et patulos sibi præbent gressus, illud semper scire nolentes, quia homini creato, *Mors juxta introitum delectationis posita sit* (*Eccl.* XVIII). Et quod eis dictum est : *Post concupiscentias tuas non eas, et* [k] *a voluntatibus tuis avertere* (*Ibid.*), surdo auditu pertranseunt. E contrario quibus ad vitam æternam ambulandi amor incumbit, ideo angustam viam arripiunt, ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis, et voluntatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, non solum in supradictis desideriis suis et voluntatibus coarctantur, et facere nolunt cum possint arbitrium ; sed etiam alieno se imperio subdunt, et in cœnobiis degentes abbatem sibi præesse desiderant. Et sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, quæ dicit : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* (*Joan.* VI). Et proprium non facientes arbitrium, abnegantes propter

[a] *Imitandos.* Supple : esse perfectos.

[b] *Flevilia.* Vocabulum barbarum, id est debilia. Gallice, *faibles.*

[c] *Eviscere.* Lege : *Evirescere*, id est languere, vires remittere. Nonius Marcellus, cap. 2 : *Evirescat.* Varro in Prometheo, lib. XV : « Atque exsanguibus dolore evirescat colos ; » ubi, *colos* pro *color.*

[d] *Silvosis.* Id est, redundantibus.

[e] *Custodia* redundat.

[f] *Taxandum.* Id est, definiendum. Glossæ veteres : *Taxamus*, ὁρίζομεν, id est, definimus. Festus : « *Taxat* verbum ponitur pro his quæ finiuntur, etc. »

[g] *Latam quæ ducit ad mortem.* Lege, ut in Cod. Corb. : *Latam quæ ducit ad interitum, et angustam quæ ducit ad viam.*

[h] *De se solo.* Lege, *de se solis*, id est, de sua privata potestate sibi, cum soliti sint, abbatis nomen imponentes.

[i] *Ut cogitationibus suis.* Lege, *cogitationibus suis, ut.*

[j] *Cum emendationum.* Tò *cum* redundat.

[k] *In voluntatibus suis.* Ita in psalterio Romano.

Christum semetipsos sequuntur Deum, quocunque abbatis præceptio duxerit. Et non de solum temporalibus necessariis, id est, victu, vestitu, calciario, non coguntur sibi sub abbatis sollicitudine cogitare : sed et de futuris suæ ratiociniis animæ solam in omnibus præceptori obedientiam ministrando de cæteris utilitatibus suis, tam corporis quam animæ redduntur securi. Quia sive bene, sive male, pastori incumbit quod in ovibus exercetur : et illum tangit in discussionis judicio rationem reddere qui imperat, non qui imperata perficit, sive bona, sive mala. Ideo enim via angusta a talibus creditur ambulari, quia propria in eis desideria minime adimplentur : et non quod volunt perficiunt, alieni judicii jugum trahentes, quo ire delectationibus suis voluerint repelluntur; et a magistro eis quid agere aut facere voluerint denegatur. [a] Amaricatur quotidie voluntati eorum in monasterio pro Domino, et ad probationem quæque injuncta fuerint, sustinent [b] velut in martyrio patienter, sine dubio illud Domino cum Propheta dicturi : *Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII). Et item dicturi postea in judicio Domino : *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* Cum ergo dicent : *Imposuisti homines super capita nostra*, noscuntur habere super se debere Majorem constitutum vice Dei. Et subsequentes testimonium convenienter item Domino dicent in illo jam sæculo : *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.* Hoc est, transivimus per [c] amaricationes voluptatum nostrarum, et servitio obedientiæ pervenimus ad tuæ refrigerium pietatis. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tepide, non tarde, vel cum murmuratione nolentis efficiatur. Quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo datur. Sicut dicit Dominus doctoribus : *Qui vos audit, me audit* (*Matth.* X). Et alibi dicit : *Obauditu oris, obaudivit mihi* (*Psal.* XVII). Ergo ipsa obedientia cum bono animo a discipulis præbeatur : *Quia hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Nam si cum malo animo discipulus obediat, non solum nobis ore, sed et Deo corde improperat, quod malo animo facit. Et quamvis impleat, quod fuerat imperatum, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor ejus respicit murmurantis. Et quamvis faciat quod jubetur, tamen, cum malo illud faciat animo, nullam de ipso facto mercedem Dominus imputabit, cum scrutans mox Deus corda ejus triste facientis votum in eo invenerit.

§ VIII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 71).

Interrog. [d] Si autem obediens quis murmuret? — *Resp.* Apostolo dicente : *Omnia facite sine murmuratione et hæsitationibus* (*Phil.* I). Alienus sit a fratrum unitate qui murmurat, et [e] opus ejus abjiciatur. Manifestum est iste qualis est, quia infidelitate ægrotat, et certam futuræ spei fiduciam non gerit.

§ IX. — Ex Regula [f] sancti Fructuosi (*cap.* 5).

Quidquid fecerint monachi, absque murmuratione faciant : ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant, qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt. Illi perierunt manna manducando, et isti in monasterio murmuratores Scripturas recitando. Illi manna manducando mortui sunt, et isti Scripturas legendo, et audiendo spiritali fame quotidie moriuntur. Illi murmurando terram promissionis non intraverunt, et isti murmurando paradisi repromissionis terram non ingrediuntur. Grande malum de Ægypto exire, mare transvadasse, tympanum cum Moyse et Maria Pharaone submerso tenuisse, manna manducasse, et terram repromissionis non intrasse (*Num.* XI, XIV, XVI, XX). Malum pejus de Ægypto istius sæculi exire, mare baptismi cum pœnitentiæ amaritudine quotidie pergere tympanum [*Leg.*, pulsare tympanum], id est, carnem cum Christo crucifigere, et manna, quod est cœlestis gratia, manducare, et cœlestis regionis terram non intrare.

[a] *Amaricatur voluntati eorum.* Id est, mortificatur voluntas eorum.

[b] *Velut in martyrio.* Obedientia est quoddam martyrii genus. Ita eam appellat sanctus Columbanus capite citato. Unde sanctus Antiochus hom. 39 : Τὸ γὰρ ἐκκόψαι τὸ ἴδιον θέλημα αἱματεκχυσία ἐστί, καὶ ὡς θυσίαν λογίζεται ἄνθρωπα. Id est, voluntatem propriam resecare, est veluti sanguinis sui effusio, et homini reputatur ad victimam.

[c] *Amaricationes.* Id est, mortificationes.

[d] *Si autem obediens quis murmuret.* Habetur apud sanctum Basilium interr. 3. Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 41, et citatur ab Ivone Carnotensi par. XIII Decreti, cap. 55.

[e] *Opus ejus abjiciatur.* Vetus fuit monachorum consuetudo, ut inobedientium et murmuratorum fratrum opus abjiceretur. S. Columbanus cap. 1 Regulæ : « Si quis vero murmuraverit, et ipse tanquam ex voto obediens, inobediens putandus est : idcirco opus ejus abjiciatur. »

[f] Fructuosi alterius.

CAPUT IX.
DE TACITURNITATE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Faciamus quod ait Propheta : [a] *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, et obmutui, et humiliatus sum, et*

[a] *Dixi, Custodiam vias meas.* Hujus psalmi versiculum proponit Pater Benedictus pro silentii lege. Beatus Pambo in litteris hospes et peregrinus ad quemdam accessit, ut psalmum disceret, et cum primum versum psalmi 38 audivisset : *Dixi, Custodiam vias meas*, etc., secundum audire noluit : sed decedens dixit : Unus hic sat est, si modo eum re ipsa et opere discere potuero. Cumque ille qui versum

silui a bonis (*Psal.* XXXVIII). Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari. [a] Ergo, quamvis de bonis et sanctis et [b] ædificationem eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X); et alibi : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XIV). Nam loqui et docere magistrum condecet; tacere et audire discipulum convenit. Et ideo si qua requirenda sunt [c] a priore, cum omni humilitate [d] et subjectione reverentiæ requirantur. [e] Scurilitates vero, [f] vel verba otiosa, [g] et risum moventia æterna clausura in omnibus locis damnamus; et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 40).

Interrog. [h] Usque ad quæ verba otiosus sermo judicabitur? — *Resp.* Generaliter omnis sermo qui non proficit [i] ad aliquam gratiam fidei Christi, otiosus est. Et tantum est periculum hujusmodi sermonis, ut etiamsi bonum esse videatur quod dicitur, et [j] ad ædificationem tamen fidei non pertinet, non in sermonis bonitate ille qui locutus est, periculum effugiet, sed in eo quod non proficit ad ædificationem, sermo prolatus contristat Spiritum sanctum Dei. Hoc manifeste demonstrat Apostolus dicens : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Eph.* IV). Et super hæc adjecit : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ibid*). Quod utique gravius malum esse poterit?

docuerat, illi vitio verteret quod sex continuos menses se non adisset, respondit se versum psalmi nondum re ipsa didicisse. Longo vero post tempore cuidam ex notis quærenti an versum didicisset, respondit se undeviginti annis integris vix didicisse illum opere complere, docet Socrates l. IV Hist. Eccl., c. 18.

[a] *Ergo quamvis de bonis*, etc. Auctor lib. De conflictu virtutum et vitiorum, cap. 22 : « Tenendus est ergo modus in loquendo et ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum, sicut beatus Psalmista legitur fecisse. Dicit enim : *Humiliatus sum et silui a bonis.* »

[b] *Ædificationum eloquiis.* Ita omnes codices nostri mss. cum Kerone in expositione Alamanica vocabulorum Regulæ sancti Patris Benedicti Ruthardo, Magistro hic et in ejus Regula ms., cap. 8, cod. Corb. Donato, cap. 49. S. Dunstano, et Trithemio. Vulgo, et apud Smaragdum scribitur : *ad ædificationem eloquiis.*

[c] *A priore.* Id est, ab abbate, de qua voce infra.

[d] *Et subjectione reverentiæ.* A cod. ms. S. Germ. τὸ *reverentiæ*, abest. In ms. S. Faronis habetur : *Cum omni humilitate et reverentia.*

[e] *Scurrilitates* Scurrilitatis vitium S. Nicetius Trevirorum archiepiscopus fugiendum esse monachis dicebat; quia illius contagione os hominis polluitur, refert S. Greg. Tur., c. 7, de Glor. Confess. Quanta sint mala in anima jocis et scurrilitati obnoxia, præclare docet S. Joan. Chrysostomus, serm. 17, in Epist. ad Eph. in Morali : Μεγάλα κακὰ ἐν ψυχῇ εὐτραπελευομένῃ οἰκεῖ, μεγάλη διάχυσις καὶ ῥᾳθυμία. κέχηνεν ἡ ἁρμονία, σεσάθρωται ἡ οἰκοδομή, ὁ φόβος ἐξώρισται, εὐλάβεια ἀπέστη· id est, magna mala in scurrili anima habitant, magna diffusio seu relaxatio et solitudo. In ea dissoluta est harmonia, ædificatio diruta, ab ea timor exsulavit, pietas abscessit. In anima jocis dedita diffusio seu relaxatio magna est; nam anima a Deo per joca aversa in amorem rerum creatarum penitus diffunditur, omnisque honestatis disciplina in ea prorsus relaxatur. In ea maxima solitudo est atque vastitas gratiæ Dei et bonorum spiritalium; fitque habitatio draconum, id est dæmoniorum : quia ejusmodi anima, quæ nisi nugas meditatur, clausa est Christo, et tota patet diabolo. In ea dissoluta harmonia; nam scurrilis homo nec cum Deo, nec secum, nec cum proximo pacem habet : non cum Deo, quem contemnit; non secum, quem negligit; non cum proximo, quem toties suis dicteriis carpit et lancinat. Ædificatio diruta est; nempe virtutum, si quas antea habuerat : cum joculator nihil quod ædificationem spectet, meditetur, et loquatur nugis, et vanis totus immersus. Ab ejusmodi anima timor omnis exsulavit; Dei et hominum videlicet, quæ in vanis gaudiis et jocis tota versatur, nulla habita rebus divinis et humanis reverentia. Ab ea tandem pietas abscessit, quæ bonis spiritalibus spoliata nihil, nisi profana cogitat. Γλῶσσαν ἔχεις οὐχ ἵνα ἕτερον κωμῳδήσῃς, ἀλλ' ἵνα εὐχαριστήσῃς Θεῷ, subjungit idem Chrysostomus; id est, linguam habes non ut irrideas alterum, sed ut Deo gratias agas. Quod maxime spectare debent monachi, quorum munus est Deum assidue laudare, eique gratias agere, ne ex eodem ore pollutum et sanctum exeat; ne ex ore scurrilitatibus et jocis polluto laus divina procedat, imo polluatur. Siquidem, ut ex S. Nicetio supra relatum est, verborum scurrilium contagione os hominis pollnitur, et quidquid a polluto manat, pollui necesse est.

[f] *Vel verba otiosa.* Particula, *vel*, copulative hic sumitur. Verba otiosa vitanda sunt, non solum quia sunt sine fructu, sine quo nihil debet quis loqui, vel agere, sed etiam quia, ut ait S. Joannes Chrysostomus, serm. citato, ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀργοῦ καὶ εἰς ἀτόπους καταπίπτομεν, id est, verbo otioso ad inepta et absurda devolvuntur.

[g] *Et risum moventia.* Quia ad fletum, non ad risum vocati sunt monachi; quorum est tam sua quam aliena peccata plorare, Christi lacrymas et gemitus, vulnera, passionem et mortem assidue animo versare. Unde ejusmodi ridentibus, joculatoribus exprobrat S. Joannes Chrysostomus sermone citato. « Christus crucifixus est, et tu rides? Ille colaphis cæsus est, et tanta passus est propter tuum periculum et tempestatem quæ te invasit, tu vero præ gaudio gestis? Et quomodo non eum magis irritas? » Quapropter S. Ambrosius, lib. I de Officiis, cap. 23, joca etiam suavia et honesta proscribit, cum ait : « Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica alhorrent regula : quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus? » Christus mundo, id est, reprobis, gaudium et risum reliquit, suis electis tristitiam et fletum.

[h] *Usque ad quæ verba.* Exstat apud S. Basilium interr. 23. Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 32.

[i] *Ad aliquam gratiam fidei.* In textu Græco, πρὸς τὴν προκειμένην ἐν κύριῳ χρείαν, id est, ad propositum in Domino usum.

[j] *Ad ædificationem fidei.* Ita in versione Vulgata, cui correspondet textus Græcus, apud Basilium : πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως. Apud Apostolum tamen in textu Græco non est, πίστεως, χρείας, id est, usus : et ita videtur scripsisse Basilius; nam, ut supra monuimus, antea scripserat πρὸς την προκειμένην ἐν Κυρίῳ χρείαν. Itaque in textu Apostoli citato a Basilio reponendum χρειας.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 136).

Interrog. [a] Si bonum est penitus tacere? — *Resp.* Silentium et taciturnitas tunc bonum est, cum vel ad personas, vel ad tempus aptatur, sicut a sancta Scriptura edocemur, quæ dicit, [b] aliquando quidem : *Quia qui intelligit, in illo tempore tacebit, quia tempus malum est* (*Amos* v). [c] Aliquando autem : *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me : obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* xxxviii). [d] Et alibi : *Quod si alii sedenti revelatum fuerit,* [e] *prior taceat.* Sed alio tempore his, qui incontinentem linguam habent, dicitur : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei* (*I Cor.* xiv). Necessaria vero est taciturnitas usquequo vitia, si qua sunt, linguæ vel sermonum temeritas resecetur; et discat opportune, et in tempore utiliter loqui, et sicut scriptum est : [f] *Sermo eorum sale conditus sit, ut det gratiam audientibus* (*Coloss.* iv).

§ IV. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 122).

[g] Quando [h] domi sedebunt, non eis liceat loqui aliquid sæculare, sed si quid de Scripturis præpositus docuerit, vicissim inter se ruminent, et referant quæ quis audierit, vel quæ memoriter teneant.

§ V. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 27).

[i] Cavenda est omnibus nobis joci et risus immoderata [j] luxoria, per quam plerumque inter fratres amarissima nascuntur [k] scandala. Nec debet ex hac re occasio discordiæ provenire; per quam, etsi non nasceretur litigium, cavendus tamen nobis erat ad ædificationem sermo non pertinens. Scientes quia et de otioso sermone ratio Domino est reddenda. Nam risum supra modum quis nesciat indisciplinationis et levitatis esse januam, per quam perniciosos cibos miseræ animæ diabolus subtiliter subministrat.

§ VI. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 2).

[l] Silentii regula diligenter custodienda decernitur : quia scriptum est : *Cultus autem justitiæ silentium et pax* (*Isa.* xxxii). Et ideo, ne reatus de verbositate conquiratur, exceptis utilitatibus et necessariis, opus est ut taceatur : quia, juxta Scripturam, *In multiloquio peccatum non deerit* (*Prov.* x). Et idcirco Salvator ait : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Juste damnabuntur, qui justa dicere noluerunt, cum potuerunt : sed mala, injusta, impia, inania, injuriosa, incerta, falsa, contentiosa, contumeliosa, turpia, fabulosa, blasphema, aspera, [m] ac fluxuosa loqui garrula verbositate maluerunt (*Prov.* x; *Matth.* xii). Tacendum igitur est, et cum cautela et ratione loquendum est monachis : ne aut detractiones, aut tumidæ contradictiones [n] in loquacitatem vitiosam prorumpant.

§ VII. — Ex Regula cujusdam.

[o] Silentium in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est : maxime autem

[a] *Si bonum est.* Reperitur apud S. Basilium, interr. 208, et apud Rufinum, cap. 71, ubi additur τὸ *Pater.*

[b] *Aliquando quidem.* Ita apud Rufinum, sed male. Nam in textu Græco illud, καιρῷ μέν, ita reddendum est : *Quod ad tempus quidem attinet.* Nam ibi duo proponuntur, tempus et persona : prius de tempore loquitur, mox de persona dicturus.

[c] *Aliquando autem.* Male. In textu Græco, καὶ πάλιν, id est, et rursus.

[d] *Et alibi.* Ita apud Rufinum, sed male. In textu Græco habetur : προσώπῳ δέ, id est, quod vero ad personam attinet. Nam primo egit de tempore quo loquendum est, nunc vero de persona tacente.

[e] *Prior taceat.* Apud Rufinum et S. Basilium hæc sequuntur : *Et alibi, mulieres vestræ in Ecclesia taceant.*

[f] *Sermo eorum.* Cap. iv, Epist. ad Coloss. ubi legitur : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Hic tamen locus non exstat in textu Græco S. Basilii, sed tantum in hæc verba : *ut det gratiam audientibus.* Ad Eph. iv. Sed Rufinus ex duobus locis unum fecit : aut certe S. Basilius, apud quem tempore Rufini forsan prior locus habebatur, verbis Apostoli ex memoria, non ex codice citatis.

[g] *Quando.* Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 69.

[h] *Domi sedebunt.* In regula excusa : *resident.* Dixit, *domi*, quia monasteria S. Pachomii dividebantur in plures domos, seu classes, quibus singuli præerant præpositi.

[i] *Cavenda est*, etc. Hæc videre est in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. ubi legitur, *cavendum est.*

[j] *Luxoria.* Ita in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. In Glossis Cyrilli, ἐξώλεια, *luxoria.* Sic in Glossis Philoxeni : *tonica*, χιτών. *Tabola*, σανίς. Ita passim, *o*, pro, *u*, in hoc codice Concordiæ et aliis veteribus cod. mss. juxta veterem orthographiam habetur, de qua Curtius Valerianus in sua orthographia : « Non mirum veteres, *u* littera pro *o* usos; nam et *o* pro *u* usi sunt. *Poblicum* enim, quod nos *publicum*; et quod nos *culpam*, illi *colpam* dixerunt. » Luxuria autem hoc loco est excessus, seu exuberans alicujus rei copia, atque intempestiva. Nonius Marcellus, cap. 4 : « Luxuria intempestiva *abundantia.* » Virgil. Georg, lib. i :

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Tullius de Oratore libro i : « Et omnis luxuries stylo depascenda. » Virgil. lib. ii :

Aut si luxuria foliorum exuberat umbra.

Hic igitur risus immoderata luxuria, est risus excessus immodicus.

[k] *Scandala.* Id est, rixæ, jurgia, de quo vocabulo infra.

[l] *Silentii regula.* Habetur in Regula ms. S. Columbani cod. Flor. et in editione Parisiensi hoc secundo capite. Sed in editione Insulæ apud Goldastum exstat 4 capite.

[m] *Ac fluxuosa.* Ita in cod. ms. Vind.; sed in cod. Flor. ms. et in editione Parisiensi legitur : *ac flexuosa.* Recte, meo quidem judicio. Flexuosa verba sunt tricis involuta, ambigua, ac duplicia, eorum scilicet qui dolos consuere solent. Apud Goldastum uno verbo legitur : *affixuosa.* Quod ipse ait esse monstrum verbi; quod quidem verum est, sed non est S. Columbani. Nec dubium est quin S. Galli codex sit hoc in loco mendosus.

[n] *In loquacitatem vitiosam.* In Regula a Donato collecta additur : *ac superfluam.* Codex dom. Jodoci Metzeleri proprioris monasterii S. Galli habet : *Ne aut in detractiones, aut in tumidas contradictiones prorumpatur.* Quæ lectio non est contemnenda.

[o] *Silentium in omnibus sectandum est.* De utilitate silentii et excellentia hæc aurea S. Antiochi verba notanda sunt, hom. 103. Καλὴ οὖν ἡ εὔκαιρος σιωπή, οὐδὲν οὖσα, ἢ μήτηρ ἐννοιῶν σοφωτάτων. Ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀγαθὸν Πνεῦμα ἐκφεύγει τὴν πολυλογίαν, ὡς ταραχὴς πάσης καὶ φαντασίας ἐκτὸς ὄν. Id est, speciosum igitur silentium opportunum, nihil prorsus existens

juxta [a] missam et mensam. Sed omnibus nihil loquendum est, nisi quod necessitas poposcerit. Si quis contra hanc disciplinam cum clamore et acerbiore sermone responderit, [b] notetur, usque quò corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit, [c] ejiciatur ab unitate fratrum.

§ VIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 8).

[d] Hæc a fratribus cautius debent custodiri, id est, cogitatio, eloquium et aspectus [cogitatio]. Ut mox captivaverit mentem mala cogitatio, signata statim a fratribus sua fronte, vel ipsum pectus, mox ad precepta Christi suam convertant memoriam : et dicat sibi frater cum Prophèta : *Memor fui Dei, et* [e] *consolatus sum* (*Psal.* LXVII). Et item dicat : *A te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII). [f] Si vero eloquio iracundo aut pravo aut vano negligentia os armaverit, mox clauso ore, et signato crucis sigillo in corde sibi loquatur dicens cum Propheta : *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea ;* [g] *posui ori meo custodiam, obmutui et* [h] *humiliatus sum nimis, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII). Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter peccati pœnam debet cessari. Ergo, quamvis de bonis et sanctis, et ædificationum eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia. Tamen ab aliis verbis non interrogati fratres tandiu in taciturnitate silescant, quandiu taciti frena oris eorum abbatis interrogatione laxentur. Ideoque taciturnitas debet magnopere a fratribus custodiri : *Quia in multiloquio non effugietur peccatum* (*Prov.* X). Et ideo : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XIV). Nam loqui et docere magistrum condecet, et audire discipulo convenit.

§ IX. — Item unde caput IX.

Quo ordine tacentes fratres aliquas interrogationes faciant abbati.

Responsio Dei per magistrum. [i] Cum de malis tamque bonis eloquiis freno taciturnitatis constringuntur discipuli, et licentiæ eorum aditus præsentis magistri custodia observantur ; cum necessariæ utilitati eorum aliquæ interrogationes advenerint, adhuc clauso ore et signato tacitæ gravitatis sigillo stantes ante majorem inclinato humilitatis capite clausum in silentio os [j] clave benedictionis aperiant. Quod si semel [k] dictæ benedictioni ad postulandum eloquium adhuc non respondeat magistri permissio, iterata humiliatione capitis, et [l] benedictione sola iterum repetita, denuo ab abbate repetatur licentia. Quod si nec sic ab eo responsum fuerit, curvato item in humilitate discipulo, jam ipse frater se tunc demum removeat, ne aut [m] nimius ei appareat, aut [n] improbus ; et suo operi deditus adhuc personam gerat tacentis ut in ipsa humilitate taciturnitatis æstimet semetipsum ideo indignum judicatum ad loquendum abbatis judicio, aut forte ad probationem inveniendæ humilitatis putet sibi discipulus taciturnitatis ideo fuisse non apertam clausuram. Ideo enim ipsam solam benedictionem denuo diximus repetere, ut, cum sola est, et sine alio eloquio, tamen reservata diu taciturnitas conservetur ; cum denuo repetitur, et post ipsam mox a nolente disceditur, adhuc servari probata humilitas sentiatur. Nam ideo repetitio discipuli reoffertur magistro, ut non solum propter spiritalem probationem ad inveniendam humilitatem discipuli diu possit tacere magister, sed ne et corporaliter per cogitatum animo occupatus vultus ejus aliis occupationibus obstupescens vocem precantis discipuli surdis auribus prætermittat. Et ne ipsum magistrum per nimiam et importunam humilitatem in iræ cogat vitium declinare, et importuna humilitas in impedimento scandali deputetur, ideo diximus post secundam suggestam benedictionem nolenti majori tertiam non repetere debere ; sed mox discipulum exinde debere discedere ; et cum ipsa taciturnitate opus laboris quod faciebat, debere perficere. Hæc interrogatio benedictionis, quæ vix sola de taciturquam mater sapientissimarum cogitationum. Benignus enim ille Spiritus vix aliud tam aversatur et fugit, ut multiloquium ; cum is se ab omni perturbatione et ludificatoria imaginatione submoveat,

[a] *Missam.* Missa hoc loco est cursus operis Dei, seu officii divini. Ita etiam capit Cassianus lib. III De diur. orat., cap. 5 : « Missa canonica celebrata usque ad lucem post hæc vigilias extendunt. »

[b] *Notetur.* Id est, reprehendatur, corripiatur, vituperetur. Notare enim hæc significat. Horatius lib. I epist. ad Sævam :

.... Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat....

et lib. I serm., sat. 3.

Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.

Atque ita nota est vituperatio. Glossæ Philoxeni, *nota*, ψόγος, σπίλος, id est, vituperatio, macula.

[c] *Ejiciatur ab unitate fratrum.* Id est, excommunicetur.

[d] *Hæc a fratribus.* Hæc sunt in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. sub finem. Quædam summontur ex regula S. Benedicti.

[e] *Consolatus sum.* Ita in cod. Vind. In Vulgata editione, et in psalterio Romano : *Delectatus sum.*

[f] *Si vero eloquio iracundo,* etc. In Regula ms. *Si vero eloquium iracundum aut pravum negligentia ori armaverit.*

[g] *Posui ori meo custodiam.* Omittit ista : *Cum consisteret peccator adversum me.* Quemadmodum S. Benedictus supra ; quæ tamen habentur in versione communi, psalterio Romano, textu Græco et Hebraico,

[h] *Humiliatus sum nimis.* Ita in Regula ms. Sed τὸ *nimis*, est addititium : cum non habeatur in versione communi, psalterio Romano, textu Græco et Hebraico, neque apud S. Benedictum, unde hæc sumpta sunt.

[i] *Cum de malis*, etc. Habentur in Regula ms., cap. 9, nihilque aliud sunt quam explicatio et praxis superioris capitis sancti Benedicti.

[j] *Clave benedictionis.* Id est, dicendo : *Benedic* ; quod olim faciebant monachi licentiam loquendi postulantes.

[k] *Dictæ benedictioni.* Id est, cum dixerint : *Benedic.*

[l] *Benedictione sola repetita.* Id est, solo repetito *Benedic.*

[m] *Nimius.* Id est, importunus, urgens, ut supra.

[n] *Improbus.* Id est, impudens, de quo infra.

nitate laxatur cum inclinatione humiliati capitis a discipulis præbeatur. Id est in omni loco per omnem horam, hoc est, in monasterio, in agro, in via, in horto, vel in quovis loco, ut nunquam desit menti nostræ memoria Dei, propter quem aguntur hæc omnia : ut cum forte aliquis ignarus [a] talem fratrem interrogaverit dicens : Quare tacitus et tristis es, et inclinato vultu ambulas? respondeat illi : quia fugio peccatum et timeo Deum; et ut custodiam me ab omni quod odit Deus, ideo sum mihi sollicitus semper. Ad mensam vero sedentes, si interrogationes suas abbati voluerint intimare, ante benedictionem dictam cultelli aut [b] cochlearii aut panis percussura indicium sit magistro discipuli postulantis eloquium. Hæc omnia animæ pro Deo necessaria ideo [c] substantiam taciturnitatis constituimus clusura servari, ut ab oblivione quis non decipiatur tam facile, et præceps sit semper in lingua. Nam cum per clusuram oris taciturnitas continetur, diu tractetur, vel purgetur in corde, quod possit mundum, et sine peccato de ore proferri, dicente Apostolo : [d] *Omne verbum vanum de ore vestro non procedat,* [e] *sed si quid est ad ædificationem* (*Eph.* IV). Et item dicit Scriptura : *Sapiens paucis innotescit verbis.* Et maxime timere ideo, et omni hora nos a multiloquio custodire debemus. Quia non potest fieri, ut inter multa verba, [f] aliquanta non exeant cum peccato secundum Scripturam dicentem : *In multiloquio non effugietur peccatum* (*Prov.* X). Unde et Propheta tradens nobis formam ostendit se de his esse sollicitum, et tam a malis quam a bonis eloquiis debere tacere dicens : *Dixi, Custodiam vias meas,* [g] *ut non peccem in lingua mea. Posui ori meo custodiam,* [h] *obmutui, et tacui, etiam a bonis* (*Psal.* XXXVIII). Hoc [est] ostenditur profecto discipulo tam de malis quam de bonis eloquiis debere tacere. Quia, etsi loquenda sunt bona eloquia, non discipulis, sed magistro debetur [i] doctrina. Nam et sicut dicit Scriptura : *Vita, et mors in manibus linguæ* (*Prov.* XIV). Diligenter ergo et juste debet ipsa amplius refrenari. Hæc enim tanta taciturnitatis districtæ custodia perfectis, et [i] pudoris cordè et mundis a peccato, timentibus perpetua gehennæ incendia, et quærentibus vitæ æternæ divitias immortales merito præcipitur observanda. Ideoque præsente abbate non loquantur, nisi interrogati discipuli; [k] absente vero abbate, si de verbo Dei, sibi tamen lente et humiliter, non clamosa voce loquantur. Quia omnis lenta locutio ab humilitate descendit. Si vero de inanibus ac sæcularibus, vel quibusve verbis, quæ ad Deum non pertinent, inchoaverint discipuli loqui, mox a præpositis suis eis imperetur silentium. Psalmos vero vel Scripturas extra illas tres horas, in quibus quotidie sine labore [l] contingit legi, et sic laborantes fratres recensere sibi et animo permittuntur. Hanc vero tantam taciturnitatis clusuram superius præsente abbate de perfectis apud Deum taxavimus, de his quibus nunquam de Deo oblivio [m] subripit, et vitia oris quærunt diligenter cavere, et ex toto mundi velut angeli et a bonis et malis eloquiis quærunt tacere pro Domino. Sed quia diversitas concessæ gratiæ secundum mensuram fidei maxime negligentibus poterit minorari, tepidis et imperfectis, et minus in se sollicitis hoc relaxamus, ut de sæcularibus inqui-

[a] *Talem.* Id est, aliquem.

[b] *Cochlearii.* Cochlearium, cochlear, et cochleare est vasculum sorbendis cochleis et ovis sorbilibus aptum. S. Isidorus lib. XX Orig. c. 4 : « *Coclear ab usu prius dictum.* » *Hinc illud veterum distichon* (*Martial.* lib. XIV, Epig. 121) :

Sum cochleis habilis, sed non minus utilis ovis.
Nunquid scis, potius cur cochleare vocor.

De eo Julius Pollus lib. VI, cap. 12 : Τὸ δὲ κοχλιάριον καλοῖς ἂν μυστιλάριον, id est, Cochlearium vasculum ad aliquid sorbendum aptum appellare poteris. Agunt et Glossæ veteres : Κοχλιάριον, *Cochliarium, ligula.* Ligula autem seu lingula est vasculum concavum jusculis sorbendis aptum. Cujus meminit Sosipater Charisius : « Lingula cum non a lingendo dicta est, in argento : in calceis vero lingula a ligando. Sed usus lingulam sine, *n*, frequentat. » Qui tamen locus corruptus est, et expuncta particula, *non*, lege *lingula cum a lingendo dicta est*, nam ibi explicat nomen æquivocum, *lingula;* quod a lingendo dictum, est vasculum argenteum sorbendis jusculis aptum : a ligando vero, est corrigia calcei : Alias *Legula*, glossæ veteres : μύστρον, *legulam.* Dicitur et μύστλον, id est, cavum, ut docet auctor veteris Etymologici, cujus tamen hæc verba corrupta sunt : καὶ μύστλον, τὸ κοίλῳ τὸ ἄρτῳ ἐσθίειν, μυστίλλας δὲ ἔλεγον. Sed legendum τὸ κοίλῳ τῷ ἄρτῳ ἐσθίειν μυστιλᾶθαι ἔλεγον, id est, de concavo pane edere sorbere dicebant. Verbum dicitur a μυστίλη, quæ est huccella cava, de qua jusculum sorbetur, docent Julius Pollux cap. citato et Suidas. Lingula est etiam gladiolus in similitudinem linguæ, cujus meminit Nævius in Tragedia Hesiona :

Si ne mihi gerere morem videar lingua, verum lingula.

Ut refert Agellius lib. X, cap. 25, id est, si non possum verbis efficere ut mihi obtemperetur, id efficiam gladio.

[c] *Substantiam.* Locus corruptus in Regula ms. *Sub tantam.* Lege, *Sub tanta.*

[d] *Omne verbum vanum.* Ad Eph. IV in versione communi : *Omnis sermo malus.* In Græco textu : σαπρὸς, id est, fœdus. Glossæ Cyrilli : σαπρός, *nugatorius, nugax, fœdus.* Non male redditum, *vanum* : nam vanum est nugatorium.

[e] *Sed si quid ad ædificationem.* In versione communi : *Sed si quis bonus.* Ita etiam in textu Græco : ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς, quod idem sonat.

[f] *Aliquanta.* Id est, aliqua. Ita loquitur Magister cap. 8 : « Et in aliquantis prolixis hominibus; » et S. Valerianus sermone de bono disciplinæ : « Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. »

[g] *Ut non peccem.* Accedit ad versionem S. Hieronymi.

[h] *Obmutui et tacui a bonis.* Citat locum ex memoria.

[i] *Doctrinæ.* Hoc loco doctrina est docendi actio, non facultas.

[i] *Pudoris.* Lege, *puris corde*, ut in Regula ms. et cod. Vind.

[k] *Absente vero abbate.* Id est, extra præsentiam abbatis.

[l] *Contingit.* Ita correxi, cum antea legeretur : *tangit.*

[m] *Subripit.* Glossæ Philoxeni : *Subripit*, ὑφαιρεῖται, id est, subtrahitur.

rendis, duntaxat sine peccato, [a] aliquid quæ ad ædificationem spiritalem non pertinent, nisi petita benedictione fuerit magis concessa permissio, licentia loquendi non sumatur. De aliquo vero spiritali interrogando sermone post benedictionem petitam mox loqui debere discipulum. Scurrilitates vero, vel verba otiosa, et risum moventia æterna clausura damnamus et ad talia eloquia discipulum [b] non aperire os permittimus.

§ X. — A Donato Collecta (*cap.* 49).

[c] Silentii regula custodienda decernitur, quia scriptum est : *Cultus autem justitiæ silentium et pax* (*Isai.* xxx). Et ideo, ne reatus de verbositate conquiratur, exceptis utilibus ac necessariis opus est, ut taceatur : quia, juxta Scripturam, *In multiloquio non deerit peccatum* (*Prov.* x). Et alibi ait : *Posui ori meo custodiam, obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* xxxviii). [d] Hic ostendit Propheta.

[a] *Aliquid quæ.* Hæc sunt transposita, et ita legenda : *Ut de sæcularibus inquirendis, duntaxat sine peccato, quæ ad ædificationem spiritalem non pertinent, aliquid,* etc. Hoc loco indulget Magister imperfectis monachis, ut de sæcularibus rebus loquantur quæ tamen sint sine peccato, et petita loquendi licentia.

[b] *Non aperire os permittimus.* Lege, ut in Regula sancti Benedicti, *Aperire os non permittimus.*

[c] *Silentii regula.* Initium hujus capitis sumptum est ex Regula S. Columbani, cap. 2.

[d] *Hic ostendit propheta,* etc. Hæc habentur in Regula S. Benedicti.

[e] *Pœnam.* Adde, *peccati,* ut habetur in Regula sancti Benedicti.

[f] *Tacendum igitur,* etc. Hæc sunt emendicata a Regula S. Columbani, ubi sic legitur : *Tacendum igitur de his et talibus.*

A Si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter [e] pœnam debet cessari. [f] Tacendum igitur, et cum cautela loquendum, ne aut detractiones aut tumidæ contradictiones in loquacitatem vitiosam [g] ac superfluam prorumpant. [h] Ergo, quamvis de bonis et ædificationum eloquiis perfectis [i] Christi discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia. Quia, ut superius diximus, *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x). Et alibi : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov:* xiv). [j] Quod si altiori voce præsumpserit, [k] duabus silentii superpositionibus pœniteat, aut [l] percussionibus pœniteat. Et, si iterare præsumpserit, c. Scurrilitates vero et verba otiosa, et risum moventia æterna B clausura in omnibus locis damnamus : [l] et ad tale eloquium famulo Christi aperire os non permittimus.

[g] *Ac superfluam.* Hæc verba non exstant in Regula S. Columbani, saltem in nostris codicibus.

[h] *Ergo quamvis de bonis,* etc. Excepta sunt ex Regula S. Benedicti.

[i] *Christi.* Hoc vocabulum non est in Regula S. Benedicti.

[j] *Quod si altiori.* In Pœnitentiali S. Columbani sic habetur : « Proferens sermonem altum sine suppressione, nisi ubi necessitas fuerit, superpositione silentii vel [l] percussionibus. » Supple, *pœniteat;* sed S. Donatus videtur locum protulisse ex memoria, non ex codice.

[k] *Duabus silentii superpositionibus.* Quid sit superpositio, infra dicetur.

[l] *Et ad tale eloquium famulo Christi aperire os non permittimus.* In Regula S. Benedicti conc. Fl. *Et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.*

CAPUT X.

DE HUMILITATE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Clamat nobis divina Scriptura, fratres, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* xiv). Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ. Quod se cavere Propheta indicat, dicens : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei ; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* cxxx). [b] Sed quid? *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam,* [c] *sicut ablactatum* [d] *super matrem suam,* [e] *ita retribues in animam meam.* Unde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen

[a] *Clamat nobis,* etc. Hoc est ad humilitatis gradus præludium. De humilitate multi multa scripserunt. Multæ de ea exstant S. Ephræm Syri paræneses. De ea scribit S. Ambrosius in epistola ad Demedriadem, S. Dorotheus doctr. 2, S. Antiochus monachus homil. 70, et multi alii. D

[b] *Sed quid.* Hæc vocabula non sunt apud Smaragdum et S. Dunstanum : exstant tamen in Regula ms. Magistri, in qua hi gradus humilitatis retexuntur. In vulgo editis habentur sub interrogatione, et recte Non sunt quidem Psalmistæ verba, sed a S. Benedicto adjecta, atque ad horum versiculorum lucem non parum conferunt.

[c] *Sicut ablactatum.* Hanc lectionem retinent utercque cod. ms. S. Germ., Regula ms. magistri cod. Corb., Kero in Expositione Alamannica vocabulorum Regulæ S. Benedicti, Smaragdus, Trithemius, et S. Dunstanus, qui addit substantivum *est,* sed minus necessarium, quia facile subintelligitur. Secutus est S. Benedictus hoc loco versionem Græcam, quæ ita habet. ὡς ἀπογεγαλακτισμένον, id est sicut ablactatum, quod substantivatur in neutro genere. Vulgo juxta versionem vulgatam scribitur : *Sicut ablactatus est.*

[d] *Super matrem suam.* Ita in Regula ms. Magistri et apud Smaragdum, juxta textum Græcum : ἐπὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ. In vulgo editis juxta versionem communem legitur : *Super matre sua.*

[e] *Ita retribues in animam meam.* Ita Regula ms. Magistri, codices mss. nostri, Ruthardus ms., Smaragdus, S. Dunstanus, et Trithemius juxta Psalterium Romanum, et Septuaginta Interpretes. ὡς ἀποδώσεις ἐπὶ τὴν ψυχήν μου. Quod idem sonat. Hanc etiam lectionem retinent vulgo editi codices. In versione communi legitur : *Ita retributio in anima mea.* Sensus autem Psalmistæ est : Sicut ablactatus infans

attingere, et ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est quæ [a] in somnio Jacob apparuit, per quam et descendentes angeli monstrabantur (*Gen.* XXVIII). Non aliud sine dubio ascensus ille et descensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et [b] humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta nostra est vita in sæculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cœlum. Latera ejus scalæ dicimus nostrum esse corpus et animam, [c] in qua latera diversos gradus humilitatis vel disciplinæ [d] evocatio divina ascendendos inseruit.

§. II — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 60).

Interrog. [a] Quid est humilitas, et quomodo eam implere possumus? — *Resp.* Humilitas quidem est hæc [f] ut omnes homines æstimemus superiores nobis, secundum definitionem Apostoli (*Phil.* II). Implere autem id possumus, si memores fuerimus Domini dicentis: *Discite a me quia* [g] *mansuetus sum et humilis corde* (*Matth.* XI). [h] Quod [se] in multis sæpe ostendit et docuit, et credere ei debemus promittenti, Quia *qui se humiliaverit, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Deinde ut indesinenter et absque ulla cessatione in omnibus actibus et in omni negotio humiliores cæteris inveniri studeamus, et in hoc exercitium nostrum ponamus. Non enim sic poterimus a nobis pristinæ arrogantiæ abolere memoriam, et effectum humilitatis assumere, sicut etiam in artificiis fieri solet, idemque modus erit etiam in cæteris virtutibus obtinendis, quæ ex mandato Domini nostri Jesu Christi veniunt.

§ III. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 9).

[i] Humilitas cordis requies animæ est intus a laboribus fatigatæ, unicum illius de tot malis refrigerium; et quantum ad hanc considerationem [j] tuta de [k] tantis [l] foris vagis ac vanis attrahitur, tantum intus requiescit ac refrigeratur. Ita ut etiam amara illi sint dulcia, ac dura et ardua ante habita plana ac facilia. Mortificatio quoque superbis ac duris intolerabilis illi est consolatio, cui hoc solum placet quod humile et mansuetum est. Sciendum autem est quod neque hanc mysterii felicitatem, neque aliud quid utile superveniens poterit perfecte complere quis, nisi qui in hoc studium singulare posuerit, [m] ut non inveniatur imparatus. [n] Si enim juxta hoc studium suas aliquas sectari aut nutrire voluerit intentiones, continuo interpositorum occupatione detentus, turbatus totus segui, [o] qua jussio ducit, [p] gratus semper non poterit; neque, ut competit, complere poterit, qui turbulentus est et [q] ingratus. Mortificationis igitur triplex est ratio, [r] non animo discordare, non lætis dulcedine privatur, sic homo superbus a divinæ gratiæ jucunditate et consolatione removetur.

[a] *In somnio.* Ita in Regula ms. Magistri et cod. mss. S. Germ. p. et Vict. ma.; recte Vulgo habetur: *In somno.*

[b] *Humilitate ascendere.* His quadrat illud S. Cypriani, lib. de zelo et livore: « Humilitate ad summa crescimus. »

[c] *In qua latera.* Ita in Regula ms. Magistri, et apud Keronem. In aliis cod. nostris mss. et apud Smaragdum et Trithemium legitur: *In quæ latera*, quod est plausibilius. In vulgatis et apud S. Dunstanum, *in quibus* tantum.

[d] *Evocatio.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. mss. Vindocinensi et utroque S. Germani. Ita apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium. Ubi *evocatio* idem est quod *vocatio*, ut in vulgatis legitur. Ut *evocare* idem est quod *vocare*. Plautus in Amphitruone, actu III.

Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis.

[e] *Quid est humilitas.* Extat apud S. Basilium, interr. 198 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 41.

[f] *Ut omnes æstimemus superiores*, etc. Hæc divina Apostoli doctrina vinculum est Christianæ et monasticæ charitatis, cum omnibus sibi invicem cedentibus omnis jurgiorum seges resecatur. Id præclare docet S. Ambrosius epist. 84: « Prima ergo humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, quibus et divina clementia conciliatur, et societas humana connectitur. Multum enim ad roborandam dilectionem valet, cum secundum doctrinam apostolicam invicem se honore præveniunt, et alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjecti, et nesciunt tumere prælati. »

[g] *Mansuetus.* Apud Rufinum, *mitis.*

[h] *Quod se.* Τὸ *se* redundat, nec est apud Rufinum nec in textu Græco.

[i] *Humilitas cordis.* Habetur in Regula ms. cod. Flor. et in editione Parisiensi cap. 9, apud Goldastum cap. 14. Notanda autem S. Columbani doctrina de vera animi tranquillitate, quam humilis quisque possidet. Juxta illud Christi: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Idem docet S. Dorotheus doctr. 2: « Quod si molesti quippiam viro humili et demisso contigerit, confestim ad se revertitur, se contrahit, secum habitat vir humilis corde, se dijudicat, et quamvis pœna ac supplicio dignum se censet, nec vult quemquam accusare, nec causam rejicere in alium patitur. Proinde non immerito absque perturbatione degit et molestia; imo incredibilem animo suo sentit quietem. »

[j] *Tuta.* Ita in Regula ms. cod. Flor.; apud Goldastum legitur, *tota*, quod non probo; sed existimo hoc vocabulum esse transpositum et suo sic loco restituendum: *Et quantum ad hanc considerationem de tantis foris vagis et vanis attrahitur, tantum intus tuta requiescit ac refrigeratur.* Ut sensus sit: Et quantum anima a vanis cogitationibus ad considerationem veræ humilitatis attrahitur, tantum intus tuta requieseit, etc.

[k] *Tantis.* Id est, *tot;* de quo vocabulo infra.

[l] *Foris vagis.* In editione Insulæ additur, *animabus.* Sed necesse non est. *Foris vagum* est vana et fatuis cogitatio.

[m] *Ut non inveniatur imparatus.* Id est, desistat armis humilitatis et obedientiæ non inveniatur, cum nempe alea mortificationis est subeunda.

[n] *Si enim juxta hoc studium suas aliquas.* Ita apud Goldastum. In Regula mss. cod. Flor. non est in *hoc;* recte: et pro *suas aliquas*, lege, *suam aliquis*, ut hæc verba referantur ad sequentia, non ad antecedentia hoc modo: Si enim juxta studium suum aliquis sequitur suas intentiones, id est voluntates, non poterit segui quo jussio ducit.

[o] *Qua jussio ducit.* In regula mss. cod. et in editione Insulæ apud Goldastum legitur: *Quod jussio dicit.*

[p] *Gratus.* Id est, spontaneus, libens. Glossæ veteres: *grate*, ἑκόντως, id est, libenter.

[q] *Ingratus.* Id est, invitus. Plautus in Mercatore dixit: *tuis ingratiis*, id est te invito.

[r] *Non animo discordare.* Cum suis fratribus videlicet.

lingua libita loqui, non ire quoquam absolute, A xxvi). Juxta exemplum Domini Salvatoris, qui ait : [a] suum est semper seni dicere, quamvis contraria jubenti : *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Matth.* *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me,* [b] *Patris* (*Joan.* vi).

[a] *Suum est semper seni dicere.* Ita in mss. cod. Flor. et in editione Insulæ. Sed puto locum esse corruptum, sicque restituendum : *Sed suo semper seni dicere, quamvis contraria jubenti*, etc. Et clarus est sensus.

[b] *Patris.* Hæc vox non est in hoc loco S. Joannis.

CAPUT XI

DE PRIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens [b] oblivionem omnino fugiat, et semper sit memor eorum quæ præcepit Deus : [c] ut qualiter [d] et contemnentes Deum [e] gehenna de peccatis incedat : et vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo sem- B per [f] evolvat : et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis, [g] id est, cogitationum et linguæ, manuum, [h] pedum vel voluntatis propriæ ; [i] sed et desideria carnis. Æstimet se homo de cœlis semper a Deo respici omni hora, et facta sua omni loco ab aspectu Divinitatis videri, [j] et ab angelis omni hora renuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus ita Deum præsentem ostendit dicens : *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* vii). Et item : *Dominus* [k] *novit cogitationes hominum* (*Psal.* xciii). Et item dicit : *Intellexisti cogitationes meas a* [l] *longe*

[a] *Primus humilitatis gradus.* Hoc caput in plura capita divisit auctor noster, quemadmodum ejus imitator Smaragdus. Titulos quamvis hic desiderentur, apponere singulis capitulis seu gradibus visum fuit, quemadmodum habentur apud Smaragdum. Porro D. Thomas, 2-2, qu. 161, art. 6, et qu. 164, art. 4, ad 4, demonstrat hos gradus duodecim rite a sancto Benedicto fuisse assignatos, sed tractat rem inverso ordine, et quem sanctus Benedictus duodecimum appellat, ille primum; et sic deinceps. Sed nescio quo exemplari usus sit sanctus doctor. Regula Magistri (*cap.* 20), qui vixit ante annum septingentesimum ordinem S. Benedicti sequitur in his recensendis, ejus etiam verba saepius. Quemadmodum auctor noster, Smaragdus, S. Antoninus, tit. 15, cap. 13, § 8, Trithemius et Turrecremata, quem de ordine et serie horum graduum consule. Cassianus, lib. iv de Institutis renuntiantium, cap. 39, etsi tantum decem statuat humilitatis gradus, ordinem eumdem servat, excepto uno aut altero gradu. Albuinus monachus ms., cap. de Remissione monachi, agit etiam de gradibus humilitatis, sed decem tantum statuit, nec ordinem sancti Benedicti sequitur, etsi ex illo hauserit ejus gradus contrahendo hoc modo : « Si humilitas regnat in monacho, cum his decem gradibus comprobatur, et vere dignoscitur. Hæc sunt fundamenta virtutum, sine quibus nemo videbit Dominum. Primus si in se habeat mortificatas omnes voluntates terrenas. Secundus, si actus et cogitationes suas non celaverit abbati suo. Tertius, ut nihil disponat cum propria voluntate, sed omnia committat judicio ejus senioris. Quartus, si in omnibus præceptis servaverit mansuetudinem obedientiæ et constantiam patientiæ. Quintus, ut nulli inferat injuriam; sed quæ sibi illatæ D fuerint patienter portet. Sextus, si nihil faciat præter exempla suæ Regulæ. Septimus, si se judicaverit indignum, et velut operarium malum ad omnia quæ illi in operativa [*Leg.* imperata] fuerint. Octavus, si semetipsum pronuntiet viliorem cunctis. Nonus, si linguam suam constringat, et non sit clamosus in voce. Decimus, si non est facilis et promptus in risu. » Hæc ille. Qui videtur referre hæc ex memoria, non ex codice. Porro in his duodecim gradibus humilitatis septem priores pertinent ad interiorem hominem, reliqui ad exteriorem.

[b] *Oblivionem omnino fugiat.* Nempe judicii, mandatorum Dei, æterni supplicii et felicitatis æternæ. Peccator enim Dei, et sui, et omnium, quæ ad salutem spectant obliviscitur; et cum venerit in profundum, contemnit. Nihil sane tam a Dei et salutis recordatione quam peccandi consuetudo et delectatio nos avertit. Quod recte monet Eusebius Gallicanus, homil. 5 ad monachos : « Habet enim hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantum amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata sua intelligat, et tanto plus eum peccare deleclet; ut eveniat illud quod Propheta peccatoribus clamat : *Non est Deus in conspectu ejus; auferuntur judicia tua a facie ipsius.* Etenim quando subrepit peccati delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio. » Ruthardus legit, *Oblivionem præceptorum omnino fugiat.*

[c] *Ut qualiter.* Ita Regula ms., Smaragdus et editio Coloniensis. At vulgatæ editiones cum S. Dunstano habent *et qualiter.* Si legas *ut*, referendum est cum C sequentibus ad illa verba, *animo revolvat;* si legas *et*, ad illa verba, *sit memor.* Apud Trithemium habetur tantum, *qualiter.* Non ita recte.

[d] *Et contemnentes.* Particulam *et* agnoscit Regula Magistri ms., quæ tamen vulgo non habetur.

[e] *Gehenna de peccatis incedat.* Lege, ut in Regula Magistri ms., *Gehenna de peccatis incendat.* Ubi præpositio *de* est, pro *ob*, *propter*. Ita loquitur supra in prologo sanctus Benedictus : *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos.* Ubi *de* est pro *ob*, *propter*. Vulgo legitur : *In gehennam pro peccatis incidunt.* Sed hæc sunt in officina cujusdam correctoris cusa.

[f] *Evolvat.* Ita Magister. Vulgo, *revolvat.* Quod est plausibilius.

[g] *Id est.* Id est, hoc loco est *nempe, videlicet.*

[h] *Pedum.* Id est gressus immodesti, præcipitantis, levis et lascivi.

[i] *Sed et desideria carnis.* Est ellipsis, quæ etiam habetur in Regula ms. Magistri, quam etiam agnoscit Smaragdus ad hæc verba, cum ait : « Subauditur : *non delectetur implere.* » Quam sane iisdem verbis supplevit S. Dunstanus, apud quem legitur, *Sed et desideria carnis non delectetur implere.* Recte nam in secundo gradu dicitur : *Desideria carnis non delectetur implere.* Itaque illud, *amputare festinet*, quod vulgo habetur, amputandum est.

[j] *Et ab angelis omni hora renuntiari.* In vulgatis legitur *Deo omni hora*, etc. Sed hæc vox *Deo* non est in Regula ms. Magistri, neque apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium ; nec videtur necessaria, cum ex supra dictis satis intelligi possit.

[k] *Novit cogitationes hominum.* Vulgo additur *Quoniam vanæ sunt.*

[l] *A longe.* Ut in Psalterio Romano juxta Septua-

(*Psal.* CXXXVIII). Et : *Quia cogitatio hominis confitebitur tibi* (*Psal.* LXXV). Nam ut sollicitus sit circa cogitationes perversas, dicat semper [a] utilis frater in corde suo : *Tunc ero immaculatus* [b] *coram eo, si observavero me ab iniquitate mea* (*Psal.* XVII). Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicat Scriptura nobis : [c] *A voluntatibus tuis avertere* (*Eccli.* XVIII). Et item rogemus in oratione, ut fiat voluntas illius in nobis (*Matth.* VI). Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud quod dicit Scriptura : [d] *Sunt viæ quæ videntur ab hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* (*Prov.* XIV). Et cum item cavemus illud quod de negligentibus dictum est : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis* (*Psal.* XIII). In desideriis vero carnis ita nobis credamus Deum semper esse præsentem, cum dicit Propheta : *Ante te est omne desiderium meum* (*Psal.* XVII). Cavendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura præcipit dicens : *Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccli.* I). Ergo, si oculi Domini speculantur A bonos et malos, et Dominus de cœlo semper respicit filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum (*Psal.* XXXIII); et, si [e] ab angelis nobis deputatis [f] quotidie diu noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur, cavendum est [ergo] omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo Propheta (*Ps.* LI), ne nos declinantes in malum et inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est et exspectat nos converti in melius, [g] ne dicat nobis in futuro : Hæc fecisti, et tacui (*Ps.* XLIX.)

§ II. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 42).

[h] Principium ergo nostræ salutis ejusdem custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim B initium conversationis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Qui, cum penetravit hominem mentem, contemptum ei rerum omnium parat : [i] oblivionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem ; [i] contemptu autem et privatione omnium facultatum humilitas acquiritur.

ginta interpretationem : ἀπὸ μακρόθεν. Quod idem sonat.

[a] *Utilis frater.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. ms. Vind. et utroque S. Germ. et in editione Coloniensi. Ita etiam apud Smaragdum, S. Dunstanum et Trithemium, qui ita explicat : « Utilis frater est qui omnibus prodesse et nulli desiderat obesse, qui nihil sapit nisi quod Deo placere cognoscit, qui totam spem suam ponit in Domino, sine cujus auxilio se nihil posse facere certissime credit. » In vulgatis legitur : *Humilis frater.* Sed hoc manat a quodam correctore aut exscriptore.

[b] *Coram eo.* Ita in omnibus codicibus, quos viderim, sive excussis, sive mss. cum in psalmo legatur, *cum eo*, etiam in omnibus versionibus quas viderim, juxta Septuaginta et textum Hebraicum. Sed S. Benedictus vocabulum accommodavit suo proposito.

[c] *A voluntatibus tuis.* In textu Græco : καὶ ἀπὸ τῶν ὀρέξεών σου. Id est, et ab appetitibus tuis. In versione communi, *et a voluntate tua.*

[d] *Sunt viæ*, etc. Hæc sententia exstat in duobus locis Proverbiorum cap. XIV : « Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem ; et cap. XVI : Est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. Ita in versione communi juxta textum Hebraicum, sed apud Septuaginta, quos sequitur sanctus Benedictus, paulo aliter. C. XVI : Εἰσὶν ὁδοὶ δοκοῦσαι ὀρθαὶ εἶναι ἀνδρί, τὰ μέντοι τελευταῖα αὐτῶν βλέπει εἰς πυθμένα ἅδου. Id D est, Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, novissima autem earum respiciunt in profundum inferni. Et cap. XIV. Ἐστὶ ὁδὸς ἡ δοκεῖ ὀρθὴ εἶναι παρὰ ἀνθρώποις, τὰ δὲ τελευταῖα αὐτῆς ἔρχεται εἰς πυθμένα ἅδου. Id est, Est via, quæ recta videtur esse apud homines, novissima vero ejus tendunt in profundum inferni. Interpretatio S. Benedicti conflata est ex utroque loco.

[e] *Ab angelis nobis deputatis.* Hunc locum profert Rupertus in cap. 9 Commentariorum in Apocalypsim : « Denique ab angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur. Si ergo magnum sit opus quod agimus, dum annuntiatur, ipsa annuntiatio quasi cantus tubæ est, quasi magnus clamor. » Haymo Halberstatensis in cap. IV Epistolæ ad Philippenses, cur opera nostra Deo ab angelis renuntiantur, hanc profert rationem : « Ut officium et ministerium suum impleant, quia nuntii sunt. » Aliam affert Origenes, sive quis alius, lib. I Commentariorum in Job : « Offerunt nihilominus sancti angeli Dei, non quasi nesciat is qui omnia novit antequam fiant, sed ut testes efficiantur sanctitatis atque pietatis justorum ; iterum tanquam deflentes impietates atque injustitias injustorum, atque etiam ipsius diaboli : hæc namque demonstrans atque significans Dominus dicit de illis bonis servis, hoc est, angelis : « Venientes autem nuntiaverunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. » Nuntiant opera nostra mala, ut a Deo accipiant quomodo et quando castiganda ad emendationem ; et ideo renuntiatio illa angelorum timenda, et congrua emendatione eorum correptio præveniena.

[f] *Quotidie die noctuque.* Ita in Regula ms. Magistri, in cod. mss. S. Ebrul. et Vind., apud Turrecrematam et Rupertum loco citato.

[g] *Ne dicat nobis.* Ita in utroque cod. S. Germ., ita apud Smaragdum, S. Dunstanum, Trithemium et Turrecrematam : sed in Regula ms. Magistri, in cod. ms. S. Faronis, in editione Parisiensi vetusta et recentiore, necnon Colinæi et Coloniensi, particula *ne* desideratur : recte ; quid enim attinet illam repetere ?

[h] *Principium*, Hæc sumpta sunt ex libro IV Cassiani de Institutis renuntiantium, cap. XXXIX.

[i] *Oblivionem parentum.* Vix bene conversus est, qui parentum non obliviscitur. Nec bene cum patre cœlesti conjungitur, qui terreno patri non omnino renuntiavit. Nam : *Longe a parentibus salus*, inquit sanctus Bernardus. Ea fuit disciplina olim in monasterio Magistri, quem Trithemius Vigilium abbatem et diaconum appellat, ut monachus nunquam in ædes paternas pedem inferret.

[i] *Contemptu autem*, etc. Nam qui terrena sapit humilis esse non potest, sed qui cœlestia.

CAPUT XII.

DE SECUNDO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Secundus humilitatis gradus est, si [a] propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis : *Non veni facere voluntatem meam,* [b] *sed ejus qui me misit* (*Joan.* VI). Item dicit Scriptura : [c] *Voluptas habet pœnam et* [d] *necessitas varit coronam.*

§ II.— Ex Regula Cassiani (*cap.* 43).

[e] Humilitas vero his [f] indiciis comprobatur. Primo, si mortificatas in se habeat omnes voluntates. Secundo, si non solum suorum actuum, verum etiam cogitationum nihil celaverit suo seniori. Tertio, si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens ac libenter auscultet. Quarto, si in omnibus servet obedientiæ consuetudinem, patientiæque constantiam.

[a] *Propriam quis*, etc. B. Isaias abbas sermon. 26 : *Humilitas est obedientia et propriæ voluntatis abnegatio.*

[b] *Sed ejus qui me misit.* In versione communi repetitur τὸ *voluntatem*, et in textu Græco, θέλημα, id est, voluntatem. Joan. VI.

[c] *Voluptas*, etc. Ita apud S. Dunstanum, Smaragdum, Ruthardum, et Trithemium, et in Regula ms. Magistri, ita ut hic locus ad desideria carnis referatur. In vulgatis legitur *voluntas*. Hic locus non habetur in sacra Scriptura. Quare hæc verba : *Item Scriptura dicit*, non sunt de sacra Scriptura intelligenda, sed de alicujus sapientis scripto, ut sumunt S. Fructuosus, cap . 10 Regulæ : « Quarto retroacta sanctorum Patrum per scripturas sciscitantes revolvant : ut et ipsi quid facere debeant, agnoscant. » Non dubium est quin per scripturas, sanctorum Patrum anachoretarum et monachorum Vitas intelligat. Magister, cap. 31 Regulæ suæ : « Monstrante nobis de sancto Heleno scriptura, cum dicit. » S. Valerius supra, capite de genere monachorum : « Quoniam scriptura testatur quod omne peccatum quod remissus indisciplinatusque admiserit frater, ad negligentem protinus revertatur seniorem. » Quæ quidem non exstant in sacra Scriptura. Ita etiam aliquando usurpantur ista verba, *scriptum est*, ut infra gradu 11 : « Sicut scriptum est, sapiens verbis innotescit paucis. » Hæc enim sententia non est in sacra Scriptura, sed in sententiis Sixti.

[d] *Necessitas.* Angustiæ, inquit Ruthardus, vel necessitas obediendi et relinquendi proprias voluptates et desideria, ut pareamus Dei mandatis ; felix quidem necessitas, quæ ad meliora compellit.

[e] *Humilitas vero.* Hæc habentur apud Cassianum loco citato.

[f] *Indiciis.* Quos *gradus* S. Benedictus, Cassianus *indicia* appellat, et S. Thomas locis citatis *signa*, quatenus his tanquam notis exterioribus mentis proditur humilitas.

CAPUT XIII.

DE TERTIO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore [a] omni obedientia se subdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus : *Factus obediens usque ad mortem* (*Phil.* II).

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 45).

Interrog. [b] Usque ad quem modum [c] servire oportet eum qui placendi Deo implere Regulam cupit ? — *Resp.* Apostolus ostendit proponens nobis obedientiam Domini, *qui factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Et [d] prædixit : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.*

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 80).

Interrog. [e] Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur ? — *Resp.* Eo affectu quo esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti : vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea quæ ad vitam pertinent, imo et si quid amplius : pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam præsens, [f] sicut et Dominus dixit : *Quia mandata mea vita æterna sunt* (*Joan.* XII). Sicut ergo vita præsens constat in cibo panis, ita æterna vita in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, Patris* (*Joan.* IV).

[a] *Omni obedientia.* Id est, faciat monachus quæcunque ei senior præceperit, sive illa Regulæ legibus conscripta sint, sive non. Et hæc mens S. Patris Benedicti, cum nullum alium nobis proponit imitandum, quam Christum, qui in omnibus Patri obediens fuit etiam usque ad mortem, juxta antiquorum Patrum usum, qui omnimodam obedientiam non limitatam a suis discipulis requirebant, ut videre est apud Cassianum, S. Basilium et alios.

[b] *Usque ad quem modum.* Habetur apud S. Basilium inter. 116 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 4, ubi ita legitur : *Usque ad quem modum oportet progredi eum.*

[c] *Servire.* In textu Græco est ὑπακούειν, id est, obedire, rectius ad sensum.

[d] *Prædixit.* Id est, antea dixit, juxta textum Græcum.

[e] *Cum quali affectu.* Exstat apud Basilium interrogat. 166 R. br., et apud Rufinum, cap. 46.

[f] *Sicut et Dominus dixit, quia mandata mea.* In textu Græco S. Basilii : Ἡ γὰρ ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ, φησὶν ὁ Κύριος, ζωὴ αἰώνιός ἐστιν· id est, Mandatum enim Dei, inquit Dominus, vita æterna est. In Evangelio : Ἡ γὰρ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστι· id est, Mandatum ejus vita æterna est. Ubi *ejus*, id est Patris ; nam eo loci Christus de Patre suo agit.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi. episcopi (*cap.* 8).

[a] Obedientia præceptum est Regulæ, ut [b] impossibilibus quoque rebus opere atque affectu ostentetur, et teneatur usque ad mortem videlicet, sicut et Christus factus est obediens usque ad mortem (*Phil.* II).

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 5).

[c] In tantum debent monachi præceptis obedire majorum, sicut Christus Patri obediens fuit usque ad mortem. Quod si aliter fecerint, sciant se viam, quam quærebant, perdidisse. [d] Nemo vadit ad Christum nisi per Christum. Proinde monachi talem sibi debent facere consuetudinem, per quam a tramite recto nullatenus possint deviare. Primum discant voluntates proprias superare, et nihil suo arbitrio, vel minimum aliquid agere, nihil loqui nisi ad interrogata, et cogitationes de die in diem nascentes jejunio et oratione expellere, et suo abbati nunquam celare, et quidquid fecerint, absque murmuratione faciant.

§ VI. — *Item ejusdem* (*ex eodem capitulo*).

Timendum est ergo, charissimi fratres, cogitandum et providendum, qualem viam arripere debeant, qui per Christum ad Christum ire desiderant, et liquido audiant quod observare debeant. Obedientes sint abbati usque ad mortem; in tantum ut nullam faciant propriam voluntatem, sed Patris. Nihil tam charum Deo habetur, si voluntas propria frangatur. Hinc Petrus ait : *Nos qui dimisimus omnia, et secuti sumus te, quid nobis erit* (*Matth.* XIX)? non solum dixit : *Dimisimus omnia, quid nobis erit?* Sed addidit : *secuti sumus te.* Multi omnia dimittunt, sed Dominum non sequuntur; quare? quia non Patris, sed suam voluntatem faciunt. Qui vult ergo arctam et angustam viam invenire et eam sine offendiculo pergere, et pergendo non perdere, et non perdendo ad Christum pervenire, prius discat voluntates proprias superare, et nihil quod propria voluntas corporis quæsierit, facere, et in Patris obedientia usque ad finem vitæ perseverare. Hæc propria vita arcta et angusta quæ ducit ad vitam.

[a] *Obedientia*, etc. Hæc habentur in Regula S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. Crass., eodem capite 8. Sed hæc priora verba sunt transposita et ita restituenda : *Præceptum Regulæ est, ut obedientia in impossibilibus*, etc.

[b] *Impossibilibus.* Ita in Regula ms., omissa est enim præpositio *in* ob sequentis syllabæ similitudinem; quod non semel occurrit in hoc cod. ms. Concordiæ. Sed lege, *In impossibilibus*, ut in cod. ms. Vind. Hæc erat stricta priscorum Patrum obedientia, ut fusius infra dicetur.

[c] *In tantum.* Hæc non sunt in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videtur esse alterius Fructuosi, ut et sequens capitulum.

[d] *Nemo vadit ad Christum nisi per Christum.* Non itur ad Christum nisi per Christum, quia Christus est via, veritas et vita : via per quam in veritate ambulatur, et via quæ ducit ad vitam, id est, Christum : et ita nemo vadit ad Christum nisi per Christum.

CAPUT XIV.

DE QUARTO GRADU.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Quartus humilitatis gradus est, si quis in ipsa obedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis [b] tacita conscientia patientiam amplectatur, et sustinens [c] non lassescat, vel discedat, dicente Scriptura : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X *et* XXIV). Item : *Confortetur cor tuum et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI). Et ostendens fidelem pro Domino universa, etiam contraria, sustinere debere, dicit ex persona sufferentium : *Propter te* [d] *morte afficimur tota die : æstimati sumus* [e] *ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII). Et securi de spe retributionis divinæ [f] subsequantur gaudentes et dicentes : *Sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII). Et item alio loco Scriptura : *Probasti nos, Deus; igne nos examinasti,*

[a] *Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia*, etc. Hæc patientiæ virtus compendiosa est ad perfectionem via, ut docet Basilius in ammonitionibus : « Fili, patientiam arripe; quia maxima virtus est animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis ascendas; » ac proinde maxime amplectenda monacho; quia « Patientia grandis medela est animæ : impatientia autem pernicies cordis. Per patientiam autem exspectatur spes futurorum, et quod non videtur, quasi quod videatur, amplectitur, » inquit S. Basilius ibidem. Hæc fuit quondam humilitas S. Guillelmi ducis Aquitaniæ et fundatoris monasterii Gellonensis, qui cum monachus esset : « Corripiebatur, non irascebatur : interdum cæsus et injuriis læsus neque resistebat, neque comminabatur, gaudebat plane in subjectione, » etc., ut in Actis ejus habetur. Nota est humilitas et patientia B. Carlomanni Austrasiæ principis, et monachi Casinatis de qua vide Reginonem in Chronico.

[b] *Tacita conscientia*, etc. Id est, quieto et pacato animo, sine murmuratione. His quadrat illud S. Joan. Chrysostomi sermon. 1 in 1 epist. ad Cor. Κἂν γὰρ ὑβρίσῃς, κἂν λοιδορήσῃς, κἂν ὁτιοῦν τοιοῦτον σιγήσεται, καὶ πράως οἴσει, id est, etsi enim contumelia afficias (humilem), etsi vituperes, et quidvis ei dicas silebit, et æquanimiter feret.

[c] *Non lassescat.* Id est, animum non despondeat, metaphorice. Proprie autem lassescere est lassum, fessum, et debilitatum esse. Faustus Reiensis hom. 8 ad monachos. « Lassescant licet membra viliis. »

[d] *Morte afficimur.* Ita in psalterio Romano. Hæc et sequentia ex psalterio per accommodationem citantur.

[e] *Ut oves.* Ita in psalterio Romano.

[f] *Subsequantur.* Subsequi est subjungere, et active sumitur : ut paulo post : *Subsequitur*, dicens. Et cap. 11 Regulæ sancti Benedicti : *Et subsequatur abbas hymnum : Te decet laus.* Sæpe ita usurpat Magister in regula ms.

sicut examinatur argentum ; induxisti nos in laqueum ; posuisti tribulationes in dorso nostro (*Psal.* LXV). Et, ut ostendat [a] sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens : *Imposuisti homines super capita nostra* (*Ibid.*). Sed et præceptum Domini in adversis et in injuriis per patientiam [b] adimplentes, qui percussi in maxilla præbent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angarianti milliario vadunt et duo (*Matth.* V, *Luc.* VI), et cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent, et maledicentes se benedicunt (*II Cor.* XI).

§ II. — Ex Regula sancti Macarii (*cap.* 83).

[c] Passus injuriam taceas : [d] injuriam facere non nosse, factam posse tolerare. Nec te inania seducant consilia : sed magis te semper in Christo confirma. Non tibi æstimes ullos proximiores, quam qui tecum sunt [e] in cella fratres.

§ III. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 80).

[f] Quomodo quis [g] promptus fiat etiam ad pericula propter mandatum Domini? Primo quidem ut consideret, quia et ipse Dominus obedivit Patri usque ad mortem pro nobis (*Phil.* II). Et certus sit, quia mandatum Domini vita æterna est, sicut scriptum est (*Joan.* XII, *Marc.* VIII). Tunc deinde etiam, ut credat Domino dicenti : *Quia quicunque voluerit animam suam salvam facere, perdet eam ; qui autem perdiderit animam suam propter me et propter Evangelium, salvam faciet eam.*

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi episc. (*cap.* 8).

[h] Simili quoque studio et patientiæ virtus est observanda, ut nunquam nec odio violetur, nec injuria, nec contumeliis amittatur : sed in sustentatione et tolerantia roboretur. [i] Nuditas denique et parcimonia ciborum et lectulorum duritia amplectatur.

§ V. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 42).

Si non solum injuriam inferat monachus nulli : nec ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur (*Lib.* IV *de Instit.*, *cap.* 39).

[a] *Sub priore.* Regula ms. Magistri : *Sub majore.* Prior hoc loco est abbas, de qua voce infra.

[b] *Adimplentes.* Nempe patientes monachi : est eclypsis.

[c] *Passus injuriam.* Hæc non exstant in regula Macarii et aliorum abbatum codicis Floriacensis. Priora quidem verba habentur in epistola sancti Hieronymi ad Rusticum de forma vivendi.

Injuriam facere non nosse, etc. Lege : *Injuriam facere non nosce : factam nosce tolerare.*

[e] *In cella.* Id est, in monasterio, de quo vocabulo infra.

[f] *Quomodo.* Reperire est apud S. Basilium interr. 199 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 46.

[g] *Promptus fiat ad pericula.* Hæc est perfecta vitæ religiosæ obedientia, quæ nullis valet succumbere periculis. Cujus exemplum narrat S. Dorotheus Doctr. 1. Quidam monachus ex partibus Ascalonis abbatis sui jussu ad Seridum abbatem venit, sub vesperam ad cellam redire jussus. Interim oborta vehementissima tempestate, imbre et grandine præcipitanter e cœlo ruentibus fluvius adeo intumuit, ut torrentis instar extra vadum excurrens in campos restagnaret effusus. Tandem sol occubuit, et monachus in monasterium redire voluit. Eum precibus conatus est prohibere Seridus abbas ; sed illis postpositis, vi obedientiæ compulsus vestibus in fasciculum ligatis, et capiti impositis, renes maphorio circumcinctus se fluvio tempestatique, seu potius divinæ providentiæ credidit, et immensum illud aquarum exundantium pelagus natatu, auxiliante Christo, trajecit. Hæc est vis perfectæ obedientiæ, hæc virtus, hæc miracula.

[h] *Simili quoque.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracar. codicis Crassensis, eodem capite.

[i] *Nuditas.* Id est, paupertas, quæ a priscis illis Patribus appellatur ἀκτημοσύνη, id est, carentia et nuditas omnium rerum, apud Cassianum Coll. 18, cap. 17.

CAPUT XV.

DE QUINTO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex regula sancti Benedicti (*cap.* 15).

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa per humilem [a] confessionem abbati non celaverit suo, [b] hortans nos de hac re Scriptura dicens : *Revela Domino viam tuam, et spera in eo* (*Psal.* XXXVI) ; et item dicit : *Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV). Et item Propheta : *Delictum meum cognitum tibi feci, et* [c] *injustitias meas non operui. Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem* [d] *peccati mei* (*Psal.* XXXI).

[a] *Confessionem.* In Regula ms. Magistri : *Linguæ confessionem.*

[b] *Hortans.* Ita in Regula Magistri : est nominativus absolutus, vulgo : *Hortatur nos Scriptura de hac re, dicens.*

[c] *Injustitias meas non operui.* Ita in Regula ms. Magistri, quemadmodum in psalterio Romano.

[d] *Peccati mei.* In Regula ms. Magistri, et in aliis codicibus nostris ms. atque etiam excusis habetur : *Cordis mei.* Rectius quidem : quia ita legitur in psalterio Romano, quod sequitur S. Benedictus. Hoc autem caput intelligitur de revelatione malarum cogitationum patri spirituali directionis causa : nam in confessione sacramentali non solum occulta mala, sed aperta revelanda sunt.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii episcopi (*cap.* 21).

Interrog. [e] Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri, aut quibuslibet, aut certis quibusque ? — *Resp.* Clementia Dei erga eos qui deliquerunt, manifesta est, secundum quod scriptum est : *Qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Quia ergo et conversionis modus aptus esse, et convertentis [est] a peccato fructus dignus ostendi debet per pœnitentiam secundum quod scriptum est : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III) ; ne forte secundum illam comminationem eveniant his qui non pœnitent, quod

[e] *Qui vult confiteri*, etc. Reperitur apud S. Basil., int. 288 Regulæ brev. Non exstat apud Rufinum, saltem in nostro exemplari.

scriptum est : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III) : necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim et hi, qui antiquitus pœnitebant, [a] inveniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Evangelio, quia Joanni Baptistæ confitebantur peccata sua (*Matth.* III), et in Actibus apostolorum, apostolis, a quibus baptizabantur (*Act.* XIX).

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 199).

[b] *Interrog.* Si oportet, cum soror aliqua confitetur quodcunque delictum suum, etiam matrem monasterii adesse? — *Resp.* Honestius mihi videtur esse, et religiosius, ut per seniorem matrem presbyter, si quid et illud sibi videtur, statuat, et modum vel tempus pœnitentiæ imponat ad emendationem ejus, quæ corrigi desiderat a peccato.

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 200).

[c] *Interrog.* Si oportet gesta turpia vel obscœna confitentem inverecundius pronuntiare, aut certe quibusque aut quibuslibet? — *Resp.* Confessio peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio, quæ medicinæ demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summæ peritiæ testimonium habent et curæ et medelæ disciplinam, ita et confessio peccatorum fieri apud eos tantummodo debet, qui curare hæc prævalent et emendare, sicut scriptum est : *Vos, qui fortiores estis, infirmitates infirmorum portate* (*Rom.* XV). Hoc est auferte et exportate per curationem.

§ V. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (*cap.* 15).

[d] Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterii non moretur ; culpæque suæ meritis hoc tribuat, et occulte pœnitentiam agat : sciens, [e] quia nisi præcessisset in eo fluxus animi turpia cogitantis, non sequeretur in eo fluxus sordidæ et immundæ pollutionis. Quem enim prævenerit cogitatio illicita, tentatio illum cito fœdat immunda. [f] Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit, nec audebit eadem die ad ecclesiam introire, [g] antequam sit lotus aquis et lacrymis. In lege quippe qui somnio nocturno polluebatur egredi jubebatur a castris, nec regredi priusquam ad vesperam lavaretur (*Deut.* XXIII). Et si illi in carnali populo ita, quid spiritualis Christi servus facere debet? qui magis contaminationem suam debet respicere, et longe ab altari positus mente et corpore pertremiscere, atque in figura aquæ pœnitentiæ lacrymas adhibere : ut non solis aquis, sed etiam fletibus studeat ablui quidquid forte per occultam culpam immunda contaminatio polluit. Qui fornicationis tentamentis æstuat, oret indesinenter, atque abstineat : nec erubescat confiteri libidinis æstum, quo uritur; quia vitium detectum cito curatur ; latens vero quanto amplius occultatum fuerit, tanto magis profundius serpit : quod re vera qui publicare negligit, curare minime cupit.

§ VI. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 13).

[h] Omnes actus sive occasionum necessitudines semper necesse est ut monachus Patri [i] *reserat*, et ex illius cognoscat discretione vel judicio quid attendat. Cogitationes, revelationes, illusiones et negligentias proprias seniori nullus obcelet, verecundia vel injuria debere suam consulere conscientiam : « Οἱ δὲ ὑπ' ἀπροαιρέτῳ νυκτερίνῃ ῥύσει γινόμενοι, καὶ οὗτοι τῷ ἰδίῳ συνειδότι κατακολουθείτωσαν, id est, qui autem in non voluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conscientiam sequantur, et seipsos, an de eo discernant, an non, considerent quemadmodum in cibis, qui discernit, inquit, si comederit, condemnatus est. In his quoque bonæ sit conscientiæ, et libere loquatur secundum propriam cogitationem, qui ad Deum accedit. » Idem docet Theodorus Balsamo hunc canonem exponens. Id etiam patet ex Collatione 22 Cassiani, cap. 5 ; et ex epist. S. Gregorii papæ apud Bedam lib. I Hist. Angl., cap. 27. Vide D. Thomam par. III, qu. 18, art. 7 ; et alios. Ejusmodi illusionibus medentur oratio, jejunia et similia spiritualia remedia : quibus etiam accedant medica. Nam semen lactucæ sativæ epotum, « assiduas libidinum imaginationes in somno compescit, et Veneri refragatur, » inquit Dioscorides, lib. II, cap. 129. Idem præstat semen lactucæ silvestris. Succus etiam lactucæ silvestris ad eadem valet, sed viribus infirmior, ait idem auctor cap. sequenti.

[a] *Inveniuntur apud sanctos confessi esse*, etc. Quibus nempe dispensatio mysteriorum Dei commissa erat. Nam his solis confitendum esse hoc loco docet S. Basilius.

[b] Interrog. 11 Ruf. cap. 93 : quæ tamen non assequuntur textum Græcum.

[c] Interrog. 229 Reg. brev. ; Rufin. cap. 93.

[d] *Qui nocturna*, etc. Hæc videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 15.

[e] *Quia nisi præcessisset*, etc. In Regula excusa paulo aliter : *Quia nisi præcesserit in eo luxus animi turpia cogitantis, non sequerentur sordidæ atque immundæ pollutiones.*

[f] *Qui nocturno delusus phantasmate fuerit*, etc. Hæc sunt duriuscula, etsi olim a quibusdam sanctis usitata. Cum B. Herluca per somnum hujusmodi infirmitatem, etsi leviter, passa fuisset, nec propterea ab ingressu templi abstinuisset, apparens S. Wicpertus Augustanus quondam antistes, ei injunxit tres Dominicæ orationis recitationes pro foribus templi, totidemque genuflexiones. S. Alto cuidam sanctimoniali nocturna pollutione contaminatæ per visionem apparens prohibuit, ne eadem die in templum ingrederetur, quod cum contempsisset, post mortem ignis purgatorii cruciatu culpam expiavit, ut refert Paulus Bernriedensis in Vita B. Herlucæ. Sed hæc minime in exemplum trahenda. Nam olim sancti Patres nec ecclesiæ introitu, nec sacræ eucharistiæ perceptione prohibuerunt eos qui citra culpam ejusmodi illusiones patiuntur, ut constat ex epist. Dionysii Alexandrini, can. 5, qui ait unumquemque in his

[g] *Antequam lotus aquis et lacrymis.* Hunc morem tangit S. Gregorius papa epist. citata : « Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. » Idque juxta ritum Hebræorum.

[h] *Omnes actus.* Hæc reperire est in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. ms. Crass., cap. 15.

[i] *Reserat.* Hoc vocabulum addidi ex cod. ms. Vind. quod etiam in cod. Crass. ms. deerat.

ria faciente, vel contumacia perurgente. Sed semper hujuscemodi vitia cum lacrymis atque compunctione cordis atque humilitate verissime abbati, præposito sive prælatis senioribus revelanda sunt : et consolatione, oratione, castigatione, sive etiam [a] exercitatione idonei operis castiganda.

§ VII. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 29).

[b] Illud ante omnia a seniore suo debet junior doceri, ut nullam jam penitus cogitationem, quamvis turpiter nascentem, celet seniori suo verecundia faciente quæ confusio periculosa est animæ. Sed mox, ut [c] *exortæ* fuerint cogitationes, suo eas publicet seniori, ne suo aliquid judicio, vel discretione committat : sed illud credat malum esse vel bonum, quod senioris judicio fuerit definitum. Non enim poterit diabolus circumvenire vel dejicere juvenem monachum, nisi eum quem viderit aut per superbiam, aut per verecundiam suas cogitationes seniori celare. Nam evidenter diabolicam cogitationem Patres esse dixerunt; quam junior seniori [d] confunditur aperire.

§ VIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 15).

[e] Fratres, tunc rami arboris mundi sunt, si lignum ejus a radice purgetur. Nec enim dignum est mundatis foris [f] regiis, intus inquinari de sordibus. Sed decenter efficitur, si de intus foras ejecta sorde jam tum demum et fores juste mundentur. Non enim secura possunt esse [g] fossata, ubi intus est hostis. Simul et porta clausura sua captiva est, ubi muri non repellunt, sed inclusum retinent inimicum. Nam et vulnus ebullire novit repletum putredine, nisi exprimatur et de eo fuerit sanies ejecta extrinsecus, et [h] de ipsas operatione purgetur, altius potest suam cavare malitiam. Hoc ergo et nos de nostra anima sentiamus. Hoc est, prius debemus de corde projicere quod in corpore nolumus bajulare, dicentes nobismetipsis : Quid taces anima, et non erumpis in voce, et mentis tuæ exponis ardorem, et ejecto de intus ipso fervore malitiæ, præstes fatigatæ refrigerium passioni? Ergo cum alicui fratri cogitatum malum in corde advenerit, [i] et senserit se exinde fluctuari, statim suis hoc præpositis fateatur, et mox oratione facta nuntient hoc ipsum abbati. Nam ipsi præpositi hoc ipsum ultro semper debent [j] a susceptis suis exquirere : ne forte aut simplicitate quorumdam, aut certe ipsa verecundia malorum faciente, res pravas ac turpes fratrem pudeat confiteri. Sed cum ultro [k] ausus magis a magistro acceperint, jam fiducialiter sine verecundia indicent cogitata peccati. Quod et ipsi præpositi, et si ipsi hoc senserint, referant et de se abbati. Nam et ipse Major, cum de se hoc senserit, petat in oratorio a congregatione universa pro se debere orari. Ergo cum de aliquo fratre nuntiatum fuerit a præpositis abbati, convocet mox universam congregationem, et dicat omnibus abbas : Venite, fratres, subveniamus per dilectionem invicem nobis apud Dominum, dicente Apostolo : *Fratres, et si præoccupatus fuerit* [l] *quis in aliquo delicto, vos qui spiritales estis,* [m] *corripite ejusmodi in spiritu* [n] *mansuetudinis,* [o] *consolamini pusillanimes, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI). Et : [p] *Tu qui stas, vide, ne cadas* (*I Cor.* X). Ergo unanimes pro hoc fratre nostro oremus ad Dominum, ut dignetur in eo cum signaculo crucis suæ vel jussione [q] pœnitentiæ suæ diaboli tentationes compescere. Cum ergo pro eo ab omnibus diutissime oratum fuerit, [r] surgens abbas cum omnibus, [s] et complens, mox exientes singuli opus quod fa-

[a] *Exercitatione idonei operis.* Opus manuale non parum confert ad tentationes abigendas. Unde Regula Macarii et aliorum abbatum ait : « Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari. »

[b] *Illud ante omnia.* Hæc sumpta sunt ex Cassiano lib. IV de Institutis, cap. 9. Idem docet Cassianus ejusdem libri cap. 37, et Coll. 2, cap. 10.

[c] *Exortæ.* Hoc vocabulum adjeci ex libro Cassiani edito.

[d] *Confunditur.* Id est, erubescit, sæpe in sacra Scriptura.

[e] *Fratres.* Reperire est in Regula ms. Magistri cod. Corb., eodem capite.

[f] *Regiis.* Regiæ sunt fores, januæ, portæ. De quo vocabulo infra.

[g] *Fossatum.* Fossatum est fossa ambiens muros urbis, aut agri aut domus, aut arcis propugnacula; Gallice, *fossé.* Glossæ Cyrilli : Τάφρος, *fossa, sepes, fossatum.* Vegetius lib. IV de Re Militari, cap. 16 : « Civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis aut terra, non solum complent. » Significat etiam exercitum. Moschopulus, Περὶ Σχεδῶν, φωσσάτον, στρατὸς, id est, fossatum, exercitus, et Suidas mox citandus. Sumitur etiam pro castris. Suidas : φοσσάτον, ὁ στρατὸς, τὸ στρατόπεδον, id est, fossatum, exercitus, castra. Rufus in legibus militaribus : « Si fossato adhuc integro fuga partis vel aciei totius acciderit, et milites in fugam acti, nec ad defensores cucurrerint, nec ad ipsum fossatum se receperint, etc. »

[h] *De ipsas operatione.* In cod. Vind. legitur : *de ipsa operatione;* male. Lege, ut in Regula ms. Magistri : *De ipsa suppuratione.* Suppuratio est puris seu saniei expressio. Suppurare est pus seu saniem exprimere.

[i] *Et se senserit exinde fluctuari.* Nota eas solas cogitationes malas, quæ nos premunt ac urgent ad consensum peccati esse abbati retegendas; non vero eas quæ simul ac natæ sunt, abeunt.

[j] *A susceptis suis.* Suscepti sunt monachi apud Cassianum passim.

[k] *Ausus magis.* Id est, majorem audaciam.

[l] *Quis.* In textu Græco, ἄνθρωπος, id est, homo, ut in versione communi.

[m] *Corripite.* In versione communi, *instruite.*

[n] *Mansuetudinis.* In versione communi, *lenitatis.*

[o] *Consolamini pusillanimes.* Hæc verba addita sunt a Magistro.

[p] *Tu qui stas,* etc. I Cor. X in versione communi : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ut in textu Græco.

[q] *Pœnitentiæ.* Leg., *potentiæ,* ut Regula ms.

[r] *Surgens abbas.* Est nominativus absolutus loco ablativi satis familiaris ipsi Magistro.

[s] *Et complens.* Id est, collectam, seu orationem dicens, ut loquimur, seu concludens. Ita habetur in epist. S. Epiphanii ad Joan. Hierosolym. « Quando autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum. » Lib. III Dial. S. Gregorii, cap. 17 : « Cumque diu orassent, complere orationem Quadragesimum subdiaconum servus Dei jubet. » Ruperti lib. I de Divinis Officiis, cap. 19 : « Collectæ quæ dicuntur ad complendum, orationes sedentis in

ciebant, [a] reprehendant; et retento apud se illo solo fratre qui malo cogitationis laborat, proferat codices et adversus necessitatem vulneris ejus similis divina medicina legatur. Nam et per dies quibus ipse frater interrogatus ab abbate, si forte responderit non transisse, illis horis, quibus continget legi sive per hiemem sive per æstatem, [b] pœnitentia codicum ad ipsam cogitationis necessitatem legantur [c] in ipsa decada, de qua est frater: verbi gratia, si suaserit fornicationem, legatur illi ex diversis codicibus, ubi castitatem diligit Deus. Si [d] mentionem suadet frequenter, legatur ex diversis, ubi præcipit veritatem. Si desiderium aliquod, legatur illi, ubi hoc temporale præcipit Deus contemni, et æterna quæri et regnum cœlorum. Unde oportet abbatem multum esse de lege [e] structum, ut aut testimoniis omnia doceat, aut pertinentia ad locum legenda consignet. Nonne ergo cum tali fuerit ægrotus refertus succo discipulus, non solum pristinas recipit vires, sed et novas adversus inimicum acquirit; et adversarius perdet, quod ipse putaverat possidere? Unde alio die mane interrogetur ab abbate ipse discipulus, si cogitatio inimica cessavit, aut non. Quod si respondeat non cessasse, superponatur jejunium ab omnibus. Quod iterum si alio die reinterrogatus responderit non transisse reficientibus omnibus mensis, subtrahatur vinum. [f] Nam si tertia, quod absit, jam dictione judicemur modicæ fidei, ne videamur tarde credere Dei posse nobis auxilium subvenire; præterea cum sciamus eum esse nimis misericordem, vel pium et ad præstandum paratum, quia non obliviscitur misereri Deus, nec continebit in ira misericordias suas: ergo, quod supra diximus, si tertio die interrogatus responderit non transisse, item oleum mensis subtrahatur cum vino: ut multorum labore vel abstinentiæ cruciatione nullus pereat, sed omnes evadant; ut in afflictione omnium divinæ misericordiæ remedium speretur, ut apostolicum compleatur præceptum dicens: *Invicem onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI). Nam et frater mittendus in via a præpositis suis debet moneri, ut omni hora in quovis loco sit sollicitus adversus diabolum, qui in via secum nos vult trahere in gehennam: cum non patitur bene agendo in cœlis ascendere hominem, unde per [g] superbiam causam jactatus est. Ideoque debet servus Christi in quovis loco et etiam sine præsentia Majoris cautus consistere, et diligenter se tam a malis factis, quam a pravis cogitationibus observare. Et hoc debet frater moneri, ut, cum cogitatio aliqua ei adversa advenerit, mox flexis in terra cum cervice genibus, vel signo crucis in fronte depicto, precibus debet ad Dominum convolare, ut dignetur suos milites a diabolo defendere. Quia vitia nisi reprimantur cum parva sunt, cum magna fiunt non stringuntur. Et cum cogitata mala factis implentur, de perfecto peccato perfecta mors acquiritur.

§ IX. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 6).

Confessio quam crebra et sagaci cura sit danda multorum Patrum juxta scripturarum seriem traditio demonstravit. Danda ergo confessio semper est, ut veterascentem mentis statum, [h] et peccatorum tenebris quotidianis illecebris fuscatum, rudem custodiat, sicut Scriptura docuit dicens: *Omni custodia serva tuum cor, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV). Sic quippe beatus David orando dicebat: *Delictum meum cognitum tibi feci, et* [i] *injustitias meas non operui. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti* [j] *impietatem cordis mei* (*Psal.*

cœlo capitis nostri Jesu Christi signant. » Abbas autem hic complet orationem: quia olim hoc erat munus ejus, qui cæteris præeminebat. Walfridus Strabus, lib. de Rebus Ecclesiasticis, cap. 22: « Solebant enim non solum inter officia missæ, verum etiam in aliis orationibus, conventibus et collocutionibus, qui cæteris aderant eminentiores, brevi oratione opus concludere, quod et in sanctorum Patrum exemplis agnoscimus, dum alii alios honorificentiæ causa orationes colligere postulabant. » Quod satis patet ex citato textu S. Gregorii, ubi monachus Quadragesimum subdiaconum jubet concludere orationem. Formulæ collectarum diversæ erant. Quædam nostris utcunque similes, ut videre est in loco citato S. Epiphanii: « Quando autem complemus orationem secundum ritum mysteriorum, et pro omnibus, et pro te quoque dicimus: *Custodi illum qui prædicat veritatem.* Vel certe ita: *Tu præsta, Domine, et custodi, ut ille prædicet verbum veritatis.* » Aliæ minime, sed erant quædam Dei glorificatio in fine officii, ut constat ex Dynamio Patricio in Vita S. Maximi Reiensis episcopi: « Cum igitur ad ipsius arcis vestibulum suspenso me gradu contuli, atque illic beatissimos apostolos Petrum et Andream, ad complendam cum Maximo orationem alternis honoribus se prævenientes ego peccator audivi. Cumque tandem jugi oblationis compulsus beatus Maximus eos diutius differre non posset, his verbis complevit officium: *Sit gloria Dei benedicta in æternum et in sæcula sæculorum.* Reliquis respondentibus: *Amen.* »

[a] *Reprehendant.* Id est, rursus capiant.

[b] *Pœnitentia codicum.* Lege: *Pertinentia codicum.* Ita in Regula ms. Mag. et in conc. ms. Vind. id est, pertinentes codices.

[c] *In ipsa decada.* Decada, seu decas, aut Græce δεκάς est decania, decuria. Glossæ Cyrilli: Δεκάς δεκανία, decuria.

[d] *Mentionem.* Id est, Mendacium. Glossæ Philoxeni: *Mentio*, ἀνάμνησις καὶ ψεῦσμα, id est, recordatio et mendacium. Hinc mentiosus, id est, mendax. Lex Alaman. tit. 41, l. 1: « Qui nec mentiosus nec prævaricator, nec munerum acceptor sit. » Apud Papiam: *Mentiriosus, fallax, aut mendax*; lege: *mentiosus.*

[e] *Structum.* Ita in Regula ms. Magistri, id est instructum, ut strumentum pro instrumentum, de quo supra.

[f] *Nam si tertia, quod absit jam dictione.* In Regula ms. Magistri: *Nam si tertio, quod absit, jam dici ne*, recte; et subaudi, *interrogatus fuerit.* Ista, *quod absit jam dici*, usque ad illa verba: *Ergo quod supra diximus*, sunt intercludenda parenthesi.

[g] *Per superbiam causam.* Lege: *Per superbiæ causam.* Ita in Regula ms. Magistri et in cod. Vind. causa est culpa, reatus. De quo vocabulo infra.

[h] *Et peccatorum.* Copula *et* translata ante *quotidianis*, ponatur.

[i] *Injustitias meas non operui.* Ita in Psalterio Romano.

[j] *Impietatem cordis mei.* Juxta Psalterium Romanum et Septuaginta: Καὶ σὺ ἀφῆκας ἀσεβείαν τῆς

xxxi). [a] Quantum valet pura et non tarda confessio, ut sic secura eam subsequatur impetratio. [b] Confessus se, ut facinorum molem pelleret de se. Qui ingemuit confitendo, [c] glorificavit remissionem recipiendo; dolendo patefecit crimen, dando redintegravit spem. Non enim præcessit spei fiduciam, quia meminerat se olim per Spiritum sanctum a Domino illuminatus dixisse: *Quia apud te est propitiatio, et propter legem tuam sustinui te, Domine* (*Psal.* cxxix). Et iterum: *quia apud Dominum* [d] *misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (*Ibid.*). Apud quem misericordiam perennem agnoscit, apud eum copiosam et redemptionem. Quæramus ergo ibi misericordiam, ubi redemptionem manere jam novimus copiosam. Crescat dolor post ruinam, ut culpæ inveniatur medicina. Confiteamur invicem delicta, ut nostra nobis Omnipotens dimittat peccata. Sic nos Scriptura hortatur: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem* (*Jac.* v). Quanta clementis Judicis pietas erga nos diffusa dignoscitur, ut quod actibus ærumnosis facinus contractum fuit, mutua prece solvatur. Detur ergo mutuæ orationis solatium, ut invicem orando capiatur præsidium. Magna etenim copia fructum habet, quando ex revelatione delictorum salus acquiritur. [e] *Revela*, inquit Psalmista, *Domino viam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* xxxvi). Si revelando peccata nutritur anima, quotidiano ergo studio per confessionem revelentur, ut quotidiana medicina vulnera sanentur. Sed quibus horis congruentibus quotidiana delicta sunt abluenda, nobis inserendum est: [f] ut quid post completorium per opacæ noctis spatia mens vel caro per fragilitatem deliquerit, post secundam per confessionem curandum est expiari. Quidquid vero diurno actu, vel visu, auditu, cogitatu tepescendo deliquit, nonæ horæ expleto cursu, ut purgetur, censendum est. Post vero quidquid ab hora nona mens maculæ attraxerit; [g] ante completam confitendum est. Illud tamen abbas studere debet, ut post secundam, [h] scholam ingrediens, peracta oratione, nullum foras egredi permittat, nisi prius detur confessio: similiter et post nonam et ante completorium faciendum est.

§ X. — Ex Regula Donati (*cap.* 23).

Inter cæteras Regulæ observantias hoc magis tam juniores quam seniores monemus fratres, ut assidue et indesinenti studio tam de cogitatu quam de verbo inutili, vel opere, vel aliqua commotione animi confessio omnibus diebus, omnibus horis omnibusque momentis semper donetur, et Patri spirituali nihil occultetur. Quia statutum est hoc a sanctis Patribus, ut [i] detur confessio ante mensam, sive ante introitum lectorum, aut quandocunque fuerit facile. [j] Quia confessio pœnitentiæ de morte liberat. [k] Ergo nec ipsa parva [l] confessione sunt negligenda [m] cogitata, quia scriptum est: [n] *Qui parva negligit, paulatim defluit* (*Eccli.* xix).

§ XI. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 8).

Abbas vel præpositus, vel quilibet seniorum fratrum, cui ab abbate commissum fuerit, ut confessiones recipiat, crimina majora vel minora [o] nullatenus manifestet, nisi soli justo judici, qui omnium confitentium crimina lavat. Ille etenim qui confessus est sua vulnera verecunde; non ad opprobrium recipiendum, sed ad salutem redintegrandam confessus est,

καρδίας μου, id est, et tu remisisti impietatem cordis mei.

[a] *Quantum valet.* Est epiphonema.

[b] *Confessus se.* Lege *confessus est se.* Est autem hic homoioteleuton, id est, similiter desinens.

[c] *Glorificavit.* Supple *Deum.*

[d] *Misericordia est.* Ita in Psalterio Romano.

[e] *Revela Domino.* Locus contextus ex particulis psalmi liv et lvi.

[f] *Ut quid post completorium*, etc. Hic notanda est trina quotidie monachorum confessio. Quæ etiam erat in usu in monasterio S. Faræ, ut notat Jonas in ejus Vita: « Erat enim consuetudinis monasterii Regulæ, ut ter in die per confessionem unaquæque earum mentem purgaret. »

[g] *Ante completam.* Completa est completorium. Unde postea dicit: *Similiter et post nonam, vel ante completorium est faciendum.*

[h] *Scholam ingrediens.* Schola est conclave in quo monachi aliquid agunt, legunt et dormiunt. Concilium Turonense II, can. 15: « Nec liceat monachis cellas habere communes, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant aut abbate aut præposito gubernante. » Regula cujusdam Patris, cap. 12: « Focos vero in schola pœnitentes, si fuerint, bini per hebdomadas faciant. » S. Cæsarius Arelatensis, cap. 3 Regulæ: « De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate prioris. » Et in recapitulatione cap. 19: « et quia propter custodiam monasterii aliqua ostia sive in veteri baptisterio, sive in schola, vel textrina aut turre juxta pomarium clausi atque damnavi. » Tetradius, cap. 3 Regulæ: « Cellam peculiarem aut armariolum nullus habeat; in una schola omnes maneant. »

[i] *Ut detur confessio.* Hæc sumpta sunt ex Pœnitentiali S. Columbani circa initium: « Ut detur confessio ante mensam, ante introitum lectus, vel quandocunque fuerit facile dare. » Ubi legendum est, *sive ante introitum*, etc., quemadmodum legitur apud Donatum.

[j] *Quia confessio.* Ex Pœnitentiali ms. S. Columbani, ubi sic juxta cod. Flor. legitur: *confessio et pœnitentia*, etc.

[k] *Ergo nec ipsa parva.* Ex eodem Pœnitentiali consequenter: « Ergo nec ipsa parva a confessione sunt negligenda peccata, etc. »

[l] *Confessione.* Lege, *a confessione*, ut habetur in citato Pœnitentiali, et in codice Vindocinensi.

[m] *Cogitata.* In Pœnitentiali citato habetur, *peccata.*

[n] *Qui parva*, etc. Eccli. cap. xix. Ita in Pœnitentiali S. Columbani. In versione vulgata: *Qui spernit modica paulatim decidet*, in futuro, ut in textu Græco, πιπτει, id est, *decidet.* Tamen S. Hieronymus habet, *decidit*, in præsenti. In eos qui minima peccata negligunt sic invehitur S. Hieronymus in epist. ad Celantiam: « Neque vero eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimum Dei mandata faciant, quæque quasi vilia ac parva despiciant: nec metuunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant. » Ex re etiam parva neglecta aliquando magna mala oriuntur; et quod parvum erat, magnum fit. Unde illud cujusdam sapientis apud Dionysium Alexandrinum in epist. can.: Οὐ μικρὸν ἐν βίῳ τὸ παρὰ μικρὸν, id est, *non parum est in vita quod parum est*

[o] *Nullatenus manifestet.* Idem præcipit sanctus Benedictus, cap. 46 Regulæ.

justum habens testem Deum, a quo et mederi exspectat. Is vero senior qui recipit, cum gravitate et moderatione penes se occultando honestissime teneat, ne, dum alterius vulneri medicinam infundit, suæ mentis corrumpat nitorem. Nullus tamen monachorum confessionem recipere; vel pœnitentiam dare sine ordinatione abbatis præsumat. [a] Ne vitium commissum abbatem celetur, [b] sed ei omnia per notitiam agantur. Qui vero inventus fuerit, qui hoc propositum regulæ violare conetur, gravi pœnitentiæ sententia corripiatur. Quia delicti fomitem abbati voluit occultare.

§ XII. — [c] Quid factum sit in monasterio Evoriacas.

Denique duas quasdam sorores ejusdem monasterii antiquus hostis aggressus [est] quas noviores et imbecilliores conversatio reddebat, tentare compulit. Primum ut confessionem veram nequaquam ab ore promerent. Erat enim consuetudinis monasterii Regulæ ut [d] ter in die per confessionem unaquæque earum mentem purgaret. Quæ diu cum ab omni congregatione objurgarentur, et nequaquam eis correptio earum proficeret, ultione divina ambæ percussæ meritas luere didicere pœnas. Cumque [e] mater monasterii sæpe anxia quæreret quæ pœnæ foret occasio, et nullatenus veritatem valerent exprimere, hortatur iterato ut inter suoremas horas per confessionem facinus pandant. Cumque obdurata corda nihil remedii capere vellent, inter flagella clamare cœperunt : Sustinete paululum, sustinete, nec prorsus exspectantes urgete. Cumque aliæ inquirerent a quibus exspectare rogarent : Non aspicitis, inquiunt, turmas Æthiopum adventantium, quæ nos rapere, et abducere festinant? Cumque, terribile dictum! quæ aderant, mirarentur, audiunt fragorem supra cellæ tegumenta personantem, ostiumque cellulæ vi [f] patefactum; ita ut nigrescentes umbras cernerent, et voces crebro clamantes eas per omnia audirent, ita ut vix quæ aderant signo crucis armatæ ad psallendi officium valerent assistere. Tanti doloris atque mœroris eventu Mater urget ut per confessionem sua patefaciant vitia, et sic sacri corporis participatione roborentur. At illæ audita sacri corporis mentione garrire et fremere cœperunt dentibus et frendentes dicere : Cras, cras, sustinete; inter quas voces extremum halitum dimiserunt. Quas cum [g] in collegio sororum nequaquam sepeliri Mater monasterii ratum duxisset, segregatim humandas ac in extremo sepeliendas esse præcepit. Supra quarum tumulos [h] globus igneus in modum clypei intra triennium crebro apparuit, præsertim Quadragesimæ diebus usque in adventum sancti Paschæ, vel etiam in vigilia Natalis Domini ferventior apparebat. Simulque voces tumultuantis turbæ personabant, inter quas duæ ululantes

[a] *Ne vitium commissum.* Lege : *nec vitium commissum.* Nam hæc non intelliguntur de peccato confesso, sed de peccato manifeste coram fratribus perpetrato, qui hac constitutione tenentur illud abbati denuntiare. Et hoc membrum est ab antecedente distinguendum.

[b] *Sed ei omnia per notitiam agantur.* In Cod. Vind. : *Sed ejus omnia per notitiam agantur.* Sed τὸ *ejus* transpositum est, itaque lege : *Sed omnia per ejus notitiam agantur.*

[c] *Quid factum sit in monasterio Evoriacas.* Hæc historia habetur apud Jonam, in libro qui inscribitur Vita S. Burgundoforæ. Evoriacas monasterium est in saltu Brigensi diœcesis Meldensis; in Vita ms. S. Faronis dicitur *Eboriacus*, vulgo Faræ monasterium, a S. Fara prima abbatissa, Gallice *Fairmoustier.*

[d] *Ter in die.* Ex peculiari constitutione hujus monasterii. Nam in Regula S. Columbani, cui hoc monasterium erat obnoxium, non toties in die confessio danda præcipitur, ut ex supra dictis liquet.

[e] *Mater monasterii.* Quæ a Jona vocatur Burgundofora, sed legendum *Burgundiofara*, ut in citata Vita ms. S. Faronis vetustissima, quæ asservatur in monasterio S. Faronis : quia eadem est cum S. Fara, cujus meminit Beda lib. III Hist. Angl., c. 8. Dicitur autem Burgundiofara, quia ex Burgundia originem duxit, ut testatur Fulcoius Belvacensis, Meldensis subdiaconus, in altera Vita S. Faronis ms. ex bibliotheca ejusdem monasterii.

Binis sideribus fulsit Burgundia tellus
Agnerico, propria cum conjuge Leodegunda.
Fructum condignum duo sidera quattuor edunt
Faram, te, Faro, Walbertum cum Chanoaldo.

Imo et S. Faro ejus frater in priore Vita citata ms. dicitur Burgundofaro, et in privilegio monasterii S. Dionysii Burgundofar : *Burgundofar episcopus consensi.*

[f] *Patefactum.* Lege, *patefactum est*, ut in Jona edito.

[g] *In collegio sororum nequaquam sepeliri.* Mos fuit olim in monasteriis ut monachi, sive sanctimoniales, in eodem cœmeterio sepelirentur : ut quos vita conjunxerat, mors ipsa non separaret : S. Antiochus monachus in epist. ad Eustachium, ubi agit de monachis lauræ S. Sabæ, qui ab Ismaelitis fuerant trucidati : Περιπτύξας (Μόδεστος) τὰ ἅγια, καὶ κατατεθεὶς αὐτῶν λείψανα κατεθέτο ἐν ταῖς θήκαις τῶν πατέρων, id est, Et complexus (Modestus) sanctas et fortes reliquias in Patrum monumentis deposuit. Palladius in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis*, ubi agitur de sanctimonialibus quæ sub eorum cura erant : Διαφέρουσι ταύτην εἰς τὸ πέραν, καὶ θάπτουσιν εἰς τὰ μνήματα ἑαυτῶν, id est, Trajiciunt eam in alteram ripam, et sepeliunt in suis sepulcris. S. Isidorus, cap. 21 Regulæ : « Corpora fratrum uno sepelienda sunt loco, ut quos viventes charitatis tenuit unitas, morientes unus locus amplectatur. » Joan. diaconus, lib. I Vitæ S. Gregorii, cap. 15, de monacho proprietario : « Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur. » Idem videre est in Vita S. Eugendi abbatis, et in Vita S. Leutfredi cap. 25; apud S. Gregorium, lib. III Dialog., cap. 47; Bedam, lib. IV Hist. Angl., cap. 7, et apud Petrum Venerabilem lib. II de Miraculis, cap 27.

[h] *Globus igneus.* Non absimilis historia narratur a Baldrico lib. I Chron. Cameracensis, cap. 46, de quodam viro excommunicato a S. Theodorico episcopo Cameracensi, quod possessiones et prædia ecclesiæ depopulatus esset, nec sæpe monitus ab incursionibus cessaret; qui ipsam excommunicationem minimi ducens blasphemando teterrimam mortem obierat fusis per secretam naturam visceribus : « Porro manifesto divinæ animadversionis judicio, terra, quo sepulturæ locus ambiebatur, tribus per circuitum cubitis ab imo ita exarsit, ut ab occultis meatibus incendio emisso fatisceret : et cum id cernentibus mirum et formidandum esset, illud magis stupebant, quod per triennium in agro illo ros aut pluvia non cecidit, nec gramen apparuit. Expleto vero triennio, cum vir Dei nocte quadam per extasim in sublime raperetur, vidit miserum miro et formidando supplicio cruciari. »

erumpebant, prout in tormentis resonare solent : Væ mihi, væ mihi, væ mihi. Cernens itaque Mater monasterii justam sententiam a judice super injustas animas esse illatam, manifestius damnatarum est aggressa comperire sententiam, accedensque ad tumulum experimento quærit si cadavera, quamvis putredine corrupta, in sepulcro manerent. Itaque A menses sex, ex quo functa corpora condita fuerant, transierant. Reperit interius sepulcrum igne exustum, nec quidquam terræ residuum superesse cadaveris, præter favillam vestium. Mansitque per triennium illatæ sententiæ severitas, ut terror damnatarum timorem sodalium præberet remanentium.

CAPUT XVI.

DE SEXTO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Sextus humilitatis gradus est, [a] si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus; et ad omnia quæ sibi [b] injunguntur velut operarium malum se B judicet et indignum, dicens sibi cum Propheta : *Ad nihilum reductus sum, et nescivi; ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* XCII).

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 22).

[c] Exercitia humilitatis sunt si se vilioribus officiis subdat, et ministeriis indignioribus tradat. Ita namque arrogantiæ et vanæ gloriæ vitium curari poterit; ut consuetudine humilis effectus ultra jam non incidat in arrogantiæ et vanæ gloriæ delictum. Sed in singulis hujuscemodi vitiis cura similis adhibeatur.

§ III. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 42).

[d] Omni vilitate contentus sit monachus, et ad omnia quæ ei [e] prædicentur velut operarium malum se judicaverit et indignum.

[a] *Si omni vilitate.* Nempe in potu, cibo, vestimento, calceario et quocunque opere injuncto. Tunc beatus vir monachus, qui nihil excellens judicat, nisi id quod cum humilitate conjunctum est ut S. Dositheus, qui viles tantum cibos expetebat, piscium capitibus et similibus ægrotorum reliquiis contentus (*S. Doroth. in ejus Vita*). Porro hujus gradus mentio fit apud Joan. monachum lib. II de Vita S. Odonis : « Videlicet cum in sexto humilitatis gradu præcipiat beatus Benedictus ut omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus. »

[b] *Injunguntur.* Reg. ms. Magistri, *præbentur.* C

[c] *Exercitia.* Hæc habentur apud sanctum Basilium, interrog. 198 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 41, non eisdem verbis : ita ut auctor noster voluerit hoc loco sensum referre, non verba, maxime cum hanc interrogationem seu caput contraxerit.

[d] *Omni vilitate.* Exstat apud Cassianum, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, ubi hic gradus, seu signum, ut ille appellat, ponitur septimo loco. Hic autem particula *si* desideratur, et legendum, *si omni*, etc., ut apud Cassianum, loco citato ; alioqui sensus vacillaret.

[e] *Prædicentur.* Lege, *præcipiantur.* Ita apud Cassianum.

CAPUT XVII.

DE SEPTIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Septimus humilitatis gradus est, [a] si se inferiorem et viliorem [b] non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians

[a] *Si se omnibus inferiorem.* Hunc locum tangit Haymo Halberstattensis, lib. I de Varietate, cap. 32 : « Humilitas quidem hæc est, ut omnes homines æstimemus superiores nobis, et omnibus nos inferiores et viliores non solum humili pronuntiemus sermone, sed etiam intimo credamus cordis affectu. » Non dissimilis est sancti Basilii doctrina interr. 198 Regul. brev., ubi sic humilitatem definit : Ταπεινοφροσύνη μέν ἐστι τὸ πάντας ἡγεῖσθαι ὑπερέχοντας ἑαυτοῦ, id est, humilitas est omnes seipso superiores existimare. Et in Ammonitionibus : « Humilis autem e contra omnes terrenos respuens honores ultimum se judicat omnium. » Nec sanctus Ambrosius abscedit lib. II de Offic., cap. 27 : « Hæc est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet. » Subscribit sanctus Isidorus cap. 3 Regulæ : « Nemo cæteris se judicans meliorem, sed inferiorem omnibus deputans tanto humilitate clarescat, quanto plus cæteris culmine virtutum coruscat. » Et lib. V Sententiarum, cap. 20 : « Tunc enim se quisque monachum judicet, quando se minimum judicaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit. » Eamdem humilitatem de monachis Legerensibus prædicat sanctus Eulogius martyr epistola ad Willesindum Pampilonensem episcopum : « Florebat in nonnullis perfecta charitas : plerosque alto culmine extollebat humilitas, qua se unusquisque juniore inferiorem reputans imitator fieri præceptorum Dei contendebat. » D

[b] *Non solum sua lingua.* Nota quia nonnulli ad nauseam usque se ore tenus deprimunt, et importunius imperfectiones suas commemorant, sed nihilo humiliores sunt. Nam, ut præclare monet sancta Theresia a Jesu, plerumque accidit ut ex consuetudine suas imperfectiones divulgandi, tantum sit in ore, non in corde humilitas quam etiam sancta illa mater apposite satis uncinam appellat : quod ejusmodi homines verbali hac sui demissione veluti unco famam et gloriam ad se pertrahant. Sed occasio, quales sint, cito manifestat, cum videlicet ab aliis spernuntur ac deprimuntur; tunc enim aliter quam si agitentur a furiis inquietantur. Adeo ejusmodi cauponatores intemperiæ vexant. Quidam gestu et fracta voce humilitatem simulant, quod fugiendum esse docet sanctus Hieronymus epist. ad Celantiam : « Humilitatem sequere, non quæ ostenditur ac si

se et dicens cum Propheta : *Ego autem sum vermis et non homo : opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXI). *Exaltatus et humiliatus sum et confusus* (*Psal.* LXXXVII). Et item : *Bonum mihi, quia humiliasti me,* [a] *ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII)

§ II. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 42).

[b] Semetipsum cunctis inferiorem non superficie labiorum pronuntiet monachus, sed intimo cordis credat affectu.

§ III.—Sancti Augustini, de eo quod scriptum est : *Invicem onera vestra portate* (*Gal.* V).

[c] Illud cogitandum nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, etiamsi lateat, in quo mulatur gestu corporis aut fracta voce verborum. »

[a] *Ut discam mandata tua.* Ita in Regula ms. Magistri juxta textum Hebraicum חקיך *chechem*, id est mandata tua. In Psalterio Romano et in editione vulgata habetur τὸ *justificationes tuas*, secundum Septuaginta.

[b] *Semetipsum.* Exstat apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, poniturque octavo loco, atque ita incipit : *Octavo si semetipsum.*

sine dubio [d] possit esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam et edomandam superbiam valet. [e] Nec arbitreris quoniam bona tua eminent, et apparent, et ideo alterum nulla habere, quæ lateant fortasse, majoris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim fallit nos adulatione potius quod Apostolus jubet, cum dicit : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in humilitate mentis alter alterutrum existimantes superiorem sibi* (*Phil.* II). Non hoc itaque debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus : sed vere existimemus posse esse aliquid occultum in alio quo [unde] nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

[c] *Illud cogitandum.* Exstat apud sanctum Augustinum, lib. LXXXIII Quæst., quæstione 71.

[d] *Possit esse.* Apud sanctum Augustinum, *possit te esse.*

[e] *Nec arbitreris*, etc. Idem sanctus Augustinus, libro de sancta Virginitate, cap. 52 : « Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. »

CAPUT XVIII.

DE OCTAVO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Octavus humilitatis gradus est, [a] si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla.

[a] *Si nihil agat monachus.* Maxima humilitas est Regulæ statutis inhærere, et seniorum suorum vestigia premere, neque ea sincipitis sui nebulis postponere, nec Regula et majorum exemplis prætermissis altiora quædam venari, quibus apud juniores et imperitos fama acquiritur ab immeritis, imo apud prudentes sæpe, nisi forte sint limatioris et emunctioris sagacitatis. Nam communem vitam et Regulam transcendentia eo clariora, quo rariora; quæ sane majorem admirationem pariunt quam ea quæ trita sunt et vulgaria. Et ex hoc nimio sanctimoniæ fulgore, qui fratrum hebetat aciem eorumque perstringit oculos, quominus ejusmodi hominum maculæ et nævi appareant, omnium ordinum religiosorum natus est interitus, cum in abbates et prælatos, non ii qui sapientia præeminerent, sed qui præfulgerent, electi sunt. Testis est Pontius in ordine Cluniacensi, testis Elias in seraphica S. Francisci religione, qui quia plus fulgoris quam virtutis habebant, cum in suorum ordinum prælatos electi sunt, disciplinam regularem non mediocriter labefactarunt. Neque hic loquor de hypocritis, quorum certa est apud Deum damnatio; sed de iis qui nescio quo sesamo et sale suas actiones aspergunt et condiunt, ut plus famæ una aut altera virtutis actione sibi conciliant quam alii sexcentis. Quamobrem iis quos Deus vocat ad austeriora, quam Regula præscribat, amplectenda, duo potissimum præstanda sunt, nempe ut regulam ad amussim observare studeant, et ea quæ duriora et acerbiora suscipiunt, cæterorum fratrum oculis, quantum fieri potest, minime subjiciant, ne iis admirationis ansam præbeant, sibi vero interitum parent. Addit præterea sanctus Benedictus majorum sive seniorum vestigiis insistendum, quia seniores ex longo vitæ regularis usu sunt in ea magis confirmati, et, ut ait D. Hieronymus, *Bos lassus fortius figit pedem.* Inest etiam in eis morum gravitas et maturitas, animi motus pacatiores, carnis ardor et cæterorum sensuum pene sopitus; nec præcox, ut in juvenibus, sed concocta prudentia. Sunt præterea veteris disciplinæ, regularis observantiæ, et eorum quæ ab antiquis Patribus statuta sunt, tenaciores, quod summum est in vita religiosa bonum. « Neque enim milites (inquit Marcus philosophus imperator in epistola ad suum præfectum, apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio) regi possunt nisi vetere disciplina. Scis enim versum a bono poeta dictum :

« Moribus antiquis res Romana, virisque. »

At contra juniores quolibet objecto bono inconsiderate trahuntur, bonum quidem amplectentes, sed an id expediat, ignari : eoque periculosius, quod illius gratia sæpe a communi Regula monasterii et majorum declinent exemplis. Nec id nos movere debet, si plus fervoris sæpe in junioribus lucet. Nam etsi nummus aureus recens cusus plus fulgoris habet quam vetus, non tamen ideo majoris est pretii : vinum novum etsi vetere jucundius sit ad gustum, non tamen æque facit ad stomachum. Verum cum sanctus Pater Benedictus proponat majores et seniores imitandos, dent illi operam ut habeant in se quod juniores imitentur. Ad quod ut divino quodam calore accendantur, huc producam quæ habet Faustus Reiensis, serm. ad monachos : « Major quanto senex, tanto plus debet studere ædificationi et perfectioni. Nullum sibi finem faciat proficiendi, nullumque terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat : Para in exitu opera. Et iterum : Non verearis usque ad mortem justificari. Et iterum : Sapientia in senectute canetur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto plus profecimus. Nullus ille senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non decet obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim et obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus vero dignitas. Ille enim bene consummavit, qui quotidie sic egit, quasi qui semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta debent esse perfectuum. » Sit ergo senior obedientiæ sectator, ut junior sit ejus imitator.

§ II. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 42) [a]. Si nihil agat monachus, nihil præsumat quod non A vel communis regu'a, vel majorum cohortantur exempla.

[a] Lib. IV de Instit., cap. 3

CAPUT XIX.

DE NONO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, et taciturnitatem habens [a] usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura quia *in multiloquio* [b] *non effugietur peccatum* (*Prov.* x). Et quia, *vir linguosus non dirigetur* [c] *super terram* (*Psal.* CXXXIX).

§ II. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 29).

Ut loquendi temperantiam monachus in omni locutione teneat : propter quod dicit Scriptura : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x). Et ite-

[a] *Usque ad interrogationem.* Lex fuit antiqua monasteriorum ut monachus, nisi interrogatus et jussus, non loquatur. Fructuosus episcopus, cap. 12 Regulæ : « Coram seniore suo prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat vel loquatur. » Fructuosus abbas, cap. 5 Regulæ : « Nihil loqui, nisi ad interrogata. » Magister, cap. 8 Regulæ : « Tandiu in taciturnitate sileant, quandiu taciti frena oris eorum abbatis interrogatione laxentur. » S. Ferreolus, cap. 29 Regulæ : « Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi præsentia abbatis vel etiam alterius senioris imponat : ita ut nisi interrogatus ab eo vel jussus silentium inrumpere non præsumas. » Regula quorumdam Patrum : « Illud quoque observandum est, præsente seniore quocunque, vel præcedente in ordine psallendi non habeat facultatem loquendi. »

[b] *Non effugietur.* Ita legunt S. Dunstanus, Smaragdus, Turrecremata, editio Coloniensis et mss. S. Ebrul. et S. Far.; ita apud Magistrum, cap. 8 suæ Regulæ in hoc ms. Concordiæ. In Corbeiensi legitur, *effugitur.* S. Ferreolus et regulæ excusæ passim le-

rum in Evangelio : *Noli multum loqui, sicut ethnici* (*Matth.* VI). Habetur etiam in Psalmo : *Vir linguosus non dirigetur super terram* (*Psal.* CXXXIX). [d] Quisquis ille frater, sint pauci sermones tui. Nec hoc tantum, sed etiam taciturnitatem tibi præsentia abbatis, vel B etiam alterius senioris imponat : ita ut nisi interrogatus ab eo vel jussus silentium [e] irrumpere non præsumas, obediens Scripturæ, quæ dicit : [f] *Priusquam audias, ne respondeas, et in medio seniorum noli te injicere* (*Eccli.* XI). Quod etiam in convivio apertissime pronuntiamus esse servandum.

gunt, *effugies*, quemadmodum et Regula Magistri in col. Corb. hoc capite de humilitate. Quæ quidem lectio prævalere videtur. Nam supra capite de Taciturnitate legitur, *non effugies;* idque juxta Septuaginta : οὐκ ἐκφεύξῃ ἁμαρτίαν, id est, non effugies peccatum.

[c] *Super terram.* Ita in psalterio Romano et apud S. Ferreolum. In versione communi, textu Hebræo et Græco, *in terra.*

[d] *Quisquis ille frater.* Supple *sis*, id est, qualis sis; perfectus, sive imperfectus; senior, sive junior.

C [e] *Irrumpere.* Id est, rumpere. Eodem sensu dixit Tertullianus, *irrumpere legem*, id est rumpere legem, lib. IV adversus Marcionem : « Et cui credibile, ut mulier nullius adhuc Dei conscia, nullius adhuc novæ legis initiata, legem irrumperet eam, cui adhuc tenebatur : qua denique fide corrumpit? »

[f] *Priusquam audias.* Ecclesiastici cap. XI, ubi versio communis ita habet : *Priusquam audias, ne respondeas verbum; et in medio seniorum ne adjicias loqui*

CAPUT XX.

DE DECIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Decimus humilitatis gradus est si [a] **non sit facilis** D ac promptus in risu : quia scriptum est : *Stultus in risu exaltat vocem suam* (*Eccli.* XXI).

[a] *Non sit facilis.* Humilitatis signum est, seu gradus, non facile ridere : quia, *cor stultorum, ubi lætitia.* Superbus facile ridet quia, cum se justum credat, vix compunctioni studet. Itaque, quantum fieri potest, monacho a risu est temperandum. Christus enim nos ad fletum vocavit, non ad risum, cum dixit : *Beati qui lugent.* Quamobrem præclare dicit S. Ephrem Parænesi 46, ad Eugenium : « Risus instar veneni novitio abest, et monacho quoque inutilis. Nam illos qui lugent et nunc plorant beatificat Dominus. » Perniciosus sane monacho risus, virtutis et disciplinæ corruptela. Salvianus lib. II de Providentia : « Fletus compunctio est animæ, risus corruptio disciplinæ. » S. Basilius in Ammonitionibus : « Nullum habebit accessum cor ad compunctionem, ubi fuerit immoderatus risus ac jocus; ubi autem fuerint lacrymæ, ibi spiritalis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat. » S. Antiochus homil. 125 : Πολλὰ γάρ εἰσι ἐξ αὐτοῦ τιτρωσκόμενα ἄτοπα καὶ διαβολικὰ πάθη, τῶν γὰρ ἀφρόνων ἐστὶ γέλως, id est, multa enim ex eo (risu) gignuntur insulsæ et diabolicæ passiones. Stultorum enim est risus. Subscribunt Paulus et Stephanus cap. 37 Regulæ : « Nam risum supra modum quis nesciat indisciplinationis et levitatis esse januam, per quam perniciosos cibos miseræ animæ diabolus subtiliter subministrat. » Ubi nota risum esse stultitiæ et levitatis signum. Ita etiam docet S. Isaias abbas oratione tertia : « Ne aperueris. » S. Basilius in Ammonitionibus : « Noli dissolutis labiis risum proferre; amentia namque est cum strepitu ridere. » Est etiam risus lasciviæ et impudicitiæ signum, ut recte monet S. Leander libello de Institutione Virginum, cap. 11 : « Quale sit cor virginis, plerumque in risu monstratur. Neque enim impudenter virgo rideret, si cor castum haberet : speculum cordis facies est hominis Non ridet lascive, nisi quæ corde lasciva est. *Ex abundantia enim cordis*, ait Dominus, *os loquitur;* ex abundantia vanissimi pectoris ridet facies virginis. » Quare, ut concludam cum S. Hieronymo in epist. ad Demetriadem, « Ridere et rideri sæcularibus linque : gravitas personam tuam decet. » Quæ omnia de risu multo et excusso intelliguntur.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 54).

Interrog. [a] Si ex [b] toto ridere non licet? — *Resp.* Cum Dominus eos qui nunc rident, condemnet, manifestum est quia nunquam tempus est risus fideli animæ. Et maxime, cum tam plurimi sint qui per prævaricationem legis, Deum non honorent, et in peccatis suis moriantur, pro quibus utique contristari indesinenter convenit et lugere.

§ III. — Ex Regula sancti Ferreoli episcopi *cap.* 24).

Conveniens etiam hoc credo monachis, ut risu, etsi non assidue, frequenter tamen abstineant. Unde si exemplum legens fratrum quisque requiret, hoc solum ei sufficiet, quod Dominum nostrum Jesum Christum, Evangelio teste [c] flevisse legimus (*Joan.* xi), risisse nescimus, tristatum fletibus, risibus non solutum. Attamen, ne quispiam dicat nullum nos præter hoc habere testimonium lectionis, Salomonem dicentem audiat : *Risus dolore miscebit, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* xiv). Et iterum : *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* [d] *Cor sapientis ubi tristitia est; cor stultorum, ubi lætitia* (*Eccli.* vii). Et iterum : *Stultus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite* [e] *subridebit* (*Eccli.* xxi). Quicunque ergo ille in congregatione constitutus, ut assolet, aut mente juvenis aut ætate risibus non parcet, joca non fugerit, quid aliud nisi [f] publicanum commutat ex monacho; qui in civitatibus [g] amplius populosis hanc sibi tantum operam deputant vacare jocis, risibus et cachinnis specialiter. Tamen hoc cunctos moneo, servandum mando atque constituo, ut quotiescunque lectio animabus Deo deditis opportune in ecclesia vel in [h] refectorio, aut quolibet in loco publice recitatur, nullus in risu aut moveatur, aut moveat; similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant. Quod si quis non custodierit, præsenti denuntiatione commonitus triduani eum jejunii mulctatio castiget. Quod triduum neminem volumus sub uno adimplere jejunio, sed terna jejunia vesperina jubemus quotidie refectione distingui. Hoc etiam de reliquis jejuniis, quibus regulæ culpabiles corrigantur, statuimus observari : ita tamen si in reo quolibet abbas superbiam duritiamque non viderit.

§ IV. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 47).

[i] Non sit facilis et promptus in risu monachus; talibus namque indiciis et his similibus humilitas vera dignoscitur.

[a] *Si ex toto ridere non licet.* Hunc locum videre est apud S. Basilium interrog. 31 Regul. brevium et apud Rufinum, c. 37.

[b] *Si ex toto.* Apud Rufinum additur, *corde*. Sed male et contra sensum; et in textu Græco est tantum, καθόλου, id est ex toto, omnino.

[c] *Flevisse legimus*, etc. Ita S. Salvianus episcopus lib. v de Providentia : « Scilicet Christus reliquit exemplum, quem flevisse legimus, risisse non legimus. » Humbertus discipulus S. Bernardi non ridebat, teste eodem S. Bernardo in oratione ejus funebri. Ex ethnicis Anaxagoram Clazomenium nunquam ridere visum, nec omnino subridere, atque etiam Aristomenem valde a risu abstinuisse lib. viii de Varia Hist., cap. 13, refert Ælianus. Crassum avum illius Crassi, qui bello Parthico peremptus est, nunquam risisse narrat Plinius lib. vii, cap. 19, atque inde ἀγέλαστον, id est, risu abstinentem vocitatum fuisse. Polyzelum Cyrenæum nunquam risisse, idemque nomen *Agelasti* adeptum fuisse refert Ptolemæus Hephestion apud Photium in Bibliotheca, n. 190, sed in ejusmodi paganis abstinentiam a risu potius ex nimia bile, aut aliquo naturali defectu, quam ex virtute natam esse credendum est.

[d] *Cor sapientis.* Ecclesiastici vii, ubi in communi versione est, *cor sapientium*, juxta textum Hebraicum et Græcum.

[e] *Subridebit.* Juxta textum Græcum, μειδιάσει, quod idem sonat.

[f] *Publicanum.* Ita in cod. Vind.; sed quid sibi velit hæc vox hoc loco, haud satis capio; sed legendum puto, *planum*. Planus Latine, ut Græce πλάνος, est scurra, circulator, deceptor, impostor, præstigiator. Horatius lib. i epist., ad Scævam.

> Nec semel irrisus triviis attollere curat
> Fracto crure planum.....

Juvencus lib. iv Hist. Evang.

> Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat
> Vulgari semper jactans promittere plebi.

Tertullianus lib. iii contra Marcionem : « Et adeo non qua alterius Dei, Christum aversati persecutique sunt, sed qua solummodo hominem, quem planum in signis et æmulum in doctrinis existimabant : » et infra : « Sed nec effectum consilii hujus invenis; cum facilius aut suum crediderint Christum, aut planum potius aliquem quam alterius Dei Christum. »

[g] *Amplius populosis.* Ita in cod. Vindocinensi. Xenophon lib. i de Cyri institutione appellat πολυανθρώπους, id est, populosas.

[h] *Refectorium.* Est cœnaculum, triclinium in quo edunt monachi vel canonici. Additio i Capitul. Ludovici imperatoris, tit. 52 : « Laicus causa manducandi aut bibendi in refectorium non ducatur. » Capitularis Caroli Regis, tit. 16 : « Canonici in civitate vel in monasteriis in dormitorio dormiant, et in refectorio comedant. » Græci appellant ἀριστήριον apud Joan. Moschum, cap. 166.

[i] *Non sit facilis.* Lib. iv Instit., cap. 29.

CAPUT XXI.

DE UNDECIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Undecimus humilitatis gradus est, si, cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur, [a] et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: [b] *Sapiens verbis innotescit paucis.*

[a] *Et non sit clamosus in voce.* Nam superbi, ut notat S. Prosper lib. iii de Vita contemplativa, cap. 8, clamosi sunt in loquendo.

[b] *Sapiens verbis*, etc. Hic locus in tota Scriptura non habetur, sed exstat in sententiis Sixti, sententia 434. Unde illud, *Scriptum est*, non semper de sancta Scriptura intelligitur, ut supra notavi.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 130).

Interrog. [a] Si licet ei qui ministrat, majore voce, vel cum clamore eloqui?—*Resp.* Vocis mensuram definit audiendi modus. [b] Si ergo brevior fuerit et compressior vox quam res poscit, prope est ut murmur potius vel susurratio videatur quam sermo. Si vero major sit quam res requirit, cum possit audire ille cui loquimur, etiamsi lenius loquamur, jam non erit vox, sed clamor, quod est [c] notabile : nisi forte gravior sit auditus ejus cui loquimur, et necessitas nos cogat ad clamandum. Propterea enim de Domino scriptum est : *Quia Jesus clamabat dicens : Si quis credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit* (*Joan.* XII). Clamare enim dicitur pro his, quorum interior auditus surdus et obduratus erat.

§ III. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 8).

[d] Cum loquuntur monachi, [e] definitum est, ut lenta et silens vox esset, juramento et mendacio carens; [f] nec fraudem studens, neque multiloquium diligens, murmurationem omnino et contradictionem et rancorem nesciens, vituperare et [g] judicare indemnem alium pertimescens.

[a] *Si licet ei qui ministrat.* Reperitur apud sanctum Basilium, interr. 151 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 69.

[b] *Si ergo brevior fuerit*, etc. Idem docet epist. ad sanctum Gregorium Theologum : Τόνος δὲ φωνῆς ὁ μέσος προτιμητέος, ὡς μήτε διαφεύγειν τὴν ἀκοὴν ὑπὸ σμικρότητος, μὴ φορτικὸν εἶναι τῷ μεγέθει τῆς διατάσεως, « id est, vocis porro intentio mediocritate temperanda est, ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosa radat offensione. »

[c] *Notabile.* Id est, reprehensione et censura dignum.

[d] *Cum loquuntur.* Habetur in Regula ms. sancti Fructuosi episcopi Bracarensis Cod. Crassensis, eodem cap. 8.

[e] *Definitum est.* Hæc verba desunt in reg. ms., sed sunt ex hoc codice Concordiæ supplenda.

[f] *Nec fraudem studens.* Ita in Regula ms. recte.

[g] *Judicare indemnem.* Id est, judicare innocentem.

CAPUT XXII.

DE DUODECIMO GRADU HUMILITATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Duodecimus humilitatis gradus est, [a] si non solum corde monachus, [b] sed etiam ipso corpore humilitatem [c] videntibus se semper indicet; [d] id est, in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans [e] inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, [f] reum se omni hora de peccatis æstimans jam se tremendo judicio repræsentari æstimet. Dicens sibi in corde semper illud, [g] quod pu-

[a] *Si.* Regula ms. Magistri, *si etiam.*

[b] *Sed etiam ipso corpore.* Apud sanctum Dunstanum hæc verba sunt post τὸ *monachus.* Pronomen, *ipso*, deest in editione Coloniensi et in vulgatis : habetur tamen in Regula ms. Magistri, in veteri editione Parisiensi, et apud Smaragdum.

[c] *Videntibus.* Quia debent lucere opera nostra bona coram hominibus, juxta Christi doctrinam. Id etiam præclare docet sanctus Valerianus serm. de bono disciplinæ circa finem : « Omnis igitur vita religionis professæ integritatis debet famam sentire : ne, quem exspectat corona virtutis, pudoris damno feriat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat, ut manente utriusque partis beneficio immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Sed in hoc sæculo constat conversationis nostræ ratio, ut boni simus. Laborandum est igitur ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. Nam, quamvis homo purum corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam apud Deum portat, cujus actus vultum infamat, licet sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere : sed quanto melius est, ut semper de te sentiat bene, qui circa januam tuam vanis suspicionibus semper ægrotat. Insitum est quidem naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. Sed tu, qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit, ut sit omnibus nota : integritas religioni, pudor serviat humilitati. » Præclara sane doctrina. Quamobrem humilitatem non solum in corde teneamus, sed etiam in corpore geramus, ut proximus ædificetur. Actus internos Deo, externos proximo debemus : luceant opera nostra, ut mens proximi illuminetur. Nec vana gloria timenda est, si, ut in corpore, sic humilitas teneatur in corde.

[d] *Id est in opere Dei.* Sic in Regula ms. Mag. et in vetusta editione Parisiensi. Vulgo tamen vocabulum *Dei* desideratur; et recte quidem : nam subjungit sanctus Benedictus, *in oratorio.* Sanctus Dunstanus hæc vocabula, *in opere Dei*, non agnoscit.

[e] *Inclinato sit semper capite.* Idem præcipit sanctus Basilius epist. ad sanctum Gregorium : Ἕπεται δὲ τῷ ταπεινῷ καὶ καταβεβλημένῳ φρονήματι ὄμμα στυγνὸν καὶ εἰς γῆν συνεστυκός, id est, consentaneus humili et abjecto oculus tristis, et deorsum vergens quod observabat sanctus Odo abbas Cluniacensis : « Intantum, inquit Joannes monachus lib II Vitæ illius, apud usus inoleverat regulæ, ut ubicunque esset, sive stans, sive ambulans, aut sedens, curvato capite, defixisque in terram luminibus incederet. »

[f] *Reum de peccatis suis.* Qui vere humilis est, sibi semper peccata sua ob oculos ponit. B. Isaias abbas dicere solebat humilitatem nec linguam habere, qua de aliquo negligente et improbo loqueretur; neque oculos, qui us aliorum peccata perspiceret; neque aures, quibus ea quæ animæ suæ non prodessent, audiret; nihil denique habere negotii, nisi cum peccatis suis.

[g] *Quod publicanus ille.* Proponitur exemplum publicani : quia se huic similem cognoscit humilis. Qui se fatetur peccatorem, longe a se Pharisæi fastum amolitur, cujus superba oratio ad thronum Dei non pervenit : sed publicani humilis deprecatio. Unde præclare Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmenianum, hunc Evangelii locum enarrans : « Pharisæus, tumidus, superbus, inflatus, talis quales et vos videmus, non humiliato corpore, non inclinata cervice, sed erecta facie et tumenti pectore : *Gratias tibi* (inquit), *Deus, quia nihil peccavi.* Hoc est dicere Deo : Non habeo, quod ignoscas. Hoc insanus furor, hoc punienda et damnanda superbia. Deus paratus est ignoscere, et reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis hominem se

blicanus ille evangelicus fixis in terram oculis A [a] dixit : *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad cœlos* (*Luc.* XVIII). Et item cum Propheta : [b] *Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* CXVIII). Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foris mittit timorem. Per quam universa, quæ prius non sine formidine observabat absque ullo labore et [c] velut naturaliter, et consuetudine incipiet custodire : non jam timore gehennæ, [d] sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum, quæ Dominus jam [e] in operarium suum mundum a vitiis et peccatis [f] Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

§ II.—Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 8).

[g] In gressu monachi ita definitum est, ut [h] nullos B strepitus, neque saltus amplos tensis passibus faceret, nec alibi, dum pergunt, aspicerent, nisi ante vestigia sua.

§ III.—Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 42).

[i] Hæc i cum fuerint in veritate possessa, confe-

esse cognoscens sic rogavit dicens : *Propitius esto peccatori;* sic justificari meruit. Sic superbia in Pharisæo magistro vestro de templo damnata descendit. Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » Cui quadrat illud Prosperi in Sententiis, c. 118 : « Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. »

[a] *Dixit : Domine, non sum dignus*, etc. Miror sane : quia in toto Evangelio nunquam repereris hæc verba dicta a publicano, sed tantum ista Luc. XVIII : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Verum non ea C quæ in Evangelio dicta sunt a publicano protulit S. P. Benedictus, sed ea quæ ille, vel quispiam ei similis dixisse præsumi potest : præsertim cum hoc de illo dicat sanctus Lucas : *Et publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Ad quæ verba respexisse videtur sanctus Benedictus. Aut certe dicendum est citasse ex memoria, non ex codice.

[b] *Incurvatus sum*, etc. Ita in psalterio Romano, psal. CXVIII.

[c] *Velut naturaliter et consuetudine.* Ita loquitur, quia ipsa consuetudo veluti in naturam transit, monet sanctus Isidorus Pelusiota epist. 136 : « Consuetudo quid magnum et in naturam abit paulatim : Alteram esse naturam quidam affirmant : alii etiam consuetudine superari naturam illud veteris poetæ adhibentes effatum :

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδέλεχουσα.

Id est,

Gutta cavum reddit saxum, dum decidit usque. D

Et vere quid saxo durius? Quid aqua mollius? Attamen ictu assiduo naturæ vincitur duritiei? » Difficilis quidem res humilitas, sed quotidiano et assiduo humiliationis usu tandem acquiritur.

[d] *Sed amore Christi et consuetudine.* Regula ms. Magistri : *Sed amore ipsius consuetudinis bonæ.*

[e] *In operarium suum.* In Regula ms. Magistri : *per operarium suum.*

[f] *Spiritu sancto.* In Regula ms. Magistri : *ab Spiritu sancto.* Quod mihi arridet. Et ita conjunge : *Mundum a vitiis et peccatis ab Spiritu sancto.*

[g] *In gressu monachi.* Hic textus mutilus est, sed ita restituendus ex cod. ms. Crassensi : *In habitu quoque et gressu monachi ita definitum est, ut nulla diversitas esset : sed omnes cultu vestimentorum non vario, sed uno et sincero manerent. In gressu nullos*, etc. In cod. Vindocin. legitur : *in ingressu.* Nam ingressus est incessus, ingredi incedere sæpe apud Tul-

stim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore [k] perducit : pro qua universa quæ prius non sine pœna formidinis observabas, absque ullo labore velut naturaliter incipies possidere : non jam contemplatione judicii, vel timoris illius, sed amore ipsius boni et delectatione virtutum. [l] Ad quod ut valeas facilius pervenire, exempla tibi sunt institutionis ac vitæ perfectæ in congregatione commoranti paucissima ab uno vel duobus, non a pluribus expetenda. Nam præter id quod examinata et ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc utilitatis accidit, quod ad perfectionem propositi hujus, id est, cœnobialis vitæ diligentius quis unius imbuitur ac formatur exemplo.

§ IV.—*Ejusdem* (*cap.* 43).

[m] Quæ omnia ut possis consequi, et sub hac regula spiritali perpetuo perdurare, tria hæc in congregatione necessaria custodienda sunt tibi, ut scilicet secundum psalmi sententiam : *Ego autem sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; factus sum sicut homo non audiens, et non ha-*

lium et etiam apud sanctam Scripturam.

[h] *Nullos strepitus atque saltus amplos*, etc. Incessus indecens et gestus incompositus haud decent monachum. S. Isidorus cap. 3 regulæ suæ : « Indecenter quoque vel notabiliter non incedat. » Ista enim sunt superbi, arrogantis ac audaciæ perditæ hominis, ut videre est apud S. Joan. Chrysostomum, serm. 20, in Epist. ad Romanos, qui ejusmodi hominem sic interpellat : Τί γὰρ, εἰπέ μοι, τὸν αὐχένα ἀνατείνεις; τί δὲ βαδίζεις ἐπ' ἄκρων ἴχνων; τί τὰς ὀφρῦς ἀνασπᾷς; τί τὸ στῆθος φυσᾷς; Id est, Dic mihi, cur enim collum sursum attollis? cur summis unguibus ambulas? cur supercilia contrahis? *cur* pectus distendis? Quomodo ergo incedendum sit monacho, ita docet S. Basilius, in epist. ad S. Gregorium Theologum : Καὶ τὸ βάδισμα μήτε νωθρὸν, ὡς ἐλέγχειν τῆς ψυχῆς κατηγορεῖν, μηδ' αὖ σφοδρὸν καὶ σεσυρμένον, ὡς ἐμπλήκτους αὐτῆς τὰς ὁρμὰς ὑποφαίνειν, id est, Incessus esto nec segnis, qui animum dissolutum declaret; nec rursus vehemens insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet.

[i] *Hæc cum fuerint*, etc. Habentur apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 39, ibi tanturque ab auctore nostro, saltem quoad medium hujus capituli partem ob hæc S. Benedicti verba : *Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis*, etc.

[j] *Cum fuerint.* Lege, *cum fuerit.* Nempe humilitas. Nam immediate antea dixit : *Talibus namque indici s et his similibus humilitas vera dignoscitur.*

[k] *Perducit.* Lege *perducet*, ut apud Cassianum.

[l] *Ad quod ut valeas facilius pervenire.* Cap. seq. ejusdem libri. Hæc doctrina Cassiani intelligitur tantum de cœnobitis, de quibus hoc loco agit, non de anachoretis seu eremitis, qui ex palæstra cœnobii et in solitudines venientes possunt alios initiari sanctorios, cum in eis eminentior quædam elucet perfectio, juxta doctrinam magni illius Antonii de qua Cassianus lib. V de Spiritu gastrimargiæ, cap. 4. « Vetus namque est beati Antonii admirabilisque sententia monachum, qui post cœnobiale propositi fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere et apprehenso discretionis examine, proprio jam posse stare judicio, atque ad arcem anachoreseos pervenire, minime debere ab uno, quamvis summo, conversa virtutum genera expetere, etc. » Quidam isti Patres, ut infra ostenditur, hanc singulorum imitationem etiam cœnobitis consulunt.

[m] *Quæ omnia.* Hæc reperire est apud Cassianum cap. 41 ejusdem libri.

bens in ore suo redargutiones (*Psal.* xxxvii). Tu quoque velut surdus, et mutus, et cæcus incedas, ut [a] absque illius contemplatione, qui tibi fuerit ad imitandum meritq perfectionis electus, universa quæcunque videris minus ædificationis habentia velut cæcus non videas; ne animatus eorum, qui hæc agunt, auctoritate vel forma ad id quod deterius est et quod ante damnaveras, traducaris. Si inobedientem, si contumacem, si detrahentem audieris, vel secus quam traditum est, aliquid admittentem, non offendaris, nec ad imitandum eum tali subvertaris exemplo : sed ut surdus, qui hæc penitus nec audieris, universa transmittas. Si tibi vel cuiquam convicia irrogantur injuriæ, esto immobilis ad responsionem talionis, ut mutus ausculta semper hunc Psalmistæ versiculum in tuo corde decantans : ***Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me : obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis*** (*Psal.* xxxviii). Verum et quartum hoc præ omnibus excole [b], quod hæc, quæ supra diximus, tria ornent tè atque commendent. Id est, ut stultum te secundum Apostoli [c præceptum] sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens (*I Cor.* iii), nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate et fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel [d lex] senioris examen indixerit. Tali etenim institutione fundatus sub disciplina hac durare poteris perpetuo : et dè cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus devolveris. [e] Ergo patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute, id est, ut tunc eam tantummodo possideas, cum a nemine fueris irritatus : quod ut possit non evenire, tuæ non subjacet potestati, sed potius de humilitate tua vel longanimitate quæ in tuo pendet arbitrio. [f] Et ut hæc omnia, quæ latiori sermone digesta sunt, cordi tuo facilius inculcentur, et tenacissime tuis sensibus valeant inhærere, quoddam ex iis [g] breviarium colligam, per quod possis brevitate et compendio mandatorum universa memoriter complecti. Audi ergo paucis ordinem per quem ascendere ad perfectionem summam sine ullo labore ac difficultate valeas. Principium nostræ salutis ac sapientiæ secundum Scripturas timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris, de compunctione cordis procedit renuntiatio, id est, nuditas et contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate generatur mortificatio voluptatum, de mortificatione voluptatum exstirpantur atque marcescunt universa vitia, de expulsione vitiorum virtutes [h] fructificant, atque succrescunt, de pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, per puritatem cordis apostolicæ charitatis perfectio possidetur.

§ V. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 147).

Interrog. [i] Anima post multa peccata et post multas suæ vitæ miseries cum quali timore et qualibus lacrymis debet recedere a peccatis, et quali spe et affectu accedere ad Dominum debet? — *Resp.* Primo quidem odisse debet illam suam priorem vitam [j] notabilem et ipsam memoriam ejus perhorrescere atque execrari. Scriptum est enim : *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi* (*Psal.* cxviii). [k] Deinde ut majorem timorem habeat magistro, utatur ignis æterni metu et pœnæ perpetuæ. Sed et lacrymarum tempus agnoscat per pœnitentiam, sicut David docuit in sexto psalmo purgationem peccatorum fieri posse ubertate lacrymarum in sanguine Christi per potentiam misericordiæ ejus, et per multitudinem miserationum Dei. *Quia si fuerint peccata vestra* [l] *sicut Phœnicium, ut nivem dealbabo : si autem fuerint sicut coccinum, ut lanam candidam efficiam* (*Isai.* i). Et post hæc recepta virtute et facultate placendi Deo dicit : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et præcinxisti mè lætitia, ut psallat tibi gloria mea* (*Psal.* xxix). Et ita accedens ad Dominum psallat et dicat : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, et non delectasti inimicos meos super me* (*Ibid.*).

[a] *Absque illius contemplatione.* Il est, præter contemplationem. Contemplatio hoc loco est consideratio, ut supra : *non jam contemplatione judicii.*

[b] *Quod hæc quæ supra diximus tria ornent te atque commendent.* Lege, *quod hæc, quæ supra diximus, tria ornet atque commendet.*

[c] *Præceptum.* Redundat.

[d] *Senioris lex.* τὸ *lex*, redundat.

[e] *Ergo patientiam.* Cap. 42 ejusdem libri.

[f] *Et ut hæc omnia.* Cap. ult. ejusdem libri.

[g] *Breviarium.* Hoc loco est epitome. Glossæ Philoxeni. *Breviarium*, ἐπιτομή. Glossæ Cyrilli : ἐπιτομή. *Hoc breviarium.*

[h] *Fructificant.* Lege *fruticant*, Id est, pullulant, ut vocabula sequentia demonstrant. Sidonius lib. i, epist. 2 : « Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio.

[i] *Anima post multa peccata.* Habetur apud S. Basilium, interr. 10 Regul. brev. Desideratur apud Rufinum.

[j] *Notabilem.* Id est, maculosam.

[k] *Deinde ut majorem.* Non redditur sensus textus Græci, in quo ita habetur : Ἔπειτα δὲ φόβου μὲν διδάσκαλον λαμβάνειν τὴν ἀπειλὴν κρίσεως αἰωνίου καὶ κολάσεως, id est, deinde accipere timoris magistram comminationem æterni judicii et supplicii.

[l] *Sicut Phœnicium.* Sequitur Septuaginta interpretes : Ἐὰν ὦσι αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, id est, *Si fuerint peccata vestra ut Phœnicium.* Hanc versionem agnoscit S. Isidorus in Genesim cap. xxv : *Etsi fuerint sicut Phœnicium.* Phœnicium est purpura, seu puniceus color a Phœnicia regione, ubi inventus est à cane Herculis. Vide Julium Pollucem, lib. i Onomast., cap. 4.

CAPUT XXIII.

DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Hiemis tempore, id est, a Kalendis Novembris usque ad Pascha juxta considerationem rationis [b] octava hora noctis surgendum est; [c] ut modice amplius de media nocte pausetur, et jam digesti surgant. [d] Quod vero restat post [e] vigilias a fratri-

[a] *Hiemis tempore.* Omnibus quæ ad humilitatem spectant institutis, ordo divini officii sequitur. Et recte admodum : quia non potest opus Dei pro rei dignitate, nisi ab humilibus celebrari, qui et illius fructum consequuntur. Nam, ut habetur Ecclesiastici cap. xxxv : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet, non consolabitur : non discedet, donec Altissimus aspiciat.*

[b] *Octava hora noctis.* Vetus ordo Romanus : *Feria quinta Majoris Hebdomadæ, eadem nocte, surgant ad vigilias hora noctis octava.* Loquitur autem S. Benedictus de horis juxta antiquum morem, quo nox, sicut dies, duodecim horis constabat, longioribus in hieme, brevioribus in æstate.

[c] *Ut modice amplius de media nocte pausetur.* Circa tempus æquinoctii autumnalis de quo maxime hic agitur, si finita lectura collationum, cum tenebræ terram operire incipiunt, dicatur completorium juxta antiquum morem, ut infra videbitur, hoc est, circa horam septimam nostram nocturnam, et in eo celebrando semihoræ spatio circiter consumpto, indultaque brevi mora ad quædam necessaria peragenda, fiet copia monachis ad lectulos se recipiendi uno quadrante circiter ante horam secundam noctis, hoc est, ante nostram octavam nocturnam : et sic surgendo hora noctis octava, hoc est, nocturna nostra secunda, pausabunt modice amplius de media nocte, hoc est, sex horas cum quadrante circiter; quia nox olim duodecim horas complectebatur. Circa solstitium brumale, quo nocles longiores sunt maxime in regionibus borealibus omnia sic temperanda erunt, ut spatium illud monachis ad pausationem concessum respondeat, seu coæquetur sex illis horis et quadranti, quæ conceduntur circa æquinoctium. De tempore æstivo infra dicetur.

[d] *Quod vero restat post vigilias*, etc. Sensus est, ut interstitium istud quod intercedit a fine vigiliarum nocturnarum usque ad Matutinos, hi qui psalterii et lectionum ignari sunt, in earumdem rerum meditatione, seu lectione insumant. Cum igitur S. Benedictus dicit, *meditationi inserviatur*, subauditur lectionum et psalterii, id est, lectionum et psalterii studio inserviatur. Nempe ut discant rudiores recte legere et pronuntiare lectiones et psalterium, atque etiam interpretari : imo et ipsum psalterium memoriæ mandent, si possint. Et hæc fuit antiqua praxis. Quæ videtur in Vita B. Gosuini abbatis Aquicinctensis in Belgio : nam hic beatus vir instituit, ut pueri post vigilias nocturnas ad lucernam ediscerent psalmos, lectiones et similia. Quæ ante illius ætatem in usu fuit, ut videre est in Concordia S. Dunstani, cap. 2 : « Secundum vero regulam temperius ad vigilias surgatur, ut nocturnali perfuncti officio et psalmis supradictis, et vigilia pro defunctis cum laudibus suis et matutinis de omnibus sanctis expletis, fratribus psalmodiæ deditis vel lectioni secundum præceptum regulæ; si qui indiguerint, inservientibus, intervallum usque quo lucescat, cum magna vigilantia custodiatur. A lucis crepusculo, dum ædituus signum pulsaverit, ad ecclesiam universi conveniant, factaque oratione laudes psallant matutinas. » Quæ verba hunc S. Benedicti locum mirifice illustrant : qui non est intelligendus de oratione mentali, quamvis alibi nulla ei assignetur hora. Quod mirari debet nemo : quia in antiquorum Patrum regulis nullam videmus ejusmodi orationi horam præscribi, cum prisci illi monachi omni loco et tempore divina meditarentur. Quod si ita esset, debuisset S. Benedictus iis qui psalterium et lectiones discunt aliam horam ad ejusmodi orationem assignare : quod tamen minime præstitit; ut nec tempore æstatis, cum ex regulæ præscripto vigiliæ nocturnæ et matutinæ laudes difficantur parvo tantum, quod ad requisita naturæ sciat, intervallo interjecto. Imo hæc interpretatio adversatur menti S. Benedicti, qui vult ejusmodi orationem esse brevem (nisi forte ex affectu divinæ gratiæ protendatur) et in conventu omnino breviari. Quod tamen secus esset, si monachi tanto interrallo quod superest a vigiliis usque matutinos meditationi seu orationi mentali incumberent. Nec his obstat olim contraria praxis in monasteriis illis qui erant in loco, qui Sublacus dicitur, tempore S. Benedicti, in historia desidis illius monachi qui expleta psalmodia, hora constituta non poterat in oratione cum cæteris consistere, nam oratio illa juxta regulæ præscriptum brevis erat, in qua ipse monachus præ nimia levitate et nimis urgente dæmone stare non poterat (*S. Greg. Dialog. lib.* II, *cap.* 4). Nec dicendum est inde sequi absurdum quod S. P. Benedictus quid sit illo interstitio ab aliis, qui non indigent psalterii et lectionum, agendum, non præscripserit. Non enim omnes horas diei minutatim persecutus est, sed quasdam liberas reliquit. Non enim ordinavit quid a matutinis laudibus finita psalmodia agendum esset usque ad primam, saltem extra Quadragesimam; nec quid tempore jejunii agendum sit brevi illo spatio inter Vesperam et lectionem Collationum; nec quid agendum sit feria quarta et sexta a Pentecoste usque ad Kalendas Octobris disponit. Nec sane isti dies ducendi sunt, ut alii in æstate: nam non est eadem refectionis hora; nec, ut in hieme : nam debet esse alia ratio spatii quo laborandum est in hieme, alia quo in æstate, quod sane propter longiores æstatis in die horas prolixius esset, nempe ab hora secunda usque ad nonam protrahendum, et tunc fratres ob calores nimios opprimerentur. Ista reliquit S. Benedictus abbatis arbitrio. His ita positis explodenda est lectio Guidonis Juvenalis abbatis S. Sulpitii, quæ est ejusmodi : « Quod vero restat post vigilias a fratribus (nisi qui psalterii vel lectionum aliquid indigent) meditationi inserviatur. » Quia alibi hanc particulam, nisi, neque etiam in mss. cod. repereris. Et sane plausibilior esset parenthesis regulæ a S. Dunstano correctæ hoc modo : *Quod vero restat post vigilias (a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent) meditationi inserviatur :* ita ut præpositio, *a*, idem sit quod, *præter*, juxta illud Psalmi : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram*, hoc est necesse particulam, *nisi*, addere. Sed hanc parenthesim vix credo esse a S. Dunstano; quia sibi non constaret. Alia habetur lectio in editione Colinæi, hoc modo : *Si quid vero noctis restat post vigilias a fratribus (qui aliis non indigent) psalmis, vel lectioni, aut meditationi inserviatur.* Sed hanc lectionem, quia textum omnino pervertit, in morbonam longe amoliendam censeo.

[e] *Vigilias.* Vigiliæ sunt officii nocturni synaxis. Sic veteres Romani nocturna sacra appellabant : ita

bus qui psalterii, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supra dictas Kal. Novembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

§ II. — Ex libro II Institutionum (*cap.* 14). *Quare post missam nocturnam dormire non oporteat.*

[a] Quem laborem præter illam rationem, qua tota industria adnitentes sacrificium Deo de fructu manuum suarum offerre se credunt, duabus ex causis cum omni observatione custodiunt. Quod nos quoque, si perfectioni studemus, eadem diligentia convenit observare. Prima, ne forte purificationem nostram nocturnis psalmis et orationibus acquisitam invidus inimicus livens puritati nostræ, cui maxime semper insidiatur et indesinenter infestus est, quadam somnii illusione contaminet. Qui post illam satisfactionem quam pro negligentiis seu ignorationibus obtulimus, et confessionis nostræ veniam profusis gemitibus imploratam sollicitius nos, si tempus quietis invenerit, maculare festinat; tunc præcipue fiduciam nostram dejicere atque enervare contendens, cum ferventius nos ad Deum tendere orationum nostrarum puritate providerit. Ita ut nonnunquam quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, sub illius horæ brevissimo tempore dehonestare conetur. Secunda vero quod, tametsi nulla talis verenda diaboli emergat illusio, intercedens etiam purus sopor inertiam monacho [b] ne vigilaturo parturiat, segnemque torporem inferens menti per totum diei spatium vigorem ejus obtundat, illamque hebetet perspicaciam sensus, et pinguedinem cordis exhauriat, quæ nos possit per totum diem adversus omnes insidias inimici cautiores, robustioresque servare. Quamobrem canonicis vigiliis privatæ ab eis subjunguntur excubiæ, ac majore illis observatione succedunt: ut et illa purificatio, quæ psalmis est et orationibus acquisita non pereat, et intensior sollicitudo nos per diem custoditurа præparetur meditatione nocturna.

§ III. — Ex libro III Institutionum, *capite quo supra, quod post matutinas orationes ad somnum reverti non oporteat.*

[c] Cujus solemnitatis *ratio*, cur statuta sit, vel inventa in hac provincia nonnulli ignorantes, expletis matutinis hymnis, rursum revertuntur ad somnum, in illam causam nihilominus incidentes, ob quam compescendam a senioribus solemnitas instituta est. Illa namque hora eam consummare festinant, qua negligentioribus minusque sollicitis rursum dormiendi reddatur occasio. Quod omnimodis fieri non oportet. Et sicut in superiori libello (*De Noctur. Orat.*, *c.* 13) describentes Ægyptiorum synaxim plenius exposuimus, ne purificationem nostram confessione supplici, et antelucanis orationibus acquisitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio corrumpat inimici, vel certe intercedens etiam puri et simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri fervorem, ac tepefacto somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps ignavosque traducat. Quod Ægyptii ne incurrant, et quidem cum soleant certis temporibus, etiam ante gallorum cantum consurgere, [d] missa canonica celebrata, usque ad lucem posthæc vigilias extendunt; ut eos superveniens lux matutina in hoc fervore spiritus reperiat constitutos, ac per totum diei tempus ferventiores sollicitioresque custodiat, præparatos eos suscipiens ad conflictum et diurnam colluctationem diaboli, nocturnarum exercitatione vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos.

§ IV. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 10).

[e] Nec ulterius quisquam post purificationem nocturnarum vigiliarum in requiem somni iterum resolvatur, donec superveniente die nocturnæ meditationi operatio diurna succedat; ne forte puritatem nostram psalmis et orationibus acquisitam invidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Quia

---

Plautus Cereris Vigilias dixit (*In Aulularia, in prol. et act.* 5). Παννυχίδας Græci vocant, quo vocabulo utuntur etiam Christiani pro synaxi nocturni officii, ut Palladius, cap. de Tabennesiotis, S. Chrysostomus et alii.

[a] *Quem laborem*, etc. Hæc habentur apud Cassianum lib. II de Noctur. Orat., cap. 13, quem auctor noster appellat Institutionum librum secundum: ita ut quatuor hos Cassiani libros, qui totius vitæ asceticæ œconomiam complectuntur, nomine institutionum appellet quemadmodum Cassiodorus de Divinis Lectionibus, cap. 19, quos Photius sub unico libro comprehendit. Gennadius tamen in Catalogo librum quartum Institutionum a tribus præcedentibus distinguit.

[b] *Ne vigilaturo.* Particula, *ne*, a Cassiano excuso abest, quæ tamen videtur hic necessaria.

[c] *Cujus solemnitatis*, etc. Hæc videre est apud Cass., lib. III de Diurn. Orat., cap. 5. Per hanc solemnitatem intelligitur synaxis matutina, de qua agit Cass. cap. 4 ejusdem libri, ea nimirum, quam nos Primam vocamus, inventa primitus in monasterio Bethlehemitico, ætate Cassiani, ut ipse docet. Quia post matutinum illum cursum, quem nos laudes matutinas nuncupamus, quidam negligentiores monachi somno indulgebant, eo nempe usque ad Tertiam producto: quorum veterno ut occurreretur, a senioribus hæc Matutina, quæ alias Prima appellatur sole illucescente celebranda instituta est. Ex quo notandum est ante Cassiani ætatem nullum fuisse Primæ nostræ usum in Ecclesia, ut etiam clarum est ex Patribus infra citandis ipso Cassiano antiquioribus, qui nullam hujusmodi Primæ mentionem faciunt. Nec huic sententiæ adversantur hæc S. Athanasii verba tractatu de Virginitate: Ἀνατέλλων ὁ ἥλιος βλεπέτω τὸ βιβλίον ἐν ταῖς χερσί σου, id est, oriens sol videat librum in manibus tuis; post quæ protinus mentionem facit Tertiæ, Sextæ et Nonæ. Nam hic locus non intelligitur de officio divino seu horis canonicis, sed de lectione et meditatione sacrarum Scripturarum maximeque psalterii, ut illud virgo ediscat: nam antea dixerat: Ἴτω ἔργον σου διαπαντὸς μελέτη τῶν θείων γραφῶν, ψαλτήριον ἔχε, καὶ τοὺς ψαλμοὺς μάνθανε, id est, sit hoc opus tuum semper meditatio sanctarum Scripturarum, habeto psalterium, et discito psalmos; et continuo dicit: *Oriens sol videat librum in manibus tuis*, nempe, ut psalmos discas.

[d] *Missa canonica.* Missa hoc loco est synaxis horarum canonicarum, de qua infra.

[e] *Nec ulterius.* Lib. II de Nocturna Orat., cap. 13.

post illam satisfactionem confessionis, quam Deo pro negligentiis, sive ignorationibus nostris obtulimus, invidus nos inimicus, si tempus quietis invenerit, maculare festinat : et tunc fiduciam nostram præcipue dejicere atque enervare contendit, cum ferventius et purius nos orare providerit. Nam multoties quos per totum noctis spatium sauciare non potuit, post completas vigilias sub unius horæ brevissimo tempore quiescentes dehonestare conatur.

§ V. — Ex Regula sancti Aurelitani episcopi (*cap.* 22).

Post Matutinas orationes ad somnum reverti non liceat, sed completis Matutinis statim dicatur Prima; [a] deinde usque ad Tertiam omnes lectioni vacent.

§ VI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 33).

[b] In officio nocturno uno tempore psallantur [c] ante pullorum cantum in hieme nocturni dicente Propheta : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Et de æstate item dicit : [d] *Nocte vigilat Spiritus meus ad te Deus* (*Isa.* XXVI). Hoc est, de parte aliqua noctis post pullorum jam cantum signum fiat surgendi. Sed hoc a vigilantibus in hieme cavendum est, ne nocturnos pullus aut antecedat, aut deprehendat : quia [e] largent noctes in tempore hiemis. Nam pullorum cantus [f] declinantis est terminus noctis : quia nox diem parit, sicut in circulo solis declinare jam diem [g] a sexta hora ostenditur, id est, [h] propter noctem tantum festinare descendere solem, quantum cucurrit, ut medium in circulo ascenderet diem. Sed hoc in hieme agendum est, ut nocturnos jam expletos pullorum cantus sequatur, quia noctes sunt grandes, ut digesti a somno fratres vigilanti, digesto sensu opus Dei, quod dicunt, agnoscant : et ideo intervallum ponitur, ut prolixa noctis domui gravitas tollatur. Nam in vere vel in æstatis tempore, hoc est, a Pascha usque ad [i] octavum Kal. Octobris, quod est æquinoctium hiemale, propter rationem brevium noctium [j] a pullorum cantu Nocturni a fratribus inchoentur : et expleto psalmorum numero mox ei Matutinos subjungant, et secundum psalmorum suorum numerum finiant. Et ideo in brevibus ipsis noctibus post pullorum cantum Nocturnos constituimus inchoari, et cum Matutinis conjungi, ut non se recollocantes post nocturnos ingravescant fratres, et suavi matutino somno oppressi non solum perdant Matutinos, sed etiam Primam jam tarde dicere confundantur. Et ideo post pullos Nocturnos cum Matutinis divinis jungi, ut digesti jam a somno prolixo fratres utrumque opus sobrie compleant, et, jam reddito Matutinorum divino debito securi fratres usque Primam jam, qui volent, requiescant, ut his horis somni omnem gravitudinem deponentes bene digesti post Primam jam leves laborare incipiant, monstrante nobis de [k] S. Heleno scriptura cum dicit : *Consuevi enim justis matutinis requiescere.* [l] Ergo ne ante pullorum cantum cum in brevibus noctibus coacti fuerint fratres surgere adhuc crudi ab inchoato somno, cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bulliscit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam sumpserant, in ipso adhuc incocti cocisi incendio, non suscitati, sed potius occisi, cum coacti fuerint fratres surgere gravi adhuc capite et indigesto rupti effugant sancti Spiritus charismata. Et cum amaricatur carni eorum (quæ quamvis militet Deo, tamen in hac vita interim quærit quæ sua sunt, etsi non in omnibus aliquantis) amarum videatur esse pro Deo quod dulce est; ut

[a] *Deinde usque ad tertiam*, etc. Regula Tetradii a S. Cæsario Arelatensi dictata : *Omni tempore usque ad Tertiam legant.*

[b] *In officio nocturno*, etc. Habetur in Regula ms. Magistri cod. Corb.

[c] *Ante pullorum cantum.* Pullorum cantus, quod vocant veteres *gallicinium*, est secunda pars diei civilis inter tertiam et quartam noctis vigilias circa horam nonam, ut constat ex Macrobio, lib. I Saturn., cap. 3, et Censorino, libello de Natali die, qui post sextam noctis horam seu mediam noctem, a qua diem civilem Romanorum incipere scribunt, has partes constituunt, primam noctis inclinationem, quam Macrobius primam diei civilis partem statuit, deinde gallicinium, postea canticinium, cum galli cantare cessant, quarto diluculum, tandem mane. Et hoc gallicinium est tertius gulli cantus, sub quem Petrus tertio Christum negavit, juxta Christi vaticinium : *Antequam gallus cantet, ter me negabis.*

[d] *De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus.* Juxta Septuaginta interpretes : Ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει τὸ πνεῦμά μου πρός σε ὁ Θεός. Quod idem sonat.

[e] *Largent noctes.* Id est, protrahuntur. In cod. Vind. legitur, *largæ sunt noctes.*

[f] *Declinantis est terminus noctis.* Quia gallicinium succedit primæ noctis inclinationi, ut ex Macrobio notatum est.

[g] *A sexta.* Id est, a meridie.

[h] *Propter noctem.* Id est, ad noctem.

[i] *Octavum, Kal. Octobris.* Eodem die statuit æquinoctium autumnale S. Isidorus lib. de Natura Rerum, cap. 8, et lib. V Origin., cap. 34.

[j] *A pullorum cantu.* Id est, circa horam nonam noctis, ut digesti surgant fratres ratione cenæ. Et hic Magister declarat hæc verba S. Benedicti : « A Pascha usque ad supra dictas Kalendas Octobris sic temperetur hora vigiliarum agenda. » Nam si refecti hora nona in hieme fratres surgunt tantum hora octava noctis, sane sero refecti in æstate ob eandem digestionem tardius surgere debent ad vigilias.

[k] *De S. Heleno.* Fuit hic S. Helenus Heliopolis episcopus, tempore Commodi imperatoris : de eo agitur in Actis S. Eugeniæ, in quibus non eadem quæ profert Magister, forte meliore usus exemplari, sed hæc verba, quæ haud discrepant : « Perfectis igitur matutinis laudibus paululum requievit episcopus : » Fuit alter Helenus professione monachus, qui et Hellen dicitur, de quo Rufinus de Vitis Patrum, cap. 11.

[l] *Ergo ne ante pullorum cantum.* Locus corruptus ita, ut mihi videtur, restituendus : *Ergo non ante pullorum cantum, ne, cum in noctibus brevibus coacti fuerint surgere adhuc crudi ab inchoato somno : (cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bulliscit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam sumpserant in ipso adhuc incocti cibi incendio) non suscitati, sed potius occisi gravi adhuc capite et indigesto rupti effugent S. Spiritus charismata.* Sensus est, ut non incipiatur Nocturni ante pullorum cantum, quia tunc fratres surgere coacti indigesti et crudi, bulliente adhuc in venis sanguine, non poterunt percipere S. Spiritus charismata.

non ex integro animo amet Deum frater in psalmis, quando per somnum cupit satisfieri carni. Nam sicut [a] luna in circulo minorata deputati nocti minus luminis complet officium, cum tarde surgit orientis exortu, tarde cursu suo in diem ingreditur occasura, sic et brevitas noctium temperata cum die propter fragilitatem carnis humanæ cogit divina in psalmis abbreviari, et jungi cum nocte diei officia. Ergo psalmi nocturni hiemis tempore, hoc est, ab æquinoctio hiemali usque ad æquinoctium vernale, id est, ab octavo Kal. Octobris usque octavo Kal. Aprilis, sed melius usque ubi fuerit Pascha, quia noctes majores sunt, [b] dici debent antiphonæ currente semper psalterio, et responsoria tria, ut fiant [c] sexdecim impositiones in Nocturnis, quam octavo Matutinorum impositiones similiter viginti quatuor vicibus secundum viginti quatuor seniorum imitationem genua nostra in nocte Deo flectantur [d] cum laudibus. Nam in noctibus majoribus ideo plus psalli debent, ut sicut nobis Deus ad repausationem prolixum spatium junxit in nocte, et nos ei per agendas gratias jungamur in laudem. Tempore vero æstatis, hoc est, à Pascha usque octavo Kal. Octobris [e] octo dicantur antiphonæ, currente, ut supra diximus, semper psalterio, et tria responsoria extra lectiones et versum, et [f] rogos Dei: ut tam istæ duodecim impositiones Nocturnæ quam simul conjunctæ, octo Matutinorum impositiones viginti vices cogat parvæ noctis ratio Deo genua incurvare. Quia somnus, cum brevis est, dulcis videtur esse carni, cum corpus hominis prolixo fatigatum labore diei minori requie brevi quiescit in nocte. Ergo æstatis tempore, sicut supra designavimus, quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonæ, et tria responsoria, ut fiant duodecim impositiones secundum nomina duodecim [g] apostolorum cantici inchoati et finiti; mox eis Matutini subjungantur propter brevitatem noctium. Sed hoc semper tam in hieme quam in æstate, tam in die quam in nocte seu in vigiliis cum psallitur, caveatur, ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet, sed singulos debere dedicari cum Gloria: ut nec orationes inter ipsos agendæ perdantur, nec Glorias eorum laudi Dei videamur subducere, cum compendiosa negligentia cogimur in se psalmos inserere [h] constituit et finem. Quod si aliqua necessitas ampos psallentes perurgeat, non combinent, sed conterneat; tamen cum Gloriis suis subsequantur: et ut citius compleant, et psalmorum numeris non minoretur. Ergo ideo aut singulos aut ternos diximus debere dici: quia sicut unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate agnoscitur; ita aut singulos, aut pro necessitate ternos credamus tamen cum Gloriis suis dici debere. Nam combinari ex toto non licet: quia non plus, neque minus ab unitate et trinitate quod deuerit, Christianum decet. Et tunc perfectam fidem habemus, si Trinitatem perfectam æqualiter in unitate, et unitatem in Trinitate sentimus. Nam si aliqua gravis necessitas quavis hora psallentes perurgeat, dicendorum omnium psalmorum singula capita cum una Gloria compleant; et sic exeant oratorio, ut quavis necessitate tamen opus Dei non videatur prætermitti.

§ VII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 8).

[i] In psallendi officio ista discretio erit. Dato namque legitimis temporibus signo ad orationes canonicas [j] festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant; nullique ante expletum officium licebit egredi, præter eum quem necessitas naturæ compulerit. Recitantibus autem monachis post

[a] *Luna in circulo minorata.* Cum nempe in æstate describit minorem circulum super nostrum horizontem.

[b] *Dici debent antiphonæ.* Hic deest aliquid; ut in Regula ms. ubi lacuna est post τὸ *antiphonæ*, quæ supplenda vocabulo, *tredecim:* quia in Nocturnis hiemis statuit sexdecim impositiones currente psalterio: et perfectus erit hic numerus, si tribus responsoriis addantur tredecim antiphonæ.

[c] *Sexdecim impositiones.* In Regula ms. post hæc verba sequitur: *Secundum numerum prophetarum extra lectiones, versum, et rogus* [Leg. *rogos*] *Dei, ut tam istæ sexdecim impositiones.* Quæ hic supplenda sunt ad castigationem hujus corruptissimi loci: et postea sequitur, *in nocturnis, quam*, etc. Et sensus est, ut in nocturnis sint sexdecim impositiones juxta numerum sexdecim prophetarum quatuor majorum et duodecim minorum: quibus si addantur octo impositiones Matutinorum, juxta numerum quatuor et viginti seniorum in Apocalypsi, fient quatuor et viginti genuflexiones. Impositiones autem sunt modulationes, pronuntiationes, recitationes. Imponere modulari, canere, recitare, ut imponere psalmum, imponere lectionem, capitulum. Cassianus dixit præbere psalmum: sed de his infra.

[d] *Cum laudibus.* Id est, cum alleluia, ut infra dicetur.

[e] *Octo dicantur antiphonæ.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; lege tamen, *novem*, non *octo*, ut paulo post habetur: *Quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonæ.* Quod autem hæc lectio prævaleat, patet ex cap. 44 ejusdem Regulæ, ubi hic locus clarius distinguitur: « In æstate vero a Pascha usque æquinoctium hiemale, quod est octavo Kal. Octobris, post versum apertionis et responsorium abbatis dici debent antiphonæ sex sine alleluia, deinde tres antiphonæ cum alleluia, currente psalterio, ut supra diximus, deinde aliud responsorium cum alleluia, ut fiant duodecim impositiones. »

[f] *Et rogos Dei.* Rogus a rogando est precatio Litaniæ, Kyrie eleison. Idem Magister, cap. 55 Regulæ ms., *post ipsam rogus Dei;* cap. 56: *post hoc et rogus Dei;* cap. 57: *rogus Dei, et versus cursoriæ;* cap. 40: *et versus et rogus Dei.*

[g] *Apostolorum cantici inchoati.* Post τὸ *apostolorum*, desunt nonnulla sic supplenda ex Regula ms.: *Qui nocturni, ut supra diximus, in ipso æstatis tempore a psallendi cantu inchoati et finiti.*

[h] *Constituit et finem.* Locus mutilus, lege, ut in cod. Corb.: *Quia omni psalmo, cui initium propheta imposuit, constituit ei finem.*

[i] *In psallendi officio*, etc. Hæc habentur in regula S. Isidori excusa, cap. 6, ubi sic legitur: *In psallendis autem officiis.*

[j] *Festinabunt.* Lege, ut in regula excusa, *festinæ*, in qua omittitur τὸ *fratres*. Hæc lectio confirmatur ex eodem S. Isidoro, lib. II de Officiis Ecclesiasticis, cap. 15: « Conveniunt autem omnes frequenter nocte ac die dato signo, festina cum properatione ad orationem solemnium horarum. »

post illam satisfactionem confessionis, quam Deo pro negligentiis, sive ignorationibus nostris obtulimus, invidus nos inimicus, si tempus quietis invenerit, maculare festinat : et tunc fiduciam nostram præcipue dejicere atque enervare contendit, cum ferventius et purius nos orare providerit. Nam multoties quos per totum noctis spatium sanciare non potuit, post completas vigilias sub unius horæ brevissimo tempore quiescentes dehonestare conatur.

§ V. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 28).

Post Matutinas orationes ad somnum reverti non liceat, sed completis Matutinis statim dicatur Prima; [a] deinde usque ad Tertiam omnes lectioni vacent.

§ VI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 33).

[b] In officio nocturno uno tempore psallantur [c] ante pullorum cantum in hieme nocturni dicente Propheta : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Et de æstate item dicit : [d] *Nocte vigilat Spiritus meus ad te Deus* (*Isa.* XXVI). Hoc est, de parte aliqua noctis post pullorum jam cantum signum fiat surgendi. Sed hoc a vigilantibus in hieme cavendum est, ne nocturnos pullus aut antecedat, aut deprehendat : quia [e] largant nactes in tempore hiemis. Nam pullorum cantus [f] declinantis est terminus noctis : quia nox diem parit, sicut in circulo solis declinare jam diem [g] a sexta hora ostenditur, id est, [h] propter noctem tantum festinare descendere solem, quantum cucurrit, ut medium in circulo ascenderet diem. Sed hoc in hieme agendum est, ut nocturnos jam expletos pullorum cantus sequatur, quia noctes sunt grandes, ut digesti a somno fratres vigilanti, digesto sensu opus Dei, quod dicunt, agnoscant : et ideo intervallum ponitur, ut prolixa nocte somni gravitas tollatur. Nam in verni vel in æstatis tempore, hoc est, a Pascha usque ad [i] octavum Kal. Octobris, quod est æquinoctium hiemale, propter rationem brevium noctium a pullorum cantu Nocturni a fratribus inchoentur : et expleto psalmorum numero mox ei Matutinos subjungant, et secundum psalmorum suorum numerum finiant. Et ideo in brevibus ipsis noctibus post pullorum cantum Nocturnos constituimus inchoari, et cum Matutinis conjungi, ut non se recollocantes post nocturnos ingravescant fratres, et suavi matutino somno oppressi non solum perdant Matutinos, sed etiam Primam jam tarde dicere confundantur. Et ideo post pullos Nocturnos cum Matutinis divinis jungi, ut digesti jam a somno prolixo fratres utrumque opus sobrie compleant, et, jam reddito Matutinorum divino debito securi fratres usque Primam jam, qui volent, repausent, ut his horis somni omnem gravitudinem deponentes bene digesti post Primam jam leves laborare incipiant, monstrante nobis de [k] S. Heleno scriptura cum dicit : *Communi enim justitiæ matutinis repugnare.* [l] Ergo ne ante pullorum cantum cum in brevibus noctibus coacti fuerint fratres surgere adhuc crudi ab inchoato somno, cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bulliscit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam susceperant, in ipso adhuc incocti cibi incendio, non suscitati, sed potius occisi, cum coacti fuerint fratres surgere gravi adhuc capite et indigesto rapti effugent sancti Spiritus charismata. Et cum amaricatur caro eorum (quæ quamvis milites Deo, tamen in hac vita interim quærit quæ sua sunt, etsi non in omnibus aliquantisper amarum videatur esse pro Deo quod dulce est; ut

[a] *Deinde usque ad tertiam*, etc. Regula Tetradii a S. Cæsario Arelatensi dictata : *Omni tempore usque ad Tertiam legant.*

[b] *In officio nocturno*, etc. Habetur in Regula ms. Magistri cod. Corb.

[c] *Ante pullorum cantum.* Pullorum cantus, quod vocant veteres *gallicinium*, est secunda pars diei civilis inter tertiam et quartam noctis vigilias circa horam nonam, ut constat ex Macrobio, lib. I Saturn., cap. 3, et Censorino, libello de Natali die, qui post sextam noctis horam seu mediam nocte[m], a qua diem civilem Romanorum incipere scribunt, has partes constituunt, primam noctis inclinationem, quam Macrobius primam diei civilis partem statuit, deinde gallicinium, postea canticinium, cum galli cantare cessant, quarto diluculum, tandem mane. Et hoc gallicinium est tertius galli cantus, sub quem Petrus tertio Christum negavit, juxta Christi vaticinium : *Antequam gallus cantet, ter me negabis.*

[d] *De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus.* Juxta Septuaginta interpretes : Ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει τὸ πνεῦμά μου πρός σε ὁ Θεός. Quod idem sonat.

[e] *Largent noctes.* Id est, protrahuntur. In cod. Vind. legitur, *largæ sunt noctes.*

[f] *Declinantis est terminus noctis.* Quia gallicinium succedit primæ noctis inclinationi, ut ex Macrobio notatum est.

[g] *A sexta.* Id est, a meridie.

[h] *Propter noctem.* Id est, ad noctem.

[i] *Octavum, Kal. Octobris.* Eodem die statuit æquinoctium autumnale S. Isidorus lib. de Natura Rerum, cap. 8, et lib. v Origin., cap. 34.

[i] *A pullorum cantu.* Id est, circa horam nonam noctis, ut digesti surgant fratres ratione cœnæ. Et hic Magister declarat hæc verba S. Benedicti : « A Pascha usque ad supra dictas Kalendas Octobris sic temperetur hora vigiliarum agenda. » Nam si refecti hora nona in hieme fratres surgunt tantum hora octava noctis, sane sero refecti in æstate ob eandem digestionem tardius surgere debent ad vigilias.

[k] *De S. Heleno.* Fuit hic S. Helenus Heliopolitanus episcopus, tempore Commodi imperatoris : de eo agitur in Actis S. Eugeniæ, in quibus non eadem quæ profert Magister, forte meliore usus exemplari, sed hæc verba, quæ haud discrepant : « Perfectis igitur matutinis laudibus paululum requievit episcopus : » Fuit alter Helenus professione monachus, qui et Hellen dicitur, de quo Rufinus de Vitis Patrum, cap. 11.

[l] *Ergo ne ante pullorum cantum.* Locus corruptus, ita, ut mihi videtur, restituendus : *Ergo non ante pullorum cantum, ne, cum in noctibus brevibus coacti fuerint surgere adhuc crudi ab inchoato somno : (cum in ipso impetu venarum sanguis et humor per venas bulliscit, et inarmonia gravedinis succussati somni discoquunt membra escam quam sumpserant in ipso adhuc incocti cibi incendio) non suscitati, sed potius occisi gravi adhuc capite et indigesto rapti effugent S. Spiritus charismata.* Sensus est, ut non incipiatur Nocturni ante pullorum cantum, quia tunc fratres surgere coacti indigesti et crudi, bulliente adhuc in venis sanguine, non poterunt percipere S. Spiritus charismata.

non ex integro animo amet Deum frater in psalmis, quando per somnum cupit satisfieri carni. Nam sicut [a] luna in circulo minorata deputati nocti minus luminis complet officium, cum tarde surgit orientis exortu, tarde cursu suo in diem ingreditur occasura, sic et brevitas noctium temperata cum die propter fragilitatem carnis humanæ cogit divina in psalmis abbreviari, et jungi cum nocte diei officia. Ergo psalmi nocturni hiemis tempore, hoc est, ab æquinoctio hiemali usque ad æquinoctium vernale, id est, ab octavo Kal. Octobris usque octavo Kal. Aprilis, sed melius usque ubi fuerit Pascha, quia noctes majores sunt, [b] dici debent antiphonæ currente semper psalterio, et responsoria tria, ut fiant [c] sexdecim impositiones in Nocturnis, quam octavo Matutinorum impositiones similiter viginti quatuor vicibus secundum viginti quatuor seniorum imitationem genua nostra in nocte Deo flectantur [d] cum laudibus. Nam in noctibus majoribus ideo plus psalli debent, ut sicut nobis Deus ad repausationem prolixum spatium junxit in nocte, et nos ei per agendas gratias jungamur in laudem. Tempore vero æstatis, hoc est, a Pascha usque octavo Kal. Octobris [e] octo dicantur antiphonæ, currente, ut supra diximus, semper psalterio, et tria responsoria extra lectiones et versum, et [f] rogos Dei : ut tam istæ duodecim impositiones Nocturnæ quam simul conjunctæ, octo Matutinorum impositiones viginti vices cogat parvis noctis ratio Deo genua incurvare. Quia somnus, cum brevis est, dulcis videtur esse carni, cum corpus hominis prolixo fatigatum labore diei minori requie brevi quiescit in nocte. Ergo æstatis tempore, sicut supra designavimus, quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonæ, et tria responsoria, ut fiant duodecim impositiones secundum nomina duodecim [g] apostolorum cantici inchoati et finiti ; mox eis Matutini subjungantur propter brevitatem noctium. Sed hoc semper tam in hieme quam in æstate, tam in die quam in nocte seu in vigiliis cum psallitur, caveatur, ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet, sed singulos debere definiri cum Gloria : ut nec orationes inter ipsos agendæ perdantur, nec Glorias eorum laudi Dei videamur subducere, cum compendiosa negligentia cogimur in se psalmos inserere [h] constituit et finem. Quod si aliqua necessitas eampes psallentes perurgeat, non combinent, sed contemnent ; tamen cum Gloriis suis subsequantur : et ut citius compleant, et psalmorum numeris non minoretur. Ergo ideo aut singulos aut ternos diximus debere dici : quia sicut unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate agnoscitur ; ita aut singulos, aut pro necessitate ternos credamus tamen cum Gloriis suis dici debere. Nam combinari ex toto non licet : quia non plus, neque minus ab unitate et trinitate quod deuerit, Christianum decet. Et tunc perfectam fidem habemus, si Trinitatem perfectam æqualiter in unitate, et unitatem in Trinitate sentimus. Nam si aliqua gravis necessitas quavis hora psallentes perurgeat, dicendorum omnium psalmorum singula capita cum una Gloria compleant ; et sic exeant oratorio, ut quavis necessitate tamen opus Dei non videatur prætermitti.

§ VII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 8).

[i] In psallendi officio ista discretio erit. Dato namque legitimis temporibus signo ad orationes canonicas [j] festinabunt fratres cum properatione, omnes ad chorum occurrant, nullique ante expletum officium licebit egredi, præter eum quem necessitas naturæ compulerit. Recitantibus autem monachis post

[a] *Luna in circulo minorata.* Cum nempe in æstate describit minorem circulum super nostrum horizontem.

[b] *Dici debent antiphonæ.* Hic deest aliquid ; ut in Regula ms. ubi lacuna est post τὸ *antiphonæ*, quæ supplenda vocabulo, *tredecim :* quia in Nocturnis hiemis statuit sexdecim impositiones currente psalterio : et perfectus erit hic numerus, si tribus responsoriis addantur tredecim antiphonæ.

[c] *Sexdecim impositiones.* In Regula ms. post hæc verba sequitur : *Secundum numerum prophetarum extra lectiones, versum, et rogus* [Leg. *rogos*] *Dei, ut tam istæ sexdecim impositiones.* Quæ hic supplenda sunt ad castigationem hujus corruptissimi loci : et postea sequitur, *in nocturnis, quam*, etc. Et sensus est, ut in nocturnis sint sexdecim impositiones juxta numerum sexdecim prophetarum quatuor majorum et duodecim minorum : quibus si addantur octo impositiones Matutinorum, juxta numerum quatuor et viginti seniorum in Apocalypsi, fient quatuor et viginti genuflexiones. Impositiones autem sunt modulationes, pronuntiationes, recitationes. Imponere modulari, canere, recitare, ut imponere psalmum, imponere lectionem, capitulum. Cassianus dixit prabere psalmum : sed de his infra.

[d] *Cum laudibus.* Id est, cum alleluia, ut infra dicetur.

[e] *Octo dicantur antiphonæ.* Ita in Regula ms. cod. Corb. ; lege tamen, *novem*, non *octo*, ut paulo post habetur : *Quia minores sunt noctes, novem dicantur antiphonæ.* Quod autem hæc lectio prævaleat, patet ex cap. 44 ejusdem Regulæ, ubi hic locus clarius distinguitur : « In æstate vero a Pascha usque æquinoctium hiemale, quod est octavo Kal. Octobris, post versum apertionis et responsorium abbatis dici debent antiphonæ sex sine alleluia, deinde tres antiphonæ cum alleluia, currente psalterio, ut supra diximus, deinde aliud responsorium cum alleluia, ut fiant duodecim impositiones. »

[f] *Et rogos Dei.* Rogus a rogando est precatio Litaniæ, Kyrie eleison. Idem Magister, cap. 55 Regulæ ms., *post ipsam rogus Dei ;* cap. 56 : *post hoc et rogus Dei ;* cap. 57 : *rogus Dei, et versus ejusdem ;* cap. 40 : *et versus et rogus Dei.*

[g] *Apostolorum cantici inchoati.* Post τὸ *apostolorum*, desunt nonnulla sic supplenda ex Regula ms. : *Qui nocturni, ut supra diximus, in ipso ætatis tempore a psallorum cantu inchoati et finiti.*

[h] *Constituit et finem.* Locus mutilus, lege, ut in cod. Corb. : *Quia omni psalmo, cui initium propheta imposuit, constituit et finem.*

[i] *In psallendi officio*, etc. Hæc habentur in regula S. Isidori excusa, cap. 6, ubi sic legitur : *In psallendis autem officiis.*

[j] *Festinabunt.* Lege, ut in regula excusa, *festinæ*, in qua omittitur τὸ *fratres*. Hæc lectio confirmatur ex eodem S. Isidoro, lib. II de Officiis Ecclesiasticis, cap. 15 : « Conveniunt autem omnes frequenter nocte ac die dato signo, festina cum properatione ad orationem solemnium horarum. »

consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humo, pariter, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipient : eodemque modo per singula officia facient. Quando celebrantur psalmorum spiritalia sacramenta, refugiat monachus risus vel fabulas ; sed hoc meditetur corde, quod psallitur ore. Tertia, Sexta et Nona tres psalmi dicendi sunt, responsorium unum, [a] lectiones ex utroque testamento duæ : dehinc [b] laus, hymnus atque oratio. In Vespertinis vero officiis primo [c] Lucernarium, deinde psalmi tres, responsorium unum, et [d] laudes, hymnus, oratioque dicenda est. Post vesperum autem congregatis fratribus oportet vel aliquid meditari, vel de quibusdam divinæ lectionis quæstionibus disputare, conferendo pie atque salubriter, tantumque meditando disputandoque commorari, quoadusque tempus Completorii possit concurrere. Ante somnum autem, sicut mos est, peracto Completorio, valedictis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio quiescendum, usquequo ad vigilias consurgatur. In quotidianis vero vigiliarum officiis primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres [e] missæ psalmorum, [f] quarta vero canticorum, [g] quinta matutinorum officiorum. In Dominicis diebus, vel festivitatibus martyrum solemnitatis causa singulæ superaddantur missæ. [h] Verum in vigiliis recitandi aderit usus, in Matutinis psallendi canendique consuetudo, [i] utroque modo servorum Dei mentes diversitatis oblectamento exerceantur, et ad laudem Dei sine fastidio ardentius excitentur. Post vigilias autem [j] usque ad Matutinum reficiendum est. Post Matutinum autem operandum aliquid aut legendum. Lectiones autem ex Veteri et Novo Testamento tempore officii quotidianis diebus recitentur. [k] Sabbati vero die atque Dominico ex Novo tantum Testamento pronuntientur. Monachus autem resurrectio legitur, nullus sedeat. Perfectis missis, dicite Matutinos directaneo. » Per resurrectionem intelligitur Evangelium, quod ita appellatur, quod die Dominica, quæ in memoriam resurrectionis Christi celebratur, legeretur in Nocturnis ; vel quia certe tantum in vigiliis nocturnis diei Dominicæ legebatur Evangelium de Christi resurrectione ob eamdem rationem. Post psalmos igitur et lectiones die Dominica juxta Tetradium dicitur una missa, seu collecta, quam excipit Evangelium, sequuntur cæteræ missæ, tandem Matutini. In diebus Dominicis et festis numerus missarum augebatur ob solemnitatem. Ita statuit S. Isidorus hoc capite : « Dominicis vero diebus et festivitatibus martyrum solemnitatis causa singulæ superadjiciendæ sunt missæ. » Et S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 2 suæ Regulæ ms. : « Sabbatorum vero et Dominicarum noctium curriculis seno missarum superadjecto officio senis etiam missis vigiliæ cum senis responsoriis celebrantur, ut resurrectionis Dominicæ solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis honoretur. » Unde Tetradius loco citato, vigilias Dominicæ cum sex missis præcipit celebrandas, qui reliquorum dierum nocturnis tres tantum missas assignat.

[a] *Lectiones ex utroque testamento.* In Regula excusa ita legitur et distinguitur : *Lectiones ex Veteri Novoque Testamento, duæ deinde Laudes.*

[b] *Laus.* In Reg. exc. *Laudes*, rectius, id est, Alleluia.

[c] *Lucernarium.* Nota hic lucernarium distingui ab officio vespertino. Sed de hac re infra.

[d] *Laudes.* Laudes sunt Alleluia, ut planum est ex S. Isidoro, lib. I de Officiis Eccl., cap. 3 : « Laudes, hoc est, Alleluia canere, antiquorum est Hebræorum. »

[e] *Missæ tres psalmorum.* Missæ sunt collectæ seu orationes, quæ olim dicebantur ad finem psalmorum. Ita collectam appellat Cassianus, lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 7 : « Qui necdum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus ad celebritatem missæ quantocius properantes. » Ita enim legendum et antiqua lectio est retinenda, pro qua nonnulli supposuerunt : *celeritatem missæ*, per missam finem intelligentes. Sed absurda prorsus loquendi formula. Dicimus enim properare ad finem, non ad celeritatem finis. Nec est quod celeritatem interpretentur accelerationem : nam æque absurdum est dicere properare ad accelerationem finis. Sit ergo missa collecta seu oratio, quæ profecto celebratur cum solemniter a sacerdote profertur. Sciendum est enim olim a monachis Ægypti usitatum fuisse ad finem cujusque psalmi in orationem procumbere, qua breviter expedita sacerdos collectam diceret, quæ hic *missa* appellatur. Hæc plana sunt ex Cassiano capite citato. « Has igitur prædictas orationes hoc modo incipiunt atque consummant, ut finito psalmo non statim in incurvationem genuum corruant, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, qui necdum bene finito psalmo in orationem procumbere festinamus ad celebritatem missæ quantocius properantes, etc. » Et paulo post : « Cum autem is, qui orationem collecturus est e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita ut nullus nec antequam inclinetur ille, genuflectere, ne cum e terra surrexerit, remorari præsumat : ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, quam celebrasse credatur. » Et nota, *celebrasse conclusionem, non celerasse.* Et cap. 10 : « Ac præcipue cum consummatur oratio, in qua nec sputum emittitur. » Sed fuit diversus hujusmodi missarum seu collectarum recitandarum usus. Nam S. Isidorus hoc loco statuit, ut post psalmos recitentur. Aliter Tetradius, cap. 20 suæ Regulæ, hoc modo : « Vigilias [*Leg.*, ad vigilias] a mense Octobri usque ad Pascha duos nocturnos faciant, et tres missas : ab una missa legat frater. » Et art. seq. : « Omni Dominica sex missas facite : prima missa semper resurrectio legatur : missis, dicite Matutinos directaneo. » Per resurrectionem intelligitur Evangelium, quod ita appellatur, quod die Dominica, quæ in memoriam resurrectionis Christi celebratur, legeretur in Nocturnis ; vel quia certe tantum in vigiliis nocturnis diei Dominicæ legebatur Evangelium de Christi resurrectione ob eamdem rationem. Post psalmos igitur et lectiones die Dominica juxta Tetradium dicitur una missa, seu collecta, quam excipit Evangelium, sequuntur cæteræ missæ, tandem Matutini. In diebus Dominicis et festis numerus missarum augebatur ob solemnitatem. Ita statuit S. Isidorus hoc capite : « Dominicis vero diebus et festivitatibus martyrum solemnitatis causa singulæ superadjiciendæ sunt missæ. » Et S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 2 suæ Regulæ ms. : « Sabbatorum vero et Dominicarum noctium curriculis seno missarum superadjecto officio senis etiam missis vigiliæ cum senis responsoriis celebrantur, ut resurrectionis Dominicæ solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis honoretur. » Unde Tetradius loco citato, vigilias Dominicæ cum sex missis præcipit celebrandas, qui reliquorum dierum nocturnis tres tantum missas assignat.

[f] *Quarta Canticorum.* Dicenda ad finem Canticorum.

[g] *Quinta Matutinorum.* Dicenda ad finem Matutinorum.

[h] *Verum in vigiliis recitandi usus.* Vult vigilias nocturnas tantum recitari, Matutinos vero cani. In Regula excusa legitur : « Verum in vigiliis recitandis aderit usque in matutinis psallendi canendique consuetudo. » Hæc corrupta sunt, nec sequentibus cohærent, quæ diversitatis oblectamentum propponunt.

[i] *Utroque modo.* Lege, *ut utroque modo.*

[j] *Usque ad Matutinum reficiendum est.* Recta lectio in Regula excusa legitur, *requiescendum est* : sed vocabulum mutatum ab iis qui nesciebant quid sit *reficere*. Nam reficere hoc loco est pausare, requiescere, seu mavis, corpus somno reficere, id est, instaurare. Cassianus lib. III de Diurnis Or., cap. 6 : « Ut post excubias totius noctis duabus ferme horis reficientes corpora sua, nequaquam per totum diei spatium somni torpore marcescant. » Hinc refectio, eodem capite : « Requie brevis hujus temporis pro totius noctis refectione contenti. » Et cap. 4 ejusdem libri : « Reliquas horas (noctis) refectioni corporum deputatas a majoribus nostris invenimus. »

[k] *Sabbati vero die*, etc. Cass. lib. II de Nocturn. Orat., cap. 2 : « In die vero sabbati et Dominico (lectiones) recitent de Novo Testamento, id est,

tem corporis sanitate consistens si vigiliis vel quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.

§ VIII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 29).

[a] Ad vigilias dum lectio legitur, aut [b] de sparto aut de canabe aut aliud hujusmodi manibus operamini, ut non somnus obrepat. Si vero Dominicus, aut festi sunt dies, cui somnus venerit, aliis sedentibus, jubeatur stare, ut possit a se somni marcorem depellere : ne in opere Dei tepidus inveniatur, aut negligens.

§ IX. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 7).

[c] De synaxi vero, id est, cursu psalmorum et [d] orationum modo canonico quædam sunt distinguenda;

unam de Apostolo, vel Actibus apostolorum, et aliam de Evangeliis. »

[a] *Ad vigilias.* Ex S. Cæsario Arelatensi in regula Sanctimonialium, cap. 13 : « In vigiliis ut nemo per otium somno gravetur, ea opera fiat, quæ mentem non retrahat a lectionis auditu. Si qua gravatur somno, aliis sedentibus, jubeatur stare, ut possit a se somni marcorem repellere : ne in opere Dei tepida inveniatur aut negligens. » Sed hunc locum S. Cæsarii fuisse corruptum certum est; qui ex hoc S. Aureliani loco castigandus est, his verbis : *Si vero Dominicus aut festi dies sunt*, sancto Cæsario restitutis, hoc modo : *Si vero Dominicus aut festi dies sunt, quæ gravatur somno*, etc. Nam statuunt hi patres profestis diebus, dum lectiones leguntur, laborandum esse, si somnus obrepat : festis vero standum; quia illis diebus operari servilia, haud licitum est.

[b] *De sparto.* Spartum est funis, restis, Hesychio, Suidæ et aliis, παρὰ τὸ σπείρω τὸ εἰλίσσω, inquit auctor veteris etymologici, a σπείρω, id est, implico, involvo, torqueo. Glossæ Cyrilli : σπάρτος, *restis.* Idem quod πλεκτὰ, id est, restis, in Vitis Patrum. Est etiam spartum herba Hispanica rusticorum stratis, calceamentis, sportellis, funibus navium conficiendis idonea. Nascitur in regione Carthaginensi, quæ est Hispania citerior. Non tota regio profert, sed pars quædam, ob id sterilis, quia nihil aliud parit, docent Plinius lib. XIX, cap. 2; et Varro apud Agellium, lib. XVII, cap. 3. Illius usus diu Græcis ignotus fuit, etsi Homerus illius mentionem faciat Iliad. II :

. . . . . νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται.

Id est, sparta navium dissoluta sunt. Nam sparta hoc loco sunt genistæ, ut vult Plinius lib. XXIV, cap. 9, vel sativa quædam, ut canabe, vel stupa suendis olim navibus apta, ut vult Agellius capite citato. Hæc herba est animalibus noxia, ut scribit Plinius lib. XIX, cap. 2.

[c] *De synaxi vero.* Hæc habentur in Reg. ms. S. Columbani cod. Flor. et in editione Parisiensi, quæ sumpta fertur ex monasterio Bobiensi fundato a S. Columbano, cum in Italia exsularet. Non exstant tamen in editione Insulæ, ubi Regula S. Columbani typis mandata est cura Melchioris Haiminsfeldii Goldasti ex bibliotheca monasterii S. Galli. Quod sane miror. Hoc autem caput multis tricis involutum est ob exemplariorum depravationem, quas tamen evolvere pro virili conabor.

[d] *Orationum modo canonico.* Modus hoc loco est numerus.

[e] *Apud seniores nostros.* Ita in Reg. ms. cod. Flor. In editione Parisiensi : *Cum senioribus nostris.* Sed prior lectio præstat. Intelligit seniores amplissimi et celeberrimi illius cœnobii Bencor in Hibernia siti. Nam illius monachus S. Columbanus fuit, ut scribunt Jonas in ejus Vita, et S. Bernardus in Vita S. Malachiæ. Fuit etiam aliud monasterium nomine

A quia varie a diversis memoriæ de eo traditum est, ideo juxta vitæ qualitatem ac temporum successionem varie a me quoque litteris insinuetur. Non enim uniformis esse debet pro reciproca temporum alternatione. Longior enim per longas noctes breviorque per breves esse convenit. Inde et [e] apud seniores nostros [f] ab octavo Kal. Jul. [g] cum noctis augmentum [h] sensim incipit crescere cum choris brevissimi modi [i] in nocte sabbati sive Dominicæ [j] usque ad initium hiemis, id est Kal. Novemb., in quibus XXV canunt antiphonas [k] psalmorum ejusdem numeri, [l] qui semper tres loco duobus succedunt [m] psallites : ita ut totius psalterii inter duas supra dictas noctes

B Bancor, seu Bancornaburg in Anglia, in regione Britonum, qui pulsi ab Anglis in penitiores insulæ partes se receperant, religione et monachorum multitudine clarum, ut testatur Beda lib. II Hist. Angl., cap. 2. Quod ideo notavi, quia nonnulli hæc duo monasteria confundunt, cum tamen alterum sit in Hibernia, alterum in Britannia majore.

[f] *Ab octavo Kal. Julii.* Ita in omnibus codicibus.

[g] *Cum noctis augmentum.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In editione Parisiensi legitur : *Cum noctis augmento ;* recte.

[h] *Sensim incipit crescere cum choris brevissimi modi.* Ita in Reg. cod. Flor.; rectius tamen in editione Parisiensi. *Sensim incipit crescere cursus a duodecim choris brevissimi modi.* Horum autem omnium sensus est : Cum noctis augmento sensim incipit crescere cursus officii divini, qui antea brevissimus erat. Quomodo autem sit paulatim augendus, non dicit : quia a Kalendis Novembris assignat tantum numerum antiphonarum et psalmorum recitando-
C rum tota hieme in noctibus sabbati et Dominicæ.

[i] *In nocte sabbati sive Dominicæ.* Hoc loco particula, *sive*, non est disjunctiva, sed copulativa, ut infra eodem cap. : *Ad mediumque noctis sive pullorum cantum.* Solemnes autem facit vigilias sabbati, quia olim apud multos sabbatum solemne erat perinde ac Dominica, ut infra dicetur.

[j] *Usque ad initium hiemis.* Hiems hoc loco paulo latius sumitur. Nam incipit tantum in solstitio brumali.

[k] *Psalmorum ejusdem numeri.* In editione Parisiensi additur τὸ *duplicis*, sed puto legendum, *triplicis.*

[l] *Qui semper tres loco duobus succedunt.* Ita in Reg. ms. cod. in editione Parisiensi : *Qui semper tertio loco succedunt.* Flor.

[m] *Psallites.* Ita in Reg. cod. Flor. male. In editione Parisiensi, legitur *psaltis* ; recte. Potest etiam
D legi *psallitis*, pro *psaltis*. Totum ergo hunc locum ita legendum arbitror : *In quibus viginti quinque canunt antiphonas psalmorum ejusdem numeri triplicis, qui semper tres succedunt psaltis.* Sensus est, ut canantur quinque et viginti antiphonæ cum psalmis quinque et septuaginta, qui numerus ex quinque et viginti triplicatis exsurgit; et singulis psalmorum ternionibus una interseratur antiphona : sicque quinque et viginti antiphonæ sufficient huic psalmorum numero. Quod autem hic debeat psalli numerus psalmorum in istis vigiliis, patet ex sequentibus : *Ita ut* (inquit) *totum psalterium inter duas supra dictas noctes numero cantent duodecim choris.* Id est, media pars psalterii in nocte Dominicæ, altera in nocte sabbati cantetur : et sic unaquæque nox habebit quinque et septuaginta psalmos, ut infra declarat : *Pluribus (ut jam dixi) nocti Dominicæ et sabbati deputatis, in quibus sub uno cursu* LXXV *singillatim cantantur.*

numerum [a] cantent XII choris [b] cæteras temperantes tota hieme noctes, qua finita [c] ver sensim [d] per singulas hebdomadas terni semper decedunt psalmi : ut XII [e] in sanctis noctibus tantum antiphonæ remaneant, [f] id est quotidiani hiemales XXV psalmi cursus. [g] XXIV autem per totum ver aut æstatem, et usque ad autumnale æquinoctium, id est VIII Kal. Octobtis, in quo similitudo synaxeos sicut in vernali æquinoctio, id est, VIII Kal. Aprilis, dum per reciprocas vices paulatim et [h] crescit et decrescit. Igitur juxta vires considerandæ vigilia est, maxime cum ab auctore salutis nostræ jubemur vigilare et orare omni tempore, et Paulus præcipit sine intermissione orare (*I Thess.* v). Sed quia orationum canonicarum noscendus est modus in quo omnes simul orantes horis conveniunt statutis, quibus absolutis unusquisque in cubiculo suo orare debet [i] per diurnas horas terni psalmi pro operum interpositione statuti sunt a senioribus nostris, [j] cum versiculorum augmento intervenientium pro peccatis primum nostris, deinde pro omni populo Christiano, pro sacerdotibus et reliquis Deo consecratis sacræ plebis gradibus, postremo pro eleemosynas facientibus, postea pro pace regum, novissime pro inimicis, ne illis Deus statuat in peccatum, quod persequuntur nos et detrahunt nobis : quia nesciunt quid faciunt. [k] Ad initium vero noctis duodecim psalmi, [l] ad medium noctis duodecim simul psallantur. Ad matutinum vero bis deni, bisque bini per tempora brevium, ut dictum est, noctium sunt dispositi, pluribus (jam dixi) semper nocte Dominica sabbati vigiliæ deputatis, in quibus [m] sub uno versu LXXV singillatim cantantur. Hæc juxta communem dicta synaxim. Cæterum vero, ut dixi, orandi traditio, ut possibilitas ad hoc destinati sine fastidio voti præveleat, [n] sive perfectio possibilitatis permittat, vel capacitas mentis illius cum necessitatum consideratione, vel vitæ qualitas possit admittere, quantum uniuscujusque fervor exegerit, si liber ac solus sit, aut eruditionis ejus quantitas postulaverit, aut status otium, aut magnitudo studii, aut operum qualitas, aut ætatis diversitas permiserit. Ita varie unius rei perfectio æstimanda est, [o] quia cum labore adorationis partitur. Et ideo, licet longitudo standi aut cantandi sit varia, unius tamen perfectionis erit æqualitas orandi, in corde et mente jugis intentio.

[a] *Cantent* XII *choris*. In monasterio S. Columbani erat laus perpetua, id est, perpetuo die et nocte in oratorio Dei laudes canebantur a diversis monachorum choris sibi succedentibus. Notandum tamen est hos duodecim choros in diversis oratoriis officium divinum celebrare solitos. Nam tam prolixum officium non potuisset persolvi integro die a duodecim choris sibi in eodem oratorio succedentibus. Puto igitur plura olim fuisse oratoria in monasterio. S. Columbani, in quibus tres vel quatuor ex his duodecim choris sibi in Dei laudibus celebrandis succederent. Fuit etiam olim hæc laus perennis in cœnobio Agaunensi, ut planum est ex Eucherio episcopo in Vita S. Mauricii, cap. 13, et in cathedrali ecclesia Misnensi, ut clarum est ex Hieronymo Emsero in Vita S. Bennonis ejusdem urbis episcopi.

[b] *Cæteras noctes*. A supra dictis noctibus Dominicæ et sabbati.

[c] *Ver*. Lege : *Per ver*. Ita in Reg. ms. cod. Flor. et editione Parisiensi.

[d] *Per singulas hebdomadas terni semper decedunt*. Id est, ex illis psalmis quinque et septuaginta, qui hieme in noctibus sabbati et Dominicæ dicuntur, tempore veris singulis hebdomadibus tres psalmi deducantur et subtrahantur, ut remaneant sex et triginta dicendi in sanctis noctibus sabbati et Dominicæ, in ipso solstitio æstivo primo die, quo inciderint.

[e] *In sanctis noctibus*. Ita in Reg. ms. cod. Fl. editio Parisiensis habet : *In singulis noctibus*, minus recte. Nam hoc loco, quid dicendum sit in noctibus Dominicæ et sabbati, quæ S. Columbano solemnes sunt, ordinatur.

[f] *Id est quotidiani hiemales* XXV *psalmi cursus*. Primo *id cursus*, transpositum esse videtur, et legendum, *quotidiani cursus*. Secundo legendum, *triginta sex*, ut in editione Parisiensi, quam lectionem germanam esse existimo. Quia cum ab octavo Kal. aprilis, usque ad octavum Kal. Julii, quibus vernum tempus circumscribitur, tredecim connumerentur hebdomadæ, si ex singulis hebdomadis, ut diximus, deducantur tres psalmi, triginta sex remanebunt. Suadet etiam numerus duodecim antiphonarum. Nam si per singulas antiphonas tres psalmi concinendi sunt, duodecim antiphonarum numero absolventur. Hi autem psalmi dicuntur hiemales quotidiani cursus, quod in ejus monasterio quotidie discerentur hiemis tempore in nocturnis officiis.

[g] XXIV *autem*, etc. Ita reposui, ut in editione Parisiensi : cum in nostra Concordia legeretur, est. Statuitur hoc loco quot debeant dici psalmi in vigiliis nocturnis quotidie, exceptis Dominica et sabbato, tempore veris, æstatis atque autumni.

[h] *Crescit et decrescit*. Nempe divini officii synaxis cum ipsis noctibus.

[i] *Per diurnas horas*. Intelligit primam, tertiam, sextam, nonam, vesperam.

[j] *Cum versiculorum augmento*. Sunt hi versiculi, qui dicuntur ante collectam ab iis qui retinent usum antiquorum breviariorum ordinis; et preces vulgo appellantur, quorum consuetudo emanat ex hac institutione S. Columbani; quia olim in multis monasteriis utraque regula S. Benedicti et S. Columbani observabatur. Harum precum multus est usus apud Græcos, quæ dicuntur εἰρηνικά, id est pacifica. Atque etiam συνάπτη, id est, connexio, estque duplex, altera major, altera minor, ut planum est ex Liturgia Præsanctificatorum.

[k] *Ad initium noctis*. Quod respondet Completorio.

[l] *Ad medium noctis duodecim*. Hic locus intelligendus est de synaxi nocturna Dominicæ et sabbati. Quibus duodecim psalmis si adjungas quatuor et triginta psalmos matutinorum, fient sex et triginta psalmi recitandi in brevibus noctibus Dominicæ et sabbati, ut supra diximus; unde subjungit : *Per tempora brevium, ut diximus, noctium*. Quæ verba superiorem nostram explicationem confirmant. Præterea notandum est officium nocturnum seu vigilias nocturnas constitui a S. Columbano ex mediis noctis et matutino.

[m] *Sub uno versu*. Lege : *Sub uno cursu*, ut in Reg. ms. cod. Flor. et editione Parisiensi, quia illis sanctis noctibus Dominicæ et sabbati propter officii prolixitatem synaxes mediæ noctis et matutinorum nullo temporis intervallo distinguuntur.

[n] *Sive*. Reg. ms. cod. Flor. addit : *Sua*, hoc modo, *sive suæ perfectio possibilitatis*.

[o] *Quia cum labore adorationis partitur*. Lege, ut in editione Parisiensi : *Quia cum labore ac loco adorationis vices partitur*.

Sunt autem quidam catholici, quibus idem est canonicus duodenarius psalmorum numerus sive per breves sive per longas noctes, sed per quaternas in nocte vices hunc [a] canonem reddunt, ad initium scilicet noctis, ad medium que noctis, [b] sive pullorum quoque cantum ac matutinum. Cursus sicut in hieme parvus esse videtur, ita æstate satis laboriosus, et gravis invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit quam fatigationem. Noctibus vero reverentissimis Dominicæ et sabbati ăd matutinum ter idem volvitur numerus, id est, ter denis et sex psalmis. Quorum pluralitas [c] ad sanctam conversationem [d] hunc numerum canonicum multis [e] dulci indixit suavitatem tanquam et reliquam disciplinam : sub quorum nimirum regula nullus invenitur lassus, et cum tanta pluralitas monachorum sit, ita ut [f] mille abbates sub uno archimandrita esse referantur, nulla ibi [g] a conditione cœnobii inter duos monachos rixa fuisse ferter visa : quod nisi ibi Dei esset habitatio dicentis : *Ego in eis habitabo, et inter illos ambulabo : et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* VI ; *Lev.* XXVI), esse non posse manifestum est; merito itaque creverunt, et quotidie, Deo gratias, crescunt in quorum medio Deus habitat, quorum meritis mereamur salvari.

[a] *Canonem.* More Græcorum dixit, qui cursum divini officii *canonem* appellant, de qua voce infra.

[b] *Sive pullorum quoque cantum.* Particula *sive* hoc loco sumitur copulative, ut supra observatum est : deest tamen in editione Parisiensi. Pullorum cantus est gallicinium, quam noctis partem inter officii divini synaxes recenset Anonymus in expositione psalmi CXIX.

[c] *Ad sanctam conversationem.* In cod. Parisiensi : *Ac sancta conversatio.*

[d] *Hunc numerum*, etc. Lege : *Hoc numero canonico*, ut in editione Parisiensi.

[e] *Dulci.* Lege, *dulcem*, ut in Parisiensi editione.

[f] *Mille abbates.* Abbates isti erant instar præpositorum seu decanorum qui plures habebant sub se monachos, quibus omnibus præerat unus archimandrita. Notanda sane in eodem cœnobio monachorum quantitas, quæ saltem erat undecim millium, cum credendum sit sub singulis abbatibus seu decanis, qui mille erant, saltem decem fuisse monachos; quid si quadraginta sub uno præposito, ut Pachomiani, erant? Hoc monasterium non erat Bancorense in Hibernia cujus erat monachus S. Columbanus, nam de illo, tanquam de extraneo, loquitur. Nec aliquod erat ex monasteriis Ægypti : nam vix mihi persuadere possum ætate S. Columbani, fuisse in Ægypto tam amplum monasterium. Credibile est hujusmodi monasterium etiam fuisse in Hibernia, cum de eo tanquam de sibi apprime noto loquatur sanctus Columbanus.

[g] *A conditione.* Præpositionem, *a*, supplevi ex Reg. ms. cod. Flor. et editione Parisiensi.

APPENDICES AD CAPUT XXIII.

MONITUM H. MENARDI.

(In codice ms. Concordiæ desunt hic septem capita Regulæ sancti Benedicti, a nono usque ad decimum sextum. Omisit illa auctor noster quia nihil habebat ex antiquis Patribus quod posset cum his capitulis conferre. Magister quidem in sua Regula fuse et enucleate satis officia divina ordinavit, sed in sua ordinatione ita a sancto Benedicto dissidet, ut jure merito auctor noster illam prætermiserit. Nos vero, ne quid ex Regula sancti Benedicti in hoc libro deesse videretur, ea quæ ab auctore nostro prætermissa fuerant appendicis nomine transcripsimus a Smaragdo emendicata, tum quia antiquus scriptor est, tum quia textus Regulæ quem profert maxime convenit cum hoc ms. codice Concordiæ.)

APPENDIX PRIMA. — [a] *Quanti psalmi dicendi sunt in noctibus.*

(Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 9.)

Hiemis tempore [b] supra scripto in primis versu præmisso, id est, [c] *Deus in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina.* In secundo, [d] tertio dicendum : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Cui subjungendus est tertius psalmus, et [e] Gloria. Post

[a] *Quanti psalmi.* Apud S. Dunstanum legitur : *Quanti et quot.* Sed non videtur necessarium addere : *Et quot.* Quia τὸ *quanti*, idem est ac, *quot*, ut supra notatum est.

[b] *Supra scripto.* Ita apud Smaragdum, quæ tamen verba non exstant apud S. Dunstanum, nec in vulgatis editionibus, quemadmodum nec in aliis cod. nostris mss. Referuntur ad illa verba : *hiemis tempore*, ut videre est apud Smaragdum.

[c] *Deus in adjutorium meum intende.* Hunc versiculum omnibus actionibus suis præmittebant monachi illi Ægyptii, ut fuse docet Cassianus, collat. X, cap. 10. Walfridus Strabo de Rebus Eccl., cap. 23, ait hunc versiculum etiam præmissum fuisse ab iisdem monachis horis canonicis : quod non puto, quia Cassianus cap. citato nullam facit officii divini mentionem ; et lib. II de Nocturnis Orationibus, ut lib. III de Diurnis Orat. in quibus fuse antiquorum illiorum Patrum officia divina describit, nihil tale repereris. Mihi facile in animum induxerim hoc esse S. P. Benedicti inventum : cum nihil hujusmodi ante illius ætatem legatur. Porro de officio divino, ut a S. P. Benedicto ordinatum est, vide mysticam interpretationem apud Rupertum, lib. II in Regulam S. Benedicti.

[d] *Tertio.* Id est, ter : ita loquitur S. Benedictus, cap. 35 : « Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus. » Et cap. 38 : « Et Dicatur hic versus in oratorio *tertio* ab omnibus. » In vulgatis legitur, *ter.*

[e] *Gloria.* Hoc loco S. Benedictus versiculos, *Deus in adjutorium ; Domine labia*, et psalmum tertium sub una Gloria concludit. Hunc autem hymnum quem vocant glorificationis, traditione apostolorum ad nos manasse certum est, ut docet S. Basilius, lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 7 : Διὸ καὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ τὴν δοξολογίαν προσφέρομεν τῷ Πατρί. ἀλλ' οὐ τοῦτο ἡμῖν ἔξαρκεῖ, ὅτε τῶν πατρῶν ἡ παράδοσις ; id est, « quapropter glorificationis hymnum Patri simul cum Filio offerimus : sed nonne hoc nobis sufficit, quod hanc sit Patrum traditio? » Idem, docet

hunc [a] psalmus nonagesimus quartus cum antiphona aut certe decantandus. [b] Inde sequatur Ambrosia-

cap. 27 et 29, in quibus agit de traditionibus apostolicis, ejusdem libri. Hic hymnus multipliciter exprimebatur. Primo, Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ τῷ Πνεύματι ἁγίῳ, id est *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, ut notum est ex eodem Basilio, ejusdem lib. cap. 27. Secundo, Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ σὺν Πνεύματι ἁγίῳ, id est, *Gloria Patri et Filio cum Spiritu sancto*. Tertio : *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto*, ut statuitur in conc. Toletano IV, can. 14 : « In fine psalmorum non sicut a quibusdam hucusque, *gloria Patri*, sed *gloria et honor Patri*, dicatur, David propheta dicente : *Afferte Domino gloriam et honorem.* » Et in conc. Toletano III secundæ editionis, quæ est Garsiæ Loaysæ, can. 14, in confessione fidei : « Quicunque non dixerit, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto*, anathema sit. » Ita olim cecinerunt angeli, ut notum est ex Vita S. Eugeniæ, quæ floruit Commodo imperatore : « Et angeli transeuntes hymnum Deo dicebant. Hoc solum intelligebatur, quod nomen Jesu Christi et Spiritus sancti in ipsis laudibus resonabat : *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto, et nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.* Ariani vero abutentes verbis Apostoli (*Rom.* XI) ad suæ hæresis patrocinium ita efferebant hymnum glorificationis : Δόξα Πατρὶ δι' Υἱοῦ εἰς τὸ Πνεῦμα ἅγιον, id est, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto :* ut constat ex Theodoreto, lib. I Hist. Eccl., cap. 24, ubi luridus ille et distorta lineamentorum compage deformis spado, Arianorum satelles et administer Leontius patriarcha Antiochenus, ut dissimularet hæresim, cum esset in synaxi, hæc ejusdem hymni verba : *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, submisse dicebat, reliqua vero : *In sæcula sæculorum*, clare et distincte. Id etiam planum est ex S. Gregorio Turonensi, lib. VI. Hist. cap. 14, ubi Opila Arianus disputans cum dicto Gregorio Turonensi sic ait : « Quia, inquit, Gloriam non recte respondetis, nos juxta Apostolum dicimus : *Gloria Patri per Filium.* » Huic hymno additur clausula maxime a Græcis : Νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, id est, *nunc et semper, et in sæcula sæculorum.* Quam videre est in Liturgia S. Joannis Chrysostomi, in Vita S. Eugeniæ paulo ante citata, apud Joannem Moschum, cap. 119 Prati Spiritualis, ubi additur particula πάντοθεν, id est, *undique*, πάντοθεν νῦν καὶ ἀεὶ, etc. Et apud Walfridum Strabonem mox citandum. Quidam prætermissis primis hujus clausulæ verbis dicebant tantum, *In sæcula sæculorum*, ut apparet ex Theodoreti loco supra citato, et ex concilii Toletani IV can. 12 : « In fine omnium psalmorum dicimus, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritu sancto in sæcula sæculorum, amen.* » Quod spectat ad hæc verba : *Sicut erat in principio*, in concilio Vasensi. anno 529 statuitur canendum post hymnum, *Gloria Patri.* « Et quia non solum in sede apostolica (inquit concilium, can. 3), sed etiam per totum Orientem, et totam Africam vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore fuisse blasphemant, in omnibus clausulis post, *Gloria Patri*, etc. *Sicut erat in principio* dicitur, et nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus. » Ubi puto hæc verba, *totum Orientem*, esse additicia, cum nusquam repereris, *Sicut erat in principio*, tunc apud Græcos in usu fuisse. Sed et Walfridus Strabo, capite 25, ait Græcos non dicere, *Sicut erat in principio ;* sed hoc modo, *et nunc et semper, et in sæcula sæculorum amen.* Canitur autem hic glorificationis hymnus in fine singulorum psalmorum. Ritum manasse a Damaso papa vulgo fertur hortatu D. Hieronymi, ut patet ex ejus quadam epistola ad ipsum Damasum. Sed viri docti hanc epistolam non esse S. Hieronymi asserunt, quia in ea dicitur ita cani in Orientali Ecclesia : quod tamen apparet falsum ex Cassiano qui post S. Hieronymum diu vixit in oriente, cum ait, libr. II de Noctur. Orat., cap. 8 : « Illud etiam quod in hac provincia (Massiliensi) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes astantes concinant cum clamore, *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, nusquam per omnem Orientem audivimus : sed cum omnium silentio ab eo qui cantat, finito psalmo orationem succedere : hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo solere antiphonam terminari. » Imo Romani rarius hunc hymnum psalmis adhibebant, ut notum est ex Walfrido mox citando, qui vivebat tempore Ludovici Pii. Sed et varia fuit hujus hymni canendi ratio, ut ex iis Walfridi verbis, cap. 25, libr. de Rebus Eccl. clarum est. « Hunc itaque hymnum nonnulli in omnibus pene psalmis, interdum incisionibus psalmorum coaptant. Responsoriis vero paucioribus, ut illi qui statuta Patris Benedicti in horis sequuntur canonicis. Romani vero in psalmis rarius, in responsoriis crebrius usurpant. » Hispani in fine omnium psalmorum canebant, ut patet ex concilii Toletani IV can. 12 supra citato : atque etiam responsoriis, in lætis quidem, non in tristioribus, ut statuitur can. 15 ejusdem concilii infra citando. Unde in officio defunctorum omittitur, ut decernitur prima additione capitularis Ludovici imperatoris, titulo 66 mox citando.

[a] *Psalmus nonagesimus quartus.* In mss. cod. S. Germ. ma. S. Far. Vict. p. additur : *Venite, exsultemus.* Post imploratum præmissis versiculis et psalmo tertio Dei auxilium hoc psalmo se mutuo fratres ad laudes Deo persolvendas excitant : ac propterea appellatur a Magistro, cap. 44 suæ Regulæ, *responsorium hortationis.* « Oportet, inquit, in nocturno ab abbate dici versum apertionis, Responsorium hortationis. » Appellatur et psalmus invitatorius, qui olim in officio defunctorum non dicebatur, ut notum est ex prima additione Capitul. Lud. imp. titul. 66 : « Psalmus invitatorius et gloria pro defunctis non cantetur : » et propter eamdem causam appellatur sonus in officio Mosarabo Isidoriano : « Sonus est, *Venite exsultemus Domino, jubilemus* Deo salutari *nostro.*

[b] *Inde sequitur Ambrosianum.* Ita hunc locum Regulæ exponit Walfridus Strabo, cap. 25, lib. de Rebus Ecclesiasticis : « In officiis quoque, quæ beatus Benedictus abbas omni sanctitate præcipuus ordinavit, hymni dicuntur per horas canonicas, quos Ambrosianos ipse nominans, vel illos vult intelligi, quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos : » recte. Dicti sunt a S. Ambrosio, ut testatur S. Isidorus, lib. I de Offic. Eccl., cap. 6 : « Atque inde hymni ex ejus (Ambrosii) nomine Ambrosiani vocantur, quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt : cujus celebritatis devotio posthac per totas occidentis Ecclesias observatur. » Horum meminit concilium Turonense II, can. 24, eosque probat, aliosque cantari dignos : « Licet hymnos Ambrosianos habeamus, etc. » quemadmodum et concilium Toletanum IV, can. 12, etsi non sunt de Scripturis canonicis : « Hymni humano studio ad laudem Dei atque apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut ii quos beatissimi doctores Hilarius et Ambrosius ediderunt, etc. » Nec his obest canon 30 concilii I Bracarensis : « Item placuit, ut Veteris Testamenti nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut et sancti præcipiunt canones. » Nam concilium tantum vetat Veteris Testamenti textum poetice compositum cani in ecclesia, ne per hujusmodi poesin sanctæ Scripturæ puritas et majestas adulteretur : non tamen rejicit hymnos ab orthodoxis Patribus elucubratos. De Ambrosianis consule Rupertum, lib. II in Regulam S. Benedicti cap. 5.

num. Deinde sex psalmi; quibus dictis, dicto versu, [a] benedicat abbas, et sedentibus cunctis in scamnis legantur vicissim a fratribus in codice [b] super analogium tres lectiones, inter quas et [c] tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine Gloria dicantur. [d] Post tertiam vero lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem et reverentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis Dominicæ auctoritatis tam Veteris Testamenti quam Novi. Sed et expositiones earum, quæ [e] a nominatis et orthodoxis catholicis Patribus factæ sunt. Post has vero sex lectiones cum responsoriis suis sequantur reliqui sex psalmi cum [f] alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur [g] ex corde recitanda: et versus et [h] supplicatio Litaniæ, id est, Kyrie eleison. Et sic finiantur vigiliæ noc turnæ.

A

B

C

D

Appendix II. — *Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.*

(Ex eadem Regula, *cap.* 10.)

A Pascha autem usque ad Kalendas Novembris omnis, ut supra dictum est, psalmodiæ quantitas teneatur: excepto quod lectiones in codice propter brevitatem noctium minime legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus una de Veteri Testamento memoriter legatur, quam breve responsorium subsequatur. Et reliqua omnia, ut dictum est, impleantur. Id est [i] ut nunquam minus a duodecim psalmorum numerum cum in vigiliis nocturnis, tum in vespertina synaxi decantandum S. Pachomio angelus revelavit, ut scribit Palladius, cap. de Tabennesiotis. Hacque ratione noluit S. Benedictus ab hoc numero deflectere saltem in nocturnis vigiliis. Nam in synaxi vespertina noluit hunc duodenarium numerum observari brevitati consulens: quia divinis officiis multa adjecit, insuper et completorium, quæ non erant in canone priscorum illorum monachorum. Synodus Turonica II, can. 18, ob eamdem angeli revelationem in utraque celebritate nocturna et vespertina statuit, ut non minus, quam duodecim psalmi canerentur: etsi in quibusdam mensibus hunc augeat numerum in vigiliis nocturnis: « Et ad duodecimam, inquit, duodecim cum Alleluia, quod etiam angelo ostendente didicerunt (antiqui Patres) si ad duodecimam duodecim psalmi, cur ad matutinum, non itemque duodecim explicentur? » Hoc autem loco matutinum pro vigiliis nocturnis usurpatur, ut infra

[a] *Benedicat abbas.* Ita hunc locum explicat Smaragdus: *Id est, post versum a cantante dictum dicat Abbas: precibus omnium sanctorum suorum salvet et benedicat nos Dominus, vel aliquam aliam ejusmodi benedictionem.* Hæc ergo benedictio est capitulum illud, quod modo appellatur absolutio. Postea multa addita sunt, ut oratio Dominica, petitio benedictionis a lectore, cujus mentio fit. 1. add. Capitul. Lud. Imp. tit. 67. *Ut lector stando benedictionem postulet*, et, *tu autem Domine*, in fine lectionis: cujus mentio fit eadem additione tit. 69. *Deinde regula, aut Homilia quædam legatur; deinde, Tu autem, Domine, dicatur.*

[b] *Super analogium.* Analogium est pulpitum, id quod supponitur libro. Ita Julius Pollux lib. I. Onomastici, cap. 14, qui tamen ait in hac significatione non reperiri apud bonos auctores. Glossæ mss. in regulam S. Benedicti cod. S. Victoris Parisiensis: *Analogium, lectorium.* Glossæ Isidori. *Lectrum, analogium, super quo legitur.* Eædem Glossæ: *Lampium, pulpitum, analogium.* Eædem Glossæ: *Pulpitum, analogium, lectrum.* A nomine, *lectrum*, fit Gallica vox, *lutrin*, id est, analogium. Papias analogium sumit pro suggestu: *Analogium dicitur quod sermo inde prædicetur*, ex S. Isidori lib. XV Origin., cap. 4. Walfridus rerum Eccl. cap. 6: *Analogium quod in eo verbum Dei legatur et annuntietur.* Est etiam analogium manuale. Glossæ Philoxeni: *Manuale* ἀναλόγιον; quid sit Manuale, explicant Glossæ Isidori: *Manuale liber ad gerendum aptus, qui enchiridion dicitur.* Mentio fit analogii in Glossis Arabico Latinis, sed sine interpretatione. Ἀναλογεῖον autem apud Suidam est ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία, id est in quo ponuntur libri: sed est pluteus, repositorium, seu armarium librorum.

[c] *Tria responsoria.* Quid sit responsorium explicat S. Isidorus lib. I de Offic. Eccl., cap. 8. « Responsoria, inquit, ab Italis longo ante tempore sunt reperta, et vocata hoc nomine, quod, uno canente, chorus consonando respondeat. Ante autem id solus quisque agebat: nunc unus interdum duo, vel tres communiter, choro in plurimis respondente. » Idem lib. VI. Etymologiarum, cap. 19: « Responsorios Itali tradiderunt. Quod carmen inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente alter respondeat. Inter responsorios autem et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori. »

[d] *Post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat Gloriam.* Nempe in tertio responsorio. Hunc regulæ locum respexit Walfridus Strabo, cap. 25 supra citato, cum ait hunc versum paucioribus responsoriis aptare eos, *qui statuta Patris Benedicti in horis sequuntur canonicis.* Sed fuit diversus usus: nam crebrius Romani hunc glorificationis hymnum canebant in responsoriis, ut notat idem auctor eodem capite. Ab antiquis tamen non adhibebatur, ut notat Amalarius Fortunatus lib. de Ordine Antiphonarii, cap. 2: « Priscis temporibus non cantabatur Gloria post versum, sed repetebatur responsorius. » Concilium Toletanum IV, can. 15, redarguit eos, qui non adhibebant, *Gloria Patri*, responsoriis, et statuit cum hac discretione esse canendum: « Ut in lætis sequatur Gloria, in tristioribus repetatur principium, » quod adhuc est in usu.

[e] *A nominatis et orthodoxis catholicis Patribus.* In cod. mss. S. Germ. ma., Ebr. Far. et Vict. ma. scribitur: *A nominatissimis et catholicis et orthodoxis*, apud S. Dunstanum et in vulgatis editionibus: *A nominatissimis doctoribus, orthodoxis et catholicis patribus.* Cod. ms. Vict. p. legit: *A nominatis doctoribus et orthodoxis Patribus.*

[f] *Cum alleluia canendi.* Ms. cod S. Ebrul., *Cum albis canendi.*

[g] *Ex corde recitanda.* Ex corde recitare est memoriter dicere, quod Græci vocant, ἀποστηθίζειν, ab στῆθος, id est pectus. Palladius in Lausiaca, cap. de Herone: Πεζὸς βαδίζων ἀπιστήθιζεν ψαλμοὺς δεκαπέντε, id est, pedes ambulans ex corde recitabat quindecim psalmos.

[h] *Supplicatio litaniæ.* In cod. ms. Vict. ma., *Supplicatio et litania*; sed de his infra.

[i] *Ut nunquam minus a duodecim psalmorum quantitate.* Veteres illi Ægyptii monachi hunc duodenarium numerum psalmorum tam in vigiliis nocturnis quam in synaxi vespertina mordicus retinuerunt, quod esset ipsis angelica revelatione traditus. Nam cum una convenissent, ut certum quemdam psalmorum numerum struerent, alii vero quinquagenos, alii sexagenos, alii plures paucioresve, quisque pro animi sui fervore recitandos contenderent, quæstione usque ad synaxim protracta, angelus eis apparuit: qui duodecim psalmis coram decantatis adhibitoque in fine Alleluia, ab universorum oculis subtractus, quæstioni finem imposuit, scribit Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 5 et 6. Eumdem

morum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo.

APPENDIX III. — *Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.*

(Ex eadem Regula, *cap.* 11.)

[a] Dominica die temperius surgatur ad vigilias : in quibus vigiliis teneatur mensura, id est, modulatis, ut supra disposuimus, sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite, et per ordinem in subselliis, legantur in codice, ut supra diximus, quatuor lectiones cum responsoriis suis : ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante, Gloria. Quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. Post lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi cum antiphonis et versu. Post quos iterum legantur quatuor lectiones cum responsoriis suis, ordine quo supra. Post quas dicantur tria [b] cantica de prophetis, quæ instituerit abbas. Quæ cantica [c] cum alleluia psallantur. Dicto etiam versu, et benedicente abbate, legantur aliæ [d] quatuor lectiones de Novo testamento, ordine quo supra. Post quartum responsorium incipiat abbas hymnum, [e] *Te Deum laudamus;*

explicabitur. Sic in officio monasterii sanctorum Agaunensium, hoc est, S. Mauricii et sociorum ejus a sancto Avito Viennensi antistite aliisque episcopis instituto non minus quam duodecim psalmi in nocturnis vigiliis recitabantur, ut testatur Aimoinus lib. III de Gestis Franc., cap. 80, ubi de illo officio agit : « Verum in Januario, inquit, et Februario, ut possibilitas sinebat. Hoc tamen observantes, ne minus a duodecim psalmorum quantitate ad nocturnas dicerent vigilias. » Causam non profert Aimoinus : sed satis clara est ex supra citata synodo Turonica, quæ cum prorsus idem officium instituat, ac antea S. Avitus, ut ex utriusque loci collatione patet, nullamque aliam referat hujus instituti causam, quam revelationem angelicam, clarum est non aliam ob causam institutum esse a S. Avito, ut saltem duodecim psalmi in vigiliis nocturnis et synaxi vespertina canerentur. Apponam hic textum synodi et explicabo : « Ut in diebus festis ad matutinum sex antiphonæ binis psalmis explicentur. Toto Augusto manicationes fiant, quia festivitates sunt et missæ sanctorum; Septembri septem antiphonæ explicentur binis psalmis; Octobri, octo, ternis psalmis; Novembri, novem, ternis psalmis; Decembri, decem, ternis psalmis; Januario et Februario itidem usque ad Pascha. Sed ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se, et qui minus, ut potuerit. Superest, ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum (quia Patrum statuta præcipiunt) ut ad sextam sex psalmi dicantur cum Alleluia, ut ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluia, quod etiam Angelo ostendente didicerunt. » Hæc divini officii institutio eadem omnino habetur apud Aimoinum capite citato. Primo ergo hæc verba hujus canonis : *In diebus festis*, sunt castiganda et legendum : *In diebus æstivis*, ut apud Aimoinum : *In diebus enim æstivis sex antiphonæ*, etc.; non enim quæstio est de diebus festis, sed de totius anni cursu, qui non integer ordinaretur, si hoc loco de festis diebus ageretur, cum nihil statueretur de tempore æstivo ad Septembrem usque, in quo statuuntur duodecim psalmi canendi. Ita enim intelliguntur illa verba : *Sex antiphonæ binis psalmis explicentur*, id est, sub unaquaque istarum antiphonarum bini psalmi canantur, et sic efficies duodecim psalmos; quæ explanatio satis est manifesta ex sequentibus Aimoini verbis : *In Septembri vero septem antiphonæ canebantur, distributis unicuique binis psalmis*, et sic erunt quatuordecim psalmi in Septembri recitandi, et ita explicanda concilii verba : *Septembri, septem antiphonæ explicentur binis psalmis.* Octobri vero si octo, nempe antiphonæ ternis psalmis explicentur, recitandi sunt psalmi quatuor et viginti; Novembri septem et viginti, cum novem antiphonæ ternis psalmis explicentur; et Decembri triginta psalmi cum decem antiphonæ ternis etiam psalmis expediantur. Porro duodenarius hic numerus mysticus est, significat enim duodecim Patriarchas, apostolos, fundamenta et portas cœlestis Hierusalem, duodecim fontes aquarum in Exodo, duodecim stellas, quibus mulier in Apocalypsi coronatur, et si quid simile in Scripturis reperitur.

[a] *Dominica die temperius surgatur.* In cod. ms. majori S. Germ. legitur : *Temporius*, optima lectio. Glossæ Philoxeni : *Temporius, ἐωθέστερον.* Glossæ Cyrilli : *ἐνωρίτερον, temporius.* Ita loquitur Tertullianus lib. de Anima : *In masculis, temporius effingitur.* Vetus Ordo Romanus in ordine Paschæ : *Conveniat schola temporius.* Hinc castigandus est locus ejusdem Ordinis in ordine in nocte Parasceves : *In nocte parasceves temporariæ*, id est, *media nocte, parvum ligneum signum sonetur.* Legendum est enim, *temporius*, alioqui nullus esset hujus loci sensus. Confirmatur ex ordine in Cœna Domini supra, ubi hæc habentur : *Feria quinta majoris hebdomadæ eadem nocte surgant ad vigilias hora noctis octava*, id est, secunda nostra nocturna. Igitur cum in nocte Parasceves præcipitur pulsare signum media nocte, recte sequitur illa nocte pulsandum seu surgendum temporius, seu citius, aut maturius. Temperius autem S. Benedictus surgendum esse præcipit die Dominica, quia propter solemnitatem et reverentiam hujus diei auget officium nocturnarum vigiliarum juxta morem priscorum illorum *Ægypti* monachorum, et aliorum qui diebus Dominicis et festivis, vigilias nocturnas augendas esse censuerunt, ut notum est ex Cassiano, lib. III de Diurnis Orat., cap. 8; ex Regula Tetradii, cap. 25; S. Columbani, cap. 7; S. Isidori, cap. 6; S. Fructuosi episc., cap. 5; Pauli et Stephani cap. 11. « Mane dicta Prima nullus se in lecto recollocet præter die Dominico et festis diebus, in quibus vigiliarum labore et præteriti diei æstu solito amplius fatigati paululum post primam, qui ex vobis voluerint, membra ponamus [*Leg.*, ponant] in lectis. »

[b] *Cantica.* Canticorum, quæ in divinis officiis dicuntur, meminit S. Isidorus cap. 6 Regulæ et lib. I de Officiis Eccl., cap. 4, ubi hoc discrimen statuit inter canticum et psalmum : *Canticum autem vox humana est, psalmus vero, qui canitur ad psalterium.*

[c] *Cum alleluia.* Ms. S. Ebrulphi, *Cum albis.*

[d] *Quatuor lectiones de Novo Testamento.* Non tamen de Evangelio : quia post, *Te Deum*, nominatim exprimit dicendam esse lectionem de Evangelio, quam præcipit a fratribus stantibus audiri ob reverentiam : quod de his lectionibus Novi Testamenti etiam statuisset, si voluisset eas sumi ex Evangelio.

[e] *Te Deum laudamus.* Hujus hymni mentio fit in regula Tetradii, in qua præcipit hunc hymnum cani in laudibus matutinis. « Perfectis missis, dicite Matutinos directaneo. *Exaltabo te Deus meus, et rex meus.* Deinde, *Confitemini.* Inde, *Cantemus Domino. Lauda, anima mea, Dominum.* Benedictiones. *Laudate Dominum de cœlis. Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo;* et capitulum. Omni Dominica sic dicatur. » Ubi nota hymnum *Gloria in excelsis Deo*, cani in laudibus matutinis, idque juxta antiquum morem. Sic S. Athanasius in lib. de Virginitate, ubi normam divini officii tradit, hunc hymnum Angelicum ad diluculum recitari jubet : Διάψαυμα δέ, Εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, etc., id est, « diluculum. Benedicite omnia opera Domini Domino. Gloria in excelsis Deo, etc. » Et

quo perdicto, [a] legat abbas lectionem de Evangelio, cum honore et tremore [b] stantibus omnibus; qua perlecta, [c] respondeant omnes, amen : et subsequatur mox abbas hymnum, *Te decet laus*. Et [d] data benedictione [e] incipiant Matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æstatis quam hiemis æqualiter die Dominico teneatur : nisi forte, quod absit, tardius surgant et aliquid de lectionibus breviandum autem ad hymnum, *Te Deum laudamus*, redeamus, præcipitur tum a B. Benedicto, tum a Tetradio cantari in Dominica, quia proprius hujus celebritatis hymnus est. Unde apud Alcuinum, in libro de Officiis per ferias hic hymnus inscribitur : *Hymnus Dominicalis :* etsi Romani olim illum canerent tantum in natalitiis pontificum, ut scribit Amalarius Fortunatus lib. de Ordine Antiphonarii, cap. 2. « Interrogavi (magistrum Ecclesiæ Romanæ) si canerent per Dominicas noctes, *Te Deum laudamus*. Responsum est : Tantum in natalitiis pontificum, *Te Deum laudamus*, canimus. » Sed hic mos postea mutatus est. Præterea notandum est nullum eximi a S. P. Benedicto hujus hymni canendi tempus : ne quidem quadragesimale. Hinc fit ut illum omni tempore cani solitum sit a monachis Benedictinis. Quod cum episcopi in conciliis Galliæ et Italiæ congregati minime probarent, interpellassentque abbates et monachos nonnullos, cur in Dominicis Adventus et Quadragesimæ : *Te Deum laudamus*, in suis ecclesiis psallerent, et respondissent illi nullum tempus a S. Benedicto in sua regula exceptum fuisse, episcopi aliquid de regula S. Benedicti immutari nefas ducentes, monachis hunc hymnum prædictis temporibus psallere permiserunt, ut scribit Radulphus Glaber lib. III Hist., cap. 5.

[a] *Legat abbas lectionem de Evangelio.* Si est sacerdos aut diaconus, alioqui non debet legere Evangelium publice in divino officio, ut monet Smaragdus hoc loco : « Dixit enim (S. Benedictus) : Incipiat abbas hymnum, lectionemque Evangelii legat. Tamen non hoc omnes debent, valentque facere abbates. Sunt enim, qui aut impediente culpa non debent, aut impossibilitate nocente non valent. Igitur sunt abbates, qui nec sacerdotis, nec levitæ fungantur ministerio, ideo nec sacrosanctum legere possunt Evangelium. » Ex quo loco sequitur non fuisse olim usu receptum, ut omnes abbates essent sacerdotes, vel diaconi. Id docet Rupertus lib. II in Regulam S. Benedicti cap. 10. « Olim non ita erat. Multi abbates erant, qui sacros ordines non habebant; exempli gratia Equitius abbas, cujus Vitam, vel Actus beatus papa Gregorius primo Dialogorum narrat. » Quare quorumdam recentiorum opinioni suffragari non possum, qui dicunt abbatem teneri ad sacerdotium ex Regulæ S. Benedicti instituto. His enim antiqua praxis et instituta omnino adversantur. B. Servandus abbas, qui familiaris erat S. P. Benedicti, diaconus fuit, non presbyter. Alcuinus ille magnus diaconus fuit, non sacerdos, ut ex ejus Vita constat. Rathertus Paschasius abbas Corbeiensis nunquam presbyter fuit, sed diaconus. Item S. Adalarus abbas etiam Corbeiensis nunquam presbyter fit, ut ex eorum Actis notum est (*Sur.* 1 Jan.). S. em Eugendus nunquam ad hunc ordinem promoeri voluit; et cum de hoc ordine suscipiendo solcitaretur, dixit utilius multo esse abbati propter niorum ambitionem liberum a sacerdotio præsse atribus. Multique alii quos enumerare longum esset. etrus Blæsensis (*Epist.* 23) valde probabiliter credit . P. Benedictum nunquam fuisse presbyterum. Ne se ipse S. Maurus S. Benedicti discipulus, unquam cerdos fuit, sed diaconus tantum, ut ex Fausto maeste liquet, et certe in missalibus mss. monasterii ssatensis, et in editis Ecclesiæ Parisiensis hæc de Mauro collecta habetur : *Deus, qui beatum Mau-*

A est, aut responsoriis : quod tamen omnino caveatur, ne proveniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio, per cujus evenerit neglectum.

APPENDIX IV. — *Qualiter matutinarum solemnitas agatur.*

(Ex eadem Regula, *cap.* 12.)

[f] In matutinis Dominico die [g] in primis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona. Post quem

rum levitam æternæ gloriæ concessisti fieri participem, etc. (*Sur.* 1 Jan.). Nec in hac re fuit Regulæ prævaricator : cum nullum sit præceptum in regula S. Benedicti manifestum, quo abbates obstringantur, ut presbyteri fiant. Et loci Regulæ, qui opponuntur a Dom. Antonio d'Yepez de audiendis confessionibus, missis faciendis, et similibus, intelliguntur, si abbas sit sacerdos. Nec in comitiis generalibus abbatum Aquisgrani habitis coram Ludovico Pio imperat. B ad ordinis reformationem aliquid ejusmodi præcipitur : imo tit. 62 habetur : « Ut abbas, præpositus et decanus, quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant. » Postea tamen institutum est, ut abbates presbyteri ordinarentur, ut statuitur *de qualitate et ætate*, tit. 14, cap. *Ut Abbates*.

[b] *Stantibus omnibus.* Ob reverentiam sancto Evangelio debitam; qui sane standi mos, dum Evangelium legitur, est ab apostolis, ut clarum est ex liturgia S. Marci : Στάθητε, ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, id est, « state, audiamus sanctum Evangelium : » Hujus moris meminit S. Germanus in Theoria mystica : Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ὀρθοὶ ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου, etc., id est, verbum Dei est; recti audiamus sanctum Evangelium. » Anastasius I papa instituit ut, cum recitatur Evangelium, sacerdotes non sederent, sed curvi starent, ut refert Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita.

[c] *Respondeant amen.* Amen, hoc loco est affirmantis non optantis, ut recte notat Smaragdus, et significat *vere*, non vero, *fiat :* hacque particula chorus se Evangelio credere profitetur. C

[d] *Data benedictione.* Nunc loco istius benedictionis dicitur collecta. Quæ sane tempore Gratiani dicebatur, ut videre est, qu. 16, cap. 1. Hinc est etiam, cum ait : « Lectionem quoque Evangelii similiter abbati ad legendum tribuit (S. Benedictus) quam subsequenti orationi legere similiter sacerdotalis officii est. » Ubi haud dubie ponit subsequentem orationem loco benedictionis. — *Data benedictione.* A sacerdote. Quare non dixit S. Benedictus *Benedicat abbas ;* Quia forte non erit sacerdos : quæ benedictio cum detur toti conventui non debet dari, nisi a sacerdote.

[e] *Incipiant.* Ita vulgo. Tamen in cod. mss. S. Ebrul. et S. Far. legitur : *Incipiat*, Recte satis meo quidem judicio, ut hoc verbum referatur ad abbatem. Moris olim fuit, ut abbas officium inciperet : D id manifeste constat ex Regula ms. Magistri cap. 44 : « Oportet in nocturno ab abbate dici versum apertionis, etc., » ubi versus apertionis est, *Domine labia mea aperies*. Nam ab eo versu incipit nocturnos Magister non a versu, *Deus in adjutorium meum intende*.

[f] *In matutinis.* Matutini hoc loco sunt Laudes, ut vulgo loquuntur. Sed nunc matutini appellantur vigiliæ nocturnæ. Et quidem olim aliquando ita sunt appellatæ vigiliæ nocturnæ, ut videre est in synodo Turonensi II can. 18 : « In diebus festis [*Leg.*, æstivis] ad matutinum sex antiphonæ binis psalmis explicentur.

[g] *In primis dicatur sexagesimus sextus.* Notandum est hic S. Benedictum incipere matutinos a psalmo sexagesimo sexto, non a versiculo, *Deus in adjutorium meum intende*. Eadem enim utitur particula, *in primis*

dicatur quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicatur [a] centesimus decimus septimus [b] et sexagesimus secundus. Inde [c] benedictiones, et [d] laudes, lectio de Scriptura una ex corde, et responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, [e] litania, et completum est.

APPENDIX V. — *Qualiter privatis diebus matutini agantur.*

(Ex eadem Regula, cap. 13.)

[f] Diebus autem privatis Matutinorum solemnitas ita agatur : id est, ut sexagesimus sextus psalmus dicatur [g] sine antiphona subtrahendo modice, sicut in Dominica, ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem. Id est, secun-

explicentur. » Et infra : « Cur ad matutinum non itemque vel duodecim explicentur? » Quod hi loci de nocturnis vigiliis intelligendi sint, patet : quia synodus mentionem facit supra dictæ visionis angelicæ de numero psalmorum duodenario : at hæc revelatio erat de nocturnis vigiliis et de synaxi vespertina, ut supra probatum est. Præterea Aimoinus loco supra citato idem officium, quod dicta synodus, describens id quod synodus matutinum dixit, nocturnas vigilias appellavit. « Hoc tamen, inquit, observantes, ne minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. » Quæ valdæ notanda sunt, ad quosdam locos ex conciliis et Patribus explicandos.

in primis, qua supra cap. 9, cum jubet vigilias incipi a versiculo *Deus, in adjutorium;* et c. 18, de horis diurnis. Accedit quod cum cæteris hunc versiculum diserte præmittendum præcipiat, ut videre est cap. 9, 17 et 18, id nunquam de laudibus matutinis præscripserit. Et ratio est, quia duo primi versiculi psalmi sexagesimi sexti, qui apte sub auroram in hac hora dicitur, quod jam die illucescente mens nostra a Deo illuminanda sit, *Deus misereatur nostri*, etc. *Illuminet vultum suum super nos*, etc., implicite continent quidquid versiculo, *Deus, in adjutorium*, exprimitur.

[a] *Centesimus decimus septimus.* Id est, *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Ita capiendus est locus regulæ Tetradii : « Dicite matutinos directaneo. *Exaltabo te, Deus meus, et rex.* Deinde, *Confitemini.* »

[b] *Et sexagesimus secundus.* Sic S. Athanasius in tractatu de Virginitate præscribit virginibus, ut mane eumdem psalmum recitent : Πρὸς ὄρθρον δὲ τὸν ψαλμὸν τοῦτον λέγετε· ὁ Θεός μου πρός σε ὀρθρίζω, id est, « mane dicite hunc psalmum : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* »

[c] *Benedictiones.* Id est, canticum trium puerorum ex veteri institutione : cum etiam illucescente die recitari illud jubeat tractatu citato S. Anathasius, διὰ φαῦμα, Εὐλογεῖτε πάντα ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον, id est, « illuscescente die, *Benedicite, omnia opera Domini, Dominum.* » In Regula Tetradii, cap. 21, de Matutinis, male legitur : *Benedictionem* pro *benedictiones.*

[d] *Et laudes.* Id est, psalmus centesimus quadragesimus octavus cum duobus sequentibus, qui psalmi olim etiam cantabantur a veteribus Ægypti monachis ad laudes matutinas, ut docet Cassianus lib. III de Nocturnis Orationibus, cap. 6. Hinc etiam capienda sunt verba illa Regulæ Tetradii, cap. 21 : *Benedictiones, Laudate Dominum de cœlis.*

[e] *Litania.* Supra, *supplicatio, litaniæ.* Litania est oratio, precatio. Glossæ Cyrilli : Λιτὴ ἡ λιτανεία, *litatio, precatio.* Suidas : Λιτανεία καὶ λιτή, ἡ παράκλησις, id est, oratio. Manuel Moschopulus Scheda 1 : Λιτὴ παράκλησις, λιτανέυω, λιτανεία. Idem repetit Scheda 12. Mentionem facit S. Basilius epist. 63.

da feria, quintus, et trigesimus quintus. Tertia feria quadragesimus secundus, et quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius, et sexagesimus quartus. Quinta feria, octogesimus septimus, et octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, et nonagesimus primus. Sabbato autem, centesimus quadragesimus secundus, et canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas glorias. Nam cæteris diebus canticum unumquodque ex prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequentur laudes. Deinde lectio una Apostoli memoriter recitanda. Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, litania, et completum est. [h] Plane [i] Agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, [i] nisi in ultimo per ordinem oratio Domi-

Hæc supplicatio est Kyrie eléison, ut S. Benedictus cap. 9, explicat. De hac supplicatione agit S. Augustinus, epist. 178, et concilium Vasense secundum, can. 3, in quo jubetur recitari ad matutinum, missas et vesperam.

[f] *Privatis diebus.* Privati dies sunt feriales, non solemnes. Breviarium Mozarabum : « Dies sive sit festiva, sive privata. »

[g] *Sine antiphona.* Antiphona a Græco ἀντιφωνῶ. Id est, ex adverso reciproce et alternatim seu vicissim canere, idque dupliciter. Primo psalmodia, choris alternos psalmos aut eorum versiculos vicissim modulantibus; secundo per antiphonas, quæ olim versiculis constabant, quos duo chori alternatim concinebant, ut planum est ex S. Isidoro, lib. VI Origin., cap. 19 : « Inter responsorios autem et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori. » Hodie aliter : nam ad antiphonas duo junguntur simul psallendo chori. Sed non est proprie ἀντιφωνεῖν, hoc est, per antiphonas canere : quia nulla est ibi vocum reciprocatio seu alternatio, etsi adversi canant. S. Benedictus psalmis interserit antiphonas : quæ tamen olim seorsim a psalmis, illis præmissæ canebantur : ut liquet ex Cassiano, lib. III de Diurnis Orationibus, cap. 8 : « Nam cum stantes antiphonas tres concinuerunt insidentes tres psalmos uno modulante respondent. » Hodie incepta antiphona (nisi sit festum duplex) canitur psalmus : qui mos antiquus satis, cujus meminit Amalarius Fortunatus lib. IV de Offic. Eccl., cap. 7 : « Antiphona inchoatur ab uno unius chori, et ad ejus symphoniam psalmus cantatur per duos choros. » De Antiphonis insuper vide S. Isidorum lib. I de Offic. Eccl., cap. 7.

[h] *Plane.* Est *vere, certe,* juxta Smaragdum. Puto significare, *omnino.*

[i] *Agenda.* Est officium alicujus horæ, officium divinum, cursus divini officii, anniversaria celebritas, *opus Dei* : ut infra hoc capite : *Cæteris Agendis.* S. Gregorii antiphonarius : « In Agenda mortuorum antiphona, requiem æternam. » Anastasius Bibliothecarius in Leone II : « Sed et ne Mauri episcopi universitas seu Agenda celebraretur, etc. » Eadem verba repetit Abbo Floriacensis in Leone II, lib. II Capitul. Car. et Lud. impp. tit. 234, et Add. tit 49 : « Si quis presbyter inconsulto episcopo Agendam in quolibet loco noluerit celebrare, etc. » Unde in synodo Carthaginensi II, can. 9, ex qua citatæ constitutiones sumptæ sunt, male bis legitur, *Agenda*, in neutro plurali.

[i] *Nisi in ultimo per ordinem oratio Dominica.* Idem præcipit concilium Gerundense, can. 10 : « Item nobis semper placuit observari, ut omnibus diebus post Matutinas et Vesperas oratio Dominica a sacerdote proferatur. » Ubi proferre est clara et distincta voce pronuntiare.

nica omnibus audientibus dicatur a Priore [a] propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio; [b] ut conventi per ipsius orationis sponsionem qua dicunt : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, purgent se ab hujusmodi vitio. [c] Cæteris vero Agendis [d] ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur : *Sed libera nos a malo.*

APPENDIX VI. — *In natalitiis sanctorum qualiter agantur vigiliæ.*

(Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 14.)

In sanctorum vero festivitatibus, [e] vel omnibus A solemnitatibus, sicut diximus, die Dominico agendum, ita agatur : excepto quod psalmi aut antiphonæ, [f] vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur. [g] Modus autem supra scriptus teneatur.

APPENDIX VII. — *Quibus temporibus dicatur* Alleluia.

(Ex Regula sancti Benedicti, *cap.* 15.)

[h] A sancto Pascha usque ad Pentecosten sine intermissione dicatur [i] *Alleluia*, tam in psalmis quam in responsoriis. A Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur. [j] Omni vero Dominica [k] extra Quadragesimam cantica, matu-

[a] *Propter scandalorum spinas.* Scandalorum spinæ sunt jurgiorum difficultates. Scandala sunt jurgia, rixæ; etiam pugnæ. Regula ms. Magistri, cap. 83 : « Si vero, quod absit, non pacifice, sed magis per scandalum exire noluerint, exuti rebus monasterii duntaxat sine magna injuria, clausa regia excludantur. » S. Gregorius Turonensis lib. III Hist., cap. 6 : « Multi tunc filii senatorum in hac obsidione dati sunt, sed orto iterum inter reges scandalo, etc. » Lib. I Capitularis Caroli imperatoris, tit. 89 : « Si in hoste, aut infra regnum nostrum litigatio aut scandalum inter quascunque personas videlicet majores aut minores ortum fuerit. » Lib. I legis Longobardorum, tit. 16, l. 3 : « Si mulier in scandalum cucurrerit, ubi viri litigant, si plagas, aut feritas factas habuerit. » Ergo scandalum hoc loco Regulæ sumitur pro peculiari peccato dissensionis aut rixæ, non pro malo exemplo. Quod satis patet ex sequentibus : « Purgent se ab hujusmodi vitio : nempe rancoris, iracundiæ, dissidii, contentionis, etc. » Ita etiam explicat hunc locum Regulæ Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, epist. ad Rotrudem, apud Flodoardum lib. III Hist. Eccl. Rhemensis, cap. 27 : Scitis, quia Regula, quam professæ estis, propter scandalorum spinas, quæ in monasterio oriri solent, orationem Dominicam in matutinis et vespertinis officiis, ita ut omnes illam audiant, a priore orare præcipit, ut timentes convenientiam, qua dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, omnem rancorem de nostro corde pellamus. »

[b] *Ut conventi.* In cod. mss. S. Ebrul. S. Germ. na., S. Far. et Vict. p. legitur : *Conversi.* Tamen vulgata lectio potior : *conventi*, id est, interpellati, tempe per orationis pactum et sponsionem. Nam convenire est interpellare; Nonius Marcellus cap. 4 : *Convenire, interpellare.* M. Tull. in Verrem actione I, non dubitat, quin ipse, si Verrem *convenisset.*

[c] *Cæteris agendis.* Id est horis canonicis, ut supra explicatum est, exceptis tamen nocturnis vigiliis dominicarum : quia cap. II, illis finitis, data benedictione, jubet incipi matutinos : sicut et natalitiorum, aliarumque solemnitatum nocturnis, quos cap. 4 instar nocturnorum Dominicæ celebrari jubet.

[d] *Ultima pars ejus orationis dicatur.* Subaudi, clara voce : cæteris submissa recitatis. In editione Colinæi sic legitur : *Ultima pars tantum ejusdem orationis cunctis etiam audientibus dicatur.* Sed quædam hic addita sunt paraphrastice, ut sæpe occurrit in hujusmodi editione. Toties autem sacram hanc orationem recitari præcipit S. P. Benedictus, quia, ut id concilium Toletanum IV, can. 9, ubi quotidie hanc orationem a sacerdotibus recitari præcipit : « Quotidie, vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. » Additque concilium : « Quisquis ergo sacerdotum, vel subadjacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut privato officio præterierit, propter superbiam judicatus honoris sui ordine privetur. » Pelagiani, qui se justos existimabant, hanc orationem quidem recitabant, sed petitionem, *et dimitte nobis debita nostra*, etc., non pro se, sed pro aliis dicebant : vel si dicerent, tantum humilitatis causa. Quos ideo damnat concilium Milevitanum seu potius Carthaginense, can. 7 et 8; qua de re plura vide apud S. Augustinum, epist. 89, 92 et 94.

[e] *Vel omnibus solemnitatibus.* Vel, hoc loco sumitur copulative, ut infra, *vel lectiones*; per solemnitates intelligit festos dies Natalis Domini, Paschæ et similes.

[f] *Vel lectiones.* Tam illæ quæ leguntur in nocturnis quam illæ quæ in cæteris horis, ut moris est, excepta lectione brevi seu capitulo completorii, quam non mutat Ecclesia. Lectiones nocturnorum sunt de Actis sanctorum, præsertim martyrum in eorum natalitiis, ut statuitur in conc. Africano primo et Carthag. IV, can. 47. Porro quamvis nulla hic mentio fiat responsoriorum et versuum, tamen existimandum est ea debere solemnitati convenire.

[g] *Modus.* Id est, numerus.

[h] *A sancto Pascha usque ad Pentecosten.* Hoc temporis interstitio celebre fuit per universam Ecclesiam ob Christi resurrectionem cantare *Alleluia*. S. Augustinus, epist. 119 : « Ut autem *Alleluia* per hos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis tamen diebus ubique. »

[i] *Alleluia.* Est vocabulum Hebraicum, quod ita interpretatur Suidas : Ἀλληλούια, Αἰνεῖτε τὸν Κύριον, παρ' Ἑβραίοις, ἤτοι τὸν ὄντα· id est, « *Alleluia* apud Hebræos significat, *Laudate Dominum, sive eum qui est.* » Ita etiam transtulerunt hoc vocabulum Septuaginta interpretes. Ps. CXLVI, הַלְלוּיָהּ, αἰνεῖτε τὸν Κύριον. S. Germanus in Theoria mystica Liturgiæ singulas hujus vocabuli partes singulis sanctissimæ Trinitatis personis applicat, variasque illius profert interpretationes, a quibus supersedeo brevitatis causa.

[j] *Omni vero Dominica.* Mos olim fuit omnibus Dominicis in ecclesia canere, *alleluia*. S. Augustinus, epistola citata : « Unde omnibus diebus Dominicis ad altare observatur, et *alleluia* canitur. »

[k] *Extra Quadragesimam.* Quia mos olim fuit ut in Quadragesima non caneretur *Alleluia*. *Quod universalis Ecclesiæ consensio in cunctis terrarum partibus roboravit*, inquit concilium Toletanum IV, can. 10. Non eximit Septuagesimam sanctus Benedictus, quia in illa, ejus ætate, adhuc cantabatur *Alleluia* : quod quidem fiebat etiam in Hispania multis annis post mortem S. Benedicti. Nam S. Isidorus, qui, juxta Redemptum, obiit æra 674, hoc est anno Domini 636, lib. I de Offic. Eccl., cap. 3, ait quotidie *Alleluia* cani in Hispania, excepta Quadragesima. Quidam scribunt S. Gregorium Magnum id primum instituisse, ne *Alleluia in Septuagesima cantaretur* (*Plat. in ejus Vita*). De intermissione *Alleluia* in Septuagesima agunt Alcuinus, cap. 15 de Offic. eccl., et Amalarius. Postea in synodo Francica statutum est ut monachi in Septuagesima *Alleluia* deponerent, ut refert Smaragdus in hujus capitis expositione, atque etiam in synodo abbatum Aquisgrani habito sub Lu-

tini, prima, tertia, sexta nonaque cum *Alleluia* dicantur. Vespera vero cum antiphona. Responsoria vero nunquam dicantur cum *Alleluia*, nisi a Pascha usque ad Pentecosten.

dovico Pio, tit. 50 : *Ut Alleluia in Septuagesima dimittatur.* Quod tamen statutum non usque adeo observatum est : nam tempore Radulphi Tungrensis, non adeo antiqui scriptoris, qui post institutos Fratres Minores vixit, ut ex ejus scriptis manifestum est, monachi Benedictini adhuc canebant in Septuagesima *Alleluia*. Sic enim ille scribit lib. de Observantia canonum, propositione 16 : «Benedictini autem et Ambrosiani servant *Alleluia* usque ad Dominicam Quadragesimæ, vide in Regula capite 54.» Sed legendum est 15. Nec mirum est si Benedictini tardius dimiserunt *Alleluia* in Septuagesima, cum etiam Ecclesia Ambrosiana illud non deponeret, ut ex hoc loco constat, et quædam Ecclesiæ tempore S. Gregorii septimi papæ illud retinerent; quod patet ex Actis S. Herlucæ, quæ sub eodem papa claruit, in quibus ait Paulus Bernhriendensis : «Forte contigit ut post septuagesimalem vesperam, in qua plurimi dimittere solent *Alleluia*.» Si plurimi, ergo non omnes. Ex quibus liquet caput Quadragesimæ intelligi a S. Benedicto primam Dominicam Quadragesimæ, non Dominicam Septuagesimæ, ut vult Rupertus lib. II in Regulam sancti Benedicti, cap. 13, hoc pacto arbitratus se S. Benedictum cum Ecclesia Romana conciliare. Loco *Alleluia* postea institutum est ut diceretur hic versiculus; *Laus tibi, Domine*, etc., non solum post gloriam versiculi : *Deus in adjutorium*, ut nunc, sed etiam in psalmis, hymnis et canticis, ut manifestum est ex Alcuino, lib. de Offic. eccl., cap. 11 : « In his etiam diebus (*Septuagesimæ*) ut jam diximus, intermittimus hymnum angelicum, et *Alleluia*, quod est Hebræorum : et pro *Alleluia*, humiliori, id est, Latina utimur lingua dicentes, in psalmis, hymnis et canticis *Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.*» Hæc pro tempore, quo olim dicebatur *Alleluia*. Sed in ipso opere Dei varie canebatur, Hispani illo utebantur in fine psalmorum et lectionum, ut notat S. Isidorus lib. I de Offic. eccl., cap. 3 : « Post consummatam psalmorum sive lectionum prædicationem *Alleluia* in fine cantatur. Hoc in spem resurrectionis facit Ecclesia.» Alexandrini ad ternos quosque psalmos illud adjungebant, ut S. Athanasius præcipit lib. de Virginitate. Olim in Gallia persolutis ad sextam sex psalmis, et ad vesperam duodecim, psallebatur *Alleluia*, ut clarum est ex conc. Tur. II, can. 18; ex Aimoino lib. III de Gestis Franc., cap. 80 : « Superest, ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum (quia Patrum statuta præcipiunt) ut ad sextam sex psalmi dicantur cum *Alleluia*, ut ad duodecimam duodecim, itemque cum *Alleluia*.» Ita hic textus est interpungendus, alioqui juxta veterem interjunctionem, quæ non claudit parenthesi hæc verba, *Quia Patrum statuta præcipiunt*, sensus vacillat.

CAPUT XXIV.

QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR.

§ 1. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Ut ait Propheta : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). [b] Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primæ, tertiæ,

[a] *Ut ait propheta.* Supp. opera divina agamus per diem. Qualiter, hoc loco, id est quoties. Hoc capitulum profertur a Burchardo lib. II, cap. 105, ubi sic legitur : *Dicente Propheta : Septies in die*, etc. Porro statis quibusdam horis quotidie laudes Deo persolvere vetus est Ecclesiæ institutum, quod vellicare olim ausi sunt ecclesiæ Neocæsariensis clerici probro vertentes S. Basilio, quod certis horis quotidie laudes Deo caneret, dicentes moris id olim non fuisse Magno illi Gregorio Neocæsariensi episcopo. Sed eos egregie refutat S. Basilius epist. 63, dicitque illos probare non posse id non fuisse usitatum Magno illi Gregorio. Hos secutus est Lampetius hæreticus ex cœno Messalianorum exortus, qui dicebat eos qui divina officia statis horis canebant, adhuc legi servire, ut videre est in bibliotheca Photii, n. 52, de synodo Sidetana. Horarum autem canonicarum

[b] *Qui septenarius sacratus numerus.* τὸ *Sacratus* non est apud Burchardum; vulgo tamen habetur. Sacratus est septenarius numerus, quia mysteria in sacris paginis plurima hoc numero comprehenduntur : ut septem spiritus, qui assistunt ante thronum Dei; candelabrum in septem ramos exsurgens, habens lampades septem et septena lilia; septem oculi super lapidem unum; septem jubilæi tubæ, ad quarum clangorem corruit murus Hiericuntis; septem lampades ante thronum Dei; septem sigilla libri, quem tenet sedens in throno; et si qua similia in sacris codicibus reperiuntur. Sed ut ad res physicas descendam, universa hominis natura et perfectio septenario consistit; et cum natus est, per septem ætates tota ejus vita decurrit, ut notant Philo Judæus lib. de Mundi Opificio. Solon eleganti carmine apud Clementem Alexandrinum lib. VI Stromatum, et Censorinus de Natali die cap. 14. Eumdem sibi numerum musica vindicat. Lyra septem tenta fidibus proportione respondens erraticarum choreæ memorabiles harmonias efficit princeps propemodum inter instrumenta musica, inquit Philo, juxta priscorum philosophorum sententiam. Has septem fides primus lyræ apposuit Orpheus ob deprehensum a se septem orbium planetarum concentum, scribit Servius in illud. VI Æn.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Idem refert Clemens Alexandrinus eodem libro paulo ante locum citatum. Hic septenarius numerus olim virgo et Pallas appellatus est : « Quia nullum ex se parit numerum duplicatus, qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem constat esse numerorum, » inquit Macrobius lib. I in Somnium Scipionis cap. 6. Hic numerus totus cœlestis est : sunt enim septem planetarum orbes; pleiades septem; Bootes septem stellis conficitur. Castus ergo ille numerus recte in Dei laudibus celebrandis observatur, qui a castis nullaque immunditiæ fece conspurcatis mentibus laudari debet. Cœlestis ille numerus in Dei quotidiano cultu retinetur, qui ab cœlestibus hominibus nullaque rerum terrenarum contagione coinquinatis assidue colendus est. Plura vide apud Agellium lib. III, cap. 10, et Nicomachum Gerasenum in bibliotheca Photii, n. 187. Porro S. Benedictus qui octo horas canonicas quotidie persolvendas monachis edixit, hunc Davidis versiculum intelligit de die artificioso, eo tamen late sumpto, prout aurora, et crepusculo circumscribitur. At S. Basilius orat. I ascetica, Cassianus lib. III de Diurnis Orat. cap. 3, et quidam alii Patres supra citati, qui septem duntaxat horas quotidie decurrendas decernunt, hunc psalmographi versum de die civili, seu naturali, qui lucem et noctem involvit, exponunt.

sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore no- A stræ servitutis officia persolvámus. [a] Quia de his

nonicarum numerus olim varius fuit pro diversitate locorum et temporum, modo major, modo minor, lib. VIII Constitutionum apostolicarum cap. 34, sex horæ canonicæ recensentur : Matutinum, tertia, sexta, nona, vespera, et gallicinium. Totidem recenset D. Hieronymus in epitaphio Paulæ : « Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant. » Per τὸ *mane* intelligit diluculum ; nam in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis ait : « Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat. » Eumdem numerum statuit epist. ad Lætam de Institutione filiæ. « Et assuescat exemplo ad orationes et psalmos nocte consurgere : mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum ; » et ep. ad Demetriadem de Virginitate servanda : « Præter psalmorum et orationis ordinem, quod tibi hora tertia, B sexta, nona, ad vesperum, media nocte, et mane semper est observandum, statue quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas. » Nec obstant illa verba supra citatæ epistolæ ad Eustochium : « Noctibus bis terque surgendum, revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus. » Non enim spectant ad divinum officium. Quinarium olim fuisse horarum numerum canonicarum docet S. Cyprianus tractatu de Oratione sub finem, ubi ait tertiæ, sextæ et nonæ, adjunctas fuisse matutinam et vesperam. Ubi per matutinam intelligendi sunt nocturni, ut supra observatum est, et hæ quidem in Africa. Sed postea remissiores fuerunt Afri in horarum celebratione : ita ut illis pigritiam exprobrarent Donatistæ, ut testatur S. Augustinus epist. 119 : « Et pleraque in Africa membra pigriora sunt : ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia cantica prophetarum. » A monachis Palestinæ et Mesopotamiæ quinque etiam horæ liturgicæ age- C bantur, nempe vigiliæ nocturnæ, tertia, sexta, nona et vespera, ut refert Cassianus lib. III de Diurnis Orat. cap. 1 et 2. In monasterio S. Euprasiæ idem numerus servabatur, ut ex ejus actis planum est : « Et dum hæc omnia faceret, nec in nocturna psalmodia deerat, nec in tertia, nec in sexta, nec in nona, nec in vespera. » In quodam sermone inscripto de feria 4, in capite jejunii inter sermones S. Augustini de tempore quatuor duntaxat commemorantur : « Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias nocturnas surgite, ad tertiam, ad sextam et nonam ante omnia convenite : » Sed, aut me fallit animus, aut hæc verba, *Ad vesperam*, omissa sunt. Fuit enim olim hæc hora celebratissima. Monachi Ægyptii duas solum habebant horas, nocturnas vigilias et vesperam. Reliquum tempus in cellis manibus operando transmittebant nunquam psalmodiam intermittentes, ut refert Cassianus lib. citati c. 2. Postea tamen addidere tertiam, sextam et no- D nam. Tempore S. Epiphanii saltem in Cypro, aut quibusdam aliis locis duæ tantum agebantur horæ, matutinæ et vespertinæ, ut ipse in synopsi testatur : Ἐσθιουσι τὰ ὕμνοι ἐν αὐτῇ ἀγίᾳ Ἐκκλησίᾳ δυσπλῆς γίνονται, καὶ προσευχαὶ ἑωθιναί, λυχνίκοι τε ἅμα ψαλμοί, καὶ προσευχαί, id est, « Matutini hymni in ipsa Ecclesia incessanter aguntur, et orationes matutinæ, vespertini simul psalmi et orationes. » Orationes autem illæ sunt, quæ olim psalmorum modulationi inserebantur. Nec alias horas recenset S. Epiphanius : nam synaxes, quas supra in eodem lib. commemorat, sunt sacrificia liturgica. S. Publius Zeugmatensis in suo monasterio instituit tantum hymnos matutinos die incipiente, et vespertinos desinente, ut scribit Theodoretus cap. 5 Hist. sanctorum Patrum. S. Julianus cognomento Sabba duas tantum horas canonicas, in conventu publico decantandas in suo monasterio statuit : vigilias nocturnas et vesperam. Post auroram vero jubebat duos monachos ire in solitudinem ; et unum quidem flexis genibus eam offerre, quæ Deo debetur, latriam, alterum vero stantem psalmos canere quindecim : deinde commutatione facta liturgiæ, alterum quidem surgentem psallere, alterum humi procumbentem adorare, ut narrat Theodoretus ejusdem lib. cap. 2. Monachi Tabennesiotæ tres horas canonicas duntaxat persolvebant ; vigilias nocturnas, nonam et vesperam, idque angelo revelante, ut scribit Palladius in hist. Laus. cap. de Tabennesiotis : Ἐτύπωσεν δὲ διὰ πάσης τῆς ἡμέρας ποιεῖν αὐτοὺς τὰς δώδεκα καὶ ἐν τῷ λυχνικῷ δώδεκα καὶ ἐν κοιμήσει δώδεκα καὶ ἐννάτην ὥραν τρεῖς, id est : « instituit ut singulis diebus orationes duodecim facerent, et in lucernario duodecim, in vigiliis duodecim, et ad nonam tres. » Duodecim autem orationes per diem sunt potius privatæ quam publicæ, cum eis nec certum tempus, nec hora assignetur. In monasterio Bethlehemitico septem horæ celebrabantur, addita altera matutina oriente sole agenda, primo instituta in eodem monasterio Bethlehemetico, ætate Cassiani, quæ nostræ primæ respondet, et septenarius horarum numerus ita institutus est, ut testatur ipse lib. III, cap. 5, 4 et 5 ejusdem libri : Eumdem horarum numerum agnovit S. Basilius lib. de Regulis fusius disputatis, interrog. 37 ; in quo tamen non reponit primam, sed noctis initium addit, seu κάτηση. id est, petitionem. Ita autem ab eo enumerantur, ὄρθρον, id est matutinum, τρίτη, tertia, ἕκτη, sexta, ἐννάτη, nona, εὐχάριστια, gratiarum actio, αἴτησις, petitio, et μεσονύκτιον, media nox. Εὐχάριστιαν dicit fieri συμπληρωθείσης ἡμέρας, id est, die completa : ac proinde quidam dixerunt hanc horam nostrum esse completorium ; sed potius est nostra vespera, seu lucernarium, ut vocant : quia nonæ nullo intermedio succedit : et ipsum lucernarium appellatur Eucharistia, ut infra patebit : et dies completa, hoc loco Basilii, nihil aliud est quam sol occiduus, cum se in alterum horizontem convertit ; quæ est propria vesperæ, seu lucernarii hora, ut infra docebitur. At petitio quæ, ut ipse ait, nocte incipiente celebratur, nostro completorio convenit : nam in ea petitur a Deo nox tranquilla et ab omni peccato libera ; ideoque in ea recitabatur psalmus XC, id est, *Qui habitat*, ut docet Basilius hoc loco. In Eucharistia gratiæ Deo agebantur, flebatque culparum confessio ; quæ quidem hora est, quam cap. 29, lib. de Spiritu sancto appellat ἐπιλύχνιον εὐχαριστιαν, id est, lucernalem gratiarum actionem. Idem Basilius orat. 1 ascetica eumdem numerum, alia tamen ratione, commemorat, nempe mediam noctem, matutinam, nonam, vesperam et meridianam : quam, quia his horis numerus septenarius a Davide celebratus minime perficitur, in duas partitur ; ita ut una cibum præcedat, altera subsequatur. Idem numerus a S. Athanasio præscribitur, tractatu de Virgin., nempe tertia, sexta, nona, duodecima, id est, vespera, nocturni, matutini, et dies illucescens. Idem etiam numerus servabatur a monachis tempore Cassiodori, sed diverso modo, quem ita promit in illud psal. CXVIII : « *Septies in die laudem dixi tibi.* Si ad litteram hunc numerum velimus advertere, septem illas significat vices, quibus se monachorum devotio consolatur, id est matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorios, nocturnos. Hoc et S. Ambrosii hymnus in sextæ horæ decantatione testatur. » Ex quibus postremis verbis liquet in Ecclesia Ambrosiana ejusmodi horas observari solitas.

S. Isidorus

[a] *Quia de his dixit propheta septies*, etc. Recte apud Burchardum non repetitur : *Septies in die laudem dixi tibi* ; est enim hæc repetitio superflua ; satis enim subintelligitur.

horis dixit Propheta : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). Nam de nocturnis vigiliis [a] idem ipse Propheta ait : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes [b] Creatori nostro, id est matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio, et nocte surgamus ad confitendum ei.

§. II. — Ex Regula Magistri (*cap.* 34).

[c] In exercendo maxime divino officio præ omnibus sanctæ debet militiæ ordo constitui ; vel quibus vicibus tramis rectæ observationis occurrat, ut ætatis mos est, et Patrum instituta sanxerunt, id est, matutinus, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorium ; ut compleatur prophetica ordinatio dicens Domino : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). Sed prima sic debet dici quomodo duodecima, quæ dicitur vespera. Nam prima sic debet dici pungentibus jam radiis solis, et vespera adhuc declinantibus radiis ejus. Quia quomodo inchoatur dies in initio in opere Dei, [d] in tali debet expleri in fine, ut compleatur Scriptura dicens : *A solis ortu usque ad occasum* (*Ps.* CXII). Non enim dixit, *post occasum*, [e] *Laudate nomen Domini ;* quia exitus matutini et [f] vespere [g] delectabitur Dominus (*Ps.* LXIV). In quibus temporibus ab angelis nostris diurnis in renuntiatis justorum benefactis delectabitur Dominus. [h] Sicut sanctus Paulus in revelatione sua dicit : *Filii hominum, benedicite Dominum incessabiliter, magis autem cum occiderit sol.* Nam initium et finem diei sol nobis juste ostendit, qui abscessu suo tenebras introducit. In æstivo vero tempore adhuc altius

S. Isidorus Hispalensis episc. cap. 6 suæ Regulæ totidem statuit, nempe tertiam, sextam, nonam, vespertina officia, completorios, officia vigiliarum, officia matutina, seu matutinum ; auctor anonymus Expositionis psal. CXIX inter opera D. Hieronymi eumdem profert, sed non eodem modo ; nempe tertiam, sextam, nonam, lucernarium, mediam noctem, gallicinium, et primum mane : cujus locum a nobis castigandum infra producemus. In Regula S. Augustini secunda (si modo illius est) octo recensentur : matutini, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, completorium et vigiliæ nocturnæ : « Simili modo (inquit) ad sextam et nonam dicuntur sui psalmi cum responsoriis et antiphonis ; hoc idem in vesperis et completorio : ad lucernarium autem psalmus unus, » etc. Ubi notandum est lucernarium suo hic ordine non collocari, sed seorsim, quia ei peculiare assignat officium, nam proprius illius locus est ante vesperas ; imo idem cum vesperis officium est, ut infra dicetur. Unde paulo post in eadem regula lucernarium sumitur pro vesperis, cum dicitur : « Et opportuno post lucernarium omnibus sedentibus legantur lectiones. » Nam olim monachi post vesperas in unum locum convenientes legere solebant, aut disputare de divinis Scripturis, ut fusius infra dicetur. S. Fructuosus Bracarensis archiepiscopus cap. 2 et 3 Regulæ decem horas constituit. Primam, secundam, tertiam, sextam, nonam, duodecimam, initium noctis, synaxim ante mediam noctem, synaxim post mediam noctem et matutinum, cui præmittit tres psalmos cum laude et benedictione. Fructuosus alter cap. 10 suæ Regulæ quindecim horas suis monachis dicendas proponit : Secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam, octavam, nonam, decimam, undecimam. Cæteræ non recensentur, ob rationem supra, quæ sunt duodecima, id est, vespera, initium noctis, seu completorium, vigiliæ nocturnæ, matutini et prima. S. Columbanus cap. 7 suæ Regulæ constituit initium noctis, medium noctis, matutinum et diurnas horas quæ, ut arbitror, non erant aliæ quam prima, tertia, sexta, nona et vespera. Idem sanctus vir ibidem refert de quibusdam monachis, qui quatuor synaxes nocte faciebant, quæ sunt initium noctis, medium noctis, gallicinium et matutinum, quibus si addideris quinque horas diurnas, novem efficies. Et hæc de horarum canonicarum diversitate et numero. Quod autem dicit S. Hieronymus supra epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis : « Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam nemo est qui nesciat, » non ita capiendum est, quasi id sit universe verum ; nam ex supra dictis certum est omnes istas horas non fuisse olim omnibus in locis celebratas. Sed et S. Cæsarius episcopus Arelatensis instituit, ut Arelate in ecclesia S. Stephani tertiæ, sextæ et nonæ officium quotidie celebraretur, ut auctor est Cyprianus lib. I de ejus Vita. Et S. Injuriosus pontifex Turonensis, qui sedebat cum S. Chrotildis regina uxor primi Clodovæi Francorum regis obiit, statuit ut in ecclesia Turonensi tertia et sexta recitarentur, ut testatur S. Gregorius Turonensis lib. X Hist. cap. ultimo.

[a] *Idem ipse propheta ait.* Apud Burchardum non repetitur vox : *Propheta.*

[b] *Creatori nostro.* Apud Burchardum additur : *Super judicia justitiæ suæ.*

[c] *In exercendo.* Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., cod. cap. 34.

[d] *In tali.* Id est, sic.

[e] *Laudate nomen Domini.* Ita in Regula ms. cod. Corb., ut in veteri versione psalterii apud Fabrum.

[f] *Vespere.* Ita in Regula ms. et in vulgatis Psalteriis. Legendum tamen est, *vesperæ*, in genit. singul., nam apud Septuagintà legitur in genit. ἑσπέρας, et in interpretatione S. Hieronymi legitur, *vespertini.* In expositione Arnobii, *vesperi.* Et ut τὸ matutini est genit., ita etiam sit τὸ *vesperæ.*

[g] *Delectabitur.* Apud Arnobium in hunc psalmum : « *In exitu matutini et vesperi delectabitur Deus*, id est, in oriente et occidente in ædificationibus ecclesiarum delectaberis. » Unde in commentario qui S. Hieronymo attribuitur : « Matutinis vespertinisque hymnis Ecclesiæ delectatur Deus. » In Psalterio Rom., *delectaberis.* Ita etiam in vetustissimo Psalterio ms. biblioth. mon. S. Germani a Pratis, quo usum fuisse ferunt S. Germanum Parisiorum pontificem ; et passim ita citat hunc versiculum Magister.

[h] *Sicut S. Paulus in revelatione sua dicit.* Citat librum apocryphum, qui appellatur Pauli Apocalypsis, seu revelatio, refertus fabulis et ineptiis, de quo S. Augustinus tractatu 98, in Joannem. « Quidam spiritalium ad ea pervenerunt, quæ non licet homini loqui : qua occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumptione finxerunt. » S. Epiphanius lib. I, tom. III, hæresi 58, agit de quodam libro a Cainis confecto nefariis actionibus pleno, qui Ascensus Pauli dicitur, quo et Gnostici utebantur. Sed puto hos duos distinctos esse libros, etsi uterque tractet de Pauli raptu. Nam ille, de quo agit S. Augustinus ; sceleratis actionibus, seu narrationibus non videtur redundare. Id enim non prætermisisset S. Augustinus dicere : quem puto eumdem esse qui a Magistro citatur. Etsi enim vana quædam contineret et futilia, multa tamen utilia complecti poterat, ut sunt verba a Magistro producta, quæ neutiquam libro a Cainis confecto conveniunt, quippe qui nefariis et spurcis narrationibus refertus erat.

stante sole [a] lucernaria inchoentur propter breves noctes : ut prolixo æstus labore lassis fratrum et jejunio membris in augmento brevium noctium de lucentis adhuc diei spatio fessæ repausationis somnus addatur.

[a] *Lucernaria inchoentur.* Ita in Regula ms. Lege tamen : *Inchoetur.* Quia hoc vocabulum, quod alii neutrum, hic Magister femininum facit. Cap. 36, *Psalmi lucernariæ in hieme dici debent.* Cap. 41, *Psalmi lucernariæ cum antiphonis psalli debent.* Lucernaria, seu lucernarium, ut ex cap. citatis et cap. 46 Magistri est synaxis vespertina; quia in ea lucernæ accendebantur, ut infra dicetur. Veteres olim hora vespertina lucernas accendebant. Athenæus lib. ult. : Ἐπεὶ ἑσπέρα κατελάμβανεν ἡμᾶς, ὁ μέν τις ἔλεγε, παῖ, λύχνειον, id est, « Ubi primum nos vespera comprehendit, quidam dixit, puer, lucernam. » Hoc tempus Græci vocant λυχνιῶν ἀφάς. Suidas : Λυχνῶν ἁφάς, τὸν καιρὸν καθ' ὃν ἅπτουσι τοὺς λυχνούς, id est, « Lucernarum accensiones, tempus, quo lucernas accendunt : » et uno vocabulo, λυχναψίαν. Glossæ Cyrilli λυχναψία, *lucernarum accensio*, Latine, *Prima fax.* Macrobius lib I Saturn., cap. 3 : « Deinde vespera, etc. Ab hoc tempore prima fax dicitur, deinde concubia. » Censorinus tamen subjicit crepusculo primam facem. Horatius lib II, epist. 2, appellat prima lumina :

..... et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Est ergo lucernarium vespertina synaxis, in qua lucernæ in ecclesia accendebantur, et vespertini officii cursus agebatur. Illius mentio fit in concilio Toletano I, can. 9 : « Lucernarium vero nisi in ecclesia non legatur. » In Regulis S. Augustini et S. Isidori infra citandis, et in Vita S. Cæsarii Arelatensis lib. I : « Frequenter etiam matutinis ad lucernarium propter advenientes, homiliæ recitabantur. » Sed lege, *et ad lucernarium.* Matutini enim et lucernarium distinguuntur. Cassiano lib. III de diurnis Orationibus, cap. 3, dicitur *lucernalis hora.* S. Ambrosio lib. III de Virginibus, *Hora incensi.* Græci Patres λυχνικὸν dicunt. Ita sexta synodus, can. 91. Palladius cap. *de Tabennesiotis*, καὶ ἐν τῷ λυχνικῷ δώδεκα, id est, et in lucernario duodecim, ubi ab interprete male redditur, et in matutino. Ita in pœnis brevibus, quæ S. Basilio tribuuntur, art. 30 : Στηκέτω εἰς πρεσευχὴν ἕως τοῦ λοχνικοῦ, id est, « Stet in oratione usque ad lucernarium. » Et in liturgia Præsanctificatorum : Ὁ δὲ ἱερεὺς λέγει τὰς εὐχὰς τοῦ λυχνικοῦ, id est, « Sacerdos vero dicit preces lucernarii. » A S. Basilio lib. de Spiritu sancto, cap. 29, et S. Gregorio Nysseno in Vita S. Macrinæ dicitur ἐπιλύχνιος εὐχαριστία, id est, lucernalis gratiarum actio, et a S. Epiphanio in synopsi λυχνικοὶ ψαλμοί, id est, lucernales psalmi. Quod autem lucernalis synaxis eadem sit cum vespertina, patet ex canone citato sextæ synodi : Δῆλον τοῖς πιστοῖς καθιστῶμεν, ὥστε μετὰ τὴν ἐν τῷ σαββάτῳ ἑσπερινὴν τῶν ἱερωμένων πρὸς τὸ θυσιαστήριον εἴσοδον, κατὰ κρατοῦν ἔθος, μηδένα γόνυ κλίνειν μεχρὶ τῆς ἐξεῖης κατὰ τὴν κυριακὴν ἑσπέρας, καθ' ἣν μετὰ τὴν ἐνήτῳ λυχνικῷ εἴσοδον, etc., id est, « Fidelibus manifestum facimus quod in sabbato post ingressum sacerdotum vespertinum ad altare juxta receptam consuetudinem, ut nemo usque ad sequentem vesperam in Dominica genuflectat, in qua post ingressum in lucernario rursus genua flectentes sic orationes Domino fundimus. » S. Basilio cap. citato : Ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν εὐπερινοῦ φωτὸς δέχεθαι, id est, « Visum est Patribus nostris gratiam vespertini luminis haudquaquam silentio accipere. » Concilio Emeritensi can. 2 : « Oportet igitur sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum. » S. Hieronymo epist. ad Lætam : « Assuescat lucerna accensa reddere sacrificium vespertinum. » Ex his infertur lucernarium celebrari solitum hora duodecima : quia vespertina synaxis cadentibus radiis solis agebatur, ut diserte verbis asserit Magister hoc cap. et compilator regulæ monachicæ ex Cassiani operibus infra : « Duodecima vero propter terminationem diei, sicut prima inchoatione cantatur. » Quidam recentior existimat celebrari hora undecima, quia Cassianus lib. III de diurnis Orat., cap. 3, dicit : « Ad extremum undecima, in qua lucernalis hora significatur. » Verum Cassianus non vult hoc loco lucernalem horam undecima celebrari; sed quia confert horas canonicas cum his horis, quibus paterfamilias misit operarios in vineam suam, lucernalem, quæ tunc erat ultimum monachorum pensum, attribuit undecimæ, quæ est ultima operariorum hora. Imo ipse Cassianus eodem capite hunc ultimam cursus divini horam appellat vespertinam, quam celebrari solitam olim hora duodecima liquido constat. Sed his videtur adversari secunda explicatio psalmi CXIX, quæ vulgo S. Hieronymo tribuitur : « Monachi dicimur, et licet non simus, quales esse debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus, hora sexta oramus, nona lucernarium facimus. » Sed puto locum esse corruptum, et legendum esse : « Nona oramus, vespera lucernarium facimus. » Nam postea distinguit nonam a lucernario : « Videte quibus horis semper in obsequio Dei suscitamur. Videte quid dicat hora tertia, sexta, nona, lucernarii, media nocte, gallicinio, mane primo. » Præterea constat ex omnibus auctoribus citatis, et citandis nonam distingui a lucernario. Vespere igitur in ecclesiam conveniebant episcopus, clerici et cæteri fideles, monachi in sua oratoria. Tunc lucernæ accendebantur, ut constat ex loco citato S. Basilii; et hoc dicebatur, *lumen offerre*, ut planum est ex concilio Emeritensi, can. 2 : « Post lumen oblatum prius dicitur vespertinum, quam sonus. » Hac enim hora lumen Deo offerebatur, ut notum est ex Prudentio in Cathemerino, hymno 5 :

O res digna, Deus, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, quæ tribuis nil pretiosius.

Ubi noctis principium late sumitur pro vespera. Dum accendebatur lumen in ecclesia Mozaraba, ejusmodi preces, quæ in ejus breviario habentur, dicebantur : « Dies sive sit festivalis, sive privata, semper horæ incipiunt a vespertinis ante diem : et principium fit per invocationem Jesu Christi oratione Dominica præcedente, submissa voce dicendo : *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster;* et alta voce : *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace*, hoc est, lumen oblatum. Respondetur a circumstantibus : *Deo gratias.* Et presbyter dicit : *Dominus sit semper vobiscum.* Respondetur : *Et cum Spiritu tuo.* Et ordo vesperarum, sive sit festum, sive non, sequitur per hunc modum. Primo dicitur psalmus quod est vespertinum, quo finito presbyter dicit : *Dominus vobiscum.* Respondetur : *Et cum Spiritu tuo.* Statim dicitur sonus, si sit festum; eo quod dies ferialis caret sono, nisi in tempore Resurrectionis, propter solemnitatem dicitur; hæc regula. Sonus est : *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Versus, *Præoccupemus faciem Dei in confessione, et in psalmis jubilemus Deo.* » Et hæc clare explicant, quid sit in concilio Emeritano lumen oblatum, vespertinum, et sonus. Quod quidem lumen oblatum, sive precatio lucernalis dicitur etiam lucernarium. Ita enim explicandus est locus Regulæ S. Isidori, cap. 6 : « In vespertinis officiis primo lucernarium, deinde psalmi duo. » Ubi lucernarium non sumitur pro tota synaxi vespertina. Et in Regula 2, quæ vulgo S. Augustino tribuitur, manifeste distinguitur lucernarium a vesperis, cap. 1 : « Hoc idem in vesperis et completorio servetur. Ad lucernarium autem, psalmus, respon-

§ III. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 15).

[a] Apud Palæstinæ et Mesopotamiæ vel totius Orientis monasteria exceptis matutinis vel vespertinis diurnarum orationum modus trinæ confessionis exemplo statutis trinis psalmis quotidie terminatur; ut orationem assiduitas statutis Deo temporibus offeratur, et necessaria operationis officia consummatis justo moderamine spiritalibus obsequiis nullatenus valeant impediri. Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum spatium diei obsequia reddimus, A ratio hæc est. Prima pro inchoatione diei. [b] Tertia, quia Spiritus sanctus in eadem hora super apostolos descendisse (*Act.* II) primitus comprobatur. [c] Sexta, pro eo quod immaculata hostia Dominus noster Jesus Christus eadem hora in cruce suspensus obnoxios de æternis peccatorum vinculis liberavit. [d] Nona pro eo quod eadem hora Dominus noster descendens ad inferos sanctorum animas, quæ clausæ tenebris tenebantur exinde liberavit, et secum transvexit ad cœlos. Duodecima vero propter terminationem diei, sicut prima inchoatione. Prima vero et duodecima

sorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres. » Lucernarium igitur sumitur duplicitèr : primo pro illa precatione, in qua lumen accenditur ante vesperas, secundo pro ipsa vespertina synaxi, quæ a ritu luminis accendendi, antequam agatur, appellata est lucernarium. Huic autem ritui non est absimilis ille, quo utitur Ecclesia in sabbato Paschæ, quando, igne benedicto, diaconus trifidum cereum accendens clamat : *Lumen Christi*, et chorus respondet, *Deo gratias*. Græci in lucernario, lumine accenso, non dicebant, *Deo gratias*, sed, *Laudamus Patrem et Filium et sanctum Spiritum Dei*, ut docet S. Basilius cap. supra citato : « Visum est patribus nostris non suscipere cum silentio gratiam vespertini luminis, sed simul, ut appareat, gratias agere, et quis auctor verborum illorum lucernariæ gratiarum actionis, non possumus dicere : Populus tamen antiquam vocem emittit; neque cuiquam unquam visi sunt impietatem admittere, qui dicunt : Ὑμνοῦμεν Πατέρα καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα Θεοῦ. *Laudamus Patrem et Filium et sanctum Spiritum Dei.* » Hæc autem lucernaria et vespertina synaxis ita olim agebatur ex institutione S. Jacobi. Congregatis ab episcopo in ecclesiam fidelibus, primo dicebatur ἐπιλύχνιος ψαλμός, id est, lucernalis psalmus. Deinde diaconus dimittebat catechumenos, energumenos, pœnitentes, et illuminatos. His dimissis, clamabat : *Quotquot sumus fideles, oremus Dominum.* Dicebatque primam orationem : qua completa sic orabat : Σῶσον καὶ ἀνάστησον ἡμᾶς, ὁ Θεὸς, etc., id est, *Salva et resuscita nos, Deus*, etc., qua finita dicebat episcopus : Εὐχαριστίαν ἐπιλύχνιον, id est gratiarum actionem lucernalem, hoc modo : ὁ ἄναρχος Θεὸς καὶ ἀτελεύτητος, id est, *Deus sine principio et immortalis*, etc. Subjungebat diaconus : *Inclinate ad impositionem manuum.* Tum dicebat episcopus : Θεὲ Πατέρων, καὶ Κύριε τοῦ ἐλέους, etc., id est, *Deus Patrum et Domine misericordiæ*, etc.; tandem dicebat diaconus, *Exite in pace.* Hæc habentur lib. VIII Constitutionum apostolicarum cap. 35, 36 et 37. Ignis eliciebatur ex silice, qui Christum repræsentat, ut notum est ex Prudentio, hymno citato :

Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris ignicalis unde genus venit.

Hic autem hymnus falso inscribitur, *ad incensum cerei Paschalis* : scribendum enim est *ad incensum lucernæ*, ut est in veteribus exemplaribus, quemadmodum recte observavit vir doctissimus Jacobus Sirmondus societatis Jesu (*in lib.* I *Carm. Ennod., hymn.* 1). Id satis indicat titulus libri nempe Cathemerinon, quo significantur ea quæ per diem aguntur; quod suadet etiam hymnorum ordo, primus est ad galli cantum, secundus est matutinus, tertius ante cibum, quartus post cibum, quintus ad accensum lucernæ, qui proinde ita incipit :

Inventor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christi tuis redde fidelibus.

B Neque in eo hymno agitur de unico cereo; sed de lychnis plurimis pendentibus de laqueari, ut videre est in eodem hymno :

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.

Nec obstat, quod olim in quibusdam ecclesiis hic hymnus cantaretur in benedictione cerei Paschalis, ut habetur in veteri ordine Romano, cum hoc tantum fieret per accommodationem.

[a] *Apud Palæstinæ*, etc. Hæc contractius prolata, fusius tractata reperies apud eumdem Cassianum lib. III de diurn. Orat. cap. 3.

[b] *Tertia quia Spiritus sanctus*, etc. Eamdem rationem proferunt S. Cyprianus lib. de Oratione Dominica, S. Basilius, interrog. 37 Regularum fusius disputatarum, Fructuosus abbas cap. 10 Regulæ in hac Concordia cap. 53, et Isidorus lib. I de Offic. eccl. cap. 19, aliam S. Athanasius lib. de Virginitate, C quod lignum Dominicæ crucis hora tertia *defixum* fuerit; aliam Constitutiones apostolicæ *lib. VIII, cap.* 34 : « ὅτι ἀποφασιν ἐν αὐτῇ ὑπὸ Πιλάτου ἔλαβε ὁ Κύριος, id est, quod in ea hora (tertia) Dominus sententiam judicii a Pilato acceperit. »

[c] *Sexta quod immaculata pro eo.* Cassianus sextæ horæ celebrationem refert ad id quod Christus in cruce suspensus nos peccatorum vinculo liberavit. Sed hoc mysterium ad nonam refert S. Cyprianus libro citato : « Ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit : et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. » Itaque idem Cyprianus, S. Athanasius, et Constitutiones apostolicæ mysterium sextæ referunt ad id præcise, quod ea hora Christus cruci suffixus est; quibus astipulatur Fructuosus abbas cum ait : « Sexta Dominum in cruce ascendisse. »

[d] *Hora nona pro eo quod eadem hora Dominus noster descendens ad inferos*, etc. S. Athanasius lib. D citato descensum Christi ad inferos horæ duodecimæ, id est vespertinæ applicat. Mysterium vero nonæ idem S. Athanasius scribit ideo celebrari, quia Christus eadem hora emisit spiritum. Subscribit Fructuosus abbas, cum ait : « Nona spiritum emisisse. » S. Isidorus, lib. I de Offic. eccl., cap. 19, quia « Christus in nonam patibuli cruciamenta portavit. » Constitutiones apostolicæ, quod tum omnia mota et tremefacta sunt Domino crucifixo : quod horreret audaciam impiorum Judæorum, et passionem Domini ferre non possent. S. Cyprianus « quia passione sua nostra peccata abluit, et victoriam suam perfecit. » Sed hæc nihil aliud sonant, quam Christi expirationem. Ob eamdem rationem nonam olim Romani observabant, ut videre est apud Tertullianum, cum de eadem hora agit lib. de Jejunio adversus Psychicos : « Itaque in eam usque horam (nonam) celebranda pressura est, in qua a sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium. »

pro inchoatione [a] et terminatione diei postea a Patribus sunt adjunctæ; tertiam autem et sextam et nonam etiam ab apostolis leginus fuisse celebratas. [b] Nam tertia hora super apostolos in orationum officio constitutos Spiritus sanctus descendit (*Act.* II); sexta vero hora legimus Petrum, dum in cœnaculo oraret, subito in excessu mentis vas illud, quod quatuor initiis quasi linteum de cœlo submissum, vidisse (*Act.* X); de nona autem legimus: *Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam* (*Act.* V). Vespertinas autem, vel matutinas orationes non solum ab apostolis, sed etiam in Veteri Testamento legimus eas in templo Domini semper fuisse oblatas. [c] Unde et David dicit de vespertinis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Ps. CXIV). De matutinis autem dicit: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et: *In matutinis meditabor in te, quia factus es adjutor meus* (Ps. LXII).

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* II).

[d] Primæ horæ observandæ mensura sancita est, dicente Propheta: *Mane astabo tibi,* [e] *et videbo te, quia tu es Deus nolens iniquitatem.* Et iterum: *Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam* (*Psal.* V). Secunda quoque inter primam et tertiam constituta, quasi quidam limes ponitur. Unde et a monachis necesse est, ne otiosa ducatur. Ideo constitutum est, ut trino psalmorum obsequio frequentetur, quæ et primæ consummet officium, et subsequenter tertiæ incipiat scandere gradum. Ita quoque in reliquis constitutum est hunc servandum esse ordinem horis tertia, sexta, nona, [f] duodecima, videliect atque vespera; ut ante et [g] post trinas has legitimas horas peculiaris orationis prosequantur obsequia. Nocturno igitur tempore [h] prima noctis hora sex orationibus celebranda est: ac deinde decem psalmorum concentu cum laude et benedictionibus consummanda in Ecclesia est. [i] Deinde valefacientes invicem, et reconciliationi et satisfactioni alterutrum insistentes laxant mutuo debita: et pietate paterna, qui [j] segregati a cœtu fraterno ob negligentiam suam fuerant, mereantur indulgentiam. Tunc demum per gentes ad cubilia, atque in unum conjuncti coeuntes ad perfectionem pacis, et reorum absolutionem, cantatis tribus psalmis juxta morem cum laude, et benedictione, symbolum Christianæ fidei communi omnes recitent voce; ut fidem suam puram coram Deo

[a] *Et terminatione diei.* Hujus horæ duodecimæ seu vespertinæ mysterium S. Athanasius ad Christi descensum ad inferos refert, ut supra notatum est. Tertullianus lib. citato cum aliis conjecturis refutat Psychicorum conjecturas, dicit posse ad Christi sepulturam referri: « Hoc si magis ad religionem sapit Christianam, dum magis Christi gloriam celebrat, possum æque seræ stationis eodem rei ordine statum figere, ut jejunemus ad serum exspectantes tempus Dominicæ sepulturæ, cum Joseph postulatum detulit corpus et condidit. » S. Isidorus, cap. 20, refert ad sacrificium legis veteris vespertinum: atque etiam ad novæ legis augustissimum illud sacrificium vespertinum, quo Christus carnem et sanguinem suum dedit apostolis in suprema illa cœna: « In novo quoque testamento eo tempore Dominus et Salvator cœnantibus apostolis mysterium sui corporis et sanguinis initio tradidit: ut tempus ipsum sacrificii vesperum ostenderet sæculi: proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum in his temporibus adesse decet Dei conspectibus et personare in ejus cultibus orationum nostrarum illi sacrificium offerentes. » S. Cyprianus scribit hanc horam vespertinam celebrari, quod recedente sole orandum sit, ut Christus vera lux ad nos veniat: « Recedente item sole, et die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus et dies est verus, sole ac die sæculi recedente, quando oramus ac petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum. » Idem patet ex Prudentio initio hymni supra citati. Sed ut aliquid de mediæ noctis synaxi dicamus, S. Athanasius lib. de Virginitate ait eam agendam esse, quia Christus media nocte surrexit a mortuis. S. Fructuosus abbas: « Quia ea hora clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei: ut, ea hora cum ad judicium venerit, non nos dormientes, sed vigilantes inveniat. » Matutinos vero, seu laudes matutinas ad Christi resurrectionem refert S. Cyprianus. « Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. » Eamdem refert rationem pro Gallicinii synaxi Fructuosus abbas: « Gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse. » Nec mirum si Christi resurrectio diversis horis applicetur, quia, qua hora contigerit, SS. Patres ambigunt. Prima hora ob missos operarios in vineam celebratur, ut vult Fructuosus abbas. Sed de his plura vide apud Walfridum Strabonem lib. de Rebus eccl., cap. 25; Amalarium Fortunatum, lib. III de Offic. eccl., cap. 2, et Rupertum lib. I de divinis Offic., cap. 2.

[b] *Nam tertia hora super apostolos in orationum officio constitutos,* etc. Idem habet Tertullianus lib. contra Psychicos: « Porro, cum in eodem commentario Lucæ et tertia hora oratioque demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati pro ebriis habentur: et sexta, qua Petrus ascendit ad superiora: nona, qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus salva plane indifferentia semper et ubique omni tempore orandi, tamen tres istas horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant; ita et solemniores fuisse in orationibus divinis? »

[c] *Unde et David de vespertinis,* etc. Ita Fructuosus abbas, cap. 10 Regulæ: « Vespera David cecinisse, dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* »

[d] *Primæ horæ.* Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis, cod. Crassensis eodem capite.

[e] *Et videbo te.* Illud *te* nullibi reperiri posse existimo. S. Hieronymus tamen, sive quis alius auctor horum commentariorum in psalmos subaudiendum esse putat; cum ait: *Et videbo, subauditur, te, videbo.*

[f] *Duodecima atque vespera.* In Regula ms. legitur: *Usque vesperam.* Rectius, ut arbitror. Nam duodecima non distinguitur a vespera.

[g] *Post trinas has legitimas horas.* Nempe tertiam, sextam, et nonam

[h] *Prima noctis hora.* Quam quidam appellant initium noctis, quæ respondet nostro completorio.

[i] *Deinde valefacientes.* Ita S. Isidorus, cap. 6 Regulæ: « Ante somnum autem, sicut mos est, peracto completorio, valefactis invicem fratribus, cum omni cautela et silentio requiescendum est. »

[j] *Segregati.* Id est excommunicati: addit, *ob negligentiam suam,* ut complectatur eos tantum, qui ob leves culpas ab aliis separantur.

ostendentes, [a] si quid dubium non est fieri, vel accidere, ut nocturno quisquam tempore vocetur a corpore, commendatam jam fidem suam et expiatam ab omni [b] scandalo conscientiam proferant ante Deum. Post deinde adeant cubilia summo cum silentio exhibito, gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens alter ad alterum, vel saltim alium respicere audens pergat ad lectum suum : ubi tacitæ orationi insistens, psalmosque recensens ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitatione, atque oratione consummet. Nec strepere, vel mutire ausus aut excreare cum [c] gratia nocturni somni capiat silentium.

[a] *Si quid dubium.* In Regula ms., *Si quod dubium*, lege : *Sicut dubium.*

[b] *Scandalo.* Scandalum hoc loco est offensa, rixa : vide supra.

[c] *Gratia.* Ita correctum est a quodam, cum antea legeretur : *Gracitu*, ut adhuc in cod. ms. apparet. In cod. Crassensi legitur *crucitu*, quam quidem lectionem retineo : ut sit crucitus sonus vehementior excreationis per onomatopœam ; nam durum esset excreationem absolute prohibere.

[d] *Kyrie eleison.* Ms. Vict. p. addit : *Cum precibus.*

[e] *Et missæ sint.* In commentario Smaragdi legitur : *Et missæ sunt.* In ms. Vict. p., *Et missa est.* Sed hæc posterior lectio omnibus codicibus, quos viderim, adversatur. Locus obscurus ; cujus duas profert interpretationes Smaragdus : « Quod in aliis locis dicit, *et completum est*, hac in clausula, *et missæ sunt*, dicit : *et missa sunt*, repetit. Orationes enim officii, quæ a nobis sunt completæ, Deo sunt missæ, quia in illius honore sunt celebratæ ; aliter : orationes, id est, collectæ, quæ in fine cursus a sacerdote dicuntur missæ, id est, Deo missæ vocantur. » Quæ secunda interpretatio potior videtur : præsertim cum alias nullam faciat explicitam collectarum mentionem S. Pater Benedictus quæ sane illius ætate erant in usu, quamvis fortasse non sub eadem formula ac nunc. Quod missæ collectas significent fuse satis cap. 23, ad S. Isidorum probatum est. Itaque missæ hoc loco collectæ sunt seu orationes, quæ, juxta Cassianum, ad finem cujusque psalmi dicebantur a sacerdote, quarum mentionem tantum in fine horarum facit S. Pater Benedictus brevitatis causa, tanquam rei suis monachis vulgaris et tritæ, quemadmodum postea agit de brevi oratione veluti obiter et per transennam, tanquam de re monachis nota, quæ majori explicatione non indigeat. Vel certe dicendum S. Patrem Benedictum juxta aliorum morem, quem supra declaravimus, rejecisse ejusmodi collectas ad finem cujusque horæ, ita ut plures dicendæ sint, non una, atque ob eam rationem dixisse, *missæ sint*, non, *missa sit*. Nec obstat quod agens de nocturnis et matutinis nullam faciat mentionem horarum missarum, sed tantum dicat : *Et completum est.* Nam ob istarum prolixitatem horarum in eis plures hujusmodi collectas recitari noluit : quia his horis multa addidit præter antiquorum monachorum consuetudinem, ut patebit legenti librum II Cassiani de nocturnis Orationibus. Imo hæc objectio nonnis favet : quia nulla potest esse alia ratio cur in prima hora et sequentibus ordinandis constanter dixerit, *et missæ sint*, vel, *missæ fiant*, in superioribus vero, *et completum est*, quam nostra de hujusmodi missis interpretatio, etsi non inficiet in nocturnis et matutinis unam saltem fuisse collectam. Dicet aliquis per missas significari missionem chori. Sed, si hoc ita esset, dixisset : *Et missa sit*, quemadmodum diaconus in fine sacræ liturgiæ dicit : *Ite, missa est*, id est missio : non, *Ite, missæ sunt.* Quemadmodum prisci Græci perfecto sacrificio, dicebant, ἄφεσις, id est, dimissio, in singulari. Hæc sunt quæ favere possunt secundæ interpretationi Smaragdi, etsi prior non sit omnino repudianda, cum sua probabilitate non careat. Quidam recentior theologus, vir sane doctissimus, hunc S. Benedicti locum, et subsequentes de sacrosancto missæ sacrificio exponit. Sed hæc explicatio non mihi probatur : primo, quia nimis onerosum esset tot missas communes, seu conventuales, ut vocant, celebrare ; secundo, quia vix superesset tempus ad opus manuum, et ad lectionem divinam ; tertio, quia olim missa celebrabatur hora tertia, id est, nona nostra matutina, si reficiendum esset meridie, et dies a jejunio vacaret : sexta, si jejunandum esset usque ad nonam ; nona in Quadragesima, si tantum refectio esset ad vesperam, ut docet Valfridus Strabo, cap. 23 de Rebus eccl. ; Micrologus, lib. de Eccl. observationibus, cap. 49, et Amalarius Fortunatus, lib. III de Officiis eccl., cap. 32. Id videre est apud S. Epiphanium in synopsi Cassianum lib. III de diurnis Orat., cap. 2 ; Sidonium, lib. V, epist. 17 ; Gregorium Turonensem de Vitis Patrum de S. Nicetio ; Gregorium Magnum, homil. 37 in Evangelia ; Joannem Moschum, cap. 27 Prati spiritualis. In concilio Bracarensi I, cap. 16, et Bracar. II, cap. 19, nunquam vero post vesperam et completorium, quod tamen contingeret, si hæc regulæ locis missæ de sacrificio liturgico intelligerentur.

[f] *Oratio, id est versus.* Ita in omnibus codicibus nostris mss. excepto Victor. p. in quo sic habetur : *Tertiæ vero, sextæ et nonæ eodem ordine celebrentur oratio, id est versus*, etc. ; apud S. Dunstanum legitur, *id est, oratio, versus.* Sed quænam sit hujusmodi oratio, et quare potius tertiæ, sextæ, et nonæ, quam aliis horis præponatur, non video ? itaque lectio vulgaris retinenda est : *Oratio, id est versus*, et explicat S. Benedictus quid sit oratio ; nempe versus : *Deus in adjutorium*, etc., quo Dei auxilium efflagitamus.

[g] *Terni psalmi.* Sequitur morem priscorum Patrum, qui has tres horas ternis psalmis absolvendas putarunt Cassianus, lib. III de diurnis Orat., cap. 3 : « Itaque in Palæstinæ vel Mesopotamiæ monasteriis ac totius Orientis supra dictarum horarum (tertiæ, sextæ, et nonæ) solemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur. » Hoc etiam institutum sequitur S. Isidorus, cap. 6 suæ Regulæ : « In tertia, sexta vel nona tres psalmi dicendi sunt. » A quibusdam olim tertia ternis psalmis, sexta senis, et nona novem decurrebantur, ut testis est Cassianus, lib. I de Noctur. Orat., cap. 1.

[h] *Si vero minor in directum psallantur.* Nempe tertia, sexta, et nona. Ratio hujus instituti est : quia minori congregationi non esset satis temporis ad

Appendix I. — *Quanti psalmi per easdem horas dicantur.*

(Ex Regula S. Benedicti, cap. 17.)

Jam de nocturnis, vel matutinis digessimus ordinem psalmodiæ : nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicuntur psalmi tres singillatim, et non sub una gloria. Hymnus ejusdem horæ post versum : *Deus in adjutorium meum intende*, antequam psalmi incipiantur. Post expletionem vero trium psalmorum recitetur lectio una, versus : et [d] *Kyrie eleison*, [e] et missæ sint. Tertia vero, et sexta et nona eodem ordine celebrantur : [f] oratio, id est, versus, hymni earumdem horarum, [g] terni psalmi, lectio, et versus, *Kyrie eleison*, et missæ sint. Si major fuerit congregatio, cum antiphonis, [h] si

vero minor, in directum [a] psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur. Post quos psalmos [b] Apostoli lectio recitanda est. Inde responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, et [c] oratio Dominica; et fiant missæ. [d] Completorium autem trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi [e] directanei sine antiphona dicendi sunt; post quos hymnus ejusdem horæ, lectio una, versus : *Kyrie eleison*, [f] benedictio; [g] post missæ fiant.

Appendix II. — *Quo ordine psalmi dicendi sunt.*

(Ex eadem Regula, cap. 18.)

In primis semper diurnis horis dicatur versus : *Deus in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina,* [h] etc. Inde hymnus uniuscujusque horæ. Deinde prima hora Dominica [i] dicenda, quatuor capitula psalmi [j] centesimi octavi decimi [k] dicantur. Reliquis vero horis, id est, tertia, sexta, vel nona terna capitula supra scripti psalmi octavi decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, et sextus. Et ita per singulos dies ad primam usque [l] dominicam dicantur per ordinem terni psalmi [m] usque ad nonum decimum psalmum : ita sane, ut nonus psalmus, et septimus decimus partiantur in duas glorias : et sic fiat, [n] ut ad vigilias Dominica semper a vicesimo incipiatur. Ad tertiam, vero sextam, nonamque feriæ secundæ, novem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimo octavo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso ergo psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est, Dominica et secunda feria; tertia feria jam ad tertiam, sextam vel nonam psallantur terni psalmi a centesimo nonodecimo usque ad centesimum vigesimum septimum, id est, psalmi novem. Quique psalmi semper [o] usque ad Dominicam per easdem horas, [p] itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata. Et ita scilicet, ut semper Dominica a centesimo octavo decimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur a centesimo nono usque ad centesimum quadragesimum septimum, exceptis his, qui in diversis horis ex eis sequestrantur, id est, a centesimo septimo decimo ad centesimum vigesimum septimum, et centesimo tricesimo tertio, et centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt, qui ex numero supra scripto [q] fortiores inveniuntur, id est, centesimus tricesimus octavus, et centesimus quadragesimus tertius, et centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, centesimo quintodecimo conjungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad completorium vero quotidie iidem psalmi repetantur, quartus, [r] nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, æqualiter dividantur in septem noctium vigiliis, [s] partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt psalmi, et duode-

opera diurna : maxime cum minoris congregationis monasteria sint etiam minoris substantiæ : ita ut necesse sit quosdam ex iis foris frugibus colligendis aut operibus puta culinæ, et similibus occupari, paucis admodum in choro remanentibus, quibus grave esset has horas solemni cantu persolvere.

[a] *Psallantur.* Vict. ma., *Canantur.*

[b] *Apostoli.* Abest ab aliis cod. mss. nostris et S. Dunstano.

[c] *Oratio Dominica.* Vict. p. addit : *Cum precibus.*

[d] *Completorium.* Ita appellat hanc horam S. Isidorus, cap. 6 suæ Regulæ, sed lib. 1 de Officiis ecclesiasticis, cap. 21, appellat completas, nonnulli Patres completam : et debet dici sub noctis initium; unde a S. Columbano, cap. 7 suæ Regulæ dicitur initium noctis, et a S. Fructuoso Bracarensi, cap. 1 suæ Regulæ prima noctis hora. Et videtur esse illa synaxis quam S. Basilius αἴτησιν, id est, petitionem appellat : in illa enim, quemadmodum in completorio, petitur a Deo noctis quies secura et placida, ut notat S. Basilius. Quæ quidem hora in Oriente vix ante S. Basilium reperitur, nec in Occidente ante S. Benedictum. Imo post S. Basilii ætatem in multis locis Orientis non fuit, ut patet ex supra dictis de horarum diversitate.

[e] *Directanei.* Ita in cod. nostris mss. cum S. Dunstano, vulgo legitur, *Directaneo.* Jubet S. Benedictus completorii psalmos in directum recitari, ut fratres cito eant cubitum, cum hæc hora diceretur sub initium noctis, seu prima noctis hora.

[f] *Benedictio.* Cod. ms. Ebrul., *Et benedictio.* Vict. p., *Benedictiones*, de hac completorii benedictione hoc statuitur, in add. 1 Capitul. Lud. imp., tit. 48 : *Ut benedictio post completorium a sacerdote dicatur.*

[g] *Et post missæ fiant.* Particula *post* desideratur in aliis cod. nostris mss., nec habetur apud Turrecrematam, nec in editione Colinæi, nec in veteri Parisiensi : sane superflua videtur, cum non sit in aliis horis supra explicatis.

[h] *Etc.* S. Dunstanus cum vulgo editis habet, *Et gloria.*

[i] *Dicenda.* Vict. p. addit : *Sunt*, omittitque verbum *dicantur*, quemadmodum vetusta editio Parisiensis, quæ etiam pro *dicenda*, ponit *dicendo.*

[j] *Centesimi octavi decimi.* Cod. p. Vict. addit : *Quæ sequatur hymnus de fide catholica*, id est, symbolum S. Athanasii. Sed hæc sunt additicia.

[k] *Dicantur.* Hoc vocabulum desideratur in cod. mss. S. Germ. ma., S. Far. et Vict. p.

[l] *Ad dominicam.* Vict. ma. addit : *Diem.*

[m] *Usque ad nonum decimum.* Inclusive.

[n] *Ut vigilias.* Vict. p., *Ut vigiliæ Dominicæ semper a vigesimo incipiantur.* Vetus editio Parisiensis, *ut ad vigilias Dominicas.*

[o] *Usque ad dominicam.* In Vict. ma. deest τὸ *usque.*

[p] *Itidem.* Hæc vox desideratur etiam in Vict. ma.

[q] *Fortiores.* Id est, majores, prolixiores, ut supra observatum est.

[r] *Nonagesimus.* Id est, *Qui habitat*, etc.; eumdem psalmum exsolvi jubet S. Basilius in suprema illa hora, quam αἴτησιν, id est, petitionem appellat, ut supra observatum est.

[s] *Partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi.* Hanc institutionem secuta est synodus Narbonensis sub Reccaredo rege : « Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus gloria dicatur omnipotenti Deo. Per majores vero psalmos, si fuerint prolixiores, pausationes fiant; et per quamcunque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. » Pausationes autem istæ sunt psalmorum in-

cim per unamquamque constituantur noctem. [a] Hoc præcipue commonentes, ut si cui forte hæc distributio psalmorum displicuerit, [b] ordinet, si melius aliter judicaverit : dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero [c] centum quinquaginta psalmorum psallatur; et Dominico die semper a capite repetantur ad vigilias.

A Quia nimis iners devotionis suæ studium vel servitium ostendunt monachi, qui minus psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanæ curriculum psallunt : [d] dum quando legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenue implesse : quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.

terstitia, in quibus cessantes a psalmodia breviter et submisse orabant, juxta veterum monachorum institutum, quod videre est apud Cassianum, lib. II de nocturn. Orat., cap. 11 : « Et idcirco ne psalmos quidem ipsos, quos in congregatione decantant, continuata student pronuntiatione concludere. Sed eos pro numero versuum duabus vel tribus interscisionibus cum orationum interjectione divisos distinctim particulatimque consummant; » et hæc loco citato concilii non minimam lucem afferunt.

[a] *Hoc præcipue commonentes*, etc. Sciebat S. Benedictus varie a multis Psalterium ordinari. Et vere humilis non ita ordinem suum commendavit, ut noluerit alieno magis stare judicio, quam suo. Quem tamen ordinem nunquam pontifices mutare voluerunt, quemadmodum observat Walfridus Strabo, cap. 23, lib. de Rebus ecclesiasticis : « Et etiam ille ordo laudabilis, quem beatus Pater Benedictus monachis constituit observandum : scilicet, ut qui proposito a cæteris discernuntur, etiam continuæ servitutis penso aliquid amplius persolvere studeant. Quam dispositionem ideo a pastoribus ecclesiarum non interdici putamus, quia et vicina est auctoritati Romanæ, et quia beatus Gregorius Vitam egregii Patris Benedicti describens, Regulam ab eo descriptam, in qua idem ordo officiorum habetur, sua auctoritate statutis ejus favere videtur. » Sed, quia nonnulli mutationis amatores hunc ordinem immutaverant, in magno concilio Aquisgrani sub Ludovico Pio statutum est, ut omnes monachi hunc ordinem recitarent, ut docet vetus chron. ms. bibliothecæ regis Francorum : « Anno tertio Ludovici factum est concilium magnum Aquisgrani in mense Augusto : et præceptum est ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari. » Item statutum est etiam Aquisgrani in synodo abbatum sub eodem Ludovico, ut habetur additione I Capitularis Lud. imp., tit. 3 : « *Ut officium, quod in Regula sancti Benedicti continetur, celebrent monachi.* » Quare Paulus V, pont. max., qui nostra ætate Breviarium pro omnibus sub Regula S. Patris Benedicti militantibus instituit, eamdem Psalterii dispositionem illibatam servari voluit.

[b] *Ordinet, si melius aliter judicaverit.* Est trajectio ; nam τὸ *aliter* referendum est ad verbum *ordinet* hoc modo : *Ordinet aliter, si melius judicaverit.*

[c] *Centum quinquaginta psalmorum.* Hunc psalmorum numerum S. Patris Benedicti dedita opera designat ne quis supposititios, peregrinos et apocryphos psalmos interjiceret, juxta canonem 59 concilii Laodiceni, quo privati psalmi prohibentur : Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, id est, « Quod non oportet privatos psalmos in ecclesia dici. » Nam fuerunt olim psalmi sub titulo Salomonis et quorumdam aliorum, inquit Theodorus Balsamon, quos quidem concilium privatos appellat, quod non essent auctoritate ecclesiastica recepti. (*) Psalmos et odas Salomonis inter apocryphas Scripturas recenset S. Athanasius in synopsi sacræ Scripturæ, de quibus etiam agit Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus in canone, et collocat inter scripturas quibus contradicitur. Sed et ipse S. Athanasius in eadem synopsi inter Davidicos mentionem facit centesimi quinquagesimi primi psalmi, de quo infra tractabitur. Multi etiam hæretici psalmos composuerunt, inter quos Hierax, quemadmodum docet S. Epiphanius, lib. II Panarii, hæresi. 67 ; Valentinus quoque, ut videre est apud Tertullianum, lib. de Carne Christi : « Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam cum psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus auctoris interserit, ad unam jam lineam congressionem dirigamus » Et infra. « Nobis quoque ad hanc speciem psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatæ et hæretici et Platonici Valentini, sed sanctissimi et receptissimi prophetæ David. » Donatistæ psalmos humano ingenio elaboratos in suis ecclesiis canebant, ut docet S. Augustinus epist. 119 : « Donatistæ nos reprehendunt, quod sobrie psallimus in ecclesia : cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis inflamment. » Cum autem S. Benedictus numerum centum et quinquaginta psalmorum per singulas hebdomadas præcipit absolvi, hoc intelligendum est, si dies festi non occurrant, in quibus psalmi ad ipsam diem pertinentes dicuntur, ut ipse loquitur cap. 14.

[d] *Dum quando legamus.* Ita cod. ma. S. Germ., Vict. p.; sed cod. S. Ebrul. et editio Coloniensis habent, *quando legamus.* Vict. ma., *dum quando legamus.* S. Dunstanus, Turrecremata, et editio Parisiensis vetus, *dum legamus*, cod. ms. S. Farons, *quia legimus.* In vulgatis scribitur, *cum legamus*; clarius et rectius.

(*) Psalmi et odæ Salomonis ante aliquot annos editi sunt a Ludovico de la Cerda.

CAPUT XXV.

DE DISCIPLINA PSALLENDI.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Ubique credimus divinam esse præsentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos. Maxime tamen sine aliqua dubitatione credamus, cum ad

D opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Propheta : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II). Et iterum : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI). Et : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII). Ergo consideremus [a] qualiter oporteat nos in con-

[a] *Qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis.* Idem præclare monet S. Cyprianus, lib. de Oratione Dominica : « Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina quietem continens et pudorem. Co-

spectu Divinitatis et angelorum esse. Et [a] sic stemus ad psallendum, [b] ut mens nostra concordet voci nostræ.

§ II. — Cassiodori de psalmo ci.

[c] Hunc modum sanctæ orationis servandum devotissimus Christianus intelligat, ut id ipsum cogitet quod orat, ipsum respiciat mente cui supplicat. Omnes superfluas cogitationes excludat, aliud non admittat extraneum : ne, ut ait quidam, [d] purissimis fontibus apros immittere videatur improvidus. Hinc etiam Ambrosii secundum Apostolum horæ sextæ roseus ille hymnus redoluit, cum ait :

[e] *Orabo mente Dominum,*
Orabo et mente spiritu :
Ne vox Deo sola canat,
Sensusque noster aliubi
Ductus aberret fluctuans
Vanis præventus casibus.
Tunc enim [f] accepta est
Oratio canentium,
Si una mens idem gerat
Quod explicat vox cantici.

§ III. — Ex Regula Basilii (*cap.* 110).

Interrog. [g] Quid est, *psallite sapienter?* (*Psal.* xlvi).—*Resp.* [h] Quod est in omnibus cibis gustu unumquemque dignoscere, cujus saporis sit, hoc est, et ex verbis sanctæ Scripturæ prudentiæ sensus : [i] *Fauces*, inquit, *escas gustabunt*, [j] *sensus autem verba discernit* (*Job.* xxxiv). Si quis autem animam suam ita intendit in singula verba psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum, iste complet hoc quod dicitur : *Psallite sapienter.*

§ IV.—Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 54).

Interrog. [k] Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversæ ascendunt in corde nostro, et quomodo possumus emendare? — *Resp.* Vagatur quidem mens interdum etiam otio, cum non occupatur in necessaria sollicitudine, in remissione posita et securitate, non credit præsentem Deum scrutantem renes et corda. Si enim hoc crederet, faceret hoc quod superius dictum est : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* ii). Qui autem hoc agit [l] nec horum similia, neque vagabitur unquam, neque habebit otium vanis cogitationibus indulgere, vel aliquid cogitare quod non ad ædificationem fidei pertineat, [m] et ad aliquam animæ utilitatem spectet, quanto magis nihil audebit quod adversum sit Deo et non ei placeat cogitare.

gitemus nos sub conspectu Dei stare : placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. » Sub Dei conspectu psallebant monachi Cistercienses, de quibus sic scribit Stephanus Tornacensis, epist. 6 : « Divina officia cum tanta solemnitate et devotione celebrant, ut in eorum concentu voces angelorum sonare putes : psalmis et hymnis et canticis spiritualibus ad laudes Dei invitant homines, et angelos imitantur. » Et monachi cœnobii S. Galli tanta cum attentione et devotione canebant, ut cum Conradus rex Romanorum in medium chorum nuces et poma sparsisset, ne unus quidem puerulus respicere dignatus sit, ut est in Actis S. Notkeri.

[a] *Sic stemus ad psallendum.* Ex hoc loco satis constat monachis S. Benedicti standum esse inter psallendum. Quod satis etiam colligitur ex cap. 9 Regulæ : « Quibus dictis, dicto versu benedicat abbas : et sedentibus omnibus in scamnis legantur vicissim a fratribus, » etc. Idem ferme locus habetur cap. 11 ; nam qui jubentur sedere dum lectiones recitantur, stetisse cum psallerent, necesse est, maxime cum tantum genua flecterent in orationibus et collectis, ut infra dicetur et cap. 6 : « Concedatur ei post abbatem stare et benedicere; » et cap. 63 : « Sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. »

[b] *Ut mens nostra concordet voci nostræ.* Hunc locum citat Haymo Halberstattensis in cap. v ad Ephesios : « Illi vero cantant in corde, quorum mens concordat voci, juxta illud B. Benedicti : *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* » Idem monet S. Basilius in Ammonitionibus agens de oratione : « Et ne dissonans sit a sono vocis tuæ sensus tuus, sed in linguæ verba vigil intendat. » S. Prosper Aquitanicus in Sententiis, cap. 6 : « Vera confessio est benedicentis, cum idem sonus est et oris et cordis. » S. Isidorus, cap. 6 Regulæ suæ : « Quando celebrantur psalmorum sacramenta spiritualia, refugiat monachus risus et fabulas; sed hoc meditetur corde quod psallitur ore. » Præclare sane S. Cæsarius Arelatensis, serm. 12 : « Orantes autem, charissimi, quantum possumus, adjuvante Domino laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit, ne forte aliud habeamus in corde, et aliud proferamus ex ore; ne forte, dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus vanis occupata ab orationis sensu discedat; et inde acquirat peccatum unde potuit habere remedium. »

[c] *Hunc modum*, etc. Hæc reperiuntur apud Cassiodorum Commentario in psalmos, psalmo citato.

[d] *Purissimis fontibus apros immittere.* Ex Virgilio, ii Bucolico :

. . . et liquidis immisi fontibus apros.

[e] *Orabo mente Dominum*, etc. Hi versus non exstant, in operibus excusis S. Ambrosii. Canebantur hora sexta, ut notum est ex Cassiodoro hoc loco.

[f] *Accepta est.* Lege : *Deo accepta est*, ut apud Cassiodorum.

[g] *Quid est, psallite sapienter?* Exstat apud S. Basilium interr. 279 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 57.

[h] *Quod est in omnibus cibis.* Præclare Basilius in Ammonitionibus : « In tempore psalmorum sapienter psalle, fili, et spiritales cantus vigilanter cane coram Domino : ut virtutem psalmorum facilius possis advertere. Omnis enim duritia cordis eorum dulcedine emollitur. Tunc dulces fauces habebis, gaudensque cantabis : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Nec poteris sentire dulcedinem, nisi cum summa vigilantia et sapientia cantaveris. *Fauces enim*, inquit, *escam gustabunt, sensus autem discernent.* Sicut ergo ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur. »

[i] *Fauces escas gustabunt*, etc. Citatur locus ordine præpostero.

[j] *Sensus.* In recentiori interpretatione S. Basilii, *mens*. Utrumque juxta locum citatum a Basilio in quo est νοῦς, id est, mens, sensus. At in Bibliæ communi versione est *auris*, juxta Septuaginta οὖς, id est, auris, et textum Hebraicum אזן, *Ozen*, quod idem sonat. Citatio ergo olim corrupta apud Basilium, cum ex οὖς factum est νοῦς.

[k] *Unde ergo.* Exstat apud S. Basilium, interr. 24 Regul. brev., et apud Ruf., cap. 28.

[l] *Nec horum.* Lege, *vel horum*, ut apud Rufinum.

[m] *Et ad aliquam animæ utilitatem spectet.* In textu Græco, κἂν ἀγαθὸν εἶναι δοκῇ, id est, etsi bonum illud esse videatur.

§ V. — EJUSDEM (*cap.* 108).

Interrog. [a] Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur? — *Resp.* Si certus sit se assistere ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns vel principem, et loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis et alios aspicere dum ibi loquitur, [b] quanto magis qui accedit ad Dominum nusquam debet movere oculum cordis, sed intentus esse in eum qui scrutatur renes et corda (*Psal.* VII), ut impleat illud quod scriptum est: *Levantes puras manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II).

§ VI. — ITEM IPSE (*cap.* 119).

Interrog. [c] Si possibile est obtinere hominem ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua, vel quomodo id fieri potest? — *Resp.* Quia possibile est, ostendit ille qui dixit: *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXXIV). Et iterum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV). Quomodo autem possibile sit prædiximus, id est, si non demus animæ nostræ otium, sed omni tempore de Deo, et de operibus, ac de beneficiis ejus, et de donis cogitemus, et hæc cum confessione et gratiarum actione semper volvamus in mente, sicut scriptum est

§ VII. — EX REGULA SANCTORUM PAULI ET STEPHANI (*cap.* 9).

[d] Somnus cum opus Dei dicitur, cum Dei auxilio omnino a nobis fugandus est. Timentes illud prophetæ: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII). Et illud: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV).

§ VIII. — ITEM IPSI (*cap.* 9).

[e] Nulli liceat tempore, quo opus Dei canitur, qualibet occasione sermonem contra alium fratrem proferre: nisi seniori tantum, cui sine dubio solent causæ cujuscunque rei aut ordinandæ aut corrigendæ nonnunquam emergere.

§ IX. — EX REGULA SANCTI AURELIANI (*cap.* 9).

[f] Ad vigilias [g] nullus dormiat. Si vero Dominici, aut festi dies sunt, cum somnus venerit, aliis sedentibus stet, ut possit a se somni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepidus inveniatur aut negligens.

§ X. — ITEM IPSE (*cap.* 25).

Cum psallitur, studeant sanctæ animæ vestræ [h] non vagari animo, verum etiam nec operari aut loqui præsumant: sed, *psallite sapienter* (*Psal.* XLVI), sicut dixit Propheta: *Psallam et intelligam* (*Psal.* C). Et illud: *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Metuens illud: *Maledictus homo qui facit opus Dei* [i] *negligenter* (*Jer.* XLVIII).

§ XI.—TRACTATUS BEATI AUGUSTINI DE EO QUOD SCRIPTUM EST IN EVANGELIO: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo.*

[j] Magnam nobis, fratres dilectissimi, securitatem in Evangelio Dominus donare dignatus est dicens: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Si duobus vel tribus interesse dignatur, quanto magis quando totus populus in ecclesia fideli devotione colligitur, et concurrentium societate membrorum capiti suo Christo Ecclesiæ corpus unitur. *Ubi sunt*, inquit, *duo vel tres congregati in nomine meo.* Cum ergo congregatio ad multos pertineat, videndum est quomodo sermo divinus de duobus vel tribus dicendum esse judicaverit. Ego puto quod de uno possit dici, qui in domo Dei possit congregari, id est, ut ad exorandum Dominum non solum exterioribus, sed etiam interioribus sensibus et desideriis, fide et operibus totus introeat. Nam si intra ecclesiam solo corpore, quisque ille, teneatur, et toto extra ecclesiam corde versetur, et exterior a spiritu suo divisus et separatus ingreditur: et quod est in homine pretiosius, hoc divinis obsequiis peregrinatur: dum solum in præsenti terra retinetur, anima vero per lasciva lubidria in multiplices [k] cursus captiva distrahitur. Et ideo quando quisque nostrum ante judicem suum æternam causam commendaturus assistit, non aliud appareat intus, et aliud foris sit. Nihil ab homine [l] de parte hominis obtinetur. Nam si dixit: *Ubi sunt*

[a] *Quomodo obtinebit.* Habetur apud sanctum Basilium interr. 201 Reg. brev., et apud Rufinum cap. 57.

[b] *Quanto magis qui accedit ad Dominum.* Præclare idem Basilius in Ammonitionibus: « Iloc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo, neque in diversa rapiatur mens tua. Memento enim te sub Dei stare conspectibus, qui occulta cordis conspicit, et abscondita mentium novit. »

[c] *Si possibile*, etc. interrog. 202 Reg. brev., et Ruf. cap. 57.

[d] *Somnus*, etc. In cod. ms. Flor. eod. cap.

[e] *Nulli*, etc. In cod. Flor. cap. 10.

[f] *Ad vigilias.* Supra cap. 23 citatur cap. 29 ejusdem Regulæ S. Aureliani huic simile, sed quodammodo prolixius.

[g] *Nullus dormiat*, etc. Idem monet S. Basilius in Ammonitionibus: « Vigilanter igitur assiste in conspectu Dei; in tempore orationum vel psalmorum non te opprimat somnus. » Circa dormientes in synaxi divina monachos hæc statuit S. Columbanus in Pœnitentiali ms.: « Si quis dormierit cum oratur, si frequens, duodecim psalmos cantet; si non frequens, sex psalmos. »

[h] *Non vagari animo.* In id omnes animi nervos intendere debent monachi, ne præter irreverentiæ noxam, quam incurrunt, assiduæ seu orationis seu psalmodiæ perdant fructum, juxta illud Aggæi prophetæ cap. 1: *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti: et qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

[i] *Negligenter.* Ita apud Septuaginta, ἀμελῶς, id est negligenter, et apud S. Cyprianum, lib. III Testim. ad Quirinum. In versione communi, *fraudulenter.*

[j] *Magnam nobis*, etc. Huic tractatui nomen S. Augustini præfigitur, non tamen exstat inter illius Opera, nec ulla mentio fit in Retractationibus, nec recensetur in Catalogo Possidii. Quædam hujus tractatus pars exstat in brevi quodam sermone Eusebii Gallicani, cujus initium est: *Multum habent salubritatis.*

[k] *Cursus.* Lege, *discursus*, ut habetur in præfato sermone Eusebii Gallicani, et quidem convenientius ad sensum.

[l] *De parte hominis obtinetur.* Hæc nullum sensum efficiunt; sed lege, ut in sermone præfato: *De parte hominis absentet*, ut infra loquitur: *De templo Dei*

duo vel tres congregati, quomodo probabitur congregatus, qui a semetipso cogitatione et vagatione dispersus est? Et quomodo erit in medio tui, si tecum tu ipse non fueris? [a] id est, illis, qui poscit, quomodo aderit ille qui poscitur? Quomodo suscitabitur judex, si dormitaverit advocatus? Opus est itaque ut quod postulat vocis sonus, obtineat sedulitatis affectus: Revoca intus sollicitam mentem, per quam omne sacrificium offerre te convenit. De templo Dei absentare non convenit sacerdotem. Hæc ergo considerantes, fratres charissimi, quotiescunque psallimus, aut in oratione procumbimus, jugiter illud Apostoli consideremus quod ait, *orationi instantes et vigilantes in ea* (*Col.* IV). Et iterum: *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Si enim aut dum psallimus aut dum orationi insistimus, sæculares cogitationes intentionem animi nostri a sensu divinæ contemplationis averterint, faciunt nos captivis sensibus sine ullo animæ fructu huc illucque discurrere. Quam rem Christo auxiliante cito poterimus evadere, si similitudinem peccatorum nostrorum voluerimus attentius cogitare. Si enim pro peccatis nostris, id est, quæcunque male cogitavimus, quæcunque injuste diximus, cum ingenti rugitu et gemitu, sicut expedit, supplicamus, cogitationes superfluæ aut non veniunt, aut si se ingesserint, dum eis non præbemus assensum, cito erubescunt atque discedunt. Quid enim homo cogitare debet quando cum Deo loquitur, nisi tota intentione mentis ad illius misericordiam intentus aspiciat? Et quia difficile est ut nobis non subripiant aliquæ cogitationes, vel moras habere in nobis non permittantur. Cogitatio enim aut de cupiditate aut de luxuria veniens sic est quomodo si aliquis carbones accensos in suis manibus apprehendat: si eos statim sine mora projecerit, nocere ei ignis ille non poterit; si vero qualemcunque moram habuerit, sine vulnere jactari non poterunt. Et quia de multis negligentiis non solum nos minuta peccata vel ut circumvolantes muscæ jugiter inquietant, sed etiam nos crimina capitalia ad aliquod malum perpetrandum frequenter instigant, sicut etiam supra suggessi toto corde et toto animo, diu noctuque contra insidias inimici, de quo scriptum est (*Æn.* VI) quod ei sint

. . . . nomina mille,
Mille nocendi artes, ...

pugnare fortiter studeamus. Si enim diligenter attendimus conscientias nostras, spiritales ibi pugnas fieri, et secundum apostoli Pauli sententiam (*I Cor.* IV) spectaculum Deo et angelis ejus esse cognoscimus: et [b] in arena mundi hujus contra omnia peccata vel crimina, velut contra crudelissimas bestias, nos jugiter pugnare sentimus. Hæc enim qui diligenter attenderit, ipse suus aspector assistit, et quædam animæ suæ divortia inter utiles et contrarias voluntates anxius pugnas nutantes inspiciet, et quid eum deceat oculo interiore considerat. Diligenter, quæso, fratres, attendite et cognoscite quia in nobismetipsis habemus amphitheatrum spiritale, [c] et illam quam [d] silva barbara in spectaculis fingunt, quotidie patimur et in ambitu cordis nostri. Ego enim, fratres, nolo quibuscunque injuriam facere, neminem profero nuncupatim. Videat unusquisque in conscientiam suam quid reperiat. [e] Nam video interdum in moribus nostris [f] iras leonum, in affectionibus sævitias ursorum, in mente, [g] varietates pardorum, in avaritia rapacitatem luporum, in concupi-

absentare non expedit sacerdotem; et sensus est, ut mens, quæ est hominis pars, non absit ab homine dum orat.

[a] *Id est illis qui poscit.* Hæc corrupta sunt, nulliusque sensus. Lege ut in sermone citato: *Si deest ille qui poscit.*

[b] *In arena*, etc. Perelegans sane allegoria ducta ab amphitheatro.

[c] *Et illam quam silva barbara.* Lege: *Et illam silvam barbaram, quam*, etc. Appellat silvam quia sæpe in amphitheatro et circo silvæ pangebantur, in quibus omnis generis ferarum venationem exhibebant, qualis illa de qua Julius Capitolinus in Gordianis, et alia de qua Flavius Vopiscus in Probo; atque etiam historiam seu fabulam repræsentabant, ut videre est in Amphitheatro Martial., epigr. 21:

Quidquid in Orpheio Rodope spectasse theatro
Di iter, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Reperont scopuli, mirandaque silva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum, etc.

[d] *Silvam barbaram.* Ob effusionem humani sanguinis. Cassiodorus, lib. v Var., epist. 42 ejusmodi amphitheatrales ludos et pugnas appellat ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam feritatem; quam quidem belle describit S. Cyprianus epistola 1.

[e] *Nam video in moribus nostris.* Eleganter et apposite admodum prosequitur suam allegoriam, diversarum naturam ferarum cum nostris vitiis industrie satis componens. Profusus sane fuit Romanorum luxus, qui in circi seu amphitheatri munera omnis generis feras undequaque exquirebant; quem eleganter admodum describit Claudianus in Panegyrico de Malli Theodori consulatu:

Conveniunt ursi, magna quos mole ruentes
Torva Lycaoniis Helice miratur in astris,
Pectoribusque ruunt populo mirante leones
Quales Mygdonio curru frenasse Cybelle
Optat, et Herculei malleut fregisse lacerti.
Obvia fulminei properant ad vulnera pardi
Semine permisto geniti: cum forte leænæ
Nobili rem uterum viridis corrupit adulter
Hi maculis patres referunt et robore matres.
Quidquid monstriferis nutrit Getulia campis,
Alpina quidquid tegitur nive: Gallica si quid
Silva tenet, jaceat: largo dilescat arena
Sanguine, consumant totos spectacula montes.

Vide Capitolinum, et Trebellium supra citatos.

[f] *Iras leonum*, etc. Ita eleganter S. Chrysostomus sermone 6 in II ad Cor.: Πόθεν δυνήσομαι μαθεῖν ὅτι ψυχὴν ἔχεις ἀνθρώπου, ὅταν λακτίζῃς ὡς ὄνοι, ὅταν μνησικακῇς ὡς αἱ κάμηλοι, ὅταν δάκνῃς ὡς αἱ ἄρκτοι, ὅταν ἁρτάζῃς ὡς οἱ λύκοι, ὅταν κλέπτῃς ὡς αἱ ἀλωπέκες, ὅταν δολερὸς ἦς ὡς οἱ ὄφεις, ὅταν ἀναισχυντῇς ὡς κύων Id est, « Unde potero discere te habere animam hominis, cum recalcitres ut asini, injuriæ recorderis ut cameli, mordeas ut ursi, rapias ut lupi, fureris ut vulpes, sis dolosus ut serpentes, impudens ut canis? »

[g] *Varietates pardorum.* Claudianus:

Hi maculis patres referunt. . . .

Vide Plinium, lib. VII, cap. 17.

scentia [a] sitim onagrorum, [b] in sensibus stultitiam vulturum, in memoria oblivionem cervorum, in mendaciis fallaciam vulpium, in invidia venenum viperarum, in jejunio tarditatem boum, in corde insciliam vitulorum, in superbia cervices taurorum, in impudentia frontem arietum, in levitate mobilitatem capreolorum, in visceribus callum verrium, in cogitationibus volutabra porcorum, in lingua dentes aprorum, in conscientia maculas tigrium, in iracundia tumentia colla draconum, in peccatis moles elephantorum. Unde deprecor ut, agnoscentes nos tantis periculis circumdatos, attentius pro nobis invicem Domino supplicemus. Fiant, o Benedicti fratres et adjutores, vel conservi in Domino, fiant manus nostræ, id est, sanctæ orationes, simul cum operibus bonis ad Dominum, et introducti in tam periculoso agone, et in theatro mundi hujus in quo nemo coronatur nisi qui legitime certaverit, lætum Deo et angelis spectaculum præbeamus, ut ipse auxiliante, devictis et prostratis adversariis, cum triumpho ad æternam patriam remeantes illam felicem et desiderabilem vocem audire mereamur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXVIII). Quam rem ut obtinere cum Dei gratia mereamur, sicut supra suggessimus, quando in oratione aut caput inclinamus, aut genua flectimus, tota intentione animi, totis viribus laborenus, ne nobis cogitatio aut superflua aut iniqua subripiens mentem nostram a perfecta et compuncta possit oratione subtrahere.

Et quia quando pro peccatis nostris humiliter supplicamus, ad Dominum nos loqui cognoscimus, timere debemus ne forte si aliud quam id quod petimus cogitare poterimus, divinæ majestati, antequam stare videmur, injuriam faciamus. Certi enim esse et tota devotione confidere debemus, quod si quando aut illa psallimus aut oramus, hoc quod proferimus ex ore temeamus in corde. Et tunc oratio nostra omnis exauditur a Domino. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

§ XII. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 5).

[c] Prædictæ autem hoc modo incipiuntur atque finiuntur, [d] ut finito psalmo non continuo ad orationem inflexis genibus corruatur, sed antequam flectantur genua majorem temporis partem stantes in supplicatione expendant : et post hæc puncto brevissime procidentes in terram velut adorantes intuitum divinam clementiam summa velocitate consurgant : et iterum erecti [e] expansis manibus, sicut prius stantes orayerant, modicum suis precibus immorentur. Ideo autem sic orare præceptum est, quia, dum diutius orantes in terra procumbimus, non solum cogitationibus, verum etiam somno gravius impugnamur. Nam multi, qui nescient, nondum bene finito psalmo in orationem procumbere festinant, et dum de lassi corporis refectione potius quam de orationis utilitate cogitant, optant incurvatione genuum diutius incurvari. Cum autem is pectore oramus. » Et libro de Orat., cap. 13 : « At qui cum modestia et humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate et probe elatis. » S. Fructuosus episcopus Bracarensis, cap. 5 Regulæ : « Sed omnes summa æqualitate consurgant, extensisque ad cœlum palmis orando persistant. » Joannes Moschus in Prato spirituli, cap. 55 : Ἐκτεινας τὰς χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν πρὸς Θεὸν ηὔξατο λέγων· id est, « Extensis manibus in cœlum Deum precatus est dicens. » Et cap. 104 rationem affert S. Asterius episcopus Amaseæ enarrans hæc verba Evangelii : *Duo homines ascenderunt in templum* : Καὶ τὸ ὄρθιον τῆς προσευχῆς ἐκτεταμένας προβαλλόμενος τὰς χεῖρας τὸ τοῦ σταυροῦ πάθος σχήματι ἐμφερεῖ, κ. τ. λ. Id est, « Et rectas tendere in cœlum manus formam est exhibere Christi cruci affixi. Si vero vere orat, et orans placeat Deo, non modo in figura crucem repræsentat, sed etiam affectu. Ut enim in cruce clavis affixus, sic et orans necat omnem carnis concupiscentiam, memoria expellens omnem divitiarum, gloriæ et parentum affectum. » Et præclare S. Augustinus enarratione in psal. LXII : « Levavit ergo manus in oratione, levavit pro nobis Dominus noster in cruce; et extensæ sunt manus ejus pro nobis. Ideo extensæ sunt manus ejus in cruce, ut manus nostræ extendantur in bona opera, quia cruce ipsius misericordiam nobis præbuit. Ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrificium, delenda sunt omnia peccata nostra, levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundantur manus nostræ levatæ ad Deum, si exerceantur bonis operibus. Quid enim facit qui levat manus? Unde præceptum est, ut levatis manibus oremus Deum. Apostolus enim dicit : *Levantes puras manus sine ira et disceptatione;* ut cum levas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. »

[a] *Sitim onagrorum.* Psal. CIII : *Exspectabunt onagri in sita sua.* Onager, seu ὄνος ἄγριος, id est asinus silvestris apud Indos equi magnitudine, aliquando major, toto corpore albus, capite purpureus, oculis cæruleis. Cornu illi cubitale media procedit fronte, cujus scobs in potu data tuetur a venenis. Ejus inferior pars et fronti proxima ad duos palmos egregie candida est, suprema in acumen desinens cum summo rubore punicea est, quæ media intercedit, nigra. Qui de eo cornu, vel poculis ex eo tornatis bibunt, nec spasmo, nec morbo sacro corripiuntur. Nec ulla veneni vis eis nocere potest, qui ante vel post haustum venenum aquam aut vinum de ejusmodi cornu seu poculis biberint. Robustissimus est et velocissimus, ut nec equus, nec aliud animal illum assequi possit; ut refert Ctesias Indicorum libro apud Photium in Bibliotheca, n. 71.

[b] *In sensibus stultitiam vulturum.* Lege : *In sensibus subtilitatem vulturum.* Nam hæc avis est acutissimi visus inter cætera animalia, ex longo intervallo prospiciens escas ab ortu solis in occasum, ab occasu ad ortum, inquit Orus Apollo. De vulture et aliis animalibus hic enumeratis vide Plinium et Ælianum de animalibus.

[c] *Prædictæ autem,* etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturn. Oration., cap. 7. Hic autem sabaudi *orationes,* ex capite citato.

[d] *Ut finito psalmo.* Arguit morem suæ provinciæ Massiliensis, juxta quem monachi ad finem psalmi properantes eo nondum finito in genua procumbebant. De his genuflexionibus ad finem cujusque psalmi infra dicetur.

[e] *Expansis manibus.* Mos fuit priscorum Christianorum expansis manibus orare. Tertullianus in Apologetico, cap. 3 : « Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de

[a] qui præcedit, de oratione surrexerit, omnes pariter erigantur. [b] Similiter nec antequam ille ad orationem [c] inclinetur, aliquis se inclinare præsumat : ne non tam prioris conclusionem, qui precem colligit, quam suam celebrasse videatur.

§ XIII. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 20).

[d] Cum vero psalmis et hymnis oratis Deum, id versetur in corde quod profertur in voce. Quodcunque operis feceritis, quando lectio non legitur, de divinis Scripturis aliquid ruminate. Ægrotantes vero sic tractandi sunt, ut citius convalescant. [e] Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem abstinentiæ consuetudinem. [f] Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis placere vestibus, sed moribus, quod decet propositum vestrum.

§ XIV. — [g] Dicta Cæsariæ.

Beatus Cæsarius non de superficie labiorum aliquid Scripturæ meditatus est ; psalmum ipsum quem recitavit, si vel unus sermo eum præteriit ubi sensum intelligentiæ non accommodasset, non ei laboriosum fuit tot vicibus eum repetere, donec nec unus sermo eum subterfugeret, implens illud : *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Et illud ; *Psallam et intelligam* (*Psal.* C).

§ XV. — *Ejusdem.*

Sicut laudabilis ignis per lectionis assiduitatem acquiritur et nutritur, [h] ita iste per cogitationes malas et sordidas, seu ad Deum non pertinentes, sicut venenum serpentis et sicut gladius occidit. Qui sicu fieri non potest ut non veniant, ita, si non invitantur, tarde veniunt. Invitatio tanc fiet, quando meditatio sancta defuerit. Dominus dicit : [i] *Invenit mentem vacuam scopis mundatam et assumit septem spiritus nequiores se, et fiunt* [j] *novissima illius pejora prioribus* (*Luc.* XI). Quæ si venerint, si non teneantur, cito discedunt; si non ruminantur, non urent; non delectentur, [k] non maculent; cito excutiantur et pulverem suum non relinquant; non illis consentiatur et non vulnerant; non audiantur, ut vel in linguam procedunt, et venenum ipsorum non serpit.

[a] *Qui præcedit.* Id est, *qui præest.*

[b] *Similiter nec antequam ille.* S. Fructuosus episcopus, cap. citato : « Prosternantur in terram, eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut inclinetur, aut iterum surgat; sed omnes summa æqualitate consurgant. »

[c] *Inclinetur.* Inclinari hoc loco est prosterni et genuflectere; nam hoc toto capite agitur de genuflexione.

[d] *Cum vero psalmis,* etc. Hæc habentur in Regula S. Cæsarii excusa, cap. 20; sed quidem primum membrum sumptum est ex Regula S. Augustini, cap. 9.

[e] *Sed cum vires,* etc. Ex Regula S. Augustini, cap. 17.

[f] *Non sit notabilis,* etc. Item ex Regula sancti Augustini, cap. 18.

[g] *Dicta Cæsariæ.* Duæ sunt Cæsariæ abbatissæ monasterii quod S. Cæsarius Arelatensis antistes ædificavit prope Arelatem. Prima est S. Cæsaria, soror S. Cæsarii de qua Cyprianus lib. « Vitæ S. Cæsarii : « Evocataque e Massiliensi cœnobio venerabili sorore sua Cæsaria (quam idcirco eo miserat, ut disceret quod doceret; et prius esset discipula quam magistra), in præparata domicilia cum duabus aut tribus sodalibus eam introduxit. » Hujus meminit Fortunatus, lib. VIII, poemate 4, de Virginitate :

Has inter comites conjuncta Cæsaria fulget
Temporibus nostris Arelatense decus,
Cæsarii monitis luci sociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.

Et infra loquens de sancta Radegunde :

Sit tibi dulce decus veneranda Cæsaria præsens
Præsule Cæsario non caritura tuo.
Illos corde sequens, mandataque corpore complens
Ut teneas flores, has miteris apes.

S. Gregorius Turonensis, lib. IX Hist., cap. 41 : « Post hæc cum pontificis sui sæpius gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota cum sua abbatissa, quam instituerat, Arelatensem urbem expetunt, de qua Regula S. Cæsarii atque Cæsariæ beatæ suscepta regis se tuitione munierunt. » Et cap. 42 in epistola S. Radegundis : « Insuper congregationi per me collectæ Regulam, sub qua sancta Cæsaria degit, quam sollicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, ascivi. » Qui etiam ultimus locus intelligendus est de prima Cæsaria S. Cæsarii sorore, sive legatur, *deguit,* sive *degit.* Nam verbum *dego,* habet etiam *degit* in præterito, teste Prisciano, lib. X, quæ sane jam defuncta erat sancta Radegunde superstite, ut notum est ex poemate citato, ubi Fortunatus admonet sanctam Radegundem ut imitetur S. Cæsariam jam ad Dominum receptam. Altera est quæ successit S. Cæsariæ in regimen monasterii. Id patet ex Cypriano, libro eodem, cum agit de sanctimonialium sepulturis præparatis a sancto Cæsario : « Non multum igitur post, ipsam monasterii matrem germanam suam Cæsariam sanctam ad præmia Christi migrantem, inter has quas præmiserat, ad medium throni, juxta eam quam sibi paraverat, condiderunt sepulturam, succedente eidem quæ nunc superest, Cæsaria matre. » Ubi duæ Cæsariæ manifeste distinguuntur : prima quæ obiit ante Cæsarium, altera quæ ei superstes fuit. Hujus secundæ Cæsariæ meminit idem Cyprianus, lib. II, cum agit de obitu S. Cæsarii : « Alloquitur itaque primam quasi more dulcedinis suæ ducentarum puellarum venerabilem Cæsariam matrem. » Eique dicat Vitam S. Cæsarii, ut ex locis citatis colligere est, non primæ Cæsariæ, ut quidam male arbitrantur. Secundæ hujus etiam mentio fit in testamento S. Cæsarii : « Ancillæ nostræ Cæsariæ abbatissæ mantum majorem quem de cannabe fecit, dari volo. » Et paulo post ibidem atque etiam initio. Quod vero spectat ad dicta Cæsariæ hic citata, videntur ea esse Cæsariæ secundæ, non primæ. Nam loquitur Cæsaria in præterito : quod non fecisset, si adhuc in vivis fuisset S. Cæsarius, quando hæc scripsit Cæsaria· sed in præsenti dixisset, *meditatur, recitat,* etc.

[h] *Ita iste.* Subaudi, *ignis vituperabilis,* seu quid simile. Est hic quoddam membrum a suo corpore avulsum.

[i] *Invenit mentem vacuam.* Luc. XI, ubi ita habetur : *Invenit eam scopis mundatam,* domum videlicet. S. Cæsaria posuit *mentem,* explicans nomen allegoricum per proprium. Nam domus illa scopis mundata nihil aliud est quam mens hominis a vitiis purgata.

[j] *Novissima.* Hanc vocem, quæ deerat, restituimus.

[k] *Non maculent.* Locus corruptissimus, quem ita corrigendum puto : *Non maculant, si non delectant; si cito excutiantur, pulverem suum non relinquunt; si illis non consentiatur, non vulnerant; si non audiantur, ut vel in linguam procedunt, venenum ipsarum non serpit.* Quæ quidem de pravis cogitationibus intelliguntur.

§ XVI. — *Ejusdem.*

Puritas cordis omnia vitia excludit, omnes virtutes obtinet: *Lætetur cor quærentium Dominum* (*Psal.* CIV). Quia ibi est habitaculum Spiritus sancti ubi fuerit puritas cordis. Quam virtutem qui voluerit obtinere, [a] nihil præter quod de Deo cogitavit, aut loquitur, evidenter scimus. Quod si vel punctum horæ meditatio Dei discesserit, statim inimicus aderit. Quod valde devitandum est. Et scriptum est: *Abominatio est Domino cogitatio iniqua* (*Prov* XV). Ideoque, quia omnino mens humana otiosa esse non potest, [b] talis sit meditatio, quæ non fetorem faciat, sed sit bonus odor Christi.

§ XVII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 47).

[c] Tanta debet esse reverentiæ gravitas vel disciplina psallendi, ut amabilius a Domino quam a nobis dicitur, audiatur. Sicut ait Scriptura: *Exitus matutini et vespere* [d] *delectaberis* (*Psal.* LXIV). Et item: [e] *Bene psallite ei in jubilatione, quia rectus est sermo Domini* (*Psal.* XXXII). Et item: *Exsultate ei cum timore* (*Psal.* II). Et item: [f] *Psallite Domino sapienter* (*Psal.* XLVI). Ergo si sapienter et cum timore jubet psalli, oportet psallentem immobili corde, [g] inclinato corpore stare, et laudes Domino moderate canere: quippe qui ministerium suum ante Divinitatem implet, docente hoc Propheta, cum dicit: *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII). Nam considerare debet, qui psallit, semper, ne alibi sensus ejus demigret. Ne, cum in aliam cogitationem A sensus noster migraverit, de nobis dicat Deus: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* II, 9). Et item de nobis dicatur: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (*Psal.* LXI). Ne, cum in sola lingua Deum laudamus, in sola [h] regia oris nostri Deum admittamus; intus in domum cordis introductum diabolum [i] collocemus fortiorem. Ab introducente judicatur, qui intus ingreditur, quam qui foris exspectat. Ergo ad tantum et ad tale officium cor pariter cum lingua conveniat cum timore Domino quotidianum debitum redhibere. Et notet sibi in corde qui psallit ad singula omnia testimonia quæ dicit. Qui singuli versus, si notentur, proficiunt animæ ad salutem; et in eis totum invenitur quod quæritur, quia omnia ad ædificationem loquitur psalmus, dicente Propheta: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me* (Psal. C). Quod sonat in voce, ipsum sit in mente psallentis. Psallamus ergo voce et mente communiter, docente Apostolo: *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Non solum vocibus, sed et corde ad Dominum clamate. Cavendum namque est, cum psallitur, ne frequens tussis aut anhelitus prolixus abundet, aut salivarum excreatus a psallente inaute jactentur: sed debere fratrem post se projicere; quia angeli ante psallentes docentur stare, cum dicit Propheta: *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII). Cum hæc ergo omnia impedimenta psallentibus a diabolo fuerint ministrata, mox sibi, qui psallit, signet os [i] Christi sigillo.

B

C

[a] *Nihil præter quod.* Lege, *quod nihil præter quam de Deo cogitabit, aut loquetur*, etc.

[b] *Talis sit meditatio*, etc. Nam bona cogitatio seu meditatio est innocentiæ fons et scaturigo, imo ipsa innocentia, ut est in responsis Cariliphidis: *Quæ sit innocentia? Bona cogitatio.*

[c] *Tanta debet esse*, etc. Habetur in Regula Magistri cod. Corb., cap. 47.

[d] *Delectaberis.* Ita in Psalt. Rom. Vide supra.

[e] *Bene psallite ei in jubilatione.* Ita in Psalterio Romano. Apud S. Hieronymum, *in jubilo.* Apud Septuaginta, ἐν ἀλαλαγμῷ, id est, in jubilatione. Glossæ Cyrilli: ἀλαλαγμὸς, *jubilatio.* Versio communis habet *in vociferatione.*

[f] *Psallite Domino.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; sed τὸ *Domino* addidit Magister.

[g] *Inclinato corpore.* Lege, *inclinato capite*, ut in cod. Corb. et apud Smaragdum.

[h] *Regia.* Id est janua.

[i] *Collocemus fortiorem.* Locus mutilus, ita restituendus ex Smaragdo: « Et intus in domum cordis nostri introductum diabolum collocemus fortiorem. Fortior enim ab introducente judicatur, » etc. Et sensus clarus est.

[i] *Christi sigillo.* Id est, signo crucis.

CAPUT XXVI.

DE REVERENTIA ORATIONIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum

[a] *Si, cum hominibus*, etc. Hunc locum citat S. Eligius episcopus Noviomensis, homil. 9: « Nam cum quali devotione et reverentia sit orandum beatissimus et sanctissimus Pater Benedictus demonstrat dicens: *si cum hominibus potentibus*, » etc. Citat et Haymo Halberstatensis, lib. II de Varietate, cap. 20. Apta similitudine qua reverentia sit orandum ostendit sanctus Benedictus. Eadem utitur Tertullianus, lib. de Oratione: « Si quidem irreverens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus quem cum maxime reverearis et venereris, quanto magis sub conspectu Dei vivi angelo adhuc orationis astante: nisi exprobramus Deo quod nos oratio fatigare rit. Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ipse Publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque delictus orabat, justificatior procacissimo Pharisæo discesit. » Et S. Cæsarius Arelatensis, serm. 121: « Si enim apud aliquam personam potentem velles aliquam causam allegare necessariam, et subito aversus ab illa, media interlocutione dirupta, aliquibus te velles scurrilitatibus occupare, qualem putas in-

cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est. [a] Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu [b] inspirationis divinæ gratiæ protendatur. [c] In conventu autem omnino brevietur

juriam illi personæ cum qua loquebaris inferres? aut quomodo contra te illius injuriam commoveres? Si ergo cum homine loquentes tota intentione animi laboramus ne aliud cogitantes illi cum quo loquimur injuriam facere videamur; cum Deo tamen in oratione loquentes, et ante tantam majestatem peccatorum nostrorum miserias allegantes, non nos pudet, non erubescimus capitis sensibus huc illucque discurrere, et infelicem mentem multis occupationibus a conspectu divinitatis abstrahere. »

[a] *Et non in multiloquio.* S. Eligius legit : *Cum non in multiloquio.* Recte. Multiloquium in oratione fugiendum docet etiam S. Basilius in Ammonitionibus : « Ne longitudinem verborum protrahas ante eum, quia non in multiloquio, sed in purissima mente placabitur Deus. » Quid autem sit orare in multiloquio, et quid differant multiloquium et diuturna precatio, erudite admodum docet S. Augustinus epist. 121 : « Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud est diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit. Ubi quid aliud pro nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? » Et paulo post : « Absit enim ab oratione nostra multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis augere verbis. Multum enim precari est cum quem precamur diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. » Est quod dicit sanctus Benedictus : « Sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. » Multiloquium ergo est in ipsa precatione multa eaque inutilia insulse effutire, quemadmodum Pharisæus ille qui inter orandum præclara sua facinora narrabat cæteros homines vituperans.

[b] *Inspirationis divinæ gratiæ.* In cod. ms. S. Ebrul. τὸ *divinæ*, apud Smaragdum τὸ *gratiæ* desiderantur. Ex hoc loco patet orationem mentalem injungi a sancto Benedicto extra synaxes; quæ etsi brevis esset, tamen bis aut ter resumebatur quotidie.

[c] *In conventu tamen omnino brevietur oratio.* Locus obscurus, ut multi alii in hac Regula, qui, ut intelligatur, duo notanda sunt. Primum est, sanctum Benedictum in sua Regula veterum Patrum instituta secutum fuisse, et maxime ea quæ a Cassiano scripta sunt. Secundum est multa a sancto Benedicto in Regula fuisse tractata fusius, quæ contractius a priscis illis, maxime a Cassiano, scripta sunt, ut de abbate ordinando, de ejus qualitate, de præposito, de decanis, de officio divino, de lectore mensæ, de hebdomadariis culinæ et similibus : quædam vero tantum veluti perstricta, et levi quodam penicillo adumbrata, quæ ab antiquis enucleatius explicata fuerant, tanquam monachis trita ac vulgaria, ut sunt maxime orationes et genuflexiones in psalmorum interstitiis, quæ jam pridem in oratoriis monachorum aut propter eorum teporem, aut propter divinorum officiorum multiplicitatem et prolixitatem obsolverunt. Locus ergo sancti Benedicti intelligendus est de brevi illa oratione quæ fiebat a monachis, maxime ad finem cujusque psalmi (nam bis aut ter interdum fiebat, si prolixior esset psalmus), adhibita genuflexione. Sed quia ejusmodi oratio partim stando, partim genuflectendo fiebat, ideo de orationibus et genuflexionibus simul hic agendum est. Quæ quidem satis notæ sunt ex Cassiano, lib. II de noctur. Orat., cap. 7 : « Apud illos (monachos Ægypti) non item, sed antequam flectant genua, paulisper orant, et stantes supplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantum divinam clementiam summa velocitate consurgunt. Et rursus erecti expansis manibus eodem modo, quo prius stantes oraverant, suis precibus intentius immorantur. » Et paulo post : « Cum autem is, qui orationem collecturus est e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur. » Et cap. 10 agens de eadem oratione : « Ideoque præcipiunt eam (orationem) celeri fine concludi ne forte immorantibus nobis in ea redundantia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat nostræ orationis excessum. » Et in fine capitis : « Quamobrem utilius censent breves quidem orationes, sed creberrimas fieri, illud quidem, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus. » Ex his clarum est id quod dicit sanctus Benedictus : « In conventu autem omnino brevietur oratio, » qui postea dixit, « facto signo surgant, » nempe ad collectam, ad orationem persequendam, et reliquam psalmodiam, spectans illa Cassiani verba : « Cum autem is qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur. » Id etiam clarum est ex S. Athanasio tractatu de Virginitate : « Ad quemlibet psalmum preces et genuum flexio cum lacrymis addatur; » S. Isidoro, cap. 61 suæ Regulæ : « Post consummationem singulorum psalmorum prostrati omnes humo pariter, celeriterque surgentes psalmos sequentes incipiant; » S. Fructuoso episcopo, cap. 3 suæ Regulæ : « Sane in omnibus singularum horarum orationibus nocturno et diurno tempore ad omnem psalmorum finem gloriam cantantes prostrantur in terram, eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat; sed omnes summa æqualitate surgant, extensisque ad cœlum palmis oranto persistant. » Id etiam notum est ex Regula Magistri, cap. 13, 14 et 33. « Sed et hoc semper tam in hieme quam in æstate, tam in die quam in nocte, seu in vigiliis, cum psallitur, caveatur ne psalmi aliquando combinentur, quod non licet, sed singulos debere definiri cum gloria, ut nec orationes inter ipsos agendæ perdantur, nec glorias eorum laudi Dei videamur subducere. » Unde cap. 48 : « Nam ideo diximus brevem fieri orationem, ne per occasionem prolixæ orationis aut dormiant, aut forte diu jacentes diabolus eis ante oculos diversa ingerat, vel in corde aliud subministret. » Quæ sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de noct. Orat., cap. 10, ubi causam reddit ejusmodi breviandæ orationis, cujus etiam nullam aliam habuit sanctus Benedictus. In eadem Regula Magistri, cap. 56, agitur de iisdem orationibus, quas a fratribus in via directis, stantibus, non genuflexis recitari præcipit. Et cap. 21, 33 et 36, de iisdem genuflexionibus agit Magister. Hinc capiendus articulus 126 Regulæ S. Pachomii : « Per domos singulas vesperi sex orationes psalmosque complebunt. » Sed et luculentum hujus ritus testimonium habetur in Pœnitentiali ms. S. Columbani : « In communi autem omnes fratres omnibus noctibus in tempore orationum, in fine omnium psalmorum genua in oratione, si non infirmitas corporis obfuerit, flectere æquo animo debent, sub silentio dicentes : *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina;* quem versiculum postquam ter in oratione decantaverint, æqualiter a flexione orationis surgant. » En quomodo brevietur oratio. Verbum *decantaverint* improprie sumitur pro *dixerint, recitaverint.*

oratio; et [a] facto signo a priore, omnes pariter surgant.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 108).

Interrog. Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur? — *Resp.* Si certus sit se assistere ante oculos Dei, etc.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 109).

Interrog. Si possibile obtinere hominem, ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua, etc.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 48).

[b] Si hominibus carnalibus nisi cum humilitate non fit precatio cum beneficia eos aliqua temporalia postulamus, quanto magis convenit ut pro peccatis nostris vel facinoribus omni, qua possumus, Christum prece rogemus. Nulla ergo debet esse [c] in oratione duplicitas; non unum in ore, alterum in corde inveniatur. Non in multiloquio protrahi orationem debere, sicut ait sanctum Evangelium hypocritas eos fieri tales. [d] Non frequens tussis, non excreatus assiduus, non anhelitus abundet. Quia hæc omnia orationibus et psalmis ad impedimentum a diabolo ministrantur. Nam illud quod diximus superius (*cap.* 47) et in orationibus caveatur, ut, qui orat, si voluerit expuere, aut narium spurcitias jactare, non inmate, sed post se retro projiciat propter angelos in ante stantes, demonstrante Propheta ac dicente : *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.* Ergo vides, quia ante Angelos ostendimur et orare, et psallere. Nam ideo diximus [e] brevem fieri orationem, ne per occasionem prolixæ orationis obdormiant, aut forte diu jacentes diabolus eis ante oculos diversa ingerat, vel in corde aliud subministret. Ergo oportet orare cum timore suppliciter, ut qui orat præsentis Christi videatur pedes tenere. Et cum tanto debemus orare timore, ut cognoscamus quia cum Deo loquimur. Orare ergo debemus cum omni mente, sicut Apostolus ait : [f] *Orabo simul et mente et spiritu* (*I Cor.* xiv).

§ V. — Ex Regula Patrum, *De accedendo ad Deum.*

[g] Quanta intentione et custodia inquirendum sit qualiter ad cultum religionis tam operibus quam oratione tendatur, hortante Propheta didicimus, qui ait : [h] *Accedite ad Deum, et illuminamini et* [i] *vultus vestri non confundentur* (*Ps.* xxxv). Accedendum semper est, ut accessum sequatur illuminatio. Si non accedimus, non illuminamur. Et cum eodem dicere possumus : [j] *Inquisivi Dominum, et exaudivit me* (*Ibid.*). Inquirendo etenim et omni intentione petendo exauditur, qui se exterius a sæculi desideriis atterit et interius cum omni cordis contritione per ardorem compunctionis pollet. *Petite*, inquit, *et dabitur vobis* (*Luc.* xi). Si omnis qui petit accipit, cur carnis ignavia præpediente et facinorum mole obstante non hoc quotidie petamus quod in æternum possideamus? beatæ scilicet vitæ præmium, æterni muneris perenne suffragium, quod sine grandi labore acquiri non potest : cum primum per desiderium et doctrinam incognitæ menti inseritur, et postmodum opus implendo sacratur; quod sine ineffabili omnipotentis Dei præsidio vel adjutorio impetrari non potest : quamvis alius riget, et alius

[a] *Facto signo a priore surgant.* Nempe ad reliquam orationem et psalmodiam persequendam, ut supra explicatum est. Ut dicit Cassianus supra : « Omnes pariter eriguntur. » S. Fructuosus : « Sed omnes summa æqualitate consurgant : » S. Columbanus : « Æqualiter a flexione orationis surgant. » Itaque hæc surrectio non est intelligenda de exitu. Nam infra, cap. 52, dixit sanctus Pater Benedictus « Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant et agatur reverentia Deo. » At hoc loco nihil simile præcipit.

[b] *Si hominibus*, etc. Exstat in Regula ms. cod. Corb. eod. cap. 48.

[c] *In oratione duplicitas.* Duplicitas orationis appellatur hoc loco a Magistro, cum quis orans aliud in ore habet, aliud in corde, nec mens voci ejus concordat. Est alia orationis duplicitas, de qua S. Antiochus agit homil. 85, quam et pusillanimitatem appellat; cum quis videlicet inter orandum fluctuat et vacillat, nec credit se postulata impetraturum, quia de Dei misericordia dubitat; idque juxta doctrinam S. Jacobi, cap. 1 Epist. can., ubi ait hominem hæsitantem nihil a Deo impetraturum. Et postea subjicit : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis;* ubi Græce, δίψυχος, id est duplex animo. Ille est qui in oratione fluctuat, nec Dei bonitati confidit; ac proinde duplex, quia infidelis, cum per hæsitationem in varia distrahitur. Hanc ergo animi labem juxta mentem Apostoli recte admodum S. Antiochus appellat δισψυχίαν, id est animi duplicitatem, et ὀλιγοψυχίαν, id est pusillanimitatem.

[d] *Non frequens tussis, non excreatus assiduus.* Idem præcipit S. Ambrosius, lib. III de Virginibus : « Et tu, in ministerio Dei virgo, gemitus, screatus, tusses, risus abstine. » Hæc notent ii qui crebris sputamentis et screatibus, raucò tussis sonitu, assidua mucoris expressione divinum in *choro officium* interturbant. Quod quam sit Deo invisum subsequeus docebit historia. Antissiodori, in monasterio S. Germani, ut refert Glaber, lib. v Hist., cap. 1. Qui jam monachus coram altari S. Mariæ multo cum gemitu et lacrymarum effusione frequenter orabat; sed nimio sputamento pavimentum conspurcabat : qui cum aliquando in oratione obdormisset, quidam candidissima veste indutus ad ipsum altare se in ejus conspectum dedit, et pannum candidissimum proferens conquerebatur se totum ejus salivis et pituita coinquinatum esse, addens se ejus preces suscipere et in conspectum divinæ majestatis deferre. Hac visione correptus frater erratum emendavit. Quæ quidem visio hujus Magistri confirmat institutum, quo præcipitur monachis pone, non ante conspuere, propter angelos, non quod illi nostris possint maculari sputamentis, sed ob reverentiam. S. Nonna, mater S. Gregorii Nazianzeni, devotissima sane matrona, in ecclesia orans nunquam in sacrum templi expuit pavimentum, ut de ea refert ipse Gregorius orat. 19. De hujusmodi sputatoribus hæc edixit S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Si quis emittit sputa, et contingit altare XXIV psalmos; si parietem attingit, sex. Supple recitet.

[e] *Brevem fieri orationem*, etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturnis Orat., 7.

[f] *Orabo simul*, etc. In communi versione : *Orabo spiritu, orabo autem et mente.*

[g] *Quanta intentione*, etc. Hæc videntur potius ex cujusdam Patris concione sumpta quam ex aliqua Patrum Regula.

[h] *Accedite ad Deum.* Vulgo, *ad eum.*

[i] *Vultus vestri.* Juxta S. Hieronymum et Psalterium Romanum.

[j] *Inquisivi Dominum.* Ita in Psalterio.

plantet, Deus autem incrementum dat (*I Cor.* III). Sic Salomon testatur dicens : [a] *Hominis est præparare cor, Domini est dare consilium* (*Prov.* XVI). Datus ergo consilium a Domino, si obstinatæ mentis aditus non denegetur. Sic per Apocalypsim dicitur (*cap.* III) : *Ecce ego sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum.* Ad opus ergo divinæ servitutis quando assistimus, tam corpore quam animo parati esse debemus, ut cum pulsantem intra mentis septa recipiamus : eaque, cor nostrum Spiritus sancti igne accensum semper cogitet, quæ Creatoris misericordiam ad nostram cœnam venientem, nosque ad suam deducentem provocent : in qua quis cum venerit, inebriabitur ab ubertate domus ejus, et torrente voluptatis ejus potabitur, quia apud ipsum est fons B vitæ; et in lumine ejus lumen videbitur, qui prætendit misericordiam suam scientibus se, et justitiam suam his qui recto sunt corde. Ea ergo semper lingua proferat quæ Conditori placeant, juxta illud Psalmographi præconium : *Servite Domino, inquit, in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II). Tunc ergo Creatori timendo servitur, si opus bonum voci laudis jungitur, sicut alibi per Psalmistam dicitur : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI). [b] Sapienter etenim psallit, qui voci laudanti noxiis operibus non contradicit; et qualiter oporteat divinæ potentiæ famulari, sollicita cura omnique studio prosequitur. Sic ergo mens nostra intenta ad psallendum incedat, qualiter nullo præpedita salutaris desiderii obstaculo, C nullo temporis fuscata vitio, sed semper intenta in cœlestibus, humilitate et puritate promptissimaque devotione ornata ad æterna præmia pervenire contendat. Sic cordis compunctione flagret, qualiter in se Creatoris misericordiam excitet. Nec se in multiloquio quisquam, sed potius in puritate cordis et lacrymarum ubertate exaudiri credat. Non enim longæ orationis prolixitas, sed promptæ mentis intentio pietatem clementis Judicis excitat. Orandus ergo semper est, ut largiatur delinquentibus veniam, qui languenti mundo per crucis passionem infudit medicinam salus mundi æterna Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

§ VI. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 6).

[c] Tantum autem ab omnibus qui ad orandum conveniunt silentium præberi debet, ut in ea hora præcipue, quando curvatis genibus fit oratio, non sputum, aut excreatio obstrepat, non tussis insonet, non oscitatio somnolenta [d] dissutis et apertis trahatur maxillis, nulla suspiria, quæ alium impediant, emittantur, nulla vox absque sacerdotis, qui precem concludit, audiatur : nisi quæ per excessum mentis intolerabili fervore compunctionis immittitur. Si quis autem in tepore mentis constitutus [e] cum clamore orat, aut aliquas excreationes et sputamenta, vel alia quæ diximus, a præcipitatione [f] [se] e faucibus suis emittit, peccat dupliciter : primum, quia orationis suæ reus est, quod eam negligenter offerat Deo; secundum, quod alterius, qui forsitan intentius orare potuit, indisciplinato strepitu obstrepat sensum.

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 7).

[g] Ideoque ergo utiliter Patres nostri ipsam orationem celeri fine concludi jusserunt, ne forte immorantibus nobis in ea, quidam tussis vel phlegmatis aliarumque rerum interrumpat strepitus; et dum adhuc fervet oratio velut ex faucibus diaboli velociter rapiatur. Qui cum nobis semper sit infestus, tunc quam maxime assistit infestior, cum nos contra se offerre preces Domino viderit, festinans mentem nostram ab intentione orationis aut cogitationibus, aut excitatis humoribus revocare. Propterea ergo [h] breves quidem orationes, sed frequentes fieri Pa-

[a] *Hominis est*, etc. Prov. XVI, ubi in vulgata versione sic habetur : *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* In Hebræo est לֵב, id est cor. Sed conspirat cum vulgata versione. In Septuaginta interpretatione hic locus non reperitur.

[b] *Sapienter autem quisque psallit*, etc. Idem docet S. Prosper Aquitanicus sententia 72 : « Recte in Dei laudem psallit, cujus opera cum voce concordant. Nam finito carmine vox tacet : vita autem in bonis actibus permanens nunquam reticet ejus gloriam quem in se gaudet operari. »

[c] *Tantum autem*, etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de nocturn. Orat., cap. 10.

[d] *Dissutis maxillis.* Apud Cassianum, *malis.* Sumptum a Persio, sat. 7 :

. . . . . laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis.

Dissutæ maxillæ sunt apertæ, ut ipse explicat Cassianus, ex ipsa oscitatione hiantes, diductæ et pandiculatæ.

[e] *Cum clamore orat.* Clamosa oratio ab antiquis Patribus improbatur. Scite admodum Tertullianus, lib. de Oratione : « Sonos etiam vocis subjectos esse oportet. Aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur. Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythii, et mutum, inquit, intelligo, et non loquentem exaudio. Dei aures sonum exspectant? quomodo ergo oratio Jonæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera, ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere? » S. Cyprianus, lib. de Orat. Dominica : « Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita congruit verecundo modestis precibus orare. » Et paulo post : « Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus; non passim ventilare preces nostras; nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt. » Et S. Cæsarius Arelatensis, serm. 12 : « Ante omnia igitur, fratres charissimi, quoties orationi incumbimus, cum silentio et quiete mentis et corporis supplicare debemus. Quicunque volunt cum alta voce orare, omnibus juxta se stantibus orationis fructum videntur auferre. »

[f] *Se e faucibus.* Tò *se* redundat.

[g] *Ideoque ergo*, etc. Hæc apud Cassianum exstant eodem capite 10, lib. II, etc

[h] *Breves quidem orationes.* Idem testatur de monachis Ægyptiis S. Augustinus, epist. 121, ad Probam : « Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas, tantum brevissi-

tres nostri jusserunt : breves, ideo ut insidias diaboli, insistentis tunc præcipue cum oramus, in ipsa brevitate vitare possimus : frequentes autem, ideo ut per ipsam frequentiam Deum precantes jugiter ei cohærere possimus. (*Cap.* 11 *ejusdem libri.*) Propter hanc frequentiam orationis, et illud utile est ut longiores psalmos non usque ad finem continuata pronuntiatione, sed æquali numero versus divisos duabus vel tribus incisionibus cum orationis intentione finiamus. Quia non in multitudine ver- A suum, sed mentis intelligentia delectari debemus, illud virtute sectantes : *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Ideoque utilius decem versus cum rationabili assignatione cantare, quam totum psalmum cum confusione mentis effundere. Confusio autem mentis pro hoc generatur, quia dum residuum psalmorum numerum modumque considerimus, non intelligentiam mentis aut distinctionem sensuum requirimus, sed ad finem festinare tepiditatis fastidio perurgemur.

mas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter ejecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito interrumpendam. » His postremis S. Augustini verbis con- B formis est sancti Benedicti doctrina, cum dixit : *Nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratia protendatur.* Hujusmodi orationes artis spiritualis doctores appellant jaculatorias, quas mens religiosa incalescente divini amoris affectu in cœlum vibrat : quæ quidem crebro versatæ sunt amoris divini fomites et incentiva.

CAPUT XXVII.

DE PRÆPOSITO MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Sæpius quidem contingit ut per ordinationem [b] præpositi scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, [c] et æstimantes se secundos esse abbates, assumentes sibi tyrannidem [d] scandala nutriunt, et dissensiones in congregatione faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem [e] sacerdote [f] vel ab eis abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et præpositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei daC tur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui, quia [g] ab ipsis es et tu ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes; et dum contraria sibi abbas præpositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hanc dissensionem animas periclitari; et hi qui sub ipsis sunt, duma dulantur partibus, eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit [h] in capite, [i] qui talibus *in ordinatione* se fecerunt auctores. Ideo nos videmus expedire

[a] *Sæpius quidem.* Hoc caput vulgo habetur sexagesimum quintum. Illud sane sanctus Benedictus postposuit capiti de decanis; nam ait : *Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus.*

[b] *Præpositi.* Glossæ Philoxeni : *Præpositus, ἐφεστὼς, προστάτης,* id est prælatus, qui præest. Moschopulus περὶ Σχεδῶν. Πραιπόσιτος ἀξίωμα, id est, Præpositus, dignitas. Satellitii regii præfectus. Theophylactus Simocatta, lib. IV, c. 15 : « Quare eunuchum εἰς τὴν βατιλικὴν δορυφορίαν συντεταγμένων αὐτῷ τὸν κορυφαιότατον (ὃν πραιπόσιτον εἴθισται Ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν), id est « Satellitii regii principem (quem præpositum appellare Romani solent, Martyropolim misit. » De quo Harmenopulus, lib. 1, tit. *de dignitatibus* : Πραιπόσιτοι τὴν αὐτὴν ἔχουσιν ἐξουσίαν τοῖς γνομένοις ἐπάρχοις πραιτωρίων, id est, « Præpositi eamdem habent potestatem ac præfecti prætoriorum. » Apud Palladium in epilogo Hist. Lausiacæ Lausus dicitur πραιπόσιτος τοῦ εὐσεβεστάτου κοιτῶνος, id est, præpositus sacri cubiculi. In hoc Regulæ loco et in auctoribus in hac Concordia citatis præpositus non est princeps monasterii, sed alter ab abbate; et duæ olim erant hæ dignitates abbas et præpositus, ut liquet ex concilio Turonensi II, can. 17; S. Isidoro, lib. II de Offic. eccl., cap. 15; S. Gregorio papa lib. II epist. 42; lib. IX, epist. 42 : « Ideoque volumus ut Domitius presbyter abbas esse Luciani monasterii debeat, eique præpositus Lucifer monachus fiat; » lib. IV, epist. 4; lib. I Dial., cap. 2 et cap. 7, ubi S. Nonnosus præpositus appellatur, qui tamen subjiciebatur abbati; S. Gregorio Turonensi de Vitis Patrum, cap. 14. Ita in monasteriis sanctimonialium præposita et abbatissa seu mater monasterii distinguuntur, ut planum est ex Regula S. Cæsarii Arelatensis, cap. 16 : « Matri post Deum omnes obediant, præpositæ deferant. » Cap. 25, 28 et 33, dicuntur etiam præpositi superiores monasteriorum aliquot, quæ uni abbati subjiciuntur, ut clarum est ex eodem S. Gregorio Turonensi de Vitis Patrum, cap. 18. Quibus præpositis aliquando olim episcopi dignitatem abbatialem conferebant, præposituris in abbatias mutatis, ut constat ex fine ejusdem capitis : « Post cujus (Ursi abbatis) obitum præpositi qui per monasteria erant, abbatum officium episcopis largientibus susceperunt. »

[c] *Et æstimantes.* Ita apud Smaragdum, et in edit. Coloniensi. Vulgo, *qui æstimantes.*

[d] *Scandala.* Jurgia, rixæ.

[e] *Sacerdote.* Id est, episcopo.

[f] *Vel ab eis.* Apud S. Dunstanum, *vel ab eisdem.* Ubi τὸ *vel* sumitur copulative. Non enim tantum ab abbatibus ordinabantur abbates seu præpositi, sed etiam ab episcopo et abbatibus.

[g] *Ab ipsis es tu ordinatus.* Hæc pronuntur in secunda persona, quasi ipsæ cogitationes introducantur interloquentes. Vulgo tamen legitur, *quia ab ipso ordinatus est.*

[h] *In capite.* Id est, præcipue.

[i] *Qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.* Ita apud Smaragdum, in ms. p. S. Germ. et in cod. Vindocinensi, quasi diceret : *Qui talibus scandalis et dissensionibus se fecerunt auctores in ordinatione præpositi*, id est, qui fuerunt auctores hujusmodi scandalorum et dissensionum, dum præpositum or-

propter pacis charitatisque custodiam in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui : Et, si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit : [a] ut, dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, [b] ordinet ipse sibi præpositum. Qui tamen præpositus agat cum reverentia quæ ab abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem et ordinationem faciens. Quia quantum prælatus est cæteris, ita eum oportet sollicitius observare præcepta regulæ. Qui præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbire, aut contemptor sanctæ Regulæ comprobatus, admoneatur verbis usque quater : si non emendaverit, adhibeatur correptio disciplinæ regularis : quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine præposituræ, et alius, qui dignus est, loco ejus subrogetur. Quod si et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet vero abbas se de omnibus judiciis suis Deo reddere rationem, ne forte invidiæ aut [c] zeli flamma urat [d] animam.

A

B

§ II. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 11).

[e] In potestatem habeant præpositi omnem regulam monasterii. Et tales præpositi eligentur, quales et ipsi abbates dignoscuntur, ut abbatum curarum onera per eos subleventur. [f] Et hoc sibi vindicent proprium abbates cibi aut vestimenti, quod ab ipsis ministratum acceperint. Et excepto adventu fratrum et languoris necessitate [g] delicatiores cibos non audeant edere abbates, nisi tales quales et fratres. [h] Omnem vero monasterii substantiam præpositi accipiant dispensandam. Et, si quispiam captivorum aliquid alimenti petierit abbatem, aut pro quacunque causa, ipse præpositus hoc provideat, ut abbas nullum laborem habeat : et exceptis quæ supra diximus omni intentione sollicitudinem gerat. [i] Excommunicandi tamen causam, sicut abbas, sic præpositus habeat. Et quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo abbati faciat : et hoc cum tremore et simplicitate, et vera cordis humilitate tanquam redditurus Domino rationem. Et quod fecerit, semper in arbitrio pendeat abbatis. Nihil de sua temeritate præsumat, ne (quod absit) in morbum vanæ gloriæ cadat. Et non prodigus, sed discretus intra Christi familiam dispensator, piusque gubernator et optimus semper accedat, et evangelicum documentum semper observans, Domino dicente qui ait : ***Quis putas fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Beatus ille servus, quem, cum venerit inve-***

dinarunt, cum ex hujusmodi ordinatione pendeat omne malum. S. Dunstanus cum vulgatis editionibus legit, *qui talis inordinationis se fecerunt auctores.* Mss. ma. S. Germ., *qui tali in ordinatione se fecerunt auctores.* Editio Coloniensis et vetusta Parisiensis legunt : *Qui talibus inordinationibus se fecerunt auctores.* Sed Concordiæ lectio prævalet, ubi *talibus* ponitur pro *talium*, dativus pro genitivo. Ita loquitur S. Ambrosius epist. 25, ad Vercellensem Ecclesiam : « Et huic allegat Stoicos esse auctores sententiæ. » Vide Sixtum Senensem, lib. II Bibl., ad vocem *Chirographum.*

C

[a] *Ut dum pluribus committitur.* Huc respicit concilium Moguntinum sub Carolo Magno, can. 12 : « Deinde decrevimus, sicut sancta Regula dicit, ut monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur, quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt. »

[b] *Ordinet ipse sibi præpositum.* Sublato abusu statuit, ut ipse abbas suum ordinet præpositum. Eadem praxis videtur apud S. Gregorium papam, lib. II, ep. 42, ad Joannem abbatem : « Petiit dilectio tua ut frater Bonifacius in monasterio a te debeat ordinari præpositus. Quod ego valde miror, quia ante factum non est : quin ex quo illum tibi dari feci, jam ordinare debuisti. »

D

[c] *Zeli.* Mali videlicet.

[d] *Animam.* Ita apud Smaragdum et in editione vetusta Parisiensi. Vulgo additur, *suam.*

[e] *In potestatem habeant præpositi*, etc. Hæc non exstant in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi.

[f] *Et hoc sibi vindicent proprium abbates cibi*, etc. Hæc nihil aliud dicunt quam quod abbates a præpositis accipere debeant cibum, vestimentum et similia.

[g] *Delicatiores cibos non audeant edere.* Optima institutio : nam qui cæteris præest, debet etiam sobrietate præcellere, eamque verbo et exemplo prædicare ; alioqui periclitatur omnis cœnobii disciplina. Idem statuit sanctus Isidorus, cap. 9 Regulæ : « Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat : nec aliud quam cæteri, nec cultius quam quæ in communi consistunt, præparari sibi quidpiam expetat. » Idem sancitur add. 1 Cap. Lud. imp., tit. 25 : « Ut ea, quam monachi sui habent, mensura sint abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo ; » et tit. 17 : « Ipse tamen (abbas) ea cibi potusque mensura contentus sit quam reliqui accipiunt fratres. » Idem monet S. Florentinam abbatissam S. Leander, cap. 4 lib. de Instit. virginum : « Sint tibi accepta quæ sunt comitibus tuis communia, et aliorum non sis intemperationis causa : et quibus forma esse debes hortamento, ac bonæ vitæ documento, scandali non efficiaris occasio. »

[h] *Omnem monasterii substantiam*, etc. Id olim usu receptum fuit in quibusdam monasteriis, ut omnis substantiæ temporalis cura penes præpositum esset. S. Isidorus, lib. II de Offic. eccl., cap. 15 : « Præpositus autem cum magna sollicitudine omnia disponens præsto facit quidquid illorum vita propter imbecillitatem corporis postulat ; » et cap. II Regulæ : « Ad præpositum autem pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio et cultura vinearum, diligentia gregum, constructio ædificiorum, opus carpentariorum sive fabrorum. » Ita S. Libertinus præpositus monasterii Fundensis exteriora negotia administrabat, ut videre est apud S. Gregorium, lib. I Dial., cap. 2. His intentus erat præpositus, dum abbas animarum regimini vacaret.

[i] *Excommunicandi causam.* Causa hoc loco est potestas, facultas. Id patet ex S. Isidoro, cap. 18 Regulæ, ubi idem constituens ait : « Excommunicandi potestatem habeant Pater monasterii, sive præpositus. » Ubi quod dixit *causam* Fructuosus S. Isidorus *potestatem* appellat.

invenerit sic facientem : amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum (*Matth.* XXIV).

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 3).

[a] Præpositus sane in medio consistens [b] dormitorio quoad usque cuncti quiescant, omnibus jam cubantibus [c] circumeat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde [d] se jactet, aut extra Regulam occultis inussitationibus vacet; et ut plenius perscrutans [e] corda singulorum et merita, intelligat quem quomodo veneretur atque suscipiat. Similiter et aut decanus alius, aut quisquam e fratribus bene probatus assistat in secessu communi, quousque quieti se tradant cuncti : ne aut fabulas inter se ventilent varias, aut ridiculis studeant; aut quodlibet noxiale vitium consuescant. Quia institutum est regulariter nullum omnino monachum in secessu loqui debere, sed aut psalmos recensere, si plures sunt, aut certe aliquid meditari voce, si solus est. Ita ante mediam surgentes noctem duodenos per choros recitent psalmos secundum consuetudinem. Priusquam tamen surgant cæteri, [f] a vigilucis fratribus præpositus excitetur, ut cum benedictione sua et signum moveatur et cunctorum lectula ab eo priusquam surgant strenue visitentur. Hoc quoque in omnibus nocturnis orationibus gerat ut semper prior surgat præpositus quam surgendum reliqui moneantur, ut ipse videat quis quomodo jaceat, ne aliquam lasciviam per incuriam quietionis suæ dormiens incurrat. Post pausantes paululum medium noctis persolvunt officium, ubi quatuor responsoria sub psalmorum divisione concinantur. Sic post mediam noctem, si hiemis tempus est, sedentibus cunctis, unus in medio residens releget librum; et ab abbate vel a præposito disserente cæteris simplicioribus quid legitur, patefiat. Quod quidem et æstate post vesperam conservetur, ut priusquam [g] compleant, liber legatur. Ita denique duodenis iterum cantatis psalmis adeant cubilia, paululumque quiescentes, gallicinio jam sonante, recitatis tribus psalmis [h] cum laude et benedictione sua, matutinum celebrent sacrificium. Quo peracto, quia meditationi incumbendum est, mox ad locum consuetæ meditationis pervenerint, ternos recitent psalmos, et orationem ex integro finientes meditentur usque ad ortum solis. Sane in omnibus horarum singularum orationibus nocturno ac diurno tempore ad omnem psalmorum finem gloria cantantes Deo prosternentur in terram, [i] eo scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat, sed omnes summa æqualitate consurgant, extensisque ad cœlum palmis orando persistant, sicut et æqualiter i merguntur. Sabbatorum vero et Dominicarum noctium curriculis seno missarum superadjecto officio senis etiam missis vigiliæ cum senis responsoriis celebrentur, ut resurrectionis Dominicæ solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis honoretur. [k] Quod et præcipuarum festivitate missarum præcedenti nocte competenter officiorum genere de qualibet solemnitate semper est celebrandum.

§ IV. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 17).

Sub abbate personam strenuam et disciplinam valde amantem, quæ dignam curam præpositi nomenque suscipiat, decernimus pro solatio abbatis institui, ut honor illi minus sit onerosus, dum labore diviso, a duobus quotidiana sollicitudo suscipitur. Et ideo æquum erit ut cum jussione abbatis et veneratio et obedientia exhibeatur. Nam et post ipsum, quem supra diximus præpositum, qui in bonis sit forma statuimus [l] regulare reformare forma-

[a] *Præpositus sane*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, cod. Crassensis eodem, cap. 3. Sed exscriptor hujus libri, qui in lemmate posuit τὸ *ejusdem*, hos duos Fructuosos non raro confundit.

[b] *Dormitorio*. Dormitorium est conclave in quo multi sunt lecti. Beda, lib. IV Hist. Angl., cap. 23 : « Hæc tunc in dormitorio sororum pausans. » Add. I Capitul. Lud. imp., tit. 68 : « Ut dormitorium juxta oratorium constituatur. » Capitula Caroli regis, tit. 16 : « Ut canonici in civitate vel monasteriis constituti in dormitorio dormiant. » Glossæ Philoxeni : « Dormitorium, ἐγκοίμηθρον; a verbo κοιμάω, id est dormio. Dicitur et κοιτών; Moscopulus de Schedis : κοίτων κυρίως μὲν οἶκος περιέχων κοίτας πολλάς, id est, proprie domus complectens lectos multos. »

[c] *Circumeat silenter lectos*. Idem statuitur in novella Justiniani 133, cap. 1 : « Et omnino erunt quidam dormientes inspicientes. »

[d] *Se jactet*. Id est, se in lecto collocet.

[e] *Corda*. In Regula ms. legitur, *Gesta*, rectius.

[f] *A vigilucis*. Ita in Regula ms. cod. Crass. In Glossis Cyrilli reperitur *vigilicius : ἄγρυπνος, vigilicius*. Sed forte legendum, *vigilucius;* et in hoc loco Fructuosi, *a vigiluciis*, ut vigilucius sit ille qui a Magistro infra dicitur *vigigallus*, seu *vigiligallus*, is qui fratres ad vigilias excitat. In cod. Vindocinensi legitur, *Ad vigilias*

[g] *Compleant*. Id est, dicant completorium. S. Benedictus cap. 42 : *Omnes ergo in unum positi compleant.*

[h] *Cum laude*. Intelligit *Alleluia*.

[i] *Eo scilicet ordine*, etc. Sumptum ex Cassiano lib. II de noct. Orat., cap. 7. Vide superiori cap. adnotata.

[j] *Merguntur*. Id est, in terram procidunt, genuflectunt.

[k] *Quod et præcipuarum festivitate missarum*, etc. Ita in Regula ms. cod. Crass. et cod. Vind. *Festivitate*, id est celebratione. Pro *competenter* leg. *consentenli. De qualibet*, præpositio *de* redundat. Sensus est igitur ut qualibet solemnitate idem fiat præcedenti nocte ac sabbato ac Dominica præcipuarum celebratione missarum, adhibito competenti officio.

[l] *Regulare reformare formarium*. Ita in cod. Vindocinensi. Locus obscurus et corruptus, ita castigandus : *Regularem formare formarium*. Nam, ut ex hoc textu S. Ferreoli clarum est, duo hic instituuntur qui post abbatem regant monasterium, nempe præpositus et alter, qui appellatur formarius, quod « sit forma in bonis, » ut loquitur S. Ferreolus. Quod clarum est ex Regula S. Cæsarii Arelatensis, ubi formaria sub abbatissa curam gerit monialium gerit, cap. 38 : « Si quis vero germanam suam vel filiam aut quamlibet parentem, aut cognitam videre voluerit, præsente formaria vel quilibet seniore ei colloqui non negetur. » Et cap. 39 : « Primicerla etiam, vel formaria, admoneo et contestor, ut vigilantissime consideretis, » etc. Dixi autem S. Ferreolus formare, id est, creare, instituere, per allusionem ad formarium.

rium, ut facilius adjutoriis istis subjunctis, abbas, cui nomen Pater est, fructus metat de perfectione dulcium filiorum. Ambo tamen sub potestate abbatis cum reliquis atque inter reliquos se esse cognoscant.

§ V. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 11).

[a] Provisores tales oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probentur exemplo; quique elcemosynam monasterio deputatam, vel ea quæ a fratribus laborantibus colliguntur, summa cura pro Domini timore conservent. [b] Quia si creditam sibi famulorum Dei negligit servare substantiam (sicut ait quidam Patrum), lædit Deum : et dispergens eam, rationem est Domino redditurus. Quæ vero ipsis fuerint pro Dei amore donata, in oblatione monasterii adjuncta omni congregationi proficiant. Quia apostolicam vitam optamus eligere, cur quasi propria vindicemus quæ novimus continuo peritura?

§ VI. — *Item* (*cap.* 6).

Præposito specialiter obediatur, multo magis abbati, qui nostram omnium curam gerit. Quia qui illos spernit, spernit eum qui dixit : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). [c] Ut ergo cuncta ista serventur, et, si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit ut ad abbatem, cujus est apud nos major auctoritas, [d] referat quod modum vel vires ejus excedit. Ipse vero qui vobis præest, non se æstimet et [e] potestate dominante, sed charitate serviente : felici honore coram vobis [f] præclarus sit, coram Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metum imponat; et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem. Unde vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quantum in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

§ VII. — Ex Regula Orientali.

Ille qui secundum ordinem disciplinæ ordinatione abbatis, et consilio et voluntate omnium fratrum fratribus præpositus est, omnem ad se curam de disciplina fratrum, et diligentiam monasterii revocabit, habens potestatem abbate absente faciendi omnia quæ abbas præsens facit. [g] Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, æquitatem sine personarum acceptione : ita agens, ut nec abbati tædium generet, nec fratres [h] intemperantia illius laborent. Hæc observabit senior monasterii qui fratribus præpositus est, referens ad abbatem omnia, vel præcipue illa quæ per se non valuerit explicare. [i] Commendatum aliquid, etiam a germano fratre nullus accipiat. [j] Nihil in cella sua absque præpositi jussione quispiam habeat, nec poma quidem vilissima, et cætera hujuscemodi. [k] Operantes fratres nihil loquantur sæculare; sed aut [l] meditentur ea quæ sancta sunt, aut certe silebunt.

§ VIII. — *Item*.

[m] Præpositus non inebrietur, [n] non sedeat in humilioribus locis, ne rumpat vincula quæ Deus in cœlo condidit ut observentur in terris. [o] Ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suæ juxta

[a] *Provisores*. Provisores hic potius sunt intelligendi cellerarii quam præpositi, quia cap. seq. in eadem Regula Tarnatensi agitur de præposito. Itaque existimo hoc capitulum esse transpositum et pertinere ad caput de cellerario.

[b] *Quia si*. Lege, *quia qui*.

[c] *Ut ergo cuncta serventur*. Videtur hic deesse verbum *statuimus* aut quid simile.

[d] *Referat quod modum vel vires ejus excedit*. Difficiliora, quæ non valet per se expedire præpositus, ad abbatem referre debet, juxta consilium quod suggessit Jetro sacerdos Madian Moysi genero suo, Exodi xviii. Idem præcipit Regula Orientalis : « Hæc observabit senior monasterii, qui fratribus præpositus est, referens ad abbatem omnia, vel præcipue illa quæ per se non valuerit explicare. » S. Fructuosus abbas, cap. 12 Regulæ suæ : « Et quod ipsi (decani) non valuerint emendare, præposito non morentur accusare : quod et ipsi præpositi sic districte et notabiliter agant, ut abbates suos nullo modo præsumant inquietare, exceptis quod utrique non valuerint accelerare. »

[e] *Potestate dominante*, etc. Lege : *Potestate dominari et charitate servire*.

[f] *Præclarus*. Lege, *prælatus*.

[g] *Ille autem patientiam, mansuetudinem*, etc. Ita in Concordia Vindocinensi. Videtur tamen deesse verbum *servabit* aut quid simile.

[h] *Intemperantia*. Intemperantia hoc loco est excessus prælati, cum nullum in regendis subditis servare modum potest.

[i] *Commendatum*, etc. Hæc constitutio iisdem verbis in Regula S. Pachomii habetur art. 62; idem statuitur a S. Orsiesio in libro de Institutis monachorum : « Hoc quoque maxime providendum est, ne quis in alteram domum et in alterius cellulam commendet aliquid. » Commendatum hoc loco est depositum. Interpres Orsiesii : « Sciat quoque ille, qui ab alio susceperit commendatum. » Et commendare est in depositum dare, ff., l. Lucius Titius. Depositi vel contra : « Centum nummos, quos hac die commendasti mihi, annumerante servo meo Sthico actore. » Et eodem titulo, l. Publia Mævia. « Publia Mævia cum proficisceretur ad maritum suum, arcam clausam cum veste et instrumentis commendavit Gaiæ Seiæ. » Et legis Alamannorum tit. 5, § 1 : « Si quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit. »

[j] *Nihil in cella sua*, etc. Hoc decretum exstat in Regula S. Pachomii, art. 63. « Nihil in cella sua absque præpositi jussione quidpiam condet, nec pomum quidem. »

[k] *Operantes fratres*, etc. Hæc iisdem verbis exstant in Regula S. Pachomii, art. 55.

[l] *Meditentur*. Id est loquantur.

[m] *Præpositus*, etc. Hæc habentur in Regula S. Pachomii, art. 128, et infra hoc capite iterum citantur a nostro auctore sub nomine S. Pachomii.

[n] *Non sedeat in humilioribus*. In Regula S. Pachomii additur, *juxta vasa monasterii*. Hujus institutionis meminit S. Orsiesius, de Institutis monasticis.

[o] *Ne lugeat in die festo Domini salvatoris*. Id est, ne jejunet in die Dominico, quo olim die interdictum

mensuram sanctorum; [a] non inveniatur in excelsis cubilibus imitans morem gentilium; non sit duplicis fidei; non sequatur cordis sui cogitationes, sed legem Dei; non resistat sublimioribus tumenti animo potestatibus, [b] ne refrenet neve [c] hinniat [d] iratus super humiliores, neque transferat terminos [e] Regulæ; non sit fraudulentus, neque in cogitationibus suis verset dolos; non negligat peccatum animæ suæ; non vincatur carnis luxuria; non ambulet negligenter; non loquatur verbum otiosum; non ponat scandalum ante pedes cæci; [f] non doceat voluntatem animam suam; non resolvatur risu stultorum ac joco; non capiatur cor ejus ab eis qui inepta loquuntur et dulcia; non vincatur muneribus; [g] non parvulorum sermone ducatur; non deficiat in tribulatione; non timeat mortem, sed Deum; non prævaricator sit propter imminentem timorem; [h] non relinquat verum lumen propter modicos cibos; non nutet ac fluctuet in operibus suis; non mutet sententiam, sed firmus sit ac solidi decreti, justus considerans cuncta in veritate absque appetitu gloriæ, manifestus Deo et hominibus [i] et a fraude procul. Ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus; nulli noceat per superbiam, nec sequatur concupiscentias oculorum; veritatem nunquam prætereat; oderit injustitiam; secundum personam nunquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. [j] Non rideat inter pueros, nec deserat veritatem timore superatus; non despiciat eos qui indigent misericordia, nec deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam, nec respiciat dapes lautioris mensæ, nec pulchra vestimenta desideret, nec se negligat, sed dijudicet cogitationes suas; non inebrietur vino, sed humilitati junctam habeat veritatem. [k] Quando judicat, sequatur præcepta majorum et legem Dei, quæ in toto orbe prædicata est.

§ IX. — *Item ejusdem.*

[l] Hi itaque quibus disciplina, vel utilitas, vel obsequium monasterii creditur, officia sibi injuncta fideliter custodiant et impleant. Hos enim errare non decet, qui ad omnes errores emendandos præpositi sunt. Qui si vel superbia, vel negligentia, vel desidia aliqua ex his prætermiserint quæ in Regula continentur, [m] per ipsos destructio esse cœperit per quos debet ædificatio crescere, omnibus [n] condemnationibus, quas Regula continet, subjacebunt.

§ X. — Ex Regula sancti Pachomii.

[o] Si omnes fratres qui in una domo sunt, viderint præpositum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, mensuram monasterii excedentem, referrent ad Patrem, et ab eo increpabitur. Ipse autem præpositus nihil faciet, nisi quod Pater jusserit, in re nova maxime. [p] Namque ex more servabit regulas monasterii.

Præpositus non inebrietur; non sedeat in humilioribus locis juxta vasa monasterii, ne rumpat vincula quæ Deus in cœlo condidit ut observentur in terris; quod penitus obsoniorum ingurgitatione offuscatur. Evagrius in Proverbiis: *Investigantis convivia exstinguitur lumen; anima autem ejus videbit tenebras.*

fuit jejunare. Qua de re infra. Sed toto hoc capitulo legendum *nec* pro *ne*.

[a] *Non inveniatur in excelsis cubilibus.* Ex instituto S. Pachomii monachi in lectis non dormiebant, sed in sella reclina et supina, ut habetur art. 5 Regulæ S. Pachomii: *Non dormiat quis præter reclinum sellam.* Et apud Palladium, cap. de Tabennesiotis: καθευδέτωσαν δὲ μὴ ἀνακλινόμενοι, ἀλλὰ θρόνους οἰκοδομητοὺς ὑπτιωτέρους πεποιηκότες, καὶ ἐνθέντες ἐκεῖ τὰ στρώματα ἑαυτῶν καθευδέτωσαν καθήμενοι· id est, Non vero dormiant decumbentes, sed in exstructis supinioribus sedilibus, impositisque ibi suis stragulis dormiant sedentes.

[b] *Ne refrenet.* Lege, *non fremat*, quemadmodum habetur in Regula S. Pachomii.

[c] *Nec hinniat.* Lege, *nec irruat*, ut in Regula S. Pachomii.

[d] *Iratus.* Hoc vocabulum non exstat in Regula S. Pachomii.

[e] *Regulæ.* Neque hoc vocabulum est in Regula S. Pachomii.

[f] *Non doceat voluntatem animam suam.* Lege, *non doceat voluptates animam suam*, ut in eadem Regula.

[g] *Non parvulorum sermone ducatur.* Optima institutio. Nam pessima hæc est in monasterio pestis, et unica disciplinæ corruptela, cum prælatus, cui fixus est animus, clavo cupidinis procacium puerorum lenocinatur affectibus, totusque a proterva eorum lingua sycophantiisque pendet. Tunc enim pueri imperant, et miser ille eorum forma incapistratus in quamvis partem voluerint illi, flectitur: evenitque ei et conventui universo, quod serpenti olim, qui plus nimio caudæ suæ desiderio, quæ præcedere affectabat, indulgens, non a capite, ut solebat, sed a cauda cæca per vepres et sentes ductus, misere cruentatus interiit.

[h] *Non relinquat verum lumen propter modicos cibos.* Quia nihil tam hebetat mentis aciem quam ciborum ingluvies, ut omittam loqui de sancti Spiritus lumine,

[i] *Et a fraude procul. Ne ignoret.* In Regula S. Pachomii legitur: *Elongans se a fraude* non ignoret.

[j] *Non rideat inter pueros.* Quia hæc est mera lascivia, non modo puerorum collusoribus, sed etiam ipsis pueris damnosa; ac proinde districtius a S. Pachomio prohibita art. 90: « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere vel ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, vertatur commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei: si non observaverit, corripietur, ut dignus est, correptione severissima. »

[k] *Quando judicat.* In Regula S. Pachomii hæc referuntur ad præcedentem sententiam.

[l] *Hi itaque*, etc. Hæc proferuntur a nostro auctore ob ea quæ S. Benedictus præcipit de præpositi correptione, submotione et expulsione, si in superbiam incidat, et tandem in contumacia persistat.

[m] *Per ipsos destructio.* Lege, *et per ipsos destructio*, nempe regularis observantiæ.

[n] *Condemnationibus.* Id est, pœnis.

[o] *Si omnes fratres*, etc. Hæc usque ad illa verba *præpositus non inebrietur*, habentur in Regula excerpta S. Pachomii, art. 127, reliqua vero art. 128.

[p] *Namque ex more servabit*, etc. In nostro codice ms. apparet vestigium cujusdam vocabuli erasi inter illa duo, *more* et *servabit*. In Concordia Vindocinensi, et in Regula S. Pachomii edita legitur: *Nam quæ ex more descendit, observabit regulas monasterii.* Sed nullus est horum verborum sensus. Itaque Legendum arbitror: *Nam in ea quæ ex more descendit, observabit regulas monasterii*, ut sensus sit: Nihil faciet præpositus inconsulto Patre monasterii, maxime in re nova: in ea vero quæ ex more descendit, id est, qui in monasterio fieri solet, observabit statuta et regulas monasterii.

ne lugeat in die festo Domini Salvatoris; dominetur carni suæ juxta mensuram sanctorum, [a] et cætera quæ superius memoravimus.

Manifestus Deo et hominibus, et a fraude procul, ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat. Nulli noceat per superbiam, nec sequatur concupiscentias oculorum suorum; non eum superent incentiva vitiorum; veritatem nunquam prætereat; oderit injustitiam; secundum personam non judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam; non deserat veritatem timore superatus; non desideret alienam terram; non opprimat animam propter aliorum spolia; ne despiciat eos qui indigent misericordia; ne falsum dicat testimonium seductus lucro; ne mentiatur propter superbiam; ne contendat contra veritatem [b] ob timorem animi; ne deserat justitiam propter lassitudinem; ne perdat animam suam propter verecundiam; ne respiciat dapes lautioris mensæ; ne pulchra vestimenta desideret; [c] ne se negligat; ut semper dijudicet cogitationes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem junctam habeat veritati. Quando judicat, sequatur præcepta majorum, et legem Dei, quæ in toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, [d] reddet ei mensuram juxta quam mensus est, et recipiet secundum opera sua, [e] quia mœchatus est in lingua sua, et propter lapides, et propter fulgorem auri reliquit judicium; et desiderio temporalis lucri laqueis se induit ethnicorum. Et eveniat ei contritio Heli, [f] et ramorum ejus (*I Reg.* IV); [g] maledictio David, quam imprecatus est Dohæc (*Psal.* LI); [h] signum quo denotatus est Cain (*Gen.* IV); sepultura Asini, de qua loquitur Jeremias (*cap.* XXII); perditio qua peccatores terræ hiatu absorbuit (*Num.* XVI); et interitus Chananæorum (*Josue*); [i] contritio hydriæ ad fontem (*Eccle.* XII); et arenarum comminutio in littoribus, quæ [j] saxis fluctibus verberantur, et confractio virgæ gloriosæ (*Jerem.* XLVIII); [k] de Isaia (*cap.* LIX), ut sit quasi cæcus manu palpans parietem. Hæc omnia ei evenient, quia non servavit veritatem in judicio, et iniique egit in omnibus quæ ei credita sunt.

§ XI. — *Item ejusdem.*

[l] Qui judex est omnium peccatorum, et perversitate mentis, vel negligentia reliquerit veritatem, viginti viri sancti et timentes Deum, sive decem, et usque ad quinque, [m] de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, et judicabunt eum et [n] regradabunt [o] in ultimum, donec corrigatur.

§ XII. — *Item ejusdem.*

[p] Qui viderit de majoribus et præpositis fratrem suum in tribulatione, et noluerit causam tribulationis inquirere, eumque contempserit, quæretur causa a supra dictis judicibus. Et, si deprehenderint negligentia præpositi vel superbia coangustatum fratrem et judicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam, [q] regradabitur de solio suo donec corrigatur et ab injustitiæ sordibus [r] emundetur, quia non consideravit veritatem, sed personas, et servivit pravitati animi sui, et non Dei judicio.

§ XIII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 20).

[s] Ad præpositum pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, [t] ratio agrorum, plantatio culturaque vinearum, [u] diligentia gregum, constructio ædificiorum, opus carpentariorum sive fabrorum.

[a] *Et cætera quæ supra commemoravimus.* Hæc verba sunt nostri auctoris nolentis repetere ea quæ paulo ante retulit ex Regula orientali.

[b] *Ob timorem animi.* Lege, *ob tumorem animi*, ut in cod. Vind. et in Regula S. Pachomii excusa.

[c] *Ne se negligat.* Ita in Regula Orientali. In Regula edita S. Pachomii, *Non senes negligat.*

[d] *Reddet ei mensuram.* In Regula edita S. Pachomii, *Reddetur ei mensura.* Recte.

[e] *Quia mœchatus est in lingua sua et propter lapides.* In Regula S. Pachomii excusa : *Quia mœchatus est in ligno et lapide.* Non ita recte, quia lectio videtur intelligi de idololatria, de qua hoc loco non agitur.

[f] *Et ramorum ejus.* In eadem Regula edita legitur : *Et filiorum ejus.* Vide lib. I Regum, cap. IV.

[g] *Maledictio David, quam imprecatus est Dohæc.* Hic locus corruptus est in Regula S. Pachomii excusa, in qua legitur : *Maledictio Dei, quam imprecatus est Ca n.* Sed castigandus est ex hoc Concordiæ codice. Maledictio quam imprecatus est David Dohæc Idumæo, est psalmus quinquagesimus primus, ut constat ex ejus titulo. Historia nota est ex I Regum cap. XXI et XXII.

[h] *Signum quo denotatus est Cain.* Est perpetuus membrorum tremor, ut explicat Alcuinus, interr. 88 super Genesim. Vide Theodoretum qu. 4 in Genesim.

[i] *Contritio hydriæ.* Hæc et similia, quæ exstant cap. ultimo Ecclesiastæ, sunt mortis et judicii ænigmata.

[j] *Saxis fluctibus.* Lege, *salsis fluctibus*, ut habetur in Regula S. Pachomii edita.

[k] *De Isaia.* Hæc verba non sunt in Regula excusa S. Pachomii. Auctor autem respicit ad illud Isaiæ, cap. LIX : *Palpavimus, sicut cæci, parietem.*

[l] *Qui judex est*, etc. Hæc habentur in Regula S. Pachomii excusa, art. 92, citanturque a nostro auctore propter decretum S. Benedicti de abdicatione præpositi.

[m] *De quibus omnes dent testimonium.* Id est, omnes fratres testentur de eorum probitate et capacitate.

[n] *Regradabunt.* Optima lectio. Idem quod *degradabunt.* Sed de hoc vocabulo infra. In Regula excusa legitur, *degradabunt*, non ita recte.

[o] *In ultimum.* Adde τὸ *gradum*, ut in Regula excusa.

[p] *Qui viderit de majoribus*, etc. Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 94, ubi ita legitur : *Qui viderit de majoribus vel præpositis fratrum suorum tribulationem.* Non ita recte. Nam hic agitur de particulari fratre.

[q] *Regradabitur.* In Regula excusa, *degradabitur.* Male. Sed de hoc vocabulo infra.

[r] *Emundetur.* Recte. Nam additur, *a sordibus.* In Regula S. Pachomii excusa legitur, *emendetur.* Non ita recte.

[s] *Ad præpositum*, etc. Hæc reperiuntur in Regula sancti Isidori edita eodem cap. 20.

[t] *Ratio agrorum.* Lege, *satio agrorum*, ut in Regula excusa.

[u] *Diligentia gregum.* In Regula edita legitur, *diligentia legum.* Male. Nam hic agitur de re rustica.

§ XIV. — Ex regula sancti Augustini (*cap.* 38). [a] Quando necessitas disciplinæ [b] minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur [c] ut eis veniam postuletis : ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus juste forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. [d] Non autem carnalis, sed spiritalis debet esse inter vos dilectio.

§ XV. — Ex Regula sancti Orsiesii.

[e] Vos qui secundi estis [f] singularum domorum, humilitatem sectamini et modestiam, et singula præcepta majorum vitæ communis normam putate : ut in illis conservandis vestras servetis animas, et similes sitis ei qui dixit : *Anima mea in manibus meis semper* (*Psal.* cxviii). Filius glorificet [*Al.*, lætificet] patrem; et lætamini in fructibus vestris, quia absque operibus et fructibus nullus Domini societate lætabitur : ut cum habueritis fructum in Domino ipso hærede, et cohærede participemini [*Al.*, potiamini]. Sed et vos, fratres, omnes, qui subjecti estis per ordinem liberæ servituti, habetote accinctos lumbos et ardentes lucernas in manibus vestris, similes servorum qui exspectant dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit confestim aperiant ei (*Luc.* xii). Beati servi illi quos veniens Dominus invenerit vigilantes.

§ XVI. — Ex Regula Cujusdam.

Præpositus monasterii non ætate senili, sed moribus constituendus est. [g] Multos enim prolixitas annorum attollit, sed dedecus torpentis vitæ ad infantiæ immaturitatem tepescendo reducit. Constituendus est ergo præpositus moribus gravis, sermone solers, ingenio fortis, consideratione vigil, cursu impiger, correptione pius, disciplina moderatus, actu castus, moribus sobrius, dispensatione æquus, humilitate ornatus, patiens, mitis, non turbulentus, non iracundus, non superbiæ vel arrogantiæ vitio maculatus, non prodigus, non garrulus; sed omni actu et religione ornatus, qui sciat languentium moribus subvenire, et tepentium ignaviam excitare; super quem abbas requiescat : ut in nullo ab ejus præceptis deviet; ut in omnibus subditos, et in jussis senioris detentus, [h] nihilque abbatis voluntati sit contrarius, aut faciat aut ordinet faciendum, sed omnia per ejus interrogationem, *juxta illud* quod scriptum est : *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.*

[a] *Quando necessitas*, etc. Hæc habentur in Regula S. Augustini excusa, cap. 40.

[b] *Minoribus*. Id est, inferioribus. Ita in epist. S. Augustini 109, ex qua hæc regula conflata est. Recta quidem lectio, ut ex hujus capitis contextu planum est, quamvis in Regula excusa legatur τὸ *moribus*.

[c] *Ut eis veniam postuletis*. In cod. Corb. et præfata epist. : *Ut ab eis veniam postuletis*. In Regula excusa legitur : *Ut a vestris subditis veniam postuletis*. Ita mutavit quidam Regulæ corrector, cum videret non posse veniam postulari a moribus, ut ipse legebat.

[d] *Non autem carnalis*, etc. Divina plane institutio. Quid enim est aliud carnalis in monasterio dilectio quam dilectionis fraternæ dissolutio (ut omittam cætera mala quæ inde nascuntur)? dum per carnalem dilectionem non tota fratrum congregatio diligitur, sed qui sibi pulcher aut elegans, aut quoquo modo utilis videtur, amatur. Sic dum sibi quisque trahit amicum, se et illum a communi charitate divellit; nec potest ibi esse cor unum, ubi singuli proprium quærunt amasium, et *rem concordiæ per discordias auspicantur*, ut loquitur S. Cyprianus lib. de Idolorum Vanitate.

[e] *Vos qui secundi estis*, etc. Per secundos singularum domorum intelligit S. Orsiesius eos qui post cujusque domus præpositos monachorum curam gerebant. Supra cap. 5 citatum est caput ubi agit S. Orsiesius de præpositis singularum domorum monasterii, hoc vero agit de secundis earumdem seu vicariis præpositorum; quorum mentio fit in Regula S. Pachomii, art. 102 : « Præpositus autem domus, et qui secundus ab eo est, hoc tantum juris habebunt. »

[f] *Singularum domorum*. Per domos intelligit varia domicilia monasterii, in quibus plures monachi habitabant sub singulis earum præpositis, juxta instituta S. Pachomii, cujus erat discipulus S. Orsiesius. Id testatur S. Hieronymus in præfatione ad Regulam S. Pachomii : « Nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum, exempla sequerentur, qui habent per singula monasteria patres, et dispensatores, et hebdomadarios et ministros, et singularum domorum præpositos : ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant præposito; sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in monasterio; et ternæ, vel quaternæ domus in unam tribum fœderentur : ut vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per *ordinem*. » Ejusmodi domos Palladius Hist. Laus., *cap. de Tabennesiotis*, appellat τάγματα, id est, ordines, classes. Harum mentio fit in Regula S. Pachomii, art. 104 : « Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, » etc. Art. 46 : « Si quis transfertur de domo ad alteram domum, » art. 110 et art. 111. In his cellæ multæ erant, in quibus habitabant monachi, quarum mentio fit art. 7 ejusdem Regulæ : « Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad cellas suas revertantur. » Sed de his infra.

[g] *Multos prolixitas annorum attollit*. Quod nempe diu in monasterio vixerint atque ideo se sanctos et perfectos esse existimant. At vitæ monachicæ perfectionem non annorum, sed sanctarum actionum multitudine metiri oportet. Non quandiu, sed quam sancte in monasterio vixeris a te exigetur in judicio. Unde præclare Eusebius Gallicanus, seu quis alius, homil. 9 ad monachos : « Solemus annos nostros, et temporum spatia, quibus nunc vivimus supputare. Non te fallat, quicunque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem te vixisse computa, quem non malitia, non invidia, non superbia maculavit, quem non mendacii, non perjurii culpa respersit, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixisse te computa, qui puritatis et sanctæ meditationis habuit lucem. Illum, inquam, diem applica ad tuam vitam, cujus usus provenit ad animam tuam. » Recte. Nam dies illos tantum vivimus quibus bene vivimus. Consule S. Joan. Chrysost. serm. 13 in Epist. ad Rom.

[h] *Nihilque abbatis voluntati sit contrarius aut faciat*. Lege, ut in cod. Vindocinensi : *Nihil quod abbatis voluntati sit contrarium, aut faciat*.

xxxii). Interrogandum semper est, ut in nullo a seniorum consilio animæ subditæ discrepent, in nullo oves a pastoris voluntate declinent. Sprevit namque seniorum consilia Roboam, juvenum secutus consilia. Quæ res qualis dispendii fuerit occasio, Scripturæ veritas attestatur; [a] qui ob missam dominationem undecim tribuum vix cum una tribu inter tot pressurarum dispendia [b] absque mortis crudelitate reliquum vitæ peregit (*III Reg.* xiv *et II Par. cap.* ix). Debet namque esse omnium necessitatum tam corporis quam animæ providus; et ut subsidia præsentis necessitatis porrigat, et corda subditorum ad laudem Creatoris intonandum [c] [ex] sedula admonitione excitando erigat humiles, et propter Christum subjectos honorando in sublime proveḥat; sese vero attollentes castigationis flagello ad gradus humilitatis retrahat. Curam in rebus monasterii seu vasis, seu supellectilibus, ita habeat intentam, ut in nullo negligentiæ tenebris reperiatur fuscatus : ut dum sacri laboris omnem curam adhibet, ab omnipotente fructum laboris accipiat. Omnibus sabbatis, post horam orationis nonam, tam senior quam juniores præpositi lectos omnium fratrum visitent, [d] [et faciant] propter eorum negligentias inquirendas; aut si aliquid inveniatur illicite et [e] sine commeatu retentum. Itemque [f] post completam [g] lectos omnium cum luminaribus visitent ut omnium expergescentem sensum vel tepescentem, [h] ex oratione cognoscant. Similiter [i] ad omnes cursus nocturnos est faciendum, ut sciant qui cum fervore vel cum tepiditate ad cursum assurgunt : et eos quos tarditate vel segnitia culpabiles repererint (prout culpa vel ætas fuerit) aut increpatione aut flagello corripiant.

[a] *Qui ob missam.* Lege, *qui post amissam.*

[b] *Absque mortis crudelitate*, etc. Id est, vix inter tot calamitates potuit cruentam mortem evadere. Nam rex Ægypti Sezach Hierosolymam cum exercitu ascendit, et sublatis thesauris domus Domini et regis, abscessit : et nisi Dei misericordia servatus esset rex Roboam, ejus gladios non evasisset, ut habetur III Regum cap. xiv, et II Paralipom. cap. ix.

[c] *Ex sedula.* τὸ *ex* redundat.

[d] *Et faciant.* Hæc videntur redundare.

[e] *Sine commeatu.* Id est, sine licentia, permissione. Commeatus nomen est militare; estque licentia abeundi a castris ad aliquod tempus : ἐξαίτησις ἀφιέναι apud Hesychium et Suidam, id est, impetratio et licentia abeundi. Festus : *Remeare redire, ut commeare ultra citroque ire. Unde commeatus dari dicitur, id est, tempus quo ire redireque possit.* Vegetius, lib. II de Re militari, cap. 19 : *Tunc enim difficile commeatus dabatur, nisi causis justissimis approbatis.* ff. l. *Miles*, Ex quibus causis majores, etc. : *Miles commeatu accepto, si in domo sua est reipublicæ causa, abesse non videtur.* C. l. *ne cui liceat.* De commeatu, l. *Quicunque.* De scriniis et l. *Si quis sine commeatu.* Eodem titulo. Et a castris translatum est vocabulum ad Ecclesiam. Conc. Aurel. v, can. 18 : « Sine commeatu concilii ipsius discedere fortasse præsumpserit. » Tandem sumitur pro licentia et permissione faciendi vel omittendi aliquid, ut in hoc cujusdam Patris loco; sæpe in hac Concordia occurrit. Id etiam videre est in concilio Aurelian. iv, can. 3 : « Tamen si aliquis certa necessitate astringatur, ab episcopo postulet commeatum. » Apud Cassianum, lib. de Institutis renuntiantium, cap. 10 : « Si Dominus nobis orationibus vestris dederit commeatum », id est, permiserit. Et lib. v Capitul. Car. et Lud. imp., tit. 18 : « Mulier si sine commeatu viri sui velum in caput miserit. »

[f] *Post completam.* Id est, post Completorium.

[g] *Lectos omnium*, etc. Ita S. Fruct. Brac. capite 5 Regulæ : « Præpositus, etc. Omnibus jam cubantibus circuit silenter lectulos singulorum, etc. »

[h] *Ex oratione.* Quia solebant monachi in lectulis suis orare.

[i] *Ad omnes cursus nocturnos*, etc. Idem statuit S. Fructuosus Bracarensis cap. 3 Regulæ suæ : « Et cunctorum lecti ab eo (præposito) priusquam surgant, strenue visitentur. »

CAPUT XXVIII.

DE DECANIS MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si major fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratribus boni testimonii et sanctæ conversationis, et constituantur [b] decani, qui sollicitudinem gerant

[a] *Si major fuerit congregatio.* Rectè in majori congregatione creantur decani, quia tot monachis unus non potest sufficere præpositus.

[b] *Decani. Decanus a decem, et decuria, et decurio nomen*, inquit Priscianus lib. de Ponderibus. Glossæ veteres, Δέκαρχος, *Decanus*. Decanus ille est, qui decem præest militibus. Vegetius lib. II de Re militari, cap. 8 : « Erant decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur. S. Isidorus lib. III Origin. cap. 3 : « Et decani eo quod decem militibus præficiantur. » Alias *decurio*, ut notum est ex Prisciano, loco citato; Modesto, libello de vocabulis rei militaris; Rufo, libello de legibus militaribus, et Glossis Benedicti, *Decurio*, Δεκάδαρχος, id est, qui decaniæ seu decuriæ præest. Vocabulum a castris ad claustra transtulerunt antiqui Patres, ita ut decanus sit, qui præest decem monachis, ut videre est apud S. Augustinum, lib. I de Moribus Ecclesiæ, cap. 31; S. Isidorum, lib. II de Offic. Eccl., cap. 15, et Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 7 et 10. Translatum est etiam ad judicia. Nam decanus est judex, consiliarius, Exodi XVIII : Lib. II Legis Wisigothorum, tit. I, l. 26 : « Quingenarius, centenarius, decanus, defensor, numerarius, et qui ex regia jussione etiam ex consensu partium judices in negotiis eliguntur. » Et Legis Longobardorum lib. I, tit. 25, l. 50. Ita et decurio. Glossæ veteres, *Decurio*, βουλεύτης, id est consiliarius. Decani etiam olim in Ecclesia dicti sunt qui corpora defunctorum fidelium sepeliebant, ut patet ex novella Justiniani 43 et 59 : « Ipsas quoque pecunias quas hactenus non habebant (sicut et ipsi nostram docuerunt potestatem) expendere circa defunctorum exsequias : ut et ex his pecuniis et ex reditibus prædiorum distributio fiat, [illegible]nis, et ascetriis, et canonicis. » Ubi canonicæ sunt mulieres, quæ funerum curam etiam gerebant. Horum etiam mentio fit C. L., *Non plures*, de sacrosanctis ecclesiis,

super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei et præcepta abbatis sui. Qui decani tales eligantur, quibus securus abbas partiat onera sua. Et [a] non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum et sapientiæ doctrinam. [b] Quique decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum, atque tertio, si emendare noluerit, dejiciatur, et alter in loco ejus, qui dignus est, [c] subrogetur. Et de præposito eadem constituimus.

§ II. — Ex Regula Magistri.

[d] Superioribus hujus Regulæ paginis, fratres, actus justitiæ nobis Dominus ordinavit, in quibus [e] perfectis et vita acquiratur æterna, et gehennæ æstus et incendia fugiantur. Sed ne ille hostis bonorum actuum diabolus, ideo est humano generi inimicus, A cum non patitur ibi ascendere hominem bene agendo unde ipse per superbiam ejectus est, [f] [ne] venenosis actibus suis bene viventes inficiat, et diversis occasionibus suis [g] per oblivionem nostros quippe præoccupet sensus, ut a Deo faciat alienos. Ideoque adjutorio Domini procuratur et constituitur ut duo electi fratres, quorum gravitas, sapientia, moderatio, vigilantia seu humilitas, vel actuum perfectorum fuerit exercitatio approbata, decem fratrum curæ præpositi ordinentur. Nam sicut scriptum est, doceant vos terrena quæ sunt cœlestia, quia sicut in hominis domo, ut securus sit de omnibus præparandis, Dominus rei ordinat majores familiæ, quos vice Domini minores timeant : id est, [h] vicedominum, [i] villicum, [j] salutarium et [k] majorem domus, sic in B domibus divinis, id est in ecclesiis et monasteriis, Deus

etc. : « Non plures quam nongenti quinquaginta decani sacrosanctæ hujus amplissimæ urbis deputentur ecclesiæ. » Et in pseudosynodo ad Quercum, in qua accusatur S. Joannes Chrysostomus quod Severiano calumniam struxerit, κινήσας κατ' αὐτοῦ τοὺς δεκανούς, id est, « cum suscitasset adversus illum decanos. »

[a] *Non per ordinem eligantur.* Nempe receptionis aut ingressus in monasterium, ne si habeatur sola antiquitatis ratio, contingat malum præferri bono, et inutilem utili præponi. Quod olim legibus civilibus prohibitum est in abbatum electione. C. L. 46, *de episcopis et clericis*, etc. : « Sacris nostris legibus existimamus oportere, et hanc addi, quæ ex virtute, non ex temporibus religiosas abbatias seu præposituras tribuit : ita videlicet ut in piis monasteriis aut asceteriis non omni modo, mortuo abbate, vel abbatissa, is vel ea qui vel quæ tempore antiquior, aut C secundus, secundave deinceps eligantur » etc. Si tamen alter ab abbate mortuo idoneus est, aliis præferendus erit, ut habetur eadem lege : « Ita ut si quidem primus post defunctum utilis sit, et monachis præesse dignus, ille aliis præferatur; si vero qui post illum est, similiter in ipsum feratur futuri præfecti calculus. » Quod ita tamen intelligendum est, si ille qui ordine sequitur, omnium optimus atque aptissimus esse judicatur. Quod planius declarat novella 5 Justiniani, cap. 9. Et quantum fieri potest ordo temporis servandus est. *Non enim exhonorandum est omnino tempus, sed ex eo ordo*, inquit ipsa Authentica.

[b] *Quique decani si ex eis.* Apud Smaragdum deest particula *que*. Sed his verbis, *quique decani*, expunctis, S. Dunstanus, editio Coloniensis, vetusta Parisiensis, aliæque vulgares legunt : *Quod si ex eis*, etc. Superior tamen loquendi ratio satis familiaris est S. Benedicto, ut ejus Regulam volvendo observare D licet, et sapit Hebraismum.

[c] *Subrogetur.* In cod. ms. S. Germ. et in utroque Victorino legitur, *succedat*.

[d] *Superioribus hujus Regulæ paginis*, etc. Exstat in Regula ms. cod. Corb. eod. cap. 11.

[e] *Perfectis.* Ita in Regula ms. pro, *a perfectis;* est Hellenismus.

[f] *Ne venenosis.* Particula *ne* redundat.

[g] *Per oblivionem.* Peccati videlicet, judicii et sempiterni cruciatus. Vide supra.

[h] *Vicedominum.* Vicedominus est œconomus et procurator domus alicujus, seu familiæ. Gallice, *vidame*. Ecclesiæ etiam suos habent vicedominos, id est, œconomos, seu procuratores. Flodoardus lib. II Hist. Eccl. Rom., cap. 13 : « Contigit itaque quondam, dum ad Sanctum Cyricum oratum venisset in Culmisciacum locutum cum œconomo Rhemensis ecclesiæ, qui aderat, rogatusque ad prandium excusavit, ut pote missas acturus ad Sanctum Petrum. Interea mulier quædam anserem attulit vicedomino, etc. » Ubi vides eumdem esse œconomum ac vicedominum. S. Gregor. papa, lib. IX Regesti, cap. 99 : « Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius vicedominum sibi ordinet, et majorem domus. » Paulus apothecarius monachus S. Petri in Valle apud Carnutes in lib. ms. quem apothecam appellavit, agens de Aydoino episcopo Carnotensi hæc habet : « Iste monachos exosos habuit. Comitatum Carnotensem fundavit : vicedominum sub episcopo, et vicecomitem sub comite ordinavit. » In Vita S. Mauri, cap. 1, memoratur Arderadus vicedominus episcopi Cenomanensis. Dicitur et alicujus urbis præpositus.

[i] *Villicum.* Villicus est gubernator villæ, inquit S. Isidorus lib. VIII Orig., cap. 4. Glossæ Philoxeni : *Villicus*, ὁ κατ' ἀργὸν οἰκονομῶν, id est agri œconomus. Glossæ Cyrilli : οἰκονόμος ἐπὶ τῆς κώμης, *villicus*, id est œconomus villæ.

[j] *Salutarium.* Lege, *saltuarium*, ut in Regula ms. Saltuarius est quidam magistratus seu judex. Lib. I Legis Longobardorum, tit. 25, l. 50 : « Tunc decanus, aut *saltarius*, qui in loco ordinatus est. » In alio codice legitur, *saltuarius*. Et paulo post : « Si vero *saltarius* aut decanus hoc facere distulerit. » Et lib. II, tit. 38, l. 2 : « Si quis judex, aut sculdais, aut *saltarius*, aut decanus de loco, ubi arioli vel ariolæ fuerint, neglexerit a modo intra tres menses eos inquirere. » Sculdais autem Longobardico idiomate est rector seu judex loci. Paulus Diaconus, lib. VI Hist. Longobard., cap. 24 : « Rector loci, quem *sculdais* nominant. » Illi subjacebat saltarius, ut ex eadem lege notum est : « Et, si decanus, aut *saltarius* ipsos ariolos aut ariolas, vel suprascriptos sacrilegos invenerit, et *sculdai* suo manifestaverit, etc. »

[k] *Majorem domus.* Major domus est quidam judex qui domui alicujus principis, atque etiam episcopi præest. S. Gregorius papa loco supra citato : « Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius, et vicedominum sibi ordinet et majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quæ eveniant, idoneus et paratus existere. » Ubi vicedominus est œconomus qui provideat hospitibus; et major domus, qui causis præsit. Lex Ripuariorum, tit. 88 : « Et legis consuetudine super omnia jubemus ut optimates, majores domus, domestici, comites, grafiones, cancellarii, vel quibuslibet gradibus sublimati, in provincia Ripuaria judicio residentes, munera ad judicium pervertendum non recipiant. » Gundebaldus rex in præfatione legis Burgundionum : « Sciant itaque optimates, comites, consiliarii et majores domus nostræ, etc. » Additio II legis Burgundionum, tit. 13 : « Consiliarii et majores domus qui præsentes sunt, ipsas litteras comitis

minoribus majores præposuit, ignaris peritos, astutos simplicibus, et divinæ artis discipulis ordinavit magistros : id est, in Ecclesiis episcopos, presbyteros, diaconos quorum vice Domini imperia audiat, et timeat plebs, et notitiam salutiferæ legis ab eis addiscant. In monasteriis vero abbates et præpositi, quos pro salute animæ suæ audiant [a] majores, et vice Dei propositi militiam timeant ; quia sive sacerdotibus in Ecclesia, sive abbatibus et præpositis in monasterio hoc dixit Deus : *Qui vos audit me audit ; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x) ; et item dicit nobis per Isaiam prophetam : [b] *Dabo vobis pastores et doctores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Jer.* III). Ergo secundum illam figuram humanæ domus, quanto magis in divina domo pro causa Dei gradus doctrinæ vel timoris debent servari, ut ad purganda vitia vel peccata fratrum, cum præpositi fuerint ordinati, vel quantum abbas de animarum in se fratrum susceptarum custodiendis ratiociniis reddatur securus. Cujus ergo honoris ordinatio hæc sit. Convocatis iisdem decem fratribus ab abbate præsenti omni congregatione in oratorio [c] susceptione virgæ decem illis præponantur voce abbatis, Scripturæ testimonio dicentis : *Reges eos in virga*, hoc est, in timoris vigore. Item dicente Apostolo : *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate* (*I Cor.* IV) ; nam et Moses divina virga virtutis commisso sibi populo per profundum maris salutis viam ostendit (*Exod.* XIV) ; quo judicio virgæ causam Dei ante Pharaonem egisse monstratur, ut projecta de manibus in terram et mutata [d] in bestiam ; item de bestia reassumpta sacris virga manibus redderetur (*Exod.* IV). Ergo secundum hanc constitutionem, si grandis fuerit congregatio, denis fratribus binos [e] debere præponi, hujus scilicet meriti ordinari [f] cujus supra taxavimus. Et ideo decem non amplius ordinavimus duorum curam præpositorum debere suscipere, ut sequestrati per laboris loca fratres singulos præpositos ad custodienda vitia præsentes habeant secum, et in paucis creditis [g] idoneor sit diligentia custodientis. Nam in multis quod non occurritur, prætermittitur negligenter : quia in paucis fratribus commissis alterna duorum præpositorum exstat diligentior cura : et apud abbatem facilis fit ratio de paucis exacta. Cujus [h] de paucitatis idoneum designat Dominus servatorem ; et ejus diligentia curæ ampliat creditum dicens : *Euge, serve bone et fidelis : quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (*Matth.* XXV). Ergo hi præpositi cum decem numero fratres sub sua cura suscipiunt, hanc in eis debent sollicitudinem exercere sive in die, sive in nocte, sive in quovis opere cum eis, ut sint primo præsentes, et cum eis operantes in quovis opere : et cum sedent, ambulant vel stant, diligenti sua observantia vel curioso intuitu diaboli ab eis debent actus compescere : sive vitia vel peccata oris, cum voluerint exercere, mox in eis monitionibus emendare, et omne in eis quod contra præceptum Domini est removere, agens illud quod [i] sancta Eugenia, quæ ita

ipsius aspiciant. » Olim in Francia, ut notum est ex Aimoino et aliis, major domus erat, qui præerat palatio regis, illiusque vice universa regni negotia administrabat. Gallice, *maire du palais ;* quem Cedrenus (*Ad an.* 7 *Leonis Isauri*) πρόοικον, id est præfectum, seu principem domus appellat.

[a] *Majores.* Ita in Regula ms. Leg. *minores.*

[b] *Dabo pastores.* Hic locus non est Isaiæ, sed Jeremiæ ; citaturque juxta veterem interpretationem, qua utitur S. Cyprianus in citatione hujus loci lib. I contra Judæos, n. 14, et etiam juxta Septuaginta : « Καὶ ποιμανοῦσιν ὑμᾶς ποιμαίνοντες μετ' ἐπιστήμης, id est, *pascent vos pascentes scientia.* » In vulgata interpretatione juxta Hebraicum : *Pascent vos scientia et doctrina.*

[c] *Susceptione virgæ.* Notanda est præpositorum ordinatio per virgam, cujus tamen ipse Magister nullam in abbatis ordinatione mentionem facit cap. 93 et 94, etsi olim ea abbates uterentur, quemadmodum S. Columbanus, ut videre est in Vitis sanctorum Galli et Magnoaldi, ubi ejusmodi virga appellatur *Cambuta*, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, id est, curvare, quia abbatum, ut et aliorum Ecclesiæ prælatorum virgæ sunt in summitate curvæ, ad pastorum imitationem, quorum virgæ in fastigio curvæ erant ; cum magistratuum virgæ essent rectæ, ut notat auctor veteris Etymologici : et in antiquo Ordine Romano ex Canone S. Theodori archiepiscopi Cantuariensis abbates per virgæ susceptionem ordinantur. Ejusmodi prælatorum virgæ olim ligneæ, aliquando cypressinæ fuerunt, ut videre est in epistola abbatis Sylvæ Majoris ad Stephanum episcopum Tornacensem, quæ est 233 inter epistolas ipsius Stephani : « Mittimus autem vestræ charissimæ paternitati in signum devotionis et pignoris perpetuæ servitutis munusculum indignum servitute vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum. » Et seq. epist. ad episcopum Aurelianensem : « Munusculum vobis mittimus, de remotis partibus nobis missum baculum pastoralem cypressinum, officio vestro et qualitate mysterii congruum. » Sane olim sceptrum Jovis cypressinum fuit ; quamobrem Pythagoræ discipuli ab arca funebri cypressina abstinebant (etsi juxta Thucydidem eorum, qui pro patria mortem oppetierant, corpora in arcis cypressinis conderentur), ut docet Diogenes Laertius lib. VIII : « Ἀπέχοντο δέ καὶ σορῶν κυπαρισσίνης διὰ τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον ἐντεῦθεν πεποιῆσθαι, id est, « abstinebant ab arca funebri cypressina, quod inde Jovis sceptrum fabricatum esset. » De virgis prælatorum plura vide apud Rupertum, lib. IV in Regul. S. Benedicti, cap. 2, 3 et 4.

[d] *In bestiam.* Id est, in serpentem. Synecdoche, genus pro specie.

[e] *Debere præponi.* Ita in Reg. ms. pro *debent præponi.* Solet hic auctor sæpe ita loqui ; quare nihil muto.

[f] *Cujus taxavimus.* Ita in Regula ms. pro *quod.* Est phrasis Græca, cum relativum subsequens convenit in eodem casu cum antecedente, ut Psalm. IX : *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant*, id est, quæ cogitant. In textu Græco : Συλλαμβάνονται ἐν διαβουλίοις, οἷς διαλογίζονται.

[g] *Idoneor.* Ita in Regula ms. pro *magis idoneus.*

[h] *De paucitatis.* Ita in Regula ms. ; sed τὸ *de* redundat.

[i] *S. Eugenia.* Hæc est S. Eugenia virgo et martyr, quæ sexum virilem simulans præfuit mulier monachis, filia Philippi Alexandriæ Augustalis. Floruit tempore Commodi imperatoris : ejus Acta habentur in Vitis Patrum. De ea agunt Martyrologium Romanum 25 Decembris, et Menologium Græcorum 24 ejusdem mensis.

suis [a] minoribus præfuit, dicente ita [b] ibi scriptura ipsius, circa os omnium auribus erat sollicita, [c] ut nullius putaretur injuria Matri verba prorumpere, vel de sermone aliquo otioso garrire; sed monebat S. Eugenia susceptos suos, et dicebat quanta reverentia debeamus Domino servire, ex præceptis ejus ostenditur, si talem nobis ante oculos personam constituamus, quæ non debeat in nullo præcepto contemni. Ideo duos decadæ diximus uni præpositos ordinari, ut si forte aliqui fratres ex eadem decada ab abbate in alio sequestrato laboris opere deputentur, uni committantur præposito sequestratis a se suis fratribus alium relinquentes. Si vero in via unus mittendus sit frater cum præceptione diversæ vitiorum custodiæ a præposito suo monitus itineri dirigatur; sed talis mittatur de eadem decada de quo certus sit præpositus suus sua vitia posse diligenter cavere, et absentia præpositi sui Dei [d] magis præsentiam putare, et amplius debere timeri a fratre pro anima sua sollicito præsentiam Dei, qui discussor noster erit et judex, quam hominis. Qui ergo præpositi sunt, propter quod omni hora fratribus præsentes sunt, os eorum et gestum a peccato custodiant: et diversa in eis vitia, vel prava compescant. Id est, [e] si audierit præpositus fratrem non interrogatum loqui, moneat eum dicens; Quid agis, frater, quod Regula prohibet? habeto taciturnitatem usque ad interrogationem, dic cum Propheta Domino: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL). Esto promptus ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Quod si datus fuerit fratri locus loquendi, custodiat eum præpositus, ne satis clamosa voce loquatur, quod sapientes non decet. Et mox moneat eum præpositus dicens; Cessa, frater, nescit sic humilitas loqui, quia scriptum est: *Vir linguosus* [f] *non dirigetur super terram* (*Psal.* CXXXIX). Quod etiam et silente fuerit alio forte locutus, custodiat eum præpositus, ne verbum aliquod vanum, aut risui aptum, vel quod ad ædificationem et sanctitatem non pertinet, de ore suo emittat. Quod cum audierit, moneat eum præpositus suus dicens: Quid loqueris, frater, quod Regula vetat? quia scriptum est: [g] *De verbo vano reddetis rationem* (*Matth.* XII); et item Apostolus dicit: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Quod si quid est ad ædificationem,* [h] *ut detur gratia audientibus* (*Eph.* IV). Nam ipsa ædificatio ab abbate præbenda est, [i] ut magistri ministratæ doctrinæ tacitus auditus discipuli factis respondeat. Ergo moneat prava loquentem discipulum præpositus dicens: Claude os tuum, frater, a malo eloquio: bonum inde aliquid debet exire unde profers malum, ut bonum oris tui eloquium audientes admiremur, [j] quam malum tecum pariter potius audientes rideamus. Non enim utilis est, de quo ridetur. Sedeat enim super os tuum sapientia cum clave justitiæ et timoris Dei, et ipsa bonis eloquiis aperiat, et malis eloquiis claudat labia tua. Nam cum verbum vanum, frater, de ore tuo exierit, quamvis per risum, tamen nostro perit auditu; quia exiens per os redire non potest: sed ratio ejus servatur usque ad præsentiam discussoris, et cum non ædificat actum, aggravat causam et vulnerat animam. Et ne de eloquiis nostris in die judicii dicatur: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI). [k] Nam et Orienes sapiens dicit: [l] Melius est lapidem in vanum jactare quam verbum. [m] Si vero fratrem audierit mentientem, moneat veritatem, dicens: Quid mentiris, frater, cum scias scriptum: *Perdes eos qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et item cum scias, quia: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Si vero audierit multum fratrem jurantem, moneat eum præsens præpositus dicens: Retine, frater, linguam tuam. Quid tantum juras, cum Scriptura præcipiat: *Non jurare omnino, ne per jurare nascatur causa perjurii: sed sit sermo tuus, est, est, non, non, credere, credo* (*Matth.* V); et mox credimus tibi, quodcunque dixeris. Si vero viderit irascentem fratrem fratri, moneat eum præsens præpositus dicens: Quid agis, frater, in mansuetudine et taciturnitate, et charitate opera tua perfice, quia scriptum est: *Desine ab ira, et derelinque furorem* (*Psal.* XXXVI). Et item: *Qui fratrem suum odit, homicida est* (*I Joan.* III). Et item: *Qui fratri suo dixerit racha, reus erit judicio* (*Matth.* V). Et: *Quia homo iracundus justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I). Et [l] non licet unicuique nisi ante solis occasum cum inimico redire in gratiam, dicente Domino

[a] *Minoribus.* Id est, inferioribus. S. Augustinus, epist. 109: « Quando necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit. »

[b] *Scriptura.* Id est, libro, historia. Non enim sumitur hoc loco pro sancta Scriptura. Vide supra.

[c] *Ut nullius putaretur injuria matri.* Hæc corrupta sunt; sed lege, ut in Regula ms.: *Ut nullum pateretur in juramenti verba prorumpere.*

[d] *Magis putare.* Id est, magis curare, magis attendere.

[e] *Id est, si audierit præpositus.* Hæc et sequentia fusius recenset Magister, ut præpositi seu decani in promptu habeant sacræ Scripturæ locos, quibus possint fratres vel leviter a suo munere deflectentes arguere et commonere. Optima sane notandaque institutio. Si enim præpositi seu decani ita essent ut præcipit hic Magister, fratribus in omni exercitio assidui, quanto splendore et gloria se vita religiosa attolleret

[f] *Non dirigetur super terram.* Ita in Psalterio Romano.

[g] *De verbo vano.* Ita in Regula ms. Citatur locus prout occurrit memoriæ, non ut habetur in sacro textu.

[h] *Ut detur gratia audientibus.* De hoc loco supra dictum est.

[i] *Ut magistri*, etc. Hæc intricata et ita evoluta clariora erunt: *Ut tacitus auditus discipuli respondeat factis ministratæ doctrinæ magistri.*

[j] *Quam malum.* In Regula ms. additur, *aut vanum.*

[k] *Nam et Orienes sapiens.* In Regula ms. *Nam et Originis sententiam sapiens dicit.* In cod. Vind. legitur, *Origenes*, rectius. Sententia tamen habetur inter sententias Sixti 144, hoc modo: *Melius est lapidem frustra jactare quam verbum.*

[l] *Non licet unicuique*, etc. Ita in Regula ms. Hæc sunt obscura; sed nihil aliud intelligit auctor quam quod redeundum est in gratiam ante solis occasum.

per Apostolum : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Eph.* IV). Si autem viderit fratrem satis promptum in risum, moneat præsens præpositus dicens : Quid agis, frater? in gravitate fac quod facis : quia conversionis nostræ tempus non est lætitiæ ad ridendum, sed pœnitentiæ tempus ad lugenda peccata, sicut scriptum est : *Procidamus ante Dominum, ploremus ante Deum, qui fecit nos* (*Psal.* XCIV). Et item : *Qui seminant in lacrymis,* [a] *in gaudio metent* (*Luc.* VI). Et item Scriptura dicit : *Beati qui temporaliter fletis, quia ipsi ridebitis in æternum. Nam stultus in risu exaltat vocem suam* (*Eccli.* XXI). Si vero viderit fratrem alium maledicentem, moneat eum præsens præpositus dicens : Compesce os tuum, frater, a maledictione. Memorare Dominum, qui dixit per Apostolum : *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* I). Et sicut non potest fons uno foramine aquam proferre simul amaram et dulcem, sic nec os. Cum de lingua nostra benedicimus Dominum, quomodo possumus per eamdem linguam maledicere homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei plasmati sunt? Item si viderit fratres [b] fluxis corporibus vel resoluto sensu se aliqua levitate extollere, moneat eos præsens præpositus dicens : Cum gravitate sedete, et ambulate et state, fratres, quia oculi Domini respiciunt nos de cœlo in omni hora et quovis loco, bonos et malos, sicut dicit David : *Dominus de cœlo respicit super filios hominum, ut videat si sunt intelligentes aut requirentes Dominum* (*Psal.* XIII *et* LI). Timeamus ergo, fratres, ne qua nos hora declinantes in malum et inutiles factos aspiciat, et non sit qui faciat bonum, non sit usque ad unum. Et quia dicit Propheta : [c] *Odisti observantem vanitatem supervacue.* Quia quidquid non est ex Deo, ex peccato est; et qui non ædificat, destruit. Qui præpositi dum hæc quotidie, die noctuque omni hora, sollicite in commissis sibi fratribus scrutantur, et ipsi proficiunt, et alios custodiendo, cum a malis evacuant, se omni hora occupant de bonis. Quia beatum os per quod redundant bona in alienum auditum intrantia. Ergo dum in fratribus diligenter custodit præpositus, in assignato sibi aliquo laboris opere ab abbate et cæteris fratribus remissius exigatur : quia [d] quod minus corporaliter in manibus, plus sollicito sensu spiritaliter ad correptionem pro causa Dei laborat : et quod minus laborat manibus, plus mentibus operatur. Ideo etenim opus cujuslibet laboris remissius exigi præpositos diximus, [e] ne urgens eos consignanda carnalis opera in spiritalibus custodiis occupati præpositi negligentia operetur, et causa Dei prævalescentibus vitiis abolescat : quando plus carnis sumptui curritur, quam causa spiritus laboratur. Sed fidem spe sumentes Dominum Deum credamus usibus nostris omnia necessaria ministrare, quod minus nobis potuerint manus nostræ perficere, confortante nos de his omnibus Scriptura sancti Evangelii dicentis : [f] *Nolite cogitare quid manducetis, aut bibatis, aut quid induamini : quia hæc omnia gentes cogitant, quæ Deum non cognoverunt : sed quærite regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia apponentur vobis. Scit enim Pater vester, qui in cœlis est, quia his omnibus indigetis, considerate volatilia cœli, quæ neque arant, neque seminant, et Pater vester cœlestis pascit ea* (*Matth.* VI). Quanto magis suos. [g] Vestiaria fratrum sub cura sua præpositi contineant. Lectis eorum lecta præpositi habeant prope propter aliquam in eis vitiorum culpam in nocte emendandam

§ III. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 12).

[h] Decani qui super decanias sunt constituti, tantum sollicitudinem gerant super quos delegatos habent fratres, ut nullus proprias faciat voluntates. Non loquantur, nisi sint interrogati; suo arbitrio nihil faciant, nisi mandati; alibi non pergant, nisi ordinati; [i] seniores timeant ut dominos, ament ut parentes; faciant quidquid ab eis imperatum acceperint; [j] credant sibi salutare quiquid illi præceperint, si hoc sine murmuratione, cum hilaritate et taciturnitate fecerint, dicente Moyse : *Audi, Israel, et tace* (*Deut.* XXVII). *Unus alterius onera portate* (*Gal.* VI). [k] Et nemo neminem judicet; nemo neminem

[a] *In gaudio metent.* Ita in Psalterio Romano.

[b] *Fluxis corporibus.* Fluxum corpus, quod huc et illuc movetur præ levitate.

[c] *Odisti observantem.* Non sequitur versionem communem.

[d] *Quia quod minus corporaliter,* etc. In Regula ms. hæc contractiora sunt, hoc modo : *Quia quod minus corporaliter in manibus, plus mentibus operatur.*

[e] *Ne urgens eos consignanda,* etc. Ita in Regula ms., quæ tamen corrupta sunt et ita legenda : *Ne urgente eos consignanda carnali opera, in spiritalibus custodiis negligentius operentur.* Hoc autem loco Magister vult minus operis exigi a præpositis, quia aliorum fratrum actiones observant : ne forte æquale pensum cum aliis reddere coacti remissius eorum actionibus attenderent.

[f] *Nolite cogitare,* etc. Hæc citantur ex Matthæi VI, sed ex memoria, non ex codice.

[g] *Vestiaria.* Vestiarium est id omne quod vestitui alicujus necessarium, ut ff., *l. cum hi,* De transactionibus. Gallice, *vestiaire.*

[h] *Decani,* etc. Hæc non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Brac., sed videntur esse alterius Fructuosi.

[i] *Seniores timeant,* etc. S. Hieron. in epist. ad Rust. : « Præpositum monasterii timeat ut dominum, diligat ut parentem. »

[j] *Credant sibi salutare,* etc. S. Hieron. ibidem : « Credat sibi esse salutare, quidquid ille præceperit. »

[k] *Et nemo neminem judicet.* Præceptum Domini est : « *Nolite judicare, et non judicabimini.* Et Pauli Apostoli : *Nolite ante tempus judicare.* Judicium Dei est, qui cuncta novit, qui vera lux est; non hominum, qui cæci sunt et fallaces : ac proinde de rebus ipsis secus ac sunt judicant. Quamobrem præclare monet S. Prosper sententia 21 : « De occultis cordis alieni temere judicare peccatum est : et eum, cujus non videntur opera, nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere; cum eorum quæ homini sunt incognita, solus Deus judex sit justus, qui et inspector est verus. » Divina sane est de ejusmodi judicio vitando S. Columbæ virginis et martyris, cœnobii

detrahat, quia scriptum est : [a] *Omnis detractor eradicabitur.* [b] Unus ab alio quod non habet, accipiat. Unus ab alio discat humilitatem, unus ab alio charitatem, unus ab alio patientiam, unus ab alio silentium, unus ab alio mansuetudinem. Comedant sine querela quidquid eis appositum fuerit, vestiant quid acceperint. Non celent fratres decanis suis quidquid per singulos dies cogitaverint. Decani vero sint eis quasi rectores et custodes, tanquam pro ipsis rationem Domino reddituri. Negligentias cunctorum ipsi prævideant, et emendandi potestatem habeant ; et quid ipsi non valuerint emendare, præposito non morentur accusare. Qui ipsi præpositi sic hoc districte et rationabiliter agant, ut abbates suos nullo modo præsumant inquietare, excepto quod utrique non valuerint [c] accelerare. Et in hoc unus alteri tantam humilitatem habeat, ut nunquam ullus ullum offendat, sed unus in altero tanquam [d] in penso persistat. Id est, juniores in decanis, decani in præpositis, præpositi in abbatibus, unus alium portans, tanquam in muro lapides quadrati, Apostolo attestante, sicut supra : *Unus alterius onera portantes, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI).

A

B

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 13).

[e] Omnes decani a suis præpositis commoneantur, ut cuncti fratres a minimo usque ad maximum diebus Dominicis in monasterio uno loco congregentur, ita ut ante missarum solemnia sollicite ab abbate percunctentur : ne forte aliquis adversus aliquem odio livoris stimuletur, aut malitiæ jaculo vulneretur ; ne intestinum virus quandoque aperte in superficiem cutis prorumpat ; et inter palmarum fructus myrrhæ amaritudo demonstretur. Primum ergo ipsi abbates cum suis præpositis atque decanis semetipsos discutiant, et ad instar suos juniores subditos arguant, et omne malitiæ fermentum prædictis diebus radicitus evellant. Solent enim nonnulli pro suis uxoribus, atque filiis, aut etiam quibusque propinquis curam habere more pietatis. Plerique vero, qui non sunt in talibus implicati, pro alimento sunt soliciti. Alii vero tristitiæ morbo interius consumuntur, et tanquam vestimentum a tinea intrinsecus mentis suæ aviditate devorantur, et cum ipso rancoris labore dilabuntur in desperationem. Alii namque spiritu fornicationis acrius inflammantur, et sæpe tali stimulo carnis incitati, interiore oculo cæcati captivi ducuntur vinculo perditionis ligati. Alii [f] acediæ spiritu

Tabennensis prope Cordubam sanctimonialis, doctrina, quam refert S. Eulogius martyr lib. III Memorialis sanctorum, cap. 10 : « Nullum unquam peccatorem, quamvis gravioribus oppressum peccatis, sermone suo læsit ; de nullius actibus judicavit, de nullis desperavit salute, nec quemquam fœdis infamatum despexit rumoribus. Scio, referebat, versutias dæmonum, seu insolentiam hominum, qui interdum ipsum maledictionis subsannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet omnipotens. Multa sunt enim judicio condemnata humano, quæ divino sunt probata et sanctificata consilio. Et plerumque opinationibus suis transgrediuntur homines divinam sententiam, dum cujus meriti apud illum quisque permaneat, nesciunt ; et tamen jam quasi præsagi occultorum vel dignum prædicent, vel reprobum infament : cum utique inculpabilius, si ad se reverterentur, judicarent : et si, quanto vel quali oneri unusquisque subjaceat, vel quo sit debito reus, intenderent, nullatenus culpabiliter de incognitis judicarent. » Hoc judicandi vitium est superborum, qui se aliquos esse existimant : quo non caruit Pharisæus ille evangelicus, cum de illo dicat S. Asterius homil. in hanc parabolam : Μετριώτερον δὲ φαρισαῖος ἡμάρτανεν, εἰ τὸν τελώνην ἀφῆκε τῆς παροινίας ἐλεύθερον, id est, « Pharisæus levius peccasset, si publicanum a contumelia liberum dimisisset. » Quam autem acceptum Deo neminem judicare subsequens historia manifestat. Quidam monachus negligenter in monasterio vixerat, ut narrat S. Anastasius Sinaita in sermone de sancta Synaxi, qui gravi morbo oppressus jam animam agere videbatur, nihilo magis de suis peccatis et negligentiis sollicitus : sed nullo mortis metu percussus summa cum gratiarum actione singularique animi alacritate vita excedebat. Id miratus unus seniorum assidentium, eum interrogavit quid causæ esset ut post tot negligentias nullo mortis pavore afficeretur? Ille respondit, Equidem, reverendi Patres, negligenter admodum vixi, sed nunc hac ipsa hora attulerunt mihi angeli Dei chirographum peccatorum, quæ, ex quo nuntium mundo remisi, perpetraveram, hisque lectis dixerunt an ea agnoscerem. Respondi utique me agnoscere : attamen, ex quo monachus factus sum, neque de quoquam homine me judicasse, nec ullius injuria mihi factæ recordatum esse, me itaque cupere, ut in me servetur verbum Christi, qui dixit : *Nolite judicare et non judicabimini ; et dimittite et dimittetur vobis.* Utque hæc angelis dixi, e vestigio fractum est peccatorum meorum chirographum. Et ecce omni cura solutus et incredibili gaudio perfusus ad Deum abscedo : hisque dictis in pace migravit.

C

D

[a] *Omnis detractor*, etc. Hic locus non exstat in Scriptura sacra ; sed expressus est ex illo *Prov.* XX : *Noli diligere detrahere : ne eradiceris. Quantum* quis detractionis vitium fugere debeat, patet ex *Prov.* XXIV : *Et abominatio hominum* detractor. Et infra : *Et cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum.*

[b] *Unus ab alio quod non habet, accipiat.* Ita S. Hieronymus in epist. ad Rusticum : « Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris consortioque multorum ; ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam, unus silentium, alter doceat mansuetudinem. » S. Leander, lib. de Institutione virginum, cap 16 : « Ut in monasterio permaneas, sollicite admoneo, multarum enim societate proficies, et virtutes aliarum videndo eris virgo virtutum. » Non secus ac apes, quæ variorum florum libando succum gratissima fingunt mella. Quare S. Publius Zeugmatensis, ut refert Theodoretus de Vitis Patrum, cap. 5, monachos, quos in cellulis dispersos regebat in unum coegit cœnobium, ut esset hac sancta æmulatione inter eos veluti commercium communicatoque virtutum, ut unus ab alio mansuetudinem acciperet, alter humilitatem, patientiam ille, hic temperantiam : haud secus ac mercatores in nundinis, a quibus varia mercari possis.

[c] *Accelerare.* Id est, celeriter curare, emendare.

[d] *In penso.* Id est, in æqualitate.

[e] *Omnes decani*, etc. Hæc habentur in Regula Ms. S. Fructuosi episc. Brac., cap. 25, cod. Crass. monasterii.

[f] *Acediæ spiritu.* Ἀκηδία, inquit, Suidas, ἡ ῥᾳθυμία, ἀχθηδών, λύπη. Δάβιδ· καὶ ἠκηδίασεν ἐπ' ἐμὶ τὸ πνεῦμά μου, id est, « desidia, dolor, tristitia. David : Et anxiatus est super me spiritus meus. » De hoc vocabulo vide Moschopulum in Schedis, et auctorem veteris Etymologici. Hoc vitium maxime infestat monachos. Virus est, inquit Rabanus lib. III de

inflati, otio et somno vacare cupiunt, et curiosis fabulis sollicitantur, et quod pejus est, [a] a proprio monasterio se auferre disponunt. Alii vanæ gloriæ elationis telo in diversis partibus confodiuntur, et alii alia defendentes, et suas causas magnificantes, dum volunt Christi pauperibus similes esse, unusquisque in vanis istis cogitationibus elabuntur, et quasi nil a Deo acceperint, de propriis viribus extolluntur; et cum laudatores non inveniunt, ipsi sibi in suis laudibus prosiliunt. Alius de genealogia, et de gente sua fatetur esse principes, alius de parentibus, alius de germanis, alius de cognatis, alius de fratribus et consanguineis, et [b] idoneis, alius de divitiis, alius de specie juventutis, alius de belli fortitudine, alius de perlustratione terrarum, alius de sapientia, alius de artificio, alius de [c] assertionis eloquentia, alius de taciturnitate, alius de humilitate, alius de charitate, alius de largitate munerum, alius de castitate, alius de virginitate, alius de paupertate, alius de abstinentia, alius de orationum frequentia, alius de vigilantia, alius de obedientia, alius de abrenuntiatione rerum, alius de legendo, alius de scribendo, alius de vocis modulatione. Hæc omnia, quæ supra perstrinximus unusquisque dum aliquoties talia non jussi immoderate loquuntur, toties in elationem vanæ gloriæ labuntur; et ex ipso morbo, dum quod dicunt, [d] vindicare contendunt, in superbiam præcipitantur. Propter hoc ergo jugiter jubemus in collecta fratres adesse, et non plusquam septem dies interponere, et per omnes dies Dominicos mores pristinos et vitia emendare. Et quis in quo [e] deprehensus fuerit, contra ipsum vitium debet pugnare, in quod se cognoverit certamen habere. Et quod fortasse ab aliis deprehenditur, absque verecundia debet manifestare, qui hoc patitur. Quod si minime fecerit, non se putet effugere diabolum, [f] et se existimet victorem, sed victum. Quod si manifestaverit, et se per pœnitentiam aut flagella emendaverit, continuo hostem in foveam præcipitabit et impellet.

A

B

C

D

§ V. — Ex [g] Regula sancti Cassiani (*cap.* 28).

Decani autem sollicitudo et eruditio hæc erit erga eum quem sibi ab abbate traditum susceperit, ut doceat eum primitus suas vincere voluntates; quibus eum diligenter exercens illa ei de industria imperet quæ senserit animo ejus esse contraria : quia multis experimentis doctum est nunquam posse monachum suas concupiscentias refrenare, nisi prius per obedientiam mortificare suas didicerit voluntates; nec poterit iram, aut tristitiam, aut spiritum fornicationis exstinguere, nec cum fratribus humilitatem firmam perpetuamque retinere, nec in congregatione diutius permanere, qui prius voluntates suas non didicerit superare.

§ VI. — Ex Regula Orientali.

In monasterio seniores sint duo, ad quos vel præsente abbate vel absente omnium fratrum disciplina et omnis cura monasterii pertineat, dantes sibi vices per dies, et dividentes [h] unum inter se pondus ac necessitatem monasterii : [i] ex quibus tempore suo præsens in monasterio semper erit ad præstandum abbati solatium, vel obsequium advenientibus

---

Agone Christiano, per quod tepor mentis et segnities noxia oritur, quæ hominem inutilem ad omne opus bonum, et proclivem ad inertiam reddit. Hinc nascitur somnolentia, pigritia operis boni, instabilitas loci, pervagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio et vaniloquium. Acedia juxta Cassianum est tædium et anxietas cordis, quæ infestat anachoretas et vagos in solitudine monachos, maxime circa horam diei sextam, hoc est, meridiem, in ipso solis ardore vehementissimo, quam quidam putant seniores in psal. xc dæmonium appellari meridianum. Astipulatur S. Antiochus homil. 10 : καὶ σφόδρα βαρύτατος (δαίμων) ὅστις περὶ ὥραν ἕκτην ἐμπίπτει τῷ μοναχῷ, id est, gravissimus (dæmon) qui circa horam sextam impugnat monachum : quem vide ibi, et Cassianum lib. x. Et recte sane : licet enim hunc morbum partim ab ipsa corporis constitutione et humoribus, partim a fame, partim ab æstu immodico manare certum sit, diabolus tamen, cujus præcipuum est opus hominibus juxta eorum dispositionem insultare, ejusmodi morbum et languorem non mediocriter intendere solet, humores noxios ad hujus veneni instillationem irritando. Ejus remedium optimum est divinorum librorum lectio, qua fervor devotionis paulatim excitatur. Quod olim expertus est B. Gosuinus abbas Aquicinensis, qui cum ejusmodi t.be corroderetur, Moralium S. Gregorii lectione hunc morbum depulit, ut ejus acta testantur. Sunt et alia remedia, ut assiduitas boni operis, desiderium præmiorum æternorum, manifestatio tentationis, stabilitas loci et propositi sui, exercitium cujuslibet artis et laboris, instantia orationis et vigiliarum, quæ recenset Rabanus loco citato.

[a] *A proprio monasterio se auferre disponunt.* Idem notat S. Antiochus homil. citata; ejusmodi enim homines sunt vagi et instabiles, atque etiam ex nimia bile

Bellerophontæis sollicitudinibus

pleni, ipsi Bellerophonti haud dissimiles. Nam post casum vere acediosus.

Ipse suum cor edens campis errabat Alæis.

Apud Tullium libr. I de Divinatione. Hæc instabilitas manat ex tædio acediosi, qui a rebus creatis consolationem, non a Deo emendicans, nihil quod sibi placeat, invenire potest.

[b] *Idoneis.* Idonei sunt servi, sive liberti honorabiliores. Id patet ex lib. III legis Wisigothorum, tit. 3, l. 9 : « Si idoneus servus est, qui comnisisse detegitur, et idoneum libertum rapuisse invenitur; si voluerit Dominus e solido cum eo componat. » Et paulo post : « Sin autem rusticus, et vilissimus servus esse noscitur, etc. » Ubi vides distinctionem inter idoneum servum, et vilissimum servum, et mentionem idonei liberti, qui necessario a communi et vili liberto distinguendus est, juxta mores Wisigothorum, inter quos vivebat hic S. Fructuosus.

[c] *Assertionis.* Id est, orationis.

[d] *Vindicare.* Id est, asserere, probare, confirmare.

[e] *Deprehensus fuerit.* Alterius delatione.

[f] *Et se existimet.* Lege, *Nec se existimet*, ut habetur in Regula ms. Non est ille victor, sed victus a diabolo, qui juste accusatus non fatetur, sed procaciter suum defendit errorem.

[g] *Regula S. Cassiani.* Lib. IV Instit., cap. 8.

[h] *Unum pondus.* τὸ *unum* videtur redundare.

[i] *Ex quibus tempore suo.* Lege : *Ex quibus unus tempore suo.*

fratribus, vel [a] ad procedendum, ubi necessitas communis exegerit; atque diligentiam circa omnia quæ ad quotidianam custodiam et conversationem monasterii pertinent adhibendam : ut quæcunque ad obsequium usumque monasterii facienda sunt, sine negligentia et querela faciant. [b] Alius cum fratribus erit tempore suo exiturus [c] cum ipsis ad omnia opera, et omnem necessitatem providens, ne quid contra disciplinam faciant. Qui considerans omnes actus singulorum, si contra rationem facta viderit, vel per se emendet, vel abbati indicet.

[a] *Ad procedendum.* Quia olim quibusdam in locis præpositi exteriorum negotiorum munera obibant, ut supra observatum est.

[b] *Alius cum fratribus*, etc. Juxta regulam S. Pachomii præpositus ad opera cum fratribus, ut videre est art. 55 ejusdem Regulæ. « Si signum datum fuerit, ut egrediantur ad opus, præpositus antecedat eos. » Sic supra in Regula Magistri statuitur, ut saltem unus ex præpositis eat ad opus cum fratribus suæ decadis propter disciplinam.

[c] *Cum ipsis.* Particula, *cum*, videtur redundare.

CAPUT XXIX.

QUOMODO DORMIANT MONACHI.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Singuli per singula lecta dormiant. [b] Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem abbatis sui accipiant. [c] Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant. [d] Sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. [e] Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane. [f] Vestiti dormiant, [g] et cincti cingulis aut funibus, non ad zonas suas dormiant, ut cultelli qui latus eorum fabricant, ne forte per somnum vulnerent corpus dormientium. Et sint filii monachi parati semper, ut cum signum audierint, sine mora surgant, festinent tamen ut cum gravitate fiat ab eis, non turbatio. Juniores autem inter se vicinos non habeant lectos, sed per intervalla commixti inter seniores. Surgentes autem ad opus Dei, paulatim moderate se invicem excitent propter occasiones somnolentorum.

[a] *Singuli per singula lecta.* Ita in cod. ms. S. Faronis et in utroque S. Germani. Ita in vetusta editione Parisiensi, et apud Turrecrematam; nec male: nam lectum aliquando dicitur in neutro genere. Glossæ veteres : *Lectum*, κλίνη.

[b] *Lectisternia.* Sunt lecti. Sidonius epist. 15, lib. IV : « Epulum multiplex, et capacissima lectisternia para. » Acta S. Findani, cap. 4 : « Pro lectisterniis, lapides velatos inter fratres pausans occulte corpori supposuit. » Et in templis lectisternia lecti sunt, ut infra dicetur. Itaque non assentior Turrecrematæ qui per lectisternia hoc loco intelligit loca, in quibus multi lecti sunt. Nam huic explicationi hæc verba : *Pro modo conversationis*, adversantur. Quia si lectisternium hoc loco esset conclave, oporteret ut ii qui sunt ejusdem conversationis, id est, vitæ, debilitatis, ætatis antiquitatis ac necessitatis in eodem conclavi pausarent, quod Regulæ repugnaret, quæ jubet juniorum lectos seniorum lectis esse permixtos; quod ne vix, ac ne vix quidem fieri posset, si ii qui sunt ejusdem conversationis, in eadem cella decumberent. Alia est enim conversatio senis, alia juvenis. Præterea in eadem linea secum pugnaret S. Benedictus qui juberet monachos in diversis lectisterniis seu conclavibus jacere pro modo conversationis, et mox præciperet, ut omnes in eodem loco jaceant; si sit minor congregatio, in qua tamen erunt monachi diversæ conversationis.

[c] *Si fieri potest, in uno loco dormiant.* Fuit hæc vetus monachorum disciplina, ut omnes in eadem cella dormiant, maxime propter custodiam castitatis et honestatis. Ita statuitur Justiniani imperatoris Authentica 4 : « Volumus enim nullum monasterium sub ditione nostra constitutum sive plurimorum hominum est, sive paucorum, monachos, qui ibi sunt, ab alterutris divisos, et propriis habitationibus uti; sed communiter quidem eos comedere sancimus : dormire vero omnes in communi, unoquoque quidem in propria stratura jacente, in domo vero una collocatos : aut si forte non sufficit ad multitudinem monachorum, in duabus forsan, aut pluribus : non tamen seorsum apud semetipsos, sed in communi testes alterutris sint honestatis et castitatis. » Idem habetur Authentica 133. Suffragatur Concilium Turonense II, can. 14 : « Nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint : sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut abbate, aut præposito gubernante; ut dum vel tres vicissim et legunt, et excubant, alii consolentur : ut non solum sit custodia corporum, sed et surgat pro lectione assidua profectus animarum. » Primum membrum obscurum est. Ad illa verba : *Aut peculiares reponi possint*, in margine cum asterisco annotatur τὸ *singulare*. Ex quibus hanc lectionem elicio : *Aut communes, ubi bini maneant; aut peculiares, ubi singulares reponi possint.* Et sic sensus clarus est, cum prohibet concilium, ne monachi bini, aut singuli maneant, sed statuit, ut omnes in eadem schola, id est, conclavi jaceant, tribus vicissim aut legentibus propter consolationem animarum, aut excubantibus propter custodiam corporum. Id etiam probatur ex regula Teridii seu Tetradii, c. 3 : « Cellam peculiarem aut armariolum, vel quamlibet clausuram nullus habeat : in una schola omnes maneant. » Quæ verba mirum in modum concilii locum citatum illustrant. Confirmatur etiam S. Cæsarii auctoritate, cap. 7 Regulæ : « Nullus liceat semotam eligere mansionem, vel armariolum, aut aliquid ejusmodi, quod peculiarius claudi possit; sed omnes divisis lectulis in una maneant cellula. » Et in Recapitulatione, cap. 2 : « Ut nulla celiam peculiarem habeat. » Eamdem rationem secutus est S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis habetur : « Refutato archimandritarum more omnes univit in medium : destructis namque mansionum ædiculis cunctos secum xenodochio quiescere fecit. » Idem videre est in Regula S. Fructuosi Bracar. epis. c. 5. S. Isidori, Magistri et cujusdam Patris monachorum, qui hic a nostro auctore citantur.

[d] *Sin autem multitudo non sinit*, etc. Idem statuit Justinianus Novellis supra citatis.

[e] *Candela jugiter*, etc. Idem statuit S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis supra citatis habetur : « Et quæ causa vitæ refectionis una claudebat ædicula, discretis quoque lectulis una ambiret mansio : cui lumen diei, sicut in oratorio indeficiens præbebatur; » al. leg. τὸ *Dei*.

[f] *Vestiti dormiant*, etc. *Et ut parati sint monachi semper.* Est hyperbaton; et series orationis sensusque erunt clara, si hæc verba referantur ad illa superiora hoc modo : *Vestiti dormiant, et cincti cingulis et funibus.*

[g] *Et cincti cingulis.* Idem statuit Isaias abbas, orat. 3 : « Iturus cubitum (monachus) zona sua se præcinctus sit. » Idem faciebat S. Fulgentius episcopus Ruspensis et monachus, ut in ejus Actis scriptum, c. 1 : « Nec deposito saltem cingulo somnum petivit. »

cti cingulis aut funibus; et cultellos suos ad latus suum non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes; et ut parati sint monachi semper, et facto signo absque mora surgentes festinent se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentiores fratres juxta se non habeant lecta, [a] sed permixti cum senioribus. Surgentes vero ad opus Dei [b] se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.

§ II. — Dicta sancti Augustini ex libro de Civitate Dei (*cap.* 3).

[c] Populus diu multumque fatigatus nova [d] lectisternia, quod nunquam antea fecerat, exhibenda arbitratus est. Lecti autem sternebantur in honorem deorum : unde hoc sacrum, vel potius sacrilegium nomen accepit.

§ III. — Ex Regula Magistri (*cap.* 11).

[e] Singulos præcipimus, non binos per lectos dormire. Elevans se frater si lectum suum bene non cooperuerit; pœnæ nomine in sequenti refectione [f] merum non accipiat. Cum dormient, vestiti dormiant, et cincti, id est, aut cingulis, aut [g] retibus, aut corrigia. [h] Bracili fratrem in nocte uti ideo prohibemus, ne dum se regyrat per somnum oppressus, exiens per thecam mucro cultelli carni ejus figatur. In die vero cingantur bracilibus, docente de sancto Joanne Scriptura : *Et* [i] *circa lumbos erat cinctus zona pellicea* (*Luc.* v). [j] Et ideo vestitos ac cinctos dormire diximus fratres, ut cum hora operis Dei advenerit, et [k] oratorii index insonuerit noctu, mox parati consurgant, dicente de hoc Scriptura ; [l] *Et index meus in matutinis. Si dicebam, narrabo sic* (*Psal.* LXXI). Nam ideo index nomen accepit ab eo

nibus, et ut parati sint monachi semper (subaudi, ad opus Dei), *et facto signo absque mora surgentes festinent se invicem prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia; et cultellos ad latus non habeant, cum dormiunt*, etc. Est etiam polysyndethon. Illis autem verbis causa redditur, cur monachi debeant dormire vestiti et cincti : nempe ut dato signo sint prompti et parati ad opus Dei, et festinent se mutuo prævenire. Sed nostra interpretatio clara est ex Regula Magistri, cap. 11 : « Ideo vestitos et cinctos dormire diximus fratres, ut cum hora operis Dei advenerit, et oratorii index sonuerit noctu, mox parati consurgant. » Causa hyperbati est, quia hæc verba, *et cultellos ad latus*, etc., æquum erat his subjungere, *et cincti cingulis aut funibus.*

[a] *Sed mixti cum senioribus.* Supp. *Lecta habeant.* In regula a S. Dunstano archiepiscopo Cantuariensi emendata legitur : *Sed mixtim senioribus.*

[b] *Se moderate cohortentur.* Gestu quodam, aut nutu, non voce; ne horis nocturnis rumpatur silentium.

[c] *Populus*, etc. Hæc verba habentur lib. III de Civitate Dei, cap. 17, Nulla autem alia ratione a nostro auctore proferri video, quam quia S. Benedictus lectisterniorum mentionem facit, etsi alio sensu.

[d] *Lectisternia.* Servius in 12 Æn. : *Lectisternia dicuntur, ubi homines in templo sedere consueverunt.* S. Isidorus libr. XV Orig., cap. 5 : *Lectisternia dicuntur, ubi homines sedere consueverunt.* Sed locus castigandus est ex Servio, unde sumptus est, ut antecedentia, et legendum : *Ubi homines in templo*, etc., ubi τὸ *sedere*, latius sumitur. Nam in lectisterniis non sedebant, sed recumbebant. Unde in sacris Herculis ad aram maximam non fiebat lectisternium, quia epulantes sedebant, ut clarum est ex Macrobio libr. III Saturn. : « Non vacat, quod dixit, sedili. Nam propria observatio est Herculis sacris epulari sedentes. Et Cornelius Balbus Ἐξηγητικῶν libro XVIII, ita ait : Apud aram maximam observatum, ne lectisternium fiat. » Sunt autem in hoc S. Augustini loco lectisternia sacra quædam Romanorum quæ stratis in templo lectis in honorem quorumdam deorum ad sedandam pestilentiam aliosque morbos in urbe grassantes fiebant, quorum prima origo manavit a quodam Valesio Sabino, qui in somnio admonitus per alveum Tiberis venit ad quemdam locum nomine Tarentum in campo Martio et calefactam aquam ad unum inde erumpentem propinavit duobus filiis et filiæ ex peste laborantibus; qui cum sanati essent, ad aram Ditis et Proserpinæ subterraneam ibi forte repertam nigras hostias mactavit, ludosque et lectisternia tribus contiuuis noctibus fecit, ut docent Valerius Maximus lib. II, cap. 1, et Zosimus lib. I Hist. Inde Ausonius in gripho de ternario numero :

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo

Sacrum hoc primitus Romam invectum est sub tribunatu militari L. Titinii, P. Menevii Racilii, C. Genutii, et L. Attilii, an. U. C. 354, ut docet Livius libr. III, cum post electionem horum tribunorum militum subjungit : « Tristem hiemem sive ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit : cujus insanabili pernicie, quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt; duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placavere. » Sed Valerius Maximus cap. citato originem refert ad Publicolam, qui primo anno post reges exactos, grassante per urbem pestilentia, ad prædictam Ditis et Proserpinæ aram hostias mactavit, ludosque et lectisternia per trinoctium in campo Martio celebravit.

[e] *Singulos præcipimus*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb. in fine ejusdem undecimi capitis.

[f] *Merum non accipiat.* Per merum intelligit cyathum aut calicem meri, qui initio refectionis fratribus dabatur, ut patebit ex eadem Regula infra.

[g] *Retibus.* Ita apud Smaragdum, qui hunc locum profert. Sed lege, *restibus*, ut habetur in Reg. ms. cod. Corb., id est, funibus, juxta S. Benedictum, quem ipse Magister sequitur : *Cincti cingulis aut funibus.*

[h] *Bracili.* Id est, zona, ut ex hoc loco clarum est. Apud Smaragdum legitur : *Btacale*, sed male. De bracili infra commodius.

[i] *Et circa lumbos*, etc. Luc. III. Sed hæc citantur ex memoria, non ex codice.

[j] *Et ideo vestitos*, etc. Prima est ratio, cur vestiti et cincti dormiant monachi.

[k] *Oratorii index.* Index hoc loco est, signum, nola, seu campana.

[l] *Et index meus.* Hæc lectio habetur apud Cassiodorum, et in his commentariis, qui vulgo S. Hieronymo tribuuntur, quæ est psalterii Romani. Quamobrem in editione Fabri male legitur : *Judex.* Sed forsan error est typographicus. In Vulgata versione est : *Castigatio mea.* In textu Græco, ἔλεγχός μου, id est, argumentatio mea, reprehensio mea, in textu Hebraico, תוכחתי, *Vetocachthi*, id est, correptio mea. Sed hic Magister sequitur sensum accommodatitium. Cassiodorus per indicem intelligit Christum.

quod sono suo psallendi indicet horam advenisse. Ideo de eo Propheta dicit : *Si dicebam, narrabo sic.* Hoc est, cum indicat advenisse horam psallendi, sic narrabo laudes Domini. [a] Inde ergo vestiti et cincti debent fratres dormire : quia non licet fratri membra sua nuda contingere. Nam exinde [b] immunditiæ libidinum in animo ingeruntur. Cum membrorum nuditas tactu contingitur, feminarum illico cordis [c] desideria titillantur : unde per somnum coinquinantur membra [d] sorditate. [e] Et maxime ideo vestiti et cincti debent fratres dormire, ne quærentes res suas in obscuro vel cingula [f] [ab] ingredientibus oratorium sollicitis vel paratis fratribus, cum adhuc illi lectos suos per negligentiam in obscuro subvertendo, et dissipando revolvunt, [g] aliquot orationes perdant aut psalmos. Lectis eorum lectos habeant præpositi prope propter aliquam, ut diximus, vitiorum culpam in eis emendandam, et ut reverentius præsente Majore dormiant. Mensæ eorum præsentes sint, ut cum eis et moderate manducent. [h] Huic de numero in aliquo loco si sine præcepto tam abbatis quam præpositi frater foras exierit, ab eis sollicite requiratur.

§ IV. — Ex eadem Regula (*cap.* 29).

[i] Æstivo tempore, dicta Sexta, [j] aut in jejunio, aut [k] post refectionem omnes repausent ; et noctibus ipsis brevibus sobrii a somno fratres divino operi et rationi [l] breves consurgant. Nam in [m] atrio, vel in [n] triclinio lecta in ordine, in circuitu ordinentur : in quo circuitu [o] lectum abbas in medio habeat, considerans omnium ovium suarum gregem intra unum ovile collectum quasi diligens ac sollicitus pastor attendat. In quo atrio pendeat [p] cicendelus, qui quotidie a cellerario factus ab hebdomadariis ad seram

[a] *Inde ergo*, etc. Alteram producit rationem, cur monachi vestiti dormiant.

[b] *Immunditiæ*. Ita in Reg. ms. legitur, et in cod. Vind. Apud Smaragdum, *incentiva*.

[c] *Desideria titillantur*. Lege, ut apud Smaragdum : *Desiderio titillatur*.

[d] *Sorditate*. Ita in Reg. ms., apud Smaragdum legitur : *Sordide*.

[e] *Et maxime ideo vestiti*, etc. Tertia ratio est, cur vestiti dormiant monachi.

[f] *Ab ingredientibus*. Particula, *ab*, redundat.

[g] *Aliquot orationes perdant aut psalmos*. Cum tardius veniunt ad oratorium jam inceptis vigiliis.

[h] *Huic de numero*. In Reg. ms. legitur : *Huic deno numero ;* legendum puto : *Hoc de deno numero*, nempe cujusque decadis, seu decaniæ.

[i] *Æstivo tempore*, etc. Extat in Reg. ms. ejusdem Magistri cod. Corb. cap. 29.

[j] *Aut in jejunio*. Locus ita intelligendus, ut die jejunii pausent post sextam fratres ante refectionem in æstate. Idem statuitur prima Add. Capitul. Lud. imp., tit. 71 : « Ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post Sextam dormiant, » nempe ante refectionem, quæ fit tantum hora nona, hoc est, tertia nostra postmeridiana.

[k] *Post refectionem*. Id est, post prandium, diebus videlicet, quibus non jejunatur.

[l] *Breves consurgant*. Lege : *Leves consurgant*.

[m] *Atrio*. Atrium hoc loco pro quadam ampla aula, seu conclavi sumitur.

[n] *Triclinio*. A tribus lectis, ut vulgo notum est. Donatus in Heauton. Terentii : « Lectis enim stratis antiqui cœnabant, unde triclinium a tribus lectis. » Ita Servius I Æn. Isidorus Libr. XV Orig. cap. 3 : « Triclinium est cœnaculum a tribus lectis discumbentium dictum. » Hic tamen non pro loco convivii, sed somni sumitur.

[o] *Lectum abbas in medio habeat*. In quo dormiat : non enim olim abbatibus erant palatia, sed in eodem cum fratribus dormitorio pausabant : ut faciebat S. Eugendus abbas Jurensis, quemadmodum videre est in ejus actis apud Surium. 1 Jan. : « Destructis namque mansionum ædiculis uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit. » Id decretum est in concilio Francofordiensi sub Carolo Magno, cap. 4 : *Ut abbas cum suis dormiat monachis secundum regulam sancti Benedicti*. Dixit concilium secundum regulam S. Benedicti, quia S. P. dixit : « Omnes in uno loco dormiant. » Qui dicit *omnes*, neminem excipit. Id etiam satis clarum est ex actis S. Lamberti martyris. Nec est quod quis opponat S. Benedictum et Servandum abbates in turri decubuisse, eorum discipulis in opposito habitaculo quiescentibus. Nam tunc erant extra sua monasteria : et Servandus quidem convenerat S. Benedicto, ut patet ex ea historia ; nec S. Benedictus erat in Cassino monte, ut palam est ex his verbis : « Cui tantum hoc obsequenti miraculum vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta, narravit, statimque in Cassinum castrum religioso viro Theoprobo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret » (*S. Greg. dial.* I, *cap.* 25). Itaque dicendum est hunc dispensatione divina ob futurum miraculum, et alia rationabili causa, factum esse, ut hi abbates seorsum a discipulis decumberent.

[p] *Cicendelus*. Cicendelus ubique Magistro in sua Regula, alias cicendela, cicendele, et cicindilis, est candela, lucerna, Glossæ Græco-latinæ : κανδήλα, *Cicendela*. Glossæ Isidori : *Licini, candelæ, lucernæ, cicendelia*. Glossæ Arabico-Latinæ dictæ : *Licinius quasi lucius. Est enim cicindela lucernæ*, meminit S. Greg. Turonensis l. IV Hist., c. 3 : « In sacrarium autem sub velum transiens cicindilem exstinguere voluit. » Et Servius in I Æn. : « Alii lunalia appellant, quod in cicendula lucet : lege, *cicendela*. » A cicendela, quod est scarabeorum genus, quod volando lucet, de qua S. Isidorus lib. XII Orig., cap. 8 : « Cicendela scarabeorum genus est, eo quod gradiens vel volans lucet. » Festus : « Cicindela genus est muscarum, quod noctu lucet, videlicet a candore, unde etiam, candelabra putantur appellata. » Sunt ergo cicendelæ lampades illæ vitreæ quæ de laqueari pendent. Quod satis patet ex his Vitæ S. Caesarii Arelatensis verb. l. II : « Dum cicindile concinnaret de manibus super lapides lapsa est, quæ nec versa est, nec fracta, nec extincta. » Papias : « Cicendela species scarabeorum dicta, quod volans candet, id est, lucet, inde dicitur, cicendele, quia similiter luceat : quæ cicendelia vitreas lampades vocamus. » Unde hoc loco magister : « In quo atrio pendeat cicendelus, » et c. 95 : « Vel intra eam cicindelum suspensum et factum incendant. » Munitæ erant oleo et myxo papyraceo, hoc est, junceo. S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, cap. 8 : « Gratum est illud addi miraculis, quod accensus ad lectum ejus fecerit cicendilis. » Et paulo post : « Lychni ei ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his per quadraginta dies totidemque noctes, ut ipse ædituus asseruit, absque ullius fomenti adjutorio perduravit splendens, in quo nec papyrus addita : nec gutta olei est stillantis adjecta. » Itaque cum cicendela appellatur candela, per candelam lampas vitrea est intelligenda, quod patet ex Zacharia papa, qui in Dialogis S. Gregorii ejusmodi lampades interpretatur κανδήλας libr. I, cap. 5. Ὅθεν τὰς κανδήλας ἐρεῖλαι ἄνω. « unde lampades accenderet, » et c. 7 : Ἐν ὅσῳ ὁ σπέρμιος ἀνὴρ κανδήλας ἐν τῷ εὐκτηρίῳ ἔπλυνεν, « cum iste vir Dei lampades vitreas in oratorio lavaret. »

incendatur, ut videant diversi quomodo se collocent; et postquam se omnes collocaverint, a supra dictus [a] tutetur, si forte indigentia olei in monasterio sentiatur.

§ V. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 15).

[b] Abbatem cum fratribus pariter in congregatione commorari oportet, ut communis conversatio et testimonium bonæ vitæ et reverentiam præbeat disciplinæ. Fratres quoque omnes, si possibile est, in uno conclavi commorari decet. Quod si difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus est præponendus decanus, quasi rector et custos. Nocte, dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri cui obviat. [c] Duobus in lecto jacere non liceat. Lux autem nocte dormientium locum [d] illustret, ut pulsis tenebris testimonium pateat [e] singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur; [f] sed in sola contemplatione Dei accumbens, et requiem corporis, et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat, bonisque objectis turpes a se rejiciat. Nam animi motus imaginibus suis agitur, et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit.

§ VI. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 17).

[g] Duo in uno lecto non jaceant, nec dormire extra cubile proprium cuiquam licentia pateat. [h] Intervallum singulorum lectorum singulis cubitis intercedat: ne dum invicem proximant corpora, nutriant libidinis [i] incentiva. [j] In tenebris nemo loquatur alteri; nec accedat junior quilibet ad lectum alterius [k] post Completam.

§ VII. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 33).

[l] Ut duo quamlibet proximi, vel amici propter secretam orationem, quæ nullo teste melius ad Deum dirigitur, ut majorem licentiam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ testem timescit aut judicem. Vigilandum ergo, orandum atque psallendum. Curet unusquisque minimam noctis somno ducere portionem, ut non decipiatur ab inimico, [m] qui est liber otioso: quia omnino non potest cubile proprium nisi vigilans [n] vindicare. [o] Imitandum enim videtur quod Propheta nobis sub quadam admonitione decantat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Et iterum: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum* (*Psal.* CXXXIII). Et illud: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Hoc ergo ut devotus unusquisque vocatione concessa utilius, possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit ipse solus possessor habens ut te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam divina meditantem somnus inveniat. »

[a] *Tutetur.* Id est, exstinguatur, cap. 19 ejusdem Regulæ: « Candelas monasterii a cellerario factas quotidie ipsi incendant et tutent. » Antiquus Ordo Romanus, cap. de officiis in Cœna Domini: « Lumen autem ecclesiæ apud Romanos ab initio cantus nocturni inchoatur exstingui: hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim tutari. » Et paulo post: « Initio psalmi primi sit custos semper paratus in loco dextræ partis ecclesiæ prope lampades. At ubi audierit primam antiphonam in manu sua tutat lampadem unam, in fine vero psalmi tutat aliam sinistræ partis. Sic una ex parte alia ex alia tutentur usque ad Evangelium: in Evangelio vero ante *Benedictus* non dicatur lectio. Sed tantum versus: et statim tutatur mediana lampas. Gallice, *tuer la chandelle.*

[b] *Abbatem cum fratribus*, etc. Hæc reperire est in Regula S. Isidori excusa, cap. 13.

[c] *Duobus in lecto uno jacere non liceat.* Propter castitatis custodiam. Idem S. Isidorus, cap. 17 Regulæ suæ inter gravia peccata recenset: » « Si cum altero in uno lecto jaceat monachus. » Idem prohibet Magister: « Singulos præcipimus, non binos per lecta jacere. » S. Fructuosus episc. Brac.: « Duo in uno lecto non jaceant. » S. Pachomius, art. 53 Regulæ suæ: « Nullus cum altero dormiat. » Concilium Turonense II, can. 15: « Ut ergo sinistræ existimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum aut monachorum colligere alium in suo lecto præsumat. » Quod etiam satis innuit S. P. Benedictus cum ait: « Singuli per singula lecta dormiant. »

[d] *Illustret.* In Reg. S. Isidori excusa: *Illuminet.*

[e] *Singularis quietis.* Quies singularis hic est, cum singuli monachi in singulis stratis jacent.

[f] *Sed in sola contemplatione Dei accumbens.* Hoc et etiam animæ devotæ singulare exercitium, quod describit virginibus sacris S. Ambrosius lib. III de Virginibus: « Sed etiam in ipso cubili volo psalmos in oratione Dominica frequenti contexas vice, vel in evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget;

[g] *Duo in uno lecto*, etc. Habetur in Reg. ms. S. Fructuosi episc. Bracar. cod. Crass. cap. 17.

[h] *Intervallum*, etc. In Reg. ms.: « Inter aulam singulorum lectorum singuli cubiti intercedant. »

[i] *Incentiva.* Glossæ Isidori: *Incentiva, aculei vitiorum.*

[j] *In tenebris*, etc. Sumpsit ex S. Isidoro: « In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri, cui obviat. »

[k] *Post completam.* Completa est Completorium.

[l] *Ut duo quamlibet proximi*, etc. Hic locus corruptus est ob quædam verba prætermissa, quæ ex Smaragdo supplenda sunt hoc modo: *Ut duo quamlibet proximi vel amici propter secretam orationem, quæ nullo teste melius apud Deum dirigitur, uno lecto non teneantur.* Et sensus clarus est. Nam hoc toto capite nihil aliud intendit S. Ferreolus, quam ut monachi separati in singulis lectis quiescant, ut possint liberius in ipso lecto orationi vacare. Unde in fine capitis ait: *Hoc ergo ut devotus unusquisque vacationi concessa utilius possit implere, strati sui, ut supra diximus, erit solus possessor.*

[m] *Qui est liber otioso.* Id est, qui facile otioso assidet et vacat. Otiosis enim monachis diabolus delectatur.

[n] *Vindicare.* Videntur deesse hæc verba: *A turpi cogitatione, et illusione*, vel similia.

[o] *Imitandum enim videtur quod propheta*, etc. Præclare S. Ambrosius lib. III de Virginibus: « Jam illud quis non ad nostram institutionem dictum intelligat, quod ait sanctus Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Nam sive lectum juxta litteram intelligas, tantam ubertatem ostendit profundi oportere lacrymarum, ut lavetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecrantis (fletus enim præsentium, merces est futurorum; quoniam *beati qui fletis, ipsi enim ridebitis*); sive pro corpore accipiamus propheticum illud, delicta corporis pœnitentiæ lacrymis abluamus. »

secum meliori commutatione [a] pro dormitorio fratrem Dominum vigilantem.

§ VIII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 14).

Omnes, si fieri potest, una domus ad dormiendum capiat, præter si infirmitas, [b] aut senilis ætas poposcerit, aut [c] culpa damnaverit, [d] aut novitas probata non fuerit, [e] ut cella separentur. Omnes vestiti dormiant. In domo qua dormitur, per totam noctem lucerna ardeat. Ad cursum vero cum festinatione [f] surgentes signum crucis Christi fronti inferant, simulque [g] sub silentio dicant : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me, festina.*

[a] *Pro dormitorio fratrem.* Locus corruptus. Lege : *Pro dormiente fratre*, ut apud Smaragdum. Sensus est : Solus in strato monachus, dum orationi vacat, pro dormiente fratre Dominum habet secum vigilantem.

[b] *Aut senilis ætas poposcerit*, etc. Indultum olim fuit senibus et infirmis habere cellas separatas ab aliorum consortio. S. Isidorus, cap. 19 Regulæ : « Nullus peculiariter separatam sibi ad habitandum cellam expetat, præter eum qui fortasse morbo vel ætate defessus, et hoc ex consulto Patris monasterii promeruerit. » Concilium Agathense, can. 38 : « Servandum etiam de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem ab abbatibus asperior regula remittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa manentes sub abbatis potestate separatas habere cellas permittantur. » Per probatos post emeritos labores intelligit concilium senes illos qui diuturna observantia probati, ut emeriti censendi sunt. Probatis indulgentur cellæ : nam senibus infirmitis et pueris centum annorum non adeo tutum esset eas concedere. Dabantur etiam cellæ separatæ iis qui contemplationis studio ab aliorum fratrum consortio secedebant; quos hesychastas, anachoretas, atque etiam inclusos appellabant, ut notum est ex Novella 5 Justiniani : « Nisi tamen quidam eorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio; quos vocare anachoretas, et hesychastas, id est, quiescentes consueverunt, tanquam a communione ad meliora exceptos. » Idem statuitur Novella 133. Hesychastarum mentio fit in Pœnis brevibus S. Basilio ascriptis art. 33 : Εἴ τις εὑρεθῇ λαλῶν εἰς τὰ κέλλια ἐκτὸς τῶν ἐνοικούντων αὐτὸ ἢ τῶν ἡσυχαστῶν, etc., id est, « Si quis inventus fuerit loquens in cellis præter illos qui eas habitant, et quiescentes, privetur benedictione. » Ubi male interpres : *Præter eos qui ædificant illas, et qui quietem et silentium imperant.* At hi quidem infra septum cœnobii cellas habebant. Sed alii fuerunt, qui in cellis haud procul a monasterio habitabant, sive inclusi essent, sive non. Horum est auctor S. Basilius : Ἵνα μήτε τὸ φιλόσοφον ἀκοινώνητον ᾖ, μήτε τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον, id est, « ne contemplatio communicationis expers esset, nec vita practica, seu communis contemplatione careret, » ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20. Eum imitatus Cassiodorus non longe a monasterio suo Vivariensi secreta montis Castelli præparavit, ad quæ monachi contemplationis cupidi secederent, ut ipse testatur cap. 29 libri de divinis Lectionibus. Hinc partim sumpsere initium cellæ illæ, quas prioratus, obedientias seu præposituras vocant, quæ abbatiis subditæ unum aut paucos monachos complecti solent. Partim ex fama abbatum ad quos cum multi discipuli confluerent, nec eos angustiæ sui monasterii caperent, non longe a monasterio, atque etiam aliquando procul, cellas seu monasteriola ædificabant, ad quæ redundantes monachos sub suo tamen regimine victuros mittebant, ut planum est ex multis sanctorum abbatum actis. Partim etiam ex annexione monasteriorum, quæ aut bello diruta erant, aut quorum reditus pene exhausti, ut ditiorum monasteriorum facultatibus instaurarentur, eorumque juri cederent; ut videre est libr. VIII Regesti S. Gregorii papæ, epist. 39; et libr. IX, epist. 67 et sequenti, in qua ecclesia S. Georgii accrescit monasterio Mariniani abbatis; partim ex munificentia episcoporum, regum, imperatorum, principum et dynastarum, qui multas ecclesias monasteriis adjunxerunt, ut notum est ex libro, qui inscribitur Bibliotheca Cluniacensis, et ex libello de Abbatibus Majoris-monasterii, multisque veteribus chartis et monumentis; partim ex reformatione regularis observantiæ, ratione cujus multæ abbatiæ plurimas cellas et prioratus, imo et abbatias, quæ ideo in prioratus mutatæ sunt, suæ ditioni subjecerunt : et Cluniacus, et Majus-monasterium prope Turones; partim ex ipsis monasteriorum prædiis, quæ cum redundarent, ex iis abbates prioratus fundarunt. Horum autem prioratuum sive cellarum usus concessus fuit olim abbatibus in synodo abbatum Aquisgranensi, tit. 44 : « Abbatibus liceat habere cellas, in quibus monachi sint aut canonici; et abbas provideat, ne minus de monachis habitare permittat, quam sex. » Sed ut redeamus ad cellas cœnobitarum, Ægyptii monachi bini in cella habitabant, ut liquet ex Cassiano libr. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 16 : « Si cum illo, qui cellæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit. » Et ejusmodi cohabitator syncellita appellabatur apud Cassianum, collat. 20, c. 2. Id etiam fiebat in monasteriis Syriæ et Palæstinæ, ut videre est eadem collat., cap. 1. Idem institutum secutus videtur S. Columbanus, ut notum est ex ejus Pœnitentiali ms., ubi eadem verba profert quæ ex libr. IV de Institutis citavimus. Sed Tabennesiotæ monachi etiam Ægyptii ex instituto S. Pachomii tres in cella simul habitabant, ut planum est ex Palladio, cap. de Tabennesiotis : Ποίησον δὲ κέλλας διαφόρους ἐν αὐτῇ, καὶ τρεῖς κατὰ κέλλαν μενέτωσαν, id est, « fac diversas cellas in eadem domo, et tres per singulas cellas maneant. » Aliquando tamen in cœnobiis Ægyptiorum soli in cellis habitabant, ut observare licet apud eumdem Cassianum, lib. II de Orationibus nocturnis, cap. 12 : « Ad suam recurrens cellulam, quam aut solus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur. » Sed locus de senibus, aut debilibus intelligendus est.

[c] *Culpa damnaverit.* Nempe excommunicatione : nam, ut infra docebitur, excommunicati in cella separata habitabant.

[d] *Aut novitas*, etc. Intelligit novitios, quos etiam excludit a communi dormitorio monachorum, juxta Regulam S. Benedicti.

[e] *Ut cella separentur.* Est trajectio. Referendum ad verbum : *poposcerit.*

[f] *Surgentes signum crucis*, etc. Ita in Memoriali qualiter in monasterio vivendum sit : « Nocturnis horis, cum ad opus divinum de lectulo surrexerit frater, primum signum sanctæ crucis sibi imprimat per invocationem sanctæ Trinitatis. » Et in concilio Wintoniensi sub S. Dunstano, cap. 1 : « Ideoque omni tempore nocturnis horis, cum ad opus divinum surrexerit frater, primum sibi signum crucis imprimat. »

[g] *Sub silentio dicant : Deus, in adjutorium*, etc. In citato Memoriali, præcipitur recitatio Psalmi : « *Deus in adjutorium*, etc., præmisso versiculo; *Domine, labia mea aperies*, etc. Deinde dicat versum. *Domine, labia mea aperies*; inde psalmum : *Deus, in adjutorium meum intende*, totum cum *Gloria*. » Ita etiam in citato concilio Wintoniensi : « Deinde dicat versum : *Domine, labia mea aperies*, deinde psalmum, *Deus, in adjutorium meum intende.* » Quid vero hujus Concordiæ auctor ante vigilias nocturnas recitandum vel faciendum statuerit, vide supra in ejus Vita.

CAPUT XXX.

DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, et [b] præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel, et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit [c] qualis pœna sit, [d] excommunicationi subjaceat. [e] Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

§ II. — Ex Præceptis et Institutis beati Pachomii (*cap*, 9).

[f] Qui mentitur, et odio quemquam habere fuerit deprehensus, aut plus joco quam honestum est deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut habens consuetudinem fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt : et omnino quidquid contra regulam Scripturarum est, et monasterii disciplinam, audiet Pater monasterii, et vindicabit juxta mensuram opusque peccati.

§ III. — *Item ejusdem.*

[g] Qui facilis ad detrahendum, dicitque quod non est, si in hoc peccato est deprehensus, monebunt eum secundo. Et, si audire contempserit, separabitur extra conventum fratrum septem diebus, et [h] panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet, se ab hoc vitio recessurum ; et sic demittetur ei.

§ IV. — *Item ejusdem.*

[i] Qui falsum cupit probare contra alterum, ut opprimat innocentem, tertio commonebitur : et postea reus erit iniquitatis [j] sive de prioribus, sive de inferioribus. [k] Qui habet pessimam consuetudinem ut

[a] *Si quis frater*, etc. Hujus loci mentionem facit Joannes Saresberiensis epist. 100 ; et S. Fructuosus apud Henricum Canisium, tom. V Antiquæ Lectionis.

[b] *Præceptis seniorum suorum*, etc. Hæc ita distingue : *Vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, et præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Ita distinguunt Smaragdus, editio Coloniensis, cod. uterque ms. S. Germ. et S. Far. Et sensus est : Si frater vitiis supra enumeratis nempe contumacia, inobedientia, murmuratione, aut Regulæ ac præceptorum seniorum suorum violatione contaminatus, ea quæ salutis suæ sunt contemnere repertus fuerit, nec vitia emendare curaverit, moneatur, etc. Aliter S. Dunstanus, et vetus editio Parisiensis : *Vel in aliquo contrarius sanctæ Regulæ, et præceptis : si seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Turrecremata ita distinguit : *Vel in aliquo contrarius sanctæ Regulæ, et præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit ;* et sic exponit : « Quintus est (casus) aut si fuerit vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, et præceptis per aliquod videlicet malum opus, quod sanctæ regulæ repugnet, et adversetur. Sextus est, si seniorum suorum contemptor repertus fuerit. » Prior tamen expositio præstare videtur : tum quia τὸ *præceptis* referendum est ad τὸ *seniorum* : tum quia excommunicatio maxime eorum est, qui non solum seniores, sed etiam ea quæ agenda sunt, contemnunt ; ac proinde emendare nolunt. In vulgatis editionibus legitur : *Et præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit.* Sed hoc tanquam solœco assidens repudiandum est. In editione Colinæi : *Et præceptorum seniorum suorum contemptor*, etc. Sed casus mutatus est ex industria.

[c] *Qualis pœna sit.* Suppl., excommunicatio. Est autem trajectio : nam juxta communem loquendi usum, dicendum erat : *Excommunicationi subjaceat, si intelligit qualis pœna sit.*

[d] *Excommunicationi subjaceat.* Hæc est propria excommunicatio, quam majorem vocant theologi : nam ex parte excommunicati præcedit contumacia, et contemptus, et gravitas culpæ : ex parte excommunicantis trina admonitio.

[e] *Sin autem improbus.* Glossæ veteres : *Improbus*, ἀναιδής, id est impudens. Et improbitas ἀναίδεια, id est impudentia. Luc. XI : Διὰ γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, id est, propter impudentiam ejus. Recte in versione communi : *Propter improbitatem ejus.* Improbus ergo monachus est impudens, pertinax in malitia. S. Fructuosus apud Canisium supra scribit improbum appellari a S. Benedicto contumacem, aliquando tamen improbum dici eum, qui etsi sæpe corripiatur, non tamen contradicit regulari disciplinæ.

[f] *Qui mentitur.* Reg. exc. art. 119.

[g] *Qui facilis ad detrahendum*, etc. Habetur in Regula S. Pachomii art. 84, ubi legitur : *Qui est facilis*, etc. Idem prorsus statuitur in concil. Agathensi apud Ivonem XIII parte Decreti, cap. 64 : « Si quis promptus facilisque est ad detrahendum dicensque quod verum non est, septem dies in pane et aqua sequestratus a fraterno consortio pœniteat. » Sed cum hæc non exstent in concilio Agathensi, credibile est ex Regula S. Pachomii sumpta, et citationem minus rectam esse.

[h] *Panem tantum cum aqua accipiet.* Antiqua hæc multa seu pœna clericis et monachis irrogata panis et aquæ refectio. S. Isidorus, cap. 18 Regulæ : « Certe si plurimorum dierum illata fuerit excommunicationis suspensio, sola panis et aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio. » Concilium Tarraconense I, can. 1 : « Si vero religiosus vel monachus, in cella monasterii inclusus, pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis et aquæ victum ex abbatis ordinatione percipiat. » S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua vivat. Si quis dixerit mendacium nesciens, L verbera ; sciens et audax, in pane et aqua. Si detegatur mendacium ejus, et ille contendit, VII dies in pane et aqua. » Concil. Matisconense I, can. 5 : « Quod si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus aqua tantum et pane modico diebus singulis sustentetur. »

[i] *Qui falsum*, etc. Videre est in Regula S. Pachomii excusa, art. 86.

[j] *Sive de prioribus.* In Regula excusa : *Sive de priori loco.*

[k] *Qui habet pessimam*, etc. Hic incipit art. 87 ejusdem Regulæ excusæ.

fratres [a] suos sermone sollicitet, et pervertat [b] animas simpliciorum, tertio commonebitur : si contempserit, separabunt eum extra monasterium,[c] et verberabitur ante fores : dabuntque ei ad vescendum [d] foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus. [e] Qui habet consuetudinem murmurandi, et quasi gravi opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine causa murmuret, et ostendent perspicuam veritatem. Si et post hoc inobediens fuerit, et est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, ut unum de ægrotantibus, et ponetur in loco infirmorum, ibique [f] aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Sin autem justa est ejus querela, et a Majore inique opprimitur : qui eum scandalizaverit, eidem sententiæ subjacebit.

§ V. — *Item ejusdem.*

[g] Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus aut contradictor aut mendax, et est perfectæ ætatis, decies commonebitur, ut desistat a vitiis. Si audire noluerit, monasterii legibus increpabitur. [h] Quod si per alterius culpam ad hæc vitia [i] devolvuntur, et hoc fuerit comprobatum, ille qui causa exstitit, reus erit ultionis. [j] Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis et timoris Dei : si non cessaverit, [k] corripient eum, ut dignus est, correptione severissima.

§ VI. — *Item ejusdem.*

[l] Qui contemnunt præcepta majorum et regulas monasterii quæ Dei præcepto constitutæ sunt, et parvi pendunt seniorum consilia, corripientur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

§ VII. — *Item ejusdem.*

[m] Pueri si [n] in domo fuerint dediti lusibus, et otio, et correpti non potuerint emendari, debet [o] præpositus usque ad dies triginta ipsos monere et corripere : si viderit in pravitate persistere, et non nuntiaverit [p] Patri, et aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpæ subjacebit, juxta quod peccatum fuerit inventum.

§ VIII. — *Item ejusdem.*

[q] Qui conturbat fratrum animos, et facilis [r] ad loquendum est, lites ferens et jurgia, decies commonebitur. Et si non fuerit emendatus, corripietur [s] ordine monasterii, donec corrigatur.

[a] *Suos sermones.* Lege, *suo sermone*, ut in Regula excusa.

[b] *Animas.* In Regula excusa, *animos.*

[c] *Et verberabitur ante fores.* Lege, ut in Regula excusa : *Et verberabunt eum ante fores triginta novem.* Idem habetur art. 121 ejusdem Regulæ : *Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta novem verberabunt eum.* Et in utroque articulo subaudiendum τὸ *plagis;* ut sensus sit : Monachi verberabunt eum plagis triginta novem, juxta antiquum Judæorum morem, qui in ipsa flagellatione non excedebant numerum novem et triginta plagarum, ut videre est II ad Cor. cap. II, ubi S. Paulus ait se quinquies quadragenas una minus accepisse. Idque ita fiebat, quia Deuteronomii cap. XXV in ipsa flagellatione quadragenarum plagarum numerum excedere prohibetur. Hunc morem etiam Ecclesia servavit, ut videre est in concilio Matisconensi I, can. 8 : « Quod si quicunque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, etc. » In Regula S. Aureliani, cap. 41 : « Pro qualibet culpa si necesse est flagelli accipere disciplinam, nunquam numerus legitimus excedatur, id est, triginta et novem. » Eamdem rationem secutus est S. Cæsarius Arelatensis, ut scribit Cyprianus in ejus Vita, lib. I : « Solebat vero sanctus vir id accurate observare, ut nemo ex illis qui sibi parebant, sive illi servi essent, sive ingenui, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur. » Difficultas oritur ex D. Columbano qui, in Pœnitentiali, hunc plagarum numerum sæpe excedit : aliquando enim quinquaginta, aliquando centum, aliquando ducentis verberibus in monachos animadverti jubet. « Qui solus cum sola femina sine certis personis familiariter loquitur, maneat sine cibo vel duobus diebus in pane et aqua, vel ducentis plagis. Qui præsumit facere ambascias non permittente eodem qui præest, libera et effrenata processione, plagis inhibeatur. Operis peculiaris præsumptio, centum plagis. » Sed istæ plagæ simul non dabantur, sed tantum quinque et viginti, ut ipse S. Columbanus in eodem Pœnitentiali præcipit : « Et amplius viginti quinque percussiones simul non dentur. » Ita ut, exempli gratia, is qui quinquaginta plagis excipiendus esset, viginti quinque uno die acciperet, et viginti quinque altero. Quod etiam observabat S. Cæsarius Arelatensis in eos qui ob graviora delicta plusquam novem et triginta plagis cædendi erant, ut habetur in ejus Vita loco citato : « Si quis vero in gravi culpa deprehensus esset, permittebat quidem, ut post dies paucos iterum vapularet, sed paucis. »

[d] *Foris panem*, etc. Male omittitur in Regula excusa τὸ *foris*. Nam fuit mos Ægyptiorum monachorum, ut rei aliquando manerent extra monasterium aliquot diebus; de quo infra.

[e] *Qui habet consuetudinem.* Hic incipit articulus 88 Regulæ excusæ, ubi legitur : *Qui habet pessimam consuetudinem.*

[f] *Aletur otiosus.* Non ut laute curetur; sed ut pudore suffundatur ob ignaviam, et pectoris angustias.

[g] *Si inobediens quis fuerit*, etc. Exstat art. 89 Regulæ excusæ S. Pachomii.

[h] *Quod si per alterius culpam.* In Regula excusa legitur : *Quod si alterius culpa.*

[i] *Devolvuntur.* Lege, *devolvitur*, ut in Regula excusa. Hic locus citatur a Burchardo, lib. XVII, cap. 37, sub nomine Isidori; sed est sancti Pachomii.

[j] *Si deprehensus fuerit.* Hic incipit articulus 90 Regulæ excusæ. De puerorum amore infra dicetur.

[k] *Corripient eum.* In Regula excusa : *Corripietur.*

[l] *Qui contemnunt.* Reg. excusæ. art. 91.

[m] *Pueri si in domo*, etc. Exstat in Regula excusa, art. 96. Et sequenti articulo hæc de pueris qui ab officio deflectunt, statuuntur : « Omnes autem pueri qui non timent confundi pro peccato, et per impudentiam judicium Dei non cogitant, et correpti verbo non emendaverint, verberentur, quandiu disciplinam accipiant et timorem. »

[n] *In domo.* Id est, in classe, de qua sunt.

[o] *Præpositus.* Domus seu classis, de qua sunt hujusmodi pueri.

[p] *Patri* Monasterii, id est, abbati qui universo monasterio præest.

[q] *Qui conturbat*, etc. Reperire est in Regula edita, art. 93.

[r] *Ad loquendum.* In Regula excusa legitur, *ad detrahendum.*

[s] *Ordine monasterii.* Id est, juxta ordinationes et statuta monasterii.

§ IX. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 16).

Interrog. [a] Peccantem quomodo corripiemus, vel emendabimus? — *Resp.* Præceptum sicuti est a Domino dicente : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et argue eum inter te et ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si vero non te audierit, assume tecum alium vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si etiam ipse non audierit, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Si forte increpatio hæc, quæ a pluribus fit, eveniat ei in salutem : et sicut dicit Apostolus : *Argue, increpa,* [b] *consolare in omni patientia* (*II Tim.* IV). Et rursum : *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate; et non commisceamini cum eo sine dubio* [c] *ad mensam* (*II Thess.* II).

§ X. — *Item ejusdem* (*cap.* 22).

[d] Qui pœnituerit pro aliquo peccato, et rursus in hoc ipsum peccatum inciderit, quid faciet? Is qui semel deliquit et iterum in peccatum incurrit, indicare de se videtur hoc primum, quod ab illo peccato priori non fuerit expurgatus, ex quo velut a radice quadam pessimæ eadem, quæ antea, pullularunt. Sic est enim quasi quis arborum rames excidens, si radicem relinquit, ubi radix firma permanet, virgulta denuo ejusdem seminis germinabit, ita etiam peccatum. Quoniam non omnes qui delinquunt, ex his peccatis initium sumant, sed ex aliis interdum delicti occasio nascitur. Necessarium ergo ei est, qui vult omni modo purgare se a peccato primas ipsius causas culpæ succidere. Verbi gratia, si ex contentione vel ex invidia fuerit, non a se sumit exordium, [e] sed radicem habet ex arrogantia, et cupiditate humanæ gloriæ venientem. Dum enim gloriam quisque quærit ab hominibus, [f] aut contentionibus studet, aut recte agentibus invidet, huic scilicet per quem videtur ipse minus in laude, vel in admiratione haberi. Si quis ergo semel notatus fuerit invidiæ vel contentionis vitio, et rursum in hoc ipsum inciderit, sciat se primam illam causam, de qua supra diximus, ex qua invidia vel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergo eum et per contraria atque adversa curari, id est, per humilitatis exercitium.

§ XI. — *Item ejusdem* (*cap.* 17).

Interrog. [g] Si quis autem in parvis delictis affligere voluerit fratres, dicens, quia debetis pœnitere per singula, ne forte et ipse immisericors videatur, et dissolvere charitatem? — *Resp.* Cum affirmarit Dominus, *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege usquequo omnia fiant* (*Matth.* V), et rursum definierit : *Quia de omni sermone otioso, quemcunque locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii* (*Ibid.* XII), [h] nihil oportet tanquam parvum sperni. [i] *Qui* enim *spernit minima, paulatim pendo crescit,*

. . . viresque acquirit eundo

Ita S. Isidorus Pelusiota, epist. 17, l. V : Ἴσθι ὅτι ἕρπον τὸ δοκοῦν μικρὸν πταῖσμα εἶναι, εἰς μέγα ἕρπει κακόν; id est, « scito exiguum in specie vitium serpendo grandius fieri » Et S. Joan. Chrysostomus serm. 8 in I. Epistolam ad Corinthios : Ὁ γὰρ μικρὸν ἀποστάς, καὶ πολὺ προϊὼν ἀποστήσεται, etc., id est, « parum enim deficiens multum in progressu deficiet. Et enim si corpus gladio vulnus accipit, corrumpitur. Ædificium si parum dehiscit, dissolvitur. Si radix parum scinditur, inutilis est. Quare hoc parum non est parum, sed propemodum totum est. Cum igitur parum deliquerimus, vel torpuerimus, ne spernamus illud parum : quoniam id quod neglectum est, magnum fit. Sic vestimentum frangi incipiens, et neglectum, tandem omnino scinditur : et tectum cum paucæ tegulæ ceciderunt, neglectum integram domum pessumdat. Hæc igitur considerantes nunquam parva spernamus, ne in magna dilabamur. » Et sermone XII in Epistolam ad Romanos : Τὰ μικρὰ φύγωμεν κακά, τὰ γὰρ μεγάλα ἀπὸ τούτων τίκτεται. Ὁ γὰρ καθ' ἕκαστον ἁμάρτημα μαθὼν λέγειν, « οὐδὲν παρὰ τοῦτο; » κατὰ μικρὸν πάντα ἀπολεῖ, etc.; id est; « Parva fugiamus mala, magna enim ab his gignuntur. Qui enim in singulis peccatis novit dicere, *Quid tum postea?* brevi omnia perdet. Hoc enim malitiam introduxit, hoc portas latroni aperuit, hoc urbis muros dejecit, in singulis peccatis dicere, *Quid tum postea?* Sicut in corporibus maximi augentur morbi, cum parva spernuntur. Illud autem, *Quid tum postea?* erat loquendi formula eorum, qui modica spernebant, quam videre est etiam apud S. Isidorum Pelusiotam, epist. citata. »

[a] *Peccantem*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. 3 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 17. In textu Græco additur : ἢ μὴ ἐπιστρέφοντα πῶς ἔχειν χρὴ, id est, « vel erga eum qui non convertitur, quomodo se gerere oportet? »

[b] *Consolare.* Apud Rufinum : *Obsecra, consolare.* In textu Græco, παρακάλεσον, quod utrumque significat; sed unum horum sufficit, ut in versione communi, ubi est tantum, *obsecra.*

[c] *Ad mensam.* In Rufino excuso : *Ad mensæ participationem.* Sed textus Græcus Pauli aliter se habet : Καὶ μὴ συναμίγνυσθε αὐτῷ, ἵνα ἐν τραπῇ, id est, « et ne commisceamini cum illo, ut confundatur. » Sed legisse videtur Rufinus, ἐν τραπέζῃ, id est, in mensa.

[d] *Qui pœnituerit*, etc. Reperitur apud S. Basilium, interr. 289 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 22.

[e] *Sed radicem habet ex arrogantia et cupiditate*, etc. Lege, ut apud Rufinum : *Sed radicem habet arrogantiam ex cupiditate humanæ laudis venientem.* In textu Græco : Ἀπὸ ῥίζης τῆς φιλοδοξίας βλαστάνει, id est, « ab radice appetitus gloriæ pullulat. »

[f] *Aut contentionibus studet*, etc. Ita habetur apud Rufinum; sed parum deflectit a textu Græco : Ἐρίζει τῷ εὐδοκιμοῦντι, ἢ φθονεῖ παρευδοκιμοῦντι, id est, « contendit adversus eum, qui est in aliqua existimatione, vel invidet ei, a quo se videt fama superari. » Recte quidem; nam imprudentes atque invidi, ut scribit S. Isidorus Pelusiota lib. V, epist. 256 : Τὸ μῖσος τρέφουσιν οὐκ ἀφ' ὧν ὑδικήθησαν (ἧττον γὰρ ἂν ἦν ἴσως κακὸν) ἀλλ' ἀφ' ὧν τῆς κατ' ἀρετὴν εὐκλείας ἀπολειπάνονται; id est, « Alunt odium non erga eos a quibus affecti sunt injuria (minus enim id malum fortasse foret), sed a quibus virtutis gloria superantur. »

[g] *Si quis autem*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. IV Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 18.

[h] *Nihil oportet tanquam parvum sperni.* Exiguum vitium seu peccatum non spernendum, quia serpendo crescit,

. . . viresque acquirit eundo

Ita S. Isidorus Pelusiota, epist. 17, l. V : Ἴσθι ὅτι ἕρπον τὸ δοκοῦν μικρὸν πταῖσμα εἶναι, εἰς μέγα ἕρπει κακόν; id est, « scito exiguum in specie vitium serpendo grandius fieri » Et S. Joan. Chrysostomus serm. 8 in I. Epistolam ad Corinthios : Ὁ γὰρ μικρὸν ἀποστάς, καὶ πολὺ προϊὼν ἀποστήσεται, etc., id est, « parum enim deficiens multum in progressu deficiet. Et enim si corpus gladio vulnus accipit, corrumpitur. Ædificium si parum dehiscit, dissolvitur. Si radix parum scinditur, inutilis est. Quare hoc parum non est parum, sed propemodum totum est. Cum igitur parum deliquerimus, vel torpuerimus, ne spernamus illud parum : quoniam id quod neglectum est, magnum fit. Sic vestimentum frangi incipiens, et neglectum, tandem omnino scinditur : et tectum cum paucæ tegulæ ceciderunt, neglectum integram domum pessumdat. Hæc igitur considerantes nunquam parva spernamus, ne in magna dilabamur. » Et sermone XII in Epistolam ad Romanos : Τὰ μικρὰ φύγωμεν κακά, τὰ γὰρ μεγάλα ἀπὸ τούτων τίκτεται. Ὁ γὰρ καθ' ἕκαστον ἁμάρτημα μαθὼν λέγειν, « οὐδὲν παρὰ τοῦτο; » κατὰ μικρὸν πάντα ἀπολεῖ, etc.; id est; « Parva fugiamus mala, magna enim ab his gignuntur. Qui enim in singulis peccatis novit dicere, *Quid tum postea?* brevi omnia perdet. Hoc enim malitiam introduxit, hoc portas latroni aperuit, hoc urbis muros dejecit, in singulis peccatis dicere, *Quid tum postea?* Sicut in corporibus maximi augentur morbi, cum parva spernuntur. Illud autem, *Quid tum postea?* erat loquendi formula eorum, qui modica spernebant, quam videre est etiam apud S. Isidorum Pelusiotam, epist. citata. »

[i] *Qui enim spernit minima*, etc. In textu Græco S. Basilii non citatur hic locus Ecclesiastici, sed alius ex cap. XIII Proverbiorum, hoc modo : Ὃς καταφρονῶν πράγματος, φησὶ, καταφρονηθήσεται ὑπ' αὐτοῦ, id est, *qui contemnit rem*, inquit, *contemnetur ab ea.* In versione Septuaginta, habetur, ἐξ αὐτοῦ, id est,

defluit (*Eccl.* XIX). Sed et quomodo quis audebit breve dicere aut parvum delictum, cum Apostolus dicat, manifesteque definiat, quia per prævaricationem legis Deus exhonoratur (*Rom.* II). Sed et aculeus mortis peccatum esse dicitur : et non dixit tale peccatum, sed *omne peccatum* (*I Cor.* XIII). Magis ergo immisericors est qui intermittit et negligit quam ille qui arguit : sicut is qui in morsu serpentis permittit delitescere venenum, quam ille qui educit et attrahit. Sed et charitatem destruit ille qui, secundum quod scriptum est, *parcens baculo odit filium : qui autem diligit, diligenter corripit* (*Prov.* XIII).

§ XII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 16).

[a] Si quis in aliquo levi delicto titubans oberraverit, semel atque iterum admonendus est : qui si post secundam admonitionem a vitio nequaquam fuerit emendatus, congrua facti sui animadversione coerceatur. Peccantem nullus occultet : criminis est enim consensio post secundam admonitionem celare quempiam peccatorem. [b] Si quis sæpius peccantem viderit, prius hoc vel duobus demonstret fratribus, quorum testimonio possit convinci, si negaverit qui deliquit. Peccatum palam commissum palam est arguendum; ut dum manifeste peccans emendatur, hi qui eum in malo imitati sunt, corrigantur. Sicut enim unius delicto sæpe multi pereunt, ita unius emendatione plerumque multi salvantur. [c] Qui verbo in fratrem peccaverit, si saltem reminiscens ad veniam poscendum fuerit [d] inclinatus, percipiat ab eo indulgentiam, cui cognoscitur intulisse injuriam. Qui autem non petit, aut non ex animo postulat, [e] in collationem deductus juxta excessum injuriæ, congruæ subjaceat disciplinæ. Qui sibimet convicia objiciunt, si iterum invicem sibi celeriter laxando ignoscunt, hi jam ab alio judicandi non sunt : quia pariter sibi veniam dare festinaverunt : si tamen excedere in semetipsos frequentius non præsumant. Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet, quam expetit. Oretur igitur pro eo qui confessus est. Si levis culpa est, postulata indulgentia præbeatur.

§ XIII. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 17).

[f] Mendacem, furem, percussorem quoque et perjurum, quod Dei servum esse non decet, corripi primum a senioribus, verbis oportet, ut recedat a vitio. Post hæc [g] si [nec sic] emendare distulerit, tertio coram fratribus convenietur; ut desistat tantisper errare. Si nec sic emendaverit, flagelletur acerrime, [h] et trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens sub pœnitentiæ districtione solus [i] recludatur in cella] de vespere in vesperi ex hordeacei panis sex unciis, et aquæ mensura parvula sustentandus. [k] Ebriosus quis si repertus in cœnobio fuerit, superiori sententiæ subjacebit; sive is *qui* citra permissum abbatis, sive præpositi alicubi litteras destinaverit, vel ab alio destinatas acceperit.

§ XIV. — Ex Regula Orientali.

Cum vero inventa fuerit culpa, ille qui culpabilis invenitur, corripiatur ab abbate secretius. Quod si non sufficit ad emendationem, corripiatur a paucis senioribus. Quod si nec se emendaverit, castigetur in conspectu omnium. Quod si nec sic *emendaverit*, [l] excommunicetur, et [m] non manducet quidquam :

ex ea. in commun : *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.* In quibusdam exemplaribus legitur, *regi*, pro *rei*, sed male. In textu Hebræo : בז לדבר יחבל לו : *Baz ledavàr iachavel lo*, id est, « qui contemnit rem, obnoxius est ei, » nempe, ut det pœnas ob contemptum. Quidam exponunt : « Qui contemnit aliquid, corrumpetur propter ipsum. »

[a] *Si quis in aliquo levi*, etc. Exstat in Reg. S. Isidori edita, cap. 14.

[b] *Si quis sæpius.* Hic incipit cap. 15 ejusdem Regulæ editæ.

[c] *Qui verbo fratrem.* Hic incipit cap. 16 Regulæ editæ, ubi legitur : *Qui vero.* Rectius.

[d] *Inclinatus.* Id est, ejus provolutus genibus.

[e] *In collationem.* Collatio est consessus monachorum, in quo abbas monachos docet, et hortatur, fratrum culpæ corriguntur, et ea quæ sunt e re monasterii, tractantur. S. Isidorus cap. 7 Regulæ : « Ad audiendum in collatione Patrem tribus in hebdomada vicibus fratres post celebrationem Tertiæ dato signo ad collectam conveniant; audiant dicentem seniorem instruentem cunctos salutaribus præceptis; audiant Patrem studio summo et silentio, intentionem animorum suorum suspiriis et gemitibus demonstrantes. Ipsa quoque collatio erit vel pro corrigendis vitiis instruendisque moribus, vel pro reliquis causis ad utilitatem cœnobii pertinentibus. » Idem Isidorus, libr. II de Officiis eccl., cap. 15 : « Item conveniunt singulis diebus interpositis, dum adhuc jejuni sunt, in collatione ad audiendum Patrem. Audiunt autem cum incredibili studio, summo silentio, affectuque animorum suorum singulis diebus interpositis. » Id est, alternis diebus, seu ter in hebdomade, ut in citato loco Regulæ habetur.

[f] *Mendacem*, etc. Habetur in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass., cap. 16, et in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiæ. Ita in mendacem animadvertit S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Si dixerit mendacium nesciens, I verbera; sciens et audax, in pane et aqua. »

[g] *Si nec sic emendare distulerit.* Ita in Reg. ms. Sed particulæ, *nec sic*, redundant. Apud Smaragdum legitur : *Si nec sic emendaverit.*

[h] *Et trium mensium.* Olim determinatum erat excommunicationis tempus, de quo infra.

[i] *Recludatur in cella.* Juxta antiquum morem, de quo infra.

[j] *De vespere*, etc. Ita S. Isidorus, cap. 18 Regulæ suæ : « Certe si plurimorum dierum illata fuerit excommunicationis suspensio, sola panis et aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio. »

[k] *Ebriosus quis*, etc. Hunc locum ex S. Fructuosi verbis sic proferunt Burchardus libr. XIV, cap. 9, et Ivo Carnotensis, cap. 15. Decreti cap. 77 : « Si quis ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus, repertus fuerit ebriosus, in pane et aqua, tribus mensibus pœniteat. »

[l] *Excommunicetur.* Excommunicatio hæc non est illa major, quæ divinis officiis, sacramentorum usu, etc., aliquem excludit. Nam postea pervicacem et contumacem majori excommunicatione ferit. Sed est quædam excommunicatio improprie dicta, qua aliquis ad mensæ communis participationem non admittitur.

[m] *Non manducet quidquam.* Nempe hora, qua fratres reficiunt : sed de his infra.

cui si nec hoc profuerit, postremus inter omnes ordine ponatur. Quod si in pravitate perseverat, etiam [a] psallendi facultas ei auferatur. Quem si vel hæc confusio non commoverit, abstineat a conventu fratrum : ita ut nec mensæ, nec [b] missæ intersit, neque cum eo ullus frater de junioribus colloquatur. Abstinebit autem tandiu, quandiu vel qualitas culpæ poposcerit secundum abbatis vel seniorum arbitrium, vel se ex corde pro culpa pœnitens humiliaverit, et veniam erroris sui omnibus præsentibus petierit. [c] Quod si in fratrem peccaverit, etiam ab eo fratre veniam petat, cui injuriam fecit.

§ XV. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 19).

[d] Si quis vero frater instigante diabolo contumax, vel superbus, seu inobediens, vel murmurans apparuerit; vel etiam in quocunque casu lapsus seniorum præcepta vel sanctæ Regulæ normam violare tentaverit, hic secundum præceptum Domini secreto a senioribus [e] semel ab his corripiatur (*Matth.* XVIII). Si emendare noluerit, tunc simul ab omni congregatione objurgetur : et si sic emendare noluerit, tunc prout culpæ magnitudo poposcerit, secundum Regulam judicetur, id est, aut excommunicationi subjaceat, [f] si ejus antea intellectus viguit : aut si obstinatæ et duræ mentis tenacitas [g] culpæ, et improbitas perseveret, tunc corporali disciplinæ subjacebit.

§ XVI. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 31).

[h] Lites nullas habeatis, secundum illud Apostoli : *Servum Dei non oportet litigare* (*II Tim.* II). Et illud : [i] *Abstine te a lite, et minues peccata* (*Eccl.* II, 8). Aut si fuerint, quam celerius minuantur, ne ira crescat in odium, et festuca convertatur in trabem, et efficiatur anima homicida. Sic enim legitis : *Qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III). Et : *Levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II). Quicunque convicio, vel maledicto, vel etiam [j] criminis objectu læserit fratrem suum, [k] meminerit culpam satisfactione purgare. Quod vitium si iterare præsumpserit, districtione severissima feriatur, usquequo per satisfactionem recipi mereatur. Juniores præcipue senioribus deferant.

§ XVII. — Ex Regula sancti Columbani.

[l] Qui peccatum pudendum [m] alicubi exprobrat, [n] priusquam inter semetipsum solum [o] arguat,] sicut Dominus dicit (*Matth.* XVIII), corripiatur, donec exprobrato satisfaciat; et tribus diebus in pane et aqua pœniteat.

§ XVIII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 32).

Interrog. [p] Si oportet peccantibus fratribus silere, et acquiescere? — *Resp.* Quia non oportet, manifestum est ex ipsius Domini præceptis, quibus in Veteri quidem Testamento dicit : [q] *Argue proximum tuum, et non assumes ex eo peccatum* (*Lev.* XIX). In Evangelio autem dicit : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum, inter te et ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum : si vero non audierit, assume adhuc tecum alium unum, aut duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si autem et ipsos non audierit, dic Ecclesiæ. Si vero nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Quantum sit [r] crimen hujus peccati dignoscitur : primum quidem ex sententia Domini, quæ dicit : [s] *Quia qui incredulus filio fuerit, non* [t] *habebit* [u] *vitam æternam; sed ira Dei manet in eo.* (*Joan.* III). Tunc deinde ex historiis, quæ in Veteri Testamento, sive Novo referuntur. Nam [v] Achar ille,

[a] *Psallendi facultas ei auferatur.* Id est, non imponat psalmum, aut antiphonam in choro, ut infra videtur. Nam hic non privatur officio divino : sed postea duntaxat, si ultra perseveret in malitia.

[b] *Missæ.* Hoc loco missa sumitur tam pro sacrificio corporis et sanguinis Christi, quam pro cursu officii divini canonico, quibus arcetur qui majorem excommunicationem incurrit.

[c] *Quod si in fratrem peccaverit*, etc. Ita S. Augustinus in epist. 109, et S. Cæsarius infra a nostro auctore citatus.

[d] *Si quis vero frater*, etc. Hæc refert Smaragdus hoc capite, quæ sane sumpta sunt ex Regula S. P. Benedicti.

[e] *Semel ab his.* Male, ut apud Smaragdum, apud quem legitur : *Semel verbis.* Sed legendum : *Semel ac bis*, ut in codice Vindocinensi, juxta Regulam S. Benedicti quam hic Pater sequitur; ubi habetur : *Admoneatur semel ac secundo secrete a senioribus suis.*

[f] *Si ejus antea intellectus viguit.* Id est, ut loquitur S. Benedictus. *Si intelligit qualis sit pœna*, nempe excommunicatio.

[g] *Culpæ.* Hoc vocabulum videtur redundare. Aut leg., *Et culpæ improbitas.*

[h] *Lites nullas habeatis*, etc. Hæc habentur in Regula S. Cæsarii excusa, eodem cap. 31, et fere sumpta sunt ex epist. S. Augustini 109.

[i] *Abstine te a lite*, etc. Hic textus non est in Regula S. Cæsarii edita.

[j] *Criminis objectu.* Ita in epist. S. Augustini citata, et in ejus Regula. In Regula excusa S. Cæsarii legitur : *Crimine objecto.*

[k] *Meminerit culpam satisfactione purgari.* Ita in Regula S. Cæsarii excusa. In epist. S. Augustini ejusque Regula : *Meminerit quantocius satisfactione curare quod fecit.*

[l] *Qui peccatum*, etc. Ex Pœnitentiali ms. S. Columbani.

[m] *Alicubi.* Lege, *Alicui*, ut in citato Pœnitentiali cod. Flor.

[n] *Priusquam.* Lege, *Prius.*

[o] *Arguat.* Hoc verbum videtur redundare.

[p] *Si oportet*, etc. Exstat apud S. Basilium inter. 47 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 63.

[q] *Argue proximum tuum.* Levit. XIX : Ἔλεγμῷ ἐλέγξεις τὸν πλησίον σου, etc., id est, « correptione corripies proximum tuum. » In versione communi : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum; nec habeas super illo peccatum.*

[r] *Crimen.* Ita apud Rufinum. In textu Græco, κρίμα, id est, judicium; rectius.

[s] *Quia qui incredulus.* Τὸ *quia* redundat : nec exstat apud S. Basilium, nec apud Rufinum, nec in textu Evangelii.

[t] *Habebit.* Ita apud Rufinum. In textu Græco S. Joannis est, ὄψεται, id est, videbit.

[u] *Vitam æternam.* Ita apud Rufinum; sed in textu Græco Evangelii non est : *αἰώνιον*, id est, æternam.

[v] *Achar.* Ita in textu Græco S. Basilii, ita apud S. Antiochum hom. 41 : Ἄχαρ παραβάτης νόμου, id est, « Achar prævaricator legis, » et cæteros Patres Græcos, qui sequuntur Septuaginta interpretes, apud quos habetur Ἀχαρ. Apud Rufinum, et in Vulgata interpretatione est, *Achan*, juxta textum Hebraicum Josu. VII : עָכָן, *Achan*.

[quí] cum furatus esset regulam auream, super omnem populum, facta est ira Dei. Et quidem populus peccatum quod commiserat, ignorabat, usquequo [a] manifestatum est : et pertulit cum omni domo sua horrendum illum et famosissimum interitum (*Jos.* VII). Sed et Heli sacerdos, et quidem cum non siluisset peccantibus filiis qui erant filii pestilentiæ, imo et frequenter commonens et castigans dixit : *Nolite, filii, non bona audio de vobis*, etc. (*I Reg.* II). Qui cum peccatum argueret, et Dei judicium commoneret, tamen quoniam non vindicavit, neque digno zelo Dei adversus eos motus est, in tantum iracundiam Dei provocavit, ut etiam universus populus cum filiis suis exstingueretur, et arca testamenti ab alienigenis raperetur, et ipse insuper omnibus subversis miseranda morte corrueret. Quod si in populum ignorantem, vel de unius peccato, vel in patrem qui corripuerat et commonerat filios pro peccato, tanta Dei ira incensa est, quid sperandum est de his qui cognoscunt aliorum delicta, et reticent, nec qualemcunque adhibent correptionem? Quos utique convenerat observare illud, quod Apostolus ad Corinthios dicit : *Quare non potius luctum habuistis, ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit* (*II Cor.* V)? et illud : *Ecce enim et hoc ipsum secundum Deum contristari quantam operatum est in nobis sollicitudinem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* (*II Cor.* VII)? Unde et metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus interitum sumant, hi qui similiter negligunt : imo et tanto gravius, quanto spernere legem Christi perniciosius est quam legem Moysis. Et his competit illud aptari quod dixit : *Septies vindicatum est de Cain, de Lamech vero septuagies septies* (*Gen.* II),

§ XIX. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 24).

[b] Si post admonitionem iterum vel alio quocunque die id ipsum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque potuerit hoc invenire, prius tamen et alteri vel tertio [c] hanc petulantiam oculi demonstratam, ut duorum vel trium possit ore convinci, et competenti [se] veritate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. [d] Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, deperire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret [e] sanari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo magis debes manifestare, ne [f] perniciosius putrescat in corde. Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi : ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc [g] nescienti adhibendi sunt alii; ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus et tribus convinci. Convictus vero secundum præpositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam : quam si ferre non curaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer : ne contagione pestifera plurimos perdat.

§ XX. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 36).

Si quis alterum viderit illicitum quidquam vel sermone vel opere facientem, et priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutriorem peccati, et per omnia æqualem peccanti : quia et animæ suæ et illi est quem tegit durissimus inimicus. Ex hoc apud Deum, qui mala odit, et apud cunctam fraternitatem exsecrabilis, et infidelis habebitur : quia per abundantiam malitiæ noluit prodere, ut corrigere posset errantem : et odio disciplinæ dilexit malitiam; et astitit omni viæ non bonæ.

[a] *Manifestatum est.* Ita apud Rufinum. In nostra Concordia ms. *Manifestum est;* sed lege : *Manifestatus est.* Nam in textu Græco legitur : Μέχρις ἐφανερώθη ὁ προειρημένος, id est, « usque dum prædictus manifestatus est, » nempe *Achar*, seu *Achan*.

[b] *Si post admonitionem*, etc. Hæc habentur in epist. S. Augustini 109, et in ejusdem Regula, quæ ex eadem epistola collecta est, cap. 23.

[c] *Hanc petulantiam oculi demonstratam.* Lege : *Hanc petulantiam oculi demonstret :* sed hæc verba : *Hanc petulantiam oculi*, sunt in præcedenti periodo tum epistolæ, tum Regulæ. Itaque in Regula edita legitur : *Prius tamen vel alteri vel tertio demonstrandum.* Hic autem S. Augustinus petulantiam et lasciviam oculorum maxime proscribit, ob mala quæ ex immoderato et lascivo aspectu manant : nam

Oculi sunt in amore duces.

Pudorque, et verecundia cito effluunt, si libera sit oculis quocunque vagandi facultas : quibus ideo natura cilia, et palpebras tanquam virginibus vela providit, ut facile pudorem suum servent, eorumque pupillas Græci κόρας, id est, virgines appellarunt, ut notat S. Isidorus Pelusiota, libr. V, epist. 46 et 146; et S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni, Dial. 4, cum ait : Παρθενεύειν οὖν χρὴ τὰς κόρας ὀφθαλμῶν ἰσωνυμίαν τῶν παρθένων τετιμημένας, id est, « Oportet igitur pupillas oculorum virgines esse, quæ idem nominis ornamentum sortitæ sunt cum virginibus. » Si qui ergo aliquam pulchritudinem conspexerint, erubescant, vela trahant, in terram veluti matrem suam aspiciant, quæ doceat eos οὐ μόνον τὴν ἡμετέραν φύσιν, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ ὀφθὶν κάλλος ἐξ αὐτῆς ἔνθασε, καὶ εἰς αὐτὴν ὑποστρέψει μαρανθησόμενον, id est, « non nostram modo naturam, sed et spectatam illam venustatem ex ipsa effluxisse, et rursus marcescentem in illam redituram, » inquit idem S. Isidorus epist. 146.

[d] *Magis quippe innocentes non estis.* Idem ferme supra dixit S. Basilius, interr. 40 Regul. Brev.

[e] *Sanari.* Lege : *secari*, ut in epist. S. Augustini.

[f] *Perniciosius.* Ita in epist. S. Augustini et apud Smaragdum. In Regula legitur, *deterius.*

[g] *Nescienti.* Lege *neganti*, ut in ep. S. Augustini, Regula, et apud Smaragdum.

CAPUT XXXI.

QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Secundum modum culpæ excommunicationis vel [b] disciplinæ debet extendi mensura. [c] Qui culparum modus in abbatis pendet judicio. Si quis tamen frater [d] in levioribus culpis invenitur [e] a mensæ participatione privetur. Privati autem a mensæ consortio ista erit ratio, [f] ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus percipiat, ut [g] si, verbi gratia, fratres sexta hora, ille frater nona; [h] si fratres nona, ille frater vespera, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 4).

[i] Si quis autem murmuraverit vel contentiosus exstiterit, aut opponens [j] in alio contrariam voluntatem præceptis, digne correptus tandiu [k] abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit. Correptus autem [l] non audeat usquam recedere.

§ III. — Ex Præceptis et Institutis sancti Pachomii (*cap.* 8).

[m] Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus 5, et aget pœnitentiam publice [n] in collecta, stabitque [o] in vescendi loco.

§ IV. — *Item ejusdem* (*art.* 3).

Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens et contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ V. — *Ex libro Institutionum.*

[p] Si quis igitur [q] gillonem fictilem, quem illi

[a] *Secundum modum culpæ*, etc. Hoc caput profertur ab Ivone Carnotensi, p. 13 Decreti, cap. 73.

[b] *Disciplinæ.* Id est, vindictæ, pœnæ, supplicii.

[c] *Qui culparum modus in abbatis pendet judicio.* Nam in qualibet culpa et in ejus animadversione multa sunt consideranda : rei gravitas aut levitas, aliæque ejus circumstantiæ; personæ ætas et conditio; si senex, si puer, si adolescens, si juvenis, si robustus, aut debilis. Nam eadem pœna, ob idem peccatum inflicta, juveni et robusto erit facilis et tolerabilis, quæ seni et imbecillo difficilis erit admodum et vix tolerabilis; et robustus punietur juxta modum culpæ, imbecillus vero ultra modum. Considerandum est etiam si servus, si ingenuus, si vili loco, si honesto, vel nobili natus, si levis, si petulans, si humilis aut superbus, etc.

[d] *In levioribus culpis.* In Decreto Ivonis, cap. supra citato, additur τὸ *culpabilis.*

[e] *A mensæ participatione privetur.* Ejusmodi exclusio a mensa ob delicta videtur etiam in Regula S. Cæsarii, cap. 11 : « Quæ aliquid ex his quæ jubentur implere noluerit, a communione orationis, vel a mensa secundum qualitatem culpæ sequestratur. » Dicit, *secundum qualitatem culpæ;* ut sit in graviori, *a communione orationis;* in leviori, *a mensa equestratio.* Hæc autem privatio a mensa communi ita enim intelligendum est) in Regula S. Benedicti nullam prorsus excommunicationem involvit, ne quidem minorem illam theologorum qua quis excluditur participatione sacramentorum et quibusdam aliis, sed est tantum quædam pœna quæ ob leves culpas infligitur.

[f] *Ut in oratorio psalmum vel antiphonam non imponat.* Ac proinde missam conventualem, ut vocant, non celebret. Potest tamen privatam celebrare. Quia hæc pœna non prohibet monachum sacramentorum perceptione, cum nullo modo fit excommunicatio.

[g] *Si fratres hora sexta*, etc. Ita Magister in Regula ms. : « Si fratres sexta reficiant, ille ad horam nonam. »

[h] *Si fratres nona*, etc. Idem statuit Magister in Regula ms. : « Si inculpabiles fratres hora nona reciant, illius supradicti refectio protrahatur in vesperam. »

[i] *Si quis autem*, etc. Hæc habentur in prima Regula Patrum ms. cod. Flor., cujus initium est : *Cum residerem in unum in nomine Domini nostri*, etc. Quæ etiam exstat in vetusto codice ms. bibliothecæ Corbeiensis, cujus titulus est, *Incipiunt statuta Patrum.* Initium vero : *Residentibus nobis in unum in nomine Domini nostri.* Hoc etiam capitulum exstat in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiæ edito Coloniæ.

[j] *In alio.* Ita in cod. Flor. Sed lege, *in aliquo*, ut in cod. Corbeiensi. In libello CXIV Sententiarum legitur, *in aliqua contraria voluntate.* Male.

[k] *Abstineat.* Lege *abstineatur*, ut in cod Flor. et Corb. et in lib. CXIV Sent., id est excommunicetur. Nam abstinere, et abstinere communicatione, idem est ac excommunicare, ut patet ex epist. Caldonii, quæ est 39 inter epist. S. Cypriani : *Item abstinuimus Sophronium;* et supra : *Abstinuimus communicatione Felicissimum.* Et excommunicatus dicitur *abstentus.* S. Cyprianus epist. 38 : *ut abstentum se a nobis sciat.* Et epist. 55.

[l] *Non audeat usquam procedere.* Nempe a loco sibi assignato ab abbate, ubi pœnitentiam agat. Sed lege *uspiam.*

[m] *Si quis tulerit*, etc. Exstat in Regula sancti Pachomii excusa, art. 121.

[n] *In collecta.* Collecta in Regula S. Pachomii est synaxis officii divini. Estque duplex : major, cum omnes fratres simul congregati officium divinum persolvebant in oratorio; minor, quæ in singulis classibus seu domibus a fratribus ejusdem classis seu domus in ipsis domibus fiebat. Art. 107 Regulæ S. Pachomii : » Sex orationes facient vespertinas juxta exemplum majoris collectæ, in qua omnes fratres pariter congregantur. » Art. 126 : « Per domos singulas vesperi orationes psalmosque complebunt juxta ordinem majoris collectæ, quæ a cunctis fratribus in commune celebratur. » Sumitur etiam collecta pro collatione, de qua supra actum est. Eadem Regula, cap. 113 : « Quomodo collecta fieri debeat, et fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei juxta præcepta majorum et doctrinam sanctarum Scripturarum. »

[o] *In loco vescendi.* Id est, in refectorio, ut art. 2 ejusdem Regulæ : « Et vescendi loco, ordine corripietur. » Sed hic locus corruptus est, et legendum : *Ordine monasterii*, etc., ut art. 104, *monasterii ordine increpabitur.* Et art. 93 : « Corripietur ordine monasterii, donec corrigatur. » Id est, juxta ordinationes et statuta monasterii.

[p] *Si quis gillonem*, etc. Hæc sunt apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 16, ex quo multa exscripsit S. Columbanus sub finem sui Pœnitentialis, et S. Isidorus cap. 17 suæ Regulæ.

[q] *Gillonem.* Gillo seu gello est aquale. Glossæ ve-

[a] baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam quam publica diluet pœnitentia; cunctisque in synaxi fratribus congregatis tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus veniam, cum jussus fuerit abbatis judicio solo surgere. Eodem modo satisfaciat quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardius accesserit, aut si decantans psalmum vel modicum titubaverit; similiter si superflue, si durius, si contumacius responderit; si vel leviter murmuraverit; si negligentius obsequia injuncta compleverit; si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segnius fuerit exsecutus; si dimissa synaxi non concitam ad cellam recurrere festinaverit; si cum aliquo vel ad modicum substiterit; si ad punctum temporis uspiam recesserit; [b] si alterius manum tenuerit; si cum illo qui cellæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit; si oraverit cum illo qui ab oratione suspensus; si parentum quempiam vel amicorum sæcularium viderit, vel collocutus eis sine suo seniore fuerit; si epistolam cujuscunque suscipere vel rescribere sine suo abbate tentaverit. Hucusque et in hujusmodi ac similibus admissis procedit animadversio spiritalis. Residua vero apud nos indifferenter admissa a nobis quoque reprehensibilius sustinentur. Id est, aperta vitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera et effrenata processio, [c] familiaritas apud feminas, iræ, rixæ, [d] simulationes et jurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ a cæteris fratribus non habentur; extraordinaria ac furtiva cibi refectio. Hæc et his similia non illa [e] increpatione, quam diximus, spiritali, sed vel plagis emendantur, vel [f] expulsione purgantur.

§ VI. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 70).

Interrog. [g] Si injunctum fuit aliquid fratri et contradixerit, postea autem sponte [h] abierit, quid est? — *Resp.* In eo quod contradixit, quasi non obtemperans judicandus est, et velut cæteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium quæ dicit: [i] *Contradictiones suscitat omnis malus: Dominus autem*

teres: ποδόκοιλον, *aquale, gello.* Mentio fit in glossis Isidori mox citandis, et in Catalectis.

Augustum penitus torret Phaëthontius ardor
Quem recreat fessum gillo, facella, melo.

Hinc gillonarii lib. II legis Wisigothorum, tit. 4, l. 4, qui gillonum curam habent.

[a] *Baucalem.* Glossæ Isidori: *Baucalem, gillonem.* Eædem glossæ: *Gillonem, baucalem.* Glossæ Benedicti: *Gillo, βαυκάλιον.* Mentio fit apud Joannem Moschum, cap. 19 Prati spiritalis: Δός μοι ὀλίγον ὕδωρ κἀγὼ ἐξενέγκας τὸ βαυκάλιόν μου δίδωκα αὐτῷ, id est, « Da mihi pauxillum aquæ. Et ego afferens baucalem meum dedi ei. »

[b] *Si alterius tenuerit manum.* Optima institutio. Nam ejusmodi attrectationes fomitem libidini subministrant; quas etiam vetat S. Pachomius art. 53 suæ Regulæ: « Manum alterius nemo teneat; sive ambulaverit, sive sederit, aut steterit, uno cubito distet ab altero.

[c] *Familiaritas apud feminas.* Hanc cum mulieribus familiaritatem etiam inter gravia monachorum peccata recenset S. Isidorus, cap. 17 Regulæ suæ: « Graviori autem culpæ obnoxius est si temulentus quisquam fuerit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris. » Quod sane attentius considerent nonnulli monachi, qui nescio quo prætextu familiariter cum mulieribus confabulantur. Ex quo sane se omni pudore et verecundia vacuos esse manifestant. Nam, ut ait præclare Tertullianus, lib. de velandis Virginibus: « Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si a viro visa est. » Quam labem monasteriis attulerit pruriens hæc cum mulierculis colloquendi impetigo, horrendum dictu est. Nec mirum. Nam, ut scribit S. Basilius, lib. de vera Virginitate: Μάλαγμα ἡδονῆς ἀρρένι θῆλυ. Id est, « Viro mulier est voluptatis illex. » Et, ut recte monet S. Leander, lib. de Institutione virginum: « Dispar sexus in unum locatus eo titillatur instinctu, quo nascitur et naturalis movetur flamma, si incomposita attigerit. Quis colligavit ignem in sinu suo, et non comburetur? ignis et stupa sibi utraque contraria in unum redacta flammas nutriunt: viri sexus et feminæ diversus si conjungitur, quo lex naturæ provocat, commovetur. » Unde poeta:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Femina. . . . .

Et sapienter admodum sanctus Antiochus, homil. II: Ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ λύχνου λαμπάδα τρέφει ἔλαιον, οὕτω καὶ τὸν τῆς ἡδονῆς πύρσον ἐξάπτει ἡ γυναικὸς συντυχία. Id est, « Quemadmodum lucernæ fulgorem oleum nutrit, ita facem libidinis accendit mulieris conversatio. » Quod si ita est, quanto periculo objicit animam is qui frequens adesse mulierum cœtibus non pertimescit?

[d] *Simulationes.* Lege, *simultates*, ut apud Cassianum. Et hic est synonymia.

[e] *Increpatio spiritalis.* Hoc loco *increpatio* spiritalis est qua monachus palam humiliatur et pudore perfunditur, quod fit publica pœnitentia, prostratione, rectoris objurgatione et similibus.

[f] *Expulsione purgentur.* Expulsio ista erat tantum ad certos quosdam dies, in quibus monachus coërcebatur ante fores monasterii manere separatus a consortio fratrum, ad sui purgationem. Quæ quidem ad purgationem non valeret, si esset omnimoda rejectio. Id etiam planum est ex Regula S. Pachomii art. 87: « Qui habet pessimam consuetudinem sollicitet fratres suos sermone simpliciorum; tertio commonebitur: si contemnerit et obstinato animo in duritia perseveraverit, parabunt eum extra monasterium, et verberabitur ante fores, dabuntque ei ad vescendum foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus. » Juxta quam dicem nostræ Concordiæ, ut supra notatum est. Et art. 121 ejusdem Regulæ: « Si autem in furto [illegible] rit deprehensus triginta novem (plagis) verberabitur eum, et foris dabunt ei edere panem et aquam tantum, » etc. Id etiam clarum est ex Pœnitentiali S. Columbani: « Qui transgreditur Regulam [illegible] nis vel disciplinæ generalis, maneat expulsus a cibo, ut in crastinum recipiatur. » Et ita capite sunt duo loci ejusdem Pœnitentialis: « Qui præpositum suum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, foras repellendus est, nisi ipse dicat: Peccame quod feci. » Et paulo post: « Verbosusque et turnitate damnandus est, inquietus mansuetus gulosus jejunio, somnolentus vigilia, superbus cere, destitutor repulsione. »

[g] *Si injunctum fuerit*, etc. Habetur apud S. Basilium interr. 38 Regul. brev., et apud Rufinum cap. 42.

[h] *Abierit.* Ad faciendum opus injunctum.

[i] *Contradictiones*, etc. Prov. XVII juxta Sep-

tem angelum immisericordem [a] *immittit ei* (*Prov.* xvii). Cum autem certum sit quia non homini obtemperat, sed Domino dicenti, *Qui audit vos, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Si compunctus est recordatione mandati, prius satisfaciat; et ita (si permittitur) impleat quod injunctum est.

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 71).

Interrog. [b] Si obediens quis murmuret? — *Resp.* Apostolo dicente : *Omnia facite sine murmuratione et hæsitationibus* (*Phil.* ii). [c] Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat; et opus ejus abjiciatur. Manifestum est enim, ille qualis est, quia infidelitate ægrotat, certam futuræ spei fiduciam non gerit.

§ VIII. — *Item ejusdem* [d] (*cap.* 194).

Interrog. Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum qui delinquunt? — *Resp.* Hoc sit in judicio eorum qui præsunt, vel quali modo corripi debeant : quia et ætas et eruditio multam habere facit differentiam pœnæ.

§ IX. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (cap. 17).

[e] Delicta autem levia sunt, aut gravia. Levioris culpæ reus est, qui otiosus esse dilexerit; qui ad officium vel collationem, vel ad mensam tardius venerit, [f] qui, in choro riserit, [g] fabulisque vacaverit; qui, relicto officio vel opere extra necessitatis causam, foris discesserit; qui torporem, aut somnum amaverit; qui sæpius juraverit; qui multiloquus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit; qui injunctum opus negligenter, vel tardius expleverit; A qui casu vas aliquod fregerit; qui damnum rei parvæ intulerit; [h] qui codice negligenter usus fuerit; qui alicubi ad momentum secesserit; qui litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultaverit, sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum seu sæcularium sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus fuerit; qui seniori inobediens fuerit; qui contumaciter seniori responderit; qui erga seniorem linguam non represserit, qui lascivus in lingua fuerit; qui inhoneste incesserit; [i] qui jocaverit, qui satis riserit; qui cum excommunicato locutus fuerit; oraverit, comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Hæc igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt.

B Gravioris autem culpæ obnoxius est, si turbulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ et erectæ cervicis, si mente tumidus, si jactanti incessu immoderatus, si detractor, susurro, vel invidus, si præsumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatur, si aliquid præter regularem dispensationem superfluum possideat, si fraudator rei acceptæ vel commissæ sibi, aut minus commissæ, inter hæc si se de rebus secum allatis extulerit, [i] vel de eis per inobedientiam murmuraverit, si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit, si falsum dixerit, si contentiones et rixas amaverit, si manifestum convitium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine C maculaverit, si contumaci animo seniorem despe-

ginta. In versione communi paulo aliter : *Semper purgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum*, juxta textum Hebraicum.

[a] *Immittit.* Ita apud S. Basilium, ἐπιπέμπει, in præsenti; apud Septuaginta ἐκπεμψει, in futuro.

[b] *Si obediens*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. 8 æqu. et apud Rufinum cap. eodem.

[c] *Alienus sit.* Ita apud Rufinum. In textu Græco legitur, ἀπηλλοτρίωται. Sed legendum puto : ἀπαλλοτριούσθω, id est, abalienetur, vel alienus sit, juxta nostram emendationem. Nam hic pœna decernitur in murmurantem, nempe a fratrum societate separatio.

[d] Non exstat apud S. Basil. nec apud Rufinum.

[e] *Delicta autem*, etc. Hæc reperire est in Regula edita S. Isidori, cap. 17; sed fere sumpta sunt ex capite supra citato Cassiani.

[f] *Qui in choro riserit.* Hunc in choro risum ita coercendum censuit S. Pachomius art. 1 Regulæ suæ : « Si acciderit, ut psallendi tempore, vel oranti, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat; solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint. » Adversus eos qui in ecclesia rident, invenitur S. Joannes Chrysostomus serm. 15 in epist. ad Hebræos.

[g] *Fabulisque vacaverit.* Quam sit utile in ecclesia tacere, at contra quam sit indignum omni homine Christiano et sancto vacare ibi fabulis, prædicare docet S. Ambrosius, lib. iii de Virginibus : Maxima est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas; » et paulo post : « An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur : circumsonari sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant? Unde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum rege puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu (*Val. Max. l.* iii, *cap.* 3). Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret; atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui si idem ignis contigisset, arsissent? » Et paulo post : « Frequens sermo est cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi : tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reverentiam recognoscit quod per naturam ignorat : hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? »

[h] *Qui codice negligenter usus fuerit.* Ita in Regula excusa, sed apud Smaragdum corrupte legitur : *Qui quotidie negligenter visus fuerit.*

[i] *Qui jocaverit.* Joca et facetiæ monacho vitanda sunt. Oportet enim eum esse γλυκὺν ἐν ταῖς ὁμιλίαις, οὐ διὰ τῆς εὐτραπελίας τὸ ἡδὺ θηρώμενον, id est, « suavem in conversatione, nec facetosis sermonibus jucunditatem venari, » inquit S. Basilius epist. ad S. Gregorium Theologum. Vide supra ad caput de Taciturnitate.

[i] *Vel de eis.* Sibi ablatis.

xerit, si rancorem adversus fratrem tenuerit, si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit, si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum præpositi vel abbatis discedens medio die, vel amplius commoratus fuerit, si, ut otiosus sit, falsam infirmitatem prætenderit. Hæc et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione [a] purganda sunt; ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur.

§ X. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 15).

[b] Clamosum in locutione monachum, aut iracundum, ridiculosum, subsannatorem sive detractorem esse non decet. Qui ejusmodi est, et sæpe castigatus, non fuerit emendatus, flagellis verberibusque curandus est, et acriter emendandus, crebraque curiositate et industria reducendus. Lascivus, petulans et superbus sæpius suspendatur a cibo, et biduanis sive triduanis maceretur inediis, operisque adjectione conficiatur : sermone et colloquio castigetur. Si ista perpessus sæpe, minime fuerit correctus, plagis emendetur instantius, reclusionibus diutinæ coarctetur angustiis, [c] brevissime panis et aquæ esu sustentandus, donec se spondeat a vitio recessurum. Inobedientem, murmuratorem, contradictorem, sive furtivis comestionibus atque [d] bibitionibus vacantem supra scripta coercebit sententia : et in omnibus omnino monachorum [e] excessionibus congrua animadversio adhibenda est secundum abbatis et seniorum judicium conveniens negligentiæ, ætati, sive personæ. Eritque summa discretione providendum, ne gravia pro levibus inferantur; aut e contrario pro maximis levis et parva ultio erogetur. Mensura namque et pondere æquo justitiaque pia et miseratione continua Pater vel præpositus debet excellere : ut sic vulnus curet ægroti, quatenus salutem et non debilitatem inferat membris : [f] quia sicut subditorum vitia per præpositos, ita et præpositorum negligentias per semetipsum Deus judicabit.

§ XI. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 19).

Excommunicationis mensura qualis esse debeat, justum scientibus librare judicium [g] culpæ modus ostendit. Levioribus enim culpis levior est adhibenda correptio; gravioribus vero [h] fervention exhibenda damnatio. Proinde abbatis studio pensandum est, ut si aliquis frater in levioribus inveniatur obnoxius culpis, usque [i] ad indictam sibi horam mensa privetur : de gravioribus vero seu dierum vel mensium definitio in longius protracta correptione [j] finiatur. [k] Ea tamen Regula, ut si amplius quam septem dierum spatium excommunicationis percurrerit : quamdiu pœnitentiæ sub statuto tempore ordo retentus fuerit [l] sicut a mensa suo loco privatur; ita et ab ecclesia segregetur : ut [m] in loco, in quo antea fuit, nec psalmum [n] cantet, nec ullum ordinem teneat; usque dum satisfactione humili cum cordis contritione ab abbate vel a senioribus veniam mereatur. Excommunicatus vero frater qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur, aut consortio congregationis separatur, a nullo penitus aut [o] colloquia, aut visitationis munus fruatur : nisi tantummodo cui præceptum ab abbate fuerit. Si quis transgressus hanc regulam fuerit, regulari pœnitentiæ subjacebit.

§ XII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 30).

Superbis inobedientibusque, et iracundiam protrahentibus nunquam parcendum, donec corrigantur.

§ XIII. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 22).

Ut convitium vel maledictum ex ore monachi non procedat; neque lingua in impatientiæ excitationes soluta effrenatum quid ministret ostiis labiorum; sed commotus ira, (p ut est humanitatis) dicat : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium cir-*

[a] *Purganda sunt.* In Regula excusa additur : *Et flagellis emendanda.*

[b] *Clamosum*, etc. Habetur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crassensis, et in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiæ, usque ad illa verba : *Crebraque curiositate*, etc. Clamosum autem esse monachum turpe est admodum. Nam rusticitatis est symbolum μεγάλη τῇ φωνῇ λαλεῖν, id est, alta voce loqui, inquit Theophrastus, charactere de rusticitate. Unde apud Plautum initio Mostellariæ clamosus sic objurgatur.

> Quid tibi malum, hic ante ædes clamitatio est?
> An ruri censes te esse? Abscede ab ædibus.
> Abi rus, abi directe. . . . .

[c] *Brevissime.* Ita in Regula ms., id est parcissime. Vel certe legendum, *brevissimi?*

[d] *Bibitionibus.* Id est, potationibus. Hoc vocabulo utitur S. Cæsarius archiepiscopus Arelatensis, serm. 6. « Nam qui de choro psallentium it ad comessationes inhonestas, bibitionesque furtivas. »

[e] *Excessionibus.* Id est, excessibus.

[f] *Quia sicut subditorum vitia*, etc. Nota. Subditi hic a prælatis judicantur : sed prælati a Deo severius quidem, nempe in illo severissimo et districtissimo judicio judicandi sunt.

[g] *Culpæ modus.* Id est, culpæ ratio, scilicet gravitas, aut levitas, aliæque circumstantiæ.

[h] *Fervention.* Id est, asperior, acerbior.

[i] *Ad indictam sibi horam.* Indicta hora est, ut a fratres sexta, ille nona, ille vespere reficiat.

[j] *Finiatur.* Id est, determinetur.

[k] *Ea tamen Regula.* Supp. *servata.* Hæc autem spectant ad leves culpas, quorum pœnam diffinit, non de gravioribus acturus. Et sensus est : quemadmodum ob leves culpas excommunicatus suo loco et mensa privatur, ita in ecclesia segregetur, et nullum psalmum cantet : si tamen ejusmodi excommunicatus excesserit septem dierum spatium.

[l] *Sicut a mensa.* Legendum videtur, sicut a *mensa.*

[m] *In loco in quo antea fuerat.* Non tantum septetur, ut in alio loco psalmum cantet.

[n] *Cantet.* S. Benedictus dicit, *imponat.* Ex quo patet idem esse imponere. ac cantare. Sed de hoc verbo infra.

[o] *Colloquia*, etc. Archaismus. Nam olim verbum *fruor*, accusativo jungebatur.

[p] *Ut est humanitatis.* Id est, ut est infirmitatis, imbecillitatis humanæ. Phædrus lib. III Fab.

> Humanitati qui se non accommodat,
> Plerumque pœnas oppetit superbiæ.

Sic *humanum*, apud Terentium in Heautontim., A. I, sc. I :

> Homo sum, humani a me nihil alienum puto.

Ut humanum factum, humanus error, ex humana fragilitate manans.

cumstantiæ labiis meis (*Psal.* CXL). Adjungat et illud : *Dixi, Custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII). Habens illud Apostoli ante oculos suos : *Quia neque maledici regnum Dei possidebunt* (*Cor.* VI). Si quis ergo his indomitus mente proruperit, [a] triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus, donec agnoscens se [b] tantummodo in congregatione [c] solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.

§ XIV. — EJUSDEM (*cap.* 29).

Ad illos qui post correctionem impugnantes judicia seniorum nituntur excusare peccatum, et non ad pœnitentiam recordatione delicti, sed ad duritiam indignationis nimium migraverint; [d] respice istam sententiam : ut [e] quandiu a proposita intentione revocentur, et [f] cum ore mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subjaceant disciplinæ : quia non dixerunt : *Peccatum meum ego cognosco;* sed dixerunt, quod [g] in Isaia propheta de rebellibus legitur : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccatum suum, dicens : Quid feci?* Illi namque se prioribus anteponunt, et aliorum loca non erubescunt elationis vitio invadere, ac præceptis Dominicis contradicunt, quibus ita jubemur : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister* (*Matth.* XX) ; *et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (*Marc.*). Abbatis vel etiam reliquorum increpatione consi ad locum proprium quem reliquerant revocentur : quos ad majorem gradum tardius decernimus promoveri, ne, addita dignitate, radicata in eis præsumptio prævalescat.

§ XV. — *Item ejusdem* (*ex eodem capite*).

Illos igitur monachos quos vel unius diei finis discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium quam sol eognoscat occasum (*Eph.* IV), qui [h] dicenti Apostolo per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum [i] scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat : sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis astantibus veniam invicem postulent, quia uterque reus diuturna simultate notatur, dum unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo impius mansit impœnitens : hic damnandus posterum, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat, sed cito ad illud recurrat [j] exemplum : *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI). Et illud Apostoli : *Induite vos* [k] *sicut electi Dei, et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (*Col.* III). Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur : *Facit Dominus judicium injuriam patientibus*

[a] *Triginta diebus*, etc. Hæc fuit olim usitata a iscis illis Patribus excommunicationis ratio, quæ rto dierum, aut mensium, aut annorum numero ffinitur pro delictorum modo, et ratione S. Fruuosus episcopus Bracarensis, cap. 17 Regulæ : « Si c sic se emendaverit, flagelletur acerrime, et ium mensium spatio excommunicationis vindictam scipiens sub pœnitentiæ districtione solus recludar in cella. » S. Isidorus, cap. 17 Regulæ : « Hæc igitur his similia triduana excommunicatione emendanda nt. » Et cap. 18 : « Si excommunicatio biduana erit, excommunicato nihil alimenti tribuendum t. » Concilium Epaonense, can. 34 : « Si quis serum proprium sine conscientia judicis occiderit, exmmunicatione biennii confusionem sanguinis exabit. » Concilium Eliberitinum, can. 55 : « Sacerdos si tantum sacrificantium coronam portant, nec crificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præant, placuit post biennium accipere communiom. » Concilium Agathense can. 62 : « Si quis proium servum sine conscientia judicis occiderit, exmmunicatione, vel pœnitentia biennii reatum endabit. » Et can. seq. : « Triennio a communione priventur Ecclesiæ. » Aurelianense III, can. : « Quod si quilibet antistitum, vel clericorum quod pra scriptum est, vitare voluerit, triennii excommucatione multetur. » Concilium Turonense II, can. : « Nam si inventus fuerit presbyter cum sua preytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subiconus cum sua subdiaconissa, annum integrum communicatus habeatur. » Concilium Nicænum, . 11 et multis aliis. Ancyranum, can. IV. S. Basis, epist. 3 ad Amphilochium, can. 58 : Ὁ μοιχεύσας εἰ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγιασμάτων, id est, ecchus quindecim annis a sacramentorum communie arcebitur. » Et multis aliis locis.

Tantummodo. Videntur deesse hæc verba, *ob vel* similia.

[b] *Solitudinem.* Solitudo hoc loco est a fratrum societate separatio.

[c] *Respice istam sententiam.* Legendum videtur : *Respicit ista sententia.*

[d] *Quandiu.* Id est, *donec.* S. Cæsarius in Recapitulatione : « Quandiu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat. »

[e] *Cum ore mentis.* Locus corruptus. Lege *tumorem mentis*, ut in cod. Vindocinensi.

[f] *In Isaia.* Ita in cod Vind. Sed hic locus exstat, non in Isaia, sed Jeremiæ cap. XVIII.

[g] *Dicenti Apostolo.* Nempe ut *sol non occidat super iracundiam* nostram ; cui non obtemperant ii qui solis occasum non præveniunt, ut cum fratribus in gratiam redeant.

[h] *Scandalum.* Scandalum est rixa, jurgium, dissensio, pugna, ut supra notatum est. S. Gregorius Turonensis, lib. V Hist., cap. 10 : « Nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit. » Et lib. X, cap. 15, agens de illa seditione exorta inter sanctimoniales cœnobii S. Radegundis : « Cum autem scandalum quod serente diabolo in monasterio Pictavensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret. » Id etiam patet ex psalmo CXVIII, cap. 21, *pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Ubi *pax* et *scandalum* opponuntur. Unde Apollinarius in Metaphrasi, ubi Septuaginta scribunt σκάνδαλον, posuit νεῖκος, id est contentio, rixa.

.....Οὐδέ τι νεῖκος ἔχουσι.

Id est, « neque aliquam rixam habent. »

[i] *Exemplum.* Id est, testimonium, auctoritatem, ut etiam paulo post dixit : *hujuscemodi exemplo*, etc.

[k] *Sicut electi Dei.* Omissa est vox *sancti*, quæ hæc verba sequitur.

(*Psal.* CXLV). Et alibi : *Quo seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI).

§ XVI. — Ex Præceptis et Institutis sancti Pachomii.

[a] Qui injuste judicaverit, [b] injuste ab aliis condemnabitur. [c] Si unus e fratribus, aut duo, vel tres [d] scandalizati ab aliquo recesserint [e] de domo et postea venerint, ventilabitur inter eos et scandalizantem judicium; et si reus inventus fuerit, monasterii regulis emendabitur.

§ XVII. — Ex Regula sancti Columbani.

[f] Si quis detraxerit abbatem suum, septem dies unum [g] paximatium : si fratrem suum, XXIV psalmos : si sæcularem, XII psalmos.

§ XVIII. — *Item ejusdem.*

[h] Si quis iracundiam, vel tristitiam, vel invidiam tenet contra fratrem suum [i] ut tempus tenuerit; ita erit pœnitentia ejus in pane et aqua. Si vero

[a] *Qui injuste judicaverit*, etc. Exstat in edita S. Pachomii Regula, art. 98.

[b] *Injuste ab aliis.* Lege, *juste ab aliis*, ut in Regula excusa.

[c] *Si unus e fratribus*, etc. Hæc non exstant in Regula S. Pachomii excusa.

[d] *Scandalizati.* Id est, opprobriis et contumeliis affecti, aut verherati.

[e] *De domo.* Id est, de classe sua. Vide supra.

[f] *Si quis*, etc. Hæc habentur in Pœnitentiali ms. S. Columbani cod. Flor.

[g] *Paximatium.* Supple, *ei detur.* Detractori unicum paximatium datur mulctæ nomine, quia quotidie monachi, Ægyptii maxime, quos in multis sequitur S. Columbanus, duo quotidie paximatia viritim accipiebant, ut clarum est ex Cassiano, coll. II, cap. 9 : « Præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus modum in duobus paximatiis statuerunt. » Coll. XII, cap. 15, et lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14. Paximitium, seu paxamatium, vel paxamas, atque etiam paxamades, et paxamadium (varie enim scribitur hoc nomen) est panis recoctus, bis coctus. Suidas : Παξαμὰς ὁ δίπυρος ἄρτος ἔστι δὲ λέξις Ῥωμαϊκή. Id est, « Paxamas bis coctus panis. » Est autem vox Latina. » Et alibi : Δίπυρος ἄρτος παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμὰς, id est, « recoctus panis a Latinis dictus paxamas. » Quidam nomen deducunt a Paxamo, rei culinariæ scriptore, cujus meminere Suidas et S. Hieronymus lib. I contra Jovinianum. In Glossis Isidori dicitur. *Paxamatium, panis subcinericius.* Δίπυρος ἄρτος est denuo coctus panis. Hesychius, δίπυροι ἄρτοι ἐκ δευτέρου ὀπτόμενοι, id est panes secundo cocti. « Athenæus, lib. III : Οἱ δίπυροι δὲ εἰσίν τινες ἄρτοι τρυφῶντες· id est, « Recocti vero sunt quidam panes deliciosi. » Sed hi non sunt monachorum, quia dulciariorum arte medicati. Idem quod bucellatum. Nam Palladius monachorum panem, quem alias appellat paxamatem, ut cap. *de Paulo simplice*, in Macario Alexandrino vocat βουκελλάτον· κλάσας τὸ βουκελλάτον ὃ εἶχεν, id est, « cum fregisset buccellatum quod habebat. » Et Leo in Constitutionibus militaribus panem siccum militarem, qui vulgo dicitur buccellatum, appellat paxamadium, et paxamadem. Constit. 10, § 13 : Δαπάνην ἔχειν ἢ παξαμαδίου, id est, « sumptum habere vel paxamadii. » Et Constit. 12, § 324, inter alia statuit ut miles in die belli ferat παξαμάδην ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ, id est, paxamatium in sellæ marsupio. Buccellati mentio fit Cod. leg., *de erogatione militaris annonæ.* Meminit Spartianus in Pescennio Nigro : « Buccellato jubens milites et omnes contentos esse. » Olympiodorus appellat ξηρὸν ἄρτον, id est, panem siccum : scribitque inde milites buccellarios appellatos esse, hancque denominationem datam eis tempore Honorii imperatoris, non modo Romanis militibus, sed etiam Gothis. Sed hoc nomen maxime Galatis seu Gallogræcis militibus attributum est. Suidas : Οἱ Βουκελλάριοι Ἑλληνογαλάται ὀνομάζονται, καὶ ἡ Βουκελλαρίων χώρα Γαλλογραικία· id est, « Buccellarii Gallogræci nominantur, et Buccellariorum regio Gallogræcia. » Buccellariorum mentio fit Cod. leg., ult. ad legem Juliam, *de vi privata*, *vel*, etc.

[h] *Si quis iracundiam.* Hoc capitulum exstat in Pœnitentiali ms. S. Columbani cod. Flor.

[i] *Ut tempus tenuerit.* Nempe iracundiæ, id est, quanto tempore frater ille iracundiam servaverit.

[j] *Viginti quatuor psalmos.* Supple *recitet.*

[k] *Qui autem rixam commiserit.* Habetur in eodem Pœnitentiali ms. cod. Flor.

[l] *Foras repellendus est.* Expulsio illa erat tantum ad tempus : ita ut expulsus resideret *ante fores* monasterii, donec revocaretur, ut supra explicatum est.

[m] *Quadraginta diebus pœniteat.* Nempe in choro prostratus coram omnibus in synaxi, cum videlicet expulsus ille revocatus fuerit ab abbate Quæ sane nostram opinionem de repulsione ad aliquot certos dies confirmant; quia si is qui non pœnitet, foras expellitur, cur ei quadraginta dierum pœnitentia imponitur, si postea non sit revocandus ?

[n] *Si cum illo*, etc. Hic textus habetur in ms. Pœnitentiali S. Columbani cod. Flor. emendicatus a Cassiano, quem in quibusdam sequitur S. Columbanus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 6.

[o] *Cellæ suæ cohabitator non est.* Quia monachi S. Columbani duo habitabant in cella juxta institutum monachorum Ægyptiorum, ut supra observatum est; et ejusdem cellæ habitator syncellita dicebatur, apud Cassianum, coll. XX, cap. 2.

[p] *Superpositio.* Supple *ei injungatur.* Intelligitur superpositio silentii. Nam in hoc S. Columbani Pœnitentiali passim reperiuntur superpositiones silentii, jejunii vix repereris. Unde cum in hoc Pœnitentiali dicitur tantum *superpositio*, subaudi τὸ *silentii.* Quid sit superpositio et superponere, infra dicetur.

[q] *Cui opus facit.* Lege, *Cujus opus facit*, ut in cod. Vindocinensi, nempe prælaturam. Sunt enim prælati Dei vicarii. « Qui in Christi thronum successerunt, de quo ipsi sermocinantur, de quo Christus dedit eis ministerium reconciliationis, » docet S. Joan. Chrysostomus serm. 3 in epist. ad Colossenses.

[r] *Abscindatur a fraternitate.* Id est, separetur a consortio fratrum, excommunicetur.

[s] *Fraterni corporis.* Id est, fraternæ congregationis. Corpus est congregatio, communitas, collegium. Ælius Lampridius in Alexandro Severo : « Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, calcigariorum, et omnino omnium artium. »

§ XIX. — *Item ejusdem.*

[k] Qui autem rixam commiserit, septem dies pœniteat. Qui vero suum præpositum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, [l] foras repellendus est; nisi ipse dicat, Pœnitet me quod dixi. Si autem non se humiliaverit [m] quadraginta diebus pœniteat, qui superbiæ morbo detinetur.

§ XX. — *Item ejusdem.*

[n] Si cum illo qui [o] cellæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit, [p] superpositio.

§ XXI. — Ex Regula cujusdam.

Si quis seniori detraxerit, non seniori detrahit, sed Deo, [q] cui opus facit. Si vero hoc frequenter facit, [r] abscindatur a fraternitate ac sollicitudine [s] fraterni corporis. Si vero pœniteat, remittenda sunt peccata sua, *Detrahentem*, inquit Propheta, *secus*

proximo suo, hunc persequebar. (*Ps.* c). Si quis inventus fuerit in aliquo spernere seniorem suum, non hominem spernit, sed Deum, et reliqua. Si quis hoc faciat, pœniteat, et reconciliabitur seniori suo : et omnia quæcunque senior præceperit, secundum mandatum Domini explenda sunt.

§ XXII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 25).

Interrog. [a] Unde et nocturnæ phantasiæ inhonestæ ac turpes ascendunt ad nos ? — *Resp.* [b] Veniunt quidem hæc maxime ex diurnis animæ motibus et actibus indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, expurgatur anima ejus per meditationem legis divinæ, et studium verbi Dei : ibique si indesinenter curam gerat semper requirens et scrutans quid sit quod placeat Deo, [c] talia habebit etiam somnia.

§ XXIII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 25).

Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit ; nec audebit eodem die in ecclesiam introire, etc.

§ XXIV. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 18).

[d] Ad convivium nuptiale fratrum nullus accedat, ne per lasciviam sæcularem quæ sunt sæculi recognoscat, [e] quod absit, ad mundi hujus vitam, etsi non corpore, animo revocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus (*Epist.* 1) : « Adulterium dum videtur, discitur. » [f] Qui joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, [g] aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, ut dignus est, subjacebit. Si quis quælibet invenerit, inventa non celet, et cognoscenda non occultet. Quod si reperta unius diei spatio convincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. [h] Si quis eum qui districtionem monasterii non ferens, fugam meditari cognoverit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet : et tandiu a conventu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat revocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendaverit, reprehensa juxta ætatis formam convenit vindicari.

§ XXV. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 40).

Superbis, vero inobedientibus, et iracundiam protrahentibus, nunquam parcendum, donec corrigantur.

§ XXVI. — Ejusdem (*cap.* 41).

Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere, [i] disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, [j] triginta et novem, et quamlibet juste disciplina teneatur ; tamen secundum illud *bonitatem et disciplinam*, paternum affectum sanctus abbas circa omnes teneat, secundum Apostolum : *Tanquam si nutrix foveat* [k] *pullos suos.* (*Ps.* CXVIII).

[a] *Unde nocturnæ*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. XXII Regul., brev., et apud Rufinum, cap. 29.

[b] *Veniunt quidem hæc maxime*, etc. Huic non absimile est id quod docet S. Leander lib. de Instit. vir., cap. 3. « Quos (juvenes) ad hoc diabolus objicit et virgineis opponit oculis, ut formas eorum, quas per diem viderit virgo, meditetur in nocte. Quod si contradicat mentis ratio, talesque imaginationes ab animo respuat, recens tamen visio et corporalis inspectio memoriæ exhibet formas quas videndo didicit. Et, si paululum talis imaginatio oblectet mentem, occurret etiam per somnium quod viderit oculis : sic diaboli sagittis corpus virginis vulneratur, et infigitur cordi amor noxius, ut quod in nocte recordata est, cum amore velit adhuc videre in crastinum. »

[c] *Talia habebit etiam somnia.* Ut S. Cæsarius archiepiscopus Arelatensis, qui cum interdiu semper Deum in corde haberet, in convivio, in itinere, in collocutione, in consessu, etiam in somno semper meditabatur, ut scribit Cyprianus lib. II de ejus Vita.

[d] *Ad convivium nuptiale.* Nuptiis interesse monachis interdictum est concilio Antissiodorensi, can. 29 : « Non licet abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare. »

[e] *Quod absit.* Lege, *et quod absit.*

[f] *Qui joculare aliquid.* Hæc et sequentia videntur ascribenda Regulæ Orientali, ita ut illis hic titulus præfigendus sit : *Ex regula Orientali.* Nam multa hic sumuntur ex Regula S. Pachomii, quod sane, ut supra notavimus, usitatum est Regulæ Orientali, non Tarnatensi.

[g] *Aut habere amicitias ætatis infirmæ.* Ætas infirma pueri sunt. In Regula S. Pachomii, art. 90 : « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, » etc.

[h] *Si quis eum*, etc. Ex Reg. S. Pachomii, art. 124 : « Hæc est ultio in eum qui fratrem de domo perdiderit, tribus diebus aget publicam pœnitentiam. Quod si eadem hora qua fugerit, non nuntiaverit Patri, reus erit peccati. »

[i] *Disciplinam.* Id est, correctionem. Vide superius adnotata.

[j] *Triginta et novem.* Juxta S. Pauli flagellationem, ut supra notatum est : cujus flagellationis ratio, ita describitur apud Bedam quæstione 2 libri Quæstionum variarum, ex quadam pictura de Pauli a Judæis flagellatione Roma in Angliam allata : « Quod ita intelligendum, ab antiquis ita intellectum testatur etiam pictura ejusdem libri quam reverendissimus ac doctissimus Cudus (alias Chidonius) orientalium Anglorum antistes veniens a Roma secum in Britanniam detulit : in quo videlicet libro omnes pene ipsius Apostoli passiones, sive labores per loca opportuna erant depictæ. Ubi ita hic locus depictus, quasi denudatus jaceret Apostolus laceratus flagris, lacrymisque perfusus : superastaret autem ei tortor quadrifidum habens flagellum in manu, sed unam e fidibus in manu sua retentam : tres vero reliquas solum ad feriendum habens exertas. Ubi pictoris sensus facillime patet, quod ideo ternis fidibus eum fecit verberare, ut inde plagarum quadragenarium numerum non compleret. Si enim quaternis fidibus percuteret, decies percutiens sexaginta (lege, quadraginta) plagas faceret ; si vero ternis tredecies feriret, inde quadraginta plagas non impleret. » Sed tantum novem et triginta.

[k] *Pullos suos.* In communi versione, *Filios suos*, ut in textu Græco, τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Itaque lege : *Parvulos suos* (I *Thess.*), ut infra c. 39.

CAPUT XXXII.

DE GRAVIORIBUS CULPIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Is autem frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul, et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens [b] in pœnitentiæ luctu : sciens terribilem illam Apostoli sententiam dicentis : traditum hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini (*I Cor.* v). Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora, qua prævideri ei abbas competere. [c] Nec a quoquam benedicatur transeunte, [d] nec cibus, qui ei datur.

§ II. — Ex Regula Patrum.

[e] Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, [f] ut junior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat. Si vero [g] jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur. Cui sufficere potest pro actus sui [h] levitate impleta pœnitentiæ satisfactione [i] communio.

[a] *Is autem frater*, etc. Hic agitur de majori excommunicatione, quamvis omnes illius effectus non exprimantur brevitatis causa. Nam excludi a mensæ participatione, ab oratorio, a consortio et colloquio hominum, ut hic manifeste habetur, sunt effectus majoris excommunicationis. Quod etiam suadent illa verba : *Sciens terribilem illam Apostoli sententiam*, etc. ; ille enim proprie dicitur tradi Satanæ, qui majori excommunicatione plectitur.

[b] *In pœnitentiæ luctu.* Concilium Tarraconense I, can. 1, de Monacho pœnitentiam agente : *Pœnitentiæ lamentis incumbat.*

[c] *Nec a quoquam benedicatur transeunte.* Nempe cum ipse excommunicatus alicubi solus operatur. Alioqui in cella residere debet, ut postea videbitur. Benedictio autem hæc est, quam junior a seniore transeunte petere debet. Unde Magister cap. 13 : « Petenti benedictionem nullus respondeat : Deus. Licet tamen assurgere salutanti, caput inclinare, aut nudare humanitatis officio, vel vitandi scandali causa, ut docet Angelus in verbo, *Excommunicatio* ; de Graffiis lib. IV, p. 1, c. 12 ; Millardus, cap. 101 ; Sairus, lib. II, cap. 11.

[d] *Nec cibus qui ei datur.* S. Fructuosus episc., cap. 14 Regulæ : « Et hoc ab abbate exsufflatum et non sanctificatum. » Magister, cap. 13 : « Quidquid ei porrigitur, a nullo signetur. »

[e] *Si quis vero monachus*, etc. Hæc habentur in secunda Regula Patrum cod. ms. Flor., cujus initium est : *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris convenissemus.* Quamobrem titulum, qui hic desiderabatur, supplevi in hæc verba : *Ex Regula Patrum:* fretus etiam auctoritate Smaragdi, qui scribit : « Et alii Patres dixerunt : Si quis vero monachus, » etc. Proferuntur etiam a Burchardo, lib. II, cap. 64, et Ivone Carnotensi, parte XIII Decreti, cap. 51, ex concilio Agathensi, can. 2 : « Si quis clericus aut monachus. » etc. Quæ tamen non exstant in dicto concilio. Quare arbitror citationem esse vitiosam.

[f] *Ut junior virgis cæsus.* Furti reos monachos indifferenter flagellationi subjicit S. Pachomius art. 121, et sanctimoniales S. Cæsarius Arelatensis cap 24 Regulæ.

§ III. — Ex Regula sancti Ferreoli episcopi (*cap.* 39).

[i] Furti conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum secundum flagellis subdi et magna conteri afflictione jubemus, dantes illi [k] unam cum fornicatione sententiam : quia luxuritus est, cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per prophetam : *Non est scientia Dei* [l] *super terram* (*Ou* IV); et paulo post : *Furtum et adulterium inundaverunt* (*Ibid.*) ; et iterum in psalmo : *Si videbas furem,* [m] *simul currebas cum eo,* [n] *et adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* LXIX). Legimus etiam in Evangelio Dominum [o] dixisse : *Fornicationes, furta* (*Matth.* XV). Nec moratus addidit : *Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Ibid.*). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur et pœna.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 16).

[p] Monachus [q] parvulorum aut adolescentium con-

[g] *Jam clericus.* Apud Ivonem et Burchardum legitur : *Jam ordinatus.*

[h] *Levitate.* Lege *stultitia.*

[i] *Communio.* Apud eosdem legitur : *Sola communio.*

[j] *Furti conscium, si*, etc. Hæc habentur in libello C et XIV Sententiarum de Rectoribus, ubi S. Ferreolus appellatur presbyter.

[k] *Unam cum fornicatione sententiam.* Lege *cum fornicante*, ut in præfato libello. *Unam sententiam*, id est idem judicium.

[l] *Super terram.* In vulgata versione : *In terra.*

[m] *Simul currebas.* Ita in Regula Magistri, cap. 15, juxta Psalterium Romanum.

[n] *Et adulteris.* Lege : *Et cum adulteris.*

[o] *Dixisse, Fornicationes, furta.* Apud Smaragdum legitur : « dixisse : *De corde enim exeunt adulteria, fornicationes, furta*, et reliqua. »

[p] *Monachus*, etc. Hæc habentur eodem cap. 14 in Regula ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass. in libello 114 Sententiarum de Rectoribus, ubi post τὸ *monachus*, additur : *Vel clericus*, et apud Ivericum Canisium, tom. V antiquæ lectionis, parte II. Refertur etiam a Burchardo, lib. XVII Decreti, cap. 35, ex dictis Basilii, sed non ita recte. Nam hoc capitulum nusquam repereris apud S. Basilium, sed in Regula S. Fructuosi Bracarensis, ut ex dictis notum est : quamvis hic referatur paulo contractius, et varient quædam. Apud eumdem Burchardum initium hujus capitis ita legitur : *Clericus aut monachus adolescentium vel parvulorum insectator.*

[q] *Parvulorum aut adolescentium consectator*, etc. Ejusmodi cum junioribus familiaritates etiam aliorum Patrum Regulæ proscribunt ; S. Pachomii art. 90 : « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessaverit, corripiatur, ut dignus est, correptione severissima. » Orientalium seu Tarnatensium cap. 14 : « Qui joculare aliquid, vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ,

sectator, vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi [a] reprehensus fuerit inhiare, [b] probata patenter per accusatores verissimos, sive testes [c] causa, publice verberetur; [d] coronam capitis, quam gestabat, amittat [e] decalvatusque turpiter opprobrio pateat, [f] omniumque sputamentis oblinitus in facie, probraque æque suscipiat, vinculisque arctatus ferreis carcerali sex mensibus angustia maceretur, et triduana per hebdomades singulas refectione [g] panis exigui hordeacei vespertino tempore sublevetur. Post deinde, expletis his mensibus, aliis sex mensibus succedentibus sub senioris spiritalis custodia segregata [h] in corticula degens opere manuum et oratione continua sit [i] contentus, vigiliis et fletibus, et humilitate subjectus, et pœnitentiæ lamentis veniam percipiat: et sub custodia et sollicitudine duorum fratrum in monasterio ambulet, nulla privata locutione vel concilio deinceps juvenibus conjungendus.

§ V. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 6).

Hi vero fratres, qui gravioribus culpis in pœnitentia detinentur, in ecclesia cum cæteris, qui communicant, non stent, sed in alia ecclesia secrete [j] cursum cantent. Expleto cursu, egredientes ante fores ecclesiæ, in qua communicantes cursum explent, stare præcipiantur. Et egrediente congregatione supra humum prostrati rogent pro se Dominum exorari, ut gravia commissa contritione deleantur cordis, meminentes illud: *Cor contritum et humiliatum* [k] *Deus non spernit* (*Ps.* L). Et: *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus* (*Ps.* CXXXV). In oratione positus semper pœnitens dicat: *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (*Ps.* L). Ut ira arguentis judicis, et in proximo vindictam reddentis per piæ mentis affectum hac humili oratione sedetur.

§ VI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 13).

[l] Cum suggestum fuerit a præpositis abbati [m] meritum inobedientis, jam non dicendus est frater, sed [n] hæreticus legis: jam non dicendus filius Dei, sed operarius dæmonis, qui dissipando sanctorum facta velut quædam scabies est procreata in grege. Convocet eum abbas præsentibus suis præpositis, vel coram congregatione circumstante. Et interrogati

increpationi, ut dignus est, subjacebit. » S. Isidori cap. 17 Regulæ, ubi inter gravia peccata annumeratur: *Si* (quis) *cum parvulis jocaverit, riserit, vel eos osculatus fuerit.* »

[a] *Reprehensus.* Lege: *Deprehensus*, ut in libro CXIV Sententiarum, et apud Canisium.

[b] *Probata.* In citato libello, et apud Canisium: *Comprobata.*

[c] *Causa.* Ita apud Canisium, et in citato libello. Causa est culpa, crimen, noxa, offensa, de quo infra. Apud Smaragdum male legitur: *Hujus rei causa.*

[d] *Coronam capitis amittat.* Si sit clericus.

[e] *Decalvatusque*, etc. Id est ad cutem rasus. Juniorum amatores S. Fruct. jubet cædi verberibus, et decalvari. Ignominiosum olim supplicii genus, raso capite, verberibus aut colaphis cædi. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum: « Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens et maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. » S. Gregorius Turonensis lib. V Hist., cap. 39: « Et graviter verberata, incidi comam ejus capitis jubet. » Lib. I Legis Wisigothorum, tit. 1, l. 7: « Decalvatus tamen centum flagella accipiat; » et titul. 2, l. 7: « Centum accipiat ictus flagellorum, atque turpiter decalvatus, » etc.; lib. III, tit. 3, l. 8 et 10; lib. VII Capitularium regum, tit. 335, et lib. I Legis Longobardorum tit. 17, l. 5. Adam lib. IV Hist. Bremensis, cap. 1: « Alios etiam legatos ad se pro pace directos publice verberari et decalvari jussit. » Juvenalis sat. 5:

. . . . Pulsandum vertice raso,
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Palladius in Lausiaca, cap. *de Philoromo*, ὃν ξυρισθῆναι ἐκέλευσεν, καὶ ὑπὸ παιδαρίων ἐντονώτατα κοσσισθῆναι, id est, « quem radi jussit, et validissime a pueris verberari colaphis. »

[f] *Omniumque sputamentis.* Olim ignominiæ genus faciem sputamentis conspurcare: Gregorius Turonensis, lib. III Hist., cap. 36: « Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perungentes, vinctis post tergum manibus, ad columnam lapidibus obruerunt. » Cedrenus ad annum 25 Constantini Caballini, ἰθριάμβευσεν ἐν τῷ Ἱπποδρόμῳ ἐμπτυόμενον, καὶ συρόμενον, id est, « traduxit per circum sputis conspurcatum et tractum. » Paulus Diaconus, sive quis alius, lib. XVIII Hist.: « Misit omnem inimicum ejus injuriis cumulare et conspuere illum. »

[g] *Panis hordeacei.* Fuit olim panis hordeaceus pœnitentium cibus. S. Gregorius Turonensis, lib. IX Hist., cap. 21: « Jussit omnem populum in ecclesiam convenire, et rogationes summa cum devotione celebrari, et nihil aliud in esu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi. »

[h] *In corticula.* Corticula hic sumitur pro cellula. Notandus mos antiquus retrudendi monachos excommunicatos, seu sanctimoniales, in cellulis separatis, ut videre est apud alterum Fructuosum cap. 4 Regulæ: « Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram. » In concilio Tarraconensi I can. 1: « Si vero religiosus, vel monachus, in cella monasterii inclusus, pœnitentiæ lamentis incumbat. » Apud S. Gregorium Turonensem lib. IX Hist. 4: « Petiit, ut se in cellulam secretam recluderet, dicens: Quia multum peccavi in dominam meam Radegundem. » In Regula Teridii cap. 25. « Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in una cella recludatur. » In Regula cujusdam Patris cap. 19: « Excommunicatus vero frater, qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur, » etc. Hoc autem S. Fructuosi capite duplex notanda est reclusio delinquentium, una carceris, altera cellæ.

[i] *Contentus.* Ita in Regula ms. et apud Canisium. In libello CXIV Sententiarum: *Intentus.* Lege ergo: *Operi manuum et orationi continuæ sit intentus.* Quemadmodum est apud Burchardum, apud quem tamen τὸ *continuæ* deest.

[j] *Cursum.* Id est, opus Dei, officium divinum, de quo vocabulo infra.

[k] *Deus non spernit.* Ita in Psalterio Romano et in Regula Magistri cap. 4. Apud S. Cyprianum epist. 77 et 81: *Deus non despicit.* Tertiam personam servant quidem septuaginta interpretes, sed in futuro: ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουδενώσει, id est, Deus non despiciet, juxta quos Apollinarius in Metaphrasi: Ἤτορ ἄναξ χθαμαλὸν καὶ μείλιχον οὐκ ὀνόσαιτο. id est, « cor rex humiliatum et lene non despiciet. » In vulgata interpretatione juxta textum Hebraicum: *Deus, non despicies.*

[l] *Cum suggestum*, etc. Habes in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap.

[m] *Meritum.* Id est, demeritum.

[n] *Hæreticus dicendus est.* Quia pertinax in malitiæ proposito, ut hæreticus in suæ opinionis et judicii tenacitate.

[qui] cum furatus esset regulam auream, super omnem populum, facta est ira Dei. Et quidem populus peccatum quod commiserat, ignorabat, usquequo [a] manifestatum est : et pertulit cum omni domo sua horrendum illum et famosissimum interitum (*Jos.* VII). Sed et Heli sacerdos, et quidem cum non siluisset peccantibus filiis qui erant filii pestilentiæ, imo et frequenter commonens et castigans dixit : *Nolite, filii, non bona audio de vobis*, etc. (*I Reg.* II). Qui cum peccatum argueret, et Dei judicium commoneret, tamen quoniam non vindicavit, neque digno zelo Dei adversus eos motus est, in tantum iracundiam Dei provocavit, ut etiam universus populus cum filiis suis exstingueretur, et arca testamenti ab alienigenis raperetur, et ipse insuper omnibus subversis miseranda morte corrueret. Quod si in populum ignorantem, vel de unius peccato, vel in patrem qui corripuerat et commonuerat filios pro peccato, tanta Dei ira incensa est, quid sperandum est de his qui cognoscunt aliorum delicta, et reticent, nec qualemcunque adhibent correptionem? Quos utique convenerat observare illud, quod Apostolus ad Corinthios dicit : *Quare non potius luctum habuistis, ut tolleretur e medio vestrum, qui hoc opus fecit* (*II Cor.* V)? et illud : *Ecce enim et hoc ipsum secundum Deum contristari quantam operatum est in nobis sollicitudinem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* (*II Cor.* VII)? Unde et metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus interitum sumant, hi qui similiter negligunt : imo et tanto gravius, quanto spernere legem Christi perniciosius est quam legem Moysis. Et his competit illud aptari quod dixit : *Septies vindicatum est de Cain, de Lamech vero septuagies septies* (*Gen.* II).

§ XIX. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 24).

[b] Si post admonitionem iterum vel alio quocunque die id ipsum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque potuerit hoc invenire, prius tamen et alteri vel tertio [c] hanc petulantiam oculi demonstratam, ut duorum vel trium possit ore convinci, et competenti [se] veritate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. [d] Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, deperire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret [e] sanari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo magis debes manifestare, ne [f] perniciosius putrescat in corde. Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi : ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc [g] nescienti adhibendi sunt alii; ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus et tribus convinci. Convictus vero secundum præpositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam : quam si ferre non curaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer : ne contagione pestifera plurimos perdat.

§ XX. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 36).

Si quis alterum viderit illicitum quidquam vel sermone vel opere facientem, et priori distulerit publicare, cognoscat se esse nutriorem peccati, et per omnia æqualem peccanti : quia et animæ suæ et illi est quem tegit durissimus inimicus. Ex hoc apud Deum, qui mala odit, et apud cunctam fraternitatem exsecrabilis, et infidelis habebitur : quia per abundantiam malitiæ noluit prodere, ut corrigere posset errantem : et odio disciplinæ dilexit malitiam; et astitit omni viæ non bonæ.

[a] *Manifestatum est.* Ita apud Rufinum. In nostra Concordia ms. *Manifestum est;* sed lege : *Manifestatus est.* Nam in textu Græco legitur : Μέχρις ἐφανερώθη ὁ προειρημένος, id est, « usque dum prædictus manifestatus est, » nempe *Achar*, seu *Achan.*

[b] *Si post admonitionem*, etc. Hæc habentur in epist. S. Augustini 109, et in ejusdem Regula, quæ ex eadem epistola collecta est, cap. 23.

[c] *Hanc petulantiam oculi demonstratam.* Lege : *Hanc petulantiam oculi demonstret :* sed hæc verba : *Hanc petulantiam oculi*, sunt in præcedenti periodo tum epistolæ, tum Regulæ. Itaque in Regula edita legitur : *Prius tamen vel alteri vel tertio demonstrandum.* Hic autem S. Augustinus petulantiam et lasciviam oculorum maxime proscribit, ob mala quæ ex immoderato et lascivo aspectu manant : nam

Oculi sunt in amore duces.

Pudorque, et verecundia cito effluunt, si libera sit oculis quocunque vagandi facultas : quibus ideo natura cilia, et palpebras tanquam virginibus vela providit, ut facile pudorem suum servent, eorumque pupillas Græci κόρας, id est, virgines appellarunt, ut notat S. Isidorus Pelusiota, libr. V, epist. 46 et 146; et S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni, Dial. 4, cum ait : Παρθενεύειν οὖν χρὴ τὰς κόρας ὀφθαλμῶν ἰσωνυμίαν τῶν παρθένων τετιμημένας, id est, « Oportet igitur pupillas oculorum virgines esse, quæ idem nominis ornamentum sortitæ sunt cum virginibus. » Si qui ergo aliquam pulchritudinem conspexerint, erubescant, vela trahant, in terram veluti matrem suam aspiciant, quæ doceat eos οὐ μόνον τὴν ἡμετέραν φύσιν, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ ὀφθὲν κάλλος ἐξ αὐτῆς ἤνθησε, καὶ εἰς αὐτὴν ὑποστρέψει μαρανθησόμενον, id est, « non nostram modo naturam, sed et spectatam illam venustatem ex ipsa effluxisse, et rursus marcescentem in illam redituram, » inquit idem S. Isidorus epist. 146.

[d] *Magis quippe innocentes non estis.* Idem ferme supra dixit S. Basilius, interr. 40 Regul. Brev.

[e] *Sanari.* Lege : *secari*, ut in epist. S. Augustini.

[f] *Perniciosius.* Ita in epist. S. Augustini et apud Smaragdum. In Regula legitur, *deterius.*

[g] *Nescienti.* Lege *neganti*, ut in ep. S. Augustini, Regula, et apud Smaragdum.

CAPUT XXXI.

QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Secundum modum culpæ excommunicationis vel [b] disciplinæ debet extendi mensura. [c] Qui culparum modus in abbatis pendet judicio. Si quis tamen frater [d] in levioribus culpis invenitur [e] a mensæ participatione privetur. Privati autem a mensæ consortio ista erit ratio, [f] ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus percipiat, ut [g] si, verbi gratia, fratres sexta hora, ille frater nona; [h] si fratres nona, ille frater vespera, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 4).

[i] Si quis autem murmuraverit vel contentiosus exstiterit, aut opponens [j] in alio contrariam voluntatem præceptis, digne correptus tandiu [k] abstineat, quandiu vel culpæ qualitas poposcerit, vel se pœnitendo humiliaverit, vel emendaverit. Correptus autem [l] non audeat usquam recedere.

§ III. — Ex Præceptis et Institutis sancti Pachomii (*cap.* 8).

[m] Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus 5, et aget pœnitentiam publice [n] in collecta, stabitque [o] in vescendi loco.

§ IV. — *Item ejusdem* (*art.* 3).

Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens et contradicens majoris imperio, increpabitur juxta mensuram peccati sui.

§ V. — *Ex libro Institutionum.*

[p] Si quis igitur [q] gillonem fictilem, quem illi

[a] *Secundum modum culpæ*, etc. Hoc caput profertur ab Ivone Carnotensi, p. 13 Decreti, cap. 73.

[b] *Disciplinæ*. Id est, vindictæ, pœnæ, supplicii.

[c] *Qui culparum modus in abbatis pendet judicio.* Nam in qualibet culpa et in ejus animadversione multa sunt consideranda : rei gravitas aut levitas, aliæque ejus circumstantiæ; personæ ætas et conditio; si senex, si puer, si adolescens, si juvenis, si robustus, aut debilis. Nam eadem pœna, ob idem peccatum inflicta, juveni et robusto erit facilis et tolerabilis, quæ seni et imbecillo difficilis erit admodum et vix tolerabilis; et robustus punietur juxta modum culpæ, imbecillus vero ultra modum. Considerandum est etiam si servus, si ingenuus, si vili loco, si honesto, vel nobili natus, si levis, si petulans, si humilis aut superbus, etc.

[d] *In levioribus culpis.* In Decreto Ivonis, cap. supra citato, additur τὸ *culpabilis.*

[e] *A mensæ participatione privetur.* Ejusmodi exclusio a mensa ob delicta videtur etiam in Regula S. Cæsarii, cap. 11 : « Quæ aliquid ex his quæ jubentur implere noluerit, a communione orationis, vel a mensa secundum qualitatem culpæ sequestrabitur. » Dicit, *secundum qualitatem culpæ;* ut sit in graviori, *a communione orationis;* in leviori, *a mensa sequestratio.* Hæc autem privatio a mensa communi (ita enim intelligendum est) in Regula S. Benedicti nullam prorsus excommunicationem involvit, ne quidem minorem illam theologorum qua quis excluditur participatione sacramentorum et quibusdam aliis, sed est tantum quædam pœna quæ ob leves culpas infligitur.

[f] *Ut in oratorio psalmum vel antiphonam non imponat.* Ac proinde missam conventualem, ut vocant, non celebret. Potest tamen privatam celebrare. Quia hæc pœna non prohibet monachum sacramentorum perceptione, cum nullo modo fit excommunicatio.

[g] *Si fratres hora sexta*, etc. Ita Magister in Regula ms. : « Si fratres sexta reficiant, ille ad horam nonam. »

[h] *Si fratres nona*, etc. Idem statuit Magister in Regula ms. : « Si inculpabiles fratres hora nona reficiant, illius supradicti refectio protrahatur in vesperam. »

[i] *Si quis autem*, etc. Hæc habentur in prima Regula Patrum ms. cod. Flor., cujus initium est : *Cum resideremus in unum in nomine Domini nostri*, etc. Quæ etiam exstat in vetusto codice ms. bibliothecæ Corbeiensis, cujus titulus est, *Incipiunt statuta Patrum.* Initium vero : *Residentibus nobis in unum in nomine Domini nostri.* Hoc etiam capitulum exstat in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiæ edito Coloniæ.

[j] *In alio.* Ita in cod. Flor. Sed lege, *in aliquo*, ut in cod. Corbeiensi. In libello CXIV Sententiarum legitur, *in aliqua contraria voluntate.* Male.

[k] *Abstineat.* Lege *abstineatur*, ut in cod Flor. et Corb. et in lib. CXIV Sent., id est excommunicetur. Nam abstinere, et abstinere communicatione, idem est ac excommunicare, ut patet ex epist. Caldonii, quæ est 39 inter epist. S. Cypriani : *Item abstinuimus Sophronium;* et supra : *Abstinuimus communicatione Felicissimum.* Et excommunicatus dicitur *abstentus.* S. Cyprianus epist. 38 : *ut abstentum se a nobis sciat.* Et epist. 55.

[l] *Non audeat usquam procedere.* Nempe a loco sibi assignato ab abbate, ubi pœnitentiam agat. Sed lege *uspiam.*

[m] *Si quis tulerit*, etc. Exstat in Regula sancti Pachomii excusa, art. 121.

[n] *In collecta.* Collecta in Regula S. Pachomii est synaxis officii divini. Estque duplex : major, cum omnes fratres simul congregati officium divinum persolvebant in oratorio; minor, quæ in singulis classibus seu domibus a fratribus ejusdem classis seu domus in ipsis domibus fiebat. Art. 107 Regulæ S. Pachomii : » Sex orationes facient vespertinas juxta exemplum majoris collectæ, in qua omnes fratres pariter congregantur. » Art. 126 : « Per domos singulas vesperi orationes psalmosque complebunt juxta ordinem majoris collectæ, quæ a cunctis fratribus in commune celebratur. » Sumitur etiam collecta pro collatione, de qua supra actum est. Eadem Regula, cap. 113 : « Quomodo collecta fieri debeat, et fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei juxta præcepta majorum et doctrinam sanctarum Scripturarum. »

[o] *In loco vescendi.* Id est, in refectorio, ut art. 2 ejusdem Regulæ : « Et vescendi loco, ordine corripietur. » Sed hic locus corruptus est, et legendum : *Ordine monasterii*, etc., ut art. 104, *monasterii ordine increpabitur.* Et art. 93 : « Corripietur ordine monasterii, donec corrigatur. » Id est, juxta ordinationes et statuta monasterii.

[p] *Si quis gillonem*, etc. Hæc sunt apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 16, ex quo multa exscripsit S. Columbanus sub finem sui Pœnitentialis, et S. Isidorus cap. 17 suæ Regulæ.

[q] *Gillonem.* Gillo seu gello est aquale. Glossæ ve-

[a] baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam quam publica diluet pœnitentia; cunctisque in synaxi fratribus congregatis tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus veniam, cum jussus fuerit abbatis judicio solo surgere. Eodem modo satisfaciat quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam tardius accesserit, aut si decantans psalmum vel modicum titubaverit; similiter si superflue, si durius, si contumacius responderit; si vel leviter murmuraverit; si negligentius obsequia injuncta compleverit; si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segnius fuerit exsecutus; si dimissa synaxi non concitam ad cellam recurrere festinaverit; si cum aliquo vel ad modicum substiterit; si ad punctum temporis uspiam recesserit; [b] si alterius manum tenuerit; si cum illo qui cellæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit; si oraverit cum illo qui ab oratione suspensus; si parentum quempiam vel amicorum sæcularium viderit, vel collocutus eis sine suo seniore fuerit; si epistolam cujuscunque suscipere vel rescribere sine suo abbate tentaverit. Hucusque et in hujusmodi ac similibus admissis procedit animadversio spiritalis. Residua vero apud nos indifferenter admissa a nobis quoque reprehensibilius sustinentur. Id est, aperta vitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera et effrenata processio, [c] familiaritas apud feminas, iræ, rixæ, [d] simulationes et jurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ a cæteris fratribus non habentur; extraordinaria ac furtiva cibi refectio. Hæc et his similia non illa [e] increpatione, quam diximus, spiritali, sed vel plagis emendantur, vel [f] expulsione purgantur.

§ VI. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 70).

Interrog. [g] Si injunctum fuit aliquid fratri et contradixerit, postea autem sponte [h] abierit, quid est? — *Resp.* In eo quod contradixit, quasi non obtemperans judicandus est, et velut cæteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium quæ dixit: [i] *Contradictiones suscitat omnis malus: Dominus au-*

teres: ποδόκοιλον, *aquale*, *gello*. Mentio fit in glossis Isidori mox citandis, et in Catalectis.

Augustum penitus torret Phaëthontius ardor
Quem recreat fessum gillo, facella, melo.

Hinc gillonarii lib. II legis Wisigothorum, tit. 4, l. 4, qui gillonum curam habent.

[a] *Baucalem*. Glossæ Isidori: *Baucalem, gillonem*. Eædem glossæ: *Gillonem, baucalem*. Glossæ Benedicti: *Gillo*, βαυκάλιον. Mentio fit apud Joannem Moschum, cap. 19 Prati spiritalis: Δός μοι ὀλίγον ὕδωρ κἀγὼ ἐξενίγκας τὸ βαυκάλιόν μου δέδωκα αὐτῷ, id est, « Da mihi pauxillum aquæ. Et ego afferens baucalem meum dedi ei. »

[b] *Si alterius tenuerit manum*. Optima institutio. Nam ejusmodi attrectationes fomitem libidini subministrant; quas etiam vetat S. Pachomius art. 53 suæ Regulæ: « Manum alterius nemo teneat; sive ambulaverit, sive sederit, aut steterit, uno cubito distet ab altero.

[c] *Familiaritas apud feminas*. Hanc cum mulieribus familiaritatem etiam inter gravia monachorum peccata recenset S. Isidorus, cap. 17 Regulæ suæ: « Graviori autem culpæ obnoxius est si temulentus quisquam fuerit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris. » Quod sane attentius considerent nonnulli monachi, qui nescio quo prætextu familiariter cum mulieribus confabulantur. Ex quo sane se omni pudore et verecundia vacuos esse manifestant. Nam, ut ait præclare Tertullianus, lib. de velandis Virginibus: « Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si a viro visa est. » Quam labem monasteriis attulerit pruriens hæc cum mulierculis colloquendi impetigo, horrendum dictu est. Nec mirum. Nam, ut scribit S. Basilius, lib. de vera Virginitate: Μάλαγμα ἡδονῆς ἀρρένι θῆλυ. Id est, « Viro mulier est voluptatis illex. » Et, ut recte monet S. Leander, lib. de Institutione virginum: « Dispar sexus in unum locatus eo titillatur instinctu, quo nascitur et naturalis movetur flamma, si incomposita attigerit. Quis colligavit ignem in sinu suo, et non comburetur? ignis et stupa sibi utraque contraria in unum redacta flammas nutriunt: viri sexus et feminæ diversus si conjungitur, quo lex naturæ provocat, commovetur. » Unde poeta:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Femina. . . . .

Et sapienter admodum sanctus Antiochus, homil. 17: Ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ λύχνου λαμπάδα τρέφει ἔλαιον, οὕτω καὶ τὸν τῆς ἡδονῆς πύρσον ἐξάπτει ἡ γυναικὸς συντυχία. Id est, « Quemadmodum lucernæ fulgorem oleum nutrit, ita facem libidinis accendit mulieris conversatio. » Quod si ita est, quanto periculo objicit animam is qui frequens adesse mulierum affatibus non pertimescit?

[d] *Simulationes*. Lege, *simultates*, ut apud Cassianum. Et hic est synonymia.

[e] *Increpatio spiritalis*. Hoc loco increpatio spiritalis est qua monachus palam humiliatur et pudore offunditur, quod fit publica pœnitentia, prostratione, rectoris objurgatione et similibus.

[f] *Expulsione purgentur*. Expulsio ista erat tantum ad certos quosdam dies, in quibus monachus cogebatur ante fores monasterii manere separatus a consortio fratrum, ad sui purgationem. Quæ quidem ad purgationem non valeret, si esset omnimoda rejectio. Id etiam planum est ex Regula S. Pachomii, art. 87: « Qui habet pessimam consuetudinem ut fratres suos sermone sollicitet, et pervertat animas simpliciorum; tertio commonebitur: si contempserit et obstinato animo in duritia perseveraverit, separabunt eum extra monasterium, et verberabitur ante fores, dabuntque ei ad vescendum foris panem et aquam, donec mundetur a sordibus. » Juxta codicem nostræ Concordiæ, ut supra notatum est. Et art. 121 ejusdem Regulæ: « Si autem in furto fuerit deprehensus triginta novem (plagis) verberabunt eum, et foris dabunt ei edere panem et aquam tantum, » etc. Id etiam clarum est ex Pœnitentiali ms. S. Columbani: « Qui transgreditur Regulam jussionis vel disciplinæ generalis, maneat expulsus sine cibo, ut in crastinum recipiatur. » Et ita capiendi sunt duo loci ejusdem Pœnitentialis: « Qui vero præpositum suum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, foras repellendus est, nisi ipse dicat: Pœnitet me quod feci. » Et paulo post: « Verbosusque taciturnitate damnandus est, inquietus mansuetudine, gulosus jejunio, somnolentus vigilia, superbus carcere, destitutor repulsione. »

[g] *Si injunctum fuerit*, etc. Habetur apud S. Basilium interr. 38 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42.

[h] *Abierit*. Ad faciendum opus injunctum.

[i] *Contradictiones*, etc. Prov. XVII juxta Septua.

tem angelum immisericordem [a] *immittit ei* (*Prov.* xvii). Cum autem certum sit quia non homini obtemperat, sed Domino dicenti, *Qui audit vos, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Si compunctus est recordatione mandati, prius satisfaciat; et ita (si permittitur) impleat quod injunctum est.

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 71).

Interrog. [b] Si obediens quis murmuret? — *Resp.* Apostolo dicente : *Omnia facite sine murmuratione et hæsitationibus* (*Phil.* ii). [c] Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat; et opus ejus abjiciatur. Manifestum est enim, ille qualis est, quia infidelitate ægrotat, certam futuræ spei fiduciam non gerit.

§ VIII. — *Item ejusdem* [d] (*cap.* 194).

Interrog. Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum qui delinquunt? — *Resp.* Hoc sit in judicio eorum qui præsunt, vel quali modo corripi debeant : quia et ætas et eruditio multam habere facit differentiam pœnæ.

§ IX. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (cap. 17).

[e] Delicta autem levia sunt, aut gravia. Levioris culpæ reus est, qui otiosus esse dilexerit; qui ad officium vel collationem, vel ad mensam tardius venerit, [f] qui, in choro riserit, [g] fabulisque vacaverit; qui, relicto officio vel opere extra necessitatis causam, foris discesserit; qui torporem, aut somnum amaverit; qui sæpius juraverit; qui multiloquus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi sine benedictione susceperit, ac peracto opere benedictionem minime postulaverit; qui injunctum opus negligenter, vel tardius expleverit; qui casu vas aliquod fregerit; qui damnum rei parvæ intulerit; [h] qui codice negligenter usus fuerit; qui alicubi ad momentum secesserit; qui litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultaverit, sine abbatis consensu rescripserit, vel quemlibet parentum seu sæcularium sine jussu senioris aut viderit, aut cum eo locutus fuerit; qui seniori inobediens fuerit; qui contumaciter seniori responderit; qui erga seniorem linguam non represserit, qui lascivus in lingua fuerit; qui inhoneste incesserit; [i] qui jocaverit, qui satis riserit; qui cum excommunicato locutus fuerit; oraverit, comederit; qui illusionem nocturnam Patri non patefecerit. Hæc igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt.

Gravioris autem culpæ obnoxius est, si turbulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ et erectæ cervicis, si mente tumidus, si jactanti incessu immoderatus, si detractor, susurro, vel invidus, si præsumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatur, si aliquid præter regularem dispensationem superfluum possideat, si fraudator rei acceptæ vel commissæ sibi, aut minus commissæ, inter hæc si se de rebus secum allatis extulerit, [i] vel de eis per inobedientiam murmuraverit, si rei majoris damnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit, si falsum dixerit, si contentiones et rixas amaverit, si manifestum convitium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine maculaverit, si contumaci animo seniorem despe-

ginta. In versione communi paulo aliter : *Semper jurgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum*, juxta textum Hebraicum.

[a] *Immittit.* Ita apud S. Basilium, ἐπιπέμπει, in præsenti; apud Septuaginta ἐκπεμψει, in futuro.

[b] *Si obediens*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. sequ. et apud Rufinum cap. eodem.

[c] *Alienus sit.* Ita apud Rufinum. In textu Græco legitur, ἀπηλλοτρίωται. Sed legendum puto : ἀπαλλοτρίουσθω, id est, abalienetur, vel alienus sit, juxta nostram emendationem. Nam hic pœna decernitur in murmurantem, nempe a fratrum societate separatio.

[d] Non exstat apud S. Basil. nec apud Rufinum.

[e] *Delicta autem*, etc. Hæc reperire est in Regula edita S. Isidori, cap. 17; sed fere sumpta sunt ex capite supra citato Cassiani.

[f] *Qui in choro riserit.* Hunc in choro risum ita coercendum censuit S. Pachomius art. 1 Regulæ suæ : « Si acciderit, ut psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat; solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint. » Adversus eos qui in ecclesia rident, invenitur S. Joannes Chrysostomus serm. 15 in epist. ad Hebræos.

[g] *Fabulisque vacaverit.* Quam sit utile in ecclesia tacere, at contra quam sit indignum omni homine Christiano et sancto vacare ibi fabulis, præclare docet S. Ambrosius, lib. iii de Virginibus : « Maxima est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas; » et paulo post : « An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur : circumsonari sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant? Unde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum rege puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu (*Val. Max. l.* iii, *cap.* 3). Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret; atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui si idem ignis contigisset, arsissent? » Et paulo post : « Frequens sermo est cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi : tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reverentiam recognoscit quod per naturam ignorat : hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? »

[h] *Qui codice negligenter usus fuerit.* Ita in Regula excusa, sed apud Smaragdum corrupte legitur : *Qui quotidie negligenter visus fuerit.*

[i] *Qui jocaverit.* Joca et facetiæ monacho vitanda sunt. Oportet enim eum esse γλυκὺν ἐν ταῖς ὁμιλίαις, οὐ διὰ τῆς εὐτραπελίας τὸ ἡδὺ θηρώμενον, id est, « suavem in conversatione, nec facetosis sermonibus jucunditatem venari, » inquit S. Basilius epist. ad S. Gregorium Theologum. Vide supra ad caput de Taciturnitate.

[i] *Vel de eis.* Sibi ablatis.

xerit, si rancorem adversus fratrem tenuerit, si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit, si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum præpositi vel abbatis discedens medio die, vel amplius commoratus fuerit, si, ut otiosus sit, falsam infirmitatem prætenderit. Hæc et similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione [a] purganda sunt; ut qui graviter peccare noscuntur, acriori severitate coerceantur.

§ X. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 15).

[b] Clamosum in locutione monachum, aut iracundum, ridiculosum, subsanatorem sive detractorem esse non decet. Qui ejusmodi est, et sæpe castigatus, non fuerit emendatus, flagellis verberibusque curandus est, et acriter emendandus, crebraque curiositate et industria reducendus. Lascivus, petulans et superbus sæpius suspendatur a cibo, et biduanis sive triduanis maceretur inediis, operisque adjectione conficiatur : sermone et colloquio castigetur. Si ista perpessus sæpe, minime fuerit correctus, plagis emendetur instantius, reclusionibus diutinæ coarctetur angustiis, [c] brevissime panis et aquæ esu sustentandus, donec se spondeat a vitio recessurum. Inobedientem, murmuratorem, contradictorem, sive furtivis comestionibus atque [d] bibitionibus vacantem supra scripta coercebit sententia : et in omnibus omnino monachorum [e] excessionibus congrua animadversio adhibenda est secundum abbatis et seniorum judicium conveniens negligentiæ, ætati, sive personæ. Eritque summa discretione providendum, ne gravia pro levibus inferantur; aut e contrario pro maximis levis et parva ultio erogetur. Mensura namque et pondere æquo justitiaque pia et miseratione continua Pater vel præpositus debet excellere : ut sic vulnus curet ægroti, quatenus salutem et non debilitatem inferat membris : [f] quia sicut subditorum vitia per præpositos, ita et præpositorum negligentias per semetipsum Deus judicabit.

§ XI. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 19).

Excommunicationis mensura qualis esse debeat, justum scientibus librare judicium [g] culpæ modus ostendit. Levioribus enim culpis levior est adhibenda correptio; gravioribus vero [h] ferventior exhibenda damnatio. Proinde abbatis studio pensandum est, ut si aliquis frater in levioribus inveniatur obnoxius culpis, usque [i] ad indictam sibi horam mensa privetur : de gravioribus vero seu dierum vel mensium definitio in longius protracta correptione [j] finiatur. [k] Ea tamen Regula, ut si amplius quam septem dierum spatium excommunicationis percurrerit : quandiu pœnitentiæ sub statuto tempore ordo retentus fuerit [l] sicut a mensa suo loco privatur; ita et in ecclesia segregetur : ut [m] in loco, in quo antea fuit, nec psalmum [n] cantet, nec ullum ordinem teneat; usque dum satisfactione humili cum cordis contritione ab abbate vel a senioribus veniam mereatur. Excommunicatus vero frater qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur, aut consortio congregationis separatur, a nullo penitus aut [o] colloquia, aut visitationis munus fruatur : nisi tantummodo cui præceptum ab abbate fuerit. Si quis transgressus hanc regulam fuerit, regulari pœnitentiæ subjacebit.

§ XII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 30).

Superbis inobedientibusque, et iracundiam protrahentibus nunquam parcendum, donec corrigantur

§ XIII. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 22).

Ut convitium vel maledictum ex ore monachi non procedat; neque lingua in impatientiæ excitationes soluta effrenatum quid ministret ostiis labiorum; sed commotus ira, ([p] ut est humanitatis) dicat : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium cir-*

[a] *Purganda sunt.* In Regula excusa additur : *Et flagellis emendanda.*

[b] *Clamosum*, etc. Habetur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crassensis, et in libello CXIV Sententiarum de rectoribus Ecclesiæ, usque ad illa verba : *Crebraque curiositate*, etc. Clamosum autem esse monachum turpe est admodum. Nam rusticitatis est symbolum μεγάλη τῇ φωνῇ λαλεῖν, id est, alta voce loqui, inquit Theophrastus, charactere de rusticitate. Unde apud Plautum initio Mostellariæ clamosus sic objurgatur.

> Quid tibi malum, hic ante ædes clamitatio est?
> An ruri censes te esse? Abscede ab ædibus.
> Abi rus, abi directe. . . . .

[c] *Brevissime.* Ita in Regula ms., id est parcissime. Vel certe legendum, *brevissimi?*

[d] *Bibitionibus.* Id est, potationibus. Hoc vocabulo utitur S. Cæsarius archiepiscopus Arelatensis, serm. 6. « Nam qui de choro psallentium it ad comessationes inhonestas, bibitionesque furtivas. »

[e] *Excessionibus.* Id est, excessibus.

[f] *Quia sicut subditorum vitia*, etc. Nota. Subditi hic a prælatis judicantur : sed prælati a Deo severius quidem, nempe in illo severissimo et districtissimo judicio judicandi sunt.

[g] *Culpæ modus.* Id est, culpæ ratio, scilicet gravitas, aut levitas, aliæque circumstantiæ.

[h] *Ferventior.* Id est, asperior, acerbior.

[i] *Ad indictam sibi horam.* Indicta hora est, ut si fratres sexta, ille nona, ille vespere reficiat.

[j] *Finiatur.* Id est, determinetur.

[k] *Ea tamen Regula.* Supp. *servata.* Hæc autem spectant ad leves culpas, quorum pœnam diffinit, mox de gravioribus acturus. Et sensus est : quemadmodum ob leves culpas excommunicatus suo loco in mensa privatur, ita in ecclesia segregetur, et nullum psalmum cantet : si tamen ejusmodi excommunicatio excesserit septem dierum spatium.

[l] *Sicut a mensa.* Legendum videtur, *sicut in mensa.*

[m] *In loco in quo antea fuerat.* Non tamen sequitur, ut in alio loco psalmum cantet.

[n] *Cantet.* S. Benedictus dicit, *imponat.* Ex quo patet idem esse imponere. ac cantare. Sed de hoc verbo infra.

[o] *Colloquia*, etc. Archaismus. Nam olim verbum *fruor*, accusativo jungebatur.

[p] *Ut est humanitatis.* Id est, ut est infirmitatis et imbecillitatis humanæ. Phædrus lib. III Fab.

> Humanitati qui se non accommodat,
> Plerumque pœnas oppetit superbiæ.

Sic *humanum*, apud Terentium in Heautontim., act. I, sc. I :

> Homo sum, humani a me nihil alienum puto.

Ut humanum factum, humanus error, ex humana fragilitate manans.

cumstantiæ labiis meis (*Psal.* CXL). Adjungat et illud : *Dixi, Custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII). Habens illud Apostoli ante oculos suos : *Quia neque maledici regnum Dei possidebunt* (*Cor.* VI). Si quis ergo his indomitus mente proruperit, [a] triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus, donec agnoscens se [b] tantummodo in congregatione [c] solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.

§ XIV. — EJUSDEM (*cap.* 29).

Ad illos qui post correctionem impugnantes judicia seniorum nituntur excusare peccatum, et non ad pœnitentiam recordatione delicti, sed ad duritiam indignationis nimium migraverint; [d] respice istam sententiam : ut [e] quandiu a proposita intentione revocentur, et [f] cum ore mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subjaceant disciplinæ : quia non dixerunt : *Peccatum meum ego cognosco;* sed dixerunt, quod [g] in Isaia propheta de rebellibus legitur : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccatum suum, dicens : Quid feci ?* Illi namque se prioribus anteponunt, et aliorum loca non erubescunt elationis vitio invadere, ac præceptis Dominicis contradicunt, quibus ita jubemur : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister* (*Matth.* XX) ; *et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus* (*Marc.* X). Abbatis vel etiam reliquorum increpatione confusi ad locum proprium quem reliquerant revocentur : quos ad majorem gradum tardius decernimus promoveri, ne, addita dignitate, radicata in eis præsumptio prævalescat.

§ XV. — *Item ejusdem* (*ex eodem capite*).

Illos igitur monachos quos vel unius diei finis discordes invenerit, qui usque ad vesperam lites trahunt, et ante non excludunt odium quam sol eognoscat occasum (*Eph.* IV), qui [h] dicenti Apostolo per inobedientiam contradicunt, statuimus tandiu abstinentia macerandos, quandiu ad veram se concordiam ultronea satisfactione convertant. Quibus post longum [i] scandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas charitatis admittat : sed sit eorum reconciliatio publica, quorum fit discordia manifesta. Fratribus ergo cunctis astantibus veniam invicem postulent, quia uterque reus diuturna simultate notatur, dum unus indulgentiam petere destitit, aut alter rogari desiderans non dimisit. Et ideo impius mansit impœnitens : hic damnandus posterum, ille post culpam. Propterea offensus iste iram in contemptu Evangelii non retineat, sed cito ad illud recurrat [j] exemplum : *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI). Et illud Apostoli : *Induite vos* [k] *sicut electi Dei, et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (*Col.* III). Ille vero qui injuriam intulit, hujuscemodi exemplo velociter terreatur : *Facit Dominus judicium injuriam patientibus*

[a] *Triginta diebus*, etc. Hæc fuit olim usitata a priscis illis Patribus excommunicationis ratio, quæ certo dierum, aut mensium, aut annorum numero diffinitur pro delictorum modo, et ratione S. Fructuosus episcopus Bracarensis, cap. 17 Regulæ : « Si nec sic se emendaverit, flagelletur acerrime, et trium mensium spatio excommunicationis vindictam suscipiens sub pœnitentiæ districtione solus recludatur in cella. » S. Isidorus, cap. 17 Regulæ : « Hæc igitur et his similia triduana excommunicatione emendanda sunt. » Et cap. 18 : « Si excommunicatio biduana fuerit, excommunicato nihil alimenti tribuendum est. » Concilium Epaonense, can. 34 : « Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione biennii confusionem sanguinis expiabit. » Concilium Eliberitinum, can. 55 : « Sacerdotes si tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem. » Concilium Agathense can. 62 : « Si quis proprium servum sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum emendabit. » Et can. seq. : « Triennio a communione priventur Ecclesiæ. » Aurelianense III, can. 4 : « Quod si quilibet antistitum, vel clericorum quod supra scriptum est, vitare voluerit, triennii excommunicatione multetur. » Concilium Turonense II, can. 20 : « Nam si inventus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur. » Concilium Nicænum, can. 11 et multis aliis. Ancyranum, can. IV. S. Basilius, epist. 3 ad Amphilochium, can. 58 : Ὁ μοιχεύσας ἐν τῇ ἕκτῃ ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγασμάτων, id est, « Mœchus quindecim annis a sacramentorum communione arcebitur. » Et multis aliis locis.

[b] *Tantummodo.* Videntur deesse hæc verba, *ob id*, vel similia.

[c] *Solitudinem.* Solitudo hoc loco est a fratrum societate separatio.

[d] *Respice istam sententiam.* Legendum videtur : *Respicit ista sententia.*

[e] *Quandiu.* Id est, *donec.* S. Cæsarius in Recapitulatione : « Quandiu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat. »

[f] *Cum ore mentis.* Locus corruptus. Lege *tumorem mentis*, ut in cod. Vindocinensi.

[g] *In Isaia.* Ita in cod Vind. Sed hic locus exstat, non in Isaia, sed Jeremiæ cap. XVIII.

[h] *Dicenti Apostolo.* Nempe ut *sol non occidat super iracundiam* nostram ; cui non obtemperant ii qui solis occasum non præveniunt, ut cum fratribus in gratiam redeant.

[i] *Scandalum.* Scandalum est rixa, jurgium, dissensio, pugna, ut supra notatum est. S. Gregorius Turonensis, lib. V Hist., cap. 10 : « Nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit. » Et lib. X, cap. 15, agens de illa seditione exorta inter sanctimoniales cœnobii S. Radegundis : « Cum autem scandalum quod serente diabolo in monasterio Pictavensi ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret. » Id etiam patet ex psalmo CXVIII, cap. 21, *pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Ubi *pax* et *scandalum* opponuntur. Unde Apollinarius in Metaphrasi, ubi Septuaginta scribunt σκάνδαλον, posuit νεῖκος, id est contentio, rixa.

.....Οὐδέ τι νεῖκος ἔχουσι.

Id est, « neque aliquam rixam habent. »

[j] *Exemplum.* Id est, testimonium, auctoritatem, ut etiam paulo post dixit : *hujuscemodi exemplo*, etc.

[k] *Sicut electi Dei.* Omissa est vox *sancti*, quæ hæc verba sequitur.

(*Psal.* CXLV). Et alibi : *Quo seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI).

§ XVI. — Ex Præceptis et Institutis sancti Pachomii.

[a] Qui injuste judicaverit, [b] injuste ab aliis condemnabitur. [c] Si unus e fratribus, aut duo, vel tres [d] scandalizati ab aliquo recesserint [e] de domo et postea venerint, ventilabitur inter eos et scandalizantem judicium; et si reus inventus fuerit, monasterii regulis emendabitur.

§ XVII. — Ex Regula sancti Columbani.

[f] Si quis detraxerit abbatem suum, septem dies unum [g] paximatium : si fratrem suum, XXIV psalmos : si sæcularem, XII psalmos.

§ XVIII. — *Item ejusdem.*

[h] Si quis iracundiam, vel tristitiam, vel invidiam tenet contra fratrem suum [i] ut tempus tenuerit; ita erit pœnitentia ejus in pane et aqua. Si vero [j] prima die confessus fuerit, [j] viginti quatuor psalmos.

§ XIX. — *Item ejusdem.*

[k] Qui autem rixam commiserit, septem dies pœniteat. Qui vero suum præpositum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, [l] foras repellendus est; nisi ipse dicat, Pœnitet me quod dixi. Si autem non se humiliaverit [m] quadraginta diebus pœniteat, quia superbiæ morbo detinetur.

§ XX. — *Item ejusdem.*

[n] Si cum illo qui [o] cellæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcunque præsumpserit, [p] superpositio.

§ XXI. — Ex Regula cujusdam.

Si quis seniori detraxerit, non seniori detrahit, sed Deo, [q] cui opus facit. Si vero hoc frequenter facit, [r] abscindatur a fraternitate ac sollicitudine [s] fraterni corporis. Si vero pœniteat, remittenda sunt peccata sua, *Detrahentem*, inquit Propheta, *secreto*

[a] *Qui injuste judicaverit*, etc. Exstat in edita S. Pachomii Regula, art. 98.

[b] *Injuste ab aliis.* Lege, *juste ab aliis*, ut in Regula excusa.

[c] *Si unus e fratribus*, etc. Hæc non exstant in Regula S. Pachomii excusa.

[d] *Scandalizati.* Id est, opprobriis et contumeliis affecti, aut verberati.

[e] *De domo.* Id est, de classe sua. Vide supra.

[f] *Si quis*, etc. Hæc habentur in Pœnitentiali ms. S. Columbani cod. Flor.

[g] *Paximatium.* Supple, *ei detur.* Detractori unicum paximatium datur mulctæ nomine, quia quotidie monachi, Ægyptii maxime, quos in multis sequitur S. Columbanus, duo quotidie paximatia viritim accipiebant, ut clarum est ex Cassiano, coll. II, cap. 9 : « Præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus modum in duobus paximatiis statuerunt. » Coll. XII, cap. 15, et lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14. Paximitium, seu paxamatium, vel paxamas, atque etiam paxamades, et paxamadium (varie enim scribitur hoc nomen) est panis recoctus, bis coctus. Suidas : Παξαμὰς ὁ δίπυρος ἄρτος ἔστι δὲ λέξις Ῥωμαϊκή. Id est, « Paxamas bis coctus panis. » Est autem vox Latina. » Et alibi : Δίπυρος ἄρτος παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμὰς, id est, « recoctus panis a Latinis dictus paxamas. » Quidam nomen deducunt a Paxamo, rei culinariæ scriptore, cujus meminere Suidas et S. Hieronymus lib. I contra Jovinianum. In Glossis Isidori dicitur. *Paxamatium, panis subcinericius.* Δίπυρος ἄρτος est denuo coctus panis. Hesychius, δίπυροι ἄρτοι ἐκ δευτέρου ὀπτόμενοι, id est panes secundo cocti. « Athenæus, lib. III : Οἱ δίπυροι δὲ εἰσίν τινες ἄρτοι τρυφῶντες· id est, « Recocti vero sunt quidam panes deliciosi. » Sed hi non sunt monachorum, quia dulciariorum arte medicati. Idem quod bucellatum. Nam Palladius monachorum panem, quem alias appellat paxamatem, ut cap. *de Paulo simplice*, in Macario Alexandrino vocat βουκελλάτον· κλάσας τὸ βουκελλάτον ὁ εἶχεν, id est, « cum fregisset buccellatum quod habebat. » Et Leo in Constitutionibus militaribus panem siccum militarem, qui vulgo dicitur buccellatum, appellat paxamadium, et paxamadem. Constit. 10, § 13 : Δακτύλιον ἔχειν ἢ παξαμαδίου, id est, « sumptum habere vel paxamadii. » Et Constit. 12, § 324, inter alia statuit ut miles in die belli ferat παξαμάδην ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ, id est, paxamatium in sellæ marsupio. Buccellati mentio fit Cod. leg., *de erogatione militaris annonæ.* Meminit Spartianus in Pescennio Nigro : « Buccellato jubens milites et omnes contentos esse. » Olympiodorus appellat ξηρὸν ἄρτον, id est, panem siccum : scribitque inde milites buccellarios appellatos esse, hancque denominationem datam eis tem-

[h] *Si quis iracundiam.* Hoc capitulum exstat in Pœnitentiali ms. S. Columbani cod. Flor.

[i] *Ut tempus tenuerit.* Nempe iracundiæ, id est, quanto tempore frater ille iracundiam servaverit.

[j] *Viginti quatuor psalmos.* Supple *recitet.*

[k] *Qui autem rixam commiserit.* Habetur in eodem Pœnitentiali ms. cod. Flor.

[l] *Foras repellendus est.* Expulsio illa erat tantum ad tempus : ita ut expulsus resideret ante fores monasterii, donec revocaretur, ut supra explicatum est.

[m] *Quadraginta diebus pœniteat.* Nempe in choro prostratus coram omnibus in synaxi, cum videlicet expulsus ille revocatus fuerit ab abbate Quæ sane nostram opinionem de repulsione ad aliquot certos dies confirmant; quia si is qui non pœnitet, foras expellitur, cur ei quadraginta dierum pœnitentia imponitur, si postea non sit revocandus?

[n] *Si cum illo*, etc. Hic textus habetur in ms. Pœnitentiali S. Columbani cod. Flor. emendicatus a Cassiano, quem in quibusdam sequitur S. Columbanus, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 6.

[o] *Cellæ suæ cohabitator non est.* Quia monachi S. Columbani duo habitabant in cella juxta institutum monachorum Ægyptiorum, ut supra observatum est; et ejusdem cellæ habitator syncellita dicebatur, apud Cassianum, coll. XX, cap. 2.

[p] *Superpositio.* Supple *ei injungatur.* Intelligitur superpositio silentii. Nam in hoc S. Columbani Pœnitentiali passim reperiuntur superpositiones silentii; jejunii vix repereris. Unde cum in hoc Pœnitentiali dicitur tantum *superpositio*, subaudi *τὸ silentii.* Quid sit superpositio et superponere, infra dicetur.

[q] *Cui opus facit.* Lege, *Cujus opus facit*, ut in cod. Vindocinensi, nempe prælaturam. Sunt enim prælati Dei vicarii. « Qui in Christi thronum successerunt, de quo ipsi sermocinantur, de quo Christus dedit eis ministerium reconciliationis, » docet S. Joan. Chrysostomus serm. 3 in epist. ad Colossenses.

[r] *Abscindatur a fraternitate.* Id est, separetur a consortio fratrum, excommunicetur.

[s] *Fraterni corporis.* Id est, fraternæ congregationis Corpus est congregatio, communitas, collegium. Ælius Lampridius in Alexandro Severo : « Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, et omnino omnium artium. »

proximo suo, hunc persequebar. (*Ps.* c). Si quis inventus fuerit in aliquo spernere seniorem suum, non hominem spernit, sed Deum, et reliqua. Si quis hoc faciat, pœniteat, et reconciliabitur seniori suo : et omnia quæcunque senior præceperit, secundum mandatum Domini explenda sunt.

§ XXII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 25).

Interrog. [a] Unde et nocturnæ phantasiæ inhonestæ ac turpes ascendunt ad nos ? — *Resp.* [b] Veniunt quidem hæc maxime ex diurnis animæ motibus et actibus indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, expurgatur anima ejus per meditationem legis divinæ, et studium verbi Dei : ibique si indesinenter curam gerat semper requirens et scrutans quid sit quod placeat Deo, [c] talia habebit etiam somnia.

§ XXIII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 25).

Qui nocturno delusus phantasmate fuerit, tempore officii in sacrario stabit ; nec audebit eodem die in ecclesiam introire, etc.

§ XXIV. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 18).

[d] Ad convivium nuptiale fratrum nullus accedat, ne per lasciviam sæcularem quæ sunt sæculi recognoscat, [e] quod absit, ad mundi hujus vitam, etsi non corpore, animo revocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus (*Epist.* 1) : « Adulterium dum videtur, discitur. » [f] Qui joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, [g] aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, ut dignus est, subjacebit. Si quis quælibet invenerit, inventa non celet, et cognoscenda non occultet. Quod si reperta unius diei spatio convincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. [h] Si quis eum qui districtionem monasterii non ferens, fugam meditari cognoverit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet : et tandiu a conventu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat revocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendaverit, reprehensa juxta ætatis formam convenit vindicari.

§ XXV. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 40).

Superbis, vero inobedientibus, et iracundiam protrahentibus, nunquam parcendum, donec corrigantur.

§ XXVI. — Ejusdem (*cap.* 41).

Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere, [i] disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, [j] triginta et novem, et quamlibet juste disciplina teneatur ; tamen secundum illud *bonitatem et disciplinam*, paternum affectum sanctus abbas circa omnes teneat, secundum Apostolum : *Tanquam si nutrix foveat* [k] *pullos suos.* (*Ps.* cxviii).

[a] *Unde nocturnæ*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. xxii Regul., brev., et apud Rufinum, cap. 29.

[b] *Veniunt quidem hæc maxime*, etc. Huic non absimile est id quod docet S. Leander lib. de Instit. vir., cap. 3. « Quos (juvenes) ad hoc diabolus objicit et virgineis opponit oculis, ut formas eorum, quas per diem viderit virgo, meditetur in nocte. Quod si contradicat mentis ratio, talesque imaginationes ab animo respuat, recens tamen visio et corporalis inspectio memoriæ exhibet formas quas videndo didicit. Et, si paululum talis imaginatio oblectet mentem, occurret etiam per somnium quod viderit oculis : sic diaboli sagittis corpus virginis vulneratur, et infigitur cordi amor noxius, ut quod in nocte recordata est, cum amore velit adhuc videre in crastinum. »

[c] *Talia habebit etiam somnia.* Ut S. Cæsarius archiepiscopus Arelatensis, qui cum interdiu semper Deum in corde haberet, in convivio, in itinere, in collocutione, in consessu, etiam in somno semper meditabatur, ut scribit Cyprianus lib. II de ejus Vita.

[d] *Ad convivium nuptiale.* Nuptiis interesse monachis interdictum est concilio Antissiodorensi, can. 29 : « Non licet abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare. »

[e] *Quod absit.* Lege, *et quod absit.*

[f] *Qui joculare aliquid.* Hæc et sequentia videntur ascribenda Regulæ Orientali, ita ut illis hic titulus præfigendus sit : *Ex regula Orientali.* Nam multa hic sumuntur ex Regula S. Pachomii, quod sane, ut supra notavimus, usitatum est Regulæ Orientali, non Tarnatensi.

[g] *Aut habere amicitias ætatis infirmæ.* Ætas infirma pueri sunt. In Regula S. Pachomii, art. 90 : « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, » etc.

[h] *Si quis eum*, etc. Ex Reg. S. Pachomii, art. 124 : « Hæc est ultio in eum qui fratrem de domo perdiderit, tribus diebus aget publicam pœnitentiam. Quod si eadem hora qua fugerit, non nuntiaverit Patri, reus erit peccati. »

[i] *Disciplinam.* Id est, correctionem. Vide superius adnotata.

[j] *Triginta et novem.* Juxta S. Pauli flagellationem, ut supra notatum est : cujus flagellationis ratio, ita describitur apud Bedam quæstione 2 libri Quæstionum variarum, ex quadam pictura de Pauli a Judæis flagellatione Roma in Angliam allata : « Quod ita intelligendum, ab antiquis ita intellectum testatur etiam pictura ejusdem libri quam reverendissimus ac doctissimus Cudus (alias Chidonius) orientalium Anglorum antistes veniens a Roma secum in Britanniam detulit : in quo videlicet libro omnes pene ipsius Apostoli passiones, sive labores per loca opportuna erant depictæ. Ubi ita hic locus depictus, quasi denudatus jaceret Apostolus laceratus flagris, lacrymisque perfusus : superastaret autem ei tortor quadrifidum habens flagellum in manu, sed unam e fidibus in manu sua retentam : tres vero reliquas solum ad feriendum habens exertas. Ubi pictoris sensus facillime patet, quod ideo ternis fidibus eum fecit verberare, ut inde plagarum quadragenarium numerum non compleret. Si enim quaternis fidibus percuteret, decies percutiens sexaginta(lege, quadraginta) plagas faceret ; si vero ternis tredecies feriret, inde quadraginta plagas non impleret. » Sed tantum novem et triginta.

[k] *Pullos suos.* In communi versione, *Filios suos*, ut in textu Græco, τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Itaque legè : *Parvulos suos* (I *Thess.*), ut infra c. 39.

CAPUT XXXII.

DE GRAVIORIBUS CULPIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Is autem frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul, et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens [b] in pœnitentiæ luctu : sciens terribilem illam Apostoli sententiam dicentis : traditum hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini (*I Cor.* v). Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora, qua præviderit ei abbas competere. [c] Nec a quoquam benedicatur transeunte, [d] nec cibus, qui ei datur.

§ II. — Ex Regula Patrum.

[e] Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, [f] ut junior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium clericatus excipiat. Si vero [g] jam clericus in id facinus fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur. Cui sufficere potest pro actus sui [h] levitate impleta pœnitentiæ satisfactione [i] communio.

A § III. — Ex Regula sancti Ferreoli episcopi (*cap.* 39).

[i] Furti conscium, si adhuc vocare monachum possumus, quasi adulterum secundum flagellis subdi et magna conteri afflictione jubemus, dantes illi [k] unam cum fornicatione sententiam : quia luxuriatus est, cum furaretur. Similes enim eos non incongrue dicimus, quos in sacra lectione pariter positos invenimus. Dicit ergo Dominus per prophetam : *Non est scientia Dei* [l] *super terram* (*Ose* IV) ; et paulo post : *Furtum et adulterium inundaverunt* (*Ibid.*) ; et iterum in psalmo : *Si videbas furem,* [m] *simul currebas cum eo,* [n] *et adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* LXIX). Legimus etiam in Evangelio Dominum [o] dixisse : *Fornicationes, furta* (*Matth.* B XV). Nec moratus addidit : *Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Ibid.*). Ex his profecto intelligere possunt horum scelerum servi quia, sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur et pœna.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 16).

[p] Monachus [q] parvulorum aut adolescentium con-

[a] *Is autem frater*, etc. Hic agitur de majori excommunicatione, quamvis omnes illius effectus non exprimantur brevitatis causa. Nam excludi a mensæ participatione, ab oratorio, a consortio et colloquio hominum, ut hic manifeste habetur, sunt effectus majoris excommunicationis. Quod etiam suadent illa verba : *Sciens terribilem illam Apostoli sententiam*, etc. ; ille enim proprie dicitur tradi Satanæ, qui majori excommunicatione plectitur.

[b] *In pœnitentiæ luctu.* Concilium Tarraconense I, can. 1, de Monacho pœnitentiam agente : *Pœnitentiæ lamentis incumbat.*

[c] *Nec a quoquam benedicatur transeunte.* Nempe cum ipse excommunicatus alicubi solus operatur. Alioqui in cella residere debet, ut postea videbitur. Benedictio autem hæc est, quam junior a seniore transeunte petere debet. Unde Magister cap. 13 : « Petenti benedictionem nullus respondeat : Deus. Licet tamen assurgere salutanti, caput inclinare, aut nudare humanitatis officio, vel vitandi scandali causa, ut docet Angelus in verbo, *Excommunicatio* ; de Graffiis lib. IV, p. 1, c. 12 ; Millardus, cap. 101 ; Sairus, lib. II, cap. 11.

[d] *Nec cibus qui ei datur.* S. Fructuosus episc., cap. 14 Regulæ : « Et hoc ab abbate exsufflatum et non sanctificatum. » Magister, cap. 13 : « Quidquid ei porrigitur, a nullo signetur. »

[e] *Si quis vero monachus*, etc. Hæc habentur in secunda Regula Patrum cod. ms. Flor., cujus initium est : *Cum in nomine Domini una cum fratribus* D *nostris convenissemus.* Quamobrem titulum, qui hic desiderabatur, supplevi in hæc verba : *Ex Regula Patrum:* fretus etiam auctoritate Smaragdi, qui scribit : « Et alii Patres dixerunt : Si quis vero monachus, » etc. Proferuntur etiam a Burchardo, lib. II, cap. 64, et Ivone Carnotensi, parte XIII Decreti, cap. 51, ex concilio Agathensi, can. 2 : « Si quis clericus aut monachus. » etc. Quæ tamen non exstant in dicto concilio. Quare arbitror citationem esse vitiosam.

[f] *Ut junior virgis cæsus.* Furti reos monachos indifferenter flagellationi subjicit S. Pachomius art. 121, et sanctimoniales S. Cæsarius Arelatensis cap 24 Regulæ.

[g] *Jam clericus.* Apud Ivonem et Burchardum legitur : *Jam ordinatus.*

[h] *Levitate.* Lege *stultitia.*

[i] *Communio.* Apud eosdem legitur : *Sola communio.*

[i] *Furti conscium, si*, etc. Hæc habentur in libello C et XIV Sententiarum de Rectoribus, ubi S. Ferreolus appellatur presbyter.

[k] *Unam cum fornicatione sententiam.* Lege *cum fornicante*, ut in præfato libello. *Unam sententiam*, id est idem judicium.

[l] *Super terram.* In vulgata versione : *In terra.*

[m] *Simul currebas.* Ita in Regula Magistri, cap. 13, juxta Psalterium Romanum.

[n] *Et adulteris.* Lege : *Et cum adulteris.*

[o] *Dixisse, Fornicationes, furta.* Apud Smaragdum legitur : « dixisse : *De corde enim exeunt adulteria, fornicationes, furta*, et reliqua. »

[p] *Monachus*, etc. Hæc habentur eodem cap. 16, in Regula ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass. In libello 114 Sententiarum de Rectoribus, ubi post τὸ *monachus*, additur : *Vel clericus*, et apud Henricum Canisium, tom. V antiquæ lectionis, parte II. Refertur etiam a Burchardo, lib. XVII Decreti, cap. 35, ex dictis Basilii, sed non ita recte. Nam hoc capitulum nusquam repereris apud S. Basilium, sed in Regula S. Fructuosi Bracarensis, ut ex dictis notum est : quamvis hic referatur paulo contractius, et varient quædam. Apud eumdem Burchardum initium hujus capitis ita legitur : *Clericus vel monachus adolescentium vel parvulorum insectator.*

[q] *Parvulorum aut adolescentium consectator*, etc. Ejusmodi cum junioribus familiaritates etiam aliorum Patrum Regulæ proscribunt ; S. Pachomii art. 90 : « Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, et ludere, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, et memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessaverit, corripiatur, ut dignus est, correptione severissima. » Orientalium seu Tarnatensium cap. 14 : « Qui joculare aliquid, vel risui aptum in conventu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum junioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ,

sectator, vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi [a] reprehensus fuerit inhiare, [b] probata patenter per accusatores verissimos, sive testes [c] causa, publice verberetur ; [d] coronam capitis, quam gestabat, amittat [e] decalvatusque turpiter opprobrio pateat, [f] omniumque sputamentis oblinitus in facie, probraque æque suscipiat, vinculisque arctatus ferreis carcerali sex mensibus angustia maceretur, et triduana per hebdomades singulas refectione [g] panis exigui hordeacei vespertino tempore sublevetur. Post deinde, expletis his mensibus, aliis sex mensibus succedentibus sub senioris spiritalis custodia segregata [h] in corticula degens opere manuum et oratione continua sit [i] contentus, vigiliis et fletibus, et humilitate subjectus, et pœnitentiæ lamentis veniam percipiat : et sub custodia et sollicitudine duorum fratrum in monasterio ambulet, nulla privata locutione vel concilio deinceps juvenibus conjungendus.

§ V. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 6).

Hi vero fratres, qui gravioribus culpis in pœnitentia detinentur, in ecclesia cum cæteris, qui communicant, non stent, sed in alia ecclesia secrete [j] cursum cantent. Expleto cursu, egredientes ante fores ecclesiæ, in qua communicantes cursum explent, stare præcipiantur. Et egrediente congregatione supra humum prostrati rogent pro se Dominum exorari, ut gravia commissa contritione deleantur cordis, meminentes illud : *Cor contritum et humiliatum* [k] *Deus non spernit* (*Ps.* L). Et : *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus* (*Ps.* CXXXV). In oratione positus semper pœnitens dicat : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (*Ps.* L). Ut ira arguentis judicis, et in proximo vindictam reddentis per piæ mentis affectum hac humili oratione sedetur.

§ VI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 13).

[l] Cum suggestum fuerit a præpositis abbati [m] meritum inobedientis, jam non dicendus est frater, sed [n] hæreticus legis : jam non dicendus filius Dei, sed operarius dæmonis, qui dissipando sanctorum facta velut quædam scabies est procreata in grege. Convocet eum abbas præsentibus suis præpositis, vel coram congregatione circumstante. Et interrogati

increpationi, ut dignus est, subjacebit. » S. Isidori cap. 17 Regulæ, ubi inter gravia peccata annumeratur : *Si* (quis) *cum parvulis jocaverit, riserit, vel eos osculatus fuerit.* »

[a] *Reprehensus.* Lege : *Deprehensus*, ut in libro CXIV Sententiarum, et apud Canisium.

[b] *Probata.* In citato libello, et apud Canisium : *Comprobata.*

[c] *Causa.* Ita apud Canisium, et in citato libello. Causa est culpa, crimen, noxa, offensa, de quo infra. Apud Smaragdum male legitur : *Hujus rei causa.*

[d] *Coronam capitis amittat.* Si sit clericus.

[e] *Decalvatusque*, etc. Id est ad cutem rasus. Juniorum amatores S. Fruct. jubet cædi verberibus, et decalvari. Ignominiosum olim supplicii genus, raso capite, verberibus aut colaphis cædi. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum : « Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens et maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. » S. Gregorius Turonensis lib. v Hist., cap. 39 : « Et graviter verberata, incidi comam ejus capitis jubet. » Lib. I Legis Wisigothorum, tit. 1, l. 7 : « Decalvatus tamen centum flagella accipiat ; » et titul. 2, l. 7 : « Centum accipiat ictus flagellorum, atque turpiter decalvatus, » etc. ; lib. III, tit. 3, l. 8 et 10 ; lib. VII Capitularium regum, tit. 335, et lib. I Legis Longobardorum tit. 17, l. 5. Adam lib. IV Hist. Bremensis, cap. 1 : « Alios etiam legatos ad se pro pace directos publice verberari et decalvari jussit. » Juvenalis sat. 5 :

. . . . Pulsandum vertice raso,
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Palladius in Lausiaca, cap. *de Philoromo*, ὃν ξυρισθῆναι ἐκέλευσεν, καὶ ὑπὸ παιδαρίων ἐντονώτατα κοσσισθῆναι, id est, « quem radi jussit, et validissime a pueris verberari colaphis. »

[f] *Omniumque sputamentis.* Olim ignominiæ genus faciem sputamentis conspurcare : Gregorius Turonensis, lib. III Hist., cap. 36 : « Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perungentes, vinctis post tergum manibus, ad columnam lapidibus obruerunt. » Cedrenus ad annum 25 Constantini Caballini, ἐθριάμβευσεν ἐν τῷ Ἱπποδρόμῳ ἐμπτυόμενον, καὶ συρόμενον, id est, « traduxit per circum sputis conspurcatum et tractum. » Paulus Diaconus, sive quis alius, lib. XVIII Hist. : « Misit omnem inimicum ejus injuriis cumulare et conspuere illum. »

[g] *Panis hordeacei.* Fuit olim panis hordeaceus pœnitentium cibus. S. Gregorius Turonensis, lib. IX Hist., cap. 21 : « Jussit omnem populum in ecclesiam convenire, et rogationes summa cum devotione celebrari, et nihil aliud in esu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi. »

[h] *In corticula.* Corticula hic sumitur pro cellula. Notandus mos antiquus retrudendi monachos excommunicatos, seu sanctimoniales, in cellulis separatis, ut videre est apud alterum Fructuosum cap. 4 Regulæ : « Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram. » In concilio Tarraconensi I can. 1 : « Si vero religiosus, vel monachus, in cella monasterii inclusus, pœnitentiæ lamentis incumbat. » Apud S. Gregorium Turonensem lib. IX Hist. 4 : « Petiit, ut se in cellulam secretam recluderet, dicens : Quia multum peccavi in dominam meam Radegundem. » In Regula Teridii cap. 25. « Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in una cella recludatur. » In Regula cujusdam Patris cap. 19 : « Excommunicatus vero frater, qui culpis gravioribus existentibus aut cellula recluditur, » etc. Hoc autem S. Fructuosi capite duplex notanda est reclusio delinquentium, una carceris, altera cellæ.

[i] *Contentus.* Ita in Regula ms. et apud Canisium. In libello CXIV Sententiarum : *Intentus.* Lege ergo : *Operi manuum et orationi continuæ sit intentus.* Quemadmodum est apud Burchardum, apud quem tamen τὸ *continuæ* deest.

[j] *Cursum.* Id est, opus Dei, officium divinum, de quo vocabulo infra.

[k] *Deus non spernit.* Ita in Psalterio Romano et in Regula Magistri cap. 4. Apud S. Cyprianum epist. 77 et 81 : *Deus non despicit.* Tertiam personam servant quidem septuaginta interpretes, sed in futuro : ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουδενώσει, id est, Deus non despiciet, juxta quos Apollinarius in Metaphrasi : Ἤτορ ἄναξ χθαμολὸν καὶ μείλιχον οὐκ ὀνόσαιτο. id est, « cor rex humiliatum et lene non despiciet. » In vulgata interpretatione juxta textum Hebraicum : *Deus, non despicies.*

[l] *Cum suggestum*, etc. Habes in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap.

[m] *Meritum.* Id est, demeritum.

[n] *Hæreticus dicendus est.* Quia pertinax in malitiæ proposito, ut hæreticus in suæ opinionis et judicii tenacitate.

ab abbate præpositi ejus, quid peccaverit, vel quoties monitus de ipso vitio non emendaverit, respondeant qui eum accusant. Quo audito vitio talem abbatis contra se audiat vocem. O misera anima, quod responsum datura es Deo, quem per inobedientiam quotidie irritas, cum accesseris adorare eum? quare sub dominio Dei servis potius mammonæ? quid mentiris Christo, alter Judas? Ille Judas iniquitatis portio justitiam vendidit, tu Christianum uomen laceras malefactis? Ille Judas per pacem falsam Domino scandalum generavit, tu sub nomine sancti servitii Deo magis rebellis existis? Ille Judas falsus Magistrum tradidit discipulus, tu sub nomine sancto magis diabolum factis sequeris Christianus? Astare enim tibi habet in judicio nostra monitio, vel tuus spiritus, cui cum carne, [a] propria voluntate repugnas [[b] Deo] ante tribunal tremendi Judicis, dicens : *Domine, noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* xxxv). Iniquitatem meditatus est, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit, sed magis [c] gloriatus in ea, potens fuit in iniquitate. Cum hæc accusatus fueris in judicio post nostram simul et tremendi Judicis vocem dicentis tibi : Tu es qui odisti disciplinam, et projecisti sermones meos [d] post te (*Psal.* xlix). Si videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolum. Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et ponebas scandalum. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum. *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem* (*Psal.* li). *Dilexisti omnia verba præcipitationis* [e] *in lingua dolosa. Hæc fecisti, et tacui*, et [f] existimasti iniquitatem, quod eram tibi similis, arguam te et [g] statuam illam contra faciem tuam (*Psal.* xlix), ut destruat te Deus in finem; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Tunc etiam et omnes justi de sua gloria in judicio videbunt te, cum ab eis fueris sequestratus ad sinistram inter hædos, et super te ridebunt dicentes : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorium suum, sed prævaluit in vanitate sua, et non fuit timor Dei ante oculos ejus : quoniam dolose egit in conspectu ejus. Et *dixit insipiens in corde suo*, Non requiret Deus; avertit faciem suam, ne videat in finem, et ignoravit, quia inimici, qui mentiuntur Domino, [h] erit tempus eorum in pœnam æternam (*Psal.* lxxx). Quid ad hæc dicturus es Deo? quas afferre ei habes, miser, excusationes in peccatis? cum te primum impugnaverint mala, et gehenna exspectaverit, ut incendat. Post hanc increpationis vocem ante congregationem [i] abbatis [j] statim erigi jubeatur ab oratorio, communi mensa [et] extraneus deputetur; et cum inimicis Dei designatus non debet ex illa hora jam fratribus esse amicus. Ideoque ab hac excommunicationis hora soli posito et sequestrato ei aliqua laboris opera propter otiositatem a præposito suo consignetur : in quo labore nullo fratrum jungatur solatio, nullius eloquio soletur, tacito omnium pertranseatur aspectu : petenti benedictionem nullus respondeat, Deus : quidquid ei porrigitur, a nullo signetur : quidquid vero ultra opus assignatum peculiariter, vel ultro effecerit, dispergatur, vel dissipetur. Sit ubique solus, et ei sua culpa solatium. Quod si forte propter levitatem culpæ noli ei voluerit abbas duplicare jejunia, si fratres sexta reficiunt, ille ad nonam horam de uno pulmento; et panis cibarii sibi fragmentum et aqua a præposito suo pro misericordia porrigatur. Si inculpabiles fratres nona hora reficiunt, illius supradicta refectio protrahatur in vesperam, ut sentiat quid ei malorum culpa intulit, quid per negligentiam bonorum amisit.

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 14).

[k] Cum hora divini officii exercetur, id est, [l] cum

[a] *Propria voluntate.* Lege : *Per provriam voluntatem*, ut est in Regula ms.

[b] *Deo.* Hæc vox redundat, nec est in Regula ms.

[c] *Gloriatus.* Lege, *gloriatus es*, ut in Regula ms.

[d] *Post te.* Ita in Psalterio Romano.

[e] *In lingua dolosa.* Ita in Psalterio Romano.

[f] *Existimasti iniquitatem.* Ita in Psalterio Romano, ad verbum ex Septuaginta : ὑπέλαβες τὴν ἀνομίαν. Quod idem sonat, pro, existimasti inique, ut habetur in Vulgata versione. Juxta quod Apollinarius in Metaphrasi dixit,

Ὡΐτης ἀθέμις.....

id est, existimasti inique. Nam ἀθέμιστα, poetice pro ἀθεμίστως. In Hebræo tantum habetur, *existimasti me futurum similem tui.*

[g] *Statuam illam contra faciem tuam.* Ita in Regula ms. cod. Corbeiensis, et in Psalterio Romano. Sed puto legendum, *statuam illa*, ut in commentario D. Hieronymi « *Et statuam illa contra faciem tuam :* ut sic confusus damneris in morte perpetua, hoc est, per illa mandata, quæ non custodisti, vel tua peccata, vel aliorum, quæ post te reliquisti. Huic lectioni favent septuaginta interpretes : παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου, id est, statuam contra faciem tuam peccata tua. » Quos sequitur Apollinarius in Metaphrasi.

Ἀμπλακίας στήσω σεῦ ἐναντίον αἰὲν ἐλέγχων,

id est, « peccata tua statuam contra te semper arguens. » Nec potest referri ad τὸ *iniquitatem*, quia hoc vocabulum sumitur hic adverbialiter.

[h] *Erit tempus eorum in pœnam æternam.* In Psalterio Rom. et in commentario S. Hieronymi : *Erit tempus eorum in æternum.* In versione vulgata : *Erit tempus eorum in sæcula.* Sed Magister secutus est potius sensum quam verba : quia iniqui æterno supplicio plectendi sunt. Unde Cassiodorus hunc versiculum exponens scribit : « Addit : in æternum erit tempus eorum : scilicet punitionis; quando illis dicetur, Ite in ignem æternum. »

[i] *Abbatis.* Hæc vox transposita est. Et legendum : « Post hanc increpantis abbatis vocem ante congregationem statim, » etc.

[j] *Statim erigi jubeatur*, etc. Lege et distingue hoc modo : « Statim erigi jubeatur. Ab oratorio et communi mensa extraneus judicetur. »

[k] *Cum hora*, etc. Hæc reperire est in Regula ms. Magist. cod. Corb. eodem, cap. 14, cujus titulus est quomodo excommunicatus debet pœnitere?

[l] *Cum expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur.* Quia olim singulis psalmis breves orationes submissa voce interserebantur, de quibus supra.

expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur, tunc excommunicationis reus prostratus ante limen oratorii hæc cum lacrymis clamet : Peccavi, et peccatum meum ego agnosco : erravi, emendare pollicéor ; jàm de cætero non peccabo. Rogate pro me, sanctæ congregationes, à quibus quondam per meam negligentiam et diaboli suasionem separari merui. Rogate pro me, mei quondam præpositi. Ignosce mihi, pastor bone et pie pastor abbas. Relinque nonaginta novem propter unam. Veni, recollige, et porta humeris tuis me perditam ovem, sicut Dominus noster indicio passionis suæ tibi monstravit : quia non pro justis, sed pro peccatoribus venit, et mortuus est : ut cum ipso per justitiam ejus resurgeremus, qui fueramus per nostra peccata allisi, dicente ipso Domino : *Non veni, nisi propter oves perditas domus Israel* (*Matth.* xv). Et : *Non est opus sanis medicus, sed his qui male habent* (*Matth.* ix). Imitare pium magistrum apostolorum, cujus vices per doctrinam agis in monasterio : quia ipse post prophetas et apostolos posuit vos pastores et disciplinæ doctores : quia per beatum Petrum apostolum demonstravit vobis dicens : Non septies, sed septuagies septies debere peccatum fratri dimitti (*Matth.* xviii). Subleva ergo allisum salutari tuo consilio : Solve intercessione tua apud Dominum, quod in me negligentia obligavit. Quod peccavi agnosco ; quòd emendem, credo quia per tuam mentionem invenio. Post hanc vocem cessantibus a psalmis per omnes orationes a reo jacente effusam, cum completum fuerit sanctum oratorii opus, et illo reo adhuc jacente ante limen exeunti abbati omnium fratrum congregatio humilietur ei pro eo ad genua, simul et [a] præpositi ejus. Quod cum fuerit adimpletum, si tamen propter levitatem culpæ eadem hora voluerit abbas veniæ consentire, statim erigi eum a præpositis suis præcipiat, et reproperata ei culpa, cum ille responderit se de cætero emendare, statim abbas dicat omni congregationi : Venite, fratres, unanimiter cum lacrymis pro hac ove gregis vestri, quæ peccatum suum agnoscens promittit se de cætero emendare, orantes in oratorio reconciliemus eum ante Dominum, quem per inobedientiam irritavit. Et mox ingressus abbas cum fratribus in oratorio, antequam orent tenentes ei manum dextram lævamque foris Præpositi introducant eum in Ecclesia, dicentes ambo hunc versum : *Confitemini Domino*, [b] *quoniam bonum est* (*Ps.* cxvii). Et subsequatur cætera congregatio : *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Ibid.*). Ut cum præpositi foris pœnitenti per hunc versum confessionem ingerunt, intus de oratorio per os respondentium fratrum, mox pius Deus misericordiam repromittat. Ergo cum eum in oratorium introduxerint Præpositi ejus, prosternant eum pedibus altaris. Statim omnes una cum abbate se orationi pro eo prosternant. Tunc ille pro culpa prostratus cum lacrymis, his vocibus precetur ad dominum dicens : Peccavi Domino, peccavi, et iniquitatem meam ego agnosco, rogo, peto a te, dimitte mihi, ne simul trahas me cum peccatis meis, neque condemnes me in inferioribus terræ, neque in æternum imputes mihi mala : quoniam tu es Deus pœnitentiæ : et in me ostende bonitatem tuam secundum magnam misericordiam tuam : quia tu dixisti, Domine : *Nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat* (*Ezech. cap.* xxxiii) ; quia malis nostris ad emendationem, vitam magis largiris quotidie, monstrante nobis Scriptura, quæ de pietate tua ita dicit : *Nunquid irascitur per singulos dies?* [c] *nisi convertamini* (*Ps.* vii). Et apostolus tuus Paulus ita dicit : *An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* ii.) *Gladium ergo suum Dominus vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum : et in ipso paravit vasa mortis.* Quæ vasa, Domine, timemus, et ideo festinanter emendare promittimus : et quia dicturus es in judicio peccatori : hæc fecisti et tacui. Quid? semper tacebo? quia statues iniquitatem contra faciem nostram, ut cognoscentes eam in reatibus nostris, juste nos ipsi eam damnemus. Tu enim, Domine, mortificas, et vivificas, tu deducis ad inferos et reducis, tu levas allisos, tu solvis in cœlo compeditos in terra, tu ad emendandum oculos cordis nostri illuminas tua gratia, vel adjutorio tuo justorum dirigis gressus, dicente Scriptura. [d] *A Domino gressus hominis dirigetur* (*Prov.* xx). Et nisi custodieris nos, et [e] ædificaberis domum, in vanum laborant qui ædificant, et custodiunt eam. Quia velle adjacet nobis, perficere autem tuum est. Et, non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei. Sed tamen das fiduciam sperandi de te dicens : *Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis : quia qui petit, accipit ; qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* vii). Et quia dixisti : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* i). Et : *cum clamaveris, dicam : Ecce adsum* (*Is.* lviii). Et item quasi pius et misericors in factura tua vocas nos ad gratiam tuam, licet indignos servos tuos dicens : *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* xi). Unde non despicias, Domine, servum tuum, suum agnoscentem peccatum : sicut de pietate tua promittit reatui nostro Propheta dicens : *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Ps.* l). Quia potens es de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ ; quia quod in nobis desperatio impossibile putat, tua

[a] *Præpositi ejus.* Nempe decadis seu decaniæ cujus est ipse frater excommunicatus. Supra vidimus in singulis decadibus seu decamis ab ipso Magistro constitui duos præpositos, qui alias decani appellantur.

[b] *Quoniam bonum est.* Ita Apollinarius in Metaphrasi :

..... ὅτι τὸ δὲ καλὸν ἐτύχθη.

[c] *Nisi convertamini.* Ita in Psalterio Romano.

[d] *A Domino gressus hominis dirigetur.* Prov. xx : *A Domino diriguntur gressus viri.* Et xvi : *Sed Domini est dirigere gressus ejus.*

[e] *Ædificaberis.* Pro *œdificaveris* ; *b* pro *v*, ut antea notatum est.

gratia possibile indicat. Post hanc vocem cum lacrymis impletam statim cum manu sua abbas erigat, dicens ei : Vide, frater, jam de cætero, vide, ne pecces, et secundam [a] agas de hac vita pœnitentiam exercere. Quæ cum secundo fuerit acta in hæreticorum incidet sectam. Statim hunc versum quondam reus imponat : [b] *Erravi sicut ovis, quæ perierat;* [c] *recollige servum tuum, Domine* (*Ps.* CXVIII). Respondentibus secum cunctis. Post hunc versum vocatis ejus præpositis, reconsignetur ab abbate eis in manu dicens : Recipite ovem vestram, reintegrate numerum, restituite mensæ : mortuus enim fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est. Eadem namque die humilitatis reparatæ indicio [d] aquam manibus fratrum intrantibus ad communionem ipse ministret : et cum dat, osculetur primo abbatis, deinde singulorum fratrum manus : et petat singulos, cum ministrat ipse, pro se debere orare. Qui et ipse, mox ut ingressus oratorium fuerit, omnes clara voce readmoneat pro se debere orare : et sic exiens cum fratribus consuetam accedat ad mensam.

§ VIII. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 24).

[e] Quamvis non solum cogitari, sed omnino nec credi debeat, quod sancti fratres duris se sermonibus vel conviciis mordeant : tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliqui de fratribus ausi fuerint diabolo instigante prorumpere, ut furtum faciant, aut in se invicem convicia mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulæ instituta violantur. Necesse est enim, ut in eis impleatur illud, quod de indisciplinatis filiis [f] per Salomonem dixit Spiritus sanctus : *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella* (*Eccl.* III). Et iterum : *Tu virga eum cædis, animam ejus de inferno liberabis* (*Prov.* XXIII). Disciplinam tamen ipsam [g] in præsentia congregationis accipiant, secundum illud Apostoli : [h] *Peccantes coram omnibus corrigantur* (*I Tim.* V).

§ IX. — *Item ejusdem* (*cap.* 32).

[i] Si quis vero pro quacunque re excommunicatus fuerit, remotus ab omni congregatione, in loco, quo abbas jusserit, [j] cum uno de spiritalibus fratribus resideat. Si autem, ut fieri solet, stimulante diabolo invicem se læserint, invicem sibi veniam petere et relaxare debebunt [k] propter orationes, quas utique, quanto crebriores, tanto puriores habere debent. Quod si ille, cui venia petitur, indulgere fratri suo noluerit, communione removeatur et timeat illud, quia si non dimisit, non dimittetur ei. [l] Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, aut a quo petitur, si non dimittit, sine causa in monasterio esse videtur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite : quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

§ X. — *Item ejusdem* (*cap.* 13).

[m] Si quis contra Regulæ disciplinam inventus fuerit aliquid ex his quæ interdicta sunt facere, quasi contumax, aut prævaricator mandatorum non levis culpæ reus effectus suspicione [n] pravi consilii carere non poterit. Qui nullatenus cum fratribus

[a] *Agas.* Lege, *cogaris*, ut in Regula ms.

[b] *Erravi sicut ovis, quæ perierat.* Ita in Regula ms., Psalterio Romano et in commentario S. Hieronymi.

[c] *Recollige.* In vulgata editione, *quære.* In Psalterio Romano et in Comm. S. Hieronymi, *require.*

[d] *Aquam manibus fratrum*, etc. Mos fuit antiquus Christianorum, ut ante sumptionem eucharistiæ manus lavare, ut videre est in eadem regula Magistri cap. 89 : « Eodem die pro humilitatis indicio aquam manibus fratrum ad communionem intrantibus ipse ministret. » Et cap. 19 : « Ad communionem intrantibus fratribus aquam manibus ipsi ministrent, » nempe Hebdomadarii. S. Anastasius Sinaïta sermone de sacra Synaxi, ubi agit de præparatione ad sumptionem eucharistiæ : *Non enim in Dei Ecclesia et sanctas imagines, venerandasque cruces salutare sufficit,* οὐδὲ τῷ ὕδατι ἐκπλύνειν τὰς χεῖρας τοῦτο κάθαρσις, id est, « neque aqua manus lavare purificatio est. » S. Dorotheus serm. 9 : « καὶ ὡς εἶδεν αὐτὸν νίπτοντα τὰς χεῖρας· ἵνα εἰσέλθῃ καὶ κοινωνήσῃ, id est, « et ut vidit eum lavantem manus, ut ingrediatur et communicet. » Quæ lautio aliquando in ipsa ecclesia fiebat, aliquando extra.

[e] *Quamvis non solum*, etc. Habetur eodem cap. 24, in Regula excusa S. Cæsarii.

[f] *Per Salomonem ; qui diligit filium suum.* Hic locus non est Salomonis, sed Jesu Syrach in Ecclesiastico. Sed Patres interdum citantes ex memoria attribuunt Salomoni ea quæ sunt in Ecclesiastico.

[g] *In præsentia congregationis.* Aliter constituitur in add. I Capitul. Lud. imp., tit. 24 : « Ut nudi pro qualibet culpa coram fratrum aspectibus non flagellentur. »

[h] *Peccantes coram omnibus corrigantur.* In Vulgata versione, *peccantes coram omnibus argue.* Sed locus citatur ex memoria, non ex codice.

[i] *Si vero pro quacunque re*, etc. Hæc videre est in Regula S. Cæsarii cap. 32.

[j] *Cum uno de spiritualibus fratribus.* Qui illius curam gerat. S. Fructuosus episcopus cap. 16 : « Sub senioris spiritalis cura, segregata in corticula degens. » S. Aurelianus cap. 35 : « Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, præter illum quem sanctus abbas custodem dederit. »

[k] *Propter orationes.* Quæ impuræ sunt cum fratri injuriam non dimittimus. Et ideo sine fructu, ut docet Tertullianus libro de Oratione : « Quam autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere » Quæ ut fructum consequantur, Deo sine veneno iracundiæ offerendæ sunt, ut docet S. Basilius in Admonitionibus : « In tempore orationis omnem malitiam cordis projice abs te, et remitte, si quid habes adversus proximum tuum. Est denique quoddam genus serpentis, (quod) cum cœperit ire ad bibendum aquam, antequam veniat ad fontem evomit omne venenum. Imitare et tu hunc serpentem, et remitte conservo tuo centum denarios, ut tibi Dominus dimittat millia talenta. »

[l] *Qui autem nunquam vult petere veniam*, etc. S. Isidorus, cap. 16 Regulæ : « Qui autem non petit (*veniam*) aut non ex animo poscit, in collationem deductus juxta excessum injuriæ congruæ subiaceat disciplinæ. »

[m] *Si quis*, etc. Hoc caput neque in Regula, neque in recapitulatione S. Cæsarii reperitur. Itaque puto illius titulum esse falsum, et pro illo hunc esse reponendum : *Ex Regula cujusdam Patris*, cap. 13.

[n] *Pravi consilii.* Id est, pravæ voluntatis.

orare permittatur : nisi prius pro culpa sua publica satisfecerit pœnitentia : aut certe, si publicare contempserit, dignam suæ prævaricationis vindictam suscipiat.

§ XI.—Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 25).

Turpiloquium amore pudicitiæ sit monacho turpe proferre vitando verba luxuriæ quæ, ut mentem excitant, ita corpus inflammant. Ait enim Apostolus : *Deponite* [a] *malitiam blasphemiæ turpem sermonem de ore vestro* (*Col.* III). Interrogo ergo, fratres, quid ille minus facit adulterio, cujus communicat lingua peccato? quid luxuria minus exercuit, qui os castum sermonis corruptione fœdavit? Et ut hanc spurcitiam cunctis etiam cavere metus [b] damnationis [c] imponat, statuimus hujus culpæ reum communionem Dominicam [d] vel osculum fratrum sex anni mensibus non habere.

[a] *Malitiam blasphemiæ.* In versione communi, *malitiam, blasphemiam*, ut in textu Græco : κακίαν βλασφημίαν.

[b] *Damnationis.* Damnatio hoc loco est pœnæ irrogatio.

[c] *Imponat.* Id est, cogat.

[d] *Vel osculum fratrum.* Intelligit osculum pacis, quod datur ante sacram communionem, de quo infra. Particula *vel* hoc loco sumitur copulative.

CAPUT XXXIII.

DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR, QUOMODO SATISFACIANT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Qui [b] pro gravioribus culpis ab oratorio et a mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio [c] percelebratur, [d] ante fores oratorii prostra-

[a] *Qui pro gravioribus culpis*, etc. Hoc caput vulgo locum quadragesimum quartum obtinet. Citatur in decreto Ivonis p. 14, cap. 73, et in concilio Duziacensi II, cap. 7 : « Et alios tres annos secundum capitulum 49 [Lege 44] Regulæ sororibus in oratione communicet, etc.

[b] *Pro gravioribus culpis.* Ita in cod. mss. S. Ebr., San-Germ. ma., apud Turrecr. et Smarag. S. Dunstanus legit : *Pro gravi culpa;* editio Coloniensis et quædam aliæ, *Pro graviori culpa.*

[c] *Percelebratur.* Ita in mss. cod. S. Far., apud Smaragdum et S. Dunstanum. Vulgo, *Celebratur.*

[d] *Ante fores ecclesiæ prostratus jaceat.* Hic fuit antiquus mos Christianorum, ut pœnitentes pro foribus ecclesiæ in luctu pœnitentiæ jacerent, seu starent pro diverso ecclesiarum usu. Tertullianus lib. de Pudicitia : « Ad Dominum enim remissa, et illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat; quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit; quod Ecclesiæ mavult erubescere quam communicare : assistit enim pro foribus ejus : et de notæ suæ exemplo cæteros admonet, et lacrymas fratrum sibi advocat. » S. Gregorius Neocæsariensis, epist. canonica, canone ultimo : *Fletus seu luctus est extra portam oratorii, ἐνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσίοντων δεῖσθαι πιστῶν*, id est, « ubi oportet stantem peccatorem rogare intrantes fideles. » Erant autem quinque gradus pœnitentium, ut ipse ibi notat. Primus flentium, qui pro foribus ecclesiæ stabant, seu prostrati erant, ut diximus. Secundus audientium, qui audiebant sacras Scripturas, *ἔνδοθι πύλης ἐν νάρθηκι*, inquit idem Gregorius, id est, intra januam in Narthece; vulgo *ferulam* interpretantur, non ita recte. Νάρθηξ locus est infimus et profundus, dictus *παρὰ νάρθιον εἶναι τοῦ ναοῦ*, quod sit infra templum, inquit auctor veteris Etymologici. Tertius prostratorum seu substratorum, *ὑποπίπτοντες* Gregorio Nysseno epist. canonica, et dicebantur *ὑποπεσεῖν*, seu *ὑποπίπτειν* locis citatis et citandis, id est substerni. Moschopulus in schedis *ὑποπεσεῖν, ὑποκάτω πεσεῖν, ἢ ὑποταγῆναι*, id est, infra aliquem cadere, vel alicui subjici. Locus eorum erat post ambonem ecclesiæ, id est suggestum, ut scribunt Theodorus Balsamon et Zonaras, quos tamen stetisse volunt non prosterni. Quartus consistentium, S. Basilio epist. ad Amphilochium *συστάντες*. Ii sunt quibus, expleto substrationis tempore, licebat orare cum fidelibus, non tamen eucharistiam sumere; nec exibant ecclesia cum catechumenis. Audientes vero et substrati una cum catechumenis egrediebantur, quibus non erat integrum divinis interesse mysteriis, ut scribit S. Gregorius Neocæsariensis canone citato. Quintus eorum quibus post injunctum consistendi spatium eucharistiam sumere concedebatur, qui non tam pœnitentes quam restituti sacramentis Ecclesiæ erant. Pœnitentes aliquando omnes istos gradus ascendebant, ut videre est apud S. Basilium, epist. 2, ad Amphilochium, can. 56, 57 et seq. : aliquando minime, sed quibusdam duntaxat ascensis veniam merebantur. Nam can. 11 concilii Nicæni fidei desertores nulla ad id necessitate interveniente compulsi, omisso primo gradu, cæteris decursis, veniam consequuntur. Et can. 12, resumentes cingulum, si in gradu audientium dignos fructus pœnitentiæ ostenderunt, omissa substratione transeunt ad gradum consistentium. Can. 4, catechumeni lapsi tribus annis cum audientibus stare coguntur, quibus evolutis cum catechumenis orare jubentur. Et can. 16 synodi Ancyranæ animalia bruta ineuntes, prætermissis flentium et audientium gradibus, in substratorum deinde consistentium gradu statuuntur, et can. 17 cum hiemantibus orare jubentur. Qui quidem canon cum antecedente non pugnat, ut quidam putant. Quod ut clarius sit, notandum est hiemantes seu *χειμαζομένους* esse energumenos seu dæmoniacos, ut recte exponunt Dionysius Exiguus et Fulgentius Ferrandus in Breviario, cap. 149, metaphora ducta ab hieme seu tempestate, nam *χειμὼν* utrumque significat. Etsi hæc interpretatio displiceat Balsamoni, eo quod dæmoniaci non orent. Sed hæc ratio nulla est, cum insint dæmoniacis lucida intervalla, in quibus orare possint. Putat Balsamon hos qui subant cum quadrupedibus collocari a synodo inter audientes, quia can. præcedente nulla fit mentio audientium cum de hujusmodi libidinis portentis agitur. Sed, ut supra diximus, non semper hos omnes gradus percurrebant pœnitentes. Unde synodus ejusmodi subatoribus prostrationis annos multiplicat, eo quod non fuerint in gradu audientium. Ac proinde cum præcedens statuit ut ejusmodi homines orent quinque annis, recte sequens decernit cum quibus orare debeant. Nec anxie quærendum est in quo ordine seu gradu pœnitentium erant dæmoniaci. Nam hi de quibus agit canon 17 synodi Ancyranæ, non erant pœnitentes; sed ideo seorsum ab aliis fidelibus in ecclesia stabant, ne eos energumeni suis agitationibus perturbarent; in quorum

tus jaceat, nihil dicens nisi tantum posito in terra capite [a] stratus pronus omnium de oratorio [b] pedibus exeuntium. Et hoc tandiu faciat, usque dum abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab abbate venerit [c] volvat se ipsius pedibus, deinde omnium vestigiis fratrum, [d] ut orent pro ipso : et tunc, si jusserit abbas, recipiatur [e] in choro, [f] vel ordine quo abbas decreverit; ita sane ut psalmum vel lectionem, vel aliud quid, non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in terra, in loco quo stat, et sic satisfaciat, usque dum ei jubeat iterum abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, satisfaciant, id est usque ad jussionem abbatis [g] hoc perficiant, [h] usque dum benedicat, et dicat : Sufficit.

§ II. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 18).

[i] Satisfactio delinquentium hæc est. Fratribus in ecclesia constitutis, peracto pœnitentiæ tempore, [j] solvet statim cingulum [k] extra chorum humo prostratus, quousque celebritas expleatur; cumque jussum fuerit ab abbate, de terra consurget ingrediensque chorum [l] rursus oret. [m] Post hæc data oratione pro eo ab abbate, et respondentibus cunctis Amen, surget. Atque omnibus pro negligentia veniam poscat, adepturus indulgentiam post hujus emendatoriæ satisfactionis censuram. [n] In minori ætate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis; ut quos ætatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat. Excommunicatis autem ab his locis, quibus fuerint constituti, ante pœnitentiæ tempus expletum progredi prohibeatur. Ad excommunicatum nulli liceat egredi citra imperium senioris. [o] Cum excommunicato neque orare, neque loqui licebit. Cum excommunicato nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem qui alimentum victui præbet. [p] Cujus biduana vel triduana fuerit illata excommunicationis suspensio, sola panis et aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio. Excommunicatis præter hiemis violentiam cubile

statione erant ineuntes bruta animalia ob flagitii spurcitiem, cum a prostratorum ordine ad consistentium gradum transmeabant. Itaque non assentior iis qui dicunt hiemantes fuisse in ordine audientium cum catechumenis. Nec locus ex cap. 3 Eccl. Hierar., ubi dicitur Ecclesiam permittere energumenis, catechumenis et pœnitentibus, audire sacras Scripturas, illis favet : nam aliud est sacras Scripturas audire, aliud eas audire in loco pœnitentium audientium. Catechumeni quidem a Tertulliano lib. de Pœnitentia dicuntur : *Audientes* et *auditores*, sed alia ratione quam audientes pœnitentes. Si enim peccassent, transibant ad locum pœnitentium audientium, ut patet ex synodo Nicæna, quæ postquam can. 11 et 12 decretum fecit de fidelibus lapsis, can. 14 hoc statuit de lapsis catechumenis : « De catechumenis et qui lapsi sunt visum est sanctæ et magnæ synodo ὥστε τριῶν ἐτῶν ἀκροωμένους μόνον, id est, ut sint tres annos tantum audientes. » Postea synodus, dispensans eos a prostratione, decernit μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχομένων, id est, ut postea orent cum catechumenis. Quod ideo statuit quia catechumeni, qui non aderant tremendis mysteriis, non poterant orare cum consistentibus, qui sacris mysteriis cum cæteris fidelibus intererant, nec discedebant post missam catechumenorum, ut supra ex S. Gregorio Neocæsariensi notatum est. Quare minus recte ex hoc loco colligitur a nonnullis catechumenorum gradum non distingui ab ordine substratorum. Nam substrati non dicebantur orare, sed substerni, cum ex audientibus substrati fiebant, ut clarum est ex canonibus supra citatis. Quod spectat ad prostrationem monachorum pœnitentium, de ea agunt Cassianus, lib. II de nocturnis Officiis, cap. 16; S. Isidorus, cap. 18 Regulæ; S. Fructuosus episcopus, cap. 14; Magister, cap. 13 et 14, et quidam Pater monachorum, cap. 6 Regulæ suæ.

[a] *Stratus pronus.* Ita in cod. ms. S. German. ma., editione Coloniensi, et apud Smaragdum. Codices SS. Ebrul. et Far. habent tantum, *pronus;* vulgati, *prostratus pronus.*

[b] *Pedibus exeuntium.* Vulgo additur, *se projiciat:* recte; quæ desunt in mss. SS. Ebr. et Far., ut apud Smaragdum et S. Dunstanum. Apud Ivonem legitur: *Pedibus exeuntium conculcetur.*

[c] *Volvat.* Ita Smaragdus et Turrecremata. At in vulgatis cum S. Dunstano, Ivone et editione Coloniensi, *prorolvat*, rectius.

[d] *Ut orent pro ipso.* Supple *petens.*

[e] *In choro.* Apud Smaragdum additur, *psallentium.*

[f] *Vel ordine.* Τὸ *vel* sumitur copulative.

[g] *Hoc perficiant.* Ita cod. ms. S. Ebrulphi, Smaragdus et editio Coloniensis. In vulgatis cum S. Dunstano : *Hoc semper faciant.* Apud Ivonem et Turrecrematam : *Hoc faciant.*

[h] *Usque dum benedicat.* Ita hunc locum exponit Smaragdus : « Quod autem dicit, *benedicat*, intelligitur : *dimittat tibi Dominus.* »

[i] *Satisfactio.* Hæc habetur in Regula S. Isidori edita, eod. cap. 18.

[j] *Solvet statim cingulum.* Notandus mos antiquus, qui fuit ut monachi supplices, cum veniam petebant aut increpabantur, cingulum solverent. S. Pachomius, art. 1 suæ Regulæ : « Si acciderit ut psallendi tempore vel orandi aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, solvet cingulum, et inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. » Et art. 78 : « Omnis correptio ita fiet, ut discincti sint qui corripiuntur, et demissis manibus, et humiliato capite emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur. » S. Fructuosus episcopus, cap. 14 Regulæ suæ : « Sed omnibus ad orationum studia convenientibus, ille prostratus humo cingulo operturioque ablato, poscet veniam negligentiæ suæ. » Fructuosus alter, c. 14 : « Et cingulum in manibus gestans vel fratrum pedibus cum lacrymis provolvatur. »

[k] *Extra chorum humo prostratus.* In Regula excusa : « Hunique extra chorum prostratus jacebit agens pœnitentiam quoque. »

[l] *Rursus oret.* Hæc verba desiderantur in Regula excusa.

[m] *Post hæc.* Desunt etiam in Regula excusa.

[n] *In minori ætate*, etc. Ex S. P. Benedicto, cap. 70.

[o] *Cum excommunicato*, etc. Hic locus ita citatur a Burchardo, libr. II, cap. 31, et ab Ivone, p. XIV Decreti, cap. 95 : « Cum excommunicato neque orare, neque loqui, nisi ea quæ ad eamdem excommunicationem pertinent, neque vesci cuiquam liceat. »

[p] *Cujus biduana*, etc. In Regula S. Isidori edita : « Si excommunicatio biduana fuerit, excommunicato nihil alimenti tribuendum est. »

humus erit tantum sive [a] storia; amictus autem [b] tegmen rasum, aut forte [c] cilicium. Calciamentum vero [d] spartea, aut quodlibet genus [e] solearum. Excommunicandi autem potestatem habebit Pater monasterii, sive præpositus. Reliqui autem excessus monachorum in [f] collecta abbati vel præposito deferentur, ut is qui deliquisse cognoscitur competenti severitate coerceatur.

§ III. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 14).

[g] Cum excommunicatur vel arguitur quisquam pro negligentia sua, exercebit humilitatem quousque percipiat [h] orationem; nec se audebit inter alios commiscere vel cuiquam occulte jungere; sed omnibus ad orationum studia convenientibus, ille prostratus humo, [i] cingulo opertorioque ablato, poscet veniam negligentiæ suæ. Hoc etiam his ab officio egredientibus exhibebit. Similiter quoque et refectionis tempore [j] coram refectorio astabit [k] vultu deposito et [l] habitu, quousque fratrum compassione solutus veniam percipiat quam deposcit.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 13).

[m] Frater qui levem culpam habuerit, et post primam, secundam et tertiam monitionem [n] de uno quocunque non emendaverit, a mensa excommunicetur, non ab oratorio. Quæ excommunicatio tandiu inoffensa permaneat, [o] quandiu a reo majori humilitatis satisfactio, humiliato ad genua capite, se de cætero promiserit emendari. Qui vero frater gravem culpam admiserit, ipse ab utroque excommunicetur, id est, ab oratorio et a mensa. Et non ipse ad indulgentiam majoris perveniat, nisi ante limen oratorii prostratus lacrymabili voce intervallo [p] cessantium a psalmis horarum Deo et omnibus emendatione satisfecerit repromissa: si tamen propter [q] inanitatem ponderis culpæ citius voluerit abbas consentire, quod dictante Domino sequens pagina demonstrabit. Ille vero frater qui excommunicatus a mensa, non ab oratorio fuerit, tandiu antiphonam, aut lectionem non imponat, [r] quandiu de culpa illa emendatione promissa satisfecerit, aut abbatis præsentis, aut præpositi sui ad genua incurvatus: excommunicati vero fratres, si ita superbi exstiterint, ut in superbia cordis perseverantes in tertia die, hora nona satisfacere abbati noluerint, custoditi [s] usque ad necem [t] cædantur; et, si placuerit abbati, de monasterio expellan-

[a] *Storia.* Alias *storea*, idem quod matta. Smaragdus in hoc caput S. Benedicti: « *Aut certe storea, id est, matta super humum.* »

[b] *Tegmen rasum.* Idem statuit S. Fructosus alter, 14: « Indutus tegmine raso, aut cilicio seminudus. » Rasum tegmen est rariorlbus filis compactum, denso et crassiori oppositum. Unde jocus Martialis lib. II, epigr. 85:

Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri
Si quereris, rasam tu mihi mitte togam.

Alias *ralla.* Nonius Marcellus, cap. 14: « Ralla vestis dicta est a raritate. » Isidorus, lib. XV Orig., cap. 22: « Ralla, quæ vulgo rasilis dicitur. » Græcis neotericis ῥάσον, id est rasum, vestis monachorum, sed maxime novitiorum, qui ideo dicti fuere *ῥασοφόροι* et *ῥασοφορεῦντες* apud Theodorum Balsamonem in can. 5 primæ et secundæ synodi Constantinopolitanæ, et *ῥασοφορεῖν*, id est rasum ferre, apud eumdem, in canonem 19; epist. 5 S. Basilii ad Amphilochium: *κἂν γὰρ μὴ ἀκουσαρῇ τις, ἀλλὰ ῥασοφορήσῃ*, id est, « etsi qui tonsus non fuerit, sed rasum ferat. »

[c] *Cilicium.* Suidas κιλίκια *τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα, ὑφάσματα*, id est, telæ ex pilis contextæ. Cassiano cilicina vestis. A Cilicibus populis, apud quos sunt capræ et hirci densissimi pili, ex quo hujusmodi telæ seu textilia conficiuntur, ut docent Varro, l. X de Re rustica, c. 11; Suidas et auctor veteris Etymologici.

[d] *Spartea.* Est calceus ex sparto confectus, Hispanis proprius, apud quos calceamenta ex sparto conficiebantur. Plinius, l. IX, cap. 2, de sparto agens: « Hinc calceamenta et pastorum vestis. »

[e] *Solearum.* « Soleæ, inquit S. Isidorus lib. XIX Orig., cap. 34, sunt tantum quibus pedum plantæ teguntur, dictæ a solo pedum. » Agellius, lib. XIII, cap. 20: « Sed Gastricius profecto scite atque incorrupte locutus est, omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda et teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt. Hæc apte describunt solearum formam. Glossæ veteres: Soleas, *σανδάλια*. Sed hic sandalia non sumuntur pro comptis et concinnis illis antiquorum sandaliis.

[f] *Collecta.* Est, quam supra diximus appellari collationem a S. Isidoro.

[g] *Cum excommunicatur*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass.

[h] *Orationem.* Id est, benedictionem, veniam.

[i] *Cingulo.* Sumpsit ex S. Isidoro supra.

[j] *Coram refectorio.* Id est, ad januam refectorii.

[k] *Vultu deposito.* Id est, cervice inclinata, ut præcipit S. Pachomius art. 1: *Solvat cingulum, et inclinata cervice.*

[l] *Habitu.* Supra, *opertorio.*

[m] *Frater qui ob levem culpam*, etc. Hæc reperire est in Regula ms. cod. Corb., eod. capite sub finem.

[n] *De uno quocunque.* Adde, *vitio*, ut habetur in Regula ms. cod. Corb. et in libello c et XIV Sententiarum de Rectoribus Ecclesiæ.

[o] *Quandiu a reo majori.* In libello citato legitur, *ab eo.* In cod. Corb. et libello citato deest *τὸ majori.* Locus corruptus, ita, ut arbitror, castigandus: *Quandiu a reatu humili satisfactione humiliato ad genua capite se de cætero majori promiserit emendare.*

[p] *Cessantium a psalmis horarum.* Ita in cod. Corb. Apud Smaragdum, *cessantium in psalmis horarum.* Legendum tamen puto, *orationum*, non *horarum.* Nam intelligit orationes quæ fiebant in singulorum psalmorum intervallo, ut constat ex capite sequenti ejusdem Regulæ: « Cum hora divini officii in oratorio exercetur, id est, cum expleto psalmo ab omnibus orationi incumbitur, tunc excommunicationis reus prostratus ante limen oratorii hæc cum lacrymis clamet: Peccavi, etc. » Et paulo post: « Post hanc vocem cessantibus a psalmis per omnes orationes a reo jacente effusam, cum completum fuerit sanctum oratorii opus, et reo jacente adhuc ante limen exeunti abbati omnis congregatio humilietur. » Ubi vides hic legi, *orationes*, non *horas.*

[q] *Inanitatem.* Id est, *levitatem*, ut habetur cap. 14: « Si tamen propter levitatem culpæ eadem hora voluerit abbas veniæ consentire. »

[r] *Quandiu.* Id est, *donec.*

[s] *Usque ad necem.* Ita in cod. Corb. et in libro CXIV Sententiarum. Quæ tamen verba non exstant apud Smaragdum. Et sane puto esse additicia, aut saltem dicta hyperbolice.

[t] *Cædantur.* In libello citato CXIV Sent. additur *virgis.*

tur, quia [a] talis vita necessarios non habet [b] corporales, vel societas fratrum, quos in anima superba possidet mors. Nam merito ergo tales debent plagis mactati expelli, qui esse cum Christo humilitatis Domino non merentur: sed sint a perpetuis [c] promissis cum auctore suo diabolo separati, qui de cœlorum regnis propter suam superbiam projectus est. Ergo ad superiorem excommunicationum, vel satisfactionis sensum, ut cœpimus, prosequamur. Ergo hujus pœnitentiæ modum et satisfactionem Deum et abbatem credimus acceptare.

[a] *Talis vita.* Monastica videlicet.
[b] *Corporales.* Id est animales, carnales.
[c] *Promissis.* Liber citatus addit, *Dei.*

CAPUT XXXIV.

DE HIS QUI SINE JUSSIONE ABBATIS JUNGUNTUR EXCOMMUNICATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis frater præsumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere [b] aut loqui cum eo, vel [c] mandatum dirigere, [d] similem sortiatur excommunicationis vindictam.

§ II. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (*cap.* 18).

[e] Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris. [f] Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuiquam licebit. Cum excommunicato nulli penitus vesci licet, nec ipsi quidem qui alimentum victui præbet.

§ III. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 14).

[g] Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassione vel miseratione refoveat, neque [h] ad contradictionem vel superbiam confortare præsumat. [i] Quælibet causa [j] in conventu commate. » Et Callixtus papa supra citatus. Itaque dico locum S. Benedicti de majori excommunicatione intelligendum esse juxta veterum morem, qui hanc excommunicationem communicantibus cum excommunicatis infligebant, ut videre est apud Burchardum libro citato, et Ivonem parte XIV, et in multis conciliis, maxime cum olim non esset minor excommunicatio. Sed quia modo multa relaxata sunt a summis pontificibus circa communicationem cum excommunicatis, existimo hanc legem S. Benedicti esse abrogatam, nisi forte quis communicaverit in crimine criminoso, ut loquuntur, et in aliis casibus exceptis a Summistis.

[a] *Si quis frater*, etc. Hoc capitulum profertur ab Ivone, parte XIV Decreti, cap. 34.

[b] *Aut loqui cum eo.* « Quoniam depravatio bonorum allocutio est malorum, » inquit Haymo Halberstattensis in cap. XV Epist. I ad Cor.

[c] *Mandatum dirigere.* Est aliquid per internuntium significare, quod Gallice dicimus, *lui mander quelque chose*, juxta versionem Gallicam Guidonis Juvenalis abbatis S. Sulpitii. Mandatum est nuntium, significatio, legatio. Phædrus lib. I, fab. 2:

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Afflictis ut succurrat. . . . .

Et lib. IV:

Mandata dant, legati mittuntur, statim
Adeunt. . . . .

Cæsarius Arelatensis cap. 23 Regulæ: « Ut occulte a quolibet litteras, aut quælibet mandata, aut munuscula accipiat. » Glossæ Græco-Barbaræ: μαντάτα [Leg. μανδάτα] ἀπαγγελίας, μανύματα, nuntia. Eædem Glossæ. μαντατοφόρος, [Leg. μανδατοφόρος] πρεσβύτης, id est, nuntius, legatus. Apud Suidam μανδάτωρ εἶδος ἀξιώματος, id est, species dignitatis. Apud eumdem πευθὴν πευθηνός, μανδάτωρ, id est, interrogator emissarius, qui mittitur ad interrogandum et sciscitandum.

[d] *Similem sortiatur excommunicationis vindictam.* Ita loquitur Callixtus papa, epist. 2, ad episcopos Galliæ: « Quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subjacebit. » Circa hunc locum S. P. Benedicti difficultas est non minima, quia qui excommunicatis communicant minorem tantum incurrunt excommunicationem, exceptis quibusdam casibus. Itaque nonnulli per similem excommunicationis vindictam intelligunt minorem excommunicationem, quæ cum in genere excommunicationis conveniat cum majori, ei similis est, ut aiunt, non quidem in specie, sed in genere. Sed hæc explicatio, præterquam quod nimis extorta est, non valet. Nam concilium Aurelianense apud Burchardum lib. II, cap. 5, utitur eodem vocabulo cum ferit anathemate eos qui communicaverint cum excommunicato in operibus ejus malignis, quo in casu docent Summistæ majorem excommunicationem incurri. Ita loquitur concilium: « Et, si quis ei se sociaverit, et communicaverit operibus ejus malignis, noverit se simili percussum anathe-

[e] *Ad excommunicatum*, etc. Hæc reperire est in Regula S. Isidori excusa eodem capite 18.

[f] *Cum excommunicato*, etc. Hic textus habetur causa II, qu. 3, c. 18, hoc modo: « Cum excommunicato neque orare neque loqui (nisi ea quæ ad eamdem excommunicationem pertinent) nec vesci liceat. » Apud Burchardum, lib. II, cap. 51: « Cum excommunicato neque orare, neque loqui (nisi ea quæ ad eamdem excommunicationem pertinent) neque vesci cuique liceat. » Ubi lege, *cuiquam*, quemadmodum etiam in Decreto Ivonis p. XIV, cap. 95, ubi idem textus habetur. Sed miror cur in his tribus auctoribus habeantur hæc verba, *nisi quæ ad eamdem excommunicationem pertinent*, cum non reperiantur in hac Concordia, neque apud Smaragdum, qui etiam hunc textum profert, neque etiam in ipsa Regula S. Isidori excusa. Quod autem citati auctores hæc etiam verba *nec vesci*, addiderint, hoc fit quia voluerunt sequentem textum, *cum excommunicato nulli penitus vesci licet*, etc., cum antecedente contrahendo conjungere.

[g] *Cum excommunicato*, etc. Hæc reperiuntur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crassensis eodem cap. 14; proferunturque a Burchardo lib. II, cap. 35, et ab Ivone. I parte Decreti cap. 97, ex dictis Fructuosi episcopi, usque ad illa verba: *Quælibet causa*, etc.

[h] *Ad contradictionem.* Ita apud Burchardum et Ivonem locis citatis. In Regula ms. legitur, *contritionem*. Male.

[i] *Quælibet causa.* Hæc usque ad finem capituli habentur

[j] *In conventu fratrum.* Apud Ivonem, *in conventu omnium fratrum.*

muni fratrum est ventilanda et juste ac subtiliter perscrutanda : ne forte dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur [a] ab abbate vel præposito [b] juxta personarum acceptionem : non liceat judicare, neque aliquem fraudulenter vel injuste damnare, sed, ut dictum est, spiritalium et veridicorum fratrum [c] hujuscemodi rebus [d] est retinenda sententia, qui sibi Dei judicium ponentes præ oculis non permittant pessime deprimere animam innocentis.

§ IV. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 35).

Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, præter illum quem ei sanctus abbas custodem dederit

§ V. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 14).

[e] Si quis autem pro qualibet culpa fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo orandi habeat licentiam, antequam submissa in terra pœnitentia coram omnibus fratribus supplicanti ei venia ab abbate tribuatur. Nam qui se orationi vel confabulationi ejus, antequam [f] a Priore recipiatur, inconsiderata pietate sociare præsumpserit, similis damnationis reus efficitur, [g] tradens semetipsum voluntarie fuerat deputatus. Et in hoc gravius peccat, qui se ipsi conjungit, quia solatium ei tribuens cor ejus amplius facit indurari, et non permittit pro hoc quod ab oratione fuerat segregatus, de satisfactione sua et venia cogitare, majorem superbiæ fomitem et contumaciam delinquentis nutrit in pejus.

§ VI. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 5).

Cum eo qui pro admissa culpa ab orationis vel mensæ consortio removetur, præter eum qui ejecti fratris amaritudinem doctrinæ et charitatis possit admixtione dulcare, nullus audeat conferre sermonem.

§ VII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 13).

[h] Si quis vero frater aut palam aut absconse cum eo fuerit allocutus aut junctus, communem statim cum eo excommunicationis contrahat pœnam et ab omnibus reus sit, atque in alio laboris ipse opere sequestretur a præposito suo : et sit ipse tam ab illo reo quam ab omnibus sequestratus et solus, et mox ab omnium et ipse alienus eloquio. Nam non ad veniam [i] majoris et ipse pertineat, nisi pœnitentiæ similis satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata : illius, propter quod exstitit inobediens in vitio et peccato; istius, quod mercedem consolationis tribuerit malorum artifici.

§ VIII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 19).

Excommunicatus vero frater qui culpis gravioribus existentibus aut cellæ suæ recluditur, aut a consortio congregationis separatur, a nullo penitus aut eloquii, aut visitationis munus fruatur, nisi tantummodo cui præceptum ab abbate fuerit. Si quis transgressus hanc Regulam fuerit, regulari pœnitentiæ subjacebit.

habentur in decreto Ivonis, p. VI, cap. 399. Laudanda sane institutio, ne ab abbate vel præposito inferiores opprimantur, et a senioribus juniores; cui non absimilis est hæc S. Pachomii sanctio articulis 92, 94 et 112, qui vult præpositos et majores a fratribus boni testimonii judicari, ne forte illi potentia sua opprimant innocentes.

[a] *Ab abbate vel præposito.* Hæc vocabula desiderantur in Decreto Ivonis.

[b] *Juxta personarum acceptionem.* Hic locus corruptus est. Apud Ivonem legitur. *Rectori juxta personarum acceptionem*, etc. Recte. Itaque hic locus hoc modo est restituendus : *Ne forte dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur ab abbate vel præposito. Rectori juxta personarum acceptionem non liceat judicare.*

[c] *Hujuscemodi rebus.* Lege, *in hujuscemodi rebus.*

[d] *Est retinenda sententia.* Apud Ivonem corrupte legitur : *Et alia tradenda et retinenda sententia.* In Regula ms. legitur *reddenda.* Male.

[e] *Si quis autem*, etc. Exstat apud Cassianum, lib. II de Orationibus nocturnis, cap. 16.

[f] *A priore.* Id est, ab abbate.

[g] *Tradens semetipsum voluntarie.* Locus corruptus, ex cod. Vind., Cass. et Smaragdo sic emendandus : *Tradens semetipsum voluntarie Satanæ, cui ille, secundum Apostoli sententiam pro sui reatus emendatione fuerat deputatus.*

[h] *Si quis vero*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. 13. Prima pars hujus capituli usque ad illa verba : *Et ab omnibus reus sit*, a Burchardo lib. XI, cap. 32, ex S. Isidoro; et a Gratiano causa 11, qu. 3, cap. 28, ex octava synodo : sed male, nam est hujus Magistri.

[i] *Majoris.* Major est abbas, ut sæpe occurrit in his Regulis, qui conc. Carthaginiensi IV, can. 13, dicitur, *major monasterii.*

CAPUT XXXV.

QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS ESSE CIRCA EXCOMMUNICATOS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres : quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX). [a] Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus : [b] immittere quasi occultos [c] consolatores. [d] Senpectas, id est, seniores

[a] *Et ideo uti debet omni modo.* Id est, uti debet omni ratione et industria artis spiritalis, ut sapiens medicus. In vetusta editione Parisiensi legitur : *Commodo*, pro *omni modo.*

[b] *Immittere.* Apud Smaragdum : *Immittere debet*, verbum, *debet*, repetendo. Quod, si non repetitur, saltem subaudiendum est.

[c] *Consolatores.* In mss. S. Germ. et S. Faronis : *Consiliatores;* sed vulgata lectio præstat. Nam sequitur : *Qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem.*

[d] *Senpectas.* Ita codices mss. Victorini et S. Germ. min. legunt. Ms. S. Ebr., *sepectas.* Codices. Vind. et S. Germ. ma., *Sinpectas.* Smaragdus et editio

sapientes, qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem, et provocent eum ad humilitatis satisfactionem, et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur (*I Cor.* v). Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi subjectis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem, et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: [a] *Quod crassum videbatis, assumebatis;* [b] *et quod debile erat, projiciebatis* (*Ezech.* XXXIV; *Luc.* XVI). Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui, relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere; cujus infirmitati intantum compassus est, ut eam sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem.

§ II. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 14).

[c] Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur solitarius in cellam obscuram in solo pane et aqua: ut in vespera post cœnam fratrum medium accipiat paximatium, et non ad satietatem aquam: et hoc ab abbate [d] exsufflatum, et [e] non sanctificatum. Absque ulle sedeat solatio, vel [in] colloquio fratrum, nisi quem abbatis vel præpositi cum eo præceperit auctoritas, ut loquatur. [f] Indutus tegmine raso aut cilicio seminudus atque discalceatus opus monasterii exerceat excommunicatus. Si biduana vel triduana fuerit excommunicatio ejus, mittat senior, qui eum excommunicavit, unum de majoribus quem probatum habet, qui eum verbis contumeliosis increpet, quod non ob religionis venerit occasionem, nec pro Christi amore, nec gehennæ pavore, sed simplicium fratrum facere disturbationem. Si hæc ille patienter tulerit, et de ore ejus nulla iracundia vel murmuratio proruperit, simplicitas mentis et humilitatis apparuerit; sic increpator absque immutatione verborum, quod in eo prævideriit, abbati renuntiet. Abbas vero sollicite et prudenter tractet, [g] utrum veram, imaginariam habeat patientiam, per quam possit se ad fratrum reconciliare charitatem. Secundo ejusdem meriti senem probatum ad exprobrandum eum mittat: et quod primitus audivit, non facile credat. Cumque ita tertio fecerit, et pari vitio increpatus fuerit, et in priore promissionis patientia excommunicatus perduraverit, et hoc abbas per tres testes probaverit, post hoc eum [h] ejici debeat, et sic præsentatum per se increpet coram conventu fratrum. Cum ita quarto fuerit tentatus, et in humilitate fuerit probatus, et fortis fuerit ut ferrum inventus, postmodum ecclesiam ingrediatur et [i] cingulum in

Coloniensis, *senipectas*. Cod. S. Far. S. Dunstanus, Turrecremata, edlitio Colinæi, vetusta Parisiensis et vulgatæ: *Senipetas*. Sed quid sit senipeta non video. Smaragdus senipectas putat esse verbum Græcum, cum ait: « Senipectas Græcum est nomen, non Latinum, quo secundum ipsius beati Benedicti interpretationem seniores, et sapientes fratres intelliguntur. » Quod quam verum sit, judicet doctus lector. Apud Palladium capite de Serapione lego: Συμπαίκτην ἀσκητήν. Διηθοῦντο δέ οἱ Πατέρες, ὅτι λαβών τινα συμπαίκτην ἀσκητὴν πέπρακεν ἑαυτὸν ἔν τινι πόλει μίμοις ἑλληνσιν οὖσιν, id est, « narrant vero Patres quod assumens quemdam sympæctem monachum, vendidit se in quadam civitate mimis gentilibus. » Ejusmodi ergo Συμπαίκτης monachus videtur esse is qui conspirat cum abbate ad ipsum excommunicatum sapienter ludificandum, se ejus amicitiæ, veluti per cuniculos insinuando, ut eum ad sanam mentem revocet. Itaque cum Smaragdus dicit *senipectas* esse vocabulum Græcum, credibile est eum legisse sympæctas, vel sinpectas, secundum minus accuratam orthographiam: quam quidem lectionem germanam esse existimo: etsi S. Pater Benedictus interpretetur hoc vocabulum *Seniores sapientes fratres*. Nam potius habuit rationem personæ, quam vocis, quod satis patet, quia hoc nomen quovis modo legatur, non potest hæc tria nomina significare. Dicit autem seniores sapientes, quia ejusmodi sympæctæ erant senes et sapientes, non quod præcise id significet hoc vocabulum; quod proprie collusorem significat.

[a] *Quod crassum videbatis, assumebatis.* Ezech. XXXIV, ubi legitur: *Quod crassum erat, occidebatis*, ut habetur in textu Hebraico et Græco, quibus respondent antiquæ versiones. Itaque subaudiendum hic puto, τὸ *Ad occidendum*, aut certe legendum: *Assumebatis*, id est devorabatis, mactabatis ad devorandum juxta sensum Prophetæ.

[b] *Et quod debile erat, projiciebatis.* In vulgata versione juxta textum Hebraicum et Græcum: *Quod infirmum fuit, non consolidastis.* Sed S. Benedictus usus est antitheto juxta prioris membri lectionem, retinens tamen sensum Prophetæ, non verba: nam qui projicit, non consolidat.

[c] *Cum excommunicatur*, etc. Hæc non exstant in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi.

[d] *Exsufflatum.* Id est maledictum, abominatum, eo quod debeat comedi ab excommunicato et tradito Satanæ, et verbum exsufflare, id est detestari, abominari. Beda lib. v hist. Angl. cap. 22.: « Quis, rogo, fidelium non statim cum ipsa magia primo detestetur et exsufflet? » Fuit quippe mos veterum Christianorum, ut id quod immundum et abominabile judicarent, exsufflatione rejicerent, Tertullianus lib. II ad uxorem: « Latebisne tu, cum lectulum tuum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu exspuis? » et lib. de Idololatria: « Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, aras exspuet, et exsufflabit, quibus ille prospexerit? » Qui quidem mos ab antiquo baptismi ritu manavit, quo baptizandus ter Satanam exsufflat, ut videre est apud S. Dionysium Areopagitam lib. de Hierarchia ecclesiastica cap. 2, parte II: ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς διακελεύεται Σαθανᾶ, id est, « Jubetur ter exsufflare Satanam. » Hac etiam utebantur exsufflatione sancti viri dæmonem abigentes tentatorem. Acta S. Pachomii: « Mox signo crucis frontem muniens exsufflavit in eum (dæmonem) moxque fugatus est: » et infra: « Et exsufflans in eum dixit: discede a me, diabole. » Severus Sulpitius dialogo tertio: Memini quodam die ad eum venisse Martinum, qui ubi secretarium ejus ingressus est, vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur) exsufflans, Avitianus se exsufflari existimans, quid me, inquit, sancte, sic aspicis? »

[e] *Non sanctificatum.* Id est non benedictum; vide supra.

[f] *Indutus tegmine raso aut cilicio.* S. Isidorus in Regula cap. 18. *Tegmen rasum, aut certa cilicium.*

[g] *Utrum veram imaginariam.* Lege: *Utrum veram aut imaginariam*, ut in cod. Vind.

[h] *Ejici debeat.* Lege: *Educi jubeat*, nempe a cella.

[i] *Cingulum in manibus.* Vide supra hoc capite annotata ad S. Isidorum.

manibus gestans abbatis vel fratrum pedibus cum lacrymis provolvatur, et cum singultu et gemitu genibus huno properando a cunctis veniam accipere mereatur, et ne talia pœnitendo ultra committat, et post hæc [a] osculatus ab abbate, in suo gradu accipiatur.

§ III. — Ex libro Gregorii Nazianzeni.

[b] Eum qui de Corintho peccavit peccatum, [c] quale nec inter gentes, ad pœnitentiam Paulus suscepit (*I Cor.* v) : et non solum suscepit, verum etiam in eo charitatem confirmavit. Quando quidem emendationem vidit, et causam facti exposuit dicens : Ne forte ampliori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est, correptionis scilicet nimietate prægravatus.

§ IV. — Ex libro sancti Augustini de Pastoribus (*cap.* 1).

Cum præpositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt, consulant : nec in eo quod præsunt omnino utilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis tamen præpositus est, ut in eo quod præpositus est, gaudeat, honorem suum quærat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur : audite tanquam oves Dei et videte, quemadmodum vos securos fecerit Deus, qualescunque sint qui vobis præsunt, id est qualescunque sumus : Vobis securitatem dedit, qui pascit Israel. Nam si Deus non deserit oves suas, et mali pastores debitas pœnas luent, et oves promissa percipient.

§ V. *Item ejusdem.*

[d] Sanæ et crassæ oves perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, utentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quod illas languentes, et infirmas, et errantes, et perditas, non curant, etiam istas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est. Et illi vivunt de misericordia Dei, [e vivunt] tamen quantum ad malos pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? male vivendo, malum exemplum præbendo. Sin frustra dictum est servo Dei eminenti in membris summi pastoris : circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum, et forma esto fidelibus (*ad Tit.* 2). Attendendo enim ovis etiam fortis plerumque præposito suo male viventi, si declinet oculos a regulis Domini, et intendit in hominem, incipit dicere in corde suo : Si præpositus meus sic vivit, ego quid sum, qui non faciam, quod ille facit? [f] occidit ovem fortem. Jam de cæteris quid facit : qui illud, quod non ipse fortificaverat, sed forte aut robustum inveneral, male vivendo interficit? Dico charitati vestræ, iterum dico; etsi oves, etsi fortes sunt in verbo Domini, et tenent illud, quod audierunt a Domino suo : *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* xxiii); tamen qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus : et ille vivit, et ille homicida est. Quomodo cum lascivus homo intendit ad mulierem ad concupiscendum, ecce illa casta est, et mœchatus est iste? Domini enim vera et aperta sententia est : *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). Non pervenit ad ejus cubiculum, et in interiori cubiculo suo volutatur. Sic omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est; quantum in ipso est, occidit et fortes. Qui imitatur, moritur : qui non imitatur, vivit. *Et quod crassum est*, inquit, *interfecistis, et oves meas non pascitis* (*Ezech.* xxxiv). [g] Jam audistis, quid diligant. *Quod infirmatum est, non confortastis : et quod male habuit, non corroborastis : et quod tribulatum est* (id est, quod confractum est) [h] *non colligastis : et quod errabat, non revocastis : et quod periit, non inquisistis :* [i] *et quod forte fuit, confregistis,* [j] *interfecistis, occidistis.* [k] Infirmatur ovis, id est, [l] infirmum corrigit, [m] ut possit cedere tentationibus : incauto, et imparato supervenerit pastor negligens. Quando credit talis, non illi dicit : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccl.* ii). Qui enim hoc loquitur, confortat infirmum et ex infirmo facit firmum : ut non ille, cum crediderit, prospera hujus sæculi speret. Si enim

[a] *Osculatus ab abbate.* In signum reconciliationis.

[b] *Eum qui in Corintho*, etc. Hæc habentur in oratione 39 ejusdem sancti Patris, quæ inscribitur, Ad sancta lumina. Sed quoniam quæ hic citantur, paulo aliter habentur in textu Græco, quædam altius repetendo proferemus : Si prius notaverit lector S. Gregorium agere in Novitianos, qui pœnitentiam minime admittebant : ἢ οὐδὲ τελειωθέντα δέχα δι' ἅμαρτος; ἔστι γὰρ καὶ τῆς σῆς ἀπονοίας, οὐδὲ τον ἐν Κορίνθῳ παρανομήσαντα : Παῦλος δὲ καὶ ἀγάπην ἐκύρωσεν, id est, « vel neque suscipis sanguine suo consummatum, id est martyrem, id enim est etiam tuæ arrogantiæ, neque eum qui se Corinthi scelere contaminavit? At Paulus circa eum charitatem confirmavit. » Cætera vero hic satis rite procedunt.

[c] *Quale nec inter gentes.* Hæc non sunt apud sanctum Gregorium, sed ex D. Pauli textu addita.

[d] *Sanæ et crassæ*, etc. Hæc habentur eodem libr. de Pastoribus cap. 4, hic citata ob illa S. Benedicti : « Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, » etc.

[e] *Vivunt tamen.* Tò *vivunt* redundat, nec est in editis S. Augustini.

[f] *Occidit ovem fortem.* In editis S. Augustini sequitur : *Si fortem, occidit ovem.*

[g] *Jam audistis.* Hic incipit caput 55 ejusdem libri in editis : *Quod contribulatum est.*

[h] *Non colligastis.* Apud S. Cyprianum epist. 54 : « Quod contribulatum est, non consolati estis. »

[i] *Et quod forte fuit confregistis.* Apud S. Augustinum legitur : *Confecistis*, non : *Confregistis*, id est, interfecistis, ut ipse explicat. In epist. 54 S. Cypriani legitur : *Confecistis labore.*

[j] *Interfecistis.* Lege, ut in editis : *Id est, interfecistis.*

[k] *Infirmatur ovis, id est.* Hæc non exstant in editis.

[l] *Infirmum corrigit.* Locus corruptus, lege *Infirmum cor gerit* : in editis S. August. : *Infirmum quippe animum gerit ovis.*

[m] *Ut possit cedere tentationibus*, etc. Hæc corrupta sunt, et ita ex editis castiganda : « Quando tentationes sibi profuturas non credit. Pastor negligens, quando sic credit talis infirmus, non illi dicit, » etc.

doctus fuerit sperare prospera sæculi, [a] ipsa prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis exstinguitur. [b] Non ergo cum ædificat super petram, qui sic ædificat, [c] sed super arenam ponit. *Petra autem erat Christus* (*II Cor.* x). Christi passiones [d] imitandæ, non a Christianis deliciæ conquirendæ. Confortatur infirmus, cum ei dicitur : Spera quidem tentationes hujus sæculi, sed ab omnibus te eruet Deus : si ab illo non recesserit cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit [e] opprobria vivere, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te.

§ VI. — *Item ejusdem.*

[f] Quod *infirmatum est*, inquit, *non confortastis.* Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ Jesu Christi : [g] et commodo lanæ et lactis gaudentibus, oves omnino non curantibus, et quod male habuit non corroborantibus, [h] id est, infirmum, id est, non firmum. [i] Nam [cum] dicuntur infirmi etiam ægrotantes. Sed inter infirmum et ægrotum, id est, male habentem hoc mihi videtur interesse. Etenim ista, fratres, quæ distinguere utcunque conamur, forte et nos possumus majore diligentia melius distinguere, et alius peritior, vel lumine cordis plenior. Interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo ne accidat tentatio, et eum frangat, timendum est. Languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, et cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, a subeundo jugo Christi. Attendite illos homines volentes bene vivere, et minus idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christiani firmitatem non solum operari quæ bona sunt, sed et tolerare quæ mala sunt. Qui autem videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle aut non posse, infirmi sunt. Qui vero cupiditate aliqua mala, amatores mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi et ægroti jacent : quippe qui ipso languore tanquam sine ullis viribus nihil boni possunt operari.

§ VII. *Item ejusdem.*

[j] Non frustra ergo cum jam dixisset superius : *Quod crassum est, interfecistis.* Hic iterum in novissimo posuit. *Et quod forte fuit, confregistis.* Ipsa est enim repetita sententia, nisi quia ex his quæ supra dixit nata est. *Quod errabat, non revocastis : et quod perierat, non quæsistis.* Hoc faciendo, *Quod forte est, interfecistis.* [k] Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum : *Et dispersæ sunt oves meæ, et factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, [l] cum oves adhærent pastori, nam præsens est pastor, sed male agentibus non est pastor. Et inhærent pastoribus, [m] [non] pastoribus seipsos, non oves pascentibus. Et lethalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, et de illorum morte se satiare cupientes. Tales enim sunt qui gaudent de erroribus alienis; bestiæ sunt pastæ [n] montibus.

C perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus.

[a] *Ipsa prosperitate corrumpitur.* Metuenda prosperitas, cum sæpe in illa homo sibi non metuat, quia nimio illius splendore, et propria cupiditate obcæcatus periculum non videt, quod in sola adversitate positum esse credit. Quod sapienter admodum nos docet S. Augustinus serm. 13, de verbis Domini secundum Matthæum : « Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi adversitas. Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc putatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus. Quando autem temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem; interroga sed tuam cupiditatem : vide, si tranquillus es in te : vide, si non te subvertit ventus interior. Hoc vide, magnæ virtutis est cum felicitate luctari; ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci. » His quadrat illud Virgilii x Æn.:

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata secundis.

Et S. Isidori Pelusiotæ libr. v, epist. 382 : « Multi itaque difficilius existimant a rebus secundis in adversas incidentem celsum servare animum : Ἐγὼ δὲ δυσκολώτατον ἡγοῦμαι τὸ ἀπὸ δυσπραγίας εἰς εὐημερίαν ἀναδραμόντα φυλάξαι μέτριον τὸ φρόνημα, id est, « Ego vero difficillimum arbitror eum, qui ab adversis rebus ad secundas redit, moderatum custodire animum. » Et præclare Salomon ait Prov. I : *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.* Quem locum exponens S. Gregorius papa homil. 12 in Ezechielem sapienter admodum dicit : « Qui enim a Deo avertitur, et prosperatur, tanto

[b] *Non ergo cum ædificat.* Τὸ *cum* redundat, et legendum : *Non ergo ædificat super petram, qui sic ædificat.* Aut si placet retinere particulam *cum*, lege, *non ergo cum ædificat super petram ædificat, qui sic ædificat.* In quibusdam editionibus legitur : *eum* pro *cum*.

[c] *Sed super arenam ponit.* Verbum : *Ponit*, non est in editis S. Aug.

[d] *Imitandæ.* In editis additur τὸ *sunt*.

[e] *Opprobria vivere. Vivere*, hoc loco ponitur pro *bibere*, *v* pro *b*, Vasconum more; in editis S Aug. legitur *audire*. Sed puto legendum *bibere*. Illud enim τὸ *audire* non satis significat. In Concordia Vindocinensi legitur : *Sustinere*.

[f] *Quod infirmatum est*, etc. Habetur apud S. Augustinum, ejusdem libri cap. 6.

[g] *Et commoda.* Lege : *Ex commodo*, ut in D editis.

[h] *Id est infirmum, id est non firmum.* Primum, *Id est*, abest ab excusis.

[i] *Nam cum.* Τὸ *cum* redundat, nec est in editis.

[j] *Non frustra ergo*, etc. Hæc usque ad illa verba : *Proinde audi quid sequitur*, exstant apud S. Aug. ejusdem libri cap. 7.

[k] *Proinde audi quid sequitur.* Hæc usque ad finem habentur initio cap. 8.

[l] *Cum oves adhærent pastori.* Ita in Concordia codicis Vindocinensis. In excusis legitur, *Cum oves non hærent pastori.* Sed negatio videtur expungenda, cum sequatur : *Nam præsens est pastor : Sed male agentibus non est pastor, et inhærent pastoribus.*

[m] *Non pastoribus.* Particula negativa expungenda est, nec est in editis.

[n] *Montibus.* In cod. Vind. legitur, *mortibus*, recte in editis, *morsibus dispersarum.* Sed τὸ *dispersarum* exscriptor omisit, quod tamen necessarium est.

CAPUT XXXVI.

DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis dum in labore quovis in coquina, [b] in cellario, in ministerio, [c] in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco, aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit [d] ubi ubi, [e] non veniens continuo ante abbatem [f] vel congregationem ipse ultro [g] satisfecerit, et prodiderit delictum suum : dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ vero [h] peccati causa latens fuerit, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, [i] qui sciant curare et sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

[a] *Si quis*, etc. Hoc caput quadragesimum sextum est in Regula S. P. Benedicti. Cujus titulus sic habetur in cod. ms. ma. S. Germ., *De his qui in levibus rebus delinquunt*. Sed prior inscriptio prævalet. Non enim hic duntaxat agitur de levibus culpis, sed etiam de lethalibus. Hujus capitis meminit S. Fructuosus apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ Lectionis, proferturque in conc. Duziacensi II, cap. 8.

[b] *In Cellario.* Glossæ veteres : *Cellarium*, ταμεῖον, id est cella penaria, repositorium. S. Isidorus, lib. XV Orig., cap. 5. « *Cellarium*, quod in eo colligantur ministeria mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt. » Aliter Servius (*In* I *Æn.*) : « *Cellarium* est paucorum dierum : unde et in cella dicitur importatum frumentum. *Penu* vero longi temporis. » Hoc vocabulum Latinum quidem, sed Græci illud usurparunt, ut S. Basilius, interr. 147 Regularum brevium : Ὁ περὶ τὸ ἔργον τοῦ κελλαρίου, id est, qui cellarii curam gerit. Auctor tractatus de pœnis monasticis, qui exstat inter Opera S. Basilii, art. 42 : Εἴ τις ἀκαίρως ἔρχεται εἰς το ἐψητήριον, ἢ εἰς τὸ κελλάριον, id est, « Si quis citra tempus opportunum venit in culinam vel cellarium. » Unde κελλαρικὸν, illud omne quod in cellario reconditur, Palladio cap. 117. Hist. Lausiacæ.

[c] *In pistrino.* Hæc desunt in cod. ms. Vict. ma.

[d] *Ubi ubi.* Ita vulgo. Apud Keronem, *ubi vel ubi*. Cod. S. Ebr. et Smaragdus legunt, *ubi et ubi*. Hæc autem vox geminata, *ubi ubi*, nihil aliud sonat quam ubicunque, ubivis gentium, quocunque in loco. Plautus in Casina :

Ita quocunque adveniant, ubi ubi sint, duplici damno do- (minos multant.

Tertullianus, lib. de Fuga in persecutione : « Ubi ubi fuero, in manu ejus sum. » Anastasius Bibliothecarius in Constantino : « ubi ubi nominatus contingeret pontifex. »

[e] *Non veniens continuo ante abbatem*, etc. Hæc ultronea sui accusatio plurimum confert monacho, idque triplici potissimum nomine. Primo, ut delictum statim sequatur emendatio, atque ita semper ab omni peccato, quantum fieri potest, monachi sit expurgata conscientia; secundo ut nulla ei desit humilitatis exercitatio; tertio, ut omnis occasio excusationi, contentioni atque mendacio præcidatur : ut qui se ultro prodere tenetur, forsitan accusatus non se cum procacitate defendat, sed libens culpam fateatur. *Continuo*, est statim, confestim, protinus, nulla intercedente mora. Sed non puto locum intelligi de minusculis et similibus culparum quisquiliis : hoc enim grave esset fratribus, et molestum abbati.

§ II. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 39).

[i] Si quis autem [k] aliquid fregerit aut perdiderit, non aliter negligentiam suam delebit, nisi coram omnibus fratribus tandiu supplicaverit Deo in terra prostratus, donec oratione solvatur abbatis. Similiter etiam qui ad orationem tardius venerit, et qui seniori suo superflue, aut durius, aut contumeliose responderit; aut si negligentius, aut tardius obsequia injuncta compleverit; si vel leviter murmuraverit, aut lectionem operi vel obedientiæ prætulerit, similiter etiam qui, completis vigiliis aut quavis aliqua ratione, cum aliquo vel modicum steterit, vel ad punctum temporis alicubi secesserit; si alterius

Porro hujus rei praxis videtur in Vita S. Guidonis abbatis Pomposæ, ubi agitur de quodam ejus discipulo Sergio templi custode, qui cum lampades mundaret, excidit unae manibus et fracta est : « Territus ille (inquit auctor Vitæ) collegit fragmenta et ante altaris crepidinem condens ea, festinans abiit ad Patrem Guidonem, ut multa ab eo propter damnum illatum ipsi irrogaretur. Quod cum factum esset, illico rediit ad altare, et lampadem sanam atque integram invenit. »

[f] *Vel ante congregationem.* De hac re ita statuit S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Si non contemptu, sed casu aliquo amiserit aut fregerit, non aliter negligentiam suam, quam publica ciluat pœnitentia, cunctis in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere. » Antiqua hujus accusationis ratio habetur in memoriali, qualiter in monasterio conversandum sit.

[g] *Satisfecer.* Nempe, humili et publica prostratione.

[h] *Peccati causa.* Causa hoc loco est noxa, offensa. S. Gregorius Turonensis, lib. IV Hist., cap. 14 : « Multæ enim causæ per eum inrationabiliter gerebantur. » Et lib. VII, cap. 21 : « Ideoque si rex mortem fratris desideraret ulcisci, noverit hujus causæ hunc esse signiferum. » S. Hieronymus, in epist. ad Damasum qu. 1, de Cain : « Denique respondit Domino : Major est causa mea quam ut merear absolvi. » S. Cyprianus libro de Lapsis : « Nec hoc ideo dico ut fratrum causas onerem, sed ut magis fratres ad precem satisfactionis instigem. » Accedit ratio, quia non sola peccati causa abbati retegenda est, sed ipsum peccatum. Itaque peccati causa nihil aliud est quam culpæ noxa, ut qui loquitur cap. 25 S. P. Benedictus. Vel certe dici potest τὸ *peccati* redundare, sed quia illud in omnibus codicibus, quos viderim, reperitur, id asserere nolim.

[i] *Qui sciant curare et sua.* Hunc locum tangit Helgaldus in Vita Roberti Francorum regis : « Tali quippe mandat monachorum Pater et dux confiteri peccata, qui sciret sua et aliena curare vulnera, non autem detegere et publicare. »

[j] *Si quis autem*, etc. His similia auctor quædam supra cap. 31 citaverat ex lib. de Institutis renuntiantium; sed quæ hic citantur, sumpta sunt ex Regula Cassiani paululum immutata.

[k] *Aliquid fregerit aut perdiderit.* S. Pachomius, art. 70 Regulæ suæ : « Si vas fictile fregerit, vel aliquam utilem rem ad usus monasterii, aget pœnitentiam. » Et art. 75 : « Si aliquis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. »

doctus fuerit sperare prospera sæculi, [a] ipsa prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis exstinguitur. [b] Non ergo cum ædificat super petram, qui sic ædificat, [c] sed super arenam ponit. *Petra autem erat Christus* (*II Cor.* x). Christi passiones [d] imitandæ, non a Christianis deliciæ conquirendæ. Confortatur infirmus, cum ei dicitur : Spera quidem tentationes hujus sæculi, sed ab omnibus te eruet Deus : si ab illo non recesserit cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit [e] opprobria vivere, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te.

§ VI. — *Item ejusdem.*

[f] Quod *infirmatum est*, inquit, *non confortastis.* Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ Jesu Christi : [g] et commodo lanæ et lactis gaudentibus, oves omnino non curantibus, et quod male habuit non corroborantibus, [h] id est, infirmum, id est, non firmum. [i] Nam [cum] dicuntur infirmi etiam ægrotantes. Sed inter infirmum et ægrotum, id est, male habentem hoc mihi videtur interesse. Etenim ista, fratres, quæ distinguere utcunque conamur, forte et nos possumus majore diligentia melius distinguere, et alius peritior, vel lumine cordis plenior. Interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo ne accidat tentatio, et eum frangat, timendum est. Languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, et cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, a subeundo jugo Christi. Attendite illos homines volentes bene vivere, et minus idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christiani firmitatem non solum operari quæ bona sunt, sed et tolerare quæ mala sunt. Qui autem videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle aut non posse, infirmi sunt. Qui vero cupiditate aliqua mala, amatores mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi et ægroti jacent : quippe qui ipso languore tanquam sine ullis viribus nihil boni possunt operari.

§ VII. *Item ejusdem.*

[j] Non frustra ergo cum jam dixisset superius : *Quod crassum est, interfecistis.* Hic iterum in novissimo posuit. *Et quod forte fuit, confregistis.* Ipsa est enim repetita sententia, nisi quia ex his quæ supra dixit nata est. *Quod errabat, non revocastis : et quod perierat, non quæsistis.* Hoc faciendo, *Quod forte est, interfecistis.* [k] Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum : *Et dispersæ sunt oves meæ, et factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, [l] cum oves adhærent pastori, nam præsens est pastor, sed male agentibus non est pastor. Et inhærent pastoribus, [m] [non] pastoribus seipsos, non oves pascentibus. Et lethalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, et de illorum morte se satiare cupientes. Tales enim sunt qui gaudent de erroribus alienis; bestiæ sunt pastæ [n] montibus.

perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus.

[a] *Ipsa prosperitate corrumpitur.* Metuenda prosperitas, cum sæpe in illa homo sibi non metuat, quia nimio illius splendore, et propria cupiditate obcæcatus periculum non videt, quod in sola adversitate positum esse credit. Quod sapienter admodum nos docet S. Augustinus serm. 13, de verbis Domini secundum Matthæum : « Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi adversitas. Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc putatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus. Quando autem temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem; interroga sed tuam cupiditatem : vide, si tranquillus es in te : vide, si non te subvertit ventus interior. Hoc vide, magnæ virtutis est cum felicitate luctari; ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci. » His quadrat illud Virgilii x Æn.:

> Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
> Et servare modum, rebus sublata secundis.

Et S. Isidori Pelusiotæ libr. v, epist. 382 : « Multi itaque difficilius existimant a rebus secundis in adversas incidentem celsum servare animum : Ἐγὼ δὲ δυσκολώτατον ἡγοῦμαι τὸ ἀπὸ δυσπραγίας εἰς εὐημερίαν ἀναδραμόντα φυλάξαι μέτριον τὸ φρόνημα, id est, « Ego vero difficillimum arbitror eum, qui ab adversis rebus ad secundas redit, moderatum custodire animum. » Et præclare Salomon ait Prov. I : *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.* Quem locum exponens S. Gregorius papa homil. 12 in Ezechielem sapienter admodum dicit : « Qui enim a Deo avertitur, et prosperatur, tanto

[b] *Non ergo cum ædificat.* Τὸ *cum* redundat, et legendum : *Non ergo ædificat super petram, qui sic ædificat.* Aut si placet retinere particulam *cum*, lege, *non ergo cum ædificat super petram ædificat, qui sic ædificat.* In quibusdam editionibus legitur : *eum* pro *cum*.

[c] *Sed super arenam ponit.* Verbum : *Ponit*, non est in editis S. Aug.

[d] *Imitandæ.* In editis additur τὸ *sunt*.

[e] *Opprobria vivere. Vivere*, hoc loco ponitur pro *bibere*, *v* pro *b*, Vasconum more; in editis S Aug. legitur *audire*. Sed puto legendum *bibere*. Illud enim τὸ *audire* non satis significat. In Concordia Vindocinensi legitur : *Sustinere*.

[f] *Quod infirmatum est*, etc, Habetur apud S. Augustinum, ejusdem libri cap. 6.

[g] *Et commoda.* Lege : *Ex commodo*, ut in editis.

[h] *Id est infirmum, id est non firmum.* Primum, *Id est*, abest ab excusis.

[i] *Nam cum.* Τὸ *cum* redundat, nec est in editis.

[j] *Non frustra ergo*, etc. Hæc usque ad illa verba : *Proinde audi quid sequitur*, exstant apud S. Aug. ejusdem libri cap. 7.

[k] *Proinde audi quid sequitur.* Hæc usque ad finem habentur initio cap. 8.

[l] *Cum oves adhærent pastori.* Ita in Concordia codicis Vindocinensis. In excusis legitur, *Cum oves non hærent pastori.* Sed negatio videtur expungenda, cum sequatur : *Nam præsens est pastor : Sed male agentibus non est pastor, et inhærent pastoribus.*

[m] *Non pastoribus.* Particula negativa expungenda est, nec est in editis.

[n] *Montibus.* In cod. Vind. legitur, *mortibus*, recte in editis, *morsibus dispersarum.* Sed τὸ *dispersarum* exscriptor omisit, quod tamen necessarium est.

CAPUT XXXVI.

DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis dum in labore quovis in coquina, [b] in cellario, in ministerio, [c] in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco, aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit [d] ubi ubi, [e] non veniens continuo ante abbatem [f] vel congregationem ipse ultro [g] satisfecerit, et prodiderit delictum suum : dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ vero [h] peccati causa latens fuerit, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, [i] qui sciant curare et sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

[a] *Si quis*, etc. Hoc caput quadragesimum sextum est in Regula S. P. Benedicti. Cujus titulus sic habetur in cod. ms. ma. S. Germ., *De his qui in levibus rebus delinquunt*. Sed prior inscriptio prævalet. Non enim hic duntaxat agitur de levibus culpis, sed etiam de lethalibus. Hujus capitis meminit S. Fructuosus apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ Lectionis, proferturque in conc. Duziacensi II, cap. 8.

[b] *In Cellario*. Glossæ veteres : *Cellarium*, ταμεῖον, id est cella penaria, repositorium. S. Isidorus, lib. XV Orig., cap. 5. « *Cellarium*, quod in eo colligantur ministeria mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt. » Aliter Servius (*In* I *Æn.*) : « *Cellarium* est paucorum dierum : unde et in cella dicitur importatum frumentum. *Penu* vero longi temporis. » Hoc vocabulum Latinum quidem, sed Græci illud usurparunt, ut S. Basilius, interr. 147 Regularum brevium : Ὁ περὶ τὸ ἔργον τοῦ κελλαρίου, id est, qui cellarii curam gerit. Auctor tractatus de pœnis monasticis, qui exstat inter Opera S. Basilii, art. 42 : Εἴ τις ἀκαίρως ἔρχεται εἰς το ἐψητήριον, ἢ εἰς τὸ κελλάριον, id est, « Si quis citra tempus opportunum venit in culinam vel cellarium. » Unde κελλαριχὸν, illud omne quod in cellario reconditur, Palladio cap. 117. Hist. Lausiacæ.

[c] *In pistrino*. Hæc desunt in cod. ms. Vict. ma.

[d] *Ubi ubi*. Ita vulgo. Apud Keronem, *ubi vel ubi*. Cod. S. Ebr. et Smaragdus legunt, *ubi et ubi*. Hæc autem vox geminata, *ubi ubi*, nihil aliud sonat quam ubicunque, ubivis gentium, quocunque in loco. Plautus in Casina :

Ita quocunque adveniant, ubi ubi sint, duplici damno do- (minos multant.

Tertullianus, lib. de Fuga in persecutione : « Ubi ubi fuero, in manu ejus sum. » Anastasius Bibliothecarius in Constantino : « ubi ubi nominatus contingeret pontifex. »

[e] *Non veniens continuo ante abbatem*, etc. Hæc ultronea sui accusatio plurimum confert monacho, idque triplici potissimum nomine. Primo, ut delictum statim sequatur emendatio, atque ita semper ab omni peccato, quantum fieri potest, monachi sit expurgata conscientia; secundo ut nulla ei desit humilitatis exercitatio; tertio, ut omnis occasio excusationi, contentioni atque mendacio præcidatur : ut qui se ultro prodere tenetur, forsitan accusatus non se cum procacitate defendat, sed libens culpam fateatur. *Continuo*, est statim, confestim, protinus, nulla intercedente mora. Sed non puto locum intelligi de minusculis et similibus culparum quisquiliis : hoc enim grave esset fratribus, et molestum abbati.

§ II. — Ex Regula sancti Cassiani (*cap.* 39).

[i] Si quis autem [k] aliquid fregerit aut perdiderit, non aliter negligentiam suam delebit, nisi coram omnibus fratribus tandiu supplicaverit Deo in terra prostratus, donec oratione solvatur abbatis. Similiter etiam qui ad orationem tardius venerit, et qui seniori suo superflue, aut durius, aut contumeliose responderit; aut si negligentius, aut tardius obsequia injuncta compleverit; si vel leviter murmuraverit, aut lectionem operi vel obedientiæ prætulerit, similiter etiam qui, completis vigiliis aut quavis aliqua ratione, cum aliquo vel modicum steterit, vel ad punctum temporis alicubi secesserit; si alterius

Porro hujus rei praxis videtur in Vita S. Guidonis abbatis Pomposæ, ubi agitur de quodam ejus discipulo Sergio templi custode, qui cum lampades mundaret, excidit unae manibus et fracta est : « Territus ille (inquit auctor Vitæ) collegit fragmenta et ante altaris crepidinem condens ea, festinans abiit ad Patrem Guidonem, ut multa ab eo propter damnum illatum ipsi irrogaretur. Quod cum factum esset, illico rediit ad altare, et lampadem sanam atque integram invenit. »

[f] *Vel ante congregationem*. De hac re ita statuit S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Si non contemptu, sed casu aliquo amiserit aut fregerit, non aliter negligentiam suam, quam publica diluat pœnitentia, cunctis in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere. » Antiqua hujus accusationis ratio habetur in memoriali, qualiter in monasterio conversandum sit.

[g] *Satisfecer*. Nempe, humili et publica prostratione.

[h] *Peccati causa*. Causa hoc loco est noxa, offensa. S. Gregorius Turonensis, lib. IV Hist., cap. 14 : « Multæ enim causæ per eum inrationabiliter gerebantur. » Et lib. VII, cap. 21 : « Ideoque si rex mortem fratris desideraret ulcisci, noverit hujus causæ hunc esse signiferum. » S. Hieronymus, in epist. ad Damasum qu. 1, de Cain : « Denique respondit Domino : Major est causa mea quam ut merear absolvi. » S. Cyprianus libro de Lapsis : « Nec hoc ideo dico ut fratrum causas onerem, sed ut magis fratres ad precem satisfactionis instigem. » Accedit ratio, quia non sola peccati causa abbati retegenda est, sed ipsum peccatum. Itaque peccati causa nihil aliud est quam culpæ noxa, ut qui loquitur cap. 25 S. P. Benedictus. Vel certe dici potest τὸ *peccati* redundare, sed quia illud in omnibus codicibus, quos viderim, reperitur, id asserere nolim.

[i] *Qui sciant curare et sua*. Hunc locum tangit Helgaldus in Vita Roberti Francorum regis : « Tali quippe mandat monachorum Pater et dux confiteri peccata, qui sciret sua et aliena curare vulnera, non autem detegere et publicare. »

[j] *Si quis autem*, etc. His similia auctor quædam supra cap. 31 citaverat ex lib. de Institutis renuntiantium; sed quæ hic citantur, sumpta sunt ex Regula Cassiani paululum immutata.

[k] *Aliquid fregerit aut perdiderit*. S. Pachomius, art. 70 Regulæ suæ : « Si vas fictile fregerit, vel aliquam utilem rem ad usus monasterii, aget pœnitentiam. » Et art. 75 : « Si aliquis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. »

tenuerit manum, si oraverit cum illo qui est ab oratione suspensus; si aliquem parentum vel amicorum sæcularium aut viderit, aut collocutus eis fuerit sine suo seniore; si epistolam cujusque susceperit, aut rescribere sine suo abbate tentaverit. In his omnibus et his similibus pœnitenti et coram omnibus supplicanti venia non denegetur : contemnenti vero, et hæc omnia pro nihilo ducenti [a] spiritalis vindicta omnimodis imponatur.

§ III. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 16).

Negligentiæ culpa, qua per multos casus in multis delinquitur, abbatis judicio pensanda est, id est, in refectorio, in coquina; [b] in dormitorio, vel qualibet utilitate aut fregerit, aut perdiderit, aut negligenter dimiserit, omnia secundum suum modulum sunt pensanda, et juxta ætatem, vel teneram, vel senilem, vel virilem, sunt corrigenda. Quia si in minimis negligentia vitiorum non corrigitur, mens vitiata in minoribus culpis, in majora dilabitur delicta. Si frater qui in his casibus fuerit dilapsus, statim abbati vel præposito puram dederit confessionem, et compertum fuerit non suæ voluntatis fuisse quod casu accidit, hoc tantummodo sufficiat; ut hoc quod deliquit et perpetravit, si possit fieri, non deneget et emendet cum veniæ satisfactione. Si vero non sua confessione, sed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpæ magnitudo poposcerit, pœnitentiæ subjacebit, quia culpam per puram confessionem non manifestavit. [c] Si vero et majoribus culpis, quod ad animæ majorem pertineat damnationem, hoc secretius per puram confessionem volens suo manifestet abbati : ne dum tepore animi culpam detegere verecundat, cum reatu culpæ faciem diaboli interius recondat.

§ IV. — Ex Regula a Donato collecta (*cap.* 26).

[d] Quicunque de fratribus, cui sollicitudo coquinandi vel ministrandi commissa est, quantulum quid effuderit, [e] oratione in ecclesia post completum cursum, ita ut fratres pro eo orent, emendare statuitur. Similiter pœniteat, qui humiliationis in synaxi, id est cursu, oblitus fuerit. Hæc est humiliatio in ecclesia [f] post finem cujusque psalmi. Simili modo [g] qui perdiderit micas, oratione in ecclesia emendari cogatur. Ita tamen hæc parva pœnitentia [h] judicetur, si parvum quid effuderit. [i] Quod si ex negligentia vel oblivione seu transgressione securitatis tam in liquidis, quam in aridis amplius solito perdiderit, longa venia in ecclesia, dum duodecim psalmos [j] ad duodecimam canunt, prostratus nullum membrum movens pœniteat. [k] Et qui non custodierit ordinem ad sacrificium, sex percussionibus emendetur.

§ V. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 8).

[l] Qui cogitationum impugnationes consolationis suæ causa secretius confitetur, non oportet cum despici, nec aliis publicari, sed quantum in ipso est blanda exhortatione foveri. Qui aliis secreta meditatione psallentibus inconvenienter fuerit locutus, arguatur. [m] In quocunque ergo opere aut meditabuntur quæ sancta sunt, aut certe silebunt.

§ VI. — Dicta [n] sancti Bedæ (*Comment. in cap.* V *Epist. D. Jacobi*).

Si in peccatis sit, dimittentur ei. Multi propter

[a] *Spiritalis vindicta.* Legendum, *corporalis*, non, *spiritalis*, nam Cassianus lib. IV Inst., cap. 16, unde hæc sumpta sunt, leves culpas spiritali animadversione, hoc est, publica confusione, emendari solitas ait, graviores vero et contemptum corporali vindicta.

[b] *In dormitorio.* Lege, *Si quis in dormitorio.*

[c] *Si vero et majoribus culpis*, etc. Hæc mendosa quidem, sed ita restituenda ex Smaragdo. *Si vero ex majoribus culpis, quod ad animæ majorem pertineat damnationem, aliquam commiserit frater, secretius per puram confessionem*, etc.

[d] *Quicunque de fratribus*, etc. Hæc sumpta sunt ex Pœnitentiali S. Columbani, ex quo et nonnullis sanctorum Patrum Regulis hic Donatus suam collegit Regulam.

[e] *Oratione.* Ita in Pœnitentiali citato. Et paulo post : *Oratione in Ecclesia emendare cogatur.*

[f] *Post finem cujusque psalmi.* Cum submissa voce oratur a fratribus juxta sanctionem Magistri supra a nobis explicatam, quam hic locus mirandum in modum illustrat.

[g] *Qui perdiderit micas.* Circa micarum in mensa collectionem valde religiosi olim fuere monachi. Vide Joannem monachum in Vita S. Odonis.

[h] *Judicetur.* In Pœnit. : *Ei judicetur.*

[i] *Quod si ex negligentia aut oblivione*, etc. In Pœnitentiali citato corrupte legitur : *Quod si negligentia aut oblivionem, seu transgressionem securitas.* Sed legendum : *Quod si ex negligentia aut oblivione, aut transgressionis securitate.* Transgressionis securitas est cum quis facile transgreditur, quia de impunitate securus est.

[j] *Ad duodecimam.* Id est, ad synaxim vespertinam, in qua olim canebantur duodecim psalmi, ut supra notatum est.

[k] *Et qui non custodierit*, etc. Idem Pœnitentialis. (qui) *Ordinem sacrificii non custodierit ad offerendum, sex percussionibus.*

[l] *Qui cogitationum*, etc. Hæc proferuntur ob illa S. Benedicti verba : *Si animæ vero peccati causa*, etc., ut et sequens capitulum.

[m] *In quocunque ergo opere*, etc. Ex Regula S. Pachomii, art. 35 : *Operantes nihil loquantur sæculare, sed aut meditentur quæ sancta sunt, aut certe silebunt.* Meditari hoc loco est cantare.

[n] *Sancti Bedæ.* Nota Bedam non hic appellari venerabilem, sed sanctum. Ab Alcuino in epistola ad Virenses monachos et alibi appellatur Magister Beda; a Sangallensi in Vita Caroli Magni, doctissimus; ab Odoranno in Chron., presbyter; a Guillelmo Malmesburiensi de Gestis regum Angliæ, Florentio Vigorniensi, Henrico Huntidoniensi, et Rogerio Houedem dicitur Beda sine adjuncto. Ab Haymone Halberstatensi, Commentariis in cap. III ad Phil., beatus Beda indigitatur. Ex quibus patet Venerabilis appellationem recentiorem esse quam existimaveritiis qui hos in Pauli Epistolas Commentarios a nobis Haymoni, ab aliis Remigio Antissiodorensi attributos ascribit S. Remigio Rhemensi archiepiscopo. Refutando locum citatum ex Beda, tum quod ab omnibus prope auctoribus etiam Bedæ æqualibus ipse Beda venerabilis appelletur (quod tamen non probat), tum quod locus citatus ex Commentario in Epist. ad Phil. apud Bedam non exstet : in quo tamen memoriæ lapsus videtur; nam hic locus, de quo quæstio est : « Beatus Beda locutus in quodam loco de dictis Apostoli, ubi ait : Unusquisquis in suo sensu abundet, etc., » habetur apud Bedam in libr. Quæstionum

peccata in anima facta infirmitate aut morte pletuntur corporis. Unde Apostolus Corinthiis, qui corpus Domini indigne percipere erant soliti, ait : *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles sunt, et dormiunt multi* (*I Cor.* XI). Si ergo infirmi in peccatis sint; et hæc presbyteris in ecclesia confessi fuerint, ac perfecte corde ea relinquere atque emendare tegerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti : *Confite-*

mini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.* V). In hac autem sententia illa debet esse discretio, [a] ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit, purificare curemus.

qu. 5. Itaque non est ibi legendum : *Beatus Benedictus*, pro, *Beatus Beda*, ut vult idem auctor, cum etiam hæc verba in Regula S. Benedicti non exstent. Præterea, ut fusius probem hos commentarios non esse S. Remigii Rhemensis episcopi, in iisdem Commentariis in cap. II Epist. II ad Cor. citatur alter locus Bedæ, ubi etiam beatus appellatur. In hoc Bedæ loco describitur quædam imago a Chidonio Anglorum episcopo Roma allata, in qua repræsentatur S. Paull flagellatio. Idem locus habetur apud Bedam in eodem libr. Quæstionum, qu. 2. Præterea citat horum Commentariorum auctor S. Gregorium papam, qui post mortem S. Remigii floruit, ut videre est ad c. VIII ad Rom. « Quod beatus Gregorius aliis verbis, sed eodem sensu ita exponit dicens : Habet, inquit, homo esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, etc., » quæ verba habentur apud S. Gregorium papam, hom. 29. Ad cap. II Epist. I ad Timotheum : « Salvabitur mulier per filiorum generationem, id est, per bona opera, si habuerit charitatem, misericordiam, hospitalitatem, cæteraque talia, quæ beatus Gregorius intelligi vult per filios. » Quæ habentur libr. XII Moral. in Job., cap. 4. Citatur etiam aliis in locis. In cap. XIV epist. I ad Corinthios citatur Vita S. Cæsarii Arelatensis : « Sic et in Vita S. Cæsarii Arelatensis episcopi legitur quod Spiritus sanctus ita sermonem ejus disponebat, ut omnium conscientias verbis suis concuteret, quasi sibi eas omnes auditores indicassent, aut præ manibus haberet scriptas. » Quæ in ejus Vita scripta a Cypriano, lib. I, sic habentur : « Habuit peculiare vir sanctus, Deo id in illo agente, ut dum suas quibusque admonitiones proponeret, singulis ipsorum vitam omnem ob oculos statueret : ut qui eum audirent, non solum cordium scrutatorem, sed etiam suæ quodammodo conscientiæ testem confiterentur. » Quæ quidem Vita nunquam potuit in notitiam venire S. Remigii episcopi Rhemensis qui anno 535 non erat amplius inter vivos, ut notum est ex concilio Arvernensi eodem anno celebrato P. C. Paulini junioris, hoc est, consule Belissario juxta Chron. Marii, cui subscribit Flavius episcopus Rhemensis successor Romani, qui S. Remigio successit : cum S. Cæsarius Arelatensis nono post anno obierit, nempe post consulatum Basilii anno secundo, ut clarum est ex epist. Vigilii papæ ad Auxanium S. Cæsarii successorem data XV Kal. Novembr. iterum P. C. Basilii V. C. in qua gratulatur ei de ordinatione sua, differtque usum pallii quoad certiorem fecerit imperatorem. Et ex his patet error eorum (*Flod. lib.* II, *cap.* 1) qui rejiciunt S. Remigii obitum ad annum 548. Præcipuum contrariæ opinionis fundamentum est, quia in nonnullis codicibus mss. hæc explanatio in Epistolas Pauli S. Remigio episcopo Rhemensi attribuitur, sed id nos minime movet, cum error ab ignaro exscriptore ad cæteros manare potuerit. Quidam ediderunt hoc opus sub nomine Remigii Autissiodorensis auctoritate Trittemii, ut ipsi existimabant, fulti. Quod tamen falsum est. Nam cum Trittemius libr de Scriptoribus ecclesiasticis illius opera recenset, nullam facit explanationis seu Commentariorum in Pauli Epistolas mentionem. Itaque verus hujus explanationis auctor est Haymo Halberstatensis episcopus, eique hoc opus attribuit Trittemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cujus hoc ponit initium : *A Corintho civitate metropoli Achaiæ*. Quod habetur in editione ejusdem Explanationis, quæ prodiit Parisiis anno Domini 1550 sub nomine ejusdem Haymonis Halberstatensis : et in codice ms. bibl. Corbeiensis hujusmodi Commentarii exstant sub nomine Haymonis. Nec nos moratur quod hic Haymo, cum fuerit monachus Benedictinus, citando Regulam S. Benedicti, non appellet eum Patrem : nam ista non ita olim scrupulose observabantur, ut hodie. Similes objectiones prætermitto, quæ nullius sunt momenti.

[a] *Ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur*, etc. Eamdem doctrinam sequitur Radulphus Ardens auctor satis antiquus, concione in Litania Majore : « Cui debet fieri confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi : sicut et lepræ judicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio vero venialium alterutrum et cuilibet etiam minori potest fieri : quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi ultra modum per incuriam excedat, sicut nec per scabiem, vel impetiginem aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit a peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris orationem mundamur a peccatis. Unde et non dicimus : *Ego dimitto tibi peccata tua;* sed dicimus orando : *Misereatur tui omnipotens Deus*, etc. Quando debet fieri confessio hæc? Omni tempore quo nos peccasse cognoscimus. Sive enim domi, sive in agro, sive in via peccavero, debeo statim dicere fratri, qui mecum est : *Peccavi, ora pro me.* Qui si non aderit, debeo confiteri Deo, dicens : Domine, peccavi, miserere mei. » Hæc ille juxta usum temporis, quo vivebat. Sed ut verum fatear, locus ille S. Jacobi : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, non est intelligendus de ejus modi confessione venialium; sed hoc loco monet S. Jacobus eos, qui se mutuo læserint, ut invicem reconcilientur, confitentes se fratrem læsisse, et invicem veniam postulent.

CAPUT XXXVII.

DE HIS QUI SÆPIUS CORRECTI NON EMENDAVERINT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis frater correptus frequenter pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat [b] correptio : id est, ut verberum

[a] *Si quis frater.* Hujus capitis meminit S. Fructuosus apud H. Canisium, t. V, Ant. Lect.

[b] *Correptio.* Ita apud Smaragdum. Vulgo : *Correctio.*

vindicta in eum procedat. Quod si [a] nec ita correxerit, aut forte, quod ausit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus. [b] Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgæ, etiam si viderit nihil suam prævalere industriam : adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam [c] utatur abbas ferro abscisionis, ut ait Apostolus : [d] *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* v). Et iterum : *Infidelis, si discedit, discedat* (*I Cor.* vii). [e] Ne una ovis morbida totum gregem contaminet.

A

§ II. — Ex Regula Macarii.

B

[f] Qui sæpius corripitur, non se emendaverit, novissimus [g] in ordine stare jubeatur. Qui [h] se nec sic quidem emendaverit, [i] extraneus habeatur, sicut dicit Dominus : [j] *Sit vobis sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* xviii).

[a] *Nec ita correxerit.* Ita in mss. S. Germ. ma. et S. Far., atque etiam apud S. Dunstanum.

[b] *Si exhibuit fomenta*, Apud Smaragdum : *Si exhibuit curationum fomenta.* Fomenta medicamenta, inquit Kero.

[c] *Utatur abbas ferro abscissionis.* Ita placuit priscis rei monasticæ Patribus, ut, qui nulla arte emendari possunt, e monasterio ejiciantur : ut S. Basilio interr. 44 Regularum Brevium : Ἐὰν ἐπιμένῃ ἀναισθητῶν, ἀποκοωτίσθω, ὡς τὸ σίσηπος καὶ διεφθαρμένον μέλος ἀπὸ τοῦ σώματος, id est, si vero sine sensu permaneat, abscidatur ut putridum et corruptum membrum a corpore; S. Augustino cap. 23 Regulæ suæ; S. Isidoro Pelusiotæ, libr. I, epist. 318, alteri Fructuoso cap. 8 : « Et, si se corripere non permiserint, foras projiciantur. » Lerinensibus ex Eusebio Gallicano, Homil. 3 ad monachos : « Illis ipsis qui gravius apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus invenire sententiam, quam ut a corpore congregationis abscisi sine pace discedant ; » sanctissimo P. N. Urbano VIII, nuper de hujus modi incorrigibilium expulsione bulla edita. Id denique placuit Patribus in hac Concordia citatis, excepto uno S. Isidoro Hispalensi, qui non vult hujusmodi monachos ejici monasterio, ne eis ad perditionem licentia pateat. Imo et abbas potest ejici monasterio juxta sextam synodum, cap. 12.

[d] *Auferte malum ex vobis.* In communi versione additur, *ipsis.*

[e] *Ne una ovis morbida*, etc. Quod usu venire solet, ut testatur Seneca, libr. de Tranquillitate animi, cap. 7: « Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus : quia pericula trahemus ; afflatuque ipso laborabimus. Initium morbi est ægris sana miscere. » Et Juvenalis, Sat. 2 :

. . . . Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures : sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, et porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.

Et præclare S. Gregorius papa, homilia 9 in Ezechielem : « Unum est pro quo debet vitari societas malorum ; ne, si forte corrigi non valent, ad imitationem sui et alios trahant; et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et sicut per Salomonem dicitur : *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.* Et paulo post : « Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore ; et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis assidui iniquitate sermonis. »

§ III. — *Item ejusdem.*

Ex qualibet causa qui peccaverit frater, ab oratione suspendatur, et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus prostratus veniam postulaverit, dimittatur ei. Nam si in sua perseverare voluerit nequitia et superbia, et dicat : Hic ego durare non possum, sed accipiam [k] casulam meam, ut eam ubi voluerit Dominus. Qui de fratribus hoc eum dixisse prius audierit, referat præposito et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et cum exhiberi jubeat, et virgis purgetur, et oratio fiat; et sic ad communionem recipiatur, ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur. Quod si casu quis frater exire voluerit, nihil penitus accipiat, [l] nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi, et pretiosas splendidasque accipient coronas : filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta : *Super quem requiescam? dicit Dominus, nisi* [m] *super*

C

[f] *Qui sæpius*, etc. Hoc caput non exstat in Reg. ms. Serapionis. Paphnutii, Macarii, etc. cod. Flor.

[g] *In ordine.* Id est, in officio divino, in opere Dei : nam ordo est officium divinum, cursus, synaxis, opus Dei : horæ canonicæ. Rufinus, cap. 56 de Institutis monachorum : « Et non occurrat adesse ordini psallentium. » S. Hieronymus in epist. ad Demeriadem de virginitate servanda : « Præter psalmorum et orationis ordinem, quod tibi hora tertia, etc. » Concilium Narbonense can. 2 : « Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo. » S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum, c. 37 : « Qui cum apud alios juxta regulas monasteriorum ordini et lectioni insisteret. »

[h] *Non se emendaverit.* Lege : *Et non se*, etc., ut in codic. Vind.

[i] *Extraneus.* Id est, excommunicatus.

[j] *Sit vobis.* In versione communi : *Sit tibi*, ut in textu Græco. Sed suo textui accommodat locum Macarius, quasi suis fratribus loqueretur.

[k] *Casulam meam.* « Casula (inquit S. Isidorus libr. xix. Origin. cap. 24), est vestis cucullata, per diminutionem a casa; quod totum hominem tegat. » Fuit hæc olim monachorum vestis. Acta S. Fulgentii Ruspensis. « Casulam pretiosam, vel superbi coloris ipse non habuit, nec monachos suos habere voluit. » Fuit etiam servorum indumentum : Procopius libr. II de bello Vandalico : « Vestem indutus neque imperatoriam, neque alii viro militari omnino convenientem, ἀλλὰ δούλῳ ἢ ἰδιώτῃ παντάπασι πρέπον, καισοῦλαν αὐτὸ τῇ Λατινῶν φωνῇ καλοῦσι Ῥωμαῖοι, id est, « Servo aut vili personæ omnino convenientem casulam Latina voce dicunt Romani. »

D

[l] *Nisi in notatissimo vestimento.* Id est, sæculari, quo distinguatur transfuga ille a monachis.

[m] *Super humilem et quietum.* Ita apud S. Cyprianum ep. 18, et Cassianum coll. 12, cap. 3, ex Septuaginta : ταπεινὸν καὶ ἥσυχον, id est, *humilem et quietum.* In vulgata editione : *Ad pauperculum et contritum corde.*

humilem et quietum et trementem sermones meos (*Isai.* LXVI).

§ IV. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (*cap.* 14).

Si aliquis excommunicatus in prima interrogatione querelosus vel murmurans apparuerit, et suas sententias superbe vel importune vindicaverit, et hoc senior manifestum esse cognoverit, usque in diem tertium maneat excommunicatus : ita ut nullus cum eo loquatur. Cum tertio vero die ita sciscitatus, et in superbia quam diximus, fuerit deprehensus, quousque ergastulo coarctatus perseveret, donec omnem arrogantiam superbiæ deneget. Quod si in malo perseverans perduraverit et prona voluntate pœnitentiam agere noluerit, et sæpe ac sæpe contumax murmurator patule contra seniores vel fratres in facie perstiterit, et cum propinquis se vindicare maluerit : in collatione deductus exuatur monasterii vestibus, et induatur, quas olim adduxerat, sæcularibus, et cum confusionis nota a monasterio expellatur : ut cæteri emendentur, dum fortasse solus tali correptione ille delinquens corrigitur.

§ V. — Ex Regula sancti Basilii episcopi (*cap.* 128).

Interrog. [a] Erga eum qui pro peccato non pœnitet, qualiter esse debemus? — *Resp.* Sicut Dominus præcepit dicens : *Sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Sicut Apostolus docuit dicens : *Subtrahite vos ab omni fratre* [b] *inquiete ambulante et non secundum traditionem*, [c] *quam tradidimus vobis* (*II Thess.* III).

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 77).

Interrog. [d] Quod si contristatur ille, qui [e] excitatur ; aut etiam si irascitur, quid dignus est? — *Resp.* Interim excommunicari debet, et non [f] manducare, si forte compunctus agnoscit quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet, et ita conversus recipiat gratiam ejus, qui dixit : *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Quod si permanserit in stultitia non intelligens gratiam, abscidatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim : *Quia expedit ut pereat unum membrum,* [g] *et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* V).

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 75).

Interrog. [h] Si quis habet aliquod vitium, quod corrigere non potest, et frequenter [i] notatur, et in pejus proficit, si eum expedit [j] intermitti? — *Resp.* Et hoc alibi jam diximus, quia oportet peccantem corripere patienter secundum eum, quem supra ostendimus, modum a Domino positum (*Matth.* XVIII). Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illi Corinthio, *objurgatio hæc quæ fit a pluribus* (*II Cor.* II), sicuti gentilis de reliquo et publicanus haberi debet, qui ejusmodi est (*Matth.* V). Quia ei parcere, quem Dominus condemnavit, [k] velle tuum non est ; maxime cum Dominus dicat : *Quia expedit unicuique ut unum oculum, aut unum pedem perdat, et ita intret in regnum, quam, dum parcit uni ex his membris, totum corpus mittatur in gehennam ignis : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XVIII). Sed et Apostolus de ipsis testatur dicens : *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (*Gal.* III).

§ VIII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 16).

[l] Qui gravi vitio sæpe excommunicatus neglexerit emendare, tandiu [m] damnationi subjaceat, [n] quousque vitia inolita deponat : ut quem semel illata animadversio non coercuit, frequens severitas censeat emendandum. Quamvis frequentium gravissimorumque vitiorum voragini sit quisque immersus, [o] non est tamen a monasterio projiciendus, sed juxta qualitatem delicti coercendus est : ne forte qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.

§ IX. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 15).

Clamosum in locutione monachum aut iracundum, ridiculosum, subsannatorem sive detractorem esse non decet, etc. [p]

§ X. — Ex Regula Orientali.

Si fuerit aliquis tam durus, tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus, et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et veluti extraneus habeatur : ne vitio illius alii periclitentur.

§ XI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 12).

[q] In his omnibus supra dictis si quis frater contumax aut superbus, aut murmurans, aut inobediens præpositis suis frequenter exstiterit, et secun-

[a] *Erga eum qui*, etc. Hæc sunt apud S. Basilium interr. 9 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 24.

[b] *Inquiete*. Apud Rufinum, *immoderate*. In textu Græco : ἀτάκτως, id est, inordinate, ut habet versio communis.

[c] *Quam tradidimus*. Ita apud Rufinum : aliter in textu Græco : ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν, id est, ut habet versio communis, *quam acceperunt a nobis*.

[d] *Quod si contristatur*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. 44 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 43.

[e] *Excitatur*. Ad vigilias.

[f] *Non manducare*. Id est, uno aut altero die inediam pati, ut supra vidimus in his Patribus a nostro auctore citatis.

[g] *Et non totum corpus tuum*. Ad verbum ex textu Græco Evangelii : καὶ μὴ ὅλον σῶμά σου. Apud Rufinum : *Quam totum corpus tuum*, ut in versione communi.

[h] *Si quis habet*, etc. Reperitur apud S. Basilium interr. 57 : Regul. brev. et apud Rufinum cap. 84.

[i] *Notatur*. Id est, redarguitur, corripitur ; vide supra

[j] *Intermitti*. Ita apud Rufinum. In textu Græco, ἀπαφίναι, id est, dimitti. Rectius.

[k] *Velle tuum non est*. Ita apud Smaragdum. Non ita recte. Melius apud Rufinum : *Nulli tutum est*. Juxta textum Græcum, ἀσφαλὲς οὐδενί, quod idem sonat.

[l] *Qui gravi vitio*, etc. Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 16.

[m] *Damnationi*. Id est, correptioni. Smaragdus legit, *emendationi*.

[n] *Quousque*. In Regula excusa, *quisquam*. Male.

[o] *Non est tamen a monasterio projiciendus*. Dissentit ab aliorum Patrum sententia, ut supra monuimus.

[p] Vide cap. 31, § 10.

[q] Habetur in Reg. ms. quod. cap.

vindicta in eum procedat. Quod si [a] nec ita correxerit, aut forte, quod ausit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus. [b] Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas virgæ, etiam si viderit nihil suam prævalere industriam : adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam [c] utatur abbas ferro abscisionis, ut ait Apostolus : [d] *Auferte malum ex vobis* (*I Cor.* v). Et iterum : *Infidelis, si discedit, discedat* (*I Cor.* vii). [e] Ne una ovis morbida totum gregem contaminet.

A

B

§ II. — Ex Regula Macarii.

[f] Qui sæpius corripitur, non se emendaverit, novissimus [g] in ordine stare jubeatur. Qui [h] se nec sic quidem emendaverit, [i] extraneus habeatur, sicut dicit Dominus : [j] *Sit vobis sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* xviii).

[a] *Nec ita correxerit.* Ita in mss. S. Germ. ma. et S. Far., atque etiam apud S. Dunstanum.

[b] *Si exhibuit fomenta,* Apud Smaragdum : *Si exhibuit curationum fomenta.* Fomenta medicamenta, inquit Kero.

[c] *Utatur abbas ferro abscissionis.* Ita placuit priscis rei monasticæ Patribus, ut, qui nulla arte emendari possunt, e monasterio ejiciantur : ut S. Basilio interr. 44 Regularum Brevium : Ἐὰν ἐπιμένῃ ἀναισθητῶν, ἀποκοωτέσθω, ὡς τὸ σάπηος καὶ διεφθασμένον μέλος ἀπό τοῦ σώματος, id est, si vero sine sensu permaneat, abscidatur ut putridum et corruptum membrum a corpore ; S. Augustino cap. 23 Regulæ suæ ; S. Isidoro Pelusiotæ, libr. I, epist. 318, alteri Fructuoso cap. 8 : « Et, si se corripere non permiserint, foras projiciantur. » Lerinensibus ex Eusebio Gallicano, Homil. 3 ad monachos : « Illis ipsis qui gravius apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus invenire sententiam, quam ut a corpore congregationis abscisi sine pace discedant ; » sanctissimo P. N. Urbano VIII, super de hujus modi incorrigibilium expulsione bulla edita. Id denique placuit Patribus in hac Concordia citatis, excepto uno S. Isidoro Hispalensi, qui non vult hujusmodi monachos ejici monasterio, ne eis ad perditionem licentia pateat. Imo et abbas potest ejici monasterio juxta sextam synodum, cap. 12.

[d] *Auferte malum ex vobis.* In communi versione additur, *ipsis.*

[e] *Ne una ovis morbida,* etc. Quod usu venire solet, ut testatur Seneca, libr. de Tranquillitate animi, cap. 7 : « Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus : quia pericula trahemus ; afflatuque ipso laborabimus. Initium morbi est ægris sana miscere. » Et Juvenalis, Sat. 2 :

. . . . Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures : sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, et porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.

Et præclare S. Gregorius papa, homilia 9 in Ezechielem : « Unum est pro quo debet vitari societas malorum ; ne, si forte corrigi non valeut, ad imitationem sui et alios trahant ; et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et sicut per Salomonem dicitur : *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.* Et paulo post : « Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore ; et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis assidui iniquitate sermonis. »

§ III. — *Item ejusdem.*

Ex qualibet causa qui peccaverit frater, ab oratione suspendatur, et jejuniis distringatur. Quod si coram omnibus prostratus veniam postulaverit, dimittatur ei. Nam si in sua perseverare voluerit nequitia et superbia, et dicat : Hic ego durare non possum, sed accipiam [k] casulam meam, ut eam ubi voluerit Dominus. Qui de fratribus hoc eum dixisse prius audierit, referat præposito et præpositus abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, et cum exhiberi jubeat, et virgis purgetur, et oratio fiat ; et sic ad communionem recipiatur, ut si quis sane non emendatur doctrina, virgis purgetur. Quod si casu quis frater exire voluerit, nihil penitus accipiat, [l] nisi in notatissimo vestimento, et extra communionem infidelis discedat. Nam quieti et pacifici excelsum diripiunt regnum, et filii computantur Altissimi, et pretiosas splendidasque accipient coronas : filii autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta : *Super quem requiescam? dicit Dominus, nisi* [m] *super*

C

D

[f] *Qui sæpius,* etc. Hoc caput non exstat in Reg. ms. Serapionis. Paphnutii, Macarii, etc. cod. Flor.

[g] *In ordine.* Id est, in officio divino, in opere Dei : nam ordo est officium divinum, cursus, synaxis, opus Dei : horæ canonicæ. Rufinus, cap. 56 de Institutis monachorum : « Et non occurrat adesse ordini psallentium. » S. Hieronymus in epist. ad Demedriadem de virginitate servanda : « Præter psalmorum et orationis ordinem, quod tibi hora tertia, etc. » Concilium Narbonense can. 2 : « Hoc quoque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo. » S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum, c. 37 : « Qui cum apud alios juxta regulas monasteriorum ordini et lectioni insisteret. »

[h] *Non se emendaverit.* Lege : *Et non se,* etc., ut in codic. Vind.

[i] *Extraneus.* Id est, excommunicatus.

[j] *Sit vobis.* In versione communi : *Sit tibi*, ut in textu Græco. Sed suo textui accommodat locum Macarius, quasi suis fratribus loqueretur.

[k] *Casulam meam.* « Casula (inquit S. Isidorus libr. XIX. Origin. cap. 24), est vestis cucullata, per diminutionem a casa ; quod totum hominem tegat. » Fuit hæc olim monachorum vestis. Acta S. Fulgentii Ruspensis. « Casulam pretiosam, vel superbi coloris ipse non habuit, nec monachos suos habere voluit. » Fuit etiam servorum indumentum : Procopius libr. II de bello Vandalico : « Vestem indutus neque imperatoriam, neque alii viro militari omnino convenientem, ἀλλὰ δούλῳ ἢ ἰδιώτῃ παντάπασι πρέπον, κασοῦλαν αὐτὸ τῇ Λατινῶν φωνῇ καλοῦσι Ῥωμαῖοι, id est, « Servo aut vili personæ omnino convenientem casulam Latina voce dicunt Romani. »

[l] *Nisi in notatissimo vestimento.* Id est, sæculari, quo distinguatur transfuga ille a monachis.

[m] *Super humilem et quietum.* Ita apud S. Cyprianum ep. 18, et Cassianum coll. 12, cap. 3, ex Septuaginta : ταπεινὸν καὶ ἥσυχον, id est, *humilem et quietum.* In vulgata editione : *Ad pauperculum et contritum corde.*

humilem et quietum et trementem sermones meos (*Isai.* LXVI).

§ IV. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (*cap.* 14).

Si aliquis excommunicatus in prima interrogatione querelosus vel murmurans apparuerit, et suas sententias superbe vel importune vindicaverit, et hoc senior manifestum esse cognoverit, usque in diem tertium maneat excommunicatus : ita ut nullus cum eo loquatur. Cum tertio vero die ita sciscitatus, et in superbia quam diximus, fuerit deprehensus, quousque ergastulo coarctatus perseveret, donec omnem arrogantiam superbiæ deneget. Quod si in malo perseverans perduraverit et prona voluntate pœnitentiam agere noluerit, et sæpe ac sæpe contumax murmurator patule contra seniores vel fratres in facie perstiterit, et cum propinquis se vindicare maluerit : in collatione deductus exuatur monasterii vestibus, et induatur, quas olim adduxerat, sæcularibus, et cum confusionis nota a monasterio expellatur : ut cæteri emendentur, dum fortasse solus tali correptione ille delinquens corrigitur.

§ V. — Ex Regula sancti Basilii episcopi (*cap.* 128).

Interrog. [a] Erga eum qui pro peccato non pœnitet, qualiter esse debemus? — *Resp.* Sicut Dominus præcepit dicens : *Sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII). Sicut Apostolus docuit dicens : *Subtrahite vos ab omni fratre* [b] *inquiete ambulante et non secundum traditionem*, [c] *quam tradidimus vobis* (*II Thess.* III).

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 77).

Interrog. [d] Quod si contristatur ille, qui [e] excitatur; aut etiam si irascitur, quid dignus est? — *Resp.* Interim excommunicari debet, et non [f] manducare, si forte compunctus agnoscit quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet, et ita conversus recipiat gratiam ejus, qui dixit : *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Quod si permanserit in stultitia non intelligens gratiam, abscidatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim : *Quia expedit ut pereat unum membrum,* [g] *et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* V).

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 75).

Interrog. [h] Si quis habet aliquod vitium, quod corrigere non potest, et frequenter [i] notatur, et in pejus proficit, si eum expedit [j] intermitti? — *Resp.* Et hoc alibi jam diximus, quia oportet peccantem corripere patienter secundum eum, quem supra ostendimus, modum a Domino positum (*Matth.* XVIII). Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illi Corinthio, *objurgatio hæc quæ fit a pluribus* (*II Cor.* II), sicuti gentilis de reliquo et publicanus haberi debet, qui ejusmodi est (*Matth.* V). Quia ei parcere, quem Dominus condemnavit, [k] velle tuum non est; maxime cum Dominus dicat : *Quia expedit unicuique ut unum oculum, aut unum pedem perdat, et ita intret in regnum, quam, dum parcit uni ex his membris, totum corpus mittatur in gehennam ignis : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XVIII). Sed et Apostolus de ipsis testatur dicens : *Quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (*Gal.* III).

§ VIII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 16).

[l] Qui gravi vitio sæpe excommunicatus neglexerit emendare, tandiu [m] damnationi subjaceat, [n] quousque vitia inolita deponat : ut quem semel illata animadversio non coercuit, frequens severitas censeat emendandum. Quamvis frequentium gravissimorumque vitiorum voragini sit quisque immersus, [o] non est tamen a monasterio projiciendus, sed juxta qualitatem delicti coercendus est : ne forte qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.

§ IX. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 15).

Clamosum in locutione monachum aut iracundum, ridiculosum, subsannatorem sive detractorem esse non decet, etc. [p]

§ X. — Ex Regula Orientali.

Si fuerit aliquis tam durus, tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus, et tot remissionibus non emendet, projiciatur de monasterio, et veluti extraneus habeatur : ne vitio illius alii periclitentur.

§ XI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 12).

[q] In his omnibus supra dictis si quis frater contumax aut superbus, aut murmurans, aut inobediens præpositis suis frequenter exstiterit, et secun-

[a] *Erga eum qui*, etc. Hæc sunt apud S. Basilium interr. 9 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 24.

[b] *Inquiete.* Apud Rufinum, *immoderate.* In textu Græco : ἀτάκτως, id est, inordinate, ut habet versio communis.

[c] *Quam tradidimus.* Ita apud Rufinum : aliter in textu Græco : ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν, id est, ut habet versio communis, *quam acceperunt a nobis.*

[d] *Quod si contristatur*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. 44 Regul. brev. et apud Rufinum, cap. 43.

[e] *Excitatur.* Ad vigilias.

[f] *Non manducare.* Id est, uno aut altero die inediam pati, ut supra vidimus in his Patribus a nostro auctore citatis.

[g] *Et non totum corpus tuum.* Ad verbum ex textu Græco Evangelii : καὶ μὴ ὅλον σῶμά σου. Apud Rufinum : *Quam totum corpus tuum*, ut in versione communi.

[h] *Si quis habet*, etc. Reperitur apud S. Basilium interr. 57 : Regul. brev. et apud Rufinum cap. 84.

[i] *Notatur.* Id est, redarguitur, corripitur; vide supra

[j] *Intermitti.* Ita apud Rufinum. In textu Græco, ἐπαφίναι, id est, dimitti. Rectius.

[k] *Velle tuum non est.* Ita apud Smaragdum. Non ita recte. Melius apud Rufinum : *Nulli tutum est.* Juxta textum Græcum, ἀσφαλὲς οὐδενί, quod idem sonat.

[l] *Qui gravi vitio*, etc. Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 16.

[m] *Damnationi.* Id est, correptioni. Smaragdus legit, *emendationi.*

[n] *Quousque.* In Regula excusa, *quisquam.* Male.

[o] *Non est tamen a monasterio projiciendus.* Dissentit ab aliorum Patrum sententia, ut supra monuimus.

[p] Vide cap. 31, § 10.

[q] Habetur in Reg. ms. ood. cap.

dum divinam præceptionem semel, et secundo vel tertio de quovis vitio monitus et correptus non emendaverit, referatur hoc a præpositis abbati : et qui præest secundum qualitatem vel meritum culpæ perpenset, et tali eum excommunicatione condemnet, ut sciat qui Deum contemnit quomodo dignus est judicari propter contemptum majori exhibitum, dicente Domino doctoribus nostris : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

§ XII. — Ex Regula cujusdam.

[a] Si quis a senioribus et abbatibus iracundus inventus fuerit, notetur, usquequo corrigatur. [b] Sive ab hoc vitio insanabilis fuerit, [c] ab imperio fratrum detrudendus est : quoniam sive juste, sive injuste, irasci non oportet.

§ XIII. — *Item ejusdem.*

[d] Igitur si sæpius correptus emendare noluerit, excommunicatione pro modo culpæ corrigatur. Si nec sic aliquid proficiat increpantis correptio, verberum vindictæ subjacebit. Quod si sic emendare noluerit, sed magis in tumorem superbiæ [e] elatus opera, vel actus, de quibus corrigitur, defenderit, tunc abbatis [e] sententiæ regimine corrigatur : *Quia scriptum est, qui abjicit disciplinam, infelix est* (*Sap.* III). Moderante ergo scientia saniei medendæ cura adhibeatur. [f] Si lethale vulnus per fomenta castigationum et pietatis et lenitatis unguenta sospitati non redditur, saltem incisionibus amputetur. Et si sic sanies desecta tumorem non amiserit, tunc excommunicationis sententiam vel disciplinæ corporalis pœnam incurrat. Et si nec excommunicationis metu, nec flagelli pœna frangatur, augeatur adhuc pietatis fomes : ita ut ab omni congregatione pro eo communis Dominus orationis officio deprecetur, ut qui laqueo diaboli irretitus tenetur, Domini misericordia ac pietate curetur. Quod si nec sic corripi voluerit intra septa monasterii sub pœnitentiæ tenore ab omnibus [g] præter custodibus segregatus tandiu [h] castigetur diversis increpationibus, usque dum ejus humilitas omnibus vera credulitate pateſiat [i], quia et invitis sæpe salus præstatur. [j] Nam ideo separandus est a congregatione, ut suo vitio non maculet innocentes. Tenera ætas, quæ [k] excommunicata vim nescit, non excommunicatione, sed flagello corrigenda est.

[a] *Si quis a senioribus.* Lege, *si quis ex senioribus*, ut patet ex sequentibus.

[b] *Sive.* Lege, *si vero.*

[c] *Ab imperio fratrum.* Id est, non debet ultra fratribus præfici ob iracundiam, quæ maximum est in rectore vitium, sive ille sit abbas, sive præpositus, sive decanus. Sed abbas abdicari debet ab episcopo.

[d] *Igitur si sæpius*, etc. Hæc fere sumpta sunt ex Regula S. Benedicti.

[e] *Sententiæ.* Apud Smaragdum legitur, *scientiæ.*

[f] *Si lethale vulnus*, etc. Recte. Nam, ut præclare monet S. Cyprianus lib. De lapsis, « imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, et secandum, et putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. »

[g] *Præter custodibus.* Lege, *præter quam a custodibus.* Intelligit eos seniores qui excommunicatorum curam habebant.

[h] *Castigetur diversis increpationibus.* Hæc statuuntur juxta Regulam alterius Fructuosi, cap. 14 : « Mittat senior, qui eum excommunicavit, unum de majoribus, quem probatum habet, qui eum verbis contumeliosis increpet. »

[i] *Quia et invitis sæpe salus præstatur.* Hoc non ita intelligendum est quasi Deus aliquos invitos convertat juxta errorem Cassiani Coll. 13, cap. 17. Dicitur salus præstari invitis, sed sæpius correptis, juxta vulgarem loquendi modum : nisi id sponte feceris, verberibus te cogam. Qua ratione Deus peccatores sæpe castigat; et rectores discipulos perversos, ut ad cor redeant.

[j] *Nam idem separandus est a congregatione, ut suo vitio*, etc. Vitandum est malorum consortium, quia contagiosum est, ut recte monet sanctus Basilius in Admonitionibus : « Evita viros, quos erga mandata Dei videris negligentes, qui mortui sunt virtutibus, et videntur vivere passionibus, qui lætantur in prosperis voluntatibus et gaudio carent divino. Cum hujusmodi viris nulla tibi commixtio sit, neque velis cum eis sermocinari assidue, nisi valeas solummodo ab erroris eos itinere revocare. Cæterum si non vales, devita ut publicum hostem. Sæpe enim per unam ovem morbidam polluitur totus grex, et modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit, et fermentum modicum totam massam corrumpit.

[k] *Excommunicata.* Lege, excommunicatæ, id est, *excommunicationis*, ut congregata, id est, congregatio. Sed de his infra.

CAPUT XXXVIII.

SI DEBEANT FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO ITERUM RECIPI.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Frater, qui proprio vitio egreditur, *aut projicitur*, de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est : [b] et sic in ultimo gradu recipiatur; ut ex hoc humilitas ejus comprobetur. Quod si denuo exierit,

[a] *Frater qui proprio vitio egreditur*, etc. Hujus constitutionis mentionem faciunt S. Bernardus, Petrus Venerabilis, et Petrus Blæsensis in epistolis mox citandis.

[b] *Et sic in ultimo gradu recipiatur.* Idem statuit Fructuosus alter cap. 20. *Non prima, sed ultima cathedra recipiantur.* Quidam monachorum Pater : *Sic tamen in extremo loco inter pœnitentes receptus.* Sanctus vero Pachomius art. 79, hæc statuit: *Non erit in ordine suo absque majoris imperio.* »

usque tertio ita recipiatur, [a] jam postea sciens [b] omnem sibi reversionis aditum denegari.

§ II. — Ex Præceptis et Institutis sancti Pachomii.

[c] Si quis promiserit [d] observare se Regulas monasterii, et facere cœperit, easque dimiserit : postea autem reversus egerit pœnitentiam, obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari : et [e] pascetur inter otiosos : donec, acta pœnitentia, impleat quod promisit.

III. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 20).

[f] Cum aliquis per vitium elapsus fuerit a monasterio, [g] in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque [h] in pacis osculum : sed continuo vinctis post tergum manibus abbati reducatur proprio. Quod si reversus ad sæculum fuerit, et a propinquis fretus cum eis in superbiam surrexerit, et monasterio minas intulerit, pariter et ipsi cum eo sint a laicorum concilio publice expulsi, et ab omni Christianorum conventu maneant anathematizati. Quod si et ipsi laici suo eum receperint consortio, et pariter cum eo contra monasterium exarserint, in contumeliam cuncti a nostra Ecclesia expellantur, et nullo nobiscum charitatis fœdere copulentur : quousque veritatem cognoscant; et nobiscum stantes injurias Ecclesiæ vindicantes pari devotione consurgant. Si certe ipsi apostatæ ab omnibus fuerint expulsi, et huc illucque vagantes diversis locis instabiles atque vacillantes monasterio suo reverti se petierint necessitate compulsi, in conventu majorum deducantur, et ut vasa figuli in fornace probentur, et cum probati fuerint, suo monasterio [i] reformentur : et non prima, sed ultima cathedra recipiantur.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 64).

[j] Frater si frequenter exierit de monasterio, [k] usque in tertium reversus resuscipiatur : amplius non jam : [l] quia talis apud Deum ejus agnoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas constitit. Et ut quid in monasterio jam opus sit, quem Deus non possidet ? Ideoque post tertiam [m] correptionem juste monasterio sit ut ethnicus et publicanus.

§ V. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 21).

Si ullo tempore (quod absit a Christiana religione)

[a] *Jam postea sciens.* Apud Smaragdum, et in vulgatis editionibus, *Jam vero postea sciat.*

[b] *Omnem sibi reversionis aditum denegari.* Petrus Venerabilis lib. I, epist. 18, censet fugitivum monachum toties admittendum in monasterium, quoties pœnitens regreditur, juxta Christi præceptum, quo parcendum est inimico septuagies septies, hoc est, quoties veniam deprecatur. Additque S. Benedictum non dixisse, *denegetur*, sed, *sciat sibi denegari* : et cum nullum sit in hujusmodi verbis præceptum, ei non esse denegandum introitum. In eadem est sententia Ruthardus cum ait non fuisse abbati prohibitum plusquam ter recipere fugitivum monachum, sed tantum fugitivum constrictum fuisse, cum dixit S. Pater Benedictus : *Jam sciat sibi reversionis aditum denegari.* Sed hæc subtiliora sunt. Huic sententiæ adversatur S. Bernardus epist. ad ipsum Petrum venerabilem, Magister c. 64 Regulæ suæ, ubi hæc statuit explicans mentem S. Patris nostri Benedicti. « Frater si exierit frequens de monasterio, usque in tertium reversus resuscipiatur, amplius jam non suscipiatur. » Et causam addit : « quia talis apud Deum ejus cognoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas : » Et ita explicat Petrus Blæsensis epist. 88, quam scripsit ad Theoderiensem abbatem nomine Richardi archiepiscopi Cantuariensis : *Quod devote et humiliter misericordiam petit, quod omni satisfactioni secundum regulam sancti Benedicti se offert, quod judicium a misericordia non excludit. Misericordiam, quam monastici ordinis institutor ad ternarium numerum coarctavit, Evangelicæ mansuetudo gratiæ septuagies septies ampliavit.* Nec id obstat quod fratri erranti sit septuagies septies, hoc est, semper dimittendum. Nam in hac S. Patris Nostri Benedicti lege agitur de totius conventus conservatione, qui ab uno pestilenti facile funestatur, maxime cum ejus levitas post trinam remissionem satis agnoscatur, ut dictum est : non vero de privatæ offensæ remissione, de quo locus sacræ Scripturæ agit : neque hæc S. Patris Benedicti constitutio cum illo pugnat. Maxime cum possit abbas post trinam remissionem ejecto fratri charitatis officia extra monasterium exhibere. Ne autem ejusmodi monachus ejectus pereat, debet manere sub cura, et regimine episcopi, ut statuitur in concilio Meldensi, can. 59, in quo tamen astringitur abbas consulere episcopum, aut ejus vicarium, priusquam monachum ejiciat. « Ut monachus de monasterio sine consultu, et præscientia episcopi, aut vicarii ejus ab hoc regulariter deductus non ejiciatur : cujus dispositione et auctoritate de cætero vita et conversatio ejecti, ne perditus perpetuo fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni. »

[c] *Si quis promiserit.* Exstat in Regula excusa Sancti Pachomii, art. 9.

[d] *Observare se.* τὸ *se* redundat, nec habetur in Regula excusa.

[e] *Pascetur inter otiosos.* Ut rubore suffundatur.

[f] *Cum aliquis*, etc. Hæc non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi : quamvis a Smaragdo appelletur episcopus.

[g] *In aliud non recipiatur.* De hac re infra.

[h] *Neque ad pacis osculum.* Quod juxta Regulam S. Benedicti dátur hospitibus.

[i] *Reformentur.* Id est, restituantur. Reformare enim est reddere, restituere. Sidonius, lib. IV epist. 24 : « Ob hoc ipsum publica auctoritas male valentem patremfamilias violentius ad reformandum debitum arctaret. » Conc. Aurel. II, can. 24 : « Primum admoneatur, qui abstulit, civiliter reformare. » Conc. Turon. II can. 26 : « Et veritate comperta res Dei servis suis dissimulaverit reformare. » Legis Wisigothorum lib. VII, tit. 3, l. 4 : *Et sic postmodum, qui plagiatus est, domino reformetur;* et lib. VIII ejusdem legis tit. 3, l. 13, et legis Burgundionum tit. 29, § 1 : « *Ita ut, si ea quæ abstulit, non potuerint inveniri, in simplum de suis facultatibus reformentur.* Inde nomen reformatio, id est, restitutio. Conc. Paris. I can. 3 : *Absque præjudicio libertatis regiæ integra reformatione restituat.*

[j] *Frater si exierit.* Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb.

[k] *Usque in tertium.* In Regula ms. *Usque tertio.*

[l] *Quia talis apud Deum*, etc. Notanda ratio, cur desertor post tertiam receptionem non sit ultra admittendus : quia ex tertio lapsu, et fuga facile conjicitur hominis levitas et inconstantia in Dei cultu.

[m] *Correptionem.* Id est, ejectionem, genus pro specie. Synecdoche.

frater a septis monasterii discesserit, et foras fugiens postea recordatus pristinæ religionis, et æterni judicii perculsus timore reversus fuerit, prius omnium morum emendationem polliceatur. Postea [a] si probabilis ejus [b] pœnitentia agnoscatur, tunc demum intra septa monasterii recipiatur. Et si bis aut tertio hoc fecerit, simili pietate foveatur ; sic tamen, ut in extremo loco inter pœnitentes receptus tandiu examinetur, usque dum probabilis ejus vita inveniatur. Si vero post tertiam receptionem fugæ culpa maculatus fuerit, [c] sciat omnem reversionis aditum esse postmodum.

§ VI. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 136 [d]).

Qui absque commonitione fratrum recesserit, ac postea pœnitentia venerit, non erit in ordine suo [*Al. om.* suo] absque majoris imperio.

§ VII. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 20).

Vagari per loca monachum sicut non decet, ita non convenit : ne [e] in quorumque vitio captus sæculi delectatione elabetur, ut redeat ad vomitum suum : dum recidua animi voluntate mundi vetus contemptor, novus quidam amator assurgens a via salutis distortus exorbitet. Quapropter id definivimus observandum, ut præter illos, qui pro utilitate monasterii ab abbate huc illucque [f] abire jubentur excursus, nullus egredi monasterium loco alio moraturus absque voluntate abbatis pro qualibet re vel necessitate præsumat : ne ad eum respiciat, quod Apostolus de adolescentioribus viduis scribens dicit : *Simul autem et otiosæ discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed etiam verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet* (*I Tim.* v). Et ideo qui prætermissa [g] sententia, [h] aliqua contrarietate discesserit, intantum, ut ejus inveniatur esse transgressor, spatio illo temporis, quo monasterio defuit computato, duplici dierum numero jejunet, et condemnatione mulctetur, cibi modum, vino quotidie abnegato, qualem abbas imposuerit, habiturus. [i] Fugitivum vero monachum deserentem disciplinam, et perdentem se, velut contemptorem placuit revocare.

[a] *Si probabilis.* Id est, si recta, bona, approbata. Ita aliquando sumitur hoc vocabulum. Conc. Tolet. IV, can. 4 : « Probabilis vita atque doctrina exstiterit ; » et can. 35 : « Presbyteros probabiles et diaconos mittat. » Conc. Valent., can. 4 : « Ejusque probabilem voluntatem in effectum transmittat. »

[b] *Pœnitentia.* Apud Smaragdum legitur : *Patientia.*

[c] *Sciat sibi aditum esse postmodum.* Post verbum : *Sciat*, adde, *denegandum*, ut in cod. Vindocinensi.

[d] Art. 79 Regulæ.

[e] *In quorumque.* In cod. Vind. *In quorum*, lege : *In quocunque.*

[f] *Abire.* Lege : *Habere*, ut in cod. Vindocinensi.

[g] *Sententia.* Lege : *Hac sententia*, id est, edicto.

[h] *Aliqua contrarietate.* Lege : *Sine aliqua contrarietate.*

[i] *Fugitivum vero monachum*, etc. Transfugam seu fugitivum monachum, ab abbate requiri, et suo monasterio restitui leges ecclesiasticæ sanxerunt, ut habetur concilii Aurelianensis I, can. 19; Toletani IV, can. 5; synodi Constantinopolitanæ I et II, can. 3. Leges vero imperiales censuerunt hujusmodi refugam, sicubi apprehensus fuerit, ab episcopo, vel a præside provinciæ nudatum primo in monasterium retrudi : si denuo fugiat, militia, aut honore quo fungebatur, spoliatum inter officiales præsidis provinciæ servire, ut videre est novella S. Justiniani, cap. 7, et ejusdem novella 123, et lib. III Basilicorum. Si autem desertor monachus fuerit servilis conditionis in quacunque provincia reperiebatur, pristino domino iterum serviturus restituebatur, ut statuitur Cod., l. *Servis, de episcopis et clericis*, etc. : « Alioqui si relicta forte vita solitaria (id est monachica) ad aliam quamlibet sese conditionem transtulerint, certum est eos ad servitutis jugum, quam professionis cultu evaserant, reversuros. » Idem statuitur novella 5 citata, cap. 4, ubi hæc verba notanda veniunt : « Non enim injuriam patietur tantam ad verum servitium tractus, quantum ipse injuriatus est Dei culturam refugiens. » Vide Photium in Nomocanone, tit. 9, cap. 32, text. 1 et 2, et Theodorum Balsamonem ibidem.

CAPUT XXXIX.

DE PUERIS MINORE ÆTATE, QUALITER CORRIPIANTUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Omnis ætas [b] vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quoties pueri, vel [c] adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis [d] nimiis affligantur, [e] aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.

[a] *Omnis ætas*, etc. Ætas quæ excommunicationi subjacere non debet, ea est quæ nondum attigit decimum quintum annum, juxta magistrum hic citatum a nostro auctore.

[b] *Vel intellectus.* Distinguitur hic ætas ab intellectu, id est, a capacitate intelligendi. Nam etsi pueris mens immaturior sit, sunt tamen nonnulli grandiores aut duræ cervicis aut imbecillioris intellectus, quos virga agere solet, non ratio, nec excommunicationis vis.

[c] *Adolescentiores ætate.* Id est, juniores, qui nondum ex ephebis excesserunt. Ubi particulæ : *Vel, aut*, sumuntur copulative. In hac autem constitutione S. Pater Benedictus secutus est S. Orsiesium, seu, ut loquuntur Græci, Arsesium, qui juniores fratres non excommunicabat, ut docet Socrates lib. IV Hist. Eccl., cap. 14, ubi male legitur Arsenius, pro Arsesius ; nam Arsenius non vivebat tempore illorum monachorum, de quibus agit Socrates hoc capite. Idem statuit quidam Pater monachorum : « Tenera vero ætas quæ excommunicata vim nescit, non excommunicatione, sed flagello corrigenda est. »

[d] *Nimiis.* Id est, multis. Ita τὸ *nimis*, in sacra Scriptura, est valde multum, ut : *Ego autem humiliatus sum nimis. Et tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Et anima mea cognoscet nimis.*

[e] *Acris.* Pro : *Acribus.* Ita in multis excusis. Ita in

§ II. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 17).

In minori ætate non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis : ut quos ætatis infirmitas a culpa non revocat, flagelli disciplina compescat.

§ III. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 40).

Superbis vero, inobedientibus, et iracundiam protrahentibus nunquam parcendum : donec corrigantur

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 41 [a]).

Pro qualibet culpa, si necesse fuerit flagelli accipere disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta novem. Et quamlibet juste disciplina teneatur, tamen secundum illud : *Bonitatem et disciplinam* (*Psal.* cxviii), paternum affectum sanctus abbas circa omnes teneat, secundum Apostolum : *Tanquam si nutrix foveat parvulos suos*

Vita Alcuini : « Non istum verberibus, quia rudis adhuc, acris, etc., castigemus. » Ita legit S. Fructuosus apud Henricum Canisium tom. V, ant. lect. Kero in Alamanica expositione vocum Regulæ S. Benedicti habet : *Caris ;* sed puto litteras fuisse transpositas pro : *Acris.* Smaragdus et S. Dunstanus legunt : *Acribus ;* cod. ms. S. Ebrulphi : *Acrius.*

[a] Supra cap. 31.

[b] *Infantulos.* Habetur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem capite. Hic autem nititur efficere Magister eos non esse verbere coercendos, qui annum decimum quintum attigerint : quia in illa ætate imperium mentis est, non corporis : et peccatum imperantis est, non servientis ; ac proinde mens peccans excommunicatione ferienda potius, quam corpus verbere.

A (*I Thess.* II). Et *Omnibus omnia factus sum : ut omnes lucrifacerem* (*I Cor.* IX).

§ V. — Ex Regula Magistri (*cap.* 14).

[b] Infantulos usque ad 15 annos non excommunicari, sed præcipimus vapulare pro culpis. Post 15 vero annos jam non vapulare, sed excommunicari condecet. Quia jam intelligunt, quomodo pœnitere et emendare debeant de matura ætate quod male committunt. Quia merito corde debet pœnitere, qui peccat, et non pro eo corpus vapulare, [c] quia animi imperio, corporis servitio magis utimur. Ergo, cum anima imperat, et corpus servit, agnoscitur amplior esse culpa imperantis, quam servientis. Ideo propter intellectus emendationis radix cordis de spinis peccatorum excommunicatione [d] debet purgari, quam B rami corporis, quibus ab invito a jussione cordis peccatum impositum est, [e] injuste pro aliena culpa alter debet pœnam sentire. Illi vero fratres post 15 annos ætatis vapulent, qui satis gravem [f] aut furti fugacis, aut criminalem aliquam culpam commiserint.

[c] *Quia animi imperio*, etc. Sententia est Salustii in Catilinario circa initium. Meminit S. Hieronymus libr. II contra Jovinianum : « Unde et Historicus : animi, inquit, imperio, corporis servitio magis utimur ; alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. »

[d] *Debet purgari.* Legendum videtur : *Debet potius purgari.*

[e] *Injuste pro aliena culpa alter debet pœnam sentire.* Lege : *Injuste enim pro aliena culpa alter non debet pœnam sentire.*

C [f] *Aut furti fugacis.* Ita in cod. Vind. et in Regula ms. Apud Smaragdum legitur : *Aut fasti fugacis*, sed ex citatis codicibus est castigandus.

CAPUT XL.

DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Cellararius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, [b] sobrius, non multum edax, [c] non elatus, [d] non turbulentus, [e] non injuriosus, [f] non tardus, [g] non prodigus, [h] sed timens

[a] *Cellararius.* Ita apud Keronem mox citandum. Vulgo cellerarius, a cella, ut notum est : dicitur et cellarius. Plautus in Milite glorioso :

Dimisit nardini vini amphoram cellarius.

D Lampridius in Heliogabalo : « Mittebat parasitis per cellarios salaria annua. » Kero in interpretatione Alamanica vocabulorum Regulæ S. Benedicti : *Cellararius, qui et cellarius :* Cyprianus. lib. I Vitæ S. Cæsarii : « Post breve tempus in congregationis cellarium eligitur. » Græce etiam dicitur, κελλάριος. Constantinus Themate 6 : κελλάριος ὁ φύλαξ ἄρτου, id est, custos panis. Ut in tractatu de Pœnis, qui vulgo S. Basilio tribuitur art. 40 : Πλὴν τοῦ κελλαρίου, id est, excepto Cellario. Glossæ veteres : κελλάριος, *penuarius.* Et κελλαρία, celleraria Hesychio, in voce ταμιη. Dicitur et κελλαρίτης, cellararius apud S. Dorotheum doctrina. II. Accurate autem hic munus et dotes cellerarii describuntur, quia, cum penes eum sit totius monasterii substantia, necesse est disciplinam regularem labefactari, si ejus socordia non recte administretur. Præterea hoc caput exstat in recapitulatione S. Cæsarii mutato genere masculino in femininum, potuitque videre S. Cæsarius Regulam S. Benedicti : quia illi æqualis fuit, et in Italia aliquandiu commoratus est.

[b] *Sobrius*, etc. Quia, cum omnia quæ ad victum fratrum pertinent, in potestate habeat, pronum illi est servire gulæ illecebris. Sobrius autem hoc loco est non temulentus.

[c] *Non elatus.* Ob potestatem.

[d] *Non turbulentus.* Quia sic universam congregationem turbaret, et omnia confunderet.

[e] *Non injuriosus.* Ms. p. Vict. *Non jurgiosus.* Quæ quidem lectio haud contemnenda : nam multarum rerum administratori non deest jurgiorum occasio.

[f] *Non tardus*, ad ea quæ sunt suarum partium obeunda, et maxime ad suppeditandum fratribus necessaria. Ac proinde huic ministerio inepti sunt avari et quovis polypode tenaciores.

Ubi si quid poscas, ad ravim poscas prius
Quam quidquam detur.

[g] *Non prodigus.* Quia ex ejus prodigalitate totius monasterii ruina manaret.

[h] *Sed timens Deum.* Hoc est veluti ante dictorum corollarium, ad quod illa omnia referri debent.

Deum, [a] qui omni congregationi sit sicut pater. [b] Curam gerat de omnibus. [c] Sine jussione abbatis nihil faciat. [d] Quæ jubentur custodiat: [e] fratres non contristet. [f] Si quis ab eo forte aliqua irrationabiliter postulet, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. [g] Animam suam custodiat, [h] memor semper illud apostolicum: [i] *Qui qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit* (*I Tim.* III). [j] Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat: sciens, sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam [k] quasi altaris vasa sacrata conspiciat. [l] Nihil ducat negligendum. [m] Neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit, et exstirpator substantiæ monasterii: sed omnia mensurate faciat secundum jussionem abbatis. Humilitatem ante omnia habeat. [n] Et cui substantia non est, quod tribuatur, [o] sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: [p] *Sermo bonus super datum*

[a] *Qui omni congregationi sit sicut pater.* Ut cum charitate cuncta administret, omnes fratres tanquam filios diligat, eisque necessaria affatim subministret.

[b] *Curam gerat de omnibus.* Rebus sibi commissis videlicet. Ita quidam Pater monachorum hoc capite a nostro auctore citatus: « Curam de omnibus sibi commissis rebus habeat. »

[c] *Sine jussione abbatis nihil faciat.* Ne quid plus nimio sibi arroget, et potestatem excedat.

[d] *Quæ jubentur custodiat.* Quia is bene ministrat, qui bene obtemperat.

[e] *Fratres non contristet.* Superbe aut injuriose respondendo, aut eis rationabilia denegando.

[f] *Si quis autem ab eo forte.* S. Dunstanus: *Si quis autem frater ab eo forte.* Smaragdus: *Si quis frater ab eo forte.* Hic autem clarum est, qualis in cellerario inesse debeat humilitas, qui irrationabilia etiam petentibus respondere cum humilitate teneatur.

[g] *Animam suam custodiat.* A vitiis et peccatis: quia, quo magis rebus exterioribus attendit eo cautius agere debet: ne anima tot negotiis intricata aliquid intertrimenti percipiat.

[h] *Memor semper illud apostolicum.* Ita in cod. Vind., in cod. ma. S. Germ. Ita apud S. Dunstanum, Keronem et Smaragdum: quia adjectivum, *memor*, perinde ac verbum suum potest cum accusativo construi, ut supra cap. *De instrumentis* notatum est. In vulgatis legitur: *Memor semper illius apostolici*, Cod. p. S. Germ. addit, *præcepti*. Sed male, nam in sententia ex Apostolo citata non præceptum proponitur, sed præmium.

[i] *Quia, qui bene ministraverit, bonum gradum sibi acquirit.* Paulo aliter in textu Apostoli I ad Timoth. III: *Qui enim bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent.* Sed S. Benedictus textum singulari personæ adaptavit: qui tamen Verbum, *acquirit*, ponit in præsenti juxta Græcum textum: βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται, id est, « gradum sibi bonum acquirunt. » Sibi autem bonum gradum acquirit bonus cellerarius, nempe in cœlo: ut olim Dietmarus monasterii Garstensis in Austria cellerarius, qui etsi in vita reprehensibilis esset, tamen ob charitatem in fratres pœnas evasit post mortem. Quod manifestatum fuit Adelrammo abbati monasterii Chremmunster a quadam energumena, quæ interrogata ab ipso abbate de statu prædicti Dietmari ita respondit: « Nostræ sorti deputatus fuit: sed dicente illo monacho, dum iste moreretur: Reddat tibi omnipotens Deus omnia bona quæ mihi fecisti; et alio: Retribuat tibi Dominus prius bonum quo me frequenter sustentasti; et aliis similia imprecantibus, dum putaremus eum nostris accessisse partibus, subito raptus est, et noster esse desiit. » Ut habetur in Vita Bertholdi abbatis Garstensis, cap. 23.

[j] *Infirmorum, infantium*, etc. Quia ii maxime ejus ope indigent, qui pro sua conditione facile spernuntur. Ideoque hæc cum interminatione a S. Benedicto præcipiuntur.

[k] *Quasi altaris vasa sacrata*, etc. Quia monasterium domus Dei est, et omnia quæ illius sunt, Dei sunt, et quæ Dei sunt, tanquam ei sacrata haud dubie habenda sunt. Hæc sane est sanctorum Patrum doctrina, ut vasa monasterii ejusque substantia tanquam Deo sacrata reputentur. Ita habetur in Regula Patrum nempe Macarii et aliorum abbatum. « Nosse jam debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in vasis, sive in ferramentis vel cætera (puto deesse vocabulum *substantia*), omnia esse sanctificata. » Idem docet S. Basilius interr. 143 Regularum brevium, cum ait curam gerendam esse instrumentorum ὡς θεῷ ἐπονομασθέντων καὶ ἀνατεθέντων, id est, « tanquam Deo sacratorum et dedicatorum, » et sequenti interr. ait ea esse Κυρίῳ ἐπονομασθέντα, καὶ τῷ θεῷ ἀνακείμενα, id est, « Domino dedicata, et Deo consecrata. » Interrog. 153, scribit lanas monasterii existimandas esse ὡς παρακαταθήκην θεοῦ, « ut depositum Dei. » Hæc fuit etiam mens veterum Ægyptiorum Patrum, ut planum est ex Cassiano lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 22: « Propter quod, si quid fuerit in monasterio semel illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari. » Idem patet ex Regula Servi Dei, cap. 5: « Vasa vel reliqua utensilia, quæ ad hospitium bajulant, ac si sacra Deo, gubernent et custodiant. » Unde præclare S. Ephræm in sermone ascetico dicit: « Quod si cœnobii librum in tua cella teneas, ne projicias eum per negligentiam; sed studiose complicatum serva atque custodi, tanquam Dei esset. » Quæ quidem doctrina confirmatur auctoritate concilii Aurelianensis cap. 7: « Omnia quæ Deo offeruntur, consecrata habentur in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus et reliquis possessionibus, et quæ ecclesiis sine dubio Christo, qui sponsus earum est, offeruntur. » Quamobrem Macarius et alii abbates in sua Regula dicunt: « Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis. » Porro hic textus S. Benedicti Regulæ citatur a Joanne monacho lib. II Vitæ S. Odonis abbatis Clun.

[l] *Nihil ducat negligendum.* Nec etiam minima; quia ex eorum neglectu sensim bona monasterii dissipantur.

[m] *Neque avaritiæ studeat.* Quia avaritia omnium malorum radix omnem disciplinam pervertit regularem. Hæc una est murmuriorum in monasteriis scaturigo. Væ murmurantibus; sed væ per quem murmurium venit. Quamobrem in concilio Francofordiensi sub Carolo Magno statuitur can. 4: « Ut cellerarii in monasteriis avari non eligantur, sed tales electi sint, quales Regula S. Benedicti docet. »

[n] *Et cui non est substantia, quod tribuatur.* Ita in cod. mss. S. Ebrn. S. Germ. p. et Vind. Sed vulgo legitur, *et cui non est substantia, quæ tribuatur.* Lege tamen, ut in cod. ma. ms. S. Germ.: *Et cui non est ex substantia, quod tribuatur.* Ex quo apparet in codicibus mss. frustra non fuisse scriptum, *quod*, neutro genere.

[o] *Sermo responsionis bonus.* Hinc patet maximam lenitatem in cellerario requiri. Nec immerito: multi enim sunt meticulosi, maxime pueri et juniores fratres, qui ad morosum et iracundum cellerarium vix auderent accedere, ac proinde multam rerum necessariarum penuriam ferre cogerentur.

[p] *Sermo bonus super datum optimum.* In Regula Servi Dei, cap. 4, et apud Smaragdum habetur: *Nonne*

optimum (*Eccli.* VIII). Omnia quæ ei injunxerit abbas, ipsa habeat sub cura sua, a quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam [a] sine aliqua typho, vel mora offerat : ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid meruerit qui scandalizaverit unum de pusillis (*Matth.* VIII). Si congregatio major fuerit, [b] solatia ei dentur, a quibus adjutus et ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus et dentur quæ danda sunt; et petantur quæ petenda sunt : ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 12).

[c] Si congregatio multa est, debet is qui præest pater disponere hebdomadarios, et [d] ordinem officii, quo sibi invicem succedant ad ministrandum : et decernere debet ille, quis debeat esse qui cellarium fratrum contineat. Debet [e] tantummodo talis eligi, qui possit in omnibus evangelico ordine fratribus suum victum gubernare, qui timeat Judæ [f] sententiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet, qui huic officio deputatur, ut videat : *Quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit* (*I Tim.* III), et animæ suæ lucrum facit. Nosse debent etiam fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in vasis, sive in ferramentis, vel [g] cætera omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis (*I Dan.* V) : et qualem meruit vindictam. Custodienda sunt ista præcepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt : ut non condemnentur in peccatis suis.

§ III. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 3).

[h] Ad eum qui cellario præponitur, pertinebit sollicitudo eorum quæ in promptuario sunt. Iste præbebit hebdomadariis quidquid necessarium est victui monachorum, hospitum, infirmorum. Isto præsente dispensantur ea quæ mensis deferenda sunt. Is etiam quidquid residuum [i] sumptui fuerit pro pauperum usibus reservabit. Huic quoque hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique, si negligenter habita non sunt. Ac denuo succedenti hebdomadario coram isto tradentur. Ad hunc quoque pertinent horrea, greges ovium et pecorum, lana, linum, [j] aviaria sollicitudo cibaria ad ministrandum pistoribus, jumentis, bobus, et avibus : industria quoque calciamentorum, cura pastorum et piscatorum.

ecce verbum bonum super datum, Ecclesiastici cap. XVIII : ubi sic legitur in versione communi. *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum ;* quibus consentit textus Græcus. Sed sanctus Benedictus citans locum ex memoria reddidit sensum, non verba. Nec dubium est, quin in textu Ecclesiastici, in quo bis ponitur, *verbum*, subaudiendum sit, *bonum*, ut sensus hujus loci sit : Quemadmodum ros refrigerat ardorem, sic verbum bonum mitigat iracundiam illius cui aliquid denegatur. Et locum explicavit S. Benedictus cum adjecit adjectivum, *bonus*, dicens, *sermo bonus*, etc. Quod sane subaudiendum est in loco Ecclesiastici hoc modo : *Sic et verbum bonum melius quam datum. Nonne ecce verbum bonum super datum bonum.* Quod satis liquet ex sententia, quæ locum citatum præcedit, in qua sic habetur. *Et in omni dato non des tristitiam verbi mali.* Et clarius quidem ex textu Græco, et accommodatius ad mentem S. Benedicti, in quo legitur, δυνάσει, id est, inopia, quasi dicas, *et in omni inopia non des tristitiam verbi mali*, id est, cum nihil habes quod tribuas, ne contristes potentem verbo malo aut dura responsione, et causa est, quia verbum bonum super datum optimum.

[a] *Sine aliqua typho.* In interpetatione Alamanica Keronis, *sine aliquo typho*, id est, sine aliqua superbia, arrogantia : nam τύφος, κενοδοξία, inquit Moschopulus in schedis, id est, superbia : vel, ut ait Suidas, τύφος ἀλαζονεία, μανία, id est, arrogantia, furor. In aliis tamen codicibus tam editis, quam mss. quos viderim, legitur, *sine aliquo typo*. Quam quidem lectionem magis probo. Et typus est fastidium, contemptus, superbia. Quod satis patet ex Regula Pauli et Stephani, cap. 26 : « Conveniente devotione et charissima humilitate, quæ necessaria sunt sine mora et fastidio jubente seniore ministrent. » Sed clarius ex D. Augustino qui, epist. 64, typum opponit alacritati : « Et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ : atque omnibus petentibus sine typo, et cum alacritate tribuantur. » Quæ verba mirum in modum illustrant locum S. Benedicti. Hinc typus superbiæ dicitur. S. Valerius supra cap. 3 : « Crescunt typo superbiæ turgidi. » D. Gregorius Magnus lib. VI, epist. 28 : « Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit. » Et recte quidem superbiæ typus opponitur charitati. Quia charitas alacris est atque hilaris ; et contra superbia morosa est et fastidiosa. Typi etiam sunt frigidæ febres, typi frigoretici passim apud D. Gregorium Turonensem. Et Græce τύπος, id est, accessio et remissio morbi apud Galenum, qui librum composuit περὶ τύπων, id est, de accessionibus et remissionibus morborum. Ex his notandum apud S. Benedictum et auctores citatos typum dici ad similitudinem typi frigoretici. Quemadmodum enim hoc morbo laborantes sunt tædiosi, morosi, et fastidiosi, ita et superbi.

[b] *Solatia.* Solatium est auxilium. Regula Tarnatensis : *Solatium ei non denegetur.* S. Gregorius papa lib. X, epist. 25 : « Ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in ejus transmittere debeant solatium. » Jornandes de Rebus Gothicis ; « In Mundonis solatia veniens Illyricianum exercitum demolivit. » Marculphus formula. 138 : « Ipsum in suis servitiis ac solatiis juxta legis ordinem retineat. »

[c] *Si congregatio multa.* Hoc caput reperitur in Reg. ms. Macarii, Serapionis, etc., Cod. Flor.

[d] *Ordinem officii.* Officium hoc loco est officialium turba, ut supra notatum est.

[e] *Tantummodo talis.* Apud Smaragdum additur, *cellarius.*

[f] *Sententiam.* Id est, judicium, condemnationem.

[g] *Vel cætera.* Ita in cod. Flor., deesse tamen videtur τὸ *substantia.*

[h] *Ad eum*, etc. Hæc habentur in Regula edita sancti Isidori, cap. 20.

[i] *Sumptui.* Hoc vocabulum desideratur in Regula excusa ; nec videtur necessarium.

[j] *Aviaria sollicitudo*, etc. In Reg. excusa, *de area sollicitudo, cibaria ministrandi pistoribus.* Sed illud τὸ *aviaria* rectum puto, cui si apponantur duo puncta, cætera rite procedent hoc pacto : *sollicitudo cibaria administrandi pistoribus.* Aviarium autem est ædificium aptum nutriendis avibus villaticis apud Varronem lib. III de Re Rustica cap. 3 ; et Columellam lib. V, cap. 8, ὀρνιθῶνα appellant ab ὄρνις, id est, avis. Hanc vocem Latine usurpat Varro cap. citato : « Nunc ornithonas dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ solent pasci. »

§ IV. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 11).

Interrog. [a] Qua mensura debet temperare potestatem dispensationis suæ is cui cellarii cura commissa est? — *Resp.* [b] Erga eum quidem, qui ei credidit hujuscemodi dispensationem [c] meminisse *debet* Domini dicentis : *Non possum ego a me facere quidquam* (*Joan.* v). [d] Ad cæteros vero sollicite scire debet, quid unusquisque opus habeat, ut compleat quod scriptum est : *Dividebatur autem unicuique, prout opus erat* (*Act.* iv). Eadem autem ratio observari debet ab omnibus quibuscunque aliqua ministerii vel dispensationis sollicitudo commissa est.

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 112).

Interrog. [e] Quæ sententia observabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personæ acceptionem vel contentionem faciat? — *Resp.* Apostolo præcipiente quidem : [f] *Ne quid facias secundum favorem, vel in alteram partem declinando* (*I Tim.* v); aliquando autem dicente : *Quia si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei :* si quis hoc facit, [g] notetur usquequo corrigatur. Verumtamen oportet cum summa diligentia et probatione discutere, et considerare ad quam partem unusquisque aptus sit vel opportunus : et ita ei injungi quodcunque illud operis vel officii, ut neque illi qui injungunt ex hoc ipso condemnentur, quod non aptum alicui officium injunxerint, et inveniantur mali esse dispensatores sive animarum, sive mandatorum Domini : neque illi ipsi quibus injungitur occasionem peccati ex hoc habere videantur, [h] vel voluntate aliquid agere : sed ejus qui præest judicio committendum est. Unicuique, ut res vel necessitas expedit, consulat : primum omnium in his quæ animæ prosunt : deinde secundo loco etiam ut corporalibus usibus secundum voluntatem Dei moderetur.

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 113).

Interrog. [i] Si autem neglexerit dare fratri quod opus est? — *Resp.* [j] Manifesta est de hoc sententia ex ipsius verbis Domini dicentis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere* (*Matth.* v); et ea quæ sequuntur : quia *Maledictus omnis, qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* iv).

§ VII. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 25).

[k] Hi quoque, quibus in singulis rebus custodia commissa, convenienti devotione et charissima humilitate, quæ necessaria sunt sine mora et fastidio, jubente seniore, ministrent : nec per superbam inflationem differendo occasiones faciant querelarum, per quas murmuratio contra eos justi doloris consurgat. Et e contra injusta murmuratio contra eorum laborem, qui nobis in assignatis rebus charitate deservient, non debet excitari.

§ VIII. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 10).

Ad cellarium talis ordinetur abbatis judicio, vel concilio seniorum, [l] non qui voluntates aliquorum, sed necessitates omnium cum timore Domini et fratrum dilectione consideret. Cui tamen absente præposito concors obedientia præbeatur ; et ubi utilitas poposcerit, [m] solatium non denegetur.

§ IX. — Ex Regula Orientali.

Cellararii cura sit ut abstinentiam et sobrietatem studens illata in monasterium ad sumptus fratrum diligenter et fideliter servet, nihil suscipiens, nec quidquam tradens sine auctoritate vel consilio seniorum. Qui etiam omnia utensilia quæ in monasterio sunt, id est, vestem, vas, ferramentum, et quidquid usibus quotidianis necessarium est, custodiat : et unamquamque rem proferens, cum fuerit necessarium, ab eo iterum ad reponendum, cui utendo consignaverit, recepturus. Ad victum vero fratrum proferat ac tradat, septimanariis ad condiendos cibos det necessaria secundum quotidianæ expensæ consuetudinem, neque profuse, neque avare : ne vitio illius vel monasterii substantia gravetur, vel fratres patiantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nihil

[a] *Qua mensura*, etc. Exstat apud S. Basilium, interr. 148 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 58.

[b] *Erga eum quidem*, etc. Hæc nihil aliud dicunt, quam quod cellerarius in sua administratione non suam, sed abbatis sequi debeat voluntatem.

[c] *Meminisse debet.* Tὸ *debet* supplevi ex Rufino et cod. Vind.

[d] *Ad cæteros vero.* In textu Græco : Πρὸς δὲ τοὺς φροντιζομένους, id est ; « erga cæteros vero qui ejus curæ committuntur. »

[e] *Quæ sententia*, etc. Habetur apud eumdem S. Basilium interr. seq. et apud Rufinum cap. eodem.

[f] *Neque quid facias secundum favorem.* Hæc non habentur apud Apostolum, neque in textu Græco S. Basilii : videntur tamen posita ad alterius partis intelligentiam.

[g] *Notetur.* In textu Græco : Ἀλλότριος τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ὁ τοιοῦτος γνωριζέσθω, id est, « si quis est ejusmodi, alienus ab Ecclesia Dei declaretur, » id est, excommunicetur.

[h] *Vel voluntate.* Hæc usque ad finem exstant quidem apud Rufinum, sed non reperiuntur in textu Græco Basilii.

[i] *Si autem neglexerit*, etc. Hæc habentur apud S. Basilium, interr. 150, et apud Rufinum, cap. 58.

[j] *Manifesta est de hoc sententia.* Idem habet S. Basilius interr. 34 Regularum fusius disputatarum ; nec immerito, quia monachi, qui se omnibus facultatibus propter Christum spoliaverunt, veri sunt pauperes, atque etiam vera Christi membra ; ac proinde avari ac negligentes cellerarii, qui necessaria fratribus non suppeditant, eamdem perditionis aleam subibunt in die judicii, cum his qui pauperes et egenos non paverunt, et cætera misericordiæ opera neglexerunt.

[k] *Hi quoque.* In cod. Floriac. cap. 26.

[l] *Non qui voluntates aliquorum.* Juxta eam animi propensionem seu benevolentiam et sympathiam, quam S. Paulus πρόσκλισιν appellat (*I Tim.* v), hoc est declinationem in alteram partem, et cellerario præcipue vitandam docet S. Basilius, interr. 34 Regul. fusius disputatarum, et 150 Regul. Brev. Quod ut præstare possit, necessarium est, ut credat se Deo, non hominibus ministrare. Hæc autem sententia Tarnatensium exstat in Regula S. Cæsarii, cap. 28.

[m] *Solatium.* Id est, auxilium, ut supra notatum est.

ægrotantium desideriis neget ex his quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis cellarii recurrens semper ad seniorum consilium, et requirens de omnibus, vel præcipue de his quæ proprio suo intellectu non poterit adimplere.

§ X. — Ex Regula Magistri (*cap.* 16).

[a] Fratres, omnis opera pretium habet, quia digno mercenario mercedes debentur, et *Bovi trituranti non alligabitur os* (*Deut.* XIII; *I Tim.* V). Nam labores fructuum suorum beatum faciunt manducantem, quia Dominus homini creato omnia subjecit sub pedibus ejus propter quem creavit cuncta. Ergo si injustis et inimicis Dei, id est, non credentibus paganis et hæreticis, vel diversis peccatoribus [b] diversa victualis creatura famulatur subjecta, ut universus mundus diversis deseruit, quanto magis credentibus in Deo, et bene servientibus ei juste et digne Dominus ad vitam diversam creaturam tradidit quam creavit, et quasi pignus futuræ repromissionis in præsenti hoc tempore omnia vitæ necessaria ministrando non derelinquet Dominus quærentes se : quia divites eguerunt et esurierunt; inquirentes vero Dominum non deficient omni bono, et esurientes implet bonis Dominus, et divites dimisit inanes : et, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Ergo cellararius monasterii non aliunde quam [c] dispensator divinarum rerum; intantum divinarum ut Dominus in Evangelio promittat fidelibus dicens : *Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid induamini* (*Matth.* VI). Simul et de crastino monet non debere quemquam esse sollicitum : sed hoc admonet dicens : [d] *Quærite regnum et justitiam Dei, et hæc omnia apponentur vobis : scit enim Pater meus, qui est in cœlis, quia hæc omnia indigetis* (*Ibid.*). Ergo si Deo servientibus vitæ necessaria a Domino apponuntur, et scit Pater cœlestis Dominus noster quæ indigemus, et præparat : vides ergo quia et [e] victualia nostra, cum ab ipso nobis præparantur, Dominica dona sunt. Nam sicut carnalis domini servus, [f] alter tamen homo, de præbendo servitio suo solummodo est sollicitus; quia de præparandis a domino suo annonæ, vestiarii, [g] calciarii usibus est securus : quanto magis Dominus noster cœlestis necessaria vitæ nostræ juste nos non præcipit cogitare. [h] Quasi homo homini serviens ad præparandum sibi [i] idoneus creditur : quanto magis credentibus vel servientibus Deo, qui creavit ipsa omnia, et cuncta potens est adimplere, omnia poterunt famulari. *Qui* [j] *junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum,* [k] *nec semen ejus egens* (*Psal.* XXXVI) : sed magis tota die miseretur et commodat. Ergo cum de solo servitio nostro in inquirendo regno et justitiam ejus fuerimus solliciti, Deum credamus omnia nobis ministrare, qui ultro se nobis necessaria omnia promittit apponere. Ergo omnia victualia monasterii, quæ in præbenda operariis suis Dominus annona distribuit, si male et fraudulenter a cellarario distribuantur et pereant, sciat se supra dictus cellararius in die judicii divinis ante tribunal ratiociniis discuti, cum annonam servorum Dominus per negligentiam viderit [l] stricari : quia quod juste Dominus dignis tradit, indigne ab eversoribus non patitur stricari. Qui cellararius sine præcepto abbatis nihil tribuat, aut eroget, aut expendat, nec infirmo in præsentia ejus extra jussum aliquid porrigat. Cellararius eleemosynam faciat cum jussu abbatis in præsentia ejus : in absentia ejus liceat ei petenti pauperi eleemosynam exhibere propter præceptum Domini, quod dicit : *Omni petenti tribuite* (*Luc.* VI). Et item : [m] « Da : ne cui non dederis ipse sit Christus. » [n] Quotidie cellararius cum septimanariis coram abbate in oratorio eum congregatione communicet,

[a] *Fratres, omnis opera*, etc. Hoc caput habetur in Reg. ms. cod. Corb. eodem cap. 16.

[b] *Diversa victualis.* Hæc usque ad illa verba : *Quanto magis*, desiderantur in Regula ms.

[c] *Dispensator.* Supp. *sit.*

[d] *Quærite regnum*, etc. Matth. VI; sed producta sunt ex memoria, non ex codice.

[e] *Victualia.* Quæ ad victum pertinent S. Ambrosius lib. V Hexameri cap. 21. « Invigilare quærendo victualia. »

[f] *Alter tamen homo.* Ita in Reg. ms. hæc claudenda sunt parenthesi; ut sensus sit : Etsi tamen alter, dominus videlicet, sit homo.

[g] *Calciarii.* Calcearium est id omne quod homini calceando aptum est. S. Gregorius libr. II, epist. 37 : « Afferat ad calcearium puerorum solidos quadraginta. »

[h] *Quasi homo.* Lege : *Quia si homo*, ut est in Reg. ms. et cod. Vind.

[i] *Idoneus creditur.* Lege : *Idoneum dominum credit.*

[j] *Junior fui, et senui.* Ita in Psalterio Romano.

[k] *Nec semen ejus egens.* Ita in Psalterio Romano.

[l] *Stricari.* Ita Reg. ms. et cod. Vind. Id est, disperdi, consumi, Glossarium vetus : *Instricatum, vulneratum.*

[m] *Da, ne cui non dederis*, etc. Hæc sententia habetur in libello S. Isidori de Norma vivendi, capite ultimo : « Omnibus da : ne forte cui non dederis ipse sit Christus. » Quam doctrinam secutus est S. Joan. patriarcha Alexandrinus, cum dixit datori : « Da ei duodecim numismata, ne forte Christus meus sit, et tenet nos. » Et S. Reimbertus archiepiscopus Bremensis, ut refert Adam libr. I Hist. Eccl. Bremensis : « Non est, inquiens (S. Reimbertus), tardandum, ut cunctis subveniamus pauperibus : quia quis sit Christus, vel quando ad nos veniat, ignoramus. »

[n] *Quotidie cellararius.* Ex hoc loco inferri potest hujus Magistri monachos quotidie sacram eucharistiam sumere solitos : juxta cujus Regulam, cap. 21, cellararius et hebdomadarii post abbatem communicabant, et facta modica oratione recedebant. Sacræ eucharistiæ fuit olim varius apud monachos usus. Monachi Ægypti diebus Dominicis et sabbati sacram eucharistiam sumebant, ut docet Cassianus lib. III de Diurnis Orationibus, cap. 2 : « Quamobrem exceptis vespertinis nocturnisque congregationibus, nulla apud eos per diem publica solemnitas absque die sabbati et Dominica, in quibus hora tertia sacræ communionis obtentu conveniunt. » Idem testatur de die Dominica ejusdem libri, cap. II. Magister, ut paulo ante diximus, suos discipulos quotidie sacri hujus mysterii participes esse voluit; quem secutus est S. Dunstanus, qui capite 1 Concordiæ ita statuit : « Post pacem fratres quotidie (nisi qui crimine se aliquo, vel carnis fragilitate reos cognoverint) regulari studio prorsus intenti eucharistiam accipere non renuant. » Quid de hac re statuerit S. Benedictus, non satis constat. Tamen ex his verbis capitis 35 : *In diebus autem solemnibus usque ad missas sustineant*, conjici potest diebus Dominicis et festivis communicandum esse.

Intrantibus in hebdomadam septimanariis vasa coquinæ ipse consignet : completa hebdomada ipse recipiat aliis intrantibus consignanda. Quæ vasa monasterii si sub aliquo per negligentiam fracta fuerint, non prius qui fregit, accedat ad mensam, nisi pœnitens abbati satisfecerit per humilitatem ad genua incurvatus. Ejectis vero de cellario omnibus necessariis cum congregatione ad mensam sedeat tacitus et manducet. Qui cellararius, si se levaverit aliquid adportare, usque dum redeat, omnes de mensa, in qua sedebat, ad manducandum exspectent eum. Opus aliquod laboris faciendum his horis cellararius suscipiat, quando aliqua cura et diligentia, vel dispensatio cellarii minime exercetur, ut otiosus in illis horis non sit. In oratorio absens per occupationem dicente abbate pro eo fratribus, [a] ut habeatur in mente, simul et ipse cellararius, si prope oratorium cellarium fuerit, sua voce petat se debere in orationibus memorari. [b] Et tamen lente sic occupatus in facto opus Dei sibi dicat, et ipse sequendo vocem vel versum oratorii. Et merito intus in oratorio debet ab omnibus memorari, quia pro omnium sollicitudine occupatur : et quomodo ab uno communis pro omnibus utilitas procuratur, sic omnium cum uno partiatur oratio. Vitia vero oris et corporis ei custodienda ab ipso abbate custodiantur : quia cellararius sub nullius decadæ numero sub præposito continetur : ne forte, quomodo caro amat quæ sua sunt, propter aliquem appetitum vel subministrationem gulæ causa Dei prætermittatur, et pro cibo vel potu [c] non exacta excommunicatio carnaliter provendatur. Utensilia omnia monasterii ipse recipiat [d] ad numerum, et diversis consignet. De omnibus vero quæ sunt in monasterio, extra abbatem nullus sibi aliquid velut suum, sive quod attulit, sive quod invenit, sive quod laboravit, vel acquisivit [nullus] peculiare vindicet, aut defendat. Quia regulæ sententia est : [e] *Res monasterii et omnium, et nullius est.* Cellararius vero ipse frater ordinetur, qui probatus fuerit ab abbate fidelis et abstinens se : quem nunquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multum amat manducare aut bibere, ne detur locus diabolo, sicut dicit Scriptura : *Nolite dare occasionem querentibus eam ;* et videatur gastrimargiæ gulæ voracibus vel gluttonibus fratribus provideri magis quam refrenari.

§ XI. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 4).

[f] Monasterii cellararius sapiens et religiosus ex omni congregatione eligendus est, qui non sibi, nec suis voluntatibus, sed toti congregationi æquanimiter et pie placeat dispensando, nec inde placere studeat unde et se in ruinam peccati, et alios per transgressionis noxam consentiendo introducat. Id est, ut nihil extra debitam mensuram pro qualibet familiaritate, [g] pro gratia meriti dispensando distribuat, sciens : quia, *Justus Deus* [h] *justitiam* [i] *a sæculo dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* XI). Sit ergo omnibus justa dispensatione gratus, sit moribus maturus, sit sobrius, non edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non piger, sed in omnibus actibus sit compositus. Congregationi omni, id est, tam senioribus quam etiam junioribus, pro affectu et paterno ordine debet ministrare. Curam de omnibus sibi commissis rebus habeat. Nihil tamen sine [j] commeatu abbatis facere præsumat. Fratres tam seniores ætate quam juniores nullatenus conturbet. Et si aliquis fratrum ab eo irrationabiliter aliquid poposcerit, leni responsione cum voce humilitatis contra rationem petenti deneget. In infirmitate positis fratribus diligenti cura et promptissimo affectu ministret. Similiter pauperum curam gerat in omnibus timorem Domini præponens, et sciens illi inde rationem redditurum, si non pro ejus præceptis implendis hæc omnia faciat, memor semper illius, qui dixit : *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII). Omni ergo operi bono quod facimus, Domini timorem jungamus. Sic in omnibus curam agat, ut in nullo negligentiæ damna incurrat. [k] Avaritiæ et cupiditatis pestem omnino fugiat. Similiter sicut non avarus, sic non sit prodigus : id est, sicut dona omnipotentis Dei sub avaritiæ vitio occultando subtrahere non debet, sic sine justa dispensatione nimis [l] fenerando communem substantiam non debet diripere, sed omnia per discretionem temperan-

quem fere in omnibus hic Pater sequitur.

[a] *Ut habeatur in mente.* Ita in Reg. ms. ; sed τὸ *ut* videtur redundare. Sensus est : Si cellerarius non intersit divinis officiis, ipse abbas eum fratrum orationibus commendet.

[b] *Et tamen lente*, etc. Sensus est : Si cellerarius habens cellam juxta oratorium faciat aliquod opus quod debitam orationi attentionem minime impediat, officium divinum per se recitabit sequendo fratrum in choro psallentium vocem. Ex quo liquet posse horas canonicas persolvi faciendo leve aliquod opus, quod debitæ attentioni non officiat. Idque vulgo docent summistæ, Navarrus in Enchiridio de horis canonicis, cap. 13. Soto libr. IV de justitia et jure, q. 3, a. 5 ; et alii multi.

[c] *Non exacta excommunicatio.* Ita dicitur, quia eam præpositi non exigerent, ut possent inire gratiam cellerarii.

[d] *Ad numerum.* Gallice : *Par compte.*

[e] *Res monasterii et omnium, et nullius est.* Omnium in communi, nullius in particulari.

[f] *Monasterii cellararius*, etc. Maxima pars hujus capitis sumpta est ex superiori capite S. Benedicti,

[g] *Pro gratia meriti.* Lege, ut in cod. Vind : *Vel pro gratia meriti.*

[h] *Justitiam.* Ita in Psal. Rom., psalm. 10.

[i] *A sæculo.* Additum ab auctore citans locum ex memoria, non ex codice.

[j] *Sine commeatu.* Id est, sine permissu. Vide superius annotata.

[k] *Avaritiæ et cupiditatis pestem*, etc. Præclare S. Basilius in Admonitionibus : « Cave quoque cupiditatem, nec amori pecuniarum subjicias te, sed ab omni avaritia declina, ne condemneris ut adulter et idolorum cultor. Noli amare mammona ; ne te separet a Deo. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cœlestes. Multi cupientes aliena a suis privati sunt. Alienæ sunt a nobis hujus sæculi facultates : nostra autem possessio regnum cœlorum est. » Et paulo post : « Cave radicem omnium malorum cupiditatem pecuniarum : cupidus enim animam suam venalem habet. »

[l] *Fenerando.* Id est dissipando.

do pensare. Et si non habeat quod ab eo quæritur quod tribuat, sermone leni sine ulla asperitate in sermone procedat : ut dulcedo cordis et vocis responsione patefiat, juxta quod scriptum est : [a] *Favus mellis sermones boni* (*Prov.* XVI). Et illud : *Sermo bonus super datum optimum* (*Eccli.* XVIII). Ita sibi commissum opus ad mercedem noverit pertinere, si omnia cum humilitate et pietate studuerit agere.

[b] Et quamvis quod petitur non sit, unde tribuatur, nullatenus respondeat se non habere, sed dicat fideli voce : Dominus dabit. Ea vero quæ danda sunt, sine mora tribuantur ; ne scandali occasio aut offensionis casus ex ipsa tarditate generetur, memor semper præceptorum Domini, qui ne minimum suorum patiatur scandalizari (*Matth.* XVIII).

[a] *Favus mellis.* PROV. XVI : *Favus mellis composita verba.* In textu Græco : λόγοι καλοί, id est, sermones boni.

[b] *Et quamvis quod petitur*, etc. Ita construe : *Et quamvis non sit unde tribuatur id quod petitur.*

CAPUT XLI.

DE FERRAMENTIS ET REBUS MONASTERII.

§ I. — EX REGULA SANCTI BENEDICTI.

[a] Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus [b] prævideat abbas [c] fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus abbas [d] brevem teneat : ut dum sibi [e] in ipsa assignata fratres vicibus succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. [f] Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur : si non emendaverit, disciplinæ regulari subjaceat.

§ II. — EX REGULA PATRUM (*cap.* 12).

[g] Nosse debent fratres, quia quidquid in monasterio tractatur sive in ferramentis, vel cætera omnia sanctificata esse. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractaverit, partem se habere noverit cum illo rege, qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam (*Dan.* II).

§ III. — EX REGULA SANCTI PACHOMII (*cap.* 65).

[h] Quando revertuntur in monasterium, nemo ex ordine remanebit. Cum ad domos suas pervenerint, ferramenta quibus opus fecerant et [i] gallicas tradent ei [j] qui secundus est post præpositum domus : et ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet.

§ IV. — *Ejusdem* (*cap.* 66).

Omnia autem ferramenta hebdomade completa reportabuntur in unam domum : ut rursum, qui succedunt hebdomadæ, singulis domibus noverint quid distribuant.

§ V. — EX REGULA SANCTI BASILII (*cap.* 103).

Interrog. [k] Quomodo debent ii qui operantur

[a] *Substantia.* Lege, *substantiæ.*

[b] *Prævideat.* Lege, *provideat.*

[c] *Fratres.* Quorum alter ferramentorum, alter vestimentorum, alter linteaminum curam gerat. Et sic de cæteris monasterii rebus.

[d] *Brevem.* Ita omnes mss. nostri cod. cum Smaragdo, S. Dunstano, Turrecremata et editione Coloniensi : quædam tamen vulgatæ legunt, *breve.* Brevis igitur, seu breve, nam utrumque dicitur, est index, inventarium, matricula, scheda, in qua quædam breviter describuntur memoriæ juvandæ causa. Flavius Vopiscus in Aureliano : « Breve nominum conscripsit. » Concilium Hispalense can. 1 : « Brevem mancipiorum Ecclesiæ, etc. » Liber v legis Wisigothorum, tit. 5, lib. III : « Et brevem det illi qui commendata susceperat. » Cassiodorus lib. I Var., epist. 6 : « Ut secundum breve subter annexum, etc. » Dicitur et breviculus. Nomen in linguam Græcam transiit. Nam dicitur βρίβιον, id est, *breve.* Synodus Carthaginensis can. 37 : Ἐν τούτῳ τῷ βρεβίῳ, id est, in hoc brevi; et can. 97 : Τὸ βρίβιον τῶν κεφαλαίων, id est, breve capitum. Ad quem locum Theodorus Balsamon, βρίβιον λέγεται ἡ κατὰ ἐπιτομὴν σύντομος γραφή. Βρεβίω γὰρ κατὰ Δωρίνους τέμνω, καὶ βρεβίτα (*Leg.*, βρεβίτας) ἡ συντομία, id est, breve dicitur compendiosa scriptura. Brevio enim Latine *scindo*, et brevitas *conscisio.*

[e] *In assignata.* Nempe substantia monasterii.

[f] *Si quis sordide*, etc. Hic locus profertur a Joanne monacho lib. II Vitæ S. Oddonis abbatis Clun.

[g] Hic textus habetur superiore capite.

[h] *Quando revertuntur.* Hic articulus cum sequente non est in Regula excusa S. Pachomii. In fine tamen articuli 35 hæc verba quæ hunc spectare videntur, reperiuntur : « Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur. »

[i] *Gallicas.* Gallica est calceamentum, soleæ species, qua præter infimam pedis partem cætera nuda fere patebant teretibus habenis juncta. Id patet ex Agellio lib. VII, cap. 20 : « Plerique autem ex iis quæ audierant, requirebant cur soleatos dixisset. Sed Castritius profecto scite et incorrupte locutus est : omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt. Nonnunquam Græca voce crepidulas. Gallicas autem verbum esse omnino novum, non ante ætatem Ciceronis usurpari cœptum, etc. » Unde Tertullianus adversus senatorem Isiacum :

. . . caligaque remota,
Gallica fit pedibus molli redimita papyro.

Sed hæc gallica comptula erat, ea vero cujus meminit S. Pachomius, rustica et militaris, operi apta, et lignea. Unde et hujusmodi gallicæ dictæ sunt calones a voce Græca, κᾶλον, id est, lignum. Glossæ Isidori : *Calones*, *Gallicæ militum.*

[j] *Ei qui secundus est.* Id est, qui post præpositum domui præsidet. Nam in monasterio S. Pachomii plures domus erant, seu classes, singulisque unus præpositus præficiebatur, cujus vicarius erat hic secundus. Ut supra notatum est.

[k] *Quomodo debent*, etc. Exstat apud S. Basilium interrog. 93 Reg. Brev., et apud Rufinum cap. 55

curam gerere ferramentorum, [a] utensilium eorum de quibus [b] operantur? — *Resp.* Primum quidem sicut vasis Dei, vel his quæ jam Deo consecrata sunt, uti debent : deinde tanquam qui non possint sine ipsis devotionis et studii emolumenta consequi.

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 104).

Interrog. Quod si per negligentiam pereat aliquid ex his aut per contemptum dissipetur? — *Resp.* Is quidem, qui contemnit, velut sacrilegus judicandus est. Et qui perdidit per negligentiam, et ipse simile crimen incurrit : pro eo quod omnia quæ ad usus servorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt. (*Vide supra ad Reg. S. Bened. hoc cap.*)

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 105).

Interrog. [c] Quod si a seipso commodare voluerit, aut accipere ab alio? — *Resp.* Tanquam insolens et temerarius habendus est. [d] Hæc enim eorum qui præsunt et curam dispensationis gerunt, officia propria sunt.

§ VIII. — Item ejusdem (*cap.* 106).

Interrog. [e] Quod si necessitas poscat ut is qui præest requirat ab aliquo eorum vas vel ferramentum, et contradixerit? — *Resp.* Qui se ipsum et membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini, quomodo licebit ei de utensilibus contradicere [f] huic præcipue, cui cura commissa est?

§ IX. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 20).

[g] Strumentorum custodia, ferramentorum ad unum, quem pater monachorum elegerit, pertinebit, qui ea operantibus distribuat, receptaque custodiat. Et licet specialiter hæc cuncta singulis maneant distributa, omnia tamen [h] a patre monasterii ordinata ad curam præpositi pertinebunt.

§ X. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 7).

[i] Ferramenta vel utensilia quælibet artificum sub uno recondenda sunt conclavi, et custodia unius fratris industrii et providi. Quique segregatim illa idoneo collocans loco, prout res expetit, poscentibus ad operandum fratribus tribuat, atque ad vesperum suis ea colligens locis curam habebit ; ne quid de his aut pereat, aut per negligentiam [j] æruginet, vel qualibet occasione vilescat.

§ XI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 17).

[k] Ferramenta monasterii in uno contineantur cubiculo, et uni fratri, cujus diligentiam abbas cognoverit, eorum conservandorum curam committat. Qui quotidie fratribus ad facienda opera consignet ad numerum, et a [l] disjungentibus similiter munda ipsa recipiat et reponat, breve de omnibus tenente abbate. Qui vero frater non mundum ferramentum a terra [m] de agro [n] revocaverit, accusatus ad mensam a custode ferramentorum pœnæ nomine in refectione in portione panis sui unam [o] quadram minus accipiat usque ad satisfactionem, vel emendationem promissam : quia exinde æruginat ferramentum, cum mundum non fuerit positum. Simul etiam et ipse frater consignatas habeat cotes, et spongias calciariorum, [p] facitergia, mappas vel [q] sabana : similiter et arcam cum rebus abbatis, vel ar-

[a] *Utensilium.* Lege, *vel utensilium*, ut apud Rufinum.

[b] *Operantur.* Ita apud Rufinum. Aliter in textu Græco : Πεπιστευμένων αὐτοῖς, id est, « quæ sibi commissa sunt. »

[c] *Quod si a se ipso.* Invenire est apud S. Basilium interr. seq., et apud Rufinum eod. cap.

[d] *Hæc enim eorum qui præsunt.* Hæc non sunt in textu Græco. Mens autem sancti Basilii hæc est : Ut, ii soli possint commodato instrumenta seu ferramenta dare aut accipere, qui eorum curam gerunt.

[e] *Quod si necessitas poscat*, etc. Habetur apud S. Basilium interr. sequ. Reg. Br. et apud Ruf. cap. eodem.

[f] *Huic præcipue*, etc. Paulo aliter in Græco : Τῷ προεστῶτι, ᾧ καὶ τῶν σκευῶν ἡ φροντὶς ἀνῆκεν, id est, « antistiti, et etiam cui cura commissa est ferramentorum. »

[g] *Strumentorum custodia*, etc. Hæc habentur in Reg. excusa eod. cap. ubi legitur : *Instrumentorum et ferramentorum custodia.* Strumentorum autem, pro instrumentorum. Vide supra.

[h] *A Patre monasterii.* In Regula excusa deest τὸ *monasterii.*

[i] *Ferramenta vel utensilia*, etc. Hæc reperiuntur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass. eod. cap. 7.

[j] *Æruginet.* Id est, æruginem contrahat, ita etiam loquitur Magister cap. 17 : « Quia exinde æruginat ferramentum. »

[k] *Ferramenta monasterii.* Hæc habentur in R. Ms. cod. Corb. eodem capite.

[l] *A disjungentibus.* Supple *se*, id est, qui se ab invicem separant completo opere.

[m] *De agro.* Sup. reversus.

[n] *Revocaverit.* Id est, reddiderit. Nam revocare aliquando significat reddere. Conc. Agathense can. 27 de fugitivo monacho : « Sed ubicunque fuerit, abbati suo auctoritate canonum revocetur, » *id est*, reddatur.

[o] *Quadram.* Quadra est frustum panis, quarta pars panis. Glossæ veteres : *Quadra*, τόπος. Lege, τόμος, id est, frustum, ut olim a doctis est emendatum. Mentio fit apud Juvenalem, Sat. 5 :

Ut bona summa putes aliena vivere quadra.

Sed proverbialiter dictum. Faciebant Romani panes quadratos habentes incisuras ; et unaquaque pars seu incisura dicitur quadra. Athenæus lib. I : Βλωμίους τὶ ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει τοὺς ἔχοντας ἐντομὰς οὓς Ῥωμαῖοι κοδρατοὺς λέγουσι, id est, « buccelatos panes appellari dicit, quos Romani quadratos appellant, habentes incisuras : » meminit Suidas : κοδράτης ἄρτος, id est, « quadratus panis : » ita dictus quod haberet quatuor incisuras seu quadras, ut videre est apud S. Gregorium lib. I Dial., c. II, de S. Martyrio monacho provinciæ Valeriæ : « Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent signum crucis imprimere, sicut in hac provincia crudi panes signo signari solent, ut per quadras partiti videantur. » Idem etiam liquet ex epist. Theodemari abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, si modo illius sit.

[p] *Facitergia.* Sunt mappullæ, sudaria tergendæ faciei idonea. S. Isidorus libr. IX Originum cap. 26 : « Facitergium et manutergium a tergendo faciem et manus vocatur. » Glossæ-Arabico-Latinæ dictæ : « Facitergium et manutergium vel a tergendo faciem vel manus vocatum. »

[q] *Sabana.* Idem Isidorus c. 19 : « Mappas, sabana et facitergia : » Sabanum est linteum. Glossæ-Græco-Latinæ : Σάβανον, *Lentium* ; lege, linteum. S. Isidorus cap. citato agens de linteis ait : « Sabanum nomen Græcum. » Idem planum est ex D. Gregorio

cas diversarum decadum cum rebus fratrum, cum [a] clusuris præpositorum, simul etiam et arcam cum cortinis et velis, vel ornatu monasterii. Simul etiam arcam cum diversis codicibus et chartis monasterii. Simul namque et arcam cum his rebus fratrum, qui noviter [b] ingressi monasterium, quæ propter, quod absit, repedationem sæculi jubentur servari, simul et universa [c] expensa artificum, quæ ad diem de diversis artibus laborantes consignaverint facta, ipse frater profecto recipiat et reponat; imperfecta, alia die ipse laborantibus consignet. Simul et diversarum artium ferramenta ipse a diversis artificibus sero recipiat; et mane reconsignet. Nam et arcam cum rebus fratrum intrantium noviter in monasterio per donationem collatis simul vel clusura abbatis in cubiculo conservet. Rationes omnes in nummo monasterii expensarum ipse abbati [d] suggestu erogationis exsolvat. Unde ipsum fratrem fide oportet divina constringi, ut timore vel testimonio Dei fideliter possit commissa implere.

§ XII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 12).

Utensilia monasterii et quæcunque sunt ad commune opus necessaria, abbatis cura disponantur. Et tales in congregatione quærantur, quorum et sollicitudo animi vigeat et conscientiæ firmitas sit probata; et ipsis cura committatur, ut quæ cuique necessaria fuerint, oportunitate exigente, tribuantur. Et sic ipsa utensilia, seu quæcunque eis ab abbate commissa fuerint, cum sollicito timoris studio gubernent, ut mercedem commissæ curæ recipiant, et non judicium damnationis incurrant, anteponentes illud mentis oculis : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII).

libr. IV. Dial. cap. 55 : « Invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, et exeunti de canalibus sabana præberet. »

[a] *Cum clusuris.* Ita in Reg. ms. pro, *clausuris.* Libr. VIII legis Wisigoth., tit. 3, l. 14 : « Quod si de domo ejus aut clusura involaverit. » Clausura hoc loco est aliquod armarium seu arca. Est etiam clausura munimen, præsidium, quod statuitur in transitu alicujus regionis. Suidas : Κλεισοῦραι οὕτω καλοῦνται τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ, id est, « Clausuræ sic appellantur manumenta transituum patria Romanorum lingua. » Mentio fit Cod. l. *In nomine Domini.* § 4, de offic. præf. præt. Afr. Vide Glossarium τακτικῶν eruditissimi viri Nicolai Rigaltii.

[b] *Ingressi monasterium.* Ita in Reg. ms. Subaudi verbum. *sunt.*

[c] *Expensa artificum*, ita in Reg. ms. Lege tamen : *Pensa artificum*, ut colligitur ex sequentibus.

[d] *Suggestu erogationis.* Id est, suggerendo erogationem, quam fecit de rebus monasterii.

CAPUT XLII.

SI QUID DEBEANT MONACHI PROPRIUM HABERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Præcipue hoc [b] vitium radicitus [c] amputandum est de monasterio : Ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione abbatis [d] neque aliquid habere proprium, [e] nullam omnino rem, neque codicem, [f] neque tabulas, neque [g] graphium, sed

[a] *Præcipue.* Graphice depingit hoc loco S. P. Benedictus peculiaritatis, seu, ut nunc loquuntur, proprietatis vitium.

[b] *Vitium.* Supp. *peculiaritatis*, et sic cohærebunt priora sequentibus.

[c] *Amputandum est.* Ita in cod. ms. S. Far. ut apud S. Dunstanum et Trithemium cap. 5 libri de proprietate monachorum. Vulgo : *Amputetur.*

[d] *Neque aliquid habere proprium.* Proprietatis in monasteriis abdicatio sanctorum conciliorum auctoritate olim cauta fuit Aurelianensis I can. 21; Autisiodorensis can. 23; Lateranensis sub Alexandro tertio apud Guillelmum Neubrigensem libr. III de rebus Angl. can. 3; synodi Constantinopolitanæ primæ et secundæ can. 6. οἱ μοναχοὶ οὐδὲν ἴδιον ὀφείλουσιν ἔχειν, id est « monachi nihil proprium habere debent. »

Nullam omnino rem. Pro : *Neque ullam omnino rem ;* supple, *habere præsumat.*

[f] *Neque tabulas.* Intelligit tabulas cera illitas, in quibus olim stylo characteres incidebantur, quarum meminit S. Willibaldus episcopus Eistetensis in Vita S. Bonifacii Moguntini præsulis : « Ego Willibaldus episcopus, etc. Vitam et passionem Bonifacii conscripsi in ceratis tabulis. »

[g] *Graphium.* S. Benedictus, cap. 55 : *Bracile, cultellus, graphium.* Meminerunt Suidas, auctor veteris etymologici : γραφείδιον, γραφιον. Julius Pollux lib. X, cap. 14 : Τῷ παιδὶ δίον προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, id est, « puero convenit habere graphium ; » et Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 13 : « Magnumque sit crimen ex ore monachi processisse codicem meum, tabulas meas, graphium meum. » Quid sit graphium explicant Glossæ veteres : γραφεῖον : *hic stylus*, quo nimirum in ceratis tabulis litteræ incidebantur. Primum stylo seu graphio ferreo usi sunt Græci, Tusci et Romani, postea osseo, ut docet S. Isidorus lib. VI Orig., cap. 8 : « Græci enim et Tusci primum ferro in ceris scripserunt. Postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet : unde et apud scribas dicitur : Ceram ferro ne cædito. Postea institutum est, ut in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens :

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus
Osseo.

Graphium autem Græce, Latine scriptorium dicitur. Nam γραφὴ dicitur scriptura. » Postea tamen ad Graphium ferreum rediisse Romanos satis indicat locus Suetonii in Julio cap. 82 : « Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit », id enim osseo graphio fieri non potuisset; et locus Martialis mox citandus. Fuit et graphii argentei usus. S. Bonifacius præsul Moguntinus epist. 7 ad Eadburgam abbatissam : « Parva munuscula tuæ venerandæ dilectioni transmisi, id est, unum graphium argenteum. » Inde graphiarium theca condendis graphiis apta : Martialis libr. XIV, epigr. 21 :

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro
Si puero dones, non leve munus erit

nihil omnino : [a] quippe quibus [b] nec corpora sua, nec voluntates licet habere [c] in propria potestate : omnia vero necessaria [d] a Patre sperare monasterii. Nec quidquam liceat habere, quod abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia : ut, sicut scriptum est (*Act.* IV), [e] nec quisquam suum aliquid [f] dicat, vel præsumat. Quod si quisquam [g] huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admonitus semel et iterum, si non emendaverit, [h] correptioni subjaceat.

§ II. — Ex doctrina Orsiesii.

Quæ nobis occasio relicta est ut habeamus quidpiam proprium a funiculo usque ab corrigiam calceamenti, [i] cum habeamus præpositos qui pro nobis cum timore et tremore solliciti sunt tam in cibo quam in vestitu, et languore corpusculi, si forte obvenerit. At in nullo timeamus, et per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus. Liberi sumus, jugum de cervicibus nostris mundanæ servitutis abjecimus, cur rursum volumus reverti ad vomitum nostrum, et aliquid habere, unde solliciti simus, [j] et quod perdere metuamus ? Ad quos usus superfluum pallíolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cum omnia in commune sint præparata, et cruce Christi nihil [k] durius sit ? [l] [quia] juxta quam viventes patres nostri ædificaverunt nos supra fundamentum apostolorum et prophetarum, et evangelforum disciplinam, quæ angulari lapide continetur Domino Jesu Christo, quem sequentes de mortifera [m] altitudine ad vitalem descendimus humilitatem, divitias paupertate mutantes, et delicias simplici cibo.

§ III. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 106).

Nemo ab altero accipiat quidpiam, nisi præpositus jusserit.

§ IV. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 28).

Interrog. [n] Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est ? — *Resp.* Huic contrarium est illud testimonium, quod in Actibus apostolorum de illis, qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim ita dicit : *Quia nemo quidquam ex bonis suis proprium dicebat esse,* [o] *sed illis erant omnia communia* (*Act.* IV). Si quis vero proprium sibi esse dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei, et a charitate Domini, [p] qui docuit verbo, et opere complevit.

[a] *Quippe quibus.* Ad quod referatur antecedens plurale illud relativum, obscurum est, cum antea numero sit usus singulari, sed dicendum est in his verbis : *Ne quis præsumat,* subaudiendum esse *τὸ monachorum,* quasi dixisset : *Ne quis monachorum præsumat,* etc. *Quippe quibus,* etc.

[b] *Nec corpora sua.* Nam sunt in prælati potestate, salvo tamen jure naturæ. Non potest enim monasterii antistes præcipere monacho, ut se mutilet, percutiat, fame enecet, et similia. Vide Cajetanum in opusculis.

[c] *In propria potestate.* In cod. mss. S. Ebrul. S. Far. et Victorino utroque legitur : *In propria voluntate.*

[d] *A patre sperare monasterii.* Supple, *liceat.*

[e] *Nec quisquam suum aliquid dicat.* Juxta institutionem primorum Christianorum, quorum imaginem referunt monachi. Actorum IV : *Nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat,* quam veteres illi Ægypti monachi religiosissime observarunt, ut planum est ex Cassiano, loco supra citato. Eamdem monachis servandam edixit San. Columbanus in Pœnitentiali ms : « Meum et tuum dixit, VI plagis ; » supple : emendetur. S. Fructuosus archipræsul cap. 4 : « Nec quisquam ex monachis suum asserens dicat. » S. Aurelianus cap. 25 regulæ : « Nullus præsumat quidquam suum dicere. » Quidam Pater monachorum in sua Regula : « Qui autem dixerit. Meum est et hoc et illud ; peccavit coram Deo : nisi tantum per subreptionem sermonis » supple : dixerit. Memoriale qualiter in monasterio conversandum sit : « Nullus ex fratribus suum aliquid dicat, aut rem quamlibet, aut membrum corporis, sed semper : nostrum. Hoc solum oportet dicere proprium, mea culpa. »

[f] *Dicat vel præsumat.* Præsumat est arroget.

[g] *Huic nequissimo vitio.* Nequissimum sane vitium est peculiaritas. Illa enim expungit concordiam et charitatem ex monasterio, atque etiam mundi contemptum, ut præclare monet S. Gregorius Magnus epist. 22, libr. X : « Quia, si illis peculiaritas monachis debetur, nec concordia nec charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est habitus monachi, nisi contemptus mundi ? Quomodo ergo mundum despiciunt, si qui in monasterio positi aurum quærunt ? » Imo nec monachus esse potest, qui peculiaritati studet juxta doctrinam S. Fulgentii Ruspensis in Africa episcopi, ut in ejus Actis habetur. « Dicebat enim frequenter non debere, nec posse monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit. Ut enim monachus lautioribus forsan cibis utatur interdum cogit infirmitas corporis ; ut autem cupiat in quamlibet exiguis rebus juris proprii dominium vindicare superbæ voluntatis et avaræ cupiditatis evidens testimonium est. » Præterea peculiaritatis vitium adulterii et furti crimen est, ut recte docet S. Leander. libr. de Institutione Virginum cap. 18. « Peculiare quod in cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi evita contagione. Adulterium sane est, quia conscientiæ bonæ integritatem usurpatæ rei pravitate maculat. Furti crimen est, quoniam, dum omnia quæ habentur in monasterio omnibus sunt communia habere latenter præsumit, quod a cæteris ignoratur ; et aliud publice cum omnibus utitur, aliud furtive abscondit. » Quamobrem, o monache, (ut paulo post addit S. Leander), « tantæ nequitiæ malum velut gehennæ evita præcipitium, et quasi iter conducens ad infernum. »

[h] *Correptioni subjaceat.* In proprietarios monachos statuit ita animadvertendum S. Columb. in Pœnitentiali : « Operis peculiaris præsumptio, c plagis. Possessio alicujus rei, quam non necessitas generaliter fratribus concesserit, amissione ejusdem, et centum plagis coerceatur. »

[i] *Cum habeamus præpositos.* Intelligit præpositos diversarum domorum, quæ erant in monasterio S. Pachomii.

[j] *Et quod perdere.* Ita apud Trithemium cap. 5, de Proprietate monachorum. Sed τὸ *quod* abest ab editionibus Orsiesii.

[k] *Durius sit.* τὸ *sit* abest ab editis : exstat tamen apud Trithemium capite citato.

[l] *Quia juxta quam.* Ita in editis ; τὸ *quia,* tamen redundat.

[m] *Altitudine.* Id est, superbia.

[n] *Si debet.* Exstat apud S. Basilium interr. 35 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 25.

[o] *Sed erant illis omnia communia.* Ita apud Rufinum, quæ tamen in textu Græco Basilii desiderantur.

[p] *Qui docuit verbo,* etc. Apud Trithemium cap. 5 de Proprietate monachorum : *Qui quæ docuit,* etc. Sed ista usque ad finem capitis non assequuntur sensum textus Græci, qui est ejusmodi : Τοῦ διδάξαντος τῷ λόγῳ καὶ ἔργῳ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ τιθέναι ὑπὲρ τῶν

Et quia animam suam pro amicis dedit, quomodo A nos, etiam quæ extra animam sunt, propria vindicamus?

§ V. — *Item ejusdem (cap. 118).*

Interrog. [a] Pauperes venientes ad ostium et potentes quomodo dimittemus : et si debet unusquisque porrigere panem, vel quodcunque aliud : [b] aut oportet ad eum, qui præest, pertinere? — *Resp.* Cum Dominus dixerit : *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus (Matth.* XV; *Marc.* VII), sed et canes manducare de micis, quæ cadunt de mensa [c] puerorum, libenter accipiunt : is, cui dispensatio injuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter illius voluntatem facere hoc præsumit, tanquam inquietus et indisciplinatus [d] confundatur; usquequo discat loci sui ordinem custo- B dire, secundum quod Apostolus dixit : *Unusquisque, in quo vocatus est, in eo permaneat. (I Cor.* VII).

§ VI. — *Item ejusdem (cap. 109).*

Interrog. [e] Si licet unicuique veterem tunicam suam, vel calciamenta dare cui voluerit misericordiæ causa propter mandatum? — *Resp.* [f] Dare aliquid mandati gratia non est omnium, sed eorum, quibus istud officium creditum est. Sic ergo ad quem pertinet dispensatio sive novum, sive vetus, ipse det cui dare debet; et ipse suscipiat a quo suscipi debet.

§ VII. — *Item ejusdem (cap. 187).*

Interrog. [g] Quod si frater nihil habens proprium, petatur ab aliquo hoc ipsum, quod vestitus est, quid debet facere, maxime si nudus sit ille, qui petit? — *Resp.* Sive nudus, sive malus, id est, sive neces- C sitatem patiatur, sive fallit, vel si quid aliud est, semel dictum est : quia dare vel accipere non est omnium, sed solius, cui commissum est istud officium : qui utique cum omni providentia, et cautela hujusmodi dispensationem debet implere ; ut possit in eo unusquisque, in quo vocatus est, permanere (*I Cor.* VII).

§ VIII. — Ex Regula sancti Augustini (*cap. 1*).

[h] Hæc sunt, quæ ut observetis, præcipimus in monasterio constituti. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes [i] habitetis in domo, et non dicatis aliquid proprium ; sed sint vobis omnia communia, et [i] distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro.

§ IX. — Ex Regula sanctorum Pauli et Stephani (*Cap.* 23).

[k] Nulli liceat vel instrumentum, vel calciamentum aut tabulas, vel cujusque rei parvissimæ tam novum quam vetus quidquam quod alio fratri datum fuerit, prava præsumptione contingere ad utendum. Nec inter se fratribus liceat [l ut] id quod de communi quisquam acceperit ; nisi permissu prioris cum alio fratre, quasi peculiari amore [m] mutuare : ne hac occasione nascatur amor illicitus : sed unusquisque quod ei charitatis distributione datur, hoc libens, et bona voluntate accipiat, et ad utendum delectetur habere.

§ X. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 6).

[n] Monachi in commune viventes nihil peculiare sibi facere audeant : neque in suis cellulis quidquam quod [o] ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere præsumant. In Pentecoste autem, qui est dies remissionis, omnes fratres sub divina professione se alligent nihil peculiare apud conscientiam suam habere.

§ XI. — *Item ejusdem (ex eodem capite).*

[p] Non est præsumendum sine conscientia abbatis egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere. [q] Cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel præpositus jusserit, nulli licebit. Nec habebit quippiam frater præter illa, quæ in communi monasterii lege concessa sunt.

φίλων, οὐχ ὅτι τὰ ἐκτὸς, id est, « docentis verbo et opere animam suam ponere pro amicis, multo magis res externas. »

[a] *Pauperes venientes.* Exstant apud S. Basilium interr. 100 Regul. brev., et apud Rufinum cap. 52.

[b] *Aut si oportet ad eum, qui præest, pertinere.* Ita apud Rufinum, in textu Græco aliter : ἢ ἐνὶ χρὴ καὶ τοῦτο ἐπιτετάχθαι, id est, « vel uni cuipiam hoc injungi oportet. » D

[c] *Puerorum.* Ita apud Rufinum juxta Marcum. In textu Græco Basilii est : κυρίων, id est, dominorum, juxta Matthæum.

[d] *Confundatur.* Male apud Rufinum legitur : *Confitealur.*

[e] *Si licet unicuique.* Exstat apud Basilium interrog. 87, et apud Rufinum cap. 53.

[f] *Dare aliquid.* In textu Græco additur ἢ λαμβάνειν, id est, vel accipere ; recte, ut ex sequentibus clarum est.

[g] Interr. 91. *Si nimirum abbas et ce..erarius rite officio fungantur.*

[h] *Hæc sunt*, etc. Sunt ultima verba præfationis Regulæ S. Augustini : et referuntur a Trithemio lib. De proprietate monachorum cap. 5, ex cap. 14, Regulæ Tarnatensis, usque ad illa verba, *ut non dicatis.* Nec mirum, quia Regula Tarnatensis quædam sumit ex Regula S. Augustini.

[i] *Habitetis in domo.* In Regula S. Augustini edita et in epist. hæc sequuntur : « Et sit vobis cor unum, et anima una in Deo. »

[i] *Et distribuatur unicuique vestrum.* Nempe *victus et tegumentum*, ut habetur in eadem Regula excusa.

[k] *Nulli liceat.* Habetur in Regula ms. eorumdem Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 28, et citatur a Trithemio cap. 5. de proprietate monachorum.

[l] *Ut id.* Ita apud Trithem. τὸ *ut*, tamen redundat.

[m] *Mutuare.* Ita in cod. Vind. et in Regula ms. cod. Flor. sed apud Trithemium legitur, *commutare.* Rectius.

[n] *Monachi.* Hæc reperire est in Regula sancti Isidori excusa cap. 19.

[o] *Vel ad victum.* In Regula exc. additur : *Vel ad habitum.* Cautum fuit olim in monasteriis, ut monachi nihil in cellis aut lectis cibi absconderent, ut videre est in Regula S. Pachomii, cap. 43 : « Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescendum. » In Regula Teridii, cap. 22 : « Ad lectum suum nullus præsumat habere quod manducetur aut bibatur. »

[p] *Non est præsumendum.* Subscribit doctrinæ Basilii magni supra.

[q] *Cum alio quoque fratre*, etc. Ita in cod. ms. Vindocinensi, aliter in regula excusa : « Nec cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel præpositus illi jusserit, ulli licebit. »

§ XII. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 6).

[a] Nec quisquam ex monachis suum asserens dicat, [b] Codex meus, tabulæ meæ, vel reliqua. Quod verbum si de ore ejus effugerit, pœnitentiæ subjacebit, ne velut propria [c] quælibet in monasterio habere videatur, sed sint illis, sicut scriptum est, omnia communia (*Act.* IV).

§ XIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 6).

[d] Peculiare opus institutum est, [e] ut nulla his exerceat monachus, quasi sibi proprie vindicandum : aut cuilibet, cum voluerit, sua præsumptione distribuendum. Nec quodlibet opus sine præceptione et [f] conhibentia senioris suscipiendum, sive faciendum est : sed in omni re quidquid abbas vel præpositus præceperit, hoc agendum.

§ XIV. — *Item ejusdem* (*cap.* 8).

[g] Peculiaritas aut in utensilibus aut in vestimentis aut quibuslibet rebus vilissimis [h] saltim et abjectis omni modo vitetur : quia abominatio monachis est [i] et infamium quidquam possidere [j] superfluum [autem] aut reservare proprium, vel occultum : quod non longe ab Ananiæ vel Saphiræ exemplo segregatur. Munus vero quodlibet sive epistolas nemo monachus accipiat : neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur, nec cum laico loquatur, nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur, vel alium aliquem proximum videat, vel extraneum, regulari sententia præfixum est.

§ XV. — Ex Regula sancti Ferreoli.

[k] Illud etiam statui debere perspeximus, ut nullus A monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum [l aliquid] vindicare : ita ut etiam in his, quæ sua sunt, nihil amplius credat sibi juris esse, quam cæteris. Quia cum seipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in aliena potestate transmisit. Quidquid ergo secum rerum detulerit, expedito consortio monachorum, [m] at ubi [n] corpori congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in communionem transisse : et hoc tantum judicet proprium quidquid cum fratribus possederit indivisum. Nam et lectio Actuum apostolorum (*Cap.* IV) tempore surgentis Ecclesiæ taliter fideles Christi vixisse commemorat : *Nullus* (inquit) [o] *de bonis suis dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia.*

§ XVI. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 25). B

[p] Nullus præsumat quidquam suum dicere, aut suum proprium vindicare, sed secundum Actus apostolorum sint vobis omnia communia, sit vobis anima una et cor unum in Domino (*Act.* IV).

§ XVII. — Ex Regula sancti Cassiani.

[q] Nec quidquam peculiare licet monacho possidere. Similiter et illud, qui convertitur præ omnibus erudiri debet, ut nihil ei peculiare liceat possidere : sed ita se nudatum ex omni parte cognoscat, ut præter tunicam, pallium, calciarium vel mattulam suam, nihil amplius habeat. Et nec verbo quidem audeat dicere aliquid suum, quod magnum sit crimen ex ore monachi processisse, tunicam meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, et C cætera his similia. Nam si hujusmodi verbum per subreptionem vel ignorantiam de ore ejus [r] effuderit

[a] *Nec quisquam.* Habentur in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass. eodem 4 capite.

[b] *Meus codex*, etc. Apud Trithem. cap. citato, et in Regula ms. : *Meum codicem tabulam esse.* Male.

[c] *Quælibet.* Melius, *quilibet*, in Regula ms., et apud Trithemium capite citato.

[d] *Peculiare opus.* Exstat in eodem cod. ms. cap. eodem sub finem. Sed hæc verba, *peculiare opus institutum est*, (ut mox videbitur) sunt transposita.

[e] *Ut nulla his*, etc. Locus corruptus, in cod. Vind. legitur *nullatenus his.* Apud Smaragdum, *nullus*, expuncto, *his.* Recte. Et hoc membrum hac verborum serie legendum est : « Institutum est, ut nullus monachus exerceat opus peculiare. » Et sic clarus est sensus.

[f] *Conhibentia.* Ita in cod. Vind. Apud Smaragdum legitur : *conscientia.* In Regula ms. *conniventia.* Recte. D

[g] *Peculiaritas.* Habetur in eodem cap. Regulæ ms. cod. Crass. et apud Trithemium, cap. 5 de proprietate monachorum.

[h] *Saltim.* Pro *saltem*, ut supra notatum est, et sæpius occurrit in veteribus codicibus mss.

[i] *Et infamium.* Ita in cod. ms. Vind. et apud Trithemium cap. citato, pro *infamia.*

[j] *Superfluum autem.* Particula *autem* redundat, nec est in Regula ms. neque in cod. Vind., et ea expuncta omnia rite procedunt. In Regula ms. legitur : *superfluum vanum.* Male. Apud Trithemium hæc verba desunt : « Superfluum aut reservare proprium, vel occultum, quod non longe ab Ananiæ et Saphiræ exemplo segregatur. »

[k] *Illud etiam*, etc. Hæc referuntur a Trithemio cap. 5 de proprietate monachorum ex capite 10, ejusdem Regulæ S. Ferreoli, quem episcopum et martyrem appellat.

[l] *Aliquid vindicare.* Locus corruptus. Lege, *Audeat vindicare.* Expuncto pronomine, *aliquid.* Ut in cod. Vindocinensi et apud Trithemium.

[m] *At ubi.* Lege, *ac ubi :* ut apud Trithemium.

[n] *Ubi corpori congregationis*, etc. Idem statuit S. Joannes Gerundensis episcopus in Regula monachorum apud Trithemium capite citato : « Quicunque in monasterium susceptus fuerit, non solum de substantia, quam intulit, sed nec de semetipso ab illa hora judicabit. Nam si aliquid prius intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum, ut aliquid habeat in sua potestate. »

[o] *De bonis suis*, etc. Ut in textu Græco, τι τῶν ὑπαρχόντων. In versione communi : *Eorum quæ possidebant*, etc.

[p] *Nullus præsumat*, etc. Hæc referuntur a Joanne Trithemio capite citato, qui etiam infra eodem capite profert alium textum ejusdem S. Aureliani ex Regula ad Moniales hoc modo : « Aurelianus episcopus in Regula ad Moniales capitulo tertio sic dicit : Nihil occulte accipiatis ; sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut in auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatissæ. Et si illi cui transmittitur necesse fuerit tribuatur : sin vero illa non indiget, in commune reductum cui est necessarium tribuatur. » Quæ quidem habentur in Regula S. Augustini cap. 28, sed non iisdem verbis.

[q] *Nec quidquam.* Hæc sumpta sunt ex Cassiano lib. IV de Institutis renuntiantium cap. 15, et referuntur a Trithemio, cap. 5, de proprietate monachorum.

[r] *Effuderit.* Ita apud Trithemium ; sed legendum, *effugerit*, ut apud Smaragdum, Cassianum loco citato, et in Regula S. Fructuosi archiepiscopi cap. 4.

digna pro hoc pœnitentia satisfaciens veniam petat in terra prostratus.

§ XVIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 34).

[a] Summa et illud debet verecundia præcaveri, [b] ne vel pro vilibus aliquid rebus reponendi peculiarem clavem monachus sub priore positus portet. Multum infimus et inutilis est, [c] qui quascunque res vilissimas ita velut proprias vindicat, ut nec digito eas tangi ab alio patiatur, sed tanta contra eum iracundia inflammatur, ut furorem cordis sui a conviciis et injuriis revocare vix possit.

§ XIX. — Ex Regula Orientali.

[d] Inter omnia, fratres, hoc observabitur, ut obedientes senibus suis et deferentes sibi invicem habeant patientiam, moderationem, humilitatem, charitatem, pacem sine figmento et mendacio, et maledictione et verbositate et jurandi consuetudine : ita ut nemo suum quidquam vindicet, neque ullus aliquid peculiariter usurpet : sed habeant omnia communia. [e] Sine seniorum verbo et auctoritate nullus frater quidquam agat, neque accipiat aliquid, neque det, neque [f] usquam prorsus procedat.

§ XX. — Ex Regula cujusdam.

Nihil possidendum tanquam proprium et specialiter inter monachos : sed sint eis omnia communia. Qui autem dixerit meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo, nisi tantum per obreptionem sermonis : sed pro hoc ipso tamen veniam petat a Deo; et caveat de reliquo, et ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio insanabilis existat, expellendus est ab universis fratribus.

§ XXI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 82).

[g] Omnis homo in vita sæculi hujus, tribus rebus excitatur, laborat et studet : peregrinus in via, miles in pugna, imperator in palatio, agricola in agro, mercenarius in negotio, omnes excitantur, et laborant ut habeant, dum vivunt, unde vestiantur, calcientur [h] et vivant. Sed quibus Dominus servitii sui contulit donum, et ostendit eis [i] non satis de præsenti sæculo cogitare, quia hæc omnia pertranseunt, et omnia ista quæ videmus et utimur, paucorum in nobis dierum sunt usus, et momentanea cum vitæ nostræ tempore transeunt : et per corporis mortem cæcata in nobis sæculi luce, clausis vitæ oculis, omnia quæ habemus sæculo relinquuntur : [j] sed [de] illa semper æterna, quæ cum venerint ulterius transire non norunt : sed in bonis vitæ æternæ justis, aut in pœnis gehennæ peccatoribus perseverant. De quibus ergo desideriis bonorum, vel timore malorum, quasi jam ibi videamur accersiti mentem nostram in hac vita de supernis semper cogitationibus occupemus. Unde Dominus præcepit servis suis de necessariis vitæ hujus non debere quemquam esse sollicitum; etiam fideles in se admonet, de crastino non cogitandum; sed regnum et justitiam ejus solummodo desiderare, dicens in sancto Evangelio : *Nolite cogitare quid manducetis aut quid bibatis aut induamini,* [k] *sed quærite regnum et justitiam Dei, et hæc omnia apponentur vobis* (*Matth.* VI). Ergo cum hæc omnia necessaria nobis a Deo præparantur, et de omnibus administrandis cum Deo solus est abbas sollicitus, quare discipulus sibi peculiariter aliquid audeat facere, aut habere, aut vindicare? Nam ideo aliquid peculiare habere denegatur, *quia nemo serviens Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II) : ut, cum omnibus rebus suis alieno cum se imperio subdiderit [l] ut] non sit res, ubi propria ejus voluntas extollatur, quæ voluntati Dei est inimica. Nam [m] de peculiari Ananias et Saphira fidem ab apostolis non meruerunt percipere (*Act.* V), cum omnia sua ante pedes apostolorum assignarent, de peculiaribus fraudulenter subtractis judicio subitæ mortis damnati sunt : quia fraus Deo fieri non potest; cum nihil est occultum, quod ab eo non revelabitur. Ergo cum victum et vestitum corpori, calciamenta pedibus unicuique fratri abbas præcogitaverit, ut quid alicui sit aliquid peculiare opus habere, aut rem aliquam, aut aurum, aut nummos, aut quodvis necessarium, cum omnia emenda vel habenda Deus ei per abbatem monasterii apparat? [n] Si quod ergo peculiare, aut aliquid [cum]

[a] *Summa et illud*, etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano, lib. IV de Institutis renuntiantium cap. 15.

[b] *Ne vel pro vilibus aliquid rebus reponendi.* Lege : *Ne vel pro vilibus aliquibus rebus reponendis.*

[c] *Qui quascunque res vilissimas*, etc. Non minima hæc hominis infirmitas, ut qui in mundo multas opes et pretiosa quæque reliquerit, in claustro ad nescio quas gerras et quisquilias animum adjungat, quæ sane nos a Deo separant, cum illis affectu serviamus, non Deo; nobisque illæ dominentur, non Deus. Quamobrem antiqui illi Patres id unum maxime studebant, ut animum discipulorum ab ejusmodi rerum affectu averterent : quemadmodum fecit S. Dorotheus, qui discipulum suum Dositheum elegantis cujusdam cultelli usu prohibuit, quod animum ejus erga ejusmodi reculam propensum videret. Ut ipse Dorotheus in ejus Vita refert.

[d] *Inter omnia.* Hæc proferuntur a Trithemio capite citato.

[e] *Sine verbo.* Id est, sine mandato, ut supra notatum est.

[f] *Usquam.* Lege, *uspiam.* Idem autem statuitur in Regula secunda Patrum codicis Floriacensis.

[g] *Omnis homo.* Hæc reperire est in Regula ms. Magistri codicis Corbeiensis eodem capite 82.

[h] *Et vivant.* Id est, comedant.

[i] *Non satis.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind.; sed subaudi verbum *esse.*

[j] *Sed de illa semper æterna.* Ita in Regula ms. et cod. Vind.; sed particula *de* redundat. Sapienter autem hæc dicta sunt a Magistro. Monacho enim non de crastino, sed de æternitate cogitandum est.

[k] *Sed quærite regnum et justitiam Dei.* Ita in Regula ms. eamdem lectionem supra in hoc Magistro observavimus.

[l] *Ut non sit res.* Ita in Regula ms.; particula *ut* tamen videtur redundare.

[m] *De peculiari.* Ita in cod. Vindocin. in Regula ms. *de peculiare fraudis.* Sed lege, *de peculiaris fraude.* Nam ea fuit fraus Ananiæ et Saphiræ retinendo aliquid peculiare de agri venditione.

[n] *Si quod ergo peculiare.* In Regula ms. : « Quod ergo peculiare aliquid cum inventum in aliquo fuerit. » Rectius apud Trithemium capite toties citato : « Si quid peculiare apud aliquem inventum fuerit. »

inventum in aliquo fuerit, grandi eum abbas et diuturna excommunicatione condemnet, ut exemplo [a] illius vindictæ nullus hoc audeat imitari. Hoc enim ne sit in aliquo frequenter omnes scrutentur a præpositis suis; et si in aliqua re visus fuerit sibi frater multum [b] gavisci aut plaudere, tollatur ei et alio detur; et alterius illi, [c] quod visus fuerit : ut propria in eo non extollatur voluntas.

§ XXII. — Ex Regula sancti Cæsarii episcopi (*cap.* 15).

[d] Nemo sibi aliquid [e] judicet proprium sive in vestimento, sive [f] in quacunque alia re. [g] Nemo cum murmuratione aliquid faciat. Ne simili judicio murmuratorum pereat secundum illud Apostoli : *Omnia facite sine murmurationibus* (*Phil.* II).

§ XXIII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 17).

[h] Proprii aliquid in monasterio [i] nihil habendum : sed potius propter nomen Domini omnia contemnenda. Quid enim proprium aliquid suum fidelis anima de rebus mundi vindicet, cui mundus crucifixus est, et ipsa mundo? Qui semel mundo mortuus cur per aliquam temporalium rerum cupiditatem, vel desiderium ærumnosum, denuo incipit vivere mundo, qui contempto mundo cœperat jam vivere Deo? Amputandum ergo est hoc vitium radicitus ab omni monacho : ut nullam rem vel in vestimentis, vel in calciamentis, vel in quibuslibet rebus sibi vindicet, vel suum esse dicat, nisi quantum ex abbatis jussione penes se præcipitur, ac si essent alterius, non propriæ rei dominus. Et ea, quæ sibi ab abbate fuerint commendata, id est, ad necessitatem præsentem, aut in vestimento, aut in qualibet re nihil exinde aut dare aut commodare cuiquam præsumat; nisi tantum si ab abbate illi fuerit ordinatum. Quid enim de rebus mundi alteri fratri conferat, qui suas in omnibus voluntates propter Christum in abbatis tradidit potestatem? [j] Omnia ergo, quæ in monasterio habentur, sint omnibus communia, juxta quod in Actibus apostolorum legimus : *Et erunt*, inquit, *eis omnia communia* (*Cap.* IV). Sic tamen communia sunt habenda, ut nullus dare aut accipere, nisi abbate ordinante, præsumat : ne cupiditatis aut temeritatis malum incurrens in laqueum Judæ proditoris consortio numeretur, qui solus in numero apostolorum loculos habuisse refertur, ubi commutantium aut vendentium commercia ponebantur. [k] Quod si huic vitio aliquis frater delectari fuerit deprehensus, et post primam, secundam vel tertiam correptionem emendare noluerit, disciplinæ regulari subjaceat.

[a] *Illius vindictæ.* Apud Trithemium non est τὸ *vindictæ*; est tamen in Regula ms.: hæc autem penultima periodus refertur a Trithemio sub nomine Vigilii abbatis et diaconi, capitulo 33 suæ Regulæ : ex quo efficitur hunc magistrum monachorum non esse alium ab hoc Vigilio diacono et abbate, quamvis apud Trithemium citetur capitulum 33, hic vero 82, nam ipsis arithmeticis notis facile potuit error obrepere.

[b] *Gavisci.* Quidam in nostro ms. Concordiæ correxit, *gaudere*; in Regula tamen ms. legitur *gavisci.* Id est gaudere, quam lectionem retineo, quemadmodum apud Plautum in Rudente, *fruisci* pro frui.

[c] *Quod visus fuerit.* Lege, ut in Regula ms., *quodvis fuerit.* Et subintelligendum, *detur.*

[d] *Nemo.* Exstat in Regula sanctimonialium eodem cap. 15, et refertur a Trithemio capite supra citato.

[e] *Judicet.* Ita apud Trithemium in Regula excusa, et in cod. Vind. plausibilius tamen est, si legatur : *Vindicet.*

[f] *In quacunque alia re.* Apud Trithemium additur : *Magna, vel parva.*

[g] *Nemo cum murmuratione.* Hic incipit cap. 16 in Regula excusa.

[h] *Proprii aliquid.* Hæc prima periodus usque ad illa verba : *Qui semel mundo*, profertur a Trithemio capite citato ex Regula Servi Dei ad sorores, eodem capite 17. Ita ut hic Pater monachorum qui fere ultimus a nostro citatur auctore, cujusque Regula ad S. Benedicti Regulam magis, quam cæteræ hic citatæ, accedit, sit hujus Servi Dei ad sanctimoniales, qui regulam S. Patris Benedicti ad feminarum usum accommodaverit, quam tamen mutato genere feminino in masculinum quemadmodum in Regula S. Augustini et S. Cæsarii, et S. Aureliani quasi viris præscriptæ essent, auctor noster citare solet.

[i] *Nihil habendum.* Apud Trithemium : *Nihil est habendum.*

[j] *Omnia ergo.* Hæc contractius ita proferuntur a Trithemio : *Omnia ergo quæ in monasterio habentur sint omnibus communia : ut nulla dare aut accipere præsumat sine jussione abbatissæ,*

[k] *Quod si huic vitio*, etc. Brevius apud Trithemium : *Si quæ secus fecerit, regulari disciplinæ subjaceat.*

CAPUT XLIII.

SI OMNES ÆQUALITER DEBENT NECESSARIA ACCIPERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Sicut scriptum est : *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat* (*Act.* IV). Ubi non dicimus, ut perso-narum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi, qui minus indiget, agat Deo gratias, [b] et non contristetur : [c] qui vero plus indiget, humilie-

[a] *Sicut scriptum est*, etc. Idque juxta prudentiam et discretionem optimi rectoris, ut docet S. Leander, cap. 13 de Instit. virginum : « Laudanda tamen est senior, si discrete cum singulis se gesserit, et unicuique, prout opus est, diviserit. Et ista sunt dicta de veste, cibo, potu, vel opere pro invalidis et delicatis : ut quæ durius ferre non potest, tractetur lenius. » Quæ hunc regulæ locum mirum in modum illustrant, in quo post sententiam Scripturæ subaudi verbum : *Fiat.*

[b] *Et non contristetur.* Invidendo aliis, quibus ob necessitatem plura suppeditantur. Occurrit enim S. Benedictus invidiæ morbo ob ejusmodi indulgentiam circa infirmos. Cui simile est illud S. Leandri cap. 8 ejusdem libri : « Nec debet scandalizari, quæ sana est, si remissius et indulgentius, quæ infirma est, alitur; sed magis eo se meliorem sanctioremque esse consideret, quod fragilibus rebus non indiget, quibus eget infirma. »

[c] *Qui vero plus indiget, humilietur.* Statuit, ne quis

tur pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia : et ita omnia membra erunt in pace. [a] Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel [b] significatione appareat. Quod si [c] deprehensus fuerit, districtiori disciplinæ subdatur.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 94).

[d] *Interrog.* Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine? — *Resp.* Si propter retributionem Dei laborem suscipit, non hic requirere debet laboris sui mercedem, vel requiem : sed pro his ad promissa Domini festinare, sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, ita etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui præsunt, observabunt regulam illam quæ dicit : *Dividebatur unicuique prout opus erat* (*Act.* IV). Debet enim unumquemque prævenire, ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

§ III. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 2) [e].

Victus et tegumentum non æqualiter omnibus distribuatur, quia non æqualiter valetis omnes : sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus apostolorum : *Quia erant eis omnia communia, et distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.*

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 15).

[f] Si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, [g] stramentorum, operimentorum datur quod aliis fortioribus et felicioribus non datur, cogitare debent [h] quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, [i] [Qui] quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint, [j] Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas : ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

§ V. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 7).

Ut nullius in congregatione murmur, [k] aut detractio [sit], quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem, aut quodlibet aliud de fratribus audiatur : ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turbæ excitetur, et terram repromissionis, [l] quam nos recte accipimus locum futuræ beatitudinis, perdat murmuratio propria, quæ debetur sponsione divina. Sic enim damnandos hujus vitii sectatores Psalmus annuntiat : [m] *Detrahentem adversum proximum suum occulte, hunc persequebar* (*Psal.* CX). Et iterum arguens Apostolus dicit : *Susurrones, detractores, Deo odibiles* (*Rom.* I). Et iterum : *Hi sunt murmuratores,* [n] *querelosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam* (*Jud.* I).

infirmus ob indulgentiam animo sit elatior; quasi remissius et lenius secum agatur ob aliquod sui meritum. Ita S. Leander cap. citato : « Illa autem, quæ infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius, sit præ cæteris humilis, doleatque se non posse quæ aliæ possunt : et abstinentiam tempore laxatam non reputet virtuti, sed infirmitati. » Eamdem plane in distribuendis necessitatibus rationem et doctrinam secutus est S. Fulgentius episcopus Ruspensis, ut in ejus Actis habetur hoc modo (*Apud Sur.*, 1 *Jan*) : « Distribuebat sane ipse cum summa discretione servis Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans. Verumtamen quibuscunque plus cæteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat dicens eis : De substantia communi quisquis aliis plus accipit, omnium sit debitor, quorum est illa substantia : debitorem porro sola juvat humilitas; sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare videretur. »

[a] *Ante omnia ne murmurationis malum.* S. Dunstanus legit : *Ante omnia ammonemus, ne murmurationis malum*, recte, nam si non addatur verbum, *Ammonemus*, illud saltem subaudiendum est, aut aliud simile.

[b] *Significatione.* Apud Smaragdum legitur, *consideratione*, non ita recte.

[c] *Deprehensus fuerit.* In mss. S. Germ. et S. Faronis, *deprehensum fuerit.*

[d] Interrog. 130, Rufin. cap. 50.

[e] Epistola 109, et cap. 2 Regulæ excusæ.

[f] *Si eis qui venerunt.* Hæc habentur in citata epistola, et cap. 15 Regulæ. Quibus in locis legitur, *et si*, quemadmodum in codice Corbeiensi. Intelligit divites, qui a delicatiori consuetudine vivendi ad austeriorem transeunt.

[g] *Stramentorum.* Hoc vocabulum exstat in epistola, et in cod. Corbeiensi, non tamen in Regula editionis Coloniensis et Duacensis.

[h] *Quantum de sua sæculari vita.* Id est, ex quam splendida sæculi vita ad humilem monasterii vitam descenderint.

[i] *Qui quamvis. Qui*, expungendum. Nec reperitur in Regula, nec in epistola citata.

[j] *Nec debent velle omnes*, etc. Ita in Regula S. Augustini; at in epistola præfata aliter hoc modo legitur : *Nec debent illæ conturbari, quod eas vident amplius*, etc. Hæc autem notanda sancti Augustini doctrina : quia, ut aiunt jureconsulti, privilegium paucorum non facit legem communem.

[k] *Aut detractio sit.* Τὸ *sit* redundat, nec est apud Smaragdum. In cod. Vind. hæc ita leguntur : *Ut nullus in congregatione murmurator, seu detractor sit, quod familiarissimum habent monachi, contra abbatem, aut quodlibet aliud de fratribus audiatur.* Hoc autem caput citatur ob illa S. Benedicti : *Ne murmurationis malum*, etc.

[l] *Quam nos recte accipimus locum futuræ beatitudinis.* Id est, quam nos recte appellamus locum futuræ beatitudinis; et ideo interpunctiones, quæ habentur apud Smaragdum, delendæ.

[m] *Detrahentem adversus*, etc. Ita in Psalterio Romano.

[n] *Querelosi.* In cap. I Epist. S. Judæ legitur, *querulosi*, quod perinde est. In textu Græco, μεμψίμοιροι, quod idem sonat. Μεμψίμοιρος, inquit Suidas, φιλεγκλήμων, id est, criminandi studiosus. Ad verbum, qui de parte sua, aut portione, quasi cæteris deteriore conqueritur. Et μεμψιμοιρία, juxta Theophrastum, Charactere 49, est ἐπιτίμησις παρὰ τὸ προσῆκον δεδομένη, id est, expostulatio, seu objurgatio, et criminis objectio nullo jure. Latinis *querela*. Cornelius Fronto in differentiis : « Querimonia certæ rei est : querela supervacua est. Itaque prior gravitatis est, posterior levitatis. » Glossæ veteres : *Querela*, μέμψις ματαία, id est, accusatio vana.

§ VI. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 9).

[a] Hæc sunt quæ in monasterio constitutis pro Dei amore et timore convenit observare, propter quod in unum estis pro timore Domini congregati. Oportet, ut in domo Domini unanimes habitetis, et sit vobis anima una et cor unum [b] per timorem Domini pervigilans, nihilque habere vos proprium reputetis ; sed sint vobis cuncta communia, quæ vobis abbatis imperio dispensentur, non æqualiter omnibus, sed sicut ratio dispensationis, aut causa infirmitatis exegerit. Unicuique tamen secundum quod opus fuerit, tribuatur, sicut in Actibus apostolorum legimus : *Quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique secundum quod cuique opus erat* (*Cap.* IV). [c] Qui enim aliqua habuerint in sæculo, quando expetere monasterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura, studentes ut cum dimiserint ipsam facultatem, ipsam simul concupiscendi exuant voluntatem ; et cum dimittitur possessio, abjiciatur et passio. Qui autem non habuerunt, et turpe est ut quærant quæ se non recolunt reliquisse. Et non ideo æstiment se felices, quia invenerunt in monasterio quod foris invenire non poterant. Nec superbiant quia sociantur eis ad quos ante accedere pro divitiarum ubertate, aut pro natalium splendore non poterant ; sed sursum cor habeant, et quæ sunt caduca vel cursu celeri peritura non quærant. [d] Ubi autem divites humiliantur, pauperes non inflentur : ne incipiant monasteria utilia plus esse divitibus, quam egenis. Nam et illi qui locupletes videbantur in sæculo fratres ad sanctam societatem ex paupertate venientes non fastidiose suscipiant ; sed talium personarum societate et contubernio gratulentur. [e] Nec ob hoc extollantur, si ad juvandas fraternitatis expensas quamcunque facultatum suarum particulam A contulerint ; et inde postmodum cadant, unde prius ascendere cupiebant. [f] Quid prodest opes dispergere, et pauper fieri pauperibus erogando, si anima misera superbior efficiatur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo ? Omnes ergo in unanimitate perstantes honorate in vobis Deum, cujus templa effici meruistis. In primis diligamus Deum tota virtute animi, deinde proximum. Ista enim vobis sunt præcepta specialiter data : Abbati postmodum impendatur honor, et reverentia reservetur ; præposito, sicut Dei servos decet, plena dilectio et concors obedientia commodetur.

§ VII. — *Ex eadem Regula* (*cap.* 16).

Si attenuatus abstinentia frater non valuerit jejunia suscepta portare, nisi, prandii hora completa, B aliquid accipere [g] judicet indecorum. Illis vero qui incommodo detinentur, et designatas horas non possunt custodire, licite concedatur ut percipiant quomodo possunt. [h] Nec debet aliis molestiam generare, si largior illis fuerit victus impensus, qui in conversatione sæculari sumptuosius tractabantur. Atque ab hoc non beatiores æstiment se [i] videri, quos facit aut natalium mediocritas, aut consuetudo alia fortiores. Nec feliciores [j] judicent quibus in infirmitate præstatur quod sanis pro observantiæ rigore subtrahitur ; et si eis quos parentes deliciosius aluerunt victus aut vestimenta largius tribuuntur, non ob hoc commoveri debet fraternitas, quod fortioribus corpore pro constitutione regulæ denegatur, quod illis charitatis ratione tribuitur. Quia debet esse respectus quanta amore religionis contempserint, cui C se abjectioni divina miseratione summiserint. Nec decet supra memorata præsumptio paucis impensa ab universitate quasi canonica reputari. Æquum namque non est, ut in beata habitatione, ubi [k] incli-

[a] *Hæc sunt.* Hoc caput fere totum emendicatum est a Regula S. Augustini. Initium sub nomine ejusdem Regulæ Tarnatensis profert Trithemius cap. 5 tractatus de Proprietate monachorum.

[b] *Per timorem.* Apud Trithemium, *in timore.*

[c] *Qui enim aliqua habuerint.* Eadem reperire est apud S. Cæsarium Arelatensem in Regulæ cap. 19.

[d] *Ubi autem divites humiliantur.* Regula S. Augustini cap. 4 : « Ne incipiant monasteria divitibus utilia, non pauperibus : si divites illic humiliantur et pauperes illic inflantur. » Monasteria ergo fiunt utilia divitibus, si æquo animo propter Christum D paupertatis incommoda ferant : at contra noxia pauperibus, si quas non habebant in sæculo facultates, in monasterio quærant.

[e] *Nec ob hoc extollantur.* Hæc sane notanda ; non leve enim impendet monasterio dispendium, si qui erant in sæculo divites, fastum et superbiam non exuerint in monasterio. Sæpe enim sua ambitione scandalis et seditionibus monasterium perturbant : ut contigit olim in monasterio S. Radegundis, in quo Chrodieldis Chariberti, et Basina Chilperici regum filiæ sanctimoniales multas procellas et tempestates excitaverunt, multas strages ediderunt, ipsamque abbatissam leves quasdam culpas ei objiciendo multis ignominiis affectam loco submoverunt, ut fuse narrat S. Gregorius Turonensis lib. IX Hist.

[f] *Quid prodest*, etc. Recte S. Cæsarius loco citato. « Quid prodest dispergere et dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia. »

[g] *Judicet indecorum.* Tò *indecorum* non exstat in cod. Vind., quod tamen est necessarium. Eximit a jejunio attenuatos nimiis jejuniis : ita tamen ut nihil comedant ante prandium. Nam olim jejunantes non prandebant, sed cœnabant tantum sive hora nona, id est, tertia postmeridiana, sive vespere.

[h] *Nec debet aliis molestiam generare*, etc. Idem statuitur in Regula S. Augustini supra hoc capite a nostro auctore citata. Subscribit S. Leander lib. de Institutione virginum et contemptu mundi cap. 13 : « Quæ potuit honorari in mundo et dives fuit in sæculo, blandius fovenda est in monasterio ; et quæ reliquit in sæculo vestem pretiosam, cultiorem in monasterio mereatur. Quæ vero sub penuria vixit, et tegumento victuque eguit, grate ferat si in monasterio nec algeat, nec esuriat ; nec murmuret, si ea tractatur indulgentius, quæ vixit in sæculo delicatius. Nam si prout cuique opus est non dividitur, fit superba in monasterio, quæ fuit vilis in mundo ; et quæ erat potens in sæculo, humiliatur in monasterio. Sic agit qui discrete non sapit, ut superbire faciat ex vili censu conversas, et dolore stimulet honesto loco natas. »

[i] *Videri.* suppl., *iis.*

[j] *Judicent.* Supp., *sani*, ex Regula S. Augustini cap. 14 : *Nec illos feliciores putent quia sumunt quod non sumunt ipsi.*

[k] *Inclinantur.* Id est, humiliantur.

nantur divites, pauperes erigantur. Sane [a] inæqualitate constricti, ita sunt tractandi, ut vires incommoditate confectas velocius præstolatio larga roboret. Nec in infirmitate manentibus discretionem victus afferat distantia personarum. Qui tamen cum integram fuerint virtutem corporis assecuti consuetudinariis habenis abstinentiæ tenentur. Quia decet famulos Dei boni operis consuetudinem non minuere, sed augere.

[a] *Inæqualitate.* Id est, morbo. Vide superius annotata.

CAPUT XLIV.

DE SEPTIMANARIIS COQUINÆ.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Fratres sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinæ officio, [b] nisi aut ægritudine, [c] aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit : quia exinde major merces et charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia [d] secundum modum congregationis [e] ac positionem loci. Si major fuerit congregatio, cellararius excusetur a coquina, [f] vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur : cæteri sibi sub charitate invicem serviant. Egressurus de septimana sabbato [g] munditias faciat. Linteamina cum quibus sibi fratres [h] manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes vero tam ipse qui egreditur, tam ille qui intraturus est, omnibus lavent. [i] Vasa ministerii sui munda et [i] sana cellarario reconsignet. Qui cellararius item intranti consignet, ut sciat [k] quod dat, aut quod recipit. Septimanarii autem [l] ante unam horam refectionis accipiant [m] super statutam annonam [n] singulas biberes et panem, ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus. [o] In diebus autem solemnibus [p] usque ad missas sustineant. Intrantes et exeuntes hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis Dominica omnium genibus provolvantur postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum : [q] *Benedictus es, Domine Deus, quoniam adjuvisti me, et consolatus es me.* Quo

[a] *Fratres sibi invicem serviant.* Ita S. Dunstanus. Cod. S. Faronis non habet pronomen, *sibi.* Vulgo autem : *Fratres sic sibi invicem serviant.* Hujus loci mentio fit in Vita S. Sturmii abbatis Fuldensis. Praxis videtur in Vita S. Bathildis, Reginæ Franciæ, cap. 8 : « Ita autem humilitatis magnæ forti animo omnibus ministrabat exemplum, ut ipsa quoque in officio coquinæ ministraret sororibus, ipsa munditias omnes faceret. »

[b] *Nisi aut ægritudine.* Cod. Vict. p. *nisi aut ægritudo sit.*

[c] *Aut in causa.* Apud sanctum Dunstanum deest præpositio, *in.*

[d] *Secundum modum congregationis.* Id est, secundum numerum fratrum.

[e] *Ac positionem loci.* Si longius quærendæ sunt aquæ, herbæ, ligna, et similia.

[f] *Vel, si qui,* etc. Particula, *vel,* hoc loco sumitur copulative.

[g] *Munditias faciat.* Id est, verrat monasterium. Unde Magister cap. 19 Regulæ, *munditias monasterii exerceant.* Et paulo post : *munditias oratorii exhibeant.* Munditias facere est verrere. Plautus in Sticho :

Munditias volo fieri ; afferte scopas.

Neque hic locus S. P. Benedictus comprehendit vasa et lances : nam quotidie tergendæ sunt.

[h] *Manus, aut pedes tergunt.* Ita vulgo habetur cum Kerone in expositione regulæ Alamanica, « tergunt *swerben,* scilicet manus ac pedes. » Cod. S. Germ. ma. *tergent.* Vict. p. *terserint.*

[i] *Vasa ministerii sui,* etc. Hujus loci meminit Joannes monachus lib. II Vitæ S. Odonis abbatis Cluniacensis : « Sic enim alibi septimanariis coquinæ idem ipse (S. Benedictus) præcipit, ut vasa ministerii sui munda et sana cellerario reconsignent : quæ videlicet sunt fictilia atque vilia. » Ex quibus ultimis verbis notandum est olim vasa, quibus utebantur monachi, fuisse fictilia ac proinde vilia. Idem autem ac S. Benedictus præcipit S. Isidorus cap. 20 suæ Regulæ : « Huic (cellerario) hebdomadarius expleta hebdomada vasa sibi tradita exhibebit, ad perspiciendum utique, si negligentius habita sunt, et ad denuo succedentem hebdomadarium coram isto tradentur. » Regula Magistri cap. 16 de cellerario : « Intrantibus in hebdomada septimanariis vasa coquinæ ipse consignet : completa hebdomada ab exeuntibus munda ipse recipiat, aliis intrantibus consignanda. » Per vasa intelligit lances et similia.

[i] *Sana.* Id est, integra.

[k] *Quod dat, aut quod recipit.* Ms. S. Faronis, *quot dat, aut quot recipit.* Vulgo, *quid dat, aut quid recipit,* rectius.

[l] *Ante unam horam refectionis.* Ms. Cod. S. Faronis omittit τὸ *unam.*

[m] *Super statutam annonam.* Ita ut vinum de heminæ, panis de libræ statuta mensura sumantur.

[n] *Singulas biberes.* Vulgo, *singulos.* Apud Sosipatrum Charisium reperitur *biber,* sed est πίνειν, ut ipse interpretatur, id est, bibere : ita ut fit apocope biber, pro *bibere.* Biberis hoc loco est vas potorium parvulum : cujus mentio fit in Capitulis Hincmari, cap. 15 : « Et singulos biberes accipiant. » Hinc castiganda Regula Teridii cap. 22 : « In prandio liberis et in cœna accipiant, in jejunio ternas. » Sed locus corruptus ita castigandus est. *In prandio biberes duo, et in cœna accipiant, in jejunio ternas;* id est, cum non jejunatur, accipiant duos biberes in prandio et in cœna; cum jejunatur, tres nempe in cœna, quia tunc nullum est prandium. Hic autem locus de potu intelligendus est : nam immediate antea de ferculis egit.

[o] *In diebus autem solemnibus.* Dies solemnes sunt Dominicæ et festa de præcepto.

[p] *Usque ad missas sustineant.* Inclusive. Id est, usque ad missas completas exspectent, maxime ob sacram communionem. Missæ hoc loco sunt sacrificium liturgicum corporis Christi.

[q] *Benedictus es.* Hic versiculus sumptus est partim ex psal. CXVIII, partim ex psalmo LXXXIII.

dicto tertio, [a] accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens et dicat : [b] *Deus in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, [c] et accepta benedictione ingrediatur.

§ II. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 11).

[d] Hebdomadarius solus [e] cibos degustet ; neque alius id audeat, ne sub occasione degustandi suæ gulæ vel gutturi satisfaciat.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 20).

[f] Ad [g] hebdomadarium pertinet cura ferculorum, amministratio mensarum.

§ IV. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 33) [h].

Si quis autem de opere ac sudore proprio plus ab aliis reditus conferet monasterio, in nullo inflетur, nec sibi de tanto operis sui acquisito blandiatur ; nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victus parcitate præsumat, sed tanquam peregrinum se hujus mundi reputans arreptæ nuditatis virtutem ad finem usque perducat.

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 37).

[i] Quotidiana autem fratrum obsequia in coquina, seu in diversis officiis ita reddantur singulis hebdomadis : [j] Alteramenta fratrum secundum ordinem ad hæc officia reddenda succedant, ita ut secundum multitudinem congregationis ministrorum quoque numerus aut minor, aut amplior deputetur, [k] suscipientes quorum ordo est septimanam diei Dominici ministraturi observent. Peracta autem cœna convenientibus in unum fratribus ad [l] hymnos commendationis, quos dormituri decantent, omnibus in

[a] *Accepta benedictione egrediens.* Ita codex ma. S. Germ. cum Smaragdo. At cod. S. Ebrulp. et Victorini cum S. Dunstano et vulgo editis habent, *accipiat benedictionem egrediens.* Quæ lectio potior est. Codex S. Far. *accipiant benedictionem egredientes.* Unus Turrecremata legit : *Quo dicto tertio accepta benedictione egrediatur.* Præterea in Victor. ms. cod. p. post τὸ *egrediens*, hæc reperiuntur : *Quæ in hunc modum ab abbate vel quopiam sacerdote tibi prosequatur. — Mirifica misericordias tuas.* R. *Qui salvos facis sperantes in te, a resistentibus dexteræ tuæ. — Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* R. *Et de Sion tuere eum. — Salvum fac servum tuum.* R. *Deus meus sperantem in te. — Sequitur oratio. Deus, qui dixisti : Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, hunc famulum tuum ministrationum suarum præmio reficе sempiterno, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat*, etc. Quamvis autem hæc benedictio seu collecta non sit ex textu Regulæ, est tamen antiquissima et olim in monasteriis usitata. Hanc enim eamdem profert Smaragdus hoc loco. « Hanc egrediens, inquit, a sacerdote accipiat benedictionem : *Deus qui dixisti, Venite ad me omnes qui laboratis*, etc. » Sed utitur plurali numero : *Hos famulos tuos.*

[b] *Deus in adjutorium.* Præcipit S. P. Benedictus ab ingrediente hebdomadario hunc versum recitari : quia olim ab antiquis Ægypti monachis hic versiculus omni operi præmittebatur, ut patet ex Cassiano, Collat. 10, cap. 9.

[c] *Et accepta benedictione ingrediatur.* Post hæc verba in Cod. p. Vict. hæc habentur : *Quæ sequitur in hunc modum : — Faciem tuam, Domine, illumina super servum tuum.* R. *Et doce eum justificationes tuas. — Fiant aures tuæ intendentes.* R. *In orationem servi tui. — Apud Dominum misericordia.* R. *Et copiosa apud eum redemptio. — Adjuva, quæsumus, omnipotens Deus, famulum tuum in obsequio ministrantem fraterno, et sine murmuratione illi misericorditer propriæ ministrationis mercedem concede perpetuam. Per Dominum nostrum.* Quæ quidem formula collectæ, quamvis non videatur esse ex Regula, est etiam antiquissima, ut patet ex Smaragdo, qui etiam eamdem hoc loco producit, cum ait : *Et hanc ingrediens accipiat benedictionem : Adjuva, quæsumus, Domine, hos famulos tuos in obsequio laborantes fraterno, et sine murmuratione illis perseverantiam et proprii laboris mercedem concede propositam. Per*, etc. Ubi notandum est in Victorino codice deesse illa vocabula, *perseverantiam*, etc.

[d] *Hebdomadarius.* Hæc habentur in Regula S. Isidori typis mandata, capite. 9.

[e] *Cibos degustet.* Contrarium statuit S. Pachomius art. 21 suæ Regulæ : *Qui pulmentaria coquunt, ipsi nihil gustantes edentibus ministrabunt.*

[f] *Ad hebdomadarium.* Hæc reperiuntur in Regula S. Isidori excusa, eodem cap. 20.

[g] *Hebdomadarium.* Græci appellant, Ἀρχιεβδομάδαριον eum qui uniuscujusque rei operæ pur hebdomadem præest, ut planum est ex Pœnis monachorum delinquentium, quæ inter opera S. Basilii exstant, art. 4 : Πλὴν κελλαρίου, καὶ ἀρχιεβδομαρίου γενέσθω ἀπευλογίας, id est, « exceptis cellerario et archiebdomario fiat sine benedictione ; » et art. sequenti : Ἵνα ἑκάστης ἑφημερίας ἀρχιεβδομάριος, id est, « ut uniuscujusque diurnæ operæ archiseptimanarius, etc. »

[h] Lib. IV de Inst., cap. 14.

[i] *Quotidiana autem.* Hæc sumpta sunt ex cap. 19 ejusdem lib.

[j] *Alteramenta.* Lege : *Ut alternamenta.* In cod. Vind. legitur : *Alterna tamen.*

[k] *Suscipientes quorum ordo est.* Locus corruptus ; apud Cassianum ita legitur : *Has autem septimanas unusquisque suscipiens usque ad cœnam Dominici diei ministraturus observet.* Ex quibus ita hunc locum castigabis : *Suscipientes, quorum ordo est, septimanam usque ad cœnam Dominici diei ministraturi observent.*

[l] *Ad hymnos commendationis.* Semper hæc pia viguit in Ecclesia consuetudo, ut sero dormituri se Deo hymnis et orationibus commendarent. S. Athanasius in tractatu de Virginitate : « Sive cubitum vadis ad somnum capiendum, sive cubitu surgis, non absistat hymnus Dei a labiis tuis. » S. Ambrosius lib. III de Virginibus : « Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, etc., cum denique cubitum pergimus. » S. Fructuosus episcopus cap. 5 Regulæ monachorum : « Tum demum pergentes ad cubilia, atque in unum cuncti coeuntes ad perfectionem pacis et reorum absolutionem cantatis tribus psalmis juxta morem cum laude et benedictione symbolum Christianæ fidei communi omnes recitent voce, ut fidem suam puram coram Domino ostendentes, sicut non dubium est fieri vel accidere, ut nocturno quisquam tempore vocetur a corpore, commendatam jam suam fidem et expiatam ab omni scandalo conscientiam perferat ante Deum. Post deinde adeuntes cubilia summo cum silentio exhibito gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alteratrum, vel saltem alium respicere non audens pergat ad lectulum suum : ubi tacite orationi insistens psalmosque recensens ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitatione consummet. » Memoriale quomodo in monasterio conversandum sit : « Expleto eodem officio (Completorii) summum silentium custodiatur, et ore et corde fiant orationes secretæ, recordatio peccatorum cum fletu et lacrymis et gemitu seu suspirio, ut unus alium non noceat. Tunc iterum agant gratias Deo dicendo : *Gratias tibi ago, Domine sancte Pater omnipotens, qui me dignatus es in hac die custodire ; per tuam sanctam misericordiam concede mihi hanc noctem mundo corde et corpore sic pertransire, qualiter nunc*

ordinem fratribus pedes lavent, hanc ab eis benedictionem et retributionis mercedem pro labore totius septimanæ fideliter expetentes : ut complentes eos Christi mandatum generaliter ab omnibus fratribus eximia prosequatur oratio; quæ et eorum consummata officia velut pium sacrificium Deo commendet, et quidquid per ignorantiam, aut per humanam fragilitatem peccaverint, suppliciter intercedant.

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 38).

[a] Acto autem Dominico ingredientes secunda feria, aliis iterum succedentibus, hi qui egrediuntur utensilia in quibus ministraverint, et vasa consignent, quæ tanta sollicitudine curaque custodiant, ne aliquid ex eis laminuatur aut pereat, ut credant se etiam pro minimis quibusque vasculis tanquam pro sanctis et magnis rebus rationem non solum homini, sed etiam Domino reddituros, si forte ex his negligenter fuerit fractum aut perditum. Ita enim septimanarius obsequium suum fideliter peragat, [b] ne unum quidem granum leguminis negligenter perire de suis manibus patiatur : quia omnia quæ in monasterio fuerint semel ingressa tanquam sacrosaneta, et quasi jam Deo consecrata cum summa reverentia Patres nostri tractare jusserunt. Tanta ergo fide universa debet monachus agere, ut etiam [c] pro despectis rebus ac parvis, id est, si aliquid quod non recte positum est, competentius collocaverit, aut tenuem festucam de cella submoverit, mercedem [d] se Domino recipere tota credulitate confidat.

§ VII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 17).

[e] Superius diximus decadam fratrum sub sua cura duos præpositos continere. Qui decem fratres in coquinæ servitio vicibus combinati septenos expleant dies. Et cum in vicibus suis unius decadæ fuerit adimpletum servitium, consignatis omnibus a cellarario utensilibus, sibi alia in exercitatione decadæ succedat. Qua expleta succedant singillatim per singulas septimanas. [f] Singuli tamen ambo præpositi coquant cum solatio fratris [g] cujus voluerint sui. Et ideo quamvis cum solatio cujuslibet fratris singulos septimanas singulas diximus præpositos [h] coquinare, ut cum non ambo in coquinæ simul servitio occupantur, unus foris cum decadæ suæ remaneat fratribus, qui in eis culpas vel vitia diversa custodiat, ut et si alii fratres sequestrantur in alio laboris opere, tales sequestrentur qui Dei plus possunt præsentiam timere, præoccupato in coquina præposito, [i] cum negligentiore remanente [j] vacivo præposito : ut et vicibus honorem impleant emendandi, et vicibus humilitatem exerceant serviendi. Ergo sic omnes explicando decadæ [k] recapitent. Nam unaquaque decada tali actione septenos expleant dies. [l] Bini fratres a præpositis suis in coquinæ servitio per hebdomadam deputentur; quibus a cellarario omnia

surgens gratum tibi servitium exsolvere possim. Et cum magna cautela ambulent in ecclesia et dormitorio. Et cum ad proprium stratum venerit frater, dum se collocaverit, dicat psalmum : *Deus, in adjutorium meum intende;* et post Gloriam dicat versum : *Pone, Domine, ori meo custodiam*, etc. Et sicut sibi mane postulat aperiri a Domino, sic requiescens roget poni ori suo custodiam. » Regula cujusdam Patris cap. 9 : « Ab hora vero completionis, cum oratio ad somnum capiendum datur. » Hinc capiendi sunt loci Pœnarum Brevium apud S. Basilium, art. 15 : Ἔστις ἐσπέρας μετὰ τὸ πατὴρ ἡμῶν εὑρεθῇ ὁμιλῶν, ἀφοριζέσθω, id est, « si quis vesperi post Pater noster, inveniatur colloquens, excommunicetur; » et art. 26 : Ἔστις ἐσπέρας μὴ φτάσῃ τῷ Πατὴρ ἡμῶν ἐκτὸς αἰτίας, στηκέτω εἰς προσευχὴν ἕως πάντες κοιμηθῶσι, id est, « si quis vesperi non occurrerit ad Pater noster sine causa, stet in oratione, donec omnes decubuerint; » ex quibus liquet solitam recitari orationem Dominicam ab illis monachis ante cubitum. Id etiam notum est ex Constitutionibus Apostolicis S. Clementis, lib. VII, cap. 49, ubi ponitur hæc serotinæ orationis formula : Αἰνεῖτε παῖδες κύριον, αἰνεῖτε ὄνομα κυρίου, etc., id est, *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Laudamus te, celebramus te, benedicimus te propter magnam gloriam, Domine rex. Pater Christi agni immaculati, qui tollit peccata mundi. Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*, etc.

[a] *Acto autem.* Apud Smaragdum legitur, *peracto*; hæc autem habentur apud Cassianum capite citato.

[b] *Ne unum quidem granum leguminis.* Vide eumdem Cassianum capite 20 ejusdem libri. Hæc autem attentius consideret monachus, et recogitet quanto numero habenda sit vita monastica, quam sedulo leviores culpæ sint declinandæ, quanto studio anima custodienda, si tanta esse debet unius grani leguminis cura, de quo sic Deo etiam rationem redditurus. Lege autem : *Ut ne unum quidem.* Cap. sequenti profert exemplum cujusdam fratris, qui propter tria lenticulæ grana quæ in terram ceciderant neglecta, ab oratione suspensus est.

[c] *Pro despectis rebus.* Quia minima actio ad Dei gloriam facta meritoria est : calix aquæ frigidæ ob Christum datus sua mercede non carebit; nec ullus capillus de capite justi peribit.

[d] *Se Domino.* Lege, *se a Domino*, ut in cod. Vind.

[e] *Superius diximus.* Cap. 11 suæ Regulæ. Quæ autem hic tractantur, habentur in eadem Regula ms. codicis Corbeiensis, eodem capite.

[f] *Singuli autem præpositi coquant.* Non eximit præpositos decadum a coquinæ officio : ita tamen ut nunquam duo unius decadis præpositi simul coquant, sed sigillatim assumendo unum ex suæ decadis fratribus in solatium, ut uno præposito coquinæ munus obeunte, alter remaneat qui fratrum actiones observet diligenter; et hic est sensus hujus textus.

[g] *Cujus voluerint.* Pro *quem voluerint*, phrasis græca, ut supra notatum est.

[h] *Coquinare.* Id est, coquere. Plautus in Pseudolo :

An tu coquinatum te ire quoquam postulas?

[i] *Cum negligentiore.* Lege : *Cum negligentioribus*, ut in Reg. ms. sensus est : Cum alii fratres in aliquo opere sequestrantur a præpositis, soli ii sequestrentur, qui plus possunt Dei præsentiam timere : ut cum unus præpositus coquinæ officio fungitur, alter qui ab hoc opere vacat, remaneat cum negligentioribus fratribus cum eis aliquid operans.

[j] *Vacivo.* In Reg. Ms. : *Vacibo; b* pro *v*, id est, vacante, nempe a culinæ officio.

[k] *Recapitent.* Id est, iterum incipiant a prima decade.

[l] *Bini fratres.* Subaudi, deputantur ad coquinam.

coquinæ vasa intrantibus consignentur. Et ideo bini fratres, ut invicem se suis solatiis [a] jubent. Cujus ordinationis in hebdomada talis debet esse introitus.

§ VIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 19).

[b] Introituri, fratres, in hebdomadam [c] post Primam in oratorio dictam adducantur a præpositis suis ante abbatem, [d] et fiat de eis majoris suggestio dicens : Jube, domne abba, vocari universam congregationem et orari pro his fratribus qui ingrediuntur in hebdomadam coquinæ : ut mereantur commendati orationibus vestris diaboli impedimenta non timere, et congregationi Dei omnia sine culpa perficere. Post hæc verba prosternant se illi duo fratres orationi ante abbatem. Quod et retro omnis congregatio una cum abbate facere debet; et postquam se levaverint omnes, illi duo dicant hunc versum : [e] *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi : sub umbra alarum tuarum protege nos.* Postquam vero oratum pro eis ab omnibus fuerit, surgentes supra dicti duo fratres osculentur genua abbatis, [f] et pacem suis tradant præpositis, vel omni congregationi. Quibus post datam pacem præpositi sui dicant : Ite, fratres, in nomine Domini Jesu Christi, intrate in hebdomadam, [g] et petita benedictione omnia facite, dicentes per exercenda omnia : Benedicite; et cum benedictum fuerit quodcunque feceritis, maledictus diabolus impediendi ibi non habeat potestatem. Mox ab eodem die, si ad sextam [h] habent fratres reficere, dicta Tertia exeuntes cum congregatione de oratorio hebdomadarii cum cellarario [i] oculos ad abbatem inquirentes eum quid jubeat congregationi ad refectionem parari : ut mox inchoantibus coquinam a tertia paratis omnibus, dicta Sexta eant ad mensas. Si vero hora nona erit refectionis præparatio, exiens abbas interrogetur ab hebdomadariis et cellarario; et statim post Sextam inchoent coquinare : ut dicta Nona omnes eant ad mensam. Quod si non forte occurrerint hebdomadarii i excommunicationis pœnam suscipiant, quia lassatam congregationem utrisque operibus, id est, jejunii et laboris, sua pigritia cruciaverunt. Excommunicationis vero hæc sit sententia. Si sexta, VII; si nona, X; hoc est, si ad sextam horam [k] refectionem tricatam hebdomadarii offenderint, et non occurrerint, singulas quadras panis per sequentes septem refectiones perdant; [l] si nonam tricaverint, item singulæ quadræ per sequentes decem refectiones eis subtrahantur. Quæ sententia excommunicationis tandiu in damno annonæ excommunicatis permaneat, [m] quandiu satisfactio in sequenti die promissa visa fuerit emendasse. Nam si grandis fuerit congregatio, vel aliqui extranei multi supervenerint, adjunctis in solatio fratribus, a Prima dicta interrogando abbatem de refectione, incipiant coquinare, ut hora constituta refectioni occurrant. In eadem namque hebdomada servitium ad mensas omnium ipsi adimpleant. Omnem diligentiam monasterii ipsi exerceant. Ipsi omnes fratres in hebdomada ipsa discalcient, adjunctis in solatio de decada sua fratribus cum quibus et discalcient, et ipsa calciaria faciant, et facto mane sedentibus ad ordinem fratribus ipsi consignent simul; et in eadem hebdomada munditias monasterii exerceant, [n] refrigeria lavent, ligna concidant, aquam faciei tradant, [o] ad communionem intrantibus fratri-

[a] *Jubent.* Ita in Reg. ms. pro : *Juvent.*

[b] *Introituri fratres.* Hæc videre est in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem cap. 19.

[c] *Post Primam.* Dissentit a S. Benedicto qui vult ejusmodi benedictionem seu orationem dari post Matutinos.

[d] *Et fiat de eis majoris suggestio.* Id est, major seu senior duorum horum præpositorum suggerat abbati, ut ob septimanariorum benedictionem universam congregationem arcessat, etc.

[e] *Custodi nos, Domine.* Dissentit a S. Benedicto.

[f] *Et pacem suis tradant præpositis.* Id est, suos præpositos osculentur.

[g] *Et petita benedictione.* Nihil prisci illi monachi faciebant sine majoris benedictione ob rationem a Magistro prolatam. Pœnæ Breves monachorum sancto Basilio vulgo ascriptæ, art. 11 : Εἴτις οὐκ ἀ᾽ρῃ εὐλογίαν εἰς τὸν ὄρδινον αὐτοῦ γενέσθω ἀπευλογίας, id est, « qui non acceperit benedictionem ad ordinem ministerii sui, careat benedictione; » ὄρδινον, est ordo, vocabulum Græco-Barbarum. De quo vide Joannem Meursium in Glossario Græco-Barbaro. Memoriale quomodo in monasterio conversandum sit : « Cum domnus abbas aut certe alius ex senioribus alicui ex fratribus aliquod opus facere præcipit, suscipiat junior cum magna humilitate jubentis imperium : sit auris prompta ad audiendum, ac si divinitus dicatur; sint pedes directi, manus vero expeditæ ad faciendum; et humiliatus dicat : Benedicite. Expleto opere revertens cum humilitate dicat similiter : Benedicite. » S. Isidorus cap. 17 Regulæ inter delinquentes commemorat, « qui ministerium cujuslibet operis injunctum sine benedictione susceperit, aut perfecto opere benedictionem minime postulaverit. » Ex quibus ultimis locis patet benedictionem etiam perfecto opere petitam fuisse.

[h] *Habent.* Id est, debent.

[i] *Oculos ad abbatem.* Lege, ut in Regula ms.: *Oculos habeant ad Abbatem.* Sup. conversos.

[j] *Excommunicationis pœnam suscipiant.* Hæc non est proprie dicta excommunicatio : quia paulo post eam declarans jubet reum tantummodo aliquot dies una panis quadra multari.

[k] *Refectionem tricatam offenderint.* Id est, non expeditam et non paratam. Nam tricæ, inquit Nonius cap. 1, sunt impedimenta et implicationes (et intricare, impedire, morari) dictæ quasi tericæ, quod pullos gallinaceos involvant, et impediant capilli pedibus implicati. Unde et tricari in parvo morari. Glossæ Isidori : *Acinari, tricari, in parvo morari.*

[l] *Si nonam tricaverint.* Ita in Reg. ms.; sed legendum puto, *si ad nonam tricaverint*, id est, si ad nonam expedite et opportune refectionem non paraverint.

[m] *Quandiu.* Id est, donec S. Ferreolus cap. 29 Regulæ : « Ut, quandiu a proposita intentione revocentur, et tumorem mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subjaceant disciplinæ. »

[n] *Refrigeria.* Id est Latrinas. Cap. 79 ejusdem Regulæ : « Ipse sibi custodes excitet, cum clavem requirit; quo præsente incipiat ad ignotum refrigerium foras exire.

[o] *Ad communionem intrantibus.* Vide supra de hac re notata capite 52, § 7.

bus aquam manibus ipsi ministrent. [a] Mappas [b] et sabana, et facitergia vel res sordidas fratrum ipsi lavent illis horis in quibus non coquent. [c] Candelas monasterii a cellarario factas quotidie ipsi incendant et [d] tutent. Mox enim in hebdomadam, ut diximus, prima die post Primam dictam intraverint, primum opus servitii sui munditias oratorii exhibeant, et [e] mattas oratorii pavimento [f] retendant. Quod in totis septem diebus hebdomadæ suæ post matutinos dictos opus primum servitii sui oratorio exhibeant. Cum astant vero in septimana sua, coquinam [g] intrantes ad se fratres mox petant eos pro se secum orare.

§ IX. — *Item ejusdem* (*cap.* 23).

[h] Hebdomadarii cum servitium mensarum exercent, si forte ad ministrandum omnibus [i] non occurrerint, insinuent hoc ipsum suis præpositis : a quibus ordinatus de eadem decada unus frater in eorum solatio adjungatur. Quotiesque hebdomadarii in servitio mensarum negligenter mensis deserviunt, alia die hora refectionis levet se abbas, et cum uno de præpositis aut duobus, si grandis fuerit congregatio, ipsi faciant servitium ad omnes mensas, ut et doceat eos quomodo faciant quod non possunt implere : et agnoscentes omnes fratres erubescant [j] incommunicatura hominum vel pari servitio A Dei æqualem non mereri divinæ sapientiæ gratiam cum [k] utilibus fratribus invenire.

§ X. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 12).

Coqui vero per hebdomadas [l] coquinent. Unaquaque hebdomada tres, vel amplius, si necesse fuerit, ad coquinandum deputentur, ne impositus sine discretione labor unde mercedem mercari debuit, inde murmurii fructum reportet. Ingredientes autem pro se orari rogent omnem cœtum fratrum, orantes in oratione dicant : [m] *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXXIII) ; et *adjuva nos, Deus salutaris noster* (*Psal.* LXXVIII). Exeuntes vero lavent omnium fratrum pedes, et omnia vasa quæ ad necessarium usum habuerunt lavata [n] præpositis repræsentent : similiter [o] pro se B orari rogent, et hunc versum in oratione dicant : [p] *Quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me* (*Psal.* LXXXIII). Propter singulas negligentias tam coqui quam cellararii XXV palmarum percussionibus quotidianis diebus emendentur : ne minimas parvi pendentes culpas, in majoribus procliviores reperiantur.

§ XI. — Ex Regula sancti Cæsarii episcopi (*cap.* 12).

[q] Qui coquunt, [r] singuli illis meri pro labore addantur. In omni ministerio corporali tam in coquina, vel quidquid quotidianus exigit usus, vicibus sibi, excepto Patre, [s] vel præposito, succedere debent.

[a] *Mappas.* Mappa est linteum tergendis manibus aptum, Gallice *serviette*. Aimoinus lib. IV de Gestis Francorum, cap. 2 : « Austregesillus quoque Bituricensis archiepiscopus sub rege Guntranno diu quoque in palatio commoratus mappam ei ad tergendas C præbere consueverat manus. » Meminit Martialis lib. XII, Epigram. 29 :

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.
Mantile a mensa surripit Hermogenes.

Ubi mappa a mantili distinguitur. Nam mappa est qua manus terguntur, quam quisque conviva afferebat : at mantile quod mensæ sternitur ; et Martialis quidem tempore. Nam Varronis ætate mantile dicebatur, quo manus terguntur, ut ipse Varro docet lib. V de Lingua Latina : *Mantelium, quasi manuterium*. A mappa *mapparius*, qui mappam tergendis manibus porrigit. Acta S. Austregesilli : « Et erat sane regi gratissimus, eique manus abluenti offerebat linteum, quo eas extergeret : quo factum est, ut eum mapparium id temporis vocitarent. » Dicebatur etiam mapparius sive μαππάριος, is qui mappam in circum mittebat signum aurigis, quo viso e carceribus erumperent : vide Glossarium Græcobarbarum Joan. Meursii. Mappa vox est Punica a D Romanis usurpata, ut docet Fabius lib. I Instit., cap. 5 : « Et mappam quoque usitatum circo nomen Pœni sibi vindicant. »

[b] *Sabana.* Vide superius annotata.

[c] *Candelas.* Hoc vocabulo utitur Athenæus lib. XIII sub finem. De quo hæc habet Suidas : κανδήλα παρὰ κοίτην δᾶλα, id est, « candela dicta quod clarum lumen suppeditat, dum uritur. » Sed merum putum Latinum, a *candeo* deducendum. Candelæ sunt lampades, ut videre est in Dialogis Zachariæ papæ, ubi lampades passim κανδήλας vertit.

[d] *Tutent.* Id est, exstinguant. Vide supra.

[e] *Mattas.* Quæ substernuntur monachis psallentibus, de quibus infra.

[f] *Retendant.* Id est, iterum tendant, quia abstulerant eas, ut pavimentum oratorii verrerent.

[g] *Intrantes ad se fratres.* In Reg. ms. Hæc vocabula, *ad se*, desiderantur. Sensus est : Si qui fratres in coquinam ad hebdomadarios intrent, mox hebdomadarii petant ab eis, ut secum pro se orent.

[h] *Hebdomadarii.* Hæc habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb. in fine ejusdem capitis 23.

[i] *Non occurrerint.* Id est, non potuerint occurrere. In Reg. ms. legitur, *non occurrunt*.

[j] *Incommunicatura.* Id est, in communi natura.

[k] *Utilibus.* Id est, bonis, piis. S. Benedictus cap. 7 : *Dicat semper utilis frater.* Ita enim legendum ibi animadversum est.

[l] *Coquinent.* Id est, coquant.

[m] *Adjutorium nostrum.* Hac in re non convenit cum S. Benedicto.

[n] *Præpositis.* Qui tamen eadem vasa cellerario consignent.

[o] *Pro se orari rogent.* Completa hebdomada.

[p] *Quoniam tu, Domine, adjuvisti me.* Videntur hæc verba ex Reg. ms. S. Benedicti desiderari, *Benedictus es, Domine Deus*, istis præponenda.

[q] *Qui coquunt.* Hæc videre est in Regula S. Cæsarii excusa, quæ est sanctimonialium eodem capite 12, ubi legitur, *coquent*.

[r] *Singuli illis meri.* Ita in cod. Vind. In Regula excusa habetur : *Singulæ illis merito pro labore addantur ;* sed locus corruptus, nullumque sensum efficit. Itaque ex hoc Concordiæ codice restituendus. Sensus ergo est, ut qui, vel quæ coquunt singulos meros ad levandum laborem accipiant, nempe antequam se operi coquinæ accingant. Merus autem hoc loco substantivum est mascul. gen., estque vasculum vini, sive cyathus, sive scyphus. Magister in Regula, cap. 27 : « Mox cum sederint ad mensas fratres singulos meros accipiant. Quos meros accipientes singuli porrigunt abbati. » Et paulo post : « In suos meros quisque frater de suo p ne ternas sibi et non amplius buccellas intingant. » Et postea : « Post ergo primos meros æstivo tempore ad refectionem tam sextæ quam nonæ, caldelli omnibus quaterni sufficiant. »

[s] *Vel præposito.* Particula, *vel*, sumitur hoc loco copulative, non disjunctive.

CAPUT XLV.

DE INFIRMIS FRATRIBUS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est : ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit : *Infirmus fui, et visitastis me.* Et : *quod fecistis uni* [a] *de his minimis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri ; et non [b] **superfluitate** A **sua contristent** [c] **fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis** [d] **sit cella** [e] **super se deputata, et** [f] **servitor** [g] **timens Deum, et diligens ac sollicitus.** [h] **Balnearum usus infirmis, quoties expedit, offeratur : sanis** [i] **autem, et maxime juveni-**

[a] *De his minimis.* Ita apud Smaragdum. In cod. S. Germ. cum S. Dunstano, et vulgo editis. *De iis minimis meis.* In textu evangelico : *Uni de iis fratribus meis minimis.*

[b] *Superfluitate sua.* Petendo irrationabilia.

[c] *Fratres suos servientes sibi.* Si monachi sanis fratribus serviunt, æquum est etiam ut ægrotis ; et si maxima charitas et merces acquiritur ab iis qui sanis serviunt, quanta mercede cumulabuntur B ii, qui ægrotos fovent. Quanta sollicitudine et cura suam operam circa infirmos fratres contulerit S. Dositheus, ejus Acta testantur. Qui toto quinquennio, quo in monasterio vixit, infirmis in nosocomio ministravit. Singulos quosque humili suo obsequio refocillabat, lectos concinne et commode sternebat, omnia munde pureque agebat. Si casu aliquid ex negligentia omisisset, aut subiratus verbum aliquod protulisset, statim dimissis omnibus cellulam ingressus in lacrymas erumpebat.

[d] *Sit cella.* Idem instituit S. Eugendus abbas, ut in ejus Actis apud Surium habetur : « Verum etiam propter laborem infirmitatis, donec sanitas suppeteret, præstitit sequestratim reficere vel manere. » Cella hoc loco est cubiculum. Est et cella locus in quo necessaria reponuntur. Varro lib. IV de Lingua Latina : « Ubi conditum esse volebant, a celando cellam appellabant. » Locus in templo, ubi sedes Dei erat. Idem Varro eodem libro : « Et ideo C in ædibus sacris ante cellam, ubi sedes Dei sunt, Græci dicunt προδομον. » Et lib. V : « Hinc etiam amplius dicunt eloqui et reloqui in fanis Sabinis, e cella Dei qui loquuntur. » Nomen postea ad claustra monachorum translatum significat angustum monachi cubiculum, ut sæpe occurrit in hoc libro, et apud Cassianum, Dorotheum, Palladium, Moschum et cæteros, qui de re ascetica scripserunt. Diminutivum cellula. Unde et *cellulani* monachi a S. Sidonio Apollinare appellati sunt lib. IX, epist. 3, ubi celebre monasterium Lerinense nominat. « Senatum Lerinensium cellulanorum. » Sumitur etiam cella pro monasterio. S. Gregorius lib. I, epist. 54. « Festivitatibus sanctorum desiderabiliter insistentes præsentis præceptionis nostræ paginam ad experientiam tuam necesse duximus dirigendam, indicantes ei oratorium beatæ Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum est, ubi Marinianus abbas præesse cognoscitur. » Idem lib. VI, epist. 10 : « Si ergo qui vos ex ordine sequitur talis est ut circa D cellæ ordinationem fratrumque custodiam, etc. » Hinc capiendus locus lib. II Dial., cap. 23 : « Cui ille respondit : Quid est quod loqueris soror ? Manere extra cellam nullatenus possum. » Cella enim ibi sumitur pro monasterio, alioqui falsum dixisset S. Benedictus ; nam poterat in oratorio pernoctare, aut in dormitorio fratrum jacere. Sumitur etiam pro parvo monasterio, quod subest alicui majori monasterio, et vulgo dicitur prioratus seu præpositura. Lupus abbas Ferrariensis epist. 11 : « Cellam S. Judoci, quam Magnus Carolus Alcuino, etc. » Addit. 1 Capitul. Lud. imp., tit. 44 : « Ut abbatibus liceat habere cellas in quibus aut monachi sint aut canonici. » Et abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam sex. » Hoc vocabulum Græci Patres usurparunt, sanctus Basilius, Palladius, Dorotheus et alii, apud quos legitur : κέλλη et κελλίον. Meminit Moschopolus in schedis Κελλίον κοινῶς, παρὰ Ἀττικοῖς δωμάτιον, id est, « communiter, apud Atticos domuncula. »

[e] *Super se.* Ita codices S. Germ. S. Faronis et Victorini et Vind. cum Kerone, Smaragdo et editione Coloniensi. Sanctus vero Dunstanus et vulgatæ editiones legunt : *Per se.* Unus Turrecremata : *Desuper.* Sed sive *per se*, sive *super se* legatur, nihil aliud est quam seorsum et separatim : ita ut non jaceant ægroti in communi fratrum cella, quam dormitorium appellant, sed in altera.

[f] *Et servitor.* Per servitorem intelligit aliquem monachum qui ægrotis serviat. Nam supra dixit : « Et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi, » et in fine capitis : « Cura autem maxima sit abbati, ne a cellerariis et servitoribus negligantur infirmi : quia ad ipsum respicit, *quidquid* a discipulis delinquitur. » Nam passim in Regula monachi discipuli appellantur, cap. 2. « Memor sit semper abbas, quia doctrinæ suæ et discipulorum obedientiæ utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. » Et paulo post : « Et capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat. »

[g] *Timens Deum.* Idem statuit S. Cæsarius in Regula sanctimon. cap. 30 : « Ægrotantium cura, sive aliqua imbecillitate laborantium uni satis fideli et compunctæ debet injungi, quæ de cellario petat quodcunque opus esse prospexerit : et talis eligi debet, quæ et monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat. »

[h] *Balnearum usus.* Additio 1 Capitul. Lud. imp., tit. 7 : « Balnearum usus in arbitrio Prioris consistat. » Intelligitur autem de balneis tam artificialis quam naturalibus, tam de publicis quam domesticis, quæ quidem ad sanitatem conducant, non ad voluptatem.

[i] *Sanis autem*, etc., *tardius concedatur.* Tardius, id est, rarius. Hanc enim balnearum voluptatem, tanquam Veneris irritamentum, carnis titillationem atque enervationem sancti Patres abhorruerunt. S. Hieronymus in epistola ad Rusticum : « Balnearum fomenta non quærat qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore exstinguere. » Sanctus Athanasius libr. de Virginitate, balnearum usum virgini interdicit, dum sana erit. Eumdem prohibet S. Florentinæ sorori S. Leander lib. de Institutione Virginum, cap. 10 : « Balneo non pro studio vel nitore utaris corporis, sed tantum pro remedio salutis. Utere, inquam, lavacro quando poscit infirmitas, non quando suaserit voluntas. Quod enim necesse non est, si egeris, peccabis. Scriptum est enim : Et carnis curam ne fecevitis in desideriis. Cura carnis veniens ex concupiscentia habe-

bus tardius concedatur. [a] Sed et carnium esus [b] infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur; at ubi meliorati fuerint [c] a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat abbas, [d] ne a cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi : quia ad ipsum respicit quidquid a discipulis delinquitur.

§ II. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 40).

[e] Quod si obtenditur infirmitas, [f] præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, et ab eis quæ necessaria sunt accipiet.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 41) [g].

Si de ipsis ministris aliquis languerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam vel cellarium, et sibi aliquid auferendi; sed cæteri ministri id quod ei necessarium viderint, dabunt. Nec permittatur coquere sibi quod desideraverit; sed præpositi domorum quæ necessaria viderint et ab aliis ministris accipient.

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 42).

[h] Nec poterit languidus ingredi [i] cellam vescentium et comedere quod desiderat, nisi a ministro qui huic rei præpositus est ducatur ad vescendum. Non ei licebit de his quæ acceperit in loco ægrotantium [j] ferre ad cellam suam, nec pomum quidem.

§ V. — *Item ejusdem* (*cap.* 46).

[k] Si aliquis eorum qui peregre mittuntur, in itinere [l] vel in navi ægrotaverit, et habuerit necessitatem sive desiderium comedendi [m] liquamen de piscibus, vel aliarum rerum quæ in monasterio [n] comedere consueverunt, non manducabit cum fratribus cæteris, sed separatim ei dabitur a ministris ad omnem abundantiam, ne in ullo languidus contristetur.

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 47).

[o] Ægrotantem absque concessione Majoris nullus audeat visitare : nec propinquus quidem atque germanus sine imperio præpositi domus ministrandi habebunt potestatem.

§ VII. — *Item ejusdem* (*cap.* 129).

[p] Qui est infirmus [q] in funere, [r] habebit ministrum ut eum sustentet. Et omnino ad quemcunque

[a] *Sed et carnium esus.* Idem statuit S. Cæsarius in Recapitulatione, cap. 17 : « Pulli vero pro infirmis præbeantur, nam in congregatione nunquam ministrentur. Carnes vero a nulla unquam penitus in cibo sumantur : si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, jubente providente abbatissa accipiat. »

[b] *Infirmis omnino debilibus.* Codex S. Faronis, Vind. Smaragdus, S. Dunstanus, Turrecremata, editio Coloniensis legunt : *Infirmis omnino debilibusque;* editio Colinæi : *Infirmis omninoque debilibus.* Optima lectio : nam cap. 39 ait : *Præter omnino debiles et ægrotos.*

[c] *A carnibus more solito omnes abstineant.* Tam quadrupedum quam volatilium, quia idem prohibet sanis quod indulsit ægrotis, nempe esum carnium, nec solum quadrupedum, sed etiam volatilium, quas nunquam prohibuit ægrotis, quia hoc absurdum prorsus fuisset.

[d] *Ne a cellararis et servitoribus*, etc. S. Cæs. c. 40 Reg. sanctimonialium : « Celleraria vero et ea quæ infirmis servitura est, super omnem sollicitudinem cura illis et diligentia infirmarum coram Deo et angelis ejus denuntietur. »

[e] *Quod si obtenditur*, etc. Habetur art. 18 Reg. sancti Pachomii.

[f] *Præpositus domus.* In qua residet ille frater ægrotus : nam, ut sæpius dictum est, monachi S. Pachomii in plures domos, seu ordines, divisi erant sub singulis præpositis.

[g] Art. 19. Regulæ editæ.

[h] *Nec poterit languidus.* Habetur in Regula S. Pachomii, art. 20.

[i] *Cellam vescentium.* Id est, commune refectorium fratrum.

[j] *Ferre ad cellam.* Juxta id quod in eadem Reg. cautum est art. 43 : *Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescendum, absque his quæ a dispensatore acceperit.*

[k] *Si aliquis eorum.* Reperire est in Regula S. Pachomii capite 23.

[l] *Vel in navi.* Ita in cod. Vind. Male in Regula excusa legitur, *vel in via;* nam antea dixit, *in itinere:* ac proinde superfluum subjungere, *vel in via.* Quod autem nostræ Concordiæ lectio recta sit, patet ex eadem Regula, in qua fit mentio navis et navigationis, ut art. 49 : *Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit;* art. 66 : *In navibus similis disciplina est : Nemo a terra solvat navigii funiculum absque jussione Patris. In interiore parte navis, cæteris fratribus super transtra et tabulata quiescentibus, nullus dormiat;* et paulo post : *Vasa infirmiora cum eis non navigabunt.* Accedit quod S. Pachomii monasterium situm erat in insula Nili Tabenna, in Thebaïde, ut dictum est.

[m] *Liquamen de piscibus.* De hac re infra.

[n] *Comedere consueverunt.* Lege, ut in Regula S. Pachomii : *Comedere non consueverunt.* Non enim Pachomiani illi monachi comedebant liquamen, et multa alia quæ deliciosa erant. Unde art. 32 dicitur : *Nec vescentur, nisi iis quæ edere in monasterio consueverunt.* Soli autem ægroti edere liquamen et vinum bibere permittebantur, ut videre est cap. 22 ejusdem regulæ : *Vinum et liquamen absque loco ægrotantium nullus attingat.*

[o] *Ægrotantem.* Invenitur in Regula S. Pachomii, art. 24. Optima sane institutio. Nam in cella infirmorum, dum ægrotorum recreatio prætexitur, usu venire solet multa otiosa et scurrilia verba insulse effutiri.

[p] *Qui infirmus est*, etc. Hic articulus non exstat in Reg. exc. S. Pachomii.

[q] *In funere.* Lege : *In itinere*, ut sequentia satis indicant.

[r] *Habebit ministrum.* Optima institutio, ut fratri laboranti in ipso itinere non desint solatia. Hinc capienda sunt illa verba regulæ S. Pachomii art. 23 : « Et dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam; ut in nullo frater languidus contristetur. » Ibi enim agitur de ægrotantibus in itinere : ita ut ministri hoc loco sint illi hebdomadarii, qui ægrotantibus in itinere servire debeant, juxta hunc nostræ Concordiæ textum.

locum missi fuerint fratres, habebunt de hebdomadariis qui ægrotantibus serviant, si forte in itinere vel agro languor obrepserit.

§ VIII. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 10) [a].

Ægroti omni miseratione et compassione fovendi sunt; eorum languores congruo revelandi sunt ministerio. Tales tamen sunt eis ministri deligendi, qui et pulmenta strenue præparent, et devoto eis ministerio obsecundent, et de his quæ illis residua sunt, neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant.

§ IX. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 57).

Interrog. [b] Quali affectu debemus [c] infirmis fratribus ministrare? — *Resp.* Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit : [d] *Quia cum fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv). Expedit autem ad conservandum hujusmodi affectum in obsequiis, ut et hi qui obsequia a nobis suscipiunt, tales sint [e] quibus merito deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos qui præsunt curam gerere, et ne hi quibus ministratur tales sint qui carni indulgeant et ventri, sed potius in amore Dei et Christi ejus probabiles inveniantur, et per patientiam suam ac vitæ meritum fratrum mereantur obsequia, ut habeantur ad gloriam Christi, et opprobrium diaboli, sicut et sanctus Job.

§ X. — *Ex eadem Regula* (*cap.* 37).

Interrog. Cum quali humilitate debet quis suscipere a fratribus obsequium? — *Resp.* Sicut servus a domino, et sicut ostendit Petrus apostolus cum ei Dominus ministraret. In quo simul etiam periculum eorum ostendit, qui nolunt recipere obsequia fratrum.

§ XI. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 22).

[f] Cura infirmorum sano sanctæque conversationis viro committenda est, qui pro eis sollicitudinem ferre possit, magnaque cum industria præsto faciat quidquid imbecillitas expostulat. Ipse autem sic ægrotis deserviat, [g] ut de sumptibus eorum vesci non præsumat. Ægrotis delicatiora præbenda sunt alimenta, quousque ad incolumitatem perveniant; postquam autem salutem receperint, ad usum pristinum revertantur. Infirmi pro quo delicatius aluntur, fortiores inde nequaquam scandalizentur. Qui enim sani sunt infirmos tolerare debent : qui autem infirmi sunt sanos et laborantes anteponendos sibi non dubitent. Nullam oportet vel veram corporis infirmitatem tacere, vel falsam prætendere; sed qui possunt gratias Deo agant, et operentur : qui vero non possunt, manifestent suos languores et levius humaniusque tractentur. Sub prætextu infirmitatis nihil peculiare habendum; ne lateat libido cupiditatis sub languoris specie. Lavacra nulli monacho adeunda studio lavandi corporis, nisi tantummodo [h] pro necessitate languoris. Ne differendum est propter medelam, si expedit; [i] nec murmurandum est : quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantum salutis.

§ XII. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 13).

[j] Qui infirmi sunt [k] ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri, quos facit [l] alia consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

§ XIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 16).

[m] Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent [n] minus accipere, ne graventur, ita [o] exposita ægri-

[a] In cod. Crass. eod. cap.

[b] *Quali affectu.* Exstat apud S. Basilium interrog. 160 Regul. Brev., et apud Rufinum, cap. 30.

[c] *Infirmis.* Ita apud Rufinum; non exstat in textu Græco.

[d] *Quia cum.* Ita apud Rufinum et Smaragdum; at in textu Evangelii : *Quandiu.* In textu Græco ἐφ' ὅσον, id est, quandiu. S. Benedictus habet : *Quod.*

[e] *Quibus merito deferri obsequium debeat.* Ita apud Rufinum et Smaragdum. Quæ tamen verba desiderari videntur in textu Græco.

[f] *Cura infirmorum.* Reperitur in Regula S. Isidori excusa, cap. 21.

[g] *Ut de sumptibus eorum.* Ita docet S. Fructuosus cap. 10 : « Et de his quæ illis residua sunt neque fraudem faciant, neque occulte se illicita comestione polluant; » recte. Cavendum est enim infirmorum ministris, ne dum ægrotis simul etiam gulæ illecebris serviant; et dum circa alieni corporis sanitatem occupantur, animæ suæ salutem negligant. Quibus S. Dositheum imitandum propono, qui cum infirmis serviret, lautiores cibos eorum ne primoribus quidem labris degustabat, sed viles tantum reliquias, ut pisciculorum capita, jocinora, et insipida quædam exsta comedebat, quemadmodum in ejus Actis narrat sanctus Dorotheus.

[h] *Pro necessitate languoris.* In Reg. S. Isidori excusa legitur : *Propter necessitatem languoris;* additurque, *et nocturnam pollutionem :* quæ ultima verba hic desiderantur, omissa forsan ex industria.

[i] *Nec murmurandum.* In Regula S. Isidori excusa additur : *Si fiat.*

[j] *Qui infirmi.* Hæc videre est in Regula S. Augustini, eodem cap. 14, et in epist. 109.

[k] *Ex pristina consuetudine.* Delicatius vivendi.

[l] *Alia consuetudo.* Duriter et parce vivendi. Apud Smaragdum legitur : *Aliqua.*

[m] *Sane quemadmodum*, etc. Hæc habentur in Reg. S. Augustini excusa eodem cap. 16.

[n] *Minus accipere.* Supp., *Cibi.* Id docent omnes medici. Quod tamen pensandum est juxta morbi intensionem et remissionem et vires ægroti. Cum morbus in suo vigore constiterit, tenuissima diæta, seu victu utendum est, ut docet Hippocrates libr. I aphorismo 8. In morbis etiam peracutis, quæ cito veniunt ad suum statum, celerrimeque suam absolvunt historiam, quam tenuissima diæta utendum est, ut docet Hippocrates ejusdem libr. aphor. 7. Hinc capienda sunt hæc verba Cornelii Celsi libr. II, cap. 16 : « Initia morborum primum famem sitimque desiderant. » Nam in diuturnioribus morbis, si sub eorum initium quam tenuissima diæta præscribitur cum ad suum vigorem efflorverint, ubi quam tenuissimo victu utendum est, vires ægroto ad sanitatem recuperandam non suppetent, juxta Hippocratem libr. I aphor. 10. Qua in re consilio peritissimi medici stare debet ægrotus. « Neque ulla res magis

[o] *Exposita.* Id est, deposita. De quo vocabulo infra.

tudine [a] sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiam hi qui de humillima sæculi paupertate venerunt : tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo.

§ XIV. — *Idem ipsius* (*cap.* 17).

[b] Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent : [c] ne cibi eos teneat voluptas [d] jam vegetos, quos necessitas levaverat infirmos. [e] Illi se æstiment ditiores, qui in superanda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere [f] quam plus agere.

§ XV. — *Item ejusdem* (*cap.* 29).

[g] Lavacrum [h] etiam corporum, [i] cujus infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur; sed fiat sine murmurio [j] de consilio medicinæ : ita ut etiam si nolit, jubente præposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem ipse velit, et forte non expedit, suæ cupiditati [k] non obaudiat. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quod sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

§ XVI. — *Item ejusdem* (*cap.* 30).

[l] Neque eant ad balneas, sive quocunque necesse ire fuerit, [m] minus quam duo vel tres. [n] Nec ille qui habeat aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus præpositus jusserit, ire debebit.

§ XVII. — *Item ejusdem* (*cap.* 31).

[o] Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate [p] etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet injungi. ut ipse [q] de cellarario petat quod cuique opus esse perspexerit.

magis adjuvat laborantem quam tempestiva abstinentia, » inquit Celsus eodem capite. Et ægrotus sanitatis recuperandæ studiosus non debet animo suo obsequi : « Cui vehementer nocet, quoties in ejus quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur, » inquit Celsus capite citato.

[a] *Sic tractandi sunt*, etc. Si modo lente et pedetentim recreantur, maxime si ex morbo diuturno corpus extenuatum sit, juxta illud Cornelii Celsi libr. I, cap. 3 : « Neque vero ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est. » Ex doctrina Hippocratis libr. II, aphor. 7 : Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα νωθρῶς ἐπαναπίμπλησθαι δεῖ, id est, « longo tempore extenuata corpora lente reficere oportet. » Quo enim diutius vacavit pars nutritioni dicata a suo officio, eo difficilius ad illud redit. Quæ vero brevi extenuata sunt, celeriter refici poterunt, ut docet idem eodem aphorismo, servata tamen moderatione debita. Nam subitaria cibi satietas admodum periculosa est ab inedia.

[b] *Sed cum vires pristinas*, etc. Hæc reperiuntur in epist. S. Augustini 109, et in Regula excusa, eodem cap. 17.

[c] *Ne cibi eos teneat voluptas*. Ita in cod. Corb. et in Reg. excusa. Smaragdus legit : *Nec eos ibi teneat voluptas*. In epist., *nec eas ibi teneat voluptas*. Sed prior lectio potior est, quam etiam agnoscit codex Vind.

[d] *Jam vegetos*. Ita in cod. Corb. In epistola, *jam vegetas*. In Regula excusa et apud Smaragdum legitur, *jam vegetatos*. Rectius.

[e] *Illi se existiment*. Ita in cod. Corb. recte; nam in epist. ad sanctimoniales legitur, *illæ*. Smaragdus legit, *illos æstiment*. In Regula excusa *illos existimet*, non ita recte.

[f] *Quam plus agere*. Lege, *quam plus habere*. Ita in cod. Vind. et Corb. In Regula excusa, in epistola, et apud Smaragdum.

[g] *Lavacrum*. Habetur in Regula edita S. Augustini cap. 51. Apud Smaragdum legitur, *lavacrum infirmis*.

[h] *Etiam corporum*. Ita in cod. mss. Corb. et in epistola D. Aug. in Regula excusa, *etiam corpori*.

[i] *Cujus infirmitatis necessitas*. Ita in mss. Vind. et Corb. Ita etiam in epistola. In qua tamen post τὸ *cujus* legitur, *autem* : quia ibi incipit nova periodus ob quædam verba, quæ τὸ *cujus* præcedant, quæ neque hic, neque in Regula S. Augustini exstant. In Regula excusa legitur, *cum infirmitatis*, etc. Recte. Apud Smaragdum, *si necessitas*.

[j] *De consilio medicinæ*. Ita in cod. Corb. et in Reg. excusa ; sed in epistola habetur, *De consilio medici*.

[k] *Non obaudiat*. In epistola et in Regula edita et apud Smaragdum legitur, *non obediatur*. In ms. cod. Corb. *non obediat*.

[l] *Neque*. Hæc habentur eodem cap. 30 Regulæ excusæ ubi legitur, *nec*, quemadmodum et in epistola.

[m] *Minus quam duo vel tres*. Ita in Reg. ms. et excusa. In epistola vero, *minus quam tres*. Notanda antiqua institutio, ut nunquam monachus sine socio foras progrediatur. Regula cujusdam Patris, quæ S. Augustini nomine circumfertur cap. 3 : « Si opus fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant. » S. Isidorus cap. 23 Regulæ : « Sed dum pro necessitate aliqua monasterii diriguntur, duo fratres spirituales ac probatissimi eliguntur. » Additio 1 Ludovici imp. tit. 15 : « Ut soli et sine alio fratre in via non dirigantur. » S. Pachomius in Regula cap. 21 : « Si fuerit nuntiatum quod de propinquis quis ægrotet, janitor primus nuntiabit Patri monasterii, et ille accitum interrogabit præpositum domus. Videbunt virum, cujus fides et disciplina probata sit, et mittent cum eo, ut visitent ægrotantem. » Recta institutio, ut custodiatur qui forte levis esset a sapiente. Quamobrem S. Isidorus loco citato non vult juniores fratres et recens conversos foras progredi : ne forte citius non satis alte defixa avolet devotio. « Ne infirma ætas, inquit, carnis desiderio polluatur, aut rudis conversatio ad sæculi desiderium revertatur. »

[n] *Nec ille qui habet*, etc. Præclara sane institutio et tanto Patre digna, qua occurritur peculiari inter monachos familiaritati, qua nihil pejus vita unquam monastica tulit. Sed de hac re infra.

[o] *Ægrotantium cura*, etc. Habetur in Regula excusa S. Augustini, cap. 33.

[p] *Etiam sine febribus*. Recta lectio. Nam sensus est, ut ægrotantium cura, sive eorum qui post ægritudinem reficiendi sunt, sive eorum qui aliqua imbecillitate seu morbo laborant, etsi nullo febris ardore decoquantur, alicui detur. Et hæc lectio habetur in cod. Vind. etsi a correctore appareat scriptum, *sive*, eum antea esset, *sine*. At in Regula excusa legitur, *sive aliqua imbecillitate*, *sive etiam febribus laborantium*. In epistola vero : *sive aliqua imbecillitate etiam; sive febribus laborantium*. Sed uterque locus corruptus est, et ex nostris codicibus mss. castigandus. Nam cum febris sit imbecillitas, quorsum repetitur, *sive etiam febribus laborantium?*

[q] *De cellarario*. Lege de cellario. Ita in mss. cod. Corb. et Vind., in Regula excusa, in epistola, atque etiam Regula S. Cæsarii excusa capite 30, et hoc capite Concordiæ citata

§ XVIII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 32).

[a] Infirmis vero ita obtemperandum est, ut si sancto abbati justum visum fuerit, etiam cellariolum suum in communi, et coquinam sequestratam habeant, et cura illis vel studium impendatur, donec convalescant.

§ XIX. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 21).

Infirmantibus quoque, vel aliqua [b] inæqualitate laborantibus satis fidelis et strenua debet persona præponi, quæ et ægrotis cum pietate serviat, [c] et monasterialem disciplinam regulariter custodiat, et quæ conveniant infirmis, rationabiliter expendat.

§ XX. — Ex Regula sancti Cæsarii episcopi (*cap.* 28),

[d] Quia solet fieri, ut cella monasterii non semper vinum bonum habeat, ad sancti abbatis curam pertinet, ut tale vinum provideat, unde aut infirmi, aut illi qui sunt delicatius nutriti, palpentur.

§ XXI. — *Item ejusdem* (*cap.* 29).

[e] Lavacra etiam, [f] cujus infirmitas exposcit, minime denegentur. Sed fiat sine murmuratione de consilio [g] medicinæ. Ita ut etiam sive lavari nolit ille, qui infirmus est, jubente seniore fiat, quod opus fuerit pro salute. Si autem nulla infirmitate compellitur cupiditati suæ non præbeatur assensus.

§ XXII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 30).

Ægrotantium cura, sive aliqua imbecillitate laborantium, uni satis fideli et compuncto debet injungi, qui de cellario petat quodcunque opus perspexerit. Et talis eligi debeat qui monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat. Et si hoc necessitas infirmorum exegerit, et Patri monasterii justum visum fuerit, etiam cellariolum et coquinam suam infirmi in commune habeant.

§ XXIII. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 37),

Infirmis vero ita obtemperandum est, ut si sancto abbati justum visum fuerit, etiam cellariolum suum in commune, et coquinam sequestratam habeant. Et cura illis vel studium impendatur, donec convalescant.

§ XXIV. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 7).

[h] Infirmi quolibet morbo defessi [i] in una jaceant domo, et unus qui aptus est deligatur; et tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus, nec urbium delicias requirant, sed quod necesse habuerint, cellararius et præpositus prævideant. [i] Ipsi vero infirmi tanta sollicitudine admoneantur, ut de ore eorum nec quantuluscunque vel levis sermo murmurationis procedat; sed in sua infirmitate cum hilari mente sine intermissione et [k] tulta murmurationis occasione, et vera cordis compunctione semper Deo gratias agant. Et [l] frater qui eis ministrat, nullo pacto offendere [m] audeat. Quod si aliquis, ut diximus, ex ore eorum murmurationis processerit scrupulus, ab abbate increpentur, et ne talia supra dicta facere præsumant, admoneantur : ita ut ille eos accuset, qui hoc ministerium injunctum habet.

§ XXV. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 15).

[n] Horum cura qui infirmitatibus detinentur, qualis esse debet, [o] pietas auctoris declarat, cum dicit : *Quæcunque vultis, ut vobis faciant homines, et vos facite eis* [p] *similiter* (*Matth.* VII). Licet hoc in omnibus sit agendum, præcipue tamen in infirmantium cura hæc præceptio est exhibenda : quia Dominus dixit, *infirmus fui, et* [q] *venistis ad me* (*Matth.* XXV). Ita ergo cura infirmis quærenda est, ac si præsenti Christo ministrare putetur. Re vera etenim quicunque pro Christo infirmis curam impendit, Christo in infirmis ministrat. Sic tamen abbatis cura sit, ut separatim cellam habeant cum omnibus opportunitatibus, ut nullum exteriorem laborem sentiat, qui

[a] *Infirmis vero*, etc. Hæc sumpta videntur ex Regula S. Cæsarii, cap. 30 : « Et si hoc infirmarum necessitas exegerit, et Matri monasterii justum visum fuerit, et cellariolum et coquinam suam infirmæ communem habeant. » Recta institutio, ne conventus ægrotantium multitudine turbetur, et ipsi ægrotantes negligentius habeantur.

[b] *Inæqualitate*. Id est, morbo, ut toties dictum est.

[c] *Et monasterialem disciplinam*. Quia in cura ægrotorum multæ sunt occasiones disciplinam regularem prævaricandi. Idem statuit S. Cæsarius capite citato, cum de infirmis agit : « Et talis eligi debet, quæ et monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat. »

[d] In Regula excusa, eodem capite.

[e] *Lavacra etiam*. Exstant in Regula S. Cæsarii eodem cap. 29, sumpta quidem ex Regula S. Augustini, cap. 31. Juxta hanc constitutionem S. Radegundis quæ S. Cæsarii Regulæ serviebat, fundatrix cœnobii sanctæ Crucis in urbe Pictavensi balneum in eodem monasterio construi jussit ad usum sanctimonialium, ut notum est ex S. Gregorio Turonensi, lib. x Hist., cap. 16.

[f] *Cujus infirmitas exposcit*. Ita in reg. excusa, alias, *cum infirmitas*.

[g] *Medicinæ*. Ita in Regula excusa. Alias, *medici*.

[h] *Infirmi quolibet morbo*. Hæc non reperiuntur in Regula S. Fructuosi episcopi Bracarensis ead. Crass., sed videntur esse alterius Fructuosi.

[i] *In una domo jaceant*. In cella infirmorum ut loquitur S. Benedictus. S. Cæsarius in Regula sanctimonialium, cap. 7 : « Quæ vero senes sunt et infirmæ, ita illis convenit obtemperari vel ordinari, ut non singulæ singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes, ubi et maneant. »

[i] *Ipsi vero infirmi*. Hæc statuuntur juxta sancti Benedicti mentem.

[k] *Tulta*. Id est, sublata. Ἀρχαϊσμός.

[l] *Frater*. Hæc confirmant superiorem nostram opinionem quod monachi debeant infirmis monachis ministrare. Lege tamen τὸ *fratrem*.

[m] *Audeat*. Lege, *audeant*.

[n] *Horum cura*, etc. Hoc caput est veluti quædam paraphrasis superioris capitis S. Benedicti. Ced. Vind. ita legit : « Horum qui in infirmitatibus detinentur, qualis debet esse pietas, auctoritas declarat. » Male.

[o] *Auctoris*. Id est, principis, capitis, nempe Christi.

[p] *Similiter*. Hoc vocabulum non est in textu Evangelii.

[q] *Venistis ad me*. In textu evangelico habetur, *et visitastis me*. Sed ad sequens opus misericordiæ illa verba spectant : *In carcere eram, et venistis ad me*. Itaque videtur hic Pater hunc locum citasse ex memoria, non ex codice.

infirma carne pœnam portat. Quod si tempus poposcerit, sicut tempus quadragesimæ, ut cæteri vitam mutent, infirmis semper [a] cedendum est, ut tam potus quam cibaria uberius ministrentur. Balnearum usus vel cura medendi summo adhibeatur studio. Sanis vero præcipue juvenculis tardius concedatur. Abbas talem curam de infirmis habeat, qualem se recipere a Domino sperat : ut nec a cellarario nec a ministro negligentiam infirmi sentiant. Decrepita vero ætate fessis talis sit cura, quatenus nulla in eis negligentia, sed juxta arbitrium abbatis, prout cuique necessarium esse viderit consideratione pia eorum imbecillitati concedatur. Non enim hi possunt Regulæ subjacere, sed potius pietatis in eis impendendus est affectus.

§ XXVI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 28).

[b] Infirmis certa jejunia resolvantur, et quando fratres ad sextam reficiunt, infirmi tertia recreentur, absque illis qui graviter [c] defessi sunt : quia illis nulla hora decernitur, in quibus timetur mortis eventus. Ideoque quomodo necessitas visa, et pro certo probata quosdam permiserit, recreentur. Si vero sani fratres nona, infirmi sexta reficiant. Sed hoc debet diligenti curiositate probare quibusdam signis, vel agnoscere abbas. Ne quis se fingat [d] propter refectionis vitium edacitatisque infirmum. Nam ideo infirmis resolvi jejunia diximus, propter fragilitatem corporis, per quam non possunt adimplere quod cupiunt dicente Scriptura, [e] *spiritus promptus, caro infirma* (*Matth.* xxvi).

§ XXVII. — *Item ejusdem* (*cap.* 69).

[f] Fratres ægrotos qui se dixerint esse, et ad opus Dei se non levaverint, et continuo jacuerint, ad culpam non vocentur; sed in refectione solummodo [g] succus vel ova aut calidam aquam accipiant, quod vix possunt [h] viri tædiosi accipere : ut, si se fingunt, vel fame compellantur levari. Si vero post diei dictum surrexerint, excommunicentur. Et ad mensam carnalem non accedant, qui ad spiritalem oratorii non adfuerunt, quia laborem fugerunt, et opus Dei contempserunt. Nam in his talibus agnoscitur diabolus per excusationem tædii [i] somnique pigritiam ministrare. Ideoque talem mercedem recipiant. Qui vero frater sine febris membrorumque dolore lassatur, si pœnam supra dictæ [j lassitudini] excommunicationis sustinere non vult, intret tamen in oratorium consueta cum fratribus hora; et si stare non potest jacens in matta velut in oratione psallat. Cui a vicino fratre stante insidietur tamen, ne dormiat. Si vero postea ex toto nihil laboraverit, unam quadram panis minus in annona sua accipiat, et potiones duas subductas. Et hoc tantum, quia vel ad opus Dei surrexit, [k] Quia nec justum est, ut otiosus frater contra laborantem fratrem, cui digni laboris merces debetur, æqualiter judicetur; et quia bovi trituranti non alligabitur os (*Deut.* xxv; *I Cor.* ix); sic et qui non laborat, si propter justitiam. [l] Jam si ex toto non manducat, vel pro tædii qualitate tantum manducet quantum laborans aut sanus, quia impotens, quia ad laborem proclamat se non posse, item ad manducandum judicetur non posse, quia utrumque non posse justitiæ convenit, et veram necessitatem ostendit. Si vero ad laborandum non possumus, et ad manducandum juste debere non posse. Per pigritiam enim otiosi gluttonis talis [m] agnoscitur ægritudo, cum ad laborandum suo ore præclamat se non posse, ad manducandum tacet illud non posse. Si sua non vult dicere, aliena mox incipiat lingua audire se ad manducandum [n] non velle nolle non posse : quia justitia hoc ostendit, [o] ut si in uno homine anima, venter, membra æqualiter conveniunt, sic et una necessitas in his tribus communiter debet sentiri; ut quod in sanitate tres istæ res supra dictæ communiter possunt, in necessitate, id est, in morbo, cum unum istorum nihil potest facere, ita et cætera.

[a] *Cedendum.* Id est permittendum.

[b] *Infirmis certa jejunia*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eodem 28.

[c] *Defessi.* In ms. Concordiæ, *prodefessi.* Sed, *pro*, apparet obliteratum. In cod. Corb. legitur, *perdefessi*, id est, multum defessi. Recta lectio.

[d] *Propter refectionis vitium edacitatisque.* Ita in cod. Concordiæ, ubi : *Vitium* et *que*, apparent addita alia scriptura. Itaque lege, ut in cod. Corb. et Vind. : *Propter refectionis edacitatem.* Ita etiam legit Smaragdus, qui hunc locum citat sine auctoris nomine.

[e] *Spiritus promptus, caro infirma.* Matth. xxvi in Vulgata versione : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* In textu tamen Græco non est verbum substantivum : Τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής, id est, *spiritus quidem promptus, caro autem infirma.*

[f] *Fratres ægrotos.* Hæc habentur in Regula ms. cod. Corb. eodem cap. 69.

[g] *Succus.* Lege : *Succum*, ut apud Smaragdum, id est, jusculum.

[h] *Viri tædiosi.* Lege : *Veri tædiosi*, ut in Reg. ms. tædiosi, hoc loco, id est, ægroti.

[i] *Somnique.* In Reg. ms. *Somnii*, tantum; sed lege, *somni*, et textus hoc modo rite procedet : *Nam in his talibus agnoscitur diabolus per excusationem tædii somni pigritiam ministrare;* tædii autem, id est, morbi, ut paulo ante tædiosi ægroti.

[j] *Lassitudini.* Hoc vocabulum redundat, nec habetur in codice Corbeiensi.

[k] *Quia nec justum est*, etc. Sensus est, quia injustum est, ut desidiosus frater æqualem portionem accipiat, cum eo qui laboravit.

[l] *Jam si.* Ita in Reg. ms.; sed particula *si* redundare videtur, ut sit sensus : *Sic et qui non laborat, si propter justitiam ex toto non manducat*, id est, *non manducare debet, vel*, id est, saltem, *pro tædii, seu morbi qualitate tantum non manducet, quantum laborans, aut sanus.*

[m] *Agnoscitur ægritudo.* Adde : *Mentiri*, ut in Reg. ms.

[n] *Non velle nolle non posse.* In Reg. ms., *velle nolle non posse.* Sed lege : *Nolle non posse;* tantum sensus est, cum est manducandum ejusmodi glutto tacet illud non posse. Id est, non dicit se non posse manducare, si non ipse profitetur sua lingua, aliena audiat lingua se ad manducandum nolle non posse, id est nolle carere desiderio et appetitu manducandi.

[o] *Ut si in uno homine*, etc. Hac ultima capitis parte nihil aliud dicit, quod si in sanitate unum trium istorum valet, ita et cætera; sic in necessitate, id est, in morbo, cum unum istorum nihil potest facere, ita et cætera.

sitate vero communiter agnoscitur simul non posse. Nam quare uni rei non posse permittat necessitas, [a] et aliæ [non] posse permittat, cum in uno hominis corpore anima, venter et membra separatim ipsam necessitatem sentire et sufferre non possunt : quia adhuc anima in nobis omnes sentit dolores, qua abscedente, quid passum fuerit mortuum corpus nescit sentire. O injustitiæ nefas! caput torquetur doloribus propter laborem, et venter non torquetur [b] propter dilectionem cibi, quasi in alieno corpore ipse venter sit positus.

§ XXVIII.— Ex Regula Patrum (*cap.* 11).

[c] Si quis ex fratribus pro jejunio vel operibus manuum suarum, quæ Apostolus præcepit : *Operantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* (*I Thess.* II ; *II Thess.* III). Is qui talis est monachus est dignus in omnibus. In his si fuerit aliquis infirmitate obsessus, providendus est ab eo qui præest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. [d] Quod si infirmus est animo hujuscemodi frater, [e] oportet eum frequentius operari, considerans Apostolum, qualiter corpus suum servituti redegit (*I Cor.* IX). Hoc autem observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

§ XXIX. — *Item ex alia* (*cap.* 12).

[f] Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, ut nullus monachus in infirmitate positus relicto monasterio [g] parentum suorum studio commendetur. Quia magis eum sæcularium spectaculorum visu aut auditu pollui censemus, quam ab ægritudine posse purgari.

[a] *Et aliæ non posse. Aliæ* pro *alii*, quemadmodum et, *alio* pro *alii* : ut supra notatum est. Tò *non* redundat, nec habetur in Codice Corbeiensi.

[b] *Propter dilectionem cibi.* Apud Smaragdum legitur : *Propter cibi distentionem.*

[c] *Si quis*, etc. Habetur in Regula Serapionis Macarii et cæterorum abbatum cod. Flor. et cod. Corb.

[d] *Quod si infirmitas est ex animo.* Maxime ob acediam, per quam nonnulli opinione et imaginatione sunt ægroti, quemadmodum et ii, qui, plusquam par est, sanitatis conservandæ studiosi ob nescio quos leves et pene quotidianos morbos inquietantur ; quos eleganter describit Petrus Blæsensis cap. 1 lib. in Job : « Illud præ cæteris multis materiam doloris importat, quod hodie viri religiosi et sancti Ordinis professores de ferculorum numerositate contendunt. Si invenerit religiosus circa se pulsum velocem, aut urinam intensam aut hebetem appetitum, consulit medicos, examinat species, electuaria facit, nullis utitur salsamentis, quæ non sint condita ex cinnamomo garyophyllo et nuce muscata. O quam odiosum est in homine, quod qui semper de hierarchia cœlesti debuerat loqui, de hiera picra et hiera Logadii disputare discit. Religiosus iste discipulus potius est Epicuri quam Christi. Hoc capiti, inquit, hoc oculis, hoc stomacho, hoc hepati nocet. Butyrum convertibilis est naturæ, cervisia ventos facit, caules melancholici sunt, porri choleram accendunt, pisa guttam generant, faba constipat, lentes excæcant, caseus universaliter est pessimus ; diu ad orationem stare nervos debilitat, jejunare cerebrum turbat, vigilare desiccat. Nunquid inveniuntur istæ differentiæ in Evangelio aut prophetis? Certe non habet hoc institutio D. Benedicti ; sed miseris hoc revelat caro et sanguis. » Hæc est sane doctrina hominum, quibus plus est negotii cum Æsculapio quam cum Christo, qui plus versantur in nosocomio quam in oratorio, qui multos annos languidi et inertes in monasterio non tam vivunt quam cum anima misere colluctantur ; Asæ regi Juda haud dissimiles, qui, ut scribitur II Paral. cap. XVI, cum vehementissimo pedum dolore conflictaretur : *Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in arte medicorum confisus est.* Itaque ejusmodi quotidiani morbi spernendi sunt, qui sæpe a dæmone excitantur, ut fervorem nostrum, si non omnino exstinguere, saltem tepefacere possit ; quibus si obsequi volumus, ut præclare monet S. Teresia a Jesu, vitæ religiosæ nuntium est remittendum. Non timendum est corpori, sed animæ. Nam, ut præclare monet S. Eucherius epist. ad Valerianum : « Major ægritudo est languere animam vitiis quam corpus morbis. »

[e] *Oportet eum frequentius operari.* Quia otiositas inimica est animæ, ait S. P. Benedictus ; et e contra assiduus labor ad impugnationes diaboli retundendas plurimum confert ; multumque etiam valet ad sanitatem corporis conservandam. « Si *quidem* ignavia corpus hebetat, labor firmat, » inquit Celsus *lib.* 1, cap. 10. Desidem ac torpentem monachum statim corporis invadit languor. Quare monasteriorum præfectus in id maxime incumbendum est, ut monachi, quantum vires eorum ferre possunt, semper in aliquo occupentur ; credendumque est ejusmodi laboris occupationem plus eis ad sanitatem prodesse quam medicos ; non secus ac militibus, de quibus hæc præclare notat Vegetius lib. II de Re Militari, cap. 2 : « Rei militaris periti plus quotidiana armorum exercitia ad sanitatem militum putaverunt prodesse quam medicos. »

[f] *Id etiam*, etc. Hæc habentur in tertia Reg. ms. cod. Flor. eodem cap. 12.

[g] *Parentum suorum studio.* Id etiam alterius Fructuosi Regula cautum est cap. 7 : « Et tanto ministerio foveantur, ut nec parentum effectus, nec urbium delicias requirant. » Id enim monacho periculosum, ut qui corporis sanitatem quæreret, animæ salutem perderet.

CAPUT XLVI.

[a] DE SENIBUS VEL INFANTIBUS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, [b] senum videlicet et [c] infantum, tamen et Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideminui incipiunt, juxta eorum mentem qui annorum hebdomadas percurrendo singulas hominis ætates numerant, ut videre est apud Macrobium, lib. I in somnium Scipionis, cap. 6.

[a] *De senibus vel infantibus.* Hoc titulo particula *vel* sumitur copulative, non disjunctive, quia caput agit de utrisque.

[b] *Senum.* Eorum ætas, juxta Varronem, anno sexagesimo incipit, ut Censorinus refert libro de Natali Die, cap. 14, aut sexagesimo secundo, quo vires

[c] *Et infantum.* Si stricte hæc vox, *infans*, sumatur, ab hac Regulæ indulgentia eos qui septimum

retur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio Regulæ teneatur [a] in alimentis; sed sit in eis pia consideratio,[b] et præveniant horas canonicas.

§ II. — Ex Regula Magistri (*cap.* 28).

[c] Infantuli [d] quarta, sexta et sabbato, in diebus tamen minoribus, hoc est, in hiemis tempore jejunent : aliis vero diebus ad sextam reficiant horam. In ætatis vero diebus quarta, sexta et sabbato infantuli sexta hora reficiant : aliis vero diebus tertia recreentur. Quia in majoribus diebus [e] minor est ætas in viribus, [f] sicut et sustinendi sensu discreta. Sed infantes ad hanc relaxationem tales permittimus, qui [g] intra duodecim annos degunt ætate. Ampliori vero qui fuerit, ad formam teneatur majorum. Nam

B

ætatis annum transgressi sunt, excludi necesse est. Nam primam ætatem, quæ est infantum, hoc annorum termino circumscripsit Hippocrates Cous medicus, quo, ut ait Macrobius capite citato, dentes, qui primi emerserant, aliis aptioribus ad cibum solidum nascentibus cedunt, et plene absolvitur integritas loquendi. Idem docet Moscopulus de Schedis ex eodem Hippocrate παιδίον μὲν ἄχρις ἑπτὰ ἐτέων, ὀδόντων ἐκβολῇ, id est, « infans quidem usque ad septem annos missis dentibus. » Sed B. Pater Benedictus non ita stricte hoc vocabulum sumpsit, secutusque est Varronis sententiam, qui pueros ab infantibus non distinguit, eorumque ætatem usque ad quintum decimum annum protrahit, ut refert Censorinus loco citato. Quod manifeste patet ex cap. 70 Regulæ : « Infantibus vero usque ad quintum decimum annum ætatis disciplinæ diligentia et custodia adhibeatur ab omnibus. » Sed si velimus Regulam percurrere, liquido constabit nullum discrimen inter duo hæc nomina ab eodem Patre Benedicto statui cap. 30, ubi pueros excommunicationi subjici vetat : « Ideoque, quoties pueri vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, » etc.; quo in loco non est dubium quin loquatur etiam de infantibus. Idem patet ex capitibus 39, 59, 63. Porro de ætatibus quæ facilius difficiliusve famem ferunt, hæc docet Hippocrates libro 1 Aphor., aphor. 13 : Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθιστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. Id est : « Senes patientissime inediam ferunt, secundo ii qui sunt constantis ætatis, postea adolescentes, minime omnium pueri. » Sed hic locus de his senibus intelligendus est quibus est cruda viridisque senectus, non de iis qui sunt senectute confecti, qui famem minime ferunt, ut docet Cornelius Celsus libro 1 de Re medica, capite 3 : « Quod ad ætates vero pertinet, inediam facillime sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri, et senectute confecti, » de quibus intelligendus est hic sancti Benedicti locus. Itaque senes vegeti, qui patientissime inediam tolerant, non sunt a jejunio eximendi.

[a] *In alimentis.* Non quoad quantitatem, quia cap. 39 Regulæ eamdem cibi et potus mensuram pueris perinde ac grandioribus distribui vetat : quia angustior eorum stomachus tot cibos concoquere non valeret; sicut nec frigidior senum stomachus, cujus calor nativus nimia cibi copia exstingueretur, ut docet Hippocrates aphorismo seq. Itaque hic de qualitate alimentorum quæstio est : ita ut succulentiores et delicatiores cibi eis apponantur, ut stomachus recreetur; quod viliores cibi minime præstare possent, ut S. Fructuosus archiepiscopus Bracarensis, cap. 24, præcipit de senibus : « Cibi tamen quibus reficiuntur teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur.

[b] *Et præveniant horas canonicas.* Hunc locum ita

justo judicio infantuli, et senio provecti, et infirmi æquali debent refectionum judicio relaxari.

§ III. Ex Regula sancti Cæsarii episcopi (*cap.* 5).

[h] Servum proprium nulli nec abbati liceat in servitio suo habere : sed, si opus habuerit, in solatium suum de junioribus accipiat. Et si potest fieri, aut difficile, aut nullus unquam in monasterium infantulus parvulus, nisi ab annis sex aut septem, qui jam et litteras discere, et obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filii, sive ignobilium, ad nutriendum aut [i] ad docendum penitus non accipiantur.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 8).

Qualiter debeant senes gubernari in monasterio.

[j] Solent plerique novitii senes venire ad monasterium, et multos ex his cognoscimus [k] necessitatis

enarrat Smaragdus : « *Præveniant*, dicit, *horas canonicas*, id est : Si fratres sexta comedunt, illi hora tertia reficiant; si fratres nona, illi sexta cibum accipiant. » Magister hic citatus idem ferme dicit, nec ullam tertiæ saltem refectionis mentionem facit, sed tantum præventionis horarum, modo sextæ, modo nonæ. Hæc quidem explicatio stricta est, et juxta horum Patrum praxim : ita tamen ut bis quotidie reficiant; alioqui ejusmodi anticipatio eis parum prodesset. Sed S. Fructuosus, cap. 6 Regulæ, addit tertiam et quartam refectionem infantibus hoc modo : « A sancto Pascha usque ad Kalendas Octobres manducent per singulos dies quatuor vices, ab octavo Kalend. Octob. usque ad Kalendas Decembres tres vices, a Kalendis Decembribus usque ad sanctum Pascha, in potestate sit ipsius cellararii. »

[c] *Infantuli*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Cod. Corb. eodem capite circa medium.

[d] *Quarta sexta.* Supple *feria.*

[e] *Minor est ætas in viribus.* Id est, ætas hominis minus virium habet.

[f] *Sicut et sustinendi sensu discreta.* Id est, sustinendi facultate distincta, quia omnis ætas non habet easdem sustinendi jejunia vires.

[g] *Intra duodecim annos.* Ita in Regula ms. et cod. Vind. Apud Smaragdum legitur, *Intra quindecim annos.* In margine, al. *duodecim.*

[h] *Servum proprium.* Hæc reperire est in Regula S. Cæsarii excusa in fine capitis quarti, usque ad illa verba, *Et si potest fieri*, a quibus incipit caput quintum ejusdem Regulæ : nec a S. Cæsarii mente abest S. Benedictus, qui nullos abbati servos assignavit, sed in coquina abbatis et hospitum duos monachos ad annum ministrare voluit.

[i] *Ad docendum.* Hac institutione monachorum tranquillitati consulitur. Idem statuitur Addit. 1 Capitularis Ludovici imperatoris, tit. 45 : *ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Contrarius tamen usus videtur in epistola synodica Theodulfi episcopi Aurelianensis, n. 19 : « Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in ecclesia S. Crucis aut in monasterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris iis cœnobiis quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam concedimus. » In monasterio Fuldensi scholæ fuerunt, ut videre est apud Browerum, cap. 9, lib. 1, Antiq. Fuldensium; in monasterio S. Galli, ut constat ex Ekkeardo juniore libro de Casibus monasterii S. Galli, et ex Actis S. Notkeri et S. Udalrici episcopi Augustani, et in multis aliis.

[j] *Solent plerique.* Hæc habentur quidem in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed cap. 24, quod mihi dubitandi locum præbet an sit alterius Fructuosi.

[k] *Necessitatis imbecillitatem.* Paulo post legitur : *Ob religionis obtentu;* sed transferendo præpositio-

imbecillitatem polliceri [a] pactum, non ob religionis obtentu. Cum tales reperti fuerint, acrius necesse est arguantur : et inter cætera [b] instrumenta, nisi ad interrogata non loquantur. Habent enim et ipsi consuetudinem mores pristinos nunquam abhorrere, et ut olim fuerunt docti, vanis fabulis evagari. Et cum forte ab aliquo fratre spiritali corriguntur, continuo in iracundiam prosiliunt, et per diuturnum tempus tristitiæ morbo stimulantur; et a rancore malitiæ penitus non desistunt. Et cum frequenter et immoderate in tali vitio dilabuntur, tristitia cum deserit, solita consuetudine in fabulis et risu frena laxantur. Proinde cum tali cautione in cœnobio introducantur, ut die noctuque non fabulis evagentur, sed singultu et lacrymis, cinere et cilicio versentur, et retroacta peccata cum gemitu cordis pœniteant, et pœnitendo ulterius non committant. Et quantum habuerunt in peccando pravam suæ mentis intentionem, [c] duplum habeant in lamentando plenam devotionem. [d] Quia per LXX et eo amplius annos [e] arrupte peccaverunt, et ideo congruum est ut arcta pœnitentia coerceantur. Quia et medicus tanto profundius vulnera abscidit, quantum putridas carnes videt. Tales ergo per pœnitentiam veram corrigantur [f] ut si noluerint, excommunicatione continuo emendentur. Quod si bis sexies admoniti, ab hoc vitio non fuerint emendati, deducantur in conventu majorum, et ibidem denuo discutiantur. Et si se corripere non permiserint, foras projiciantur. Eos vero senes, quos quietos, simplices et obedientes, [g] in oratione frequentes, et tam propria quam aliena peccata deplorantes et quotidie de vita periclitantes, et Christum semper in ore habentes [h] [si] secundum vires otio non vacantes, et non suo, sed majorum arbitrio pendentes, et propinquitatis affectum perfecte deserentes, et cuncta, quæ possident non suis, sed Christi pauperibus erogantes, et nihil sibimet servantes, et dilectionem Dei et proximi tota mente et fortitudine tenentes, et die noctuque in lege Domini meditantes esse cognoscimus, pia miseratione sicut infantulos foveri, sicut patres honorari mandamus : ita ut a pistrino et coquinarum vice excusentur, ab agro et duro labore quieti, [i] vacentur, excepto quod aliqua leviora opera eis injungantur, ne fessa ætas ante tempus frangatur. Cibi tamen quibus reficiuntur, teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur, et carnes et vinum propter imbecillitatem moderate eis præbeantur; et omnes ad edendum in una mensa copulentur, æqualiter cibo et potu uno reficiantur. Vestimentum vero et calceamentum sic eis præbeatur; ut [j] absque foco frigoris ab eis asperitas arceatur.

§ V. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 6)

[k] Eligatur cellararius bonæ patientiæ probatus, quem communis elegerit [l] collatio, et ab omni excusetur monasterii servitio et [m] coquinæ officio, ita ut semper cellarium teneat propter ipsos parvulos, senes, infirmos vel hospites. Si major fuerit congregatio, junior ei detur pro ipsò servitio discurrendo, qualiter ipsi infantes ab ipsius imperio ad horas congruas copulentur, et accipiant alimentum. A sancto Pascha usque ad Kalendas Octobres mandúcent per singulos dies quatuor vices, [n] ab [octavo] Kalendis Octobribus usque ad Kal. Decembres tres vices. A Kalendis Decembribus usque ad sanctum Pascha in potestate sit ipsius cellararii. Cæterum vero sic instituántur, ut absque benedictione et imperio nihil in ore suo mittere debeant. Qui et ipsi infantes suum habeant decanum, [o] qui plus de eis intelligit [p], ut Regulam super eos observet; et ab eo semper admoneantur, ne aliquid absque regula faciant aut loquantur, ne in mendacio, furto vel perjurio deprehendántur. [q] Quod si in aliquo; quæ diximus, deprehensi fuerint, continuò ab ipso decano virga emendentur. Et ipse cellararius eis pedes et vestimenta lavet. Et quáliter in sanctitate proficiant, cum omni intentione edoceat : ut a Domino plenam remunerationem accipiat, et veritatis præcepta dicentis audiat, qui sit : *Sinite parvulos venire ad me*, [r] *ne prohibeatis eos*, [s] *talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* IX; *Marc.* X; *Luc.* XVIII).

nem *ob*, hic locus ita legendus est : *Ex his cognoscimus ob necessitatis imbecillitatem polliceri pactum, non religionis obtentu* : necessitas hoc loco est morbus, senilis videlicet, juxta illud poetæ :

. . . . Subeunt morbi, tristisque senectus.

[a] *Pactum*. Est monastica professio, seu votum.

[b] *Instrumenta*. Id est : *instructiones*.

[c] *Duplum habeant in lamentando plenam devotionem*. Hæc desunt in Regula ms.

[d] *Quia per* LXX *annos*. Ita etiam legitur in Regula ms.; sed hoc admiratione dignum.

[e] *Arrupte*. Ita etiam in Regula ms.; id est, continuo, sine interruptione.

[f] *Ut si*. Id est : *Ita ut si*.

[g] *In oratione frequentes*. Ita in Regula ms. Apud Smaragdum legitur : *In oratione frequenter assistentes*.

[h] *Si secundum*. Tò *si* redundat.

[i] *Vacentur*. Ita in Regula ms. In cod. Vind., *vacent*.

[j] *Absque foco*. Cum nempe erunt in templo et opere quovis.

[k] *Eligatur cellararius*. Hæc non exstant in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass., sed arbitror esse alterius Fructuosi.

[l] *Collatio*. Id est, congregatio.

[m] *Coquinæ officio*. Excusat tantum eum S. Benedictus ab hoc officio, si major est congregatio.

[n] *Ab octavo Kalendis Octobribus*. Tò *octavo* redundat. Lege, *a Kalendis Octobribus*. Nam paulo ante dixit, *usque ad Kalendas Octobres*.

[o] *Qui plus de eis intelligit*. Lege, *intelligat*, ut in cod Vind.; id est, qui sit magis sollicitus super eos quam cæteri monachi.

[p] *Ut regulam*. Id est, disciplinam, ut paulo post, *ne aliquid absque regula faciant*. Id est, disciplina.

[q] *Quod si in aliquo quæ diximus*. Supple, *eorum*. Phrasis Græcâ.

[r] *Ne prohibeatis eos*. Lege, ut in textu Evangelii Marci X, *Et ne prohibeatis eos*.

[s] *Talium est enim regnum cœlorum*. Ex Matth. XIX, ubi ita legitur. Nam Marci loco citato et Lucæ XVIII habetur, tam in Latino quam in Græco, *talium est enim regnum Dei*. Ita ut auctor videatur locum citasse ex memoria, non ex codice.

§ VI. — Item ex Regula sancti Isidori (*cap.* 13 [a]).

Hi autem, qui vetustate corporis consumpti, aut tenera ætatis fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis exercendi jejuniis. Ne aut senescens ætas, antequam moriatur, deficiat, aut crescens priusquam proficiat, cadat : et ante intereat, quam bonum facere discat.

§ VII. — Item ex Regula Magistri [b].

Infantuli vero intra duodecim annos non solum nullo tempore in via jejunent : sed etiam nullo die jejuni de monasterio egrediantur, duntaxat si in proximo non mittuntur, unde ante tertiam in æstate, aut ante sextam in hieme exspectentur, in quibus horis constitutum est eis debere reficere.

§ VIII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 24).

Infantes in monasterio quanta cura et disciplina sint nutriendi, multis didicimus documentis. Debent A enim nutriri cum omni pietatis affectu et disciplinæ ministerio, ne desidiæ vel lasciviæ vitio sub tenera ætate maculati [c] aut vix aut nullatenus possint postea corripi. Sit ergo in eis tanta cura, [d] ut nunquam sine seniore huc atque illuc liceat deviare ; sed semper [e] ab eis disciplinæ retenti, et timoris Dei ac amoris doctrina imbuti ad cultum instruantur religionis. Habeant lectionis usum, ut sub puerili ætate discant [f] quod ad perfectam deductam proficiant. In refectorio per se mensam habeant juxta seniorum mensam positam. Seniores tamen vel duo, seu amplius, de quorum religione non dubitatur, cum eis sedeant : ut semper timore antepositio sub metu seniorum nutriantur. Quibus vero horis reficiant, vel somnum capiant, abbatis arbitrio B pensandum est, ut in omnibus virtutum [g] custodia discretio reperiatur.

[a] Cap. 11 Regulæ excusæ.

[b] Ex cap. 59 Reg. ms. cod. Corb.

[c] *Aut vix aut nullatenus possint postea corripi.* Cum a pueritia correctioni haud assueti, grandiores facti jugum pati nesciunt, et jam in prava consuetudine obduruerunt et occalluerunt. Quamobrem, dum tenera est ætas, ad virtutem flectenda est.

> Ucum et molle lutum es : nunc nunc properandus et
> Fingendus sine fine rota..... (acri

inquit Persius sat. 3.

[d] *Ut nunquam sine seniore.* S. Fructuosus, cap. 4 : « Qui et ipsi infantes suum habeant decanum. »

[e] *Ab eis disciplinæ.* Lege, *ab ejus disciplina.*

[f] *Quod ad perfectam deductam perficiant.* Locus corruptus, ita tamen castigandus, si legas : *Quod ad perfectam ætatem deductis proficiat.*

[g] *Custodia.* Ita correxi ex codice Vind. Custodia sane virtutum discretio est, quæ ubi modum excesseris, illico pereunt. Optima ergo discretio, et modus optimus, ut monet eleganter Phocylides :

> Μέτρα μὲν φάγειν καὶ πίειν, καὶ μυθολογεῖσθαι.
> Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλιτεῖν.

Id est, « Moderate cibum potumque sumas et loquaris. Modus autem optimus, excessus autem vitandus est. » Et Hippocrates lib. II Aphor., 4 : « Οὐ πλησμονὴ, οὐλιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ. Id est, « Neque satietas, neque abstinentia cibi, neque aliud quidquam bonum est quod supra naturam fuerit. »

CAPUT XLVII.

DE HEBDOMADARIO LECTORE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. Nec [b] fortuitu casu, qui arripuerit codicem legere audeat ibi : sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post missas, et communionem petat ab omnibus pro se orari ; ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis, et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus [c] ipso tam C convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim animæ ædificantur ad bonum, et fabulæ non necessariæ prohibentur. » Fuit et mos antiquorum paganorum. Spartianus in Ælio Vero : « In conviviis tragœdias, comœdias, Atellanas, sambucas, lectores pro re semper exhibuit. »

[a] *Mensis fratrum edentium.* Lectio in mensa statuitur, ut mens Dei verbo sagineturet verba futilia, jurgia, rixæ et detractiones vitentur. Hæc semper valuit consuetudo in monasteriis, ut patet ex auctoribus hic citatis. Ejus etiam mentio fit in Regula Pauli et Stephani, cap. 19 : « Reficientes cum gratiarum actione et timore Dei lectiones audiamus. » Idem decernitur in Regula S. Augustini, cap. 5 : « Cum acceditis ad mensas, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contentionibus audite : ne solæ vobis fauces sumant cibum ; sed et aures percipiant Dei verbum. » In Regula Tetradii, cap. 9 : « Ad mensam, dum manducant, nullus loquatur : sed unus legat D quemcunque librum, ut sicut corpus reficitur tantum cibo, ita anima reficiatur Dei verbo : sic dicit Dominus : *Non* autem *solo pane vivit homo*, sed *ex omni verbo Dei*. Qualis est terra sine pluvia et caro sine cibo, talis est anima, si non reficiatur Dei verbo. » Et in Regula S. Cæsarii, quæ est sanctimonialium, cap. 16 : « Sedentes ad mensam taceant, et animum lectioni intendant. » Id etiam fuit a clericis usitatum ex sanctorum canonum præscripto, ut statuitur in concilio Toletano V, can. 7 : « In omni sacerdotali

[b] *Fortuitu casu.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. et S. Victoris atque etiam in cod. S. Ebrulphi cum Kerone. Optima lectio si interposita copula, quæ sane scriptorum incuria videtur intercidisse, legas, *fortuitu et casu*, idem quod, *casu et fortuitu*, apud Tullium lib. I de Divinatione, et Auctorem ad Herennium. *Fortuitu*, idem quod forte et fortuito ; de quo Priscianus lib. XV. Vulgo legitur, *fortuito casu*. Sed hæc lectio ex deperditæ copulæ occasione nata est, cum pro *fortuitu* scriptum fuit *fortuito*.

[c] *Ipso tamen incipiente.* Ruthardus putat prius integrum versiculum dicendum esse ab ingrediente ; deinde ter repetendum a choro, quia cap. 35 ita sit S. Benedictus : Subsequatur ingrediens et dicat, *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus. » Non contemnenda expositio. Ita ut hoc loco, *incipere* idem sit quod *prius dicere*.

men incipiente: *Domine, labia mea aperies, et os meum* [a] *annuntiabit laudem tuam*; et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam, [b] ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus [c] sic sibi vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit [d] sonitu cujuscunque signi potius petatur quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione aut [e] aliunde quidquam [f] requirere [g] ne detur occasio; [h] nisi forte prior pro ædificatione voluerit aliquid breviter di-

Annuntiabit laudem tuam. In parvo codice ms. Victorino hæc sequuntur: « Hunc versum sequuntur a priore dicendi tres versiculi. *Mittat tibi Dominus auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tueatur te. Convertere, Domine, aliquantulum.* ℟. *Et deprecabilis esto super servum tuum. Dominus custodiat introitum tuum.* ℟. *Et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Sequitur oratio. *Averte, quæsumus, omnipotens Deus, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, et cor ejus divinis instrue lectionibus, quatenus te opitulante mereatur perficere officium.* » Hanc benedictionem seu collectam paulo aliter tradit Smaragdus, « Quæ collecta, inquit, hoc modo, si placet lectori, a sacerdote ante altare detur missa peracta, dicaturque: *Averte, quæsumus, Domine, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, ut humiliter legens, sensum et intellectum capiat lectionis.* »

[b] *Ut nullius mussitatio vel vox*, etc. Epitome (*) Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti: « Et sicut dicit Regula, nullius vox ibi audiatur, nisi solius legentis. » Summum antiqui illi Patres in mensa silentium, summam in mensis modestiam requirebant, ita ut nec loqui, nec nugari, nec leve murmur edere liceret. Pœnæ breviores monachorum delinquentium inter scripta sancti Basilii. Art. 17: Εἴ τις ἐν τραπέζῃ ἰσθίων φλυαρεῖ, ἐγειρίσθω εἰς προσευχήν. « Si quis in mensa comedens nugatur, surgat ad orationem. » Regula S. Pachomii ab angelo dictata apud Palladium, cap. *de Tabennesiotis:* Οὐκ ἔστι λαλῆσαι ἰσθίοντα, οὐδὲ ἐκτὸς τοῦ πίνακος, ἢ τραπέζης ἀλλαχοῦ προσέχειν τῷ ὀφθαλμῷ· id est, « Non licet loqui vescentem, nec alio extra discum vel mensam oculum jactare. » Regula Tetradii, cap. 9: « Ad mensam, dum manducant, nullus loquatur. » Regula S. Cæsarii, cap. 16: « Sedentes ad mensam taceant. S. Columbanus in Pœnitentiali: « Si locutus fuerit comedens, non necessitate alicujus fratris, sex percussionibus. » Supple, *emendetur*. Et paulo post: « Qui pertunderit cultello mensam, decem percussionibus emendetur. » Et infra non procul a fine: « Qui comedens loquens, sex plagis. Et cujus vox obstrepit de mensa ad mensam, VI plagis. » Additio I Capitularis Ludovici imperatoris, tit. 41: « Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a priore veniam petat. » Unde præclare monet Regula Pauli et Stephani, cap. 19: « Non cum contentione, et murmuratione et indignatione, et clamosis vocibus et strepitu pedum et sono vasorum donum Dei, sed cum charitate et quiete et dulcissimo disciplinæ freno sumamus, metuentes Israelitarum exempla carnalium, quibus manducantibus ad saturitatem angelorum panem et coturnicum carnibus, usque ad nauseam ore repleto, murmurantibus, ira Dei ad exterminandum dirigitur. »

[c] *Sic sibi vicissim.* Ita cod. S. Faronis cum S. Dunstano, Smaragdo et editionibus Coloniensi et Colinæi: quæ posterior non habet τὸ *sibi*. Codex S. Germ. ma. cum Victorinis legit, *vicibus*. Turrecremata cum aliquot recentioribus excusis habet, *invicem*.

[d] *Sonitu cujuscunque signi.* Ita vulgo habetur. Editio Colinæi legit, *cujuspiam*. Major Codex S. Victoris habet, *sonitus alicujus signis*. Quæ quidem lectio non est contemnenda. Praxis hujus sanctionis videtur apud Ekkeardum juniorem, cap. 2 lib. de casibus monasterii S. Galli: « Milo Elewangensis (abbas) cochlearium sibi afferri signo fecit. »

[e] *Aliunde.* Id est, de alia re. Familiare est S. Benedicti adverbia loco nominum ponere.

[f] *Requirere.* S. Dunstanus legit, *referre*.

[g] *Ne detur occasio.* Ita Smaragdus et editio Coloniensis. Cod. vero mss. S. Germ., Far. et Ebrul., habent, *nec detur occasio*, ut sensus sit: nec detur occasio inquirendi de ipsa lectione. S. Dunstanus, Turrecremata, et vetus editio Colinæi habent, *ne detur occasio maligno*, id est, dæmoni, ut excitet fratres ad confabulandum in mensa.

[h] *Nisi forte prior.* Prior hoc loco abbatem significat, et omnibus Regulæ locis, ubi hæc vox singulariter et absolute, non respective ponitur. Qui etiam dicitur Pater monasterii, is videlicet, cui cæteri monachi subjiciuntur, ipse vero nulli. Cap. 6: « Et ideo, si quæ requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiæ requirantur. » Quod hic locus sit de abbate intelligendus patet ex cap. 33: « Omnia vero necessaria a Patre monasterii sperare, nec quidquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiserit. » Cap. 7: « Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur dicens. » Cap. 13: « Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a priore propter scandalorum spinas. » Cap. 20: « Et facto signo a priore omnes pariter surgant. » Cap. 4: « Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis plus poposcerit, in arbitrio prioris consistat. » Quod hic locus intelligatur de abbate, liquido constat ex cap. 39: « Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere. » Cap. 43: « Et si cui offertur aliquid a priore. » Cap. 53: « Jejunium frangatur a priore propter hospites. » Unde postea subjungit: « Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes autem hospitibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet. » Et in eadem significatione sumit Lupus Ferrariensis, epist. 29: « Quod nusquam fieri aut tutius aut melius potest quam in monasterio, ubi sic libertas voluntatis propriæ pro Dei amore, quod est laboriosissimum, reseceatur, ut ex arbitrio prioris subjectorum actio cuncta formetur. » Joannes monachus, lib. II Vitæ S. Odonis: « Cui e contra Odo Pater protulit præceptum Regulæ, in quo continetur quod absque licentia prioris nihil monacho liceret facere, » ubi prior appellatur, qui cap. 67 Regulæ abbas dicitur. Sic in Regula S. Cæsarii prior sumitur pro abbatissa. Cap. 3: « Ei ergo quæ convertitur non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius approbata: sed uni ex senioribus tradita annum integrum in eo, quo venit, habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate prioris, et quomodo personam vel compunctionem viderit, ita vel celerius, vel tardius temperare. » Et sane luce meridiana clarius est hic priorem sumi pro ea monasterii antistita, quam ipse Cæsarius passim in eadem Regula abbatissam appellat. His accedit quod prior sumitur pro duce, principe, sive eo qui præest. Novella 117 Justiniani, cap. 11, Πρίορες ἀριθμοῦ, id est, priores numeri. Et priores loci appellantur alicujus terræ domini lib. IX legis Wisigothorum, tit. 1, l. 8: « Ad cujus domum venerit fugitivus, prioris loci illius villicus atque præpositus quibuscunque testatur. » Ubi præpositus subjicitur priori. Et in epistola episcoporum Galliæ, quæ exstat 44 apud Lupum Ferrariensem, *Nomenoio priori gentis Britannicæ salutem*. Erat enim ille dux Britonum, et priocipatum in-

(*) Hæc epitome est media pars Memorialis, quomodo in monasterio conversandum sit, in cod. ms. S. Victoris.

cere. [a] Frater autem hebdomadarius [b] accipiat mixtum, priusquam incipiat legere [c] propter communionem sanctam, [d] et ne forte grave sit ei jejunium sustinere : postea vero cum coquinæ [e] hebdomadariis et servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 30).

[f] Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, [g] nisi qui præest, [h] vel qui interrogatus fuerit.

§ III. — Item sancti Pachomii (*cap.* 29 [i]).

Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, et operient capita.

§ IV. — *Item ejusdem* (*cap.* 30).

[j] Statimque cum tibi a majore fuerit imperatum, ut de alia mensa ad aliam [k] transire debeas, in nullo penitus contradicens : [l] nec audeas ante præpositum domus tuæ manum in mensam extendere, [m] nec circumspicias vescentes alios.

§ V. — Item ejusdem (*cap.* 31).

Unusquisque præpositorum docebit in domo sua quomodo debeant [n] cum disciplina, consuetudine comedere. Quod si aliquis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendo, aget pœnitentiam, et in eodem loco protinus increpabitur, [o] stabitque, donec alius surgat de vescentibus.

§ VI. — *Item ejusdem* (*cap.* 33).

[p] Si aliquid necessarium fuerit in mensa, [q] nemo audebit loqui, sed ministrantibus [r] signum sonitu dabit.

---

vaserat. Dicuntur etiam priores regni primates, magnates, summates illius. S. Gregorius Turon. Hist. Franc. cap. 9 : « Post hæc Rauchingus conjunctus cum prioribus regni Chlotharii filii Chilperici. » Hodie tamen prior sumitur pro monasterii præposito, qui est post abbatem secundus. Et ita sumitur a Lanfranco, cap. 3 Decretorum : « Servata abbati in omnibus reverentia prior, qui Præpositus in Regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei. »

[a] *Frater autem hebdomadarius.* Mss. S. Germ., S. Far. et S. Ebrul. cum S. Dunstano et Smaragdo legunt, *Frater autem lector hebdomadarius.* Ita etiam editio Colinæi, quæ tamen particulam *autem* omittit. In vulgatis τὸ *lector* desideratur.

[b] *Accipiat mixtum.* Smaragdus hunc locum ita exponit : « Quod dicit *accipiat mixtum* panis intelligitur simul et vinum. In multis enim provinciis panis tantum et vinum quod super altare offertur, mixtum vocatur. Ita etiam explicat Ruthardus; Kero aliter : *mixtum merodsc. poculum.* Mixtum ad verbum est vinum aqua dilutum, quod mero opponitur. Jocus Martialis in Ravennam, ubi, ut cum Sidonio Apollinari loquar, ob aquas paludosas, sitiunt vivi, natant sepulti.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennæ,
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Græcis κρᾶσις. Suidas : κρᾶσις μῆξις οἴνου καὶ ὕδατος, id est mixtio vini et aquæ. De mixtione vini et aquæ, qua primus usus est Amphictyon rex Athenarum a Baccho edoctus, vide Athenæum, lib. II.

[c] *Propter communionem sanctam.* Smaragdus hunc locum enarrans ait : « *Propter communionem sanctam* dicit, ne aliquid inde sumptum excreans projiciat in sputo. » Recte, meo quidem judicio. Quod confirmatur ex Regula Magistri, cap. 24 : « Et ipse (lector) similiter suum merum propter sputum sacramenti accipiat. Sic S. Joannes Chrysostomus, ut screatum cohiberet, divinis mysteriis celebratis, cum vestibus sacris exueretur, pastillum comedere solebat; et eo nomine accusatus est ab adversariis, ut scribit Nicephorus cap. 9, lib. XIII, et hoc fuit vigesimum octavum caput accusationis ipsius, ut videre est in Bibliotheca Photii, n. 59, in synodo ad Quercum contra eum celebrata, Εἰκοστὸν ὄγδοον, ὅτι ἐν θρόνῳ ἀποδύεται καὶ ἐνδύεται, καὶ πάστιλον τρώγει· id est, « Vigesimum octavum, quod in throno exuitur et induitur, et pastillum edit. »

[d] *Et ne forte grave sit ei jejunium sustinere.* Duas affert causas sumendi mixti a lectore. Prima est propter sputum, secunda propter jejunium.

[e] *Hebdomadariis et servitoribus.* Per hebdomadarios, eos qui coquunt intelligit; per servitores, eos qui mensis ministrant. De quibus hæc verba sunt intelligenda, *sic sibi invicem ministrent fratres.* De servitorum refectione hæc statuuntur prima additione Capitularis Ludovici imp., tit. 28 : « Ut servitores non ad unam mensam sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur: quibus eadem lectio, quæ fratribus, recitetur. » De lectore vero hæc in eadem additione tit. 29 constituuntur : « Ut lectori nihil, nisi quod regula jubet, detur. »

[f] *Ad mensam autem.* Hæc reperiuntur in fine secundæ Regulæ codicis Floriacensis, cujus initium est : *Cum resideremus in unum*, et tertia Regula ejusdem codicis circa medium, cujus initium est : *Cum in nomine Domini;* iisdem plane verbis.

[g] *Nisi qui præest.* Ut dicat aliquid ad ædificationem.

[h] *Vel qui interrogatus fuerit.* Ab eo qui præest.

[i] Art. 11.

[j] *Statimque.* Hoc capitulum, sicut et sequens, in Regula S. Pachomii excusa conjungitur cum superiori, ita ut ex his tribus unum tantum fiat.

[k] *Transire debeas.* Hæc sunt corrupta, et ita ex cod. Vind. et Regula S. Pachomii castiganda : *Ut de una mensa ad aliam transeas, ire debebis.*

[l] *Nec audeas ante præpositum.* In Regula edita S. Pachomii legitur : *Nec ante præpositum domus tuæ manum in mensa extendas.*

[m] *Nec circumspicias vescentes alios.* In Regula S. Pachomii ab angelo dictata apud Palladium cap. *de Tabennesiotis* : Ἐσθίοντες τὰς κεφαλὰς κυμπτέτωσαν τοῖς κουκουλλίοις, ἵνα μὴ ἀδελφὸς ἀδελφὸν μασσάμενον ἴδῃ. Id est, « Comedentes capita operiant cucullis, ne frater fratrem comedentem videat. » Sed quid sibi velit verbum, κυμπτέτωσαν, id est, inclinent, non video. Certe legendum, καλυπτέτωσαν, id est operiant. Idem statuit B. Isaias abbas orat. 3 : « *Inter vescendum oculos tuos in proximum ne converteris.* » Idem servabant monachi Ægyptii, apud Cassianum lib. IV de Instit., cap. 17. Et sano quidem consilio. Nam qui alium comedentem respicit, aut invidet abstinenti, aut comedentem despicit.

[n] *Cum disciplina consuetudine.* In Regula excusa legitur, *cum disciplina et consuetudine.* In cod. Vind. legitur, *et mansuetudine.* Recta lectio.

[o] *Stabitque donec alius surgat de vescentibus.* Locus corruptus, et ita ex Regula edita castigandus : *et stabit, donec alii surgant de vescendo.* Et sensus est, qui deliquit in mensa, stet, donec conventus surgat. Supra vidimus in Regula S. Pachomii hanc mulctam irrogari monachis delinquentibus, ut ipsi in refectorio, aliis sedentibus, stent.

[p] *Si aliquid.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa art. 12.

[q] *Nemo audebit loqui.* Idem statuitur in Regula S. Pachomii ab Angelo dictata apud Palladium, capite de Tabennesiotis, οὐκ ἔστι λαλῆσαι ἐσθίοντα, id est, « vescenti loqui non licet. »

[r] *Signum sonitu dabit.* Recta lectio. In Regula excusa *signi sonum dabit.* Male. In Regula orienta-

§ VII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 25).

[a] Refectorium pariter cunctis fratribus unum erit. Ad singulas mensas deni convescentes resideant. Reliqua turba parvulorum astent. Tempore convescentium fratrum omnes disciplinæ gerant silentium, obtemperantes Apostoli præceptis, qui dicit : *Cum silentio operantes, suum panem manducent* (*II Thess.* III). Unus tamen in medio residens, [b] benedictione accepta, de Scripturis aliquid legat, cæteri vescentes tacebunt lectionem intentissime audientes [c] ut sicut corporalis cibus refectionem corpori præstat, ita mentem [d] spiritalis sermo reficiat. Nullus ad mensas clamor excitetur. Soli tantum præposito sollicitudo maneat in his, quæ sunt vescentibus necessaria. [e] Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat; neque aliud quam cæteri [f] neque cultius, quam ea quæ in commune consistunt, præparari sibi quippiam expetat. Sicque fiat, ut dum præsens est, omnia diligenter administrentur : et dum communia sunt, salubriter et cum charitate sumantur. Æqualia quippe erunt [g] mensarum omnium fercula, simillimisque alimentis cuncti reficiendi sunt fratres. Quidquid præsens refectio dederit omnes sine murmuratione percipiant : neque id desiderent, quod edenti voluptas appetit, sed quod naturæ necessitas quærit; scriptum est enim : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*II Cor.* VII).

§ VIII. — Ex Regula sancti Fructuosi episopi (*cap.* 5).

[h] Cum hora nona ad vescendum convenitur, dicto psalmo residentibus aliis [i] unus legat in medio, in cibo sit strepitus nullus. Nemo comedens loquatur. Si quid deest in mensa, is qui præest, signo dato vel nutibus silenter petat, et indicet ministranti, quid inferri, vel quid auferri sit a mensa necesse. Priusquam ad mensam conveniant, præcedat oratio. Postquam a mensa surrexerint, sequatur oratio. Nec ante quisquam alicubi præsumat progredi, quam coram [j] altario Christo gratiarum resolverit actiones.

§ IX. — Ex Regula sancti Aurelii episcopi (*cap.* 18 [k]).

Sedentes ad mensam quotidie omni tempore, dum cibus sumitur, legatur : ut uterque homo, exterior cibo, interior verbo Dei reficiatur : quia scriptum est : *Non in solo pane vivit homo : sed in omni verbo Dei* (*Luc.* IV).

§ X. — Ex Regula beati Cassiani (*cap.* 16 [l]).

Reficientibus autem fratribus sanctæ lectiones ad mensam legantur propter superfluas et otiosas fabulas, et maxime contentiones, quæ frequenter solent ad mensam generari. Et nullus vel mutire sit ausus, præter illum, qui decaniæ præest. Decanus autem si quid in mensam inferri, vel de mensa auferri necesse est, sonitu potius aut aliquo signo, quam voce significet. Quantum autem alius reficiat, nullus invicem vagantibus oculis curiosius notet : sed unusquisque ante se aspiciat.

§ XI. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 8).

Ad mensam loqui specialiter, [m] nisi qui interrogatus fuerit, non præsumat. Quod vero necessarium victui fuerit, præposito decet agnoscere : et quod secundum consuetudinem deest, secretius jubeat ministrari. [n] Sedentes ad mensam, lectionem quæ legitur, cum silentio audituri. Si vero defuerit persona lectoris, ad instar cibi sacrarum Scripturarum meditatio ruminetur : ne escam tantum corpus ac-

lium cap. 134, *soni signum dabit*. Lege *sonitu*; nam hæc sumpta sunt ex Regula S. Pachomii.

[a] *Refectorium pariter*. Exstat in Regula S. Isidori excusa, cap. 9.

[b] *Benedictione accepta*. Hæc benedictio lectoris in refectorio, quam ex more lector petit antequam legat; de ea hæc habet Magister cap. 29 Regulæ : « Et post omnium sessionem ad mensam petita benedictione sedeat in sella. » Memoriale qualiter in monasterio conversandum sit : « Antequam incipiant cibum sumere, petat lector benedictionem, et incipiat legere. »

[c] *Ut sicut corporalis cibus refectionem carpori præstat*. In Regula S. Isidori : « Ut sicut illis corporalis cibus refectionem carnis præstat. »

[d] *Spiritalis sermo*. In Regula S. Isidori τὸ *sermo* desideratur.

[e] *Abbas citra languoris necessitatem*. Egregia sane institutio, qua disciplina regularis custoditur, et intempestivis abbatum commessationibus hospitalitatis prætextu ac proinde monasterii dilapidationi occurritur; sed de hoc alias.

[f] *Neque cultius*. Haud impar sane institutio, quæ cætilationibus abbatum medetur.

[g] *Mensarum omnium fercula*. Recte. Et ex hoc loco castiganda est S. Isidori Regula, in qua corrupte legitur, *mansura omnium fercula*.

[h] *Cum hora nona*. Habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis episcopi cod. Crass. eodem capite 5.

[i] *Unus legat in medio*. Nota morem antiquum de loco, ubi legitur in refectorio; quem licet etiam observare ex Regula S. Isidori cap. 9 : « Unus tamen in medio residens benedictione accepta de Scripturis aliquid legat; » ex Regula Magistri cap. 29. « Deinde in medio omnium mensarum sibi ordinet sellam, et post omnium sessionem ad mensas petita benedictione sedeat ipse in sella cum codice. »

[j] *Altario Christo*. In Regula ms. legitur : *Altario Christi*, ex hoc loco constat gratias agi olim solitas in Ecclesia a monachis post cibi refectionem, id etiam videtur in epitome Ludovici imperatoris super regulam S. Benedicti : « Expleto cibo, finiatur et lectio. Surgentes a mensa dicto versu sinister chorus exeat prior, novissimus dominus abbas psallentes psalmum quinquagesimum distincte, et non festinate, cum introierint oratorium psallentes, inclinent se, » etc. Videtur etiam in Vita S. Odonis abbatis Clun. lib. I : ubi agitur de micis in mensa non comestis : « Clauso vero pugillo dignum esse censuit, cum post versum ab Ecclesia essent regressi, reservandos forte Patri monasterii. Factumque est, ut ab oratorio sunt regressi, mox se pedibus prostravit Patris. » Et apud Ekehardum lib. de casibus monasterii S. Galli cap. 11 : « Milo Elewangensis (abbas) cochlearium sibi afferri signo fecit; » et paulo post : « Surgitur a mensa, itur solitis benedictionum hymnis in ecclesiam. »

[k] Cap. 12 Regulæ S. Cæsarii.

[l] Ex lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 17.

[m] *Nisi qui interrogatus fuerit*. Ita supra in Regula Patrum. Interrogatus, non a quovis, sed ab abbate vel a præposito vel a decano.

[n] *Sedentes ad mensam*. Videtur deesse verbum, *taceant*, aut certe legendum *Audiant* pro *audituri*.

cipiat; sed verbo Dei anima pascatur esuriens. [a] Orationibus vacate horis et temporibus institutis. [b] Psalmis et hymnis, cum Dominus exoratur, ea plantentur in corde, quæ proferuntur in voce.

§ XII. — Item ex Regula Orientalium (*cap.* 131).

[c] Quod si aliquis locutus fuerit, vel riserit in vescendo, increpetur et agat pœnitentiam. [d] Si quis ad manducandum tardius venerit absque majoris imperio, similiter agat pœnitentiam, aut ad cellam suam jejunus revertatur. [e] Si aliquid fuerit necessarium in mensa, nemo audebit loqui: sed ministrantibus [f] soni signum dabit. [g] Ministri vero absque his, quæ in commune fratribus parata sunt, nihil aliud comedant: nec mutatos cibos sibi audeant præparare. [h] Nemo plus alteri dabit, quam alter accepit. Quod si obtenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, [i] et his, quæ necessaria sunt, accipiet.

§ XIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 29).

[j] In æstatis vel hiemis utroque tempore, cum ad sextam vel nonam horam reficitur, singuli præpositi de singulis decadis vicibus hebdomadas singulas legendo ad mensas exerceant. Sed tunc de illa decada præpositus non legat, de qua alter præpositus in coquinæ servitio occupatur: ne dum unus legit et alter coquit, vitia suorum fratrum ad mensas non sit, qui præsens emendet. Qui præpositi singulis vicibus in legendo ad missas, cum singulas expleverint hebdomadas, singulos fratres litteratos per singulas vicibus septimanas ad legendum constituant: ut omnes possint vicibus de singulis decadis legere litterati. Et postquam omnes fratres in legendo suas expleverint septimanas, singuli recapitent ad invicem præpositi: ut nunquam desit carnali refectioni esca divina, sicut dicit Scriptura: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Luc.* IV). Ut dupliciter fratres reficiant, cum ore manducant, et auribus saginantur. Cujus ergo in hebdomada talis A debet esse introitus dominico die quo hebdomadarii coquinæ ingrediuntur in septimanam. Tunc et iste frater ad sextæ horæ refectionem post versum et orationem mensæ, cum abbas in sua cathedra sederit, antequam [k] canister cum consuetis panibus trocleæ fune descendat, tunc insinuet voce sua, is qui lecturus est dicens: Jubete, domini mei, orare pro me, quia ingredior in hebdomada lectionis mensalis. Mox surgens abbas cum omni congregatione fixis in terra genibus oret cum eo. Et cum surrexerint, dicat novus hebdomadarius hunc versum: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam* (*Psal.* L). [l] Respondentibus secum cunctis. Post versum vero dictum, mox primo abbati, deinde omnibus pacem tradat. Deinde in B medio omnium mensarum sibi ordinet sellam; et post omnium sessionum ad mensas petita benedictione sedeat ipse in sella cum codice. Et cum primum mensæ abbas cum omnibus acceperit merum, et ipse similiter suum merum [m] propter sputum sacramenti accipiat, et sic incipiat legere. Legat namque quotidie Regulam hanc posito ad diem signo huc usque legerit; ut sequenter quotidie tamen omnia perlegantur; ut per vices hebdomadum et finiri possit, et recapitari legendo. Qui hebdomadarius, cum septimanam suam legendo expleverit, signum sequenti successori ostendat, unde prosequatur, qui cœperit septimanam. Qui et ipse finiendo et recapitando hebdomada sua signum successori demonstret. Legat namque disposite, C non urgendo, [n] ut apertius occupati ea auditores agnoscant, quæ eos factis oporteat adimplere. [o] Et ut si qua sunt ambigua aut obscura, et apertius ea non intelligunt fratres, aut interrogatus a fratribus, aut ultro aliqua abbas exponat. [p] Nam si supervenerint forte mensæ monasterii, laici propter detractionem futuram in sæculo, cum secreta Dei sæcularis agnoverit, si placuerit abbati, aliam lectionem

[a] *Orationibus vacate.* Hæc sumpta sunt ex Regula S. Augustini c. 7: « Orationibus instate horis et temporibus constitutis. »

[b] *Psalmis et hymnis*, etc. In eadem S. Aug. Regula cap. 9: « Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod versatur in ore. » His quadrat illud S. Cæsarii Arelatensis serm. 12: « Orantes autem, fratres charissimi, quantum possumus adjuvante Domino laboremus: ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit: ne forte aliud habeamus in corde, et aliud proferamus ex ore. Ne forte dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus vanis occupata ab orationis sensu discedat; et inde acquirat peccatum, unde potuit habere remedium. »

[c] *Quod si aliquis.* Hæc sanctio sumpta est ex Regula S. Pachomii, art. 11.

[d] *Si quis ad manducandum.* Item ista sumpta est ex eadem Regula, cap. 12.

[e] *Si aliquid necessarium fuerit.* Hoc habetur in eadem Regula S. Pachomii art. 5; necessarium, id est, deficiens.

[f] *Soni.* Lege *sonitu*, ut in Regula Pachomii juxta codicem ms. Concordiæ hujus, in cod. Vind. legitur *sonum signi.*

[g] *Ministri vero.* Hæc reperiuntur in eadem Regula cap. 14, his simile est, quod præcipit S. Isidorus cap. 9, ut fratres similibus utantur cibis, et huic institutioni Pauli et Stephani cap. 20: « Nulli fratrum liceat, vel pomum vel quodcunque olerum, vel aliud aliquid ad usus suos, quasi peculiari apparatu in mensa sibi ad manducandum deferre. »

[h] *Nemo plus alteri dabit.* Hæc habentur etiam in D Regula S. Pachomii cap. 18, ubi male legitur *nemini* pro *nemo.*

[i] *Et his.* Lege *et ab eis*, ut in Regula S. Pachomii.

[j] *In æstatis vel hiemis*, etc. Exstat in Regula Mag. ms. cod. Corb. cap. 24.

[k] *Canister.* Ita in Concordia Vind. et in Regula ms. cod. Corb.

[l] *Respondentibus secum cunctis.* Eumdem versum.

[m] *Propter sputum sacramenti.* Vide superius annotata.

[n] *Ut apertius occupati.* Adverbium *apertius* videtur transpositum et referendum ad verbum *agnoscant.*

[o] *Et ut.* Particula *et* redundat, nec habetur apud Smaragdum.

[p] *Nam si.* Id est: *Verum si*, et passim occurrit in his Patribus, ut particula *nam* pro *verum* ponatur.

cujuscunque codicis legat, ut secretum monasterii vel mensura vitæ sanctæ constituta in disciplinam ab irrisoribus non sciatur. Legat namque aliam lectionem, posito tamen in Regula signo. Nam si talis laicus ad mensam monasterii detineatur, de quo certus [a] sit abbas, quod non solum admirari possit constituta divina, sed etiam hujus religiositatis sit [abbas] qui in conversatione possit esse pedissequus, et ad mores possit trahi divinos, in hujus lector adventum ad mensam Regulam subsequatur. Nam illi debent Regulam audire monasterii, qui illam possunt merito observare. Ideo ad mensam hora refectionis debetur Regula legi, quia tunc omnis congregatio ad manducandum in unum [b] collecta sine excusatione tunc lectio observantiæ vel emendationis ab omnibus audientibus juste poterit observari; ut omnia Regulæ omnes audiant, et nullum prætereat aliquid : ut quod omnes audierint, eos factis oporteat adimplere. Ipsi vero fratri in septimana sua, cum in hoc opere occupatur, septimanarii [c] de omnibus mensis mensæ suæ illatis [d] scutellas levent, servante Cellarario panis eis mensuram vel consuetum numerum potionum. Et post omnium levationem, [e] petita benedictione, et ipse reficiat. Ideo enim diximus Regulam monasterii quotidie legi ad mensas, ut nullus frater excuset se ignorantiæ facientis non emendare. Nam cum quotidie in usu ipsa Regula mittitur, ex notitia melius observatur : ne forte dicat se frater nescire, quod possit per obedientiam adimplere. Nam tempore ipso refectionis cum legitur Regula, ut solliciti omnium fratrum excitentur, auditus, de singulis mensis, quos voluerit fratres, [f] quod lectum est abbas interroget; ut cum unusquisque frater recitaverit, quod audivit, agnoscatur plus lectioni intendisse illa hora, quam ventri : ut cum surdus negligens non narraverit, quod audivit, plus carnem judicetur amasse, quam animam. Qui mox de negligentia ab abbate juste corripi debet : ut dum unusquisque frater interrogatus timet erubescere, mentem suam alibi non faciat aberrare : sed in hoc intendat, quod legitur. [g] Qui hebdomadarius tandiu ad mensam cum fratribus (*Locus corruptus*) : quibus se levantibus, posito in Regula signo, levant se et ipse cum codice, versu vel oratione ab omnibus adimpleta, respondeat cum omnibus : *Deo gratias.* Et statim residens ad mensam suam ab hebdomadariis servatam refectionem vel potionum mensuras [h] signatas aut ab abbate aut a præpositis omnia et ipse percipiat.

§ XIV. Ex Regula cujusdam (*cap.* 9).

[i] Ad mensam vero nullus penitus præter abbatem, vel cui ipse præceperit pro communi necessitate fratrum loqui præsumat : sed omnes [j] intento animo gratias reddentes Creatori in cordibus suis cibi ac potus solidæ mensuræ largitione fruantur. Portarius vero qui pro variis causis eloquium expetierit abbatis, loqui permittatur. Quia forsitan talis supervenit necessitas, quæ moram habere non debeat. [k] Ante mensam vero semper capitulum Regulæ unum, aut amplius, si abbati placuerit, legatur : ut cum cibus carnem reficit, lectio animam satiet. Hæc omnia cum gravitate animi et moderatione leni fiant, quatenus in his omnibus Dominus delectetur.

[a] *Sit abbas.* τὸ *abbas* redundat.

[b] *Collecta.* In Regula ms. *redacta.*

[c] *De omnibus mensis.* Lege : *De omnibus missibus :* missus est ferculum, ut vulgo notum est.

[d] *Scutellas.* Scutella est lanx : *Patina*, discus. Corona pretiosa apud Joannem Meursium in lexico Græco-Barbaro ; σκουτέλα *Paropsis*, τρύβλιον. Mentio fit apud S. Gregorium lib. XII, ep. 30 : « Scutellam quoque argenteam monasterio cuidam reliquit. » Gallice, *écuelle.*

[e] *Petita benedictione.* Quia olim monachi cibum sumpturi benedicebantur : de qua re infra.

[f] *Quod lectum est abbas interroget.* Nota antiquum morem de repetenda lectione mensæ.

[g] *Qui hebdomadarius.* Multa hic desunt verba supplenda ex Regula ms. cod. Corb. : « Qui hebdomadarius tandem ad mensam legat, quandiu abbas sederit ad mensam cum fratribus, quibus se levantibus, » etc.

[h] *Signatas.* Id est, benedictas signo crucis.

[i] *Ad mensam vero*, etc. Hoc capitulum cum sex sequentibus desideratur in codice Vindocinensi.

[j] *Intento.* Ita reposui, cum legeretur *in tanto.*

[k] *Ante mensam.* Lege, *ad mensam.* Nam frustra subjungeret : *Ut cum cibus carnem reficit, lectio animam satiet.*

CAPUT XLVIII.

DE MENSURA CIBORUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam [a] tam sextæ, quam nonæ [b] omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates,

[a] *Tam sextæ quam nonæ.* Id est, sive non sit jejunium, et prandium fiat hora sexta, id est, meridie ; sive jejunetur, et cœna fiat hora nona, id est, tertia postmeridiana.

[b] *Omnibus mensibus.* Ita legunt mss. codices Victorini, San. Ebrulphi. S. Faronis, et S. Germ. ma. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Coloniensi. Quod confirmatur ex Regula Magistri cap. 26, in utroque codice Concordiæ tam Floriacensi, quam Vindocinensi. « Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ, quam nonæ omnibus mensibus, » etsi in ms. Corb. *sit* τὸ *mensis.* Accedit Ruthardi auctoritas : Qui, *mensibus*, legendum esse asserit, non : *Mensis.* Turrecremata, cum ait : « Omnibus mensis, sive, ut alia lectio habet : Omnibus mensibus ; quod melius videtur, id est, omni tempore. » Eamdem lectionem agnoscit Guido Juvenalis, abbas sancti Sulpicii, in sua Regulæ versione Gallica, cum hæc verba ita exponit : *En tout temps de l'an.* Id est, omni tempore, quod perinde est, ac : *omnibus mensibus.* Eamdem lectionem illustrat locus S. Isidori cap. 9 suæ Regulæ, cum ait : *Utrisque*

[a] ut forte qui ex uno non poterit edere, ex alio reperiatur. Ergo cocta duo [b] pulmentaria fratribus omnibus sufficiant. [c] Et si fuerit unde poma [d] aut nascentia leguminum, addatur et tertium. [e] Panis libra

temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis, et per utraque tempora intelligit hiemen et æstatem. In p. ms. S. Germani legitur : *Omnibus diebus*. In vulgo editis legitur. *Omnibus mensis*. Sed male, et prior lectio potior est. Nam S. Benedictus et S. Isidorus occurrunt pravæ quorumdam consuetudini, qui ob calores plura fercula in æstate, quam in hieme quotidie apponi volebant.

[a] *Ut forte, qui ex uno non poterit edere.* Quæritur an duo pulmentaria monacho edere liceat, cum S. Benedictus ideo illa apponi jubeat, ut, qui de uno edere non possit, edat de altero. Sed puto hæc moraliter intelligenda : et ex æquo et bono multorum infirmitati tum corporis, tum animi consuli ferculorum diversitate : ut cum quis de uno plusculum degustaverit, jam illud fastidiens ad alterum se convertat : præsertim cum Regula duo fercula comedere explicite non prohibeat. Quod si ita esset, male consultum esset superfluis impensis cum duplicatis pulmentariis dapes, quæ v. g. quinquaginta monachis sufficerent, pro centum essent apponendæ, maxime cum singulæ lances id continere deberent, quod ad unius monachi satietatem sufficeret ; quia illi de una tantum edere liceret

[b] *Pulmentaria.* Pulmentarium, quod et pulmentum dicitur, est quodlibet obsonium. Cato, de Re rustica, cap. 58 : « Pulmentarium familiæ oleæ caducæ quam plurimum condito » a pulte, qua olim prisci illi Romani pro pane vescebantur. Plinius libr. XVI, cap. 8 : « Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum ; quoniam inde pulmentariæ dicuntur. » Varro lib. IV de lingua Latina : « Et placentæ, quod edebant cum pulte : ab eo pulmentum, ut Plautus : hinc pulmentarium. » Valerius Maximus lib. II, cap. 1 : « Erant autem adeo continentiæ attenti, ut frequenter apud eos (Romanos) pultis usus, quam panis esset, » etc. Sosipater Charisius lib. I : « Pulmentum et pulmentarium dicit. Nam Cato originum tertio, laserpitium pro pulmentario suo habet. In eodem : multo pulmento usi. Sed quidam putant pulmentum quasi pulumentum melius dici. Varro autem ad Ciceronem quinto : pulmentum, aut quod idem cum pulte essent, inde pulmentarium. » Ubi verbum, *essent*, id est, ederent. Ausonius in Technopægnia :

> Mox ador atque adoris de polline pultificum far
> Instruxit mensas, quo quondam Romulidum plebs
> Hinc cibus, hinc potus, cum diluereture aqua puls.

Hinc prisci illi Romani dicti pultiphagi. Plautus in Mostellaria :

> Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit Barbarus.

Ubi, *Barbarus*, est Romanus, ut vulgo docent Interpretes.

[c] *Et, si fuerit unde poma.* Sup. haberi possint. Ita habetur in omnibus codicibus nostris mss. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Colinæi. Optima lectio, quæ confirmatur ex. Add. Capitul. Lud. Imp. tit. 78 : « Ut volatilia in natali Domini et in Pascha tantum octo diebus, si est unde, comedant : si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. » Vulgata lectio : *Et, si fuerint inde poma*. Male. Poma hoc loco sunt fructus quislibet, saltem vulgares.

[d] *Aut nascentia leguminum.* Id est, nascentia legumina. Ut *ardua montium, lubrica vallium et roscida cespitum, et glebosa camporum*. Ita hunc locum explicat Ruthardus : « Nascentia leguminum intelliguntur germinantia : quia mos est illius terræ et Romanæ et aliarum provinciarum mittere legumina in aquam, et cum germinata fuerint, manducari. ». Ex quo loco satis constat horum commentariorum auctorem non fuisse Paulum Diaconum monachum Casinatem ; dixisset enim, *hujus terræ*, non, *illius terræ*. Bernardus Casinas, et alii nonnulli locum explicant rectius quidem de viridibus leguminibus, quæ aceto macerata in Italia comedi solent. An autem tertium illud pulmentarium seu fructuum seu leguminum debeat esse crudum, non id explicite declaravit S. Benedictus, itaque juxta Regulam debent primo apponi duo pulmentaria cocta, tertium vero an coctum vel crudum sit, non refert. Id liberum reliquit S. Benedictus ob multorum infirmitates, quorum stomacho fructus crudi et legumina cruda nocere possent.

[e] *Panis libra propensa.* Controversia de hujus libræ pondere. Casinensis libra est trium et triginta unciarum et semis, ut habetur in declarationibus Casinensium ad Regulam S. Benedicti. Burdegala in monasterio S. Crucis servatur adhuc libra panis ex ære cyprio cum hac inscriptione :

MENSVRA PANIS S. CRVCIS BVRDEG.

Cujus pondus est octo et viginti unciarum. Sed puto ego hanc S. Benedicti libram nullam aliam esse quam Romanam seu Latinam. Nam male panis pondus libram appellasset, quæ tot unciis, ac Cassinensis, vulgarem libram excederet. Qui etiam, si per libram non intellexisset eam, quæ sua ætate erat usitata per Italiam certum pondus panis non definisset, et hunc regulæ locum valde ambiguum reliquisset, cum mensuram sine mensura, et pondus sine pondere statuisset. Nec obstat, quod libra panis olim servaretur in monasterio Casinensi, ut constat ex actis S. Mauri et Leone Ostiensi lib. I. Chr. ; nam, cum sciret S. Benedictus non eamdem esse libram apud omnes nationes, ejusque pondus aliquando pro hominum arbitrio mutari, voluit ejusmodi libram in suo monasterio servari : quæ tamen non amplius exstat ob varias monasterii Casinensis direptiones et incendia. Et sane monachorum temperantiæ male consuluisset, quam hic multa districtione præcipit, si tantumdem panis, quantum libra Casinensis pensitat, edendum concessisset : maxime cum hujusmodi libra, ut ex præfatis declarationibus constat, plus panis pensitet, quam monachus uno die comedere possit. Libra autem Romana seu Latina est duodecim unciarum, ut docent. Epiphanius lib. de Mensuris et Ponderibus, et S. Isidorus lib. XVI Orig. cap. 24 : « Uncia dicta, inquit, quod universitatem minorum ponderum sua unitate vinciat, id est, complectatur. Constat autem drachmis octo, *id est*, scrupulis viginti quatuor, quod proinde legitimum pondus habet ; quia numerus scrupulorum ejus horas diei noctisque metitur, vel quia libram efficit, duodecies computatus 12 unciis perficitur, et inde habetur perfecti ponderis genus : quia tot constat unciis, quot mensibus annus. » Post τὸ *computatus*, videntur, hæc verba, *nam libra*, addenda. His subscribit Fannius Rhemnius poemate de mensuris :

> Uncia fit drachmis bis quatuor : unde putandum
> Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in se
> Uncia habet : tot enim formis vox nostra notatur,
> Horis, quod mundus peragit noctemque diemque.
> Unciaque in libra pars est, quod mensis in anno.

Gramma autem seu littera est scrupulus, qui continet duos obolos, ut docet idem Fannius :

> Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo
> Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores.

Scrupulus gramma dicitur, id est, littera, nam quemadmodum vox humana quatuor et viginti litteris formatur, sic uncia constat quatuor et viginti scrupulis. De libra vide Cassiodorum lib. I Variarum, epist. 10. Sed quia panis hæc mensura angusta est, addit S. Benedictus *propensa*, id est, quæ inclinata præpenderet ; nam, propensus est inclinatus. Etsi Smaragdus et Ruthardus, explicent τὸ *propensa*, prius pensa, a præpositione Græca, πρὸ, id est, prius. Sed non puto ejusmodi vocabulum esse Lati-

una propensa sufficiet in die, sive una sit refectio, sive prandii, et cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, [a] de eadem libra tertia pars a Cellarario reservetur reddenda cœnaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, remota præ omnibus crapula : et ut nunquam subripiat monacho indigeries : [b] quia nihil sit contrarium omni Christiano, [c] quomodo crapula, sicut ait Dominus noster : *Videte, ne graventur corda vestra* [d] *in crapula* (*Luc.* XII). [e] Pueris vero minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor, quam majoribus, servata in omnibus parcitate. [f] Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles et ægrotos.

num. Itaque juxta nostram explicationem mensura panis erit circiter sexdecim unciarum.

[a] *De eadem libra tertia pars.* Ex his verbis satis colligitur cœnam debere esse prandio breviorem, quod etiam patebit infra ex Regula Magistri. Ruthardus dicit unicum coctum pulmentum ad cœnam dandum esse. Sed hæc pensanda sunt arbitrio superiorum.

[b] *Quia nihil sic contrarium.* Hic textus profertur a Burchardo lib. XIV, cap. 1, et abluone part. 13 Decreti, cap. 69.

[c] *Quomodo crapula.* Id est, quam crapula. Ivo addit ; *Et ebrietas.* Quid sit crapula docet Suidas : χραιπάλη ὁ ἐν πολλῇ οἰνώσεως παλμός, id est, « Crapula ex multa potatione palpitatio. » Sed sumpsit improprie S. Benedictus.

[d] *In crapula.* Ita apud Smaragdum et in cod. Vict. p. Apud S. Dunstanum, Ivonem, Burchardum, et in Vulgatis additur : *et ebrietate.* Ut est in Evangelio, Luc. XXI : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.*

[e] *Pueris minore ætate.* Id est, qui sunt infra duodecimum annum juxta Magistri mentem hoc capite : « Minoribus vero duodecim annis minus a libra panis in die sufficiet. » Tamen juxta superiorem nostram explicationem intelliguntur ii qui sunt infra quintum decimum annum.

[f] *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio.* Editio Colinæi legit, *comestione.* Ex hoc S. Benedictus loco quidam censuerunt usum volatilium olim monachis fuisse permissum. Et ante D. Benedictus quidam catilloues, qui tamen religiosi haberi cupiebant, ab esu quadrupedum abstinebant, et volatilia comedebant, in quo sita invehitur S. Prosper Aquitanicus lib. II de Vita contemplativa, cap. 2 : « Cæterum si a quadrupedibus abstinentes phasianis altilibus vel aliis avibus pretiosis aut piscibus perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare, nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certe, quod verius est pro stomachi nauseantis teneritudine delictas illas communes et viles abjicere, quo possint aliis, non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere. » Qui ideo se a carnibus abstinere dicebant, quod esum quadrupedum ignorarent, ut planum est ex S. Hieronymo in epist. ad Silvinam de servanda viduitate : « Procul sinta conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen lonicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes : si suum, leporum atque cervorum et quadrupedum animantium esculentias reprobes : non enim hæc pedum numero, sed gustus suavitate judicantur. » Eaque ratione id sibi in animum inducebant, quod una sit avium et piscium ex aquis origo. Itaque minime credendum est a S. Benedicto tales institui monachos qui pedum numero delicias escarum dijudicent : cum ipse cap. 36 Regulæ carnis esu exceptis ægrotis monachos arceat. Nec vero inferri potest quadrupedum interdictione volatilium esum esse permissum. Nam cum unum prohibetur, non statim alterum permitti concludendum est, maxime si jam a legislatore prohibitum est. Ut Levit. 19, cum dicitur : *Non maledices furdo, nec coram cæco pones offendiculum :* Male quidem inferret aliquis ex ejusmodi legibus permitti non surdis maledicere, et videntibus ponere, offendiculum. Quia potest accedere peculiaris ratio ut ejusmodi prohibitio fiat, etiam si alterum expresse non prohibeatur, ut videre est in citato loco Levitici, et in hac cautione S. Benedicti. Potest enim esse peculiaris ratio, ut quadrupedum esus prohibeatur monachis, quia cum quædam ex eis viliores sint, quis existimaret earum esum non esse monachis interdictum. Non tamen ignoro, quin aliquando concessum fuerit monachis comedere volatilia nempe in solemnitatibus Paschæ ; Natalis Domini et earum octavis, ut habetur additione. I Capitul. Lud. Imp. tit. 78 : « Ut volatilia in Natali Domini et in pascha tantum octo diebus, si est unde, comedant ; si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio. » Idem patet ex epistola Theodemari abbatis Casinensis ad Carolum Magnum, si tamen illius sit : sunt enim in ea multa castigatione digna. Id confirmatur ex charta Ludovici et Lotharii ad monachos S. Germani a Pratis, quæ exstat apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. 10. « Volatilia cum ovis de duobus festis, id est, Pascha et Natalis Domini. » Quod vero ultra has solemnitates non fuerit licitum monachis edere volatilia planum est ex eadem additione tit. 8 : Ut volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate nullo tempore comedant. » Et tit. seq. : « Ut nullus episcoporum monachis comedere volatilia præcipiat. » Quare, cum Rabanus lib. II de Vita clericor. cap. 27 ait : « Avium quoque esum credo inde a patribus permissum esse, eo quod ex eodem elemento, de quo et pisces, creatæ sunt. Nam in Regula monachorum non invenitur aliarum carnium esum eis interdictum esse, nisi quadrupedum. Hæc non sunt ita capienda, ita ut liceat monachis ut plurimum edere volatilia, sed si eis interdum concedatur, id non facere contra hunc expressum Regulæ textum juxta quidem Rabani explicationem, qua laxior videtur, ut ex supra dictis patet. Idem dicendum est de hoc textu, qui habetur apud eumdem Rabanum lib. III de Agone Christiano, cap. de gula : « Hæc tamen non ita dicimus, quasi monachorum Regulam, quæ a quadrupedum esu prohibet, vituperemus. » Sed vide Joannem monachum lib. II Vitæ S. Odonis abbatis Cluniacensis, ubi scribit monachum quemdam in ædibus parentum diversantem ad primum volatilis morsum repentina morte interiisse. Itaque S. Odo reformator ordinis præcipuus nunquam ejusmodi esum altilium suis monachis permisit, ut constat ex lib. citato. Quod spectat ad pinguedinem, adipem seu sagimen, etiam prisci illi monachi eo usi sunt : idque ipsis indultum fuit in synodo abbatum Aquisgranensi sub Ludovico Pio tit. 22 : « Pinguedinem ad esum, excepto VI feria et XX, diebus ante nativitatem Domini, et septimana illa, quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima. » Et tit. 77. Nec est quod quidam recentior per pinguedinem, adipem, et sagimen oleum interpretetur, cum nulla assertionis suæ testimonia proferat. Sed et contrarium constat ex actis S. Meinwerci episcopi Paderbonensis, ubi agitur de Monasterio Helmwardeshusen : cujus abbati jussit prædictus episcopus dare monachis sagimen : « Et data auctoritate (inquit auctor horum actorum) quomodo Dominus Ecclesiæ claves beato Petro apostolo tradiderit : Et Ecclesia tantam habens potesta-

§ II. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 5).

[a] Cibus sit vilis et [b] vespertinus monachorum, satietatem fugiens; et potus ebrietatem, ut et sustineat, et non noceat. Olera, legumina, farina aquis mixta cum parvo [c] panis paximatio: ne venter oneretur, et mens suffocetur. Etenim [d] utilitati [e] et usui tantum consulendum est æterna desiderantibus præmia. Et ideo temperandus est vitæ usus, sicut temperandus est labor. Quia hæc vera discretio, ut possibilitas spiritalis profectus cum abstinentia carnem macerante [f] retentetur. [g] Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit. Virtus enim multa sustinet bona et continet. Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie reficiendum est. Et dum quotidie reficiendum est, vilius et parcius corpori indulgendum. Quia ideo quotidie edendum est, [h] quia quotidie reficiendum est. Sicut quotidie orandum est, quotidie laborandum est, quotidie legendum est.

§ III. — Item ex Regula sancti Isidori (*cap.* 11).

[i] Per omnem autem hebdomadam fratres vites olerum cibos et pallentia [j] utantur legumina. In A diebus vero sanctis [k] interdum cum oleribus [l] levissimarum carnium alimenta. Non enim erit ad saturitatem reficiendum corpus, ne forte intereat animus. [m] Nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis. Qui autem appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lasciviæ motus restringit. Tanta cum discretione reficiendum est corpus, ut nec nimia abstinentia debilitetur, nec superflua edacitate per lasciviam moveatur. In utroque enim temperantia adhibenda est, scilicet ut et vitia carnis non prævaleant, et [n] virtus ad ministerium bonæ operationis sufficiat. Quicunque ad mensam residens a carnibus et vino se abstinere voluerit, non est prohibendus. Abstinentia enim non prohibetur, sed potius collaudatur; tantum ne ex contemptu creatura Dei B humanis concessa usibus exsecretur.

§ IV. — *Item ex eadem* (*capite ipso*).

[o] In utrisque temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis, olerum scilicet et leguminum; et si quid [p] tertium fuerit, [q] pomorum. [r] Ternis quoque poculis fraterna reficienda est sitis. In observatione autem Quadragesimæ, sicut fieri solet, [s] post expletem in generali synodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedum esum, sed carnibus agnatum adipem indulserit, advocatis villicis porcos dari mandavit, de quorum adipe et sagimine cibum fratrum parari jussit. » S. Dunstanus in Cone. Wintoniensi, seu Concordia cap. 2: « In Adventu Domini pinguedo interdicitur scilicet lardi, nisi festivis diebus. Sed hæc mera relaxatio inducta ob multiplicitatem divinorum officiorum, ut satis liquet ex capite citato miraculorum S. Hugonis, qui ne quidem ad preces Petri Damiani permittere voluit, ut saltem bis in hebdomade ab sagimine sui monachi abstinerent ob laborem chori. (Vide *Concordiam* S. Dunstani, cap. 5; *Decreta* Lanfranci, § 5; *librum Miraculorum* S. Hugonis abbatis Cluniacensis, cap. 19; statuta Petri venerabilis, cap. 10; *Visitatorium* monasterii Culturæ Cenoman. ms.)

[a] *Cibus sit vilis*, etc. Habentur in Regula ms. S. Columbani cod. Flor. Vilis debet esse cibus monachorum; quia supervacaneum est lautitias in jejunio quærere: idem docet S. Hieronymus epist. ad Paulinum: *sit utilis et vespertinus cibus* (*Ep.* III). Ubi sane legendum est *vilis*.

[b] *Vespertinus*. Non ita stricte sumitur hoc vocabulum. Nam vespertinus cibus est, qui non solum vespere, sed etiam hora nona, id est, tertia post meridiem, cum sol ad vesperum vergere incipit, sumitur. Siquidem monachi S. Columbani feria quarta et sexta reficiebant hora nona, ut planum est ex ejus D Pœnitentiali ms.: « Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducet, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua. »

[c] *Panis*. Lege *pane*, ut in Regula cod. Flor. et in editione Insulæ, ut sit appositio.

[d] *Utilitati*. Nempe spiritali.

[e] *Et usui*. Vitæ corporalis. Quasi diceret: ita cibus temperandus est, ut animæ simul et corpori prosit.

[f] *Retentetur*. Ita in editione Parisiensi et Insulæ. In cod. Flor. *sustentetur*.

[g] *Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit*. Aurea mediocritas, beata discretio, quæ virtutes fovet, et auget, virtutum mater, et lux animi: cui uni primas dedit magnus Antonius. Μέτρον ἄριστον. Id est, modus optimus, inquit Cleobulus. *Philosophorum quoque sententia est* μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι, id est, « mediocritates esse virtutes, excessus vitia. » Inquit S. Hieronymus in epist. ad Demetriadem. Unde præclare docet idem Columbanus cap. 8 Regulæ: Discretio monachis quam sit necessaria, multorum error ostendit, et aliquorum ruinæ demonstrant, qui sine discretione incipientes et absque moderatrice scientia degentes vitam finire laudabilem non potuerunt. Quia sicut sine via tendentibus error evenit, ita sine discretione viventibus excessus in promptu est, qui semper virtutibus in medio inter utramque nimietatem positis contrarius est. » Id a Deo edocta per S. Adalricum didicit B. virgo et martyr Wiborada, quæ in monasterio S. Galli reclusa carnem jejuniis et vigiliis immoderatis opprimebat: sed ab Angelo monitus B. Adalricus ad eam venit, Deique voluntatem, ut aliquid de tam dura, et aspera vitæ ratione remitteret, aperuit (Acta sanctæ Viboradæ). Ergo noscenda est mensura sui, quid valeant humeri, quid vires ferre recusent. Nam, ut sapienter monet Seneca lib. de Tranquillitate animæ, « necesse est opprimant onera, quæ ferente majora sunt. »

[h] *Quia quotidie reficiendum est*. Lege, *proficiendum est*, ut Regula ms. cod Flor. et editione Parisiensi, et Insulæ. Sed τὸ *quia* videtur redundare.

[i] *Per omnem autem*, etc. Hæc videre est in Regula S. Isidori excusa cap. 9.

[j] *Utantur*. In Regula edita legitur, *habeant*.

[k] *Interdum*. In Regula excusa habetur, *inducant*.

[l] *Levissimarum carnium*. Quantitatem tangit, non qualitatem, ut ex sequentibus clarum est.

[m] *Nam ex plenitudine ventris cito excitatur luxuria carnis*. Recte. Huc spectat illud Tertulliani lib. adversus Psychicos: « Per edacitatem transit salacitas. » Et paulo ante: « Monstrum scilicet haberetur libido sine gula. »

[n] *Virtus*. Id est, vires.

[o] *In utrisque temporibus*. Videlicet æstatis, hiemis, quibus continentur ver et autumnus.

[p] *Tertium*. Ab oleribus et leguminibus.

[q] *Pomorum*. In Regula excusa, *id est, pomorum*.

[r] *Ternis quoque poculis*. Juxta Ausonium in gripho:

Ter bibe. . . . .

Augustus imperator in castris ad Mutinam ter duntaxat bibebat, ut refert Suetonius cap. 77.

[s] *Post expletum jejunium*. Id est, cum hora refectionis advenerit. In Reg. excusa legitur, *exemptum*.

tum jejunium pane solo [a] vel aqua contenti omnes erunt. Vino autem et oleo omnes abstinebunt.

§ V. — *Item ex eadem (capite ipso).*

Laici [b] ministri mensis monachorum nullatenus intererunt. Neque enim potest illis mensæ communis esse locus, quibus est diversum propositum. Monachi autem cum a mensis surrexerint, ad orationem omnes concurrant. [c] Quod mensæ redundaverit, omni cura servatum egentibus dispensabitur. In refectione monachorum a diebus Pentecostes usque ad autumni principium tota æstas [d] interdiana prandia invitat.

§ VI. — Ex Regula sancti Ferreoli episcopi (*cap.* 34).

Illud itaque statuimus ut ad mensam fratribus congregatis, de his quæ apponuntur [e] nemo alterius aut præsumat aut rapiat portionem, nec frequentius cæteris manum [f] parapsidi importunus inmergat, propter illud Apostoli : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (*I Cor.* XI). Et iterum : *Esca ventri, et venter escis, Deus autem hunc et hæc destruet* (*I Cor.* VI). Et iterum : *Non est regnum Dei esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* IV). Et iterum : *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt* (*Rom.* XVI). Et iterum : [g] *Quorum Deus venter, et gloria in confusione ipsorum* (*Phil.* III).

§ VII. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 50).

[h] Carnes in cibo nunquam sumantur. [i] Pulli vero et altilia cuncta in congregatione non ministrentur, infirmis tantum præbeantur, et accipere liceat. Pisces vero certis festivitatibus, aut quando sanctus abbas indulgentias facere voluerit, tunc procurentur.

§ VIII. — *Item ex eadem.*

[j] Cibaria quotidie ad refectionem tria, [k] ad prandium duo, ad cœnam duo. [l] Bibere ad refectionem, id est, in æstate [m] merum et tres [n] caldellos, ad prandium tres tantum : ad cœnam in æstate mensibus Junio, Julio et Augusto ternos. Reliquis vero diebus ad cœnam binos bibant. In festivitatibus vero et quando abbas indulgentias voluerit facere, et cibaria, quantum ipse voluerit, [o] et recentes addantur. Quotidiana vero olera caseo et oleo semper condiantur. [p] Juniores binos ad prandium, binos ad cœnam accipiant; si jejunaverint, ternos.

§ IX. — Ex Regula Magistri (*cap.* 26).

[q] Sufficere namque credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ quam nonæ, omnibus [r] mensibus cocta duo pulmentaria, et tertium quodcunque fuerit crudum cum pomis. Medius panis pensans libram singulis fratribus in die sufficiat secundum formam divinæ dispensationis, cum medium panis [s] cœlestis corvus Paulo servo Dei quotidie vescendum paraverit. Quando ergo ad sextam horam tempore æstivo vel aliis temporibus reficiunt, tertia quadra ipsius Dominici panis a cellarario subtracta sera ante illud crudum pulmentarium inferendum mensis ponatur. Et ideo in cellario diximus eas quadras sumi pro unica illa comestione quæ fit hora nona, id est, tertia postmeridiana, seu vesperi jejuniorum diebus : ac proinde S. Aurelianus auget in ea numerum ferculorum et potionum, ut S. Cæsarius, quem Aurelianus sequitur, illis diebus instituit, ut habetur cap. 16 Recapitulationis : *Cibaria omnibus diebus in jejunio tria.*

[a] *Vel aqua.* Particula *vel* hoc loco sumitur copulative.

[b] *Ministri.* Ita in Regula excusa. Hæc tamen vox redundare videtur, ut patet ex sequentibus.

[c] *Quod mensæ redundaverit*, etc. Optima institutio. Hinc monachi facile aliquid ventri subducunt, in pauperum usus seponendum.

[d] *Interdiana prandia.* Nempe cum alternis diebus fiunt prandia et jejunia; quod clarius ipse Isidorus explicat cap. 11 : « Secundum jejunium interdianum post Pentecosten alia die inchoatum usque ad æquinoctium autumnale protenditur, ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter æstivos solis ardores jejunium celebratur. »

[e] *Nemo alterius aut præsumat aut rapiat portionem.* Frequentius quam alii manum mittendo in catinum.

[f] *Parapsidi.* Dicitur et *paropsis*, de quibus Hesychius : Παραψίδες ἢ παροψίδες τὰ μεγάλα τρυβλία, id est, « Parapsides et paropsides magni catini. » S. Isidorus lib. XX, cap. 4 : « Parapsis quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus apsidis. »

[g] *Quorum Deus venter.* Deest verbum substantivum *est*, juxta textum Græcum : ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, καὶ δόξα, κ. τ. λ., id est, *quorum Deus venter, et gloria*, etc., quod tamen habetur in Vulgata versione.

[h] *Carnes in cibo*, etc. S. Cæsarius, cap. 17 Recapitulationis : « Carnes vero a nulla unquam penitus in cibo sumantur. »

[i] *Pulli vero*, etc. Ex eodem capite ejusdem Recapitulationis : « Pulli vero infirmis tantummodo præbeantur; nam in congregatione nunquam ministrentur. »

[j] *Cibaria quotidie ad refectionem tria.* Quædam sit illa refectio, distincta a prandio et cœna, obscurum est dicere. Nam olim ter in die monacho edere piaculum erat. Itaque puto toto hoc capite refectionem

[k] *Ad prandium duo, ad cœnam duo.* Diebus in quibus non jejunatur.

[l] *Bibere.* Supple *concedatur*, aut quid simile.

[m] *Merum.* Vide superiori cap. ad S. Cæsarium.

[n] *Caldellos.* Caldellus est vasculum potorium cervisiæ, aut zythi; nam distinguit caldellum a mero Magister cap. 27 : « Post ergo primos meros æstivo tempore ad refectionem tam sextæ quam nonæ caldelli omnibus quaterni sufficiant extra illum merum. » Caldelli mentio fit in Recapitulatione Cæsarii, cap. 16 : « Quotidianis vero diebus ad prandium in æstate binos, ad refectionem ternos caldellos accipient. »

[o] *Et recentes.* Videtur deesse vox *panes* aut *fructus.*

[p] *Juniores binos*, etc. Ex S. Cæsario, capite citato : « Juniores vero ad prandium, ad cœnam, ad refectionem binos. » Sed puto legendum : *Juniores vero ad prandium binos, ad cœnam binos, ad refectionem ternos.* Nam S. Aurelianus, qui sumpsit ex S. Cæsario, ait : *Si jejunaverint, ternos.* Et refectio hoc loco Cæsarii sumitur pro unica comestione quæ fit jejunii diebus.

[q] *Sufficere credimus*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb. eod. cap. 26.

[r] *Mensibus.* Ita habetur apud Smaragdum et in cod. Vind. Vide superius adnotata ad S. Benedictum In cod. Corb. legitur, *mensis*, male.

[s] *Cœlestis.* Epitheton ad τὸ *panis*, refertur; qui cœlestis dicitur, quia a Deo missus.

de omnium annonis [a] antecessus subtrahi, ne forte A cum integræ annonæ in mensis fuerint positæ, et forte adveniens frater novitius nesciens adhuc mensuram Regulæ putet sibi iterato ad cœnam reponi, ad prandium explicet totum, et sera cum pomis habeat nihil : aut frater multum edere amans, quamvis mensuram noverit Regulæ, cum petenti Regulæ vult satisfacere, ad horam totum eligat manducare, et ad seram putet se esse contemptum. Quæ omnes quadræ cum fuerint in cellario reservatæ, sera [b] ejectæ, et in mensa abbatis, et ab eo signatæ, sicut consuetudo ostendit, prius sibi [c] vel mensæ suæ tollat, et residuæ a cellarario levatæ per singulas mensas ponantur [d] tollentibus : ut ipsæ solæ partes cum crudo quocunque pulmentario mixto cum pomis, vel si quid de pulmentariis prandii remanserit, fratrum B cœnæ sufficiant. Nam die Dominico, vel aliis diebus festis, [e] sed et propter extraneas advenientes personas quovis die [f] quidquid abbas in cibo voluerit, ut pote majori conceditur, [g] vel dulciorum aliqua secundum testimonium quod legitur in Vitis Patrum. Ubi pro diebus festis delicatum petierunt a Domino cibum, et apparuit eis cum favo angelus. Tantum est ut consideret æqualitatem, et fugiat corruptibilem nimietatem. Minoribus vero duodecim annis minus a libra panis in die sufficiat.

§ X. — Ex Regula cujusdam.

Mensæ administratio vel observatio quanta æqualitate vel sobrietate percurri debeat, abbatis scientia est trutinandum, ut in omnibus, sicut decet Dei ministros, religionis vigeat fomes. Ministrandus est namque omnibus æqua libratione tam potus quam cibus, prout tempus, sive solemnitates, sive abstinentiæ, sive quotidiani usus poposcerint. Quotidianis enim diebus [h] sufficere credimus duo fercula, exceptis pomorum donis, leguminibus, vel de oleribus [i] conferta, seu farinæ qualibet conspersione. Omnibus etenim æqua mensura ministrandum, præter si ætas infirmior, quæ sustinere non valeat, aut ægritudo corporis, et [j] novellæ conversionis novitas improbata sufficere non queat; quod abbatis judicio pensandum est. [k] Potus vero [si] siceræ liquoris, [l] id est, cervisiæ, mensura solita tribuatur. [m] Si voluntas fuerit, vel labor, vel festus dies, vel [n] hospitis adventus pia precatio exagitaverit, [o] vino potio augenda est. Et si duabus vicibus reficiendum sit, [p] præter vini potionem [q] similis regula servetur. Festis vero diebus, pro reverentia sanctæ solemnitatis, pluribus cibis, id est, ternis, vel quaternis sunt corpora reficienda : sic tamen ut, si plura sunt cibaria numero, sint minora : ut corpora necessario cibo reficiantur, non nimia satietate damnentur. Seden-

[a] *Antecessus.* Ita in Regula ms.; lege tamen, *ante sessus*, id est, ante sessiones, seu antequam sedeant fratres in mensa.

[b] *Ejectæ.* Id est, eductæ e cellario.

[c] *Vel mensæ suæ.* Particula *vel* hoc loco est copulativa, pro *et;* nam sibi et mensæ suæ, hoc est, iis qui una accumbunt, quadras sumit abbas.

[d] *Tollentibus.* Id est, sibi accipientibus.

[e] *Sed et propter extraneas advenientes personas.* Monachi olim propter hospites plenius procurabantur, ut videre est add. 1 Cap. Lud. imp., tit. 29 : « Si vero propter hospitem voluerit (abbas) ad solitam mensuram fratribus, sibique augere aliquid, in ejus maneat potestate. »

[f] *Quidquid.* In Regula ms. sequitur, *addere;* recte.

[g] *Vel dulciorum aliqua.* Quæ vulgo dicuntur dulciamina, quæ subinde recreationis causa dabantur monachis, maxime diebus festis, ut statuit Magister, sive solemnioribus, ut S. Cæsarius in Recapitulatione, cap. 16 : « In festivitatibus majoribus ad prandium et ad cœnam fercula addantur, et recedentibus de ea dulciamina addenda sunt. » Huc spectat illud Pachomii art. 17 : « Qui ante fores convivii egredientibus fratribus erogat dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de Scripturis, » quæ verba sunt de solemnitatibus intelligenda.

[h] *Sufficere.* Lege, *Sufferre*, ut in cod. Vind.

[i] *Conferta.* Ita in cod. Vind. pro *confertione.* Sed de ejusmodi vocabulis infra.

[j] *Novellæ conversionis novitas improbata.* Id est, novitii nondum sufficienter probati.

[k] *Potus vero si siceræ.* Particula *si* redundat. Quid sit sicera docet Hesychius : Σίκερα οἶνος συμμιγὴς ἡδύσμασι, ἢ πᾶν πόμα ἐμποιοῦν μέθην, μὴ ἐξ ἀμπέλου δὲ σκευαστὸν συνθέτον id est, « Sicera vinum mixtum aromatibus, vel omnis potio gignens ebrietatem, quæ non sit composita ex fructu vitis. » Suidas : Σίκερα σκευαστὸν πόμα, καὶ παρ' Ἑβραίοις οὕτω λεγόμενον μέθυσμα, οἶνος συμμιγὴς ἡδύσμασι ἐκ τοῦ συγκεκρᾶσθαι, id est, « Sicera potio præparata confecta, apud Hebræos sic dicta potio inebrians : vinum aromatibus conditum, ab eo quod commiscetur dictum. » Duas hic tangit etymologias, primam, quæ est Hæbraica, ab inebriatione : nam שכר, *schecar*, id est sicera a radice שכר, *schacar*, id est inebriare; unde Tertullianus, lib. adversus Psychicos appellat ebriamen; alteram Græcam a commixtione, sed impropriam. S. Methodius lib. de Castitate, apud Photium in Bibliotheca, n. 237 : Σίκερα πᾶν τὸ μέθην φέρον μετὰ τὸν οἶνον τὸν ἐξ ἀμπέλων, id est, « Sicera id omne quod infert ebrietatem, post vinum ex vite factum. » Theodorus Balsamon in canonem 3 apostolorum : Σίκερα δ' ἐστι πᾶν τὸ ἄνευ οἴνου μέθην ἐμποιοῦν, id est, « Sicera est omne id quod sine vino ebrietatem inducit. » S. Isidorus lib. XX. Orig., cap. 3 : « Sicera est omnis potio quæ extra vinum inebriare potest, cujus licet nomen Hebræum sit, tamen latinum sonat, pro eo quod ex succo frumenti et pomorum conficiatur : aut palmarum fructus in liquorem exprimantur, coctisque frugibus aqua pinguior, quasi succus colatur. » Sed hæc ex S. Hieronymo, ep. 2, ad Nepotianum, apud quem male legitur : *coloratur* pro *colatur*. Ex his sciendum est siceram dupliciter sumi, primo pro vino ex aromatibus condito, quod posteriores vocaverunt pigmentum, secundo pro potione omni quæ extra vinum inebriare potest ex variis frugibus confecta, idemque est quod cervisia, et ita hoc loco sumitur.

[l] *Id est, cervisiæ.* Quid sit cervisia satis liquet ex Plinio, lib. XXII, cap. ult. : « Ex iisdem (frugibus) fiunt et potus zythum, in Ægypto cœlia, et ceria in Hispania, cervisia et plura genera in Gallia. » S. Isidorus c. citato : « Cervisia a cerere, id est fruge, vocata : est enim potio ex seminibus frumenti vario modo confecta. »

[m] *Si voluntas.* Lege : *Si vel æstas.*

[n] *Hospitis adventus.* Lege : *Hospitis advenientis.*

[o] *Vino potio.* In cod. Vind., *vini potio*, sed prior lectio præstat. Nam hic Pater non quotidie monachis vinum permittit.

[p] *Præter vini potionem.* Id est, excepta vini potione.

[q] *Similis regula servetur.* De solita mensura cervisiæ.

tes vero ad mensam fratres nullus alterum comedentem sublimatione oculorum respiciat, nec alterius mensuram cibi vel potus iniqua consideratione oculorum respiciat. Quando in mensam cibus administratur, nullus prius cibum comedat, quam signum ad benedicendum insonet. Abbas vero vigilet ut confestim, cum cibus ministratus fuerit, signum tangere procuret, et omnes, cum signum audierint, [a] una voce benedictionem rogent : quorum vocem abbas subsequatur dicens : *Dominus dignetur benedicere.* Hoc ad omnia fercula vel pomorum ac potus administrationem observandum est. Illud præcipue decernimus ut nullus alteri dare ex mensura sua vel accipere ab altero præsumat præter abbatem, vel præpositum, cui ab abbate commissum est. Si vero [b] aut novitate, aut temeritate aliquis hæc quæ supra diximus fuerit transgressus, disciplina Regulæ corrigatur pro præsumptæ temeritatis audacia.

§ XI. — Ex Regula sancti Fructuosi.

[c] Carnem cuiquam nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia. Non quod creaturam Dei judicemus indignam, sed quod carnis abstinentia utilis et apta monachis æstimetur. Servato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longe proficiscentium qualitates : ut et volatilium esibus [d] infirmi sustententur, [e] et longinquo itineri destinati : [f] sicut a principe [g] vel episcopo [h] sperantur, pro benedictione, et obedientia degustare non metuant, servantes apud se de reliquo continentiam. Quod si quis monachus voluerit, et contra sanctionem Regulæ usumque, [i] veternum vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni et pœnitentiæ subjacebit. *i* Vivant enim solis oleribus et leguminibus, raroque piscibus [k] fluvialibus, vel marinis, et hoc ipsum, quoties opportunitas fratrum, [l] vel festivitas solemnitatis dederit alicujus, servata in his vel similibus discretione majoris.

§ XII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 92).

Interrog. [m] Qui non vult his cibis vesci, ex quibus fratres reficiunt, sed alios requirit, si recte facit? — *Resp.* [n] Specialiter hoc ipsum quærere cibum, contra mandatum est Domini dicentis : *Nolite quærere quid manducetis, vel bibatis* (*Luc.* XII). Et ut magis nos [o] attentos faceret ad ea quæ dicebat, addidit : *Hæc enim gentes inquirunt* (*Matth.* VI). Sane debet sollicitudo esse ei qui præest, ut impleat illud quod scriptum est : *Dividebatur autem unicuique, secundum quod opus erat* (*Act.* IV).

§ XIII. — *Ex eadem* (*cap.* 92).

Interrog. [p] Qui dicit, quia lædit me hoc, et contristatur si ei alius cibus non fuerit datus? — *Resp.* Apparet quia hic non est fixus in spe illa quam [q] Eleazarus habuit. Nec de charitate ejus qui præest, et sollicitudinem tam sui quam omnium gerit, certus est. Verumtamen absolute neque de his quæ lædunt, neque de his quæ prosunt, permittitur unicuique suo judicio vel voluntate aliquid agere, sed ejus, qui præest, judicio committendum est : ut unicuique, prout res vel necessitas expetit, consulat, tunc deinde secundo loco etiam ut in corporalibus usibus secundum Dei voluntatem moderetur.

§ XIV. — *Item in eadem Regula* (*cap.* 93 ?).

Interrog. Si oportet eum qui plus laborat, requirere plus aliquid a consuetudine? — *Resp.* Si propter retributionem Dei laborem suscepit, non hic requirere debet laboris mercedem vel requiem, sed pro

[a] *Una voce benedictionem rogent.* Dicentes : *Benedicite.*

[b] *Aut novitate.* Adventus in religionem, et ideo nondum plane Regulam monasterii novit.

[c] *Carnem cuiquam nec gustandi*, etc. Habetur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracar. cap. 5. Hic locus de carnibus profertur de Consecratione, distinct. 5, p. 8, sed truncatus; cætera producantur a glossa.

[d] *Infirmi.* Hoc vocabulum non habetur in glossa citatæ distinctionis.

[e] *Et longinquo itineri destinati.* Hoc juxta æquitatis rationem instituit S. Fructuosus ob longioris itineris fatigationem, debilitatem, et morbos qui in ipso possunt occurrere. Notent multi hujus ætatis monachi, qui, ubi pedem e limine monasterii extulerint, sibi carnium esum licitum arbitrantur; et dedita opera sæpius ad sæcularium ædes convolant, ut ibi se carnibus et sagina ingurgitent : quasi vero de loco et domesticis parietibus, aut non potius de gula a Deo judicandi sint.

[f] *Sicut a principe.* Lege, ut in Regula ms., *Si aut*, etc.; in glossa citatæ distinctionis legitur : *Si autem.*

[g] *Vel episcopo.* Contra tamen additione 1 Capitul. Lud. imp., tit. 9, statuitur, *ut nullus episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.* S. Goswinus abbas Aquicinctensis, episcopis et archiepiscopis, cardinalibus, ut carnes ederet præcipientibus, contrarius extitit, quemadmodum ejus Acta testantur.

[h] *Sperantur*, Ita in Regula ms.; in glossa citata legitur, *invitantur.*

[i] *Veternum.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind. id est, veterem, sumiturque adjective.

[i] *Vivant.* Id est, Vescantur.

[k] *Fluvialibus.* In Regula ms.; *flumineis.*

[l] *Vel festivitas solemnitatis dederit alicujus.* Non modo laici Christiani et clerici, sed etiam monachi Dominicis et festis diebus lautius epulabantur, ut constat ex S. Hieronymo, epist. ad Eustochium : « Festus est dies, et natalis sancti Petri festivius est solito condiendus. » Ex Regula S. Isidori, cap. 9; S. Aureliani, cap. 50; S. Cæsarii, in Recapitulatione, cap. 16; cujusdam Patris monachorum, et Magistri cap. 26. Id etiam constat ex Vita S. Leutfridi abbatis, cap. 2; ex vita Apollonii, apud Palladium et Rufinum, et Vita Candidæ, apud eumdem Palladium, et ex multis aliis Vitis Patrum.

[m] *Qui non vult*, etc. Hæc reperiuntur apud S. Basilium, interr. 131, et apud Rufinum, cap. 50.

[n] *Specialiter hoc ipsum.* Lege, *specialiter quærere cibum, hoc ipsum contra mandatum est Domini.* In textu Græco καθόλου, id est, in universum.

[o] *Attentos.* Ita apud Rufinum, sed videtur legendum, *attonitos*, quia in textu Græco legitur, κατεπληκτικώτερον ἐπιτεγχάνοντος, id est, et ut magis obstupefaceret, hoc est, attonitos faceret.

[p] *Qui dicit*, etc. Habetur apud S. Basilium, interr. 132 Regul. brev., et apud Ruf., cap. 50.

[q] *Eleazarus.* Ita in cod. Vind. In textu Græco et apud Rufinum legitur, *Lazarus*, sed male; nam respicit ad senem illum Eleazarum qui mori maluit quam carnes suillas edere, ut habetur II Mach. cap. 6.

[r] Apud sanctum Basilium, interrog. 137; Rufinum, cap. 50.

his ad promissa festinare, sciens quia sicut pro laboribus mercedes paravit Dominus, etiam pro angustiis consolationes. Verumtamen hi qui præsunt, observabunt regulam illam quæ dicit : *Dividebatur unicuique, prout opus erat* (*Act.* IV). Debet enim unumquemque prævenire ; ut secundum laborem etiam solatia refectionis inveniat.

§ XV. — *Item ejusdem Regulæ* (*cap.* 8).

Interrog. [a] Si oportet eum qui se piæ ac religiosæ vitæ dederit etiam continentiam observare? — *Resp.* Quia in omnibus necessaria sit continentia, manifestum est. Primo omnium et ex eo quod Apostolus Paulus inter fructus Spiritus sancti etiam continentiam nominat (*Gal.* V). Tum deinde etiam immaculatum ministerium per hanc servari posse designat, cum dicit : *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate* (*II Cor.* II). Et iterum : *In labore et fatigatione, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis frequenter* (*II Cor.* VI). Et iterum : *Omnis qui in agone contendit ab omnibus continens est* (*I Cor.* IX). Et iterum : *Macero corpus meum, et servituti subjicio* (*I Cor.* IX). Quod utique non aliter quam per continentiam videtur impleri. Et juventutis tumor ac fervor ætatis velut fræno restringi et reprimi per solam continentiam potest. [b] Non enim expediunt stulto deliciæ, secundum Salomonem (*Prov.* XIX). Et : *Carnis curam*, inquit Apostolus, *ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII). Et iterum : [c] *Vidua, quæ in deliciis vivit, mortua est* (*I Tim.* V). Sed exemplum illud divitis in deliciis viventis necessariam nobis ostendit esse continentiam, ne forte et nos audiamus quod audivit et dives : *Quia consecutus es bona in vita tua* (*Luc.* XVI). Quomodo autem incontinentia periculosa sit, etiam Apostolus docet, cum eam proprie illis ascribit, quos recedere a Domino dicit ; ait enim : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt enim homines seipsos amantes* (*I Tim.* III). Et cum plura malitiæ genera enumerasset, ad ultimum posuit : [d] *Comessores, incontinentes, immites*. Sed et Esau malorum suorum quasi fomitem habuit incontinentiam, qui pro uno cibo vendidit primitiva sua (*Gen.* XXV). Sed et illa prima prævaricatio non aliunde homini nisi per incontinentiam accidit. Omnis sanctorum vita, atque ipsius Domini in carne positi, præsentia quæ nobis alia nisi continentiæ proponit exempla? Moyses quoque dum continuato quadraginta dierum jejunio astitisse indefessus dicitur Deo, et meruisse legis auxilium humano generi deferre (*Exod.* XXIV). Elias quoque visione Dei tunc dicitur A dignus effectus, cum et ipse simili spatio temporum a cibo se continuisse scribitur (*III Reg.* IX). Sed et Daniel et trium puerorum meritum apud Deum, quo de omnibus inimicis suis, et de ipso tyranno triumphum coeperunt (*Dan.* I), non aliunde nisi per continentiam venit. Joannis autem omnis vita continentia fuit. Ab hac etiam Dominus manifestationis suæ initia prima patefecit. Continentiam autem dicimus, non quod a cibo penitus abstinendum sit, hoc est enim violenter vitam dissolvere, sed eam qua vitæ usus non superfluus, sed necessarius constat : cum refugimus quod suave est, explemus ea quæ sola corporis necessitas exposcit : et, ut breviter dicam, omnia quæ per passibilem concupiscentiam requiruntur, ab his abstinere virtus est continentiæ. B Et ideo ergo non solum in esu cibi et, in libidine continentiæ virtus agnoscitur, sed cum ab omnibus, in quibus [e] delectamur quidem, sed in anima lædimur, abstinemus. Verus ergo continens nec gloriam humanam desiderat, sed a vitiis se continet, et ab ira, et a tristitia, et omnibus quæ occupatas tenere consueverunt ineruditas animas et incautas. Pene autem in omnibus mandatis Dei hoc inveniemus, quod unum alteri colligret, et separatum aliud ab alio compleri impossibile est. Id tamen præcipue in hac ipsa continentia deprehenditur, quibiam quidem humilis ille deprehenditur, vel judicatur, qui se a superbia continet ; et ille renuntiat omnibus facultatibus suis, et secundum Evangelium vendit omnia C sua, et dividit, qui sine dubio continet se a pecunia et desiderio. Sed et mansuetus ille erit qui iram continet et cohibet furorem. Quid vero jam vagos oculi visus, et auris auditus, et linguæ intemperantiam, aliud quam continentia moderatur et cohibet? Sed et intemperatos risus continentia coercet. Et [f] sicut incontinentiæ signum est, inordinatis et incompositis moribus agere in risu, cum utique subridendo tantummodo lætitiam mentis oporteat indicari. Indecorum autem est sic crepitantem cum sonitu elevare risum, quod certum est per incontinentiam mentis accidere. Solet etiam evenire invitis, quæ res gravitatem et constantiam animi emollire ac resolvere solet. Unde et apud Salomonem, [g] *Risui* inquit, *dixi amentiam* (*Eccli.* II). Et : *Sicut vox spinarum sub olla : ita risus stultorum* (*Eccli.* VII) Et D iterum : *Stultus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit* (*Eccli.* XX). Ostendit autem Dominus in semetipso necessarias quidem carnis habuisse passiones, id est, quæ virtutis, ferrent

[a] *Si oportet eum.* Exstat apud S. Basilium, interr. 16 Regul. fusius disputatarum ; et apud Rufinum, cap. 9.

[b] *Non expediunt stulto deliciæ.* In versione communi : *Non decent stultum deliciæ.*

[c] *Vidua quæ in deliciis vivit, mortua est.* Lege, ut apud Rufinum : *Vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est, ut in Apostolo : Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est* : καὶ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκεν. Ubi σπαταλῶσα a σπαταλῶ, *delicias ago*, in glossis veteribus. Apud Hesychium, σπαταλᾷ, τρυφᾷ, id est, deliciose vivit. Hinc σπαταλη, lascivia, deliciæ. Male apud Suidam σπατάλη, τροφή. Legendum enim, τρυφή, id est, deliciæ.

[d] *Comessores.* Ita apud Rufinum. In textu Græco Apostoli, διάβολοι, id est, criminatores.

[e] *Delectamur quidem hic.* Desiderari videtur τὸ *corpore*.

[f] *Sicut in continentiæ signum*, etc. Hæc habentur apud S. Basilium circa initium capitis sequentis, quod integrum non profertur.

[g] *Risui, inquit, dixi amentiam.* Hæc sententia non reperitur in textu Græco S. Basilii, ut nec et illa : *Væ vobis*, etc.

testimonium, velut laborem, fletum et tristitiam. Nusquam autem invenitur risu usus, quantum ad historiam pertinet Evangelii, sed et flere magis invenitur eos qui rident, dicens : *Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* (*Luc.* II). Nec enim seducere nos debet similitudo nominis risus. Mos namque est Scripturæ interdum lætitiam animi affectumque lætiorem risum nominare, sicut ibi Sara inquit : *Risum fecit mihi Dominus* (*Gen.* XXI). Et iterum : [a] *Beati qui flent nunc, quia ridebunt* (*Luc.* VI). Et in Job quod dictum est : [b] *Os autem veracium replebitur risu* (*Job* VIII). Hæc enim omnia nomina pro gaudio animæ accipiuntur. Qui ergo liber est ab omni passione, et nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter et sobrie adversus omne quod potest lædere nititur, hic perfecte continens dicitur ; qui et sine dubio per hoc alienus invenitur ab omni genere peccati. Libido namque est totius mali muscipula, et per hanc omnes decipimur ad peccatum : per quam qui non resolvitur, neque inclinatur ab ea, omne ex se peccati pessimum germen excidit.

§ XVI. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 9).

Interrog. [c] Quæ est mensura continentiæ ? *Resp.* Quantum spectat ad vitia et passionem, penitus abstinere, nec unquam superari ; quantum spectat, ad cibos, prout usus deposcit, vel ætas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas ejus, ita etiam modus et æqualitas temperabitur cibi. Neque enim possibile est omnes fratres unum ordinem, vel modum ac Regulam custodire. Hi vero qui sani sunt possunt eamdem omnes mensuram tenere in abstinentia. Immutari vero oportet per singulos, in quibus causa aliqua diversitatis existit providentia et provisione rerum, quibus dispensandi hæc cura commissa est. Nec enim per singula sermonem complecti possumus ; sed tantummodo comprehendimus quæ ad communem et generalem pertinent institutionem. Solatio vero [d] incommodorum in cibis vel eorum qui jam fessi sunt ex opere continentiæ, sive ex aliis quibus libet laboribus quos pro religione pertulerunt, hi qui præsunt, secundum quod res et ratio deposcit, adhibebunt. Neque ergo tempus reficiendi omnibus idem statui potest, neque modus cibi, neque qualitas ; sed prospectus iste sit omnibus unus, ut non usque ad satietatem persistamus in edendo. Repleri enim ventrem, et gravari ex cibis valde inutile est, etiam corpori ad omne opus. Tunc deinde quia et gravatur in somno, et quia etiam lædi ex his facile potest. Sed nec suavia quæque ad finem ciborum sectanda sunt, sed sufficit usum explere vivendi refutata luxuria. Si enim libidini serviamus, nihil aliud est quam Deum facere ventrem nostrum. Quoniam quidem corpus humanum semper exolescit et defluit, idcirco et repleri indiget ac reformari. Propter quod et naturale est desiderium. Id quod secundum rectam rationem, aut usus ipse ad reparationem deposcit, eorum quæ exinanita fuerint et absumpta, tam aridi quam etiam humidi alimenti. Si quid ergo illud est quod potest vel brevius, vel facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed et Dominus, hoc opinor, ostendit, cum esurientes refecit in deserto : qui utique possit majore miraculo copiosiores eis cibos parare, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum ; secundum Joannem (*cap.* VI) quinque panes hordeaceos et [e] pisciculos duos apponit. De potu vero nec mentio quidem ulla fit. Ex quo illud sine dubio designatur quod omnibus sufficiens esse possit aquæ usus et pernecessarius, nisi forte aliquis per infirmitatem corporis lædi ex hoc videatur : qui sine dubio secundum consilium apostoli Pauli (*II Tim.* III) cavendus est, quia noxius : sed et quæcunque manifestam inferunt noxam corpori, devitanda sunt. Absurdum enim videtur propter substantiam corporis cibos sumere, et rursus per ipsos cibos corpori inferre perniciem et inutile illud reddere ad ministerium mandatorum. Oportet tamen omnimode illis uti cibis qui et facilius et vilius comparantur, ut ne occasione abstinentiæ inveniamur pretiosiora quæque et difficiliora sectari, dum suavitate condimentorum viles naturæ cibos in summum ac delicatum saporem extollere conamur. Sed si quid est quod in unaquaque provincia facilius et vilius comparatur, et quod in usu hominum communiter habetur, hoc ad usus nostros oportet assumi, et ea tantummodo requiri quæ ad vitam pernecessaria sunt, id est, oleum, vel alia hujuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur. »

§ XVII. — Ex Regula cujusdam.

Caro et vinum sive potus, in quo sit ebrietas, [f] refutanda sunt monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus, et ipsi mundo : [g] et

[a] *Beati qui flent.* Ita apud Rufinum. Est tamen secunda persona Luc. VI.

[b] *Os veracium implebitur risu.* Ita apud Rufinum. In textu Græco Basilii, ubi locus citatur ex Job, ita habetur : ἀληθικὸν στόμα ἐμπλήσει γέλωτος. Id est, *os verax implebit risu.* Lege tamen ἀληθινῶν, id est *veracium*, juxta septuaginta, quos hic sequitur S. Basilius. In versione communi : *Donec impleatur risu os tuum*, juxta textum Hebraicum.

[c] *Quæ est mensura continentiæ*, etc. Hæc habentur apud S. Basilium, interr. 19 Regul. fusius disput., et apud Rufinum, cap. 10.

[d] *Incommodorum.* Id est, morborum ; in textu Græco ἀῤῥώστων, id est ægrotorum.

[e] *Pisciculos duos.* Joan. XVI : *duos pisces*, juxta versionem communem. In textu Græco, δύο ὀψάρια, id est duos pisciculos. ὀψάριον, enim est pisciculus. Suidas : ὀψάριον, ἰχθύδιον, id est pisciculus.

[f] *Refutanda sunt.* Id est, recusanda sunt. Refutare enim aliquando est recusare. S. Gregor. Turonensis de Vita Patrum, cap. 10 : « Romanus vero adhuc adolescentior, et ad opus Dei animum extendere cupiens nuptias refutavit. » Glossæ anonymæ : *Renuctæ, qui refutant abbatem habere.*

[g] *Et ferias monacho non esse super terram.* Deest aliquod verbum, nempe *sciendum est*, vel quid simile. Hic autem Pater ab aliorum sententia discrepat, cum prohibet in solemnitatibus fratres paulo melius procurari, quemadmodum et Evagrius in proverbiis : « Ne dicas, Hodie festivitas, et bibam vinum ; et cras Pentecoste, et manducabo carnes : quia non est festivitas apud monachos super terram. »

ferias monachorum non esse super terram : [a] nisi modicum in adventu fratrum tanquam Christi lectior fuerit cibus gratia charitatis. Verumtamen abstinentia tegenda est, ne jactantiæ vitio decidamus in lapsum; quod præ omnibus vitiis gravissimum est.

[a] *Nisi in adventu fratrum.* Solebant veteres illi monachi fratribus advenientibus paulo lautius epuləri, ut clarum est ex Cassiano, collat. XXIV, cap. 20 et seq.; ex Vitis Patrum et ex nonnullis his Patribus hoc capite ab auctore nostro citatis.

CAPUT XLIX.

DE MENSURA POTUS.

§ 1. — Ex Regula sancti Benedicti.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbellicitatem, credimus [a] heminam vini per singulos sufficere per diem.

[a] *Heminam vini.* Quid sit hemina explicant glossæ veteres : *Imina* ἡμίξεστον, id est, semisextarius; ubi legendum, *Hemina*. Id colligitur ex Gellio, lib. III, cap. 13 : « Contra autem, si ex sextario hemina fusa est, dimidium, non dimidiatum sextarium, fusum dicendum est. » Idem docet Festus : « Hemina ex Græco ἥμισυ, quod est dimidia pars sextarii. » Ita etiam censet S. Isidorus mox citandus et Rhemnius Fannius carmine de Ponderibus et mensuris.

At cotylas (quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas) recipit geminas sextarius unus.

Ubi observandum eamdem esse cotylam Græcorum cum hemina Latinorum. Quod etiam notat Hesychius, cum ait, Ἡμίνα, κοτύλη. Accedit quod Cotyla Græcis sit semisextarius, ut docent S. Epiphanius, lib. de Ponderibus ; Scholiastes Aristophanis in Plictum, act. II, sc. IV : Κοτύλη δέ ἐστι εἶδος μέτρου ὃ λεγόμενον ἡμῖν ἡμίξεστον, id est, « Cotyla est species mensuræ dicta a nobis semisextarius. » Et Suidas, κοτύλη, ὃ καλοῦμεν ἡμίξεστον; id est, « Cotyla, quod vocamus semisextarium. » Ita vulgo usurpatum, nam olim, ut planum est ex Athenæo, cotyla erat alterius generis vas, quod multis modis sumitur, etiam pro hemina, ut ipse notat. Hæc autem cotyla seu hemina capit cyathos sex juxta Fannium :

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.

et S. Isidorum lib. XVI Originum, cap. 25 : « Cotyla hemina est habens cyathos sex. » Cyathi vero pondus est drachmarum decem, auctore Plinio, lib. XXI, cap. ultimo : « Cyathus pendet per se drachmas decem ; » Fannio :

At cotyle cyathos bis ternos una receptat,
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur ;
Bis quinque id faciunt drachmæ, si appendere velles;

et S. Isidoro, cap. 16 citato : « Cyathi pondus decem drachmis appenditur. » Ex quo sequitur heminam sexaginta drachmis appendi. Quod etiam auctoritate Plinii capite citato confirmatur : « Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas quindecim. » Si enim acetabulum seu oxybaphus, ut alii vocant, quarta pars heminæ quindecim drachmas capit, sequitur heminam sexaginta drachmarum esse. Quare necesse est S. Isidorum errasse, cum capite citato scribit : « Hemina autem appendit libram unam, quæ geminata sextarium facit. » Qui in eodem capite sibi manifeste contradicit, cum ait cyathum decem drachmis appendi, et sex cyathos heminam componere. Quod, si ita est, sequitur cyathum appendi duabus unciis, cum in libra, ut est in confesso apud omnes, sint tantum duodecim unciæ; ac proinde cyathi mensuram esse drachmas sexdecim, quod est contra ipsum Isidorum atque auctores supra citatos. Uncia enim pendet octo drachmas juxta eumdem Isidorum eodem libro, cap. 24, Priscianum lib. de Ponderibus et Mensuris, cap. 3, et Fannium :

Uncia fit drachmis bis quattuor.

Itaque cum sex cyathi debeant efficere duodecim uncias juxta Isidorum, necessario cyathus pendet sexdecim drachmas, quod est contra ipsum Isidorum et omnes auctores, qui scribunt cyathum appendi duntaxat decem drachmis. Nec obstat quod Hesychius et Suidas scribant cyathum esse duarum unciarum; nam Græci grammatici in rebus Latinorum sæpius errant. Sed, ut heminæ mensura plenius cognoscatur, quanti valeat drachma videndum est. Drachma igitur juxta S. Isidorum libri citati capite 24 ; Priscianum, cap. 3 libri de Ponderibus et Mensuris, et Fannium, appenditur argenteis scrupulis tribus.

In scrupulis trinis drachma est, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur pondus Athenis.

Unde optime Isidorus, cap. citato. « Drachma octava pars unciæ est ; et denarii pondus argenti tribus constans scrupulis, id est, octodecim siliquis. » Recte sane, et juxta mentem Plinii capite citato : « Drachma Attica (fere enim Attica observatione medici utuntur), denarii argentei habet pondus : eadem sex obolos pondere efficit. » Sex autem oboli tres scrupulos pondere efficiunt; nam scrupulus constat duobus obolis, ut docet Fannius :

Semiboli duplum est obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores.

Quanquam Priscianus scrupulum confundat cum obolo. Quod autem dicat S. Isidorus tres scrupulos esse octodecim siliquas, id fit quia scrupulus juxta Priscianum constat sex siliquis. Ex his omnibus efficies heminam non plus pendere quam septem uncias et semis. Nam si ex cyathis sex quos capit hemina, tollas duodecim drachmas, remanebunt sex unciæ, et ex duodecim drachmis subductis unam unciam et semis efficies. Et hæc de hemina : etsi aliter sentiat Budæus S. Isidorum, qui sibi contradicit, ut ostendimus, secutus. At quispiam dicet hanc minorem esse mensuram, quam sufficiat monacho per diem : sed respondeo primo monachis juxta Apostoli sententiam modico vino utendum, eoque multa aqua diluto. 2. S. Benedictum de sua patria loqui maxime, hoc est, Italia, vinorum generosorum feracissima, quæ multam aquam, remanente sufficiente sapore, et viribus, ferre possunt. Unde postea subjunxit : si loci necessitas postulet, amplius addendum : si nempe illius regionis, in qua situm est monasterium, vina debilia sunt, aut certe si est illa siticulosa natio. Adde etiam cum officia divina, cantus, cæremoniæ quadruplo fere aucta sint necessario augendam esse mensuram, ut S. P. Benedicti ejusque Regulæ discretio servetur.

Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor aestatis amplius poposcerit [a] in arbitrio prioris consistat. Considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas. [b] Licet legamus vinum monachorum omnino non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius. Quia vinum apostatare facit, etiam sapientes. Ubi autem necessitas loci exposcit ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed minus, vel ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, et non murmurent. Hoc autem ante omnia admonentes ut absque murmurationibus sint.

§ II. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 5).

Ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt, etc.

§ III. — Item ex Regula alterius Fructuosi (*cap.* 5).

[c] Per dies singulos vini potionibus sustententur. Juxta tamen providentiam abbatis vel præpositi hæc ipsa potionis parcimonia temperetur, ita duntaxat ut [d] inter quatuor fratres sextarius dividatur. [e] Sabbato vero vel Dominicis diebus ad vesperam una potio adjiciatur.

§ IV. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 39).

De ebrietate vero superfluum puto monachum commoneri, cum, vel si parum vini accipiat, a proposita corporis [f] contritione declinet. Attamen quia latere monachos non poterit, quod Apostolus Timotheo scribit dicens : *Vino modico utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (*II Tim.* III), quantum eis secundum vires monasterii per singulos dies jussu, vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant, et amplius penitus non requirant. Hoc etiam de reliquis stipendiis statuimus observandum. Nam ebrietatem illis etiam qui sæculo vacant, [g] prophetæ testimoniis [h] approbamus, scribente Apostolo Ephesiis : *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* v, 18). Et Propheta : [i] *Væ qui fortes sunt ad bibendum vinum, et potentes ad miscendam siceram* (*Isai.* v). Et iterum : [j] *Væ qui consurgunt mane, et sectantur siceram, qui exspectant vesperam, ut vino æstuent.* Et ideo monachum si ebrium (quod dici nefas est) videri aliquando contigerit, zelans illi, plenus ira præcipio, ut triginta diebus a vini potatione suspendatur : quatenus anima infusione [k] concessa digestionis hoc spatio vacuetur.

§ V. — Ex Regula Magistri (*cap.* 27).

[l] Mox cum sederint ad mensas fratres, antequam comedant, singulos [m] meros accipiant. Quos meros accipientes [n] singuli porrigant abbati sibi signandos, et per alias mensas suis fratribus [o] suis signent præpositi vicibus. In quibus omnibus mensis in suos meros, quisque frater de suo pane ternas non am-

[a] *In arbitrio prioris consistat.* Prior hoc loco abbas est, non præpositus, ut supra demonstratur. Unde prætermittenda illa quæstio cujusdam recentioris, cur mensura vini sit penes arbitrium præpositi, et mensura cibi ex judicio abbatis pendeat. Et sane S. Ferreolus vini mensuram permittit judicio abbatis : « Quantum eis secundum vires monasterii per singulos dies jussu vel dispensatione abbatis vini offertur, accipiant. » S. Fructuosus ponit in arbitrio abbatis vel præpositi. Nec ratio opposita valet nimirum, quod is qui vini mensuram assignat debeat vires et ingenia nosse singulorum, quæ magis perspecta sunt præposito, quam abbati, qui sæpius abest a monasterio quam præpositus. Quasi vero non teneatur abbas, qui pastor est, vultum pecoris sui agnoscere perinde ac præpositus.

[b] *Licet legamus vinum non esse monachorum.* Locus habetur in Vitis Patrum, interprete Pelagio, lib. IV, n. 31 : « Narraverunt quidam Pastori abbati de quodam monacho qui vinum non bibebat : et dixit eis, quia vinum monachorum omnino non est. » Vinum non esse monachorum docet S. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 31. Vino interdicit monachis S. Basilius orat. de exercitatione monastica. Monachi Ægyptii, exceptis senibus, vini usum ignorabant, docet S. Hieronymus lib. I, ep. 2. Monachorum S. Martini *vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset*, inquit Severus Sulpitius libro de ejus Vita. Vinum prohibetur monachis S. Pachomii, ut habetur in ejus Regula, art. 20. Illius usum non probat in monachis Evagrius in Proverbiis, loco supra citato. Nitrienses tamen in Ægypto monachi vino utebantur, teste Palladio in Lausiaca. S. Ferreolus, Magister et S. Fructuosus hic citati permittunt, quemadmodum sanctimonialibus, S. Cæsarius cap. 28 Regulæ. Sed tantum ægrotis concedit S. Leander, cap. 9 libri de Institutione Virg

[c] *Per dies singulos*, etc. Hæc videre est in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Brac. cod. Crass. cap. 3.

[d] *Inter quatuor fratres sextarius dividatur.* Ita ut unicuique dimidia duntaxat hemina detur. De Sextario vide quæ supra diximus.

[e] *Sabbato vel dominicis.* Τὸ *vel* hoc loco sumitur copulative. Addit potionem ad vesperam sabbati, quemadmodum et Dominicæ, quia olim in multis locis non jejunabatur die sabbati, et hic dies pro feriato habebatur, atque etiam a monachis, ut videre est apud Cassianum lib. III de diurnis Orationibus, cap. 9 et 11 ; in Regula S. Columbani cap. 7 ; apud Palladium, cap. de *Nitriensibus*, et in Regula ejusdem S. Fructuosi, cap. 3. Et eodem die sicut et Dominico monachi sacris mysteriis communicaturi in ecclesiam conveniebant, ut passim videre est in vitis Patrum.

[f] *Contritione.* Id est, maceratione, mortificatione.

[g] *Prophetæ.* Puto legendum : *Scripturæ.* Nam primo ætate Apostolum, deinde Prophetam.

[h] *Approbamus, Reprobamus*, apparet correctum in cod. Vind., sed puto deesse τὸ *fugiendam esse.*

[i] *Væ qui fortes sunt*, etc. Juxta textum Hebraicum. In versione communi ita habetur : *Væ qui potentes estis ad bibendum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Ubi pro τὸ *ebrietatem*, S. Fructuosus scripsit *siceram*, sed nomen Hebraicum שכר utrumque significat, et ebrietatem et siceram.

[j] *Væ qui consurgunt mane*, etc. Juxta textum Hebraicum.

[k] *Concessa.* Lege *confecta*, ut sensus sit : anima infusione vini confecta et aggravata.

[l] *Mox cum sederint ad mensas*, etc. Exstat in Regula ms. ejusdem Magistri eodem cap. 17.

[m] *Meros.* Merus substantive significat calicem sive cyathum vini, ut supra notatum est.

[n] *Singuli porrigant abbati.* Qui sunt de ejus mensa.

[o] *Suis signent præpositi vicibus.* Quisque præpositus in sua mensa. Erant autem duo in singulis mensis per singulas decadas divisis.

plius [a] buccellas intingant. Ideo non amplius, ne frater multum ibi panem expendens, cum in pulmentariis non habuerit voracitatis suæ causa, in panis sui mensura aliorum fratrum aspectum in se provocet detrahentem. Post ergo primos meros æstivo tempore ad refectionem tam sextæ, quam nonæ [b] caldelli omnibus terni sufficiant extra illum merum. In eodem vero tempore, cum ad sextam reficitur, binæ sola omnibus sufficiant potiones. Quibus completis tam in refectione sextæ, quam nonæ, vel cænæ stans in medio mensarum clara voce cellararius dicat; qui sitit, fiducialiter indicet. Post hanc vocem qui fuerit sitiens, respondeat, benedic. Statim [c] temperata in uno vase [d] posca calida, aut si voluerint fratres cum [e] jutta, quæ semper amplius prosper sitientes, fieri debet [f] in pulmentariis fortioribus, [g] aut galleta, aut calices sitientibus porrigantur. Nam et his æstatis diebus cum ad nonam reficitur, sera antequam compleant, binæ sufficiant omnibus potiones: ita tamen ut antequam bibant, orent, et postquam rebiberint, reorent. Item in his æstatis diebus cum ad sextam reficitur [h] post dictam nonam quotidie exiens abbas de oratorio in sua sedeat cathedra, et circum astantibus ante eum in ordine omnibus, ejecto a cellario vino, misceantur ab hebdomadariis in consueto vase per singulas mensarum decadas omnium singulæ potiones secundum numerum congregationis et summ. Statim surgens abbas oret cum omnibus; et post orationem, antequam sedeat, oblatum sibi vas cum misto signet. Mox secum omnes ad mensas suas jubeat, sicut consueverunt, sedere, et bibens prius ipse, deinde singillatim mistum per mensas singulas omnibus faciat propinari. Quibus surgant, iterato et orent. Et post orationem redeant omnes ad opera, quæ [i] dimiserant facientes. Ergo quivis sitiens post nonam mox bibat. Jam si introierit decima nemo bibat usque ad vesperam. Si vero frater amplius sitierit in ipsa nona, antequam veniat, ut diximus, decima, et bibere si voluerit aquam, non ab [j] orceo, uno haustu, sed ad calicis aut galletæ aut [k] caucelli bibat mensuram, quia quod extra mensuram est, hoc est nimium et injustum, et desiderii satisfactionem ad corruptelam videbitur adimplere. Nam secundum sententiam illam quæ dicit: *Ne quid nimis*, potest et nimia aqua [l] debriare sensum in phantasiis somniorum, et corpus [m] necessitatibus occupare, [n] id est, in venis flatus, in medullis frigus, in supercilliis gravitas, in capite girus, in naribus sternutus assiduus. In hie-

[a] *Buccellas.* In Regula ms., *buccillos*, quod perinde est. Glossæ veteres: *Buccella*, ψωμίον. Id est frustulum.

[b] *Caldelli.* Caldellus est quoddam cyathi genus. S. Cæsarius in Recapitulatione cap. 16. « Quotidianis vero diebus ad prandium in æstate binos caldellos accipient: ad cœnam vero bini caldelli sufficiant. »

[c] *Temperata.* Id est, fusa.

[d] *Pusca calida.* Ita in Regula ms.; sed lege: *posca.* Celsus, libr. III, cap. 6: *Si ille languet, vel hæc profluit, ex posca.* Quidam explicant loram, id est vinum secundum, quod fit ex maceratis aqua vinaceis, sed non ita recte; nam posca est quod Græci vocant ὀξύκρατον. Glossæ veteres: *Posca*, ὀξύκρατον. Et quod Dioscorides lib. III, cap. 8, ὀξύκρατον dicit, Plinius, qui sæpe loco Dioscoridis interpretatur, lib. XXVII, cap. 4, poscam appellat. Aliter ὀξύκραμα. Apud Palladium cap. 79 Lausiacæ, τὸν δὲ ἄλλον πάντα χρόνον διατελοῦσα ὀξυκράματι καὶ τῷ ξηρῷ ἀρκουμένη. Id est, ut reddit vetus interpres Heraclidis: « Per reliquum ævi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat. » Est autem ὀξύκρατον, seu ὀξύκραμα, acetum aqua temperatum, ut ex medicis notum est.

[e] *Jutta.* In Regula ms. legitur: *Jetta.* In cod. Vind. *Juta.* In Glossis Arabico-Latinis legitur: *Jota, causa*; sed quid hæc sibi velint, nescio. In glossis Isidori legitur: *Jutia lactare.* Sed legendum puto: *Jutta*, ita ut sit spissa potio ex lacte confecta: ac proinde: *Lactare*, hoc loco sit nomen neutrius generis.

[f] *In pulmentariis fortioribus.* Ita correxi ex Regula ms. et cod. Vin., id est, majoribus, abundantioribus pulmentaria fortiora sunt prandia, quia hic Magister vult cœnas esse leviusculas.

[g] *Aut galleta.* Ita in Regula ms. cod. Corb. Est poculi genus infra: « Sed ad calicis, aut galletæ, aut caucelli bibat mensuram; » et infra: « Calix autem aut galleta, per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis sit qui tertius impleat mixtam heminam. »

[h] *Post dictam nonam*, etc. Mos olim fuit in monasteriis, et videtur ab hujus Magistri instituto derivatus, ut monachi extra tempus jejunii post nonam biberent, maxime æstatis tempore. Ekehardus, junior, libro de casibus monasterii S. Galli, cap. 11: « Abbas invitat tandem omnes ad nonales fratrum, quibus conscripti erant, biberes, ibi tanta hilaritate usque ad vesperam jam pene sonatam commanent. » Petrus venerabilis statuto 27: « Statutum est ut non in vasis illis vinariis, quæ justitiæ vocantur, sicut olim facere cogebantur, sed propriis scyphis unusquisque bibat eo tempore quo post nonam ad potus fratres pergere solent. » Agit autem ibi de æstivo tempore. S. Dunstanus, cap. 5 Concordiæ: « Nona vero celebrata, poculisque haustis, dicatur versus *Deus in adjutorium.* » Ibi loquitur de æstate, mentione prius facta prandii. Sed et in hieme idem fieri instituit, cap. 2 ejusdem Concordiæ in diebus festis, exceptis his qui occurrunt inter festum S. Martini et Purificationis: « A festivitate S. Martini refectis fratribus ecclesiam intrantibus agatur signum nonæ; quod sequatur ipsa Laus. Quam nonam non sequitur potus usque ad Purificationem sanctæ Mariæ. »

[i] *Dimiserant facientes. Facientes*, pro *facere.* Phrasis Græca, quia verba cessandi junguntur participio loco infinitivi. Act. XX: *Non cessavi monens cum lacrymis unumquemque vestrum*; in textu Græco: Οὐκ ἐπαυσάμην μετὰ δακρύων νουθετῶν ἕνα ἕκαστον, pro *non cessavi monere. Dimiserant*, hoc loco est, cessaverant.

[j] *Orceo.* Id est, urceo, o pro u, ut sæpius notatum est.

[k] *Caucelli.* Caucellus genus pocli diminutivum a cauco, cujus meminit Spartianus in Pescennio Nigro: « Et cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset. » Trebellius Pollio in Claudio: « Item in caucos et scyphos pondo undecim. » Titulus epigrammatis 25, apud Ennodium: *De cauco cujusdam habente Pasiphuen et taurum.* Idem habetur tit. 29. Vide notas doctissimi viri R. P. Jacobi Sirmondi societatis Jesu.

[l] *Debriare.* Id est, offuscare, turbare.

[m] *Necessitatibus.* Id est, morbis, incommodis.

[n] *Id est in venis flatus.* Deest verbum *fit*, vel quid simile.

mis vero tempore in sextæ et nonæ refectione omnibus [a] caldi terni sufficiant, quia æstus non est, qui provocet sitim. Illis vero diebus in hieme, in quibus sexta reficiunt, sera penitus nihil cœnetur: nisi singuli caldi omnibus sufficiant: ita tamen, ut antequam bibant, orent; et postquam biberint, reorent. Post nonam vero illa potio, quæ quotidie de cellario in æstate proferebatur sitientibus in hieme non detur: quia nec sitis [b] suppeditat: nec longe restat [c] a refectione in vesperam. Illis vero diebus, in quibus in hieme ad nonam reficitur, post dictam vesperam non amplius, quam singuli caldi accipiantur: ita tamen, ut antequam bibant, orent; et postquam biberint, reorent. In illis vero diebus a Pascha usque ad Pentecosten, in quibus ad sextam reficitur absque quinta feria et Dominica, aliis diebus nihil aliud ad seram nisi bini caldi propter dies accipiantur, [d] absque Paschæ octavarum octavis, in quibus jugiter cœnent. Nam ideo supra dictis diebus absque quinta feria, et Dominica usque in Pentecosten cœnas subduximus, ut una refectio in his diebus custodiatur: [e] et quamvis non sua hora, consueti tamen jejunii videatur causa servari [f] cum cœnæ eorum A mutantur in prandia. Quinta vero feria, et Dominica hoc cœnent ad seram, quod supra de cibis taxavimus: addito tamen uno pulmento quotidie in prandio, vel si Paschæ restiterit merces, [g] potio cujuslibet. Calix vero et galleta per quem erit in diversis vicibus ministrandum, talis erit, qui tertius impleat mistam heminam. [h] Sed ejus æqualitatem mensuræ, aut duo aut tres oportet calices aut galletas mensarum ministerio deservire; ut per multa pocula universis citius erogetur. Infantuli vero intra duodecim annos agentes [i] in hieme binos caldos accipiant, ad seram singulos. Æstatis vero tempore ternas ad refectionem, et sero binas accipiant potiones propter ætatis qualitatem. Nam sicut superius de cibis constituimus, ita et de potionibus permittimus. Dominica vero et diebus festis vel propter extraneas advenientes personas quidquid aptum duxerit addere abbas, ut pote majori; conceditur simul et propter charitatem et lætitiam sanctorum dierum, vel amicorum adventum [j] addat mercis, cujus voluerit, potionem. Tantum est, ut memor sit sobrietatis, et fugiat vinolentiæ ebrietatem. Quia nisi sobrium fuerit corpus, ad opus Dei vigilare non potest, [k] et

B

[a] *Caldis.* Caldus est genus poculi, cujus diminutivum est caldellus.

[b] *Suppeditat.* Neutraliter sumptum, id est, suppetit, ut Phil. v, *Si vita suppeditasset.*

[c] *A refectione.* Non intelligit cœnam, sed potationem, quam paulo ante instituit ad seram in hieme, sublata cœna, etiamsi reficiant fratres ad sextam.

[d] *Absque Paschæ octavarum octavis.* Τὸ *octavarum* videtur redundare; id est, præter Paschæ octavas. Id instituit Magister, propter solemnitatem octavarum Paschæ, quæ olim feriatæ erant: et tota illa hebdomade populus quotidie conveniebat in ecclesiam, ut patet ex codice canonum Ecclesiæ Africanæ, can. 61, ubi statuitur ut in die Dominica et reliquis sanctorum festis non fiant spectacula: Μάλιστα ὅτι ἐν ὀγδοάδι τοῦ ἁγίου Πάσχα οἱ ὄχλοι μᾶλλον εἰς τὸ Ἱπποδρόμιον, ἤπερ εἰς ἐκκλησίαν συνέρχονται. Id est, « Maxime quia in octo diebus sancti Paschæ potius in Hippodromium quam in ecclesiam conveniant. » Conc. Trull., can. 66: Ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμέρας μέχρι τῆς κατὰ Κυριακὴν τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀπαραλείπτως τοὺς πιστοὺς ἐν ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς εὐφραινομένους ἐν Χριστῷ, καὶ ἑορτάζοντας, κ. τ. λ. Id est, « A sancto Domini nostri Jesu Christi resurrectionis die usque ad novam Dominicam, totam hebdomadem in sanctis ecclesiis vacare fideles jugiter oportet psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, lætantes in Christo et feriantes, » etc. Conc. Matisconensis II, can. 2, ubi de Paschatis solemnitate agitur, statuiturque: « Ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere. » Nominat tantum sex dies, quia de ipso die Paschæ et sequenti Dominica nihil necesse erat statuere. Nicephoro Homologeta in Canonibus: Οὐ δεῖ ἐργάζεσθαι τὴν ἑβδομάδα διακαινισίμου· id est, « Non oportet operari in hebdomade diacænisimi; » ita vocabant hebdomadem Paschæ: de quo vocabulo infra. Lib. I, Cap. Caroli et Lud. impp., tit. 164, inter festivitates habentur *Paschæ dies octo.* Leges imperiales statuerunt septem dies ante et post Pascha omni strepitu forensi vacandum. C. L. *Ut in die, de feriis*, l. *omnes*, eodem titulo. l. *Actus omnes*, eodem titulo. Constantinus imperator τρίτον νόμον ἔγραψεν, ἀπράκτους εἶναι τήν τε τοῦ πάθους ἑβδομάδα, καὶ τὴν τοῦ διακαινισίμου, inquit Alexander monachus in libro de Inventione S. Crucis, id est: « Tertiam legem tulit, ut hebdomas passionis et diacænisimi, hoc est, octavarum Paschæ sine opere transmitteretur. » Emmanuel Comnenus voluit hanc ab omni opere cessationem incipere a Lazari resurrectione. Vide Photium in Nomocanone, tit. 7, cap. 1, et Theodorum Balsamonem ibidem, cujus ætate duo tantum dies post Pascha celebrabantur, ut ipse testatur in canonem citatum concilii Trullensis.

C

[e] *Et quamvis non sua hora.* Id est nona; supple *Reficiatur.*

[f] *Cum cœnæ eorum mutantur in prandia.* Juxta priscorum Patrum institutum, de quo S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: « A Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia. » Sed hic Magister eximit hebdomadem Paschæ, in qua instituit prandium et cœnam.

[g] *Potio cujuslibet.* Speciei qua uti solent monachi.

[h] *Sed ejus æqualitatem mensuræ.* Lege, *Sed secundum hujus æqualitatem mensuræ.*

[i] *In hieme binos caldos accipiant.* Ita in Regula ms. sed videntur deesse ista vocabula, *ad refectionem*, id est ad prandium. Nam postea cum agit de æstate, dicit: « Æstatis vero tempore ternas ad refectionem, et sero binas accipiant potiones. » Sensus est igitur ut infantes hiemis tempore binos caldos accipiant ad prandium, et sero singulos caldos; quemadmodum in æstate accipiunt tres ad prandium, et sero duos.

D

[j] *Addat mercis, cujus voluerit, potionem.* Ita in Regula ms., id est, vasis, seu cadi: merx enim est vas apud Juvenalem, sat. 4:

. . . . . Magna qui voce solebat.
Vendere municipes fracta de merce siluros.

Ubi vetus scholiastes: *Id est, fracto vase sardarum ejusdem municipii.*

[k] *Et anima cogitatione libidinis non carescit.* Recte, quia vinum est luxuriæ incentivum: οἶνος ἔρωτος τροφός, id est vinum est nutritius amoris, inquit Achilles Tatius libro I. Leucippes, Οἶνος Ἀφροδίτης γάλα, id est, « Vinum lac Veneris, » inquit Aristophanes apud Athenæum, libro X. « Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, » inquit S. Prosper Aquitanicus libro II de Vita contemplativa, cap. 22. Vinum spiritalem abigit lætitiam, confusionem et incendium gignit in corde, inquit Marcus Eremita.

anima cogitatione libidinis non [a] carescit. Jam si aliquis discipulorum de constituta mensura potus, et panis sui remanente fragmento recusare aliquantulum ad mensam voluerit, spiritum plus agnoscitur amare, quam carnem, et frenum castitatis imponit luxuriæ. Nam cum hoc ipsum recusat abstinens frater levanti cellarario dicat lente : Suscipe, et hoc quod negatum est carni, proficiat Deo. Mox semote in uno vase a cellarario hoc ipsum mittatur Deo feliciter profuturum, et pro aliquo munere adjunctum eleemosynæ monasterii mendicanti pauperi a cellarario porrigatur in manum. Hæc omnis mensura de [b] indicis monasterii. Nam si quid transmissum foris congregationi suæ apparaverit Dominus, gratanter suscipiatur transmissum Domini donum : et, si placuerit abbati, mensis addatur.

[a] *Carescit.* Pro, *caret.*

[b] *De indicis.* In Regula ms., *De inthicis,* pro, *enthecis,* id est promptuariis, de quo vocabulo supra.

CAPUT L.

QUIBUS HORIS OPORTET REFICERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] A sancto Pascha usque ad Pentecosten [b] ad sextam reficiant fratres et sera cœnent. [c] A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, [d] quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam. Reliquis vero diebus ad sextam prandeant. Quæ prandii sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit providentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter animæ salventur, et quod faciunt fratres, [e] absque justa murmuratione faciant. Ab idibus au-

[a] *A Pascha usque ad Pentecosten,* etc. Servat S. Benedictus antiquum Ecclesiæ morem, quo a Pascha usque ad diem Pentecostes ob reverentiam et lætitiam resurrectionis Christi et adventus Spiritus sancti jejunium relaxatur. De quo Tertullianus libr. de Corona militis : « Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. » Hinc capiendus est ejusdem Tertulliani locus libr. contra Psychicos : « Cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus omni exsultatione decurrimus? » Idem docet S. Epiphanius in Synopsi sub finem. S. Augustinus epistol. 119 ad Januarium. Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus, cap. 18 Collat. 21, cap. 11, 12, 19 et 20. S. Isidorus libr. I de Offic. Eccl. cap. 33 et 42. In regula monachorum, cap. 10. Beda lib. III Angl., cap. 5. Haymo Halberstattensis libr. I de Varietate, cap. 14 : « Porro quinquagesimam ab ipso Dominico resurrectionis die inchoare, et gaudiis potius laudibusque divinis quam jejuniis voluerunt esse celebrem, quatenus annuis ejus festis admoneremur desiderium nostrum ad obtinenda festa, quæ non sunt annua, sed continua ; non terrena, sed cœlestia, semper accendere, fixumque tenere. » Concilium Turonense II can. 18. « Ut de Pascha usque ad quinquagesimam, exceptis rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. »

[b] *Ad sextam reficiant.* Id est, prandeant. Nam cum non jejunabant monachi, sexta hora, id est, meridie prandebant. Quod videtur apud S. Gregorium libr. III Dial., c. 15 : « Cumque vir Dei jejunare volebat ad nonam, præcipiebat urso eadem hora cum ovibus reverti ; cum vero, noluisset, ad sextam. » Idque juxta morem laicorum, qui prandebant meridie. Festus : « Merendam dicebant pro prandio, quod scilicet medio die caperetur. » Athenæus libr. I enarrans Æschyli locum : Δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, ὃ ἡμεῖς ἄριστον, id est, : « Δεῖπνον vero (dicit) refectionem meridianam, quod nos ἄριστον, id est, prandium. »

[c] *A Pentecoste autem,* etc. Binam refectionem in æstate indulget S. Benedictus, nec excipit feriam quartam et sextam, si forte nimius sit calor aut labor ob regulam discretionis, quam ubique servat. Nec id recedit a medicorum regulis, cum S. P. semel in hieme, bis in æstate cibum sumere præcipit, ut notum est ex Cornelio Celso lib. I de Re Medica, cap. 3 : « Hieme plus esse convenit, » et paulo post : « Semel die cibum capere, etc. ; » et infra : « Æstate vero, et potione et cibo corpus sæpius eget. Ideo prandere quoque commodum est ; » et paulo post : « Ut sæpius autem cibo utendum sic exiguo est. » Idque juxta doctrinam Hippocratis libr. I, aph. 18, qui ait æstate cibum difficillime ferri, hieme facilius, quia in æstate quasi effetus languescit nativus calor, et ideo sæpius edendum, sed minus. In hieme vero calor nativus fortior est, et somnus longior ; proinde plus edendum, sed semel tantum.

[d] *Quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam.* Juxta antiquum Christianorum morem, qui quarta et sexta feria singularum hebdomadum jejunabant, ut videre est in canonibus S. Petri patriarchæ Alexandrini et martyris, can. 15 : Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν ἐν αἷς νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προσετέταχτο, id est, « Nemo reprehendet nos observantes quartam feriam et parasceven, in quibus jejunare juxta traditionem rationabiliter nobis præscriptum est. » Apud sanctum Epiphanium in synopsi : Τετράδι δὲ καὶ προσαβ-βάτῳ ἐν νηστείαις ἕως ὥρας ἐνάτης, etc., id est, « Quarta et sexta feria in jejuniis usque ad nonam manere ab apostolis institutum est. » Hinc capiendus est Tertullianus libr. adversus Psychicos : « Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus? » nam stationes sunt jejunia : Glossæ Arabico-Latinæ dictæ : *Statio, jejunium.* Id etiam notum est ex Beda libr. III Hist. Angl., cap. 5 : « Religiosi quoque viri et feminæ consuetudinem fecerunt excepta remissione quinquagesimæ Paschalis quarta et sexta sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare. » Hinc decretum S. Columbani in Pœnitentiali ms : « Si quis ante horam nonam quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua vivat. »

[e] *Absque justa murmuratione.* Ita legit Ruthardus, lectionemque probat ex loco Cassiodori, in quo illud Psalmistæ : *Et, si non fuerint saturati, murmurabunt,* explicat de apostolis, qui juste in Judæos Evangelium respuentes murmuraverunt : rursus ex loco S. Gregorii illud Job enarrantis : *Si adversum me terra mea clamat,* cum ait : « Terra etenim contra possessorem suum clamat, quando contra pastorem suum juste Ecclesia murmurat. » Sed hæc non est proprie murmuratio, sed justa querimonia subdito-

tem Septembris [a] usque ad caput quadragesimæ ad novam semper reficiant. In quadragesima usque ad Pascha ad vesperam reficiant. [b] Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes, [c] sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed et omni tempore [d] sive cœnæ, [e] sive refectionis, [f] hora sic temperetur, [g] ut cum luce fiant omnia.

§ II. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 11).

[h] In refectione monachorum a diebus Pentecostes [i] usque ad autumni principium, tota æstas [j] interdiana prandia invitat : reliquum tempus suspendit, prandia cœnam tantum apponit.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 12).

[k] Hæc sunt feriæ monachorum in quibus jejunia conquiescunt : inprimis [l] venerabilis dies Dominicus nomini Christi dicatus, qui sicut propter mysterium resurrectionis ejus solemnis est, ita et apud omnes servos ejus celebritatem convivii votivo gaudio retinebit. Item a primo die Paschæ usque ad Pentecosten quinquaginta scilicet continuis diebus jejunium a sanctis Patribus dissolutum est propter resurrectionem videlicet Christi et adventum Spiritus sancti : ut hi dies non in figura laboris, quod quadragesimæ tempus significat, sed in quiete lætitiæ laxatis jejuniis celebrentur. Placuit etiam Patribus a die Natalis Domini usque ad circumcisionem solemne tempus efficere, licentiamque vescendi habere. Non aliter et dies Epiphaniæ ex veteri regula reficiendi licentiam consecutus est. Si quidem et dum quisque fratrum convertitur, aut ex aliis monasteriis fratres visitandi gratia concurrunt, pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia [m] si tamen non fuerint generalia. Præter hæc alia tempora libere licenterque cultui jejuniorum inserviunt. [n] Si qui autem monachorum prædictis temporibus jejunare disponunt, nequaquam prohibendi sunt. Nam et multi sanctiorum Patrum his diebus in eremo abstinuisse, nec aliquando jejunia solvisse leguntur, [o] nisi diebus Dominicis propter resurrectionis Christi lætitiam.

§ IV. — *Item ex ejusdem Regula* (*cap.* 13).

[p] Jejuniorum autem hos dies potissimum veteres elegerunt. Primum jejunium quadragesimæ quotidianum, in qua major abstinentiæ observantia manebit in monachis, quando non solum a prandiis, sed etiam a vino et ab oleo abstinetur. Secundum jejunium [q] interdianum post Pentecosten alia die inchoatum usque ad æquinoctium autumnale protenditur : [r] ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter æstivum calorem. Tertium sequitur quotidianum jejunium [s] ab octavo [decimo] Kal. Octo-

rum in malos pastores. Ipse tamen Ruthardus notat in quibusdam aliis exemplaribus legi : *Absque ulla murmuratione*, quemadmodum in aliis cod. nostris mss., atque etiam editis.

[a] *Usque ad caput quadragesimæ*. Id est, usque ad secundam feriam post Dominicam primam quadragesimæ : ita ut quadragesima hoc loco sumatur pro jejunio quadragesimali.

[b] *Ipsa tamen vespera sic agatur*. Tempore quadragesimæ.

[c] *Sed luce diei omnia consummentur*. Quæ ad refectionem spectant. Ratio est, quia cum lucernæ lux sit subobscurior, daretur occasio maligno, præcipue in amplo refectorio, instigandi fratres ad confabulationem, et quædam alia illicita.

[d] *Sive cœnæ*. Cum non jejunatur : quia bis reficiunt monachi.

[e] *Sive refectionis*. Cum jejunatur.

[f] *Sic hora temperetur*. Cibi sumendi in diebus brevioribus. Tamen notandum est S. P. Benedictum maxime huic constitutioni astringere eos qui in Italia similibusque religionibus habitant, ubi circa solstitium brumale dies non sunt ita breves ac in regionibus Borealibus, ut in Anglia, Scotia, Dania, extrema Belgia, et similibus, in quibus ob brevitatem dierum hæc observari non potest institutio.

[g] *Ut cum luce fiant omnia*. Quæ spectant ad refectionem ; nam propter hospites, infirmos, et multa alia, necesse est lucernæ lumen adhiberi.

[h] *In refectione monachorum*, etc. Exstant in Reg. exc. S. Isidori cap. 9, ubi hæc omnia efferuntur imperandi modo.

[i] *Usque ad autumni principium*. Quod cadit octavo Kal. Octobris, quo incipit æquinoctium autumnale juxta eumdem Isidorum, ut supra notatum est, qui infra hoc jejunium producit usque ad æquinoctium autumnale.

[j] *Interdiana prandia*. Id est, alterna, nempe Dominica, feria tertia, quinta et septima. Nam juxta hanc regulam illo tempore ter jejunandum est in hebdomada, feria secunda, quarta et sexta.

[k] *Hæ sunt feriæ monachorum*, etc. Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 10.

[l] *Venerabilis dies Dominicus*. Juxta antiquum Ecclesiæ morem. Tertullianus lib. de Corona militis : « Die Dominico jejunare nefas ducimus. »

[m] *Si tamen non fuerint generalia*. Id est, ecclesiastica et communia omnibus Christianis. Hæc verba non sunt in Regula excusa.

[n] *Si qui autem monachorum prædictis temporibus*, etc. Idem docet idem Isidorus lib. I de Offic. Eccl., cap. 42 : « Post Pascha autem usque ad Pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ vigorem prandiis relaxaverit, tamen qui monachorum vel clericorum jejunare cupiunt non sunt prohibendi, quia Antonius et Paulus et cæteri Patres antiqui etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, nisi tantum die Dominico. »

[o] *Nisi diebus Dominicis*. Monachi licet valde austeri, nunquam tamen jejunabant diebus Dominicis. Id statuitur in Regula Macarii et aliorum Patrum : « Debet ergo ille ordo teneri, fratres, ut nulla die, nisi nona reficiantur fratres, excepto Dominico die. » Idque faciebant ex præscripto concilii Gangrensis, quod can. 18 prohibet monachis jejunare die Dominico : Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἐν τῇ Κυριακῇ νηστεύσῃ, ἀνάθεμα ἔστω, id est, « si quis propter eam, quæ existimatur, exercitationem (hoc est, vitam monasticam) die Dominico jejunaverit, anathema sit. » Unde in Regula Tetradii seu Teridii cap. 23 dicitur : « Si quis die Dominico jejunaverit, peccat. » Et quamvis multi Ægyptiorum monachi die Dominico non cœnarent, et tantum prandierent, ut notat Cassianus lib. III de Diurn. Orat., cap. 12, quia tamen prandebant hora sexta, non jejunare censebantur.

[p] *Jejuniorum autem*, etc. Hæc videre est in Regula excusa, cap. 11.

[q] *Interdianum*. Id est, alternis diebus.

[r] *Ternis scilicet diebus*. Nempe feria secunda, quarta et sexta.

[s] *Ab octavo decimo Kal. Octobris*. Τὸ *Decimo*, videtur redundare, nec habetur in Regula excusa, recte, quia jejunium Pentecostes producit usque ad æquinoctium autumnale, quod juxta eumdem lib. V Orig., c. 34, et I. de Natura Rerum, c. 8, incipit ab VIII Kal. Octob.

bris usque ad Natale Domini, in quo quotidiana jejunia nequaquam solvantur. Quartum item jejunium [a] post diem Circumcisionis exoritur, peragiturque usque ad solemnitatem Paschæ.

§ V. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 13).

[b] Jejunii ista oportet tempora observare. A Pascha usque ad Pentecosten reficiendum ad sextam est, [c] et monofagia, id est, conservanda per diem. A Pentecoste usque ad octavum decimum Kalendas Octobris [d] interdiana jejunia retinenda, [e] excepto quod una quadragesima, [f] quæ festivitatem sanctorum Justi et Pastoris præcedit, sollicite conservanda est: in qua usque ad nonam quotidie jejunandum est, et a vino penitus abstinendum. Servanda tamen abbati discretio est, ut cum hos gravi labore perspexerit onerari ad refectionem [g] singulas potiones tribuat. Ab octavo decimo Kalendas Octobris usque ad Pascha sollicite jejunandum est: et in quadragesima [h] vino et oleo penitus abstinendum.

§ VI. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 6).

[i] Jejunium vero i a Kal. Septembris usque ad Kalendas Novembris secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est. [k] A Kalendis Novembris usque ad

[a] *Post circumcisionem.* Lege, *a Circumcisione*, quia illis temporibus, et anterioribus tenebantur jejunare Christiani Kal. Januarii, ut notum est ex concilio Toletano IV can. 10; S. Isidoro, lib. I de Offic. Eccl., cap. 40: « Jejunium Kalendarum Januariarum propter errorem gentilitatis instituit Ecclesia, » S. Ambrosio serm. 17: « Unde qui Kalendas Januarii colit, peccat; quoniam homini mortuo defert divinitatis obsequium; ubi, *homini mortuo*, id est, Jano. Et paulo post: « Observavit enim diem et mensem, qui his diebus non jejunavit, aut ad Ecclesiam non processit; » ubi particula *aut* sumitur copulative. Ex quo loco plures dies quam unum alicubi jejunatum fuisse constat. Conc. Turonense secundum tres dies jejunii statuit can. 17; « Et quia inter Natale Domini et Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Januariis fieri Litanias. » Error ille gentilis erat, ut homines etiam Christiani feminea veste induti paganis permixti se petulantius gererent, ut videre est in sermone S. Asterii Amaseæ episcopi de Kalendis Januarii: Γυναῖκα κρίζεται κρισταὶς, ὁ τὸν θυμὸν λεοντώδης, ὁ μετὰ τὴν ὅπλισιν θαυμαστὸς, ὀρθῶναι τοῖς οἰκοῖσι, καὶ τὸν χιτῶνα μέχρι τῶν σφυρῶν ἄρασι, etc., id est, « miles muliebris formam assumit, animo leoninus, et cum armis aspectu admirabilis, et tunicam ad talos demittit, pectus zona circumcingit, indumento muliebri utitur, et crobylum capiti imponit. » Apud S. Isidorum c. citato: « Alii femineo gestu demutati virilem vultum effeminant. » Alii idolorum formas assumebant; quos redarguit S. Petrus Chrysologus serm. 155 de Kal. Januariis: « Similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulacrorum formis sacrilegis formaverunt. » Alii ferarum et belluarum formis assumptis veluti insani per campos et plateas saltabant. S. Maximus Taurinensis homil. de Kal. Janu. « Nunquid non universa ibi falsa sunt et insana; cum se a Deo formati homines aut in pecudes, aut in feras, aut in potenta transformant, etc. » Idem testantur S. Isidorus, cap. citato, et Alcuinus de Offic. Eccl. cap. 4. Quod prohibetur in conc. Autisiodorensi, can. 1: « Non licet Kalendis Januarii vetula et cervolo facere. » Ubi lege, *vetulas, et cervolos.* Ut in sermone S. Eligii episcopi Noviomensis apud Surium in ejus Vita. Τὸ *vetulas* est τὸ *vitulas*, ut notat vir doctissimus Jac. Sirmondus in notis ad præfatum concilium. Hæc superstitio manat a Persis. Nam apud eos Mithræ (quem solem esse credunt) initiati in ejus spelunca orgia sua celebrantes varias ferarum formas ut leonum, hiænarum, corvorum, etc., assumebant, ut notat Porphyrius lib. de Abstinentia ab animalibus: « In Mithræ mysteriis significantes communionem quam in brutis animantibus habemus, nos per animantes significare solent, ita ut eorumdem orgiorum participes leones appellent, feminas vero hiænas, et ministros corvos. » Περὶ πατέρων δέ, ἀετοὶ γὰρ καὶ ἱέρακες οὗτοι προσαγορεύονται: ὅτε τὰ λεοντικὰ περιλαμβάνων περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφὰς, id est, « de patribus vero, aquilæ enim et accipitres ipsi appellantur, cum quis leontica assumens induit omnigenas animalium formas. » Hinc capiendus est Tertulliani locus lib. I contra Marcionem: « Sicut aridæ et ardentis naturæ sacramenta Mithræ leones philosophantur. »

[b] *Jejunii enim ista oportet tempora*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracar. cod. Crass.

[c] *Et monofagia id est conservanda per diem.* Ita in Reg. ms. sed lege, *et monofagia, id est, unica refectio conservanda*, etc. Nam monofagia Græcum est quod unicam refectionem significat. Hæc autem institutio est juxta mentem priscorum Patrum, qui a Pascha usque ad Pentecosten cœnas vertebant in prandia, unica refectione contenti, ut superiori capite ad Regulam Magistri notatum est.

[d] *Interdiana jejunia.* Id est, alternis diebus, nempe secunda, quarta, et sexta feria, juxta mentem S. Isidori, a quo nonnulla S. Fructuosus emendicavit.

[e] *Excepto quod una.* Reposui particulam *quod*, quæ hic desiderabatur, ut in Regula ms

[f] *Quæ festivitatem sanctorum Justi et Pastoris.* Incipiendo a 17 Junii. Nam horum dies festus sexto Augusti die notatur. Fuerunt Justus et Pastor fratres pueri, qui Compluti, in Tarraconensi regione, passi sunt, de quibus Usuardus in Martyrol. Chron. Dextri Flavii (si modo illius sit) 296: *Sancti Christi martyres Justus et Pastor.* Prudentius in Peristephano hymno 6:

Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

Horum mentio fit in Vita S. Theodardi episcopi Narbonensis. Eorum reliquias divina revelatione admonitus S. Asturius pontifex Toletanus invenit; et eorum amore ductus, relicta sede, Compluti mansit, ubi primus fuit episcopus, ut refert S. Hildephonsus, cap. 2 lib. de Viris Illustribus. Hanc autem quadragesimam in horum martyrum honorem instituit S. Fructuosus, quia suum monasterium sub illorum patrocinio dedicaverat: quod quidem situm est in diœcesi Asturicensi ad radices montis Iragi, ad ripam rivuli Molinæ, in finibus Vergidi oppidi, in quo ipse natus est, ut constat ex privilegio Chindaswindi regis, quod refertur a doctissimo viro dom. Antonio d'Yepez in appendice centuriæ 2 Chron. ord. S. Benedicti ex chartulari ecclesiæ Asturicensis.

[g] *Singulas potiones.* Nempe vini.

[h] *Vino et oleo penitus abstinendum.* Sumpsit ex S. Isidoro supra.

[i] *Jejunium.* Hoc vocabulum videtur redundare et legendum, *a Kal. vero.*

[j] *A Kalendis septembris.* Sumpsit ex Cæsario, qui idem statuit in Recapitulatione: « A Kalendis Septembris usque ad Kalendas Novembris secunda, quarta, et sexta feria jejunandum est. »

[k] *A Kal. Novembris.* Ex eodem Cæsario ibidem: « A Kalendis vero Novembris usque ad Natalem Do-

Natale quotidie jejunandum est [a] absque sabbato et Dominica. Ab Epiphania vero usque ad Pascha quotidie jejunandum est absque majoribus festivitatibus sabbato et Dominica. Post Pascha vero usque Pentecosten sexta feria tantum jejunandum est. [b] Post Pentecosten mense Junio, Julio, et Augusto in potestate abbatis sit de jejunio, et prandio, [c] ut sicut viderit possibilitatem fratrum, ita studeat temperare.

mini, exceptis festivitatibus et sabbato omnibus diebus jejunari oportet.

[a] *Absque sabbato et Dominico.* Eximit a jejunio diem Sabbati perinde ac Dominicum juxta morem Orientalium non solum monachorum, sed etiam reliquorum Christianorum, qui hos dies feriatos habebant; ac proinde sabbato, æque ac Dominica non jejunabant. Id moris etiam fuit apud quosdam Occidentales et maxime Gothos, quippe qui fidem ab Orientalibus acceperunt. Id patet ex Recapitulatione S. Cæsarii cap. 15. « A Kalendis vero Novembris usque ad Natalem Domini exceptis festivitatibus, vel sabbato, omnibus diebus jejunari oportet. » S. Fructuosi Regula cap. 5 ubi die sabbati jejunium relaxat : « Sabbatorum vero vel Dominicorum diebus ad vesperam una potio adjiciatur. » Ex conc. Agathensi, can. 12, ubi, cum præcipiat jejunium sabbati in quadragesima, signum est hunc diem non jejunari solitum aliis temporibus a quadragesima. Nam si extra quadragesimam illarum partium jejunassent Christiani die Sabbati, multo magis in quadragesima; ac proinde non opus fuisset ejusmodi constitutione. Imo sabbatum ne quidem jejunabatur ab omnibus qui erant sub ditione Caroli Magni, ut patet ex lib. VI Capitul., tit. 184 : « Præter hæc omnia tempora jejuniorum omni sexta feria propter passionem Domini jejunetur : sed et sabbati dies a plerisque propter quod in eo Christus jacuit in sepulcro, jejunio consecratus habetur. » Ubi vides statui jejunium feriæ sextæ, non vero sabbati, quod non ab omnibus, sed a plerisque jejunabatur. Et ratio hæc est, cur S. Benedictus tempore æstivo nihil statuerit de sabbati jejunio : tempore vero hiemali generaliter loquens nihil de eo definierit, sicut nec de die Dominico et festis, ista, ut arbitror, permittens Ecclesiæ consuetudini. Sed de his consule epistolas S. Augustini 86 ad Casulanum, et 119 ad Januarium, et acta S. Nili abbatis Cryptæ ferratæ.

[b] *Post Pentecosten mense Junio*, etc. Ex S. Cæsario in Recapitulatione : Jejunium a Pentecoste usque ad Kal. Septembris, quomodo virtutem et possibilitatem viderit mater monasterii, sic studeat temperare. »

[c] *Ut sicut.* Addidi particulam *ut*, quæ desiderabatur ad sensum.

[d] *Similiter etiam*, etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano, lib. II de Orat. Noctur., cap. 18.

[e] *Vespera sabbati, quæ lucescit in die Dominico.* Apud Cassianum, *in diem Dominicum.* Prior lectio plausibilior est. Nam vespera Sabbati quæ lucescit in die Dominico, est qua incipit dies Dominicus. Nam vespera Sabbati erat initium ipsius diei Dominici juxta morem Judæorum et Atheniensium, qui initium diei ducebant a solis occubitu, ut notat Theodorus Gaza libello de Mensibus; quos postea imitata est Ecclesia, ut notum est ex cap. 91 sextæ synodi, ubi circumscribitur dies Dominicus, et cessatio a genuflexione a synaxi vespertina sabbati ad sequentem synaxim vespertinam Dominicæ. Locum vide supra, ubi egimus de *lucernario.* Idem de cessatione ab opere servili, et aliis operibus prohibitis statutum fuit : ita ut ejusmodi opera cessarent a vespera sabbati, et Dominicæ vespera resumerentur : quod satis patet ex lib. VI Capitul. Car. et Lud., tit. 186 : « Diem Dominicum secundum reverentiam colite,

§ VII. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 9).

[d] Similiter a [e] vespera sabbati, quæ lucescit in die Dominico usque ad vesperam ipsius Dominici, et totis quinquagesimæ diebus [f] nec genua curvari, nec jejuniorum regulas custodiri Patrum constituta sanxerunt.

§ VIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 28).

[g] Omni tempore in septimana duobus diebus ad sextam reficere debent, hoc est, [h] quinta feria et

Opus servile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, in eo non faciatis; nec causas, nec calumnias inter vos dicatis, sed tantum divinis cultibus serviatis. Et a vespera usque ad vesperam dies Dominicus servetur. » Et ex synodo antiqua, quæ tribuitur S. Udalrico Augustano episcopo, can. 53 : « Diem Dominicum et alias festivitates absque opere servili a vespera usque ad vesperam celebrare docete. » Ubi idem nota de festis diebus.

[f] *Nec genua curvari.* Olim ex antiqua Ecclesiæ institutione et ab ipsis apostolis manante, die Dominico, et quinquaginta illis diebus a sancto Pascha usque ad Spiritus sancti adventum Christiani in ecclesia non genu flectebant. Ita docet S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27 agens de apostolicis traditionibus, καὶ ὀρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν μιᾷ Σαββάτου, id est, « in prima sabbati erecti complemus preces. » Et infra agens de quinquagesima : Ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾷν οἱ θεσμοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν, id est, « in qua (quinquagesima) potius erecto corporis habitu precari nos Ecclesiæ leges edocuerunt. » S. Petrus Alexandrinus patriarcha et martyr, can. 15 : Χαρμοσύνης ἡμέραν ἄγομεν διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν, id est, « lætitiæ diem (Dominicum) agimus, in quo propter Christi in eo resurrectionem neque genua flectere traditione accepimus. » S. Dorotheus doctr. 15 : Πεντηκοστὴ γάρ ἐστιν ἀνάστασις ψυχῆς, ὡς λέγει τίς· τούτου γὰρ καὶ σύμβολόν ἐστι, τὸ μὴ κλίνειν ὑμᾶς γόνυ ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ πᾶσαν τὴν Πεντηκοστήν, id est, « Est enim Pentecoste, ut quidam ait, animæ resurrectio : cujus quidem signum est, quod per totam Pentecosten (hoc est quinquagesimam) genua in ecclesia non flectimus. » Idem scribunt S. Epiphanius in Synopsi. Tertullianus lib. de Corona militis loco supra citato; S. Augustinus epist. 119 ad Januarium; Photius in Nomocanone, tit. 7, cap. 4; S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in mystica Theoria : Τὸ μὴ κλίνειν γόνυ ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Κυριακῆς, etc., id est, « Non genu flectere in die resurrectionis sanctæ Dominicæ significat casus nostri erectionem factam per Christi resurrectionem die tertia. Usque ad Pentecosten vero, et septem dies post Pascha διακαινισίμου, id est, renovationis, septies multiplicatos continere quadraginta novem dies, et Dominica Pentecostes addita, quinquaginta. » Ubi vides διακαινισίμων esse primam paschæ septimanam, quam Theodorus Balsamon in can. 16 Apostolorum, in supplemento appellat ἑβδομάδα διακαινισίμου. Idem statuunt conc. Nicænum can. 20, et sexta synodus loco supra citato, et S. Columbanus in Pœnitentiali mss. : « Exceptis diebus Dominicis, et a die primo Paschæ usque ad quinquagesimum diem, in quibus moderate se in tempore psalmodiæ humiliantes, genua non flectentes sedule Dominum orent. » Vide statuta Petri Venerabilis.

[g] *Omni tempore in septimana*, etc. Hæc habentur in Reg. mss. Eodem cap. excipienda tamen est quadragesima. Nam infra excipit a jejunio quadragesimæ solam Dominicam.

[h] *Quinta feria.* Jejunium relaxat quinta feria juxta constitutionem Melchiadis papæ. De qua Anastasius Bibliothecarius in Melchiade. Alcuinus cap. 8 de

Dominica; cæteris aliis in septimana diebus ad nonam horam reficere oportet. Nam erubescamus nos, qui sumus spiritales, fugere hora nona jejunium, cum vetusta consuetudo antiquitus agnoscitur [a] prandia ignorasse; [b] sed semper vesperam, hoc est, cœnam suis refectionibus ordinavit; intantum, ut annonam quæ erogabatur aut laborantibus, aut militibus, [c] ideo annona usque hodie dicitur, quia ad horam nonam diei erogatur, et ideo usque hodie annona nomen remansit. Nam ipsius Domini testimonium proferam, quem cœnasse cognovimus, [d] non legimus prandisse, cum dicit sancti Evangelii scriptura: [e] *Vespere autem facto recubuit Jesus cum duodecim apostolis et cœnantibus illis dixit* (*Matth.* XXVI). Nam ideo ad nonam horam universis diebus constituta sunt solvi jejunia: ut sit aliquid prolixius, quod quadragesimæ diebus addatur, id est, usque ad vesperam, id est, post lucernariam. [f] A sexagesima vero quarta, sexta, et sabbato post lucernariam semper reficiant; [g] aliis vero diebus usque ad quadragesimam ad nonam reficiant, ut quod Dominicæ quadragesimæ de quadraginta jejuniis subtrahunt, [h] quarta sexta, et sabbato a sexagesima jejunia usque ad vesperam continuata restituant, ut quadraginta jejunia in numero compleantur.

Off. Eccl. Carolus Magnus epist. ad Alcuinum, et anonymus in epist. quæ exstat 109, inter Alcuini epistolas.

[a] *Prandia ignorasse.* Veteres Romani primis reip. temporibus non prandebant, sed cœnabant tantum. S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 2: « In usu enim non erant prandia. » S. Salvianus libr. I de Providentia: « Nunquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu et dolore tolerabant, cum viles et rusticos cibos ante ipsos quibus exercebantur, focos sumerent, eosque ipsos capere nisi ad vesperam liceret? »

[b] *Sed vesperam, hoc est, cœnam.* Lege: *Vespernam.* Festus: « Vesperna, quam nunc cœnam appellamus. » Idem. « Vesperna apud Plautum cœna intelligitur. » Hinc castigandus locus S. Isidori cap. citato: « Est autem cœna vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant; » legendum enim, *vespernam.*

[c] *Ideo annona usque hodie dicitur.* Ita censet Isidorus cap. citato: « Annona tractum est a tempore quo Romani veteres ad cibos advocabantur, sicut Martialis: »

Imperat excelsos frangere nona toros.
Quod adusque hodie Persæ faciunt.

[d] *Non legimus prandisse.* Hæc dicuntur juxta præcisa Evangelii verba, in quo nulla prandii mentio, cum de Christo agitur. Illum tamen aliquando prandisse satis colligitur ex Joan. cap. IV, ubi dicuntur discipuli intrasse in civitatem Sichar, et emisse cibos, cum esset hora quasi sexta, quæ est prandii; et invenisse Dominum cum muliere colloquentem, eumque rogasse ut manducaret, quod non fecissent, si nunquam prandere statuisset.

[e] *Vespere autem facto*, etc. Matth. XXVI, ubi sic versio communis: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis: et edentibus illis dixit.*

[f] *A sexagesima vero quarta, sexta, et sabbato.* Ita in Reg. ms. videtur tamen deesse τὸ *secunda.* Nam hic Magister in hebdomade sexagesimæ instituit jejunium quatuor dierum ad instar jejunii quadragesimalis, ita ut monachi reficiant tantum ad vesperam, ad supplementum sex Dominicarum, in quibus ex more antiquo Ecclesiæ non jejunatur. Cum igitur a prima Dominica quadragesimæ usque ad Pascha sint duo et quadraginta dies, ut numerus quadraginta dierum servetur, addit Magister quatuor in sexagesima, ut cum illis duobus qui quadragenarium numerum excedunt, suppleantur sex Dominicæ, in quibus non jejunatur. Lege ergo *secunda, quarta*, etc.

[g] *Aliis vero diebus usque ad Quadragesimam ad nonam reficiant.* Juxta morem solitum jejuniorum regularium, in quibus reficiunt fratres ad nonam secundum instituta Magistri, non vero quadragesimalium.

[h] *Quarta sexta et sabbato.* Deest τὸ *secunda*, juxta superiorem rationem.

CAPUT LI.

UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Omni tempore silentio debent studere monachi, [a] maxime tamen nocturnis horis. [b] Et ideo omni tempore sive jejunii, sive prandii, [c] si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint a cœna, sedeant omnes in unum, [d] et legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes; non autem [e] Eptaticum, aut [f] Regum [g] quia

[a] *Maxime nocturnis horis.* Hac lege multis malis, quæ tenebrarum subsidio perpetrantur, occurrit S. Benedictus.

[b] *Et ideo.* Hæc verba sunt continuationis, non consequentiæ.

[c] *Si tempus fuerit prandii.* Id est, si non fuerit jejunii tempus; quia non jejunantes prandebant, jejunantes vero minime, unde prandia et jejunia opponuntur. Sidonius lib. VI, epist. 12: « Ut constet indesinenter regem præsentem prandia tua; reginam laudare jejunia. »

[d] *Et legat unus collationes.* Fuit olim hæc consuetudo monachorum, ut post cœnam aut vespertinam synaxim simul congregati, uno legente, audirent sacram Scripturam, vitas aut collationes Patrum. Ita statuit S. Isidorus cap. 6 Regulæ: « Post vespertinum autem congregatis fratribus oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus divinæ lectionis quæstionibus disputare. » Ubi meditari est legere. Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5: « Meditari deberent, id est, aut legendis Scripturis, aut psalmis discendis operam dare. » Idem statuit S. Fructuosus cap. 5 Regulæ, sed tantum æstatis tempore: « Quod quidem æstate conservatur; ut priusquam compleant, liber legatur. »

[e] *Eptaticum.* Ita in aliis mss. nostris; et apud Ruthardum, pro *Heptateucho.* Vide superius annotata. Eptaticum seu Heptateuchum complectitur quinque libros Moysis, Josue et Judicum. Nonnulli Judicum libro annectunt librum Ruth.

[f] *Regum.* Supp. *libros.*

[g] *Quia infirmis intellectibus non erit utile*, etc. Hæc non dicuntur propter obscuritatem librorum illorum, quia Prophetæ, Epistolæ Pauli, Evangelia,

infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc scripturam audire : aliis vero horis legantur. Si autem jejunii dies fuerit, dicta vespera, parvo intervalle mox accedant ad lectionem Collationum, ut diximus, et lectis quatuor aut quinque foliis, [a] vel quantum hora permittit, [b] omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis. Si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum positi [c] compleant. Et exeuntes a completoriis [d] nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis Regulam, graviori vindictæ subjaceat : excepto si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid jusserit; quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat.

§ II. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 8).

[a] Hæc enim præcepta vitalia nobis a majoribus tradita. Si acciderit, ut psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat, illico solvat cingulum, et inclinata cervice, manibus-

A que ad inferiora depressis stabit ante altare, et a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet, et in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint.

§ III. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 15).

[f] Nocte dum ad dormiendum itur, seu postquam quiescitur, alteri nemo loquatur. Duobus in lecto uno jacere non liceat. In nocturnis tenebris nemo loquatur fratri, cui obviat. Lux autem nocte dormientium locum illustret ; ut depulsis tenebris [g] testimonium pateat singularis quietis. In nulla turpi cogitatione versetur, sed [h] in sola contemplatione Dei accubans et requiem corporis, et quietem habeat cordis, cogitationesque pravas a se repellat, bonisque objectis turpes a se reficiat. Nam animi B motus imaginibus suis agitur ; et qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis et imago per soporem occurrit.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 16).

[i] In tenebris nemo loquatur alteri : nec accedat ullo modo junior quilibet ad lectum alterius *i* post Completam.

etc., sunt æque obscura : sed quia in Heptateucho, et Regum libris describuntur quædam historiæ, quæ possent imperfectis monachis obscenas quasdam imaginationes secundum quietem offerre, maxime si sero legantur paulo antequam eant cubitum.

[a] *Vel quantum hora permittit.* Subaudi vocabulum : *Tot*, hoc modo, *vel tot*, *quantum hora permittit.* Hora hoc loco est tempus.

[b] *Omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis. Si quis forte*, etc. Locus obscurus : primo, quia quo tendant illa verba : *Et lectis quatuor aut quinque foliis*, non video ; secundo quid sibi velint hæc verba : *Omnibus in unum occurrentibus per hanc morem lectionis*, obscurum est. Non enim per illa intelligi potest, quod fratres non debeant adesse initio lectionis, sed tantum dum legitur ; quia antea dixit : *Mox accedant.* Et sane cur non debeant adesse initio, nulla ratio est? Sed esto, cur potius tempore jejunii quam altero? In cod. ma. ms. S. Germani deest verbum : *Occurrat*, sed tantum additur in margine alia scriptura et recentiore ; et recte ad nostrum propositum ; deinde in his verbis : *Omnes ergo in unum positi*, particulam, *ergo*, expungendam puto, quæ non exstat apud Ruthardum : ut hæc tota periodus sic a nobis interpuncta legatur, adjecta particula, *etiam*, quæ habetur in editione Colinæi : *Et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit* (*omnibus in unum occurrentibus, etiam per hanc moram lectionis, si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus*) *omnes in unum positi compleant.* Et sensus est : Ut lectis quatuor vel quinque foliis, etc., omnes in unum positi dicant Completorium, omnibus in unum occurrentibus ad hanc lectionem, etiam per moram illius, si quis forte in aliquo opere sibi commisso est occupatus : qui, cum breve sit spatium inter vespertinam synaxim et hanc lectionem, ægre adesse posset illius initio ob opus sibi injunctum.

[c] *Compleant.* Id est, Completorium dicant. S. Fructuosus cap. 3 Regulæ : *Ut priusquam compleant, liber legatur.*

[d] *Nulla sit licentia denuo loqui aliquid.* Hunc locum tangit Amalarius Fortunatus lib. III de Offic. Eccl. cap. 8 : « Unde et apud monachos tenetur usus ex Regula sancti Benedicti, ut ab eo officio (completorio) claustra oris muniant. » Nocturnum sane silentium omnibus expletis horis canonicis in usu semper fuit apud veteres monachos. Cassianus lib. II de Nocturnis Orationibus cap. 15 : « Finitis itaque

psalmis et quotidiana congregatione, sicut supra diximus, absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet cum altero. » Pœnæ breviores quæ tribuuntur S. Basilio, n. 15 : Εἴ τις ἑσπέρας μετὰ Πάτερ ὑμῶν εὑρεθῇ ὁμιλῶν, ἀφοριζέσθω, id est, « si quis vespere post Pater noster inventus fuerit cum aliquo colloquens, excommunicetur. » Hoc silentium observabatur etiam extra claustra monasterii, et cum vitæ discrimine. S. Stephanus Obazinæ abbas, cum nocte se ad Dolonense monasterium conferret, interceptus a latronibus nullis minis C adduci potuit ut loqueretur, etiam librato in ejus cervice ferro, a quo divinitus liberatus est, latronibus terrore panico perculsis. Eadem fuit constantia quorum discipulorum S. Odonis abbatis Cluniacensis, qui a barbaris ligati, diuque lacessiti silentium nocturnum neutiquam violaverunt, etiam barbarorum duce, ut eorum constantiam tentaret, irruente in eos, et lancea mortis metum incutiente, ut refert Joannes monachus lib. II Vitæ S. Odonis.

[e] *Hæc sunt præcepta*, etc. Hæc habentur in Regula S. Pachomii excusa art. 1. Sed quorsum ista huc referantur, non video. Nam in hoc capite S. Benedicti agitur de lectione post cœnam et vesperas, et de silentio post Completorium. At in hoc sancti Pachomii capitulo agitur de culpis in ecclesia commissis, de earum correptione et satisfactione. Itaque existimo non hunc esse locum hujus articuli, sed eum esse transferendum ad sequens caput, in quo tractatur de culpis in oratorio commissis. D

[f] *Nocte dum ad dormiendum itur*, etc. Hæc videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 3.

[g] *Testimonium pateat singularis quietis.* Ut cognoscatur an fratres soli in lectis suis decumbant.

[h] *In sola contemplatione Dei accubans.* Præclara admonitio. Nam multum confert adversus carnis et dæmonis tentationes in lecto oratio, aut pia aliqua meditatio. Quod etiam monet S. Fructuosus episcop. cap. 17 Regulæ : « Nocturnum tempus peculiaribus orationibus, et sacris vigiliis ducendum est propter lucifugas dæmonas servorum Dei deceptores. » Et S. Pachomius art. 50 Regulæ : « Postquam obdormierit, si post somnum vigilaverit, oret. »

[i] *In tenebris nemo loquatur alteri*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. S. Fructuosi episc. Brac., cap. 17 cod. Crass. Hæc constitutio sumpta est ex S. Isidoro supra.

[i] *Post completam.* Completa est completorium.

§ V. — Ex Regula Orientalium.

[a] Nemo alteri loquatur in tenebris; [b] in psiatho cum altero dormiat : manus alterius nemo teneat, sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, [c] uno cubito distet.

§ VI. — *Item ex eadem Regula* [d].

Ad collectam et ad psallendum nullus sibi occasiones inveniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit. Etsi in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi et psallendi tempus non prætermittat.

§ VII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 30).

[e] Ubi omnia, cum adhuc loquendi et aliquid imperandi licentia tribuitur, fuerint adimpleta, factis Completoriis, in ultimo dicant hunc versum : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* Mox ingrediantur silentium, et suis se collocent lectis; et tanto silentio rediganter, ut usque ad Nocturnos putetur, nullus ibi esse de fratribus. Ideo enim post Completorios tacere debemus, ut merito in Nocturnis [f] primo dicamus Domino : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Hoc est, petamus Dominum debere in Nocturnis aperire labia nostra, quæ sua custodia in Completoriis clauserat. Vides ergo, quia quidquid aperitur, agnoscitur prius fuisse clausum. Sed ne forte, cum silentium custoditur, aliqua necessitas utilitatis ad loquendum fratrem perurgeat, et frater fratri vult loqui, si lumen [g] cicendeli aut lucernæ fuerit, vel manu, vel nutu capitis, vel nutu oculorum, aut certe, si deest lumen, frater cum fratre [h] ad necessarium vadat, et quod opus fuerit, tamen ad aurem lente loquatur, ut alter tertius eum non audiat. Simul et si frater aliqua necessitate post A somnum ante Nocturnos compellatur loqui aliquid, prius versum consuetum Nocturni dicat sibi lente, id est : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam;* et loquatur quod opus est. Nam manducandi aliquid, aut bibendi, [i] vel aliquam rem operandi nullam fratri post Completorios permissionem concedimus. Si qui vero de extraneis post Completorios perfectos monasterium advenerint, a domesticis fratribus tacito ministerio recreentur, et lente eis responsum reddatur propter Regulæ constitutum, et lotis eorum pedibus [j] complentes postmodum sibi lente et ipsi peregrinorum lectis delegentur dormire : mox clausis ab ostiariis [k] regiis, in suis et ipsi jacentes stratis per horarum silentium et noctis appetant somnum. Si quis vero frater post B Completorios aut manducare, aut aliquid bibere deprehensus fuerit, hanc excommunicationis pœnam suscipiat; alia die accusatus, [l] [in] jejunio continuato, tertia die reficiat qui præsumpsit illicita. Quæ excommunicationis pœna tandiu in continuatione permaneat, quandiu per humilitatis satisfactionem de emendatione promissa ab eo, abbate præsente, aut a præpositis venia fuerit postulata.

§ VIII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 9).

[m] Regulam silentii omni tempore servandam Scripturarum series declaravit, dum per Prophetam dicitur : *Cultus justitiæ silentium et pax* (*Isa.* xxxii). Tacendum namque est ab otiosis et frivolis, et scurrilibus, et pravis et malitiosis fabulis : de quibus Propheta orabat dicens : *Pone, Domine, custodiam ori* C *meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* Cessandum quippe est a fabulis superfluis, ne damnationis per ineffrenatæ mentis ignaviam anima fructum capiat. Qui non so-

[a] *Nemo alteri loquatur in tenebris*, etc. Hæc habentur etiam in Regula S. Pachomii, cap. 53.

[b] *In psiatho.* Psiathus, ψίαθος, et ψιάθιον Græce, matta Latine est storea, in qua quis sedet aut cubat. Cassianus lib. v, cap. 35 : « Et incubantem psiatio reperisset. » Collat. 1, cap. 23 : « Adhuc nos avidos, et de suo ore pendentes degustare somnum paucis perhortatus est iisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare. » Hesychius Illustris in Menedemo : Τοῦ μὲν θέρους ψίαθος ἐπὶ τῶν χλινῶν, id est, « et in æstate psiathus in lectis. Julius Pollux lib. x, cap. 6, inter illa, quæ lectis necessaria sunt, ψίαθον recenset. Hesychius lexicographus : Ψίαθος ἡ χαμεύνη, καὶ τὸ φύτον ἐξ οὗ πλέκεται ψίαθος, id est, « Psiathus est humile stratum seu id quod substernitur in terra decumbenti, et virgultum ex quo psiathus contexitur. » Psiathia etiam sternabantur cathedris judicum teste eodem Hesychio, et Julio Polluce lib. viii, cap. 10, substernebantur etiam orantibus. Ut liquet ex sancto Gregorio lib. ii, Dial. cap. 10 : « Præcepitque vir Dei in cella sua, in psiathio, in quo orare consueverat, projici. » Et ex S. Eulogio, lib. iii Memorialis, cap. 10 : « Adeo ut subtus matta, in qua illa prostrato corpore exorabat, humectum lacrymis pavimentum ostenderetur. » Substernabantur etiam psallentibus in choro, ut notum est ex Regula Magistri, cap. 18 et 68 Fiebant autem ex scirpo, aliquando ex ramis palmarum.

[c] *Uno cubito distet ab altero.* S. Fructuosus episc. Brac. cap. 2 Regulæ : « Nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alterum, etc. »

[d] Art. 81 Regulæ S. Pachomii, sed referendus est ad cap. 50 Regulæ S. Benedicti.

[e] *Ubi omnia*, etc. Hoc capitulum est pars capitis trigesimi, ut videre est in Reg. ms. Mag.

[f] *Primo dicamus : Domine, labia*, etc. Eamdem rationem incipiendi Nocturnos ab hoc versiculo profert Amalarius Fortunatus lib. iii de Offic. Eccl., cap. 9 : « In nocturnali officio dicimus primo : *Domine, labia mea aperies*, etc. Deinde sequitur *Gloria*. Quando pridem in nocte conventi fuimus, commendavimus nos Deo, et conclusimus ora; atque post singuli quasi quodammodo in singulis sepulcris quievimus, et soli Domino mente astitimus : cui non D sunt verba necessaria, quia cogitationes novit. At nunc, quia iterum convenimus ad confitendum Domino, precamur eum, ut sua directione labia nostra aperiat. » Hinc capiendus locus Regulæ Magistri, cap. 44 : « Oportet in Nocturnis ab abbate dici versum apertionis. » Ubi per *versum apertionis* intelligit versum : *Domine, labia*, etc.

[g] *Cicendeli.* Vide supra.

[h] *Ad necessarium.* Id est, ad secessum.

[i] *Vel aliquam rem operandi.* Ita restitui hunc locum ex cod. Vind.

[j] *Complentes.* Id est, orationem seu collectam lautionis pedum dicentes.

[k] *Regiis.* Id est, ostiis.

[l] *In jejunio* τὸ *in*, redundat

[m] *Silentii regulam*, etc. Ita S. Columbanus cap. 2 Regulæ : « Silentii regula diligenter custodienda decernatur; quia scriptum est : *Cultus justitiæ silentium et pax.* »

lum de scurrili et injurioso sermone, sed etiam de otioso juxta Domini præceptum rationem sumus reddituri. Quid aliud debet monachus studere, quam soli Deo, in quo semel desiderium fixit, et oris sermone, et animæ desiderio vacare? Omnibus ergo horis diurnis præterquam ad mensam [a] ab hora secunda usque ad Completam quidquid utilitas sacræ Regulæ poposcerit, per abbatis [b] commeatum loquendum est. Ab hora vero [c] Completionis, cum oratio ad somnum capiendum datur, nullus omnino loqui præsumat, nisi grandis necessitas monasterii poA poscerit. Cui ab abbate fuerit ordinatum, loqui studeat, vel etiam a præposito, qui curam aliorum portat.

§ IX. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 35).

Hoc specialius coram Deo monemus custodiri, [d] ut nulli liceat cum alio secretius loqui aut sedere, præcipue vespertinis ac nocturnis horis. Si secrete inventi fuerint, tanquam si crimen admiserint, severissime distringantur, absque illis qui probati sunt ætate et sanctitate.

[a] *Ab hora secunda.* Matutina videlicet post Primam recitatam juxta antiquum morem numerandi horas.

[b] *Commeatum.* Id est, permissum, licentiam, ut supra notatum est.

[c] *Completionis.* Id est, Completæ, ut paulo ante dixit, vel, ut vulgo loquuntur, Completorii.

[d] *Ut nulli liceat cum alio secretius loqui.* Optima sanctio, quæ peculiares monachorum familiaritates præscindit, per quas erga cæteros fratres charitas algeat, secretæ murmurationes aluntur, ex quibus paulatim clandestina peccata, eaque tandem exitialia nascuntur, ac denique universa regularis observatio periclitatur. Ex iisque oriuntur divisiones et schismata in congregatione, suntque improbitatis eorum qui coeunt, argumentum, inquit S. Basilius in Constitutionibus Monasticis, cap. 29, ac proinde hanc secretioris locutionis familiaritatem omnino proscribit S. Leander cap. 2 de Institutione virginum : « Noli assumere unam ad loquendi familiaritatem, et declinare alias; sed quod scire uni utile est, sciatur ab omnibus. » Et paulo post : « Si bonum est quod loqueris, cur una tantum et non potius omnes informentur? Si turpe est, nec cogitare, nec loqui debes, quod alias erubescis scire. » Quapropter *publicum sit apud religiosos* (inquit Ennodius, *Paræn.* 7), *omne quod geritur, clandestina repudietur obscuritas : multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam; audiant æmuli, quia qui testes adhibet vult probari : male deprehensa judicetur conversatio, quæ non optat agnosci*

CAPUT LII.

DE HIS QUI AD OPUS DEI, VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Ad horam divini officii [a] mox, ut auditum fuerit [b] signum, relictis omnibus, (quælibet fuerint) in manibus, [c] summa cum festinatione curratur : cum gravitate tamen; ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod si quis in nocturnis post gloriam [d] psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino [e] subtrahendo, et morose volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet; aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit abbas; ut videantur ab ipso [f] vel ab omnibus; usque dum completo opere Dei, [g] publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in ultimo, aut seorsum judicavimus debere stare, ut visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris oratorio remaneant, erit forte talis, qui se aut [h] recollocet et dormiat, aut certe sedeat sibi foris, vel fabulis vacet : [i] et datur occasio maligno. Sed ingrediatur intus : ut nec totum perdat, et de reliquo emendetur. [i] Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum et gloriam primi psalmi, [k] qui post versum dicitur, occurrerit, [l] lege qua supra diximus in ultimo stet, nec præsumat sociari choro psallentium

[a] *Mox ut auditum*, etc. Hujus institutionis meminit Joannes monachus lib. III Vitæ S. Odonis, et S. Fructuosus apud Henricum Canisium tom. V antiquæ lectionis.

[b] *Signum.* Est campana seu nola, lib. VI Capitul. Caroli et Ludovici, tit. 168 : *Sacerdotes signa tangant horis canonicis.* S. Eulogius martyr in Apologetico. *Et excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum gestamina erant ad conventum canonicum quotidie Christicolis innuendum.* Gallice, *sein* : unde, *toc-sein.*

[c] *Summa cum festinatione curratur.* Ita monet S. Isidorus cap. 6. Regulæ : *Dato enim legitimis temporibus signo ad horas canonicas festina cum properatione omnes ad chorum occurrant.* Hic autem S. Benedictus potius animi fervorem indicat, quam corporis impetum; nam sequentia illa verba : *Cum gravitate tamen*, temperant quodammodo præcedentia.

[d] *Psalmi nonagesimi quarti.* In Vict. p. additur, *venite exultemus.*

[e] *Subtrahendo.* Ita vulgo in excusis legitur, ut apud Smaragdum. Eamdem lectionem agnoscit cod. Vict. p.; sed codices Vict. ma., S. Germ. ma : S. Ebrulphi et S. Faronis cum S. Dunstano legunt, *protrahendo.* Quæ est vera et germana lectio : et supra in hac Concordia ita legitur.

[f] *Vel ab omnibus.* Particula, *vel*, hoc loco est copulativa. Nam paulo post subjungit; *Ut nisi ab omnibus.*

[g] *Publica satisfactione.* Se prosternendo coram omnibus.

[h] *Se recollocet.* Id est, iterum se collocet in lecto.

[i] *Et datur.* Ita apud Smaragdum, in codicibus S. Germ. utroque, Vind. Vict. ma. et in editione Coloniensi. Recte satis, ut sensus sit, *et sic datur*, etc. Vulgo legitur, *et detur.* In editione Colinæi : *Et sic detur.* Optime.

[j] *Diurnis autem horis.* Intelligit cæteras horas a nocturnis vigiliis.

[k] *Qui post versum dicitur.* Mediate, vel immediate; hæc tamen verba non exstant in cod. mss. S. Ebrul. et S. Faronis.

[l] *Lege qua.* Phrasis Græca, *qua* pro *quam.*

usque ad satisfactionem : nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua : [a] ita tamen, ut satisfaciat reus ex hoc. Ad mensam autem [b] qui ante versum non accurrerit (ut simul omnes dicant versum et orent, et [c] sub uno omnes accedant ad mensam [d] qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, usque secundam vicem pro hoc vitio corripiatur : si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensæ [e] communionis [f] participationem : sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua [g] de vino usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quidquam cibi, aut potus [h] præsumere. [i] Sed et si cui offertur aliquid a priore, et accipere renuerit, hora, qua desideravit hoc, quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil accipiat usque ad emendationem congruam.

A

B

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 6).

[j] Ad horam vero orationis dato signo si quis non statim prætermisso opere quod agit (quia nihil orationi præponendum est) paratus fuerit, foras excludatur confundendus. Operam vero dabunt singuli fratres, ut tempore quo [k] missæ fiunt sive die, sive nocte, quando diutius ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluo foras recedant; quia scriptum est in Evangelio : *Oportet autem semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII). Et alio loco : *Non impediaris orare semper.* Si quis autem non necessitate, sed magis vitio [l] procedendum putaverit, sciat se cum deprehensus fuerit, culpabilem judicandum : quia per suam negligentiam, et alios in vitium mittit. In vigiliis observandum est, quando

[a] *Ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.* Se nimirum in ipso choro prosternens in fine officii. S. Columbanus vult hujusmodi negligentes prosterni tempore officii, donec ab abbate jubeantur surgere, ut habetur in ejus Pœnitentiali ms : « Si non contemptu, etc. Cunctis in synaxi fratribus congregatis tandiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consumetur solemnitas, impetraturus eam cum jussus fuerit abbatis judicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciat, quisquis ad orationem vel opus aliquod accersitus tardius occurrerit. » Et supra in eodem Pœnitentiali idem Columbanus pro eadem culpa mulctat suos monachos : « Si quis non audierit sonitus orationis, XII psalmos. » Et postea. *Si tardius veniat orationi* L, supple *psalmos*, recitet

[b] *Qui ante versum.* Fuit illa pia semper in Ecclesia consuetudo orare ante cibum et post cibum Deo gratias agere ; lib. VII constitutionum Apostolicarum, cap. 50, exstat oratio ad sumendum cibum : apud Prudentium in Cathemerino duo sunt hymni, unus ante cibum, et alter post cibum. Luculentum est hujus rei testimonium apud S. Athanasium tractatu de virginitate. Id patet etiam ex S. Basilio in epist. ad S. Gregorium Theologum ; S. Ambrosio lib. III de Virginibus ; S. Hieronymo, epist. ad Eustochium de custodia virginitatis ; ex S. Joanne Chrysostomo homil. de precatione ; sancto Martino Bracarensi episcopo in Collectione canonum Orientalium, can. 65 ; Cassiano, lib. III de Orat. diurn., cap. 12 ; Palladio in Lausiaca cap. 28 ; S. Gregorio papa lib. I Dial., cap. 9 ; S. Columbano in Pœnitentiali mss. ; S. Isidoro cap. 9 Regulæ ; Beda lib. III Hist. Angl., cap. 6 ; S. Fructuoso episcopo, cap. 6 Regulæ ; Magistro, cap. 38 Regulæ ; Additione IV Capitul. Lud. imp., tit. 48 ; Epitome Ludovici imp. super Regulam S. Benedicti ; S. Gregorio Turonensi mox citando, et Grimoldo abbate libro Sacramentorum, ubi ponuntur orationes ante, et post cibum dicendæ. Nec solum cibi benedicebantur, sed etiam comedentes. S. Gregorius Turon. lib. VIII Hist. cap. 2 : « Ablutis rex manibus, accepta a sacerdotibus benedictione, ad mensam resedit ; » et cap. 7 : « Tunc conturbati sacerdotes de fratris (Palladii episcopi Sanctonum) humilitate dixerunt regi : vidimus enim eum convivio tuo adesse, et de ejus manu te benedictionem accipere. » Joan. Moschus cap. 57, ubi quidam monachus missus, cum panibus comedere noluit, quia non fuerat benedictus ab abbate. S. Basilius in pœnis brevioribus : Εἴ τις μὴ λάβοι εὐλογίαν, καὶ ἐσθίει ἄνευ παιδείας ὤν, ἀφοριζέσθω, id est, « Si quis non accipit benedictionem, et comedit sine disciplina, excommunicetur. » S. Columbanus in Pœnitentiali ms : « Si quis comederit sine benedictione, XII percussionibus. » Supp. mulctetur. Eratque pœnæ genus comedere sine benedictione accepta. S. Basilius interr. 122 Regul. brev. in titulo : Ἐάν τις ἐπιτιμηθεὶς εὐλογίαν μὴ λαβεῖν λέγει ὅτι ἐὰν μὴ λάβω εὐλογίαν, μὴ ἐσθίω, id est, « si quis animadversionis nomine benedictionem non accipiens dicit ; non comedam, nisi prius benedictionem accepero. » Magister cap. 73. Regulæ : « ad mensæ vero antiphonam, vel versum priorem qui non adfuerint, semote, et non signatum, sine data et accepta benedictione manducent et bibant. »

C

[c] *Sub uno.* Sup. momento temporis.

[d] *Qui per negligentiam suam et vitium non occurrerit.* Subaudi, *inquam.*

[e] *Communionis.* Ita in Concordia Vindocinensi. Vulgo, *communis*, rectius.

[f] *Participationem.* Sup. *accedere.*

[g] *De vino.* Ita in codicibus mss. Victorinis, Vind. S. Germ. ma. et S. Far. cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Colinæi. In Vulgatis legitur, *vini.*

[h] *Præsumere.* Ita in cod. mss. Victorinis et Vind. Codices S. Faronis et S. Ebrulphi legunt *percipere.* Sed legendum est *sumere*, cum S. Dunstano, Turrecremata, Smaragdo, editione, Coloniensi, vetusta Parisiensi, Colinæi, et Vulgatis.

[i] *Sed et si cui offertur*, etc. Ita hunc locum exponit Smaragdus : Hyperbaton, hoc est, quod aliter ordinatum intelligitur ita : « Cui aliquid a priore offertur, et renuerit accipere, hora, qua desideraverit subauditur, accipere, aut hoc percipiat, quod prius recusavit, aut aliud omnino nihil. » Tamen propter illa verba : *usque ad emendationem congruam*, videtur esse sensus quod nihil omnino dandum sit hujusmodi recusanti hora qua desideraverit aliquid, sive illud sit, quod antea recusavit sive aliud, nisi prius satisfecerit : et ita apud S. Basilium infra hoc capite, unde sumpsit S. Benedictus.

D

[j] *Ad horam vero orationis*, etc. Hæc habentur in secunda Regula codicis Floriacensis, cujus initium est : *Cum resideremus.* Et in veteri cod. ms. abbatis Corbeiensis.

[k] *Missæ.* Missæ hoc loco sunt horæ canonicæ, seu cursus divini officii, quemadmodum in conc. Agathensi can. 30 : « Et hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur : et in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur. » Ibi enim intelliguntur matutini et vesperæ.

[l] *Procedendum.* Ita in cod. mss. Vind. et Flor. lege tamen *secedere*, ut in cod. Corbeiensi mss. ; nempe a communi oratione, seu officio divino.

omnes conveniunt, quicunque gravatur somno, et exiit foras, non se fabulis occupet, sed statim redeat ad opus ad quod convenitur. [a] In congregatione autem ipsa, ubi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, et silentium observent omnes.

§ III. — *Item ex Regula aliorum Patrum* (*cap.* 6).

[b] Ad horam orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere, quod agit (quia nihil orationi [c] præponendum est) ab abbate vel præposito corripiatur : et nisi prostratus veniam petierit, excommunicetur.

§ IV. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 5).

[d] Sin autem nocte signum insonuerit, ne steteris ad focum, qui propter calefacienda corpora, et repellendum frigus ex more succenditur : nec otiosus [e] in collecta sedebis, [f] sed funiculos in mattarum stamina manu celeri præparabis, absque infirmitate duntaxat corpusculi, cui cessandi tribuitur venia.

§ V. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 9).

[g] Quando ad collectam [h] clangor tubæ increpuerit per diem, qui [i] ad unam orationem tardius venerit, [j] superioris increpationis ordine increpabitur et stabit in loco vescendi.

§ VI. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 10).

[k] Nocte vero, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui [l] post tres orationes venerit, eodem, et in collecta, et [m] in vescendo, ordine corripietur.

§ VII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 11).

[n] Quando in collecta orant fratres, nemo egredietur absque jussione majorum, nisi [o] interrogaverit concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.

§ VIII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 21).

[p] Qui una oratione [q] de sex orationibus vespertinis tardius venerit; vel qui mussitaverit, et locutus fuerit ad alterum, vel subriserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

§ IX.— *Item ex eadem Regula* (*cap.* 27).

[r] Si quis ad comedendum tardius venerit, excepto majoris imperio, [s] similiter aget pœnitentiam, aut ad domum jejunus revertetur.

§ X. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 30).

[t] Signo tacto omne opus prætermittitur : et [u] sicut apes prudentissimæ ad alvearium, ita veloci festinatione properare contendite. Si quis tardius venerit, districtioni subjaceat.

§ XI. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 51).

[v] Extra mensam communem nec quidquam cibi

[a] *In congregatione.* Id est, collatione, seu conventu, in quo sanctæ Scripturæ leguntur, de quo supra.

[b] *Ad horam*, etc. Habetur in tertia Regula, cod. Flor. cujus initium est : *Cum in nomine Domini una cum fratribus.*

[c] *Præponendum est.* Adde, *paratus fuerit*, ut habetur in capite superiori ex alia Regula Patrum, ex qua initium hujus capituli sumptum est. Quæ quidem verba desunt etiam in cod. Flor. et Vind.

[d] *Sin autem*, etc. Hoc capitulum non exstat in Regula S. Pachomii excusa.

[e] *In collecta.* Per collectam intellige officium divinum. Nam hoc vocabulum ita usurpatur in Regula S. Pachomii, ut supra notatum. Et intelligendum est hos funiculos, esse nectendos dum recitantur lectiones in nocturnis, ne somnus obrepat, ut supra videre est.

[f] *Sed funiculos*, etc. Hæc desiderantur in cod. Vindocinensi : funiculi ex junco, vel palmarum ramis sunt quas Græci vocant πλεκτὰς in Vitis Patrum.

[g] *Quando ad collectam.* Hoc capitulum reperitur in Regula S. Pachomii excusa art. 2. Collecta est opus Dei, seu officium divinum passim in Regula S. Pachomii.

[h] *Clangor tubæ.* More Judæorum, qui tubis ad synaxim populum cogebant. Syri monachi utebantur cujusdam ligni crepitu. Joan. Moschus cap. 15. Λέγων ὅτι ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην ἐφ' ᾧ κροῦσαι τὸ ξύλον, ἤμην γὰρ κανονάρχης, id est, « una nocte surrexi ad pulsandum signum : eram enim pulsator. » In Regula excusa legitur, *tuba insonuerit.*

[i] *Ad unam orationem.* Lege : *una oratione*, ut in Regula excusa : *una*, id est, prima, ut in Evangelio : *Una sabbatorum*, phrasis Hebræa. Intelligit primam orationem, quæ dicitur post primum psalmum. De hujusmodi orationibus vide superius adnotata.

[j] *Superioris increpationis ordine.* De quo agit S. Pachomius art. 1, citato superiori capite hujus Concordiæ sub titulo capitis octavi.

[k] *Nocte vero*, etc. Hic articulus in Regula S. Pachomii excusa jungitur articulo secundo.

[l] *Post tres orationes.* Quæ olim dicebantur in interstitiis psalmorum.

[m] *In vescendo.* Ita in cod. Vindocinensi; lege tamen, ut in Regula excusa : *in vescendi loco*, id est, in refectorio.

[n] *Quando in collecta*, etc. Habetur in Regula edita S. Pachomii, art. 4.

[o] *Interrogaverit.* Id est, commeatum seu licentiam petierit. Et interrogatio est licentia quæ petitur a superiore. S. Columbanus in pœnitentiali ms. : « Aut extra vallum, id est, extra septem monasterii sine interrogatione exierit. »

[p] *Qui una oratione*, etc. Hæc habentur in Regula S. Pachomii excusa art. 68. *Una*, id est, prima, ut paulo ante observatum est.

[q] *De sex orationibus vespertinis.* Hæc verba non sunt in Regula excusa; non sunt tamen aliena a mente S. Pachomii, qui art. 107 sex orationes vespertinas faciendas instituit.

[r] *Si quis ad comedendum*, etc. Reperitur in Regula S. Pachomii excusa, art. 12.

[s] *Similiter aget pœnitentiam.* Id est, increpabitur in refectorio, stabitque, donec fratres surgant a mensa, ut statuitur art. 11 ejusdem Regulæ.

[t] *Signo tacto.* Ad opus Dei, vel ad refectionem.

[u] *Sicut apes prudentissimæ.* Elegans comparatio ab apibus sumpta, quarum una cum tempus est ad quietem proficisci, a rege jubetur somni significationem dare, qua audita statim omnes accipere somnum pergunt, scribit Ælianus lib. v de animalibus, cap. 11.

[v] *Extra mensam communem*, etc. Notanda institutio omnino necessaria ad servandas abstinentiæ et jejunii leges. De qua Cassianus lib. IV de Instit. renunt., cap. 16, ubi inter gravia delicta recenset extraordinariam et furtivam cibi refectionem, cap. 18, et aliis locis hic a nostro auctore citatis. S. Fructuosus episc., cap. 8 Reg. : « Nec jejunium solvat quilibet ex monachis, nec priusquam in commune reficiant cæteri, vel postquam refecerint cum aliis, quidquam quod ad edendum pertinet, degustare præsumat. » S. Isidorus, cap. 9 Regulæ : « Nul-

potusque gustare licebit, absque infirmis et illis ætatibus quæ adhuc perenutriri indigent.

§ XII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 54).

[a] Cum advenisse divinam horam percussus in oratorio [b] index monstraverit, mox laborantes opus projiciant; artifices ferramenta dimittant, scriptores litteram non integrent, omnis fratrum manus deserat quod agebat, festinet statim [mox] cum gravitate pes ad oratorium, sensus ad Deum : ut mox ad primam orationem occurrant, tanquam apes ad mel, intrantium ad oratorium [c] fratrum examen ebulliat; ut qui tacitus erat sancti oratorii locus, statim psalmorum clamoribus impleatur, et silentium sancti loci ad relictas migret officinas et opera. Cum vero index in oratorio semper percussus fuerit, mox omnes audientes antequam currant, [d] faciant sibi crucem in fronte [e] respondentes, Deo gratias.

§ XIII. — *Item ex ejusdem Regula* (*cap.* 73).

[f] Frater qui in nocturnis, Matutinis et lucernariis primam orationem aut psalmum perdiderit, ejectum eum [g] ab oratorio cum terrore in capite foris [eum] apud semetipsum de emendatione abbas moneat. Si secundam orationem vel psalmum perdiderit, ibi in oratorio præsente congregatione post psalmum expletum corripiatur acerbe. Si vero post tertiam orationem vel psalmum intraverit, mox una cum præpositis suis foris de oratorio excommunicatus jactetur : et non prius ad veniam revertatur, nisi humilitatis satisfactio ab eo æqualiter ante limen oratorii fuerit operata. Sed hoc, ut superiori titulo diximus, [h] de intra quinquaginta passus latitudine. In prima vero, tertia, sexta et nona, qui post signum indicis percussi ad primam orationem et primum psalmum non occurrerit, in oratorio præsentibus omnibus acerbe corripiatur; post secundam vero orationem, vel secundum psalmum qui occurrerit, jam sic excommunicatus cum suis exeat præpositis foras. Ad mensæ vero antiphonam, vel versum priorem, qui non adfuerint, semote, et non signatum, et sine data et accepta benedictione manducent et bibant [i] sine alicujus hominis eloquio, usque dum se elevent. Et merito sine alicujus eloquio hominis debet reficere, quia ante refectionem cum Deo non est locutus. Qui posteriori vero versu mensæ non adfuerit Deo gratias redhibere, in sequenti refectione talem pœnam in sequestrato suscipiat, quam ille qui ante refectionem non est locutus cum Deo. Hæ vero correptiones vel excommunicationes duntaxat his constitutæ sunt qui sunt voluntatis negligentia tardi, et nullis necessitatibus occupantur. [j] Qui etiamsi propria voce ad oratorium debere se ut absentes proclamant in orationibus memorari, prætermittantur a fratribus : et socient excommunicatis, quos non utilitas monasterii, sed negligentia occupavit. [k] Nam pro utilitate monasterii occupati digne absentes a præsentibus in oratorio memorantur : sic tamen occupati in eodem loco dicentes sibi opus Dei et ipsi. Nam frater qui correptus in oratorio fuerit, etsi non oratorio jubeatur exire, tamen psalmum et responsorium aut lectionem aut versum tandiu non imponat, usque dum in ipso oratorio pro culpa satisfecerit ad genua incurvatus, et in voce humili petierit pro se orari. Frater, qui pro utilitate monasterii occupatur, absens in oratorio habeatur in mente : qui per negligentiam aut tardi-

lum esus furtivi contaminatio polluat; excommunicationis enim sententiæ subjacebit, qui vel occulte, vel extra ordinariam mensam aliquid gustaverit,» etc. ; et cap. 17 inter graviora peccata connumerat : « Si (monachus) extra communem mensam privatim vel furtim quippiam sumpserit. » Quod olim summa districtione observabatur. Nam S. Amnichadus, eo quod fratribus advenientibus, et post cœnam se valefacientibus ab eis rogatus potum non permissus a seniore bedisset, ejusdem senioris sententia jussus est Hibernia excedere : qui inde Fuldam veniens in magnum virum evasit, ut refert Florentius Wigornensis ad annum 1043.

[a] *Cum advenisse*, etc. Habentur in Regula ms. Magistri cod. Corbeiensis eodem cap. 51.

[b] *Index*. Id est, signum, ut infra hoc capite, quo vocabulo supra usus est.

[c] *Fratrum examen ebulliat*. Ebullire hoc loco est cum abundantia et copia erumpere, proserpere, ut apud Tertullianum, lib. de Idololatria : « Priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa et vacuæ ædes erant. » In Scorpiaco : « Tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt, tunc omnes martyriorum refragatores ebulliunt. » Et apud eumdem libro ad Scapulam ebullire vermibus est scatere pediculis : Solusque in prætorio suo vastatus peste cum vermibus ebullisset. »

[d] *Faciant sibi crucem*. Corippus, libro XXI de laudibus Justini minoris :

Atque crucis signum faciens venerabile sedit.

[e] *Respondentes*. Id est, dicentes : de quo vocabulo infra

[f] *Frater qui in nocturnis*, etc. Hæc reperire est in Regula ms. Magistri.

[g] *Ab oratorio cum terrore in capite*. Ita in cod. Vind. At in Regula ms. cod. Corb. : *Agitato ei in oratorio in terrore capite*. Lege, *agitato in terrore capite*.

[h] *De intra quinquaginta passus latitudine*. Horum verborum explicatio emendicanda est ex cap. 55 ejusdem Regulæ, ubi statuitur quod si frater audito signo operis Dei quinquaginta passus abest ab oratorio laborans, non debet se ad oratorium conferre, sed posito ferramento, flexa cervice, in loco operis pensum divinum solvere.

[i] *Sine alicujus hominis eloquio*. Si nempe ei necessarium esset loqui, vel aliquid petere. Nam aliis fratribus juxta hanc Regulam, si necessitas id postulat, loqui conceditur in mensa ; huic autem negligenti, etiam necessitate postulante, minime.

[j] *Qui etiamsi*, etc. Hæc transposita sunt, quæ hac serie clariora apparebunt : *Qui etiamsi propria voce ad oratorium proclamant debere se, ut absentes, in orationibus memorari, prætermittantur*.

[k] *Nam pro utilitate monasterii*. Absentes ab oratorio pro utilitate monasterii aut alia causa legitima non minus meriti consequuntur quam præsentes, ut olim Patri Horatico monstravit angelus quidam, qui splendida veste indutus tempore officii divini cœlesti quodam thymiamate perfundebat non solum præsentes, sed etiam locum legitime absentium, ut scribit S. Dorotheus doctr. 11.

tatem occupantur, tacite prætermittantur, [a] quia potius peccatum acquiritur, nolentes Deum in orationibus memorare.

§ XIV. — *Item ex ejusdem Regula* (*cap.* 23).

[b] Qui vero frater ad versum primum mensæ dicendum non adfuerit, non sedeat ad mensam cum fratribus; sed semote in scutella sine data benedictione manducet non signatum, et potio ei non signata tradatur semote mixta. Et usquedum se levent, nullus cum eo loquatur. Jam si spiritalis est, doleat ei sine Deo reficere. Qui vero ad versum posteriorem mensæ finitæ non adfuerit, in sequenti refectione, et ipse a mensa sequestratus non signatum manducet et bibat. Quæ excommunicationes tandiu in eis permaneant, [c] quandiu in satisfactione humiliati ad genua capitis emendatio fuerit majori repromissa.

§ XV. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 18).

[d] Ad mensam qui tardius venerit [e] prohibeatur a cibo. Ad orationes diurnas, qui ad primum psalmum non occurrerit, introire in oratorium cum cæteris non audeat, [f] sed pœnitentiæ delegabitur. Hoc idem sustinebit qui nocturnis orationibus usque ad tertium psalmum tardius venerit, [g] aut post tres psalmos dictos in choro, se miscere conatus fuerit.

§ XVI. — *Item ejusdem* (*cap.* 19).

[h] Ministri sive præpositus cum fratribus reficiant, [i] et mutatos sibi cibos præparare non audeant, nec extra communem refectionem quidpiam edant. Hoc etiam studeat abbas agere, [j] quoties advenientes vel filii Ecclesiæ occursione sibi non aspexerit obviare. Abbas vel præpositus fratres in furtiva passim, prout voluerint, comesione non inquinent : ni fortasse patula unumquemque aut ægritudo aut defectionis instantia defatigat. Cui quidem aperte cum consensu reliquorum congruam ordinabit annonam [k] ætati suæ valetudine competente.

§ XVII. — *Item ejusdem* (*cap.* 5).

[l] Quilibet ex monachis jejunium solvere non præsumat, nec priusquam in commune reficiant cum cæteris vel postquam refecerint, quidquam, quod ad potandum vel edendum pertinet gustare vel contingere audeat, [m] vel occulte quodlibet peculiariter recondere, vel habere præsumat. In præcipuis solemnitatibus tria pulmentaria, et totidem potiones fratribus præbeantur.

§ XVIII. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 4).

[n] Nulli liceat absque prioris permissu de opere Dei discedere, sed quem causa manifesta compulerit, oratione a priore [o] sperata et concessa discedat.

§ XIX. — *Item ejusdem* (*cap.* 5).

[p] Nec bini, nec terni, sed singillatim [q] exeuntes [r] orationem sperent · ita ut qui sani sunt, protinus [s] revertantur, qui vero infirmi, [t] ex permissu redeant ad cubile.

§ XX. — *Item ejusdem* (*ex cap.* 17).

[u] Nulli liceat supra statutam [v] consuetudinem sive in potu, sive in cibo præsumere, nisi Prioris, [x] cui ordinandi [y] facultas est : ita ut in gravi operatione

---

[a] *Quia potius*, etc. Ita correxi ex Regula ms.

[b] *Qui vero frater*, etc. Hæc habentur in Regula ms. cod. Corb. sub finem ejusdem capitis 23.

[c] *Quandiu in satisfactione humiliati usque ad genua capitis.* Est quod ait cap. 73 : « Usque dum in ipso oratorio pro culpa satisfecerit ad genua incurvatus. »

[d] *Ad mensam*, etc. Exstat in Regula S. Fructuosi episc. Bracar. cod. Crass. sub finem ejusdem capitis.

[e] *Prohibeatur a cibo.* Juxta Regulam S. Pachomii, art. 2 : « Ad domum jejunus revertetur. »

[f] *Sed pœnitentiæ delegabitur.* Juxta Cassianum, lib. III de diurn. Orat., cap. 7, et Magistrum, cap. 73 : « Foris de oratorio excommunicatus jactetur. »

[g] *Aut post tres psalmos.* Juxta S. Pachomium, art. 2 : « Qui post tres orationes venerit. »

[h] *Ministri sive præpositus*, etc. Hæc habentur in regula ms. S. Fructuosi eodem cap. 19.

[i] *Et mutatos sibi cibos.* In Regula ms. legitur, *inusitatos*, id est, diversos ab iis quos fratres edere solent. Idem sancitur in Regula Pauli et Stephani, cap. 20 : « Nulli fratrum liceat vel pomum vel quodcunque olerum, aut condimentorum, vel aliud aliquid ad usum suum quasi peculiari apparatu in mensa sibi ad manducandum deferre. »

[j] *Quoties advenientes vel filii Dei*, etc. Ita in cod. Vind. et in Regula ms. Locus corruptus atque ita castigandus videtur. *Hoc etiam abbas studeat agere, ut quoties advenient fratres vel filii Ecclesiæ, occursione ipsa non despiciat obviare.*

[k] *Ætati suæ valetudine competente.* Hæc corrupta sunt. In Regula ms. legitur : *Ætatis suæ valetudini competentem.* Sed lege, *ætati sive valetudini competentem*, ut in cod. Vind. ; nam hic agitur de ætatis debilitate et de morbo.

[l] *Quilibet ex monachis*, etc. Exstat in Regula ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis cod. Crass. *in fine* ejusdem capitis 5.

[m] *Vel occulte quodlibet recondere*, etc. Ad edendum vel bibendum videlicet. Idem statuit S. Pachomius art. 63 : « Nihil in cella sua absque jussione præpositi quidpiam condet, nec poma quidem. » Tetradius seu Teridius cap. 22 Regulæ : « Ad lectum suum nemo præsumat habere, quod manducetur, aut bibatur. »

[n] *Nulli liceat*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor.; hæc autem statuuntur juxta Regulam S. Pachomii artic. 3.

[o] *Sperata.* Id est, petita ; sperare aliquando idem est quod petere. Epistola Leonis episcopi Senonensis ad Childebertum regem : « Litteras celsitudinis vestræ honore, quo dignum est, me indico suscepisse : ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum Mecledonensem episcopum aut præsentia nostra adesse debeat, aut consensus. » Idem videtur cap. seq.

[p] *Nec bini*, etc. Reperitur in eadem Regula ms. cod. Flor. eodem cap. 5.

[q] *Exeuntes.* Oratorio videlicet, pro necessitate aliqua.

[r] *Orationem sperent.* Id est, licentiam petant, ut supra : *Oratione a priore sperata*, quia licentia dabatur oratione seu benedictione prioris.

[s] *Revertantur.* Ad oratorium.

[t] *Ex permissu redeant ad cubile.* Si nimirum licentiam petierint exeundi infirmitatis causa.

[u] *Nulli liceat*, etc. Habetur in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 18.

[v] *Consuetudinem.* Id est, annonam solitam. Sed de hoc vocabulo infra.

[x] *Cui ordinandi.* In Regula ms. sequitur : *Et considerandi.*

[y] *Facultas est.* Ita in Regula ms.; videtur tamen deesse τὸ *permissu.*

fatigatis fratribus supra consuetudinem oportet quidquam adjungi, annuente et permittente Patre, et non quolibet præsumente, hoc ipsum fieri liceat.

§ XXI. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 11).

[a] Tempore, quo refectionis debitum solvitur, claustra monasterii obserentur, nec ullus extraneus interesse præsumat : ne quietem fraternam [b] præsentia impediat. Refectionis tempore dato signo pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardius venerit, [c] agat pœnitentiam, aut jejunus ad suum opus [d] vel cubile recurrat. Nemo autem ad vescendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox signi solita sonuerit.

§ XXII. — *Item ex eodem capitulo.*

Nullum esus furtivi contaminatio polluat, aut impudens vel privatus extra communem mensam appetitus. Excommunicationis enim sententiam subibit, qui vel occulte vel extra ordinariam mensam aliquid degustaverit. Ante refectionis tempus nullus comedere audeat præter eum, qui ægrotat : qui enim edendi tempus antecessorit, subsequentibus pœnis abstinentiæ subjacebit. Sitienti cuipiam vel defectum patienti ante edendi tempus consulendum est ab abbate, vel præposito ordinante : non tamen palam : ne forte sitire vel esurire videntes alios cogat. Hebdomadarius solus cibos degustet, neque id alius audeat : ne sub occasione degustandi suæ gulæ vel gutturi satisfaciat.

§ XXIII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 97).

Interrog. [e] Si necesse est omnes convenire ad horam prandii, et eum, qui remanet, quomodo transigimus? — *Resp.* Si quidem necessitate vel loci vel operis remansit a communi ordine, qui præest, [f] probavit, et ignoscit. Si vero cum possit, non [g] satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiæ suæ, et [h] sine cibo maneat usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem.

§ XXIV. — *Item ex ejusdem Regula* (*cap.* 95).

Interrog. [i] Quali affectu oportet accipere vestimentum vel calciamentum qualecunque fuerit? — *Resp.* Si quidem breve aut grande est ad mensuram staturæ suæ, hoc indicare debet, sed cum omni verecundia et mansuetudine. Si vero pro abjectiori vel viliori movetur, aut quia est novum, meminerit mandati Domini dicentis : *Quia dignus est, non quicunque, sed operarius* i *mercede sua* (*Luc.* x). Discutiat seipsum, si digne operatus est opera Dei, et implevit omnia quæcunque præcepta sunt : et tunc non aliud requiret, sed de eo ipso, quod ei datur, erit sollicitus, quia supra meritum suum excipit. [k] Hoc enim quod de esca dictum, etiam de omni re, quæ ad usus corporis pertinet, eadem forma servari potest.

§ XXV. — *Item* (*cap.* 116 [l]).

Si quis iratus nolit suscipere aliquid eorum, quæ præbentur? — *Resp.* Iste talis dignus est, ut, etiamsi quærat, non accipiat, usquequo probet is qui præest : et cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis usibus necessarium fuerit, præbebit.

§ XXVI. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 16).

[m] Ad has ergo orationes cum fuerit signi sonitus auditus, tanta celeritate debet monachus exsilire, ut non dicam alia artificia, sed is qui opus scripturæ exercet in eodem puncto, quo ad aures ejus sonus pulsantis advenerit, [n] cœptam litteram non audeat consummare.

§ XXVII. — *Item* (*cap.* 17 [o]).

Si quis autem antequam finitur psalmus incœptus, non occurrerit, ulterius in oratorium inter psallentes fratres introire non audeat. Stans foris ad januam sustineat, donec finitis psalmis congregatio relaxetur : et tunc submissa in terra pœnitentia negligentiæ suæ, vel tarditatis coram omnibus ab abbate impetret veniam. Quod si contempserit satisfacere, nullo modo inter fratres societatem psallendi habebit. In nocturnis autem orationibus usque ad secundum psalmum datur tardandi dilatio. Attamen antequam finito eodem psalmo fratres in orationes procumbant, congregationi se inserere atque immiscere festinet. Quod si amplius vel modicum retardaverit, finitis vigiliis vero humilitate submissus veniam negligentiæ, sicut superius diximus, expetere non omittat.

§ XXVIII. — *Item* (*cap.* 18 [p]).

Dominico autem, vel sabbato, seu feriatis diebus

[a] *Tempore quo*, etc. Exstat in Regula S. Isidori excusa cap. 9.

[b] *Præsentia.* In Regula exc. additur *sua.*

[c] *Agat pœnitentiam*, etc. Juxta instituta S. Pachomii, art. 12 : « Similiter aget pœnitentiam aut ad domum jejunus revertetur. »

[d] *Vel cubile.* Ut ibi legat.

[e] *Si necesse est*, etc. Habetur apud S. Basilium interr. 136 Regulæ brev., et apud Ruf. cap. 52.

[f] *Probavit et ignoscit.* Apud Rufinum : *Probabit et ignosce.*, recte.

[g] *Satis egit.* Apud Rufinum : *Satisfecit.*

[h] *Sine cibo maneat.* Hæc supplevi ex textu Græco, et Rufino.

[i] *Quali affectu*, etc. Exstat apud Basilium inter. 168 Regulæ brev., et apud Rufinum cap. 51. Hæc autem interrogatio videtur hic citata ob illa verba S. Benedicti : « Sed et si cui offertur a priore, » etc., ut sequens.

[i] *Mercede sua.* Ita apud Rufinum, quemadmodum habetur in Evangelio Luc. x, μισθοῦ αὐτοῦ. In Græco S. Basilii legitur τῆς τροφῆς αὐτοῦ. Id est, cibo suo, quod miror : ita ut locus citatus sit ex memoria, non ex codice, aut certe corruptus.

[k] *Hoc enim quod de esca dictum est.* Ita in textu Græco, τὸ γὰρ ἐπὶ τῆς τροφῆς εἰρημένον, quod idem sonat. Apud Rufinum : « Illoc enim quod de vestimento dictum est. » Recte. Nam hic agitur de vestimento, non de cibo; et videtur hoc loco usus correctione exemplari Rufinus.

[l] Inter. 134, et cap. cit. Ruf.

[m] *Ad has ergo*, etc. Hæc sumpta sunt ex Cassiano libr. IV de Instit. cap. 12.

[n] *Cœptam litteram non audeat consummare.* Idem statuit Magister cap. 54 Regulæ suæ. *Scriptores litteram non integrent.* Exempla vide in Vitis Patrum.

[o] Lib. III de diurn. Orat., cap. 7.

[p] Lib. III de diurn. Orat., cap. 12.

pro vigiliarum lassitudine prandium et cœna fratribus exhibeatur. Sed cum ad cœnam acceditur, psalmus non dicitur, sicut ad prandium solet fieri, aut cum post jejunium sero reficitur : sed tantummodo sive cum ad ipsam accedituur, sive cum ab ea consurgitur, sine psalmis, sed simplex tantum completur oratio. Pro hac ratione, quia inter monachos extraordinaria est ista refectio, et non omnes ad eam venire coguntur, nisi aut peregrini fratres, qui supervenerint, aut hi quos infirmitas corporis, aut quos propria voluntas invitat.

§ XXIX. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 33 [a]).

Omnimodis autem et hoc caveri debet, ne ante illam vel post illam horam, qua omnes fratres in commune reficiunt, extra mensam quodcunque vel modicum aliquis manducare præsumat : ut etiam poma, quæ tempore suo sub arboribus jacent, non tantum degustare, sed etiam tangere absque his quæ in commune comeduntur, sacrilegium sit.

§ XXX. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 5).

Qui signo dato ad opus Dei, vel ad quæcunque opera tardius venerit, exclusus pro reatu tanti facinoris confundatur.

§ XXXI. — Ex Regula Cujusdam Patris.

In abstinentia ciborum unam regulam servari oportet ab omnibus fratribus præter senes et infirmos, sive infantes : et una mensura sit [ab] omnibus, id est, ab hora nona [b] usque ad alteram a cibis temperandum est : nec ante, sive post mensam, quæ [c] communiter fratribus apponitur, aliquid ori [d] indulgendum est : [e] nisi infirmitas, sive differentia ætatis sive corporis [f] aliquid coegerit. Sed neque ad saturitatem edendum est.

§ XXXII. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 10).

[g] Qui signo tacto tardius ad opus Dei, [h] vel ad opera venerit, [i] increpationi, ut dignum est, subjaceLit. Quod si secundo ac tertio admonitus emendare noluerit, [j] a communione, vel convivio separetur.

§ XXXIII. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 35).

[k] Extra mensam communem nihil sibi potusve gustare liceat absque infirmis, [l] et illis qui minoris ætatis sunt.

§ XXXIV. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 8).

[m] Quandocunque vel diurnis vel nocturnis horis ad opus divinum signum insonuerit, mox cum summa festinatione surgendum est, ac si præco regis insonet, omni opere quod in manibus habebatur postposito, ut nihil operi Dei præponatur, sed mens ac sonitum præconis intenta, et operi Dei innixa, cum omni gravitate et [n] mansuetudine ad intonandam gloriam majestatis ejus et pietati ejus gratias referendas festina currat. Quod si morose et segniter veniat post primi psalmi, [o] qui in cursu canitur, finem, noverit se a suo ordine, dum cursus expletur,

[a] Lib. IV de Instit. renunt., cap. 18.

[b] *Usque ad alteram.* Nonam postmeridianam sequentis diei. Hic enim Pater quotidianum instituit jejunium, ac proinde unicam refectionem in die, quæ fiat hora nona post meridiem juxta priscorum Christianorum consuetudinem, quæ satis nota est ex his Patribus in hac Concordia citatis, Tertulliano libr. de jejuniis contra Psychicos, Prudentio in Peristephano de SS. Fructuoso et Augurio :

Jejunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora.

[c] *Communiter.* Id est, simul, ut supra notatum est.

[d] *Indulgendum est.* Ita reposui, ex cod. Vind. cum legeretur : Indigendum est.

[e] *Nisi infirmitas, sive differentia ætatis sive corporis.* Lege : *Nisi infirmitas corporis, sive differentia ætatis.*

[f] *Aliquid coegerit.* Suppl. : indulgere ante, vel post mensam.

[g] *Qui signo tacto*, etc. Habetur in Regula sanctimonialium ejusdem Cæsarii, cap. 10.

[h] *Vel ad opera.* Manuum videlicet.

[i] *Increpationi, ut dignum est, subjacebit.* Ita Magister supra. Teridius cap. 11 Regulæ ejusmodi desides ferulæ subjicit : « Qui in remoto loco est, si signo tacto ad omne opus Dei nullus tardius veniat : si tardius venerit, de ferula in manus accipiat. » Sed locus corruptus, et ita castigandus : « Præter eum, qui in remoto loco est, signo tacto ad omne opus Dei nullus tardius veniat. »

[j] *A communione vel convivio.* Id est, a communione seu participatione mensæ communis juxta S. Benedictum supra.

[k] *Extra mensam communem.* Supra hoc capite eadem ex ipso auctore proferuntur, paucis mutatis, ex cap. 51.

[l] *Et illis qui minoris ætatis sunt.* Supra dixit : « Et illis ætatibus, quæ pernutriri indigent, » ubi senilem, et minorem complectitur ætatem. Hic vero senilem omittit. Itaque legendum puto : « Et illis, qui senilis et minoris ætatis sunt. »

[m] *Quandocunque vel diurnis*, etc. Hæc fere nihil aliud continent quam superius caput S. Benedicti.

[n] *Mansuetudine.* Id est, modestia.

[o] *Qui in cursu canitur.* Cursus est id quod vulgo dicitur divinum officium, horæ canonicæ, opus Dei, pensum divini officii, quod a monachis quotidie excurritur et persolvitur. Quod vocabulum sæpe in Patribus hic citatis reperire est, S. Columbano, Regulæ cap. 7; Macario, cap. 6, et aliis. Id etiam videre est in actis mss. S. Sigolenæ abbatissæ : « Jugiter cursum decantans discalciata peragebat vigilias, » et in Actis mss. S. Cerenici abbatis : « In orationis autem studio tantus illum fervor accenderat, ut absque peculiari supplicatione Romanum seu Gallicanum, et sanctorum Patrum Benedicti seu Columbani cursum horis singulis Domino decantaret. » In chron. ms. bibliothecæ regis : « Anno tertio Ludovici regis factum est concilium magnum in Aquisgrani, in mense Augusto : et præceptum est ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari. » In Pœnitentiali ms. S. Columbani : « Et quis subridens in synaxi, id est in cursu, sex percussionibus. » Apud S. Gregorium Turonens. in lib. v Hist., cap. 20, cum agit de Sagittario et Salonio episcopis : « Nulla prorsus de Deo erat mentio, nulla omnino cursus memoria habebatur, » et ita hic locus legendus est; et lib. IX, cap. 6 : « Sic ingressi summus explere cursum, nunquam tamen psallentibus nobis potuit excitari. » Apud Fortunatum lib. II, epigr. 10 :

Celsa Parisiaci cleri reverentia pollens
Ecclesiæ genius, gloria, munus, honor.
Carmine Davidico divina poemata pangens
Cursibus assiduis dulce revolvit opus.

revocari, et in loco ultimo positum, id est, in eo loco qui talibus negligentibus fuerit deputatus astare, et ibi cum verecundiæ metu exspectare, et post expletum cursum prolixa venia ante cœtum fratrum egredientium satisfacere. Nam foris omnino non segregetur, ne a somno detentus dormiat, aut in aliquo maligno hosti [a] adeundi detur occasio. Intus etenim positus nec totum perdit [b] quod cœperat; et verecundia et metu frangitur, dum ab omnibus videtur. Et quando cæteri expleto officio foras egrediuntur, ille in ecclesia pro ipsa tarditate positus duodecim psalmos supra cursus seriem cantet. Si vero ex toto cursum suum perdiderit, præcipue nocturnis horis, in quibus nullum aliud opus impedit, [c] superpositione damnetur.

[a] *Adeundi.* Ejusmodi fratrem, ut eum tentet.

[b] *Quod cœperat.* Hæc verba redundant, aut certe legendum : *Quod non incœperat.*

[c] *Superpositione.* Supple, *jejunii*, de quo vocabulo infra cap. 54, § ult.

CAPUT LIII.

DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO.

§ 1. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, antiphonam vel lectionem, fallitur, [b] nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori emendationi subjaceat : quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit. [c] Infantes pro tali culpa vapulent.

[a] *Si quis dum pronuntiat psalmum*, etc. Hic nulla fit mentio versuum, litaniæ et collectarum. Sed dicendum ista aliorum commemoratione brevitatis causa comprehendi.

[b] *Nisi satisfactione ibi coram omnibus*, etc. Hæc prescribuntur juxta antiquorum monachorum statuta, ut videre est apud Cassianum, lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 16. S. Pachomius vult ejusmodi delinquentes ante altare increpari, art. 5. Eos S. Columbanus in Pœnitentiali ms. plagis subjicit : « Qui ob tussim in exordio psalmi non bene cantaverit, sex percussionibus emendare statuatur. »

[c] *Infantes pro tali culpa vapulent.* Duplex hic culpa : una pronuntiationis, altera superbiæ. Smaragdus et Bernardus Cassinas de posteriori locum interpretantur. Videtur tamen de priori intelligendus, ita ut hæc verba sint altera hujus capituli pars, in qua specialiter agatur de infantibus qui in ejusmodi pronuntiatione erraverint, maxime cum pueri plus ducantur sensu quam humiliatione, et ita explicat Ruth. ms. cum ait : « Notandum est enim quia infantes debent petere veniam, si fefellerint; et post si viderit major quia digni sunt flagellari, tunc flagellandi sunt. » Porro quia multis capitibus S. P. Benedictus agit de pœnis delinquentium, ad eorum intelligentiam quædam ex S. Fructuoso proferam quæ habentur apud Henricum Canisium, virum de re litteraria bene meritum, tom. V Antiquæ Lectionis.

« Plurimi (inquit Fructuosus), nequaquam pleniter intelligentes judiciorum sententias in Regula S. P. Benedicti, aliter quam præcipit judicare solent. Sciendum itaque est quatuor ibi contineri modos quibus delinquentium error corrigitur.

« Primus namque est, quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit : ut est, qui per negligentiam tempore constituto ad nocturnos non pulsaverit signum, unde in oratorio satisfieri jubet; et qui ad officium divinum tarde occurrerit; et qui per negligentiam hora refectionis ad mensam : et si quis dum pronuntiat psalmum aut lectionem fefellerit; et qui pro aliqua arte extollitur.

« Secundus est de spiritualibus rebus, unde ipse dicit : *Si quis fuerit contumax, aut inobediens, aut superbus, vel in aliquo* (*id est spiritali*) *tantum contrarius existens sanctæ Regulæ.* Qui proficiendo ad septem gradus extenditur : occulta videlicet castigatio, publice corripiendo in levioribus culpis; excommunicando, in jejuniis nimis affligendo, verberibus coercendo; quo inemendato, ab omnibus orando, usque ad ultimum de monasterio expellendo.

« Tertius de rebus exterioribus, hoc est, si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monasterio.

« Quartus de rebus criminalibus.

« Denique per ordinem eosdem repetentes : de primo sciendum quod nullatenus aliter, nisi quod Regula jubet, fieri debet, hoc est, non aliud, sed proprium est judicium ponendum.

« De secundo considerandum quia non omnibus personis supra dicti gradus convenire poterunt, quia aliter sunt corrigendi honesti, aliter improbi. Nam Regula præcipit de contumaci, *ut secrete semel aut bis admoneatur;* et alibi dicit : *Si contumax fuerit, de monasterio expellatur.* Necesse est ergo ut justo moderamine utrumque decernatur, qualiter secundum Regulam et contumax secrete moneri possit et de monasterio expelli. Ille namque secrete est admonendus, qui licet aliquid a priore imperatum refutans, mox tamen increpatus emendationem promittens, qui et honestus jure dici poterit; et ille de monasterio expellendus, qui et contumax existit, et nullo unquam pacto acquiescit suscipere disciplinam, quem omnimodo contumacem Regula vocat. Unde et merito improbus est dicendus : quanquam et improbum etiam vocet, qui, licet frequenter corripiatur, disciplinæ tamen regulari non contradicit : qui honestatem quam prius, dum se emendare profitens, habere videbatur, relinquens, ad improbam duramque mentem transit; ut, unde unus medetur, inde alter perimitur. Quapropter quorumdam verberibus coercendæ sunt personæ, quorumdam vero minime, de quorum qualitatibus Regula dicit : *Secundum uniuscujusque*, inquit, *qualitatem vel intelligentiam omnibus se conformet et aptet.* Itemque alibi : *Ut viderit cuique expedire, prudenter et cum charitate studeat amputare vitia.* Et notandum tria inspicienda esse semper, personam videlicet, intentionem atque modum delicti : personam, utrum intellectu et modestia vigeat, vel duritia et inquietudine mentis contradictor existat : intentionem, utrum studio, an infirmitate deliquerit; modum, utrum graviter, vel certe leviter, erraverit. Unde Regula dicit : *Secundum modum culpæ, excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura.* Igitur omnis spiritaliter delinquens tandiu secrete moneri debet, donec seipsum et improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum. In qua publica correptione, si non emendaverit, ad excommunicationem

§ II. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 7).

[a] Juniores, et maxime qui adhuc psalmos discere meditantur, per choros ex ordine et sine negligentia [b] dictent : ita ut ab eo loco quo minores ignorant hi juniores, qui jam Psalterium finierint, per ordinem sibi in dictando succedant, ut omni tempore pronuntiandi usus non desit. [c] Psallendi quoque modus, si possibile est, omni tempore cum temperamento nobis tenendus, ut nec nimium protracte, nec supra modum correcte, sed, ut dictum est, temperata semper modulatione dicatur. [d] Servate tamen, ut secundum voluntatem et arbitrium prioris (cui semper considerandi et perpendendi tempus, horam, [e] causam A per omnia imminet, sive protrahi, sive accelerare justo considerationis judicio jusserit, ad ejus nutum sive etiam elevatius, sive humilius voluerit), consona tamen, quasi uno ore, voce dicatur. Nec quisquam præsumat absque prioris permissu, vel elata vocis extollentia, quæ sæpius inflationis jactantiam et arrogantiam elationis minus cautis generat, aut turbulenta festinatione temperamenti modum excedere vel mutare. Nec prior concessam considerationis licentiam [f] in usu absque certa necessitate audeat usurpare, sciens se Domino redditurum rationem, qui dixit : *Psallite sapienter.*

leviorum culparum transibit. Ubi cum diu nequiverit corrigi, nimirum jejuniorum maceratione affligatur; per quam non correptus, si persona fuerit talis, flagellorum coerceatur acreline; sin vero personæ non adhiserit consideratio, communiter ab omnibus imploretur misericordia Omnipotentis; quod si nec isto modo fuerit sanatus, projiciatur a corpore monasterii. Et si contigerit ut per negligentiam, dum aut in occulto, aut in publico admonetur, aliquid damni monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundum modum culpæ : et peracta pœnitentia, iterum revertatur ad id ubi prius tenebatur : et non solum dum verbis monetur, verum etiam si aliquo ex supra dictis gradu deprimatur.

[e] Capitula quoque istius modi noscenda sunt, quibus ordinate intelligi valeant. Primum capitulum est vigesimum tertium; ibi omnes gradus inveniri valent. Secundum capitulum est *de pueris minore ætate, qualiter corripiantur* (*cap.* 30); ubi patet facile quod in vigesimo tertio capite scriptum est : *Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.* In fine videlicet capituli trigesimi, ubi dicit : *Hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut sanentur.* Hinc sequitur caput vigesimum octavum, *De his qui sæpius correpti emendare noluerint*, ubi similiter septem prædicti gradus inserti sunt.

[e] De tertio autem modo judiciorum, sicut supra dictum est, de damno cujuslibet rei exteriori est intelligendum; ubi solummodo animadvertendum, si negligentia intervenient dammum exstiterit fratrum, tunc secundum modum delicti et personam et intentionem levioris culpæ judicio subjacebit. In quo modo continetur quidquid in Regula invenitur, sive gravissime vindictæ subjaceat. Præter hoc quod in quibusdam locis invenitur, *districtiori disciplinæ subjaceat*, quod quidam ita intelligi volunt ut, si occulte aut publice verbis monebatur, in eodem gradu acrius corripiatur.

[e] Quartus quoque modus, ut prædictum est, de capitalibus criminibus constat, fornicatione videlicet, adulterio atque eorietate assidua, cæterisque quæ nullo modo, nisi pœnitentia corporali, secundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus et modus, nec non et persona atque intentio semper inspicienda sunt : ubi pariter quoque sanctorum Patrum institutio sollicite est perpendenda. »

Hinc autem textus in quibusdam corruptus est.

[a] *Juniores et maxime*, etc. Hæc habentur in capitibus 7 et 8 Regulæ ms. Pauli et Stephani cod. Flor. Statuitur autem hic ut quotidie Psalterium a junioribus per ordinem semper recitetur et pronuntietur per choros. Quod quidem extra divinum officium intelligendum est.

[b] *Dictent.* Ita in Regula ms. cod. Flor.; *id est*, pronuntient, quia postea subjungit, *ut omni tempore pronuntiandi usus non desit.*

[c] *Psallendi quoque modus.* Hic incipit caput octavum ejusdem Regulæ in citato cod. Floriacensi.

[d] *Serva e* Lege, *servato*, ut in eod. Flor., quod sumptum adverbialiter idem est ac *excepto.*

[e] *Causam imminet.* Ita in cod. Flor. Lege tamen, *causa imminet*, ubi causa est potestas, ut supra notatum est.

[f] *In usu.* Psallendi videlicet.

CAPUT LIV.

DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura abbatis aut ipse nuntiare, aut tali sollicito fratri D injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem, vel antiphonas post abbatem ordine suo, [b] quibus jussum fuerit, [c] im-

[a] *Nuntianda hora operis Dei*, etc. Variæ sunt hujus loci lectiones. Alii legunt *nuntiare;* alii, *aut ipse nuntiet;* alii, *ut ipse nuntiet.* Legendum puto, *aut ipse nuntiet*, ut in mss. S. Ebrulphi, et Vict. p., hoc modo : *Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura abbatis. Aut ipse nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam.* Ita ut primo ponatur propositio generalis, ut nimirum nuntiandæ horæ operis Dei cura penes abbatem sit; deinde specialis, nempe, aut ut ipse abbas horam divini officii significet, aut ut hanc provinciam diligenti fratri committat.

[b] *Quibus jussum fuit.* Sive permissum : nam multi sunt qui prohibentur hoc facere, ut desides qui tarde occurrunt ad opus Dei, excommunicati a mensa, cantus ignari, et qui recte legere nequeunt.

[c] *Imponunt. Imponere* hoc loco, et aliis est *cantare, dicere, pronuntiare*, sive id fiat cantu, seu recitatione, non vero *incipere*, ut vulgo putatur ut et usurpatum a quibusdam, qui post S. P. Benedictum vixerunt, auctoribus, Sangallensi, et nonnullis aliis. Quod satis liquet ex Regula cujusdam Patris in hac Concordia citata, quæ est veluti quædam paraphrasis Regulæ S. P. Benedicti, quæ ubi dixit S. Pater *imponere, canere* posuit, ut videre est cap. 22 ejusdem Regulæ : « In cursu vero positi, prout ab abbate fuerint ordinati, ad psalmum canendum, vel ad

ponant. [a] Cantare autem et legere non præsumat, nisi qui potest officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum gravitate, humilitate et tremore fiat, et cui jusserit abbas.

§ II. — Ex Regula sancti Isidori episcopi (*cap.* 20).

[b] Ad custodem sacrarii pertinet cura et custodia templi, signum quoque dandi in vespertinis nocturnisque officiis; vela vestesque sacræ, codices quoque, [c] instrumenta cuncta, oleum in usus sanctuarii, cera et luminaria.

§ III. — Ex Regula Fructuosi (*cap.* 10). *Quid debeant observare abbates.*

[d] Primum horas canonicas, id est, primam, missis operariis in vineam; tertia sanctum Spiritum in apostolos descendisse; sexta Dominum in crucem ascendisse; nona spiritum emisisse; vespera David cecinisse dicens : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL). Medium noctis, quia ea hora *clamor factus est*, *Ecce sponsus venit*, *exite obviam ei* (*Matth.* XXV); ut ea hora cum ad judicium venerit, non nos dormientes, sed vigilantes inveniat. [e] Gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse. Has horas canonicas ab Oriente usque ad Occidentem catholica, id est universalis, indesinenter celebrat Ecclesia.

§ IV. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 11).

[f] Is autem cui nocturnarum orationum sollicitudo committitur, non qua hora illi libitum fuerit, fratres ad vigilias suscitare præsumat, ut secundum opportunitatem somnii et insomnii ætatis suæ horas noctis temperet. Nam quamvis eum consuetudo diurna hora solita vigilare compellit, tamen sollicite et frequenter [g] stellarum constituta signa exploret, et sic totam congregationem ad officium orationis

lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes suum ordinem servent. » Ubi vides locum cap. 63 S. Bened cti exponi : « Ergo secundum ordines, quos constituerit (abbas) vel quos habuerint ipsi fratres, accediant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum. » Et cap. 19 ejusdem Regulæ hic Pater sic loquitur : « Sicut a mensa suo loco privatur, ita et in ecclesia segregetur, ut in loco in quo antea fuit nec psalmum cantet, nec ullum ordinem teneat, usquedum satisfactione humili cum cordis contritione ab abbate, vel a senioribus ve iam mereatur. » S. Benedictus cap. 24 sic loquitur : « Privati autem a mensæ consortio ista erit ratio, ut in oratorio psalmum non imponat, neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem. » Id etiam notum est ex auctoribus infra hoc cap. ad S. Aurelianum citandis, ubi agetur de ordine psallendi, qui dicunt *cunere*, aut *cantare*, *dicere psalmum*, ubi S. Benedictus dixit *imponere*. Item confirmatur ex Regula S. P. Benedicti, cap. 44 : « Ita sane ut psalmum, aut lectionem, aut aliud quid non præsumat in oratorio imponere. » Ubi τὸ *imponere*, non significat incipere. Nam lectio non incipitur a lectore, ut eam chorus persequatur. *Imponere* ergo hoc loco est *dicere*, *pronuntiare*, sive id fiat cantu, sive recitatione. Id etiam manifestum est ex S. Gregorio Turonensi in Vitis Patrum, cap. 4, de S. Quintiano : « Suggesserunt ei, ut ipse antiphonam dignaretur imponere, dicentes : Si, beate Pater, devote antiphonam imposueris, confidimus de sanctitate tua quod protinus nobis Dominus pluviam dignabitur pietate divina elargiri. » Ubi non est quæstio de inceptione antiphonæ, sed de modulatione. Unde subjungitur : « Cumque psallere devotissime cœpisset, penetravit excelsæ potentiæ aures humilis oratio confessoris. » Et ex epistola Gogi ad Petrum episcopum, ubi *impositio* sumitur pro cantu : « Saluto Sinderocum psalmorum carmina impositionis ordine modulantem. » Dixit *impositionis ordine*, quia cantores singuli per ordinem singulos psalmos canebant, ut infra hoc capite videbitur.

[a] *Cantare autem*, etc. Idem statuitur cap. 38 : « Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes. » Ubi illa verba, *non per ordinem*, minime adversantur his quæ dixit hoc capite S. Benedictus cum jubet ut post abbatem ordine suo fratres psalmos imponant et antiphonas, nam hoc præceptum non præcise intelligitur de ordine continuo, sed de interrupto, si nimirum quidam reperiantur cantui minime idonei; tunc enim sequentes suo ordine cantare debent, minime aptis ad canendum prætermissis.

[b] *Ad custodem sacrarii*, etc. Hæc reperire est in Regula S. Isidori excusa, cap. 20. Custos sacrarii est qui vulgo sacrista. Lanfranco, cap. 6 Constitutionum, *secretarius*, unde vox Gallica *secretain*. Græcis σκευοφύλαξ, thesaurarius vasorum sacrorum custos, et σκευοφυλακεῖον, sacristia, locus in quo pretiosa quæque templi reconduntur, ut vasa sacra, vestes sacræ, et simil a, apud Joannem Moschum, cap. 195, S. Gregorium lib. II, epist. 49 : « Res autem quæ apud eum inventæ sunt, in cimiliarchio servari modis omnibus studebis. »

[c] *Instrumentaque cuncta*. Eadem custodienda a secretario instituit Lanfrancus cap. citato. Instrumenta sunt chartæ fundationum, contractuum, etc., ut videre est lib. I Legum Neapolitanarum, tit. 73 et 78. Tertullianus pro libris usurpavit lib. de Spectaculis : « Nec aliunde investigandum est quam de instrumentis ethnicalium litterarum. »

[d] *Primum horas canonicas*, etc. Non exstat in Regula ms. S. Fructuosi episc. Bracar. Sed videtur esse alterius Fructuosi, quamvis quindecim horas canonicas instituerit, ut supra diximus, hic vero tantum septem recenseantur. Si haberemus integrum hoc caput, de hac re aliquid certi statuere possemus. Dici tamen potest eum hoc capite loqui de eo horarum numero qui communiter suo tempore ab Ecclesia receptus erat, non vero de aliis horis quas tum ipse, tum nonnulli alii addiderant.

[e] *Gallicinium*. Gallicinium, juxta Censorinum, lib. de Natali Die, cap. 24, et Macrobium lib. I Saturn., cap. 3, est tempus illud noctis quod sequitur illud quod dicitur *de media nocte*, hoc est, jam nocte inclinante ad diem, præcedit vero conticinium, id est, cum galli tacent : ita ut gallicinium sit nona noctis hora circiter.

[f] *Is autem cui nocturnarum orationum sollicitudo committitur*. Hæc sumpta sunt ex lib. II Cassiani de nocturn. Orat., c. 17. Porro is cui cura significandi operis Dei committitur, a Cassiano lib. III de diurn. Orat., cap. 2, appellatur *compulsor*; a S. Fructuoso episcopo, cap. 3 Regulæ, *vigilucius*; a Magistro, cap. 50 Regulæ et alibi, *vigigallus* et *vigiligallus*; a Græcis κανονάρχης, id est, qui præest canoni seu operi Dei; apud Joannem Moschum, cap. 11 : καὶ κρούσαντος τοῦ κανονάρχου ἐφ' ᾧ πάντας ἀδελφοὺς συναχθῆναι, id est, « pulsante compulsore ad omnes fratres congregandos, » et cap. 50. Apud S. Dorotheum, doctrina 11 : Ἰδοὺ ὁ κανονάρχης ἐξύπνισέ με; id est, « Ecce excitavit me compulsor, » et supra, eadem doctrina, idem vocabulum repetit. Quare male exponitur ab interprete *cæremoniarum magister*.

[g] *Stellarum constituta signa*, etc. Id juxta morem veterum, qui cum non haberent horologia, nocte, certa quadam scientia, observato stellarum cursu, horas distinguebant. Quod faciebat quidam Drogo monachus Floriacensis et postea eremita, ut narrat

invitet; præcavens ne in utroque inveniatur incautus, id est, ne velut oppressus somno statutam noctis transeat horam, vel eamdem festinus anticipet.

§ V. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 75).

Interrog. [a] Quomodo debet quis habere eum qui ad orationem suscitat fratres? — *Resp.* Si quis cognoscit damnum quod de somno patitur : [b] cum neque sui ipsius sensum habet, et intelligit quantum sit lucrum vigiliarum, et præcipue cum vigilatur ad glorificandum Deum in orationibus : ita debet habere eum qui ad hoc se invitat et suscitat dormientem, tanquam eum per quem divina lucra et cœlestia dona consequitur, sive is ad orationem, sive ad aliud quodcunque mandatum Dei invitat.

§ VI. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 77 [c]).

Interrog. Quod si contristatur ille qui excitatur, aut etiam si irascitur, quid dignius est? — *Resp.* Interim excommunicari debet, et non manducare, si forte compunctus agnoscat quantis et qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet; et ita conversus recipiat gratiam ejus qui dixit : *Memor fui*

Aimoinus lib. I de Miraculis S. Benedicti, cap. 4 : « Quadam namque nocte quæ unam festivitatem excellentissimi legislatoris antecedebat Benedicti, maturius pervigil surgens eremita explorabat sub dio progressu stellarum in ortu competentis horæ adventum, in qua Domino protectori suo laudum præconia sancto solveret. » Hanc veteribus artem fuisse satis indicat machina illa quam describit Varro, lib. III de Re rustica, cap. 5 : « Intrinsecus sub tholo stella lucifer interdiu, noctu Hesperus ita circumeunt ad infimum hemisphærium, ac moventur, ut indicent quot sint horæ. »

[a] *Quomodo debet*, etc. Habetur apud S. Basilium, interrog. 43 Regul. brev. Non tamen exstat apud Rufinum.

[b] *Cum neque sui ipsius sensum habet.* Hinc fit quod somnus appelletur imago mortis, juxta illud Ovidii :

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Et germanus mortis esse videatur juxta illud Virgilii VI Æn.,

Et consanguineus lethi sopor.....

Quod satis indicavit Gorgias Leontinus, apud Ælianum lib. II de varia Hist., cap. 35 ; nam adversa valetudine correptus cum paulatim in somnum prolaberetur, et vitæ exitum sibi impendere prospiceret, interroganti amico ut se haberet, respondit : Jam me somnus incipit fratri suo reddere.

[c] Interr. 36; apud Ruf., c. 43.

[d] *Astantibus ergo*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Macarii et aliorum cod. Flor.

[e] *Sine præcepto, qui præest, Patris.* In cod. Corb. ms. legitur, *sine præcepto præpositi.* Idem statuitur in Regula S. Pachomii, art. 73 : « Nullus ante psallat, nisi ei jussum fuerit. »

[f] *Ad standum vel psallendi ordinem.* Ita in cod. Vind. In cod. Corbeiensi : *Ad standum, vel psallendum*, tantum. Lege tamen, *ad standi vel psallendi ordinem.*

[g] *Dicente Salomone.* Ita in Regula ms. cod. Flor. et Corb., sed puto legendum, *dicente Salvatore.* Locus exstat Luc. XIV, qui hic citatur ex memoria, non ex codice ; neque usquam in libris Salomonis repereris.

[h] *Oportet primum in notitiam ejus deferre.* Sensus est quod si rector monasterii absit a choro, non psallendum est, sed monendus est, ut quid facto opus sit, ipse dicat.

Dei, et delectatus sum (*Psal.* LXXVI). Quod si permanserit in stultitia non intelligens gratiam, abscidatur tanquam putrefactum membrum a corpore. Scriptum est enim : *Quia expedit, ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* V).

§ VII. — Ex Regula Macarii (*cap.* 6).

[d] Astantibus ergo ad orationem nullus præsumat [e] sine præcepto, qui præest, Patris psalmi laudem emittere. Ordo iste teneatur, ut nullus priorem in monasterio [f] ad standum, vel psallendi ordinem præsumat præcedere, [g] dicente Salomone : *Fili, primatum concupiscere noli : neque accubueris prior in convivio, ne veniat melior te, et dicat tibi Surge, et confusionem patiaris in die illa.* Et iterum dicit : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI). Quod si tardat is qui præest, [h] oportet primum in notitiam ejus deferre, et secundum imperium ejus obedire convenit fratres.

§ VIII. — Ex Regula Aureliani episcopi (*cap.* 22).

In omni ministerio, [i] sive in ordine psallendi aut

[i] *Sive in ordine psallendi.* Ita loquitur S. Aurelianus, quia olim monachi seu clerici non simul canebant psalmum, sed unus stans psallebat, aliis attentius auscultantibus, juxta ritum Ægyptiorum monachorum, quem videre est apud Cassianum lib. II de nocturnis Orationibus, cap. 5 : « Quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium psalmos cantaturus exsurgit : cumque sedentibus cunctis (ut est moris nunc usque in Ægypti partibus) et in psallentis verba omni cordis intentione defixis, » etc. Et cap. 10 : « Tantum a cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam numerosa fratrum multitudo conveniat, præter *illum qui* consurgens psalmum decantat in medio, *nullus hominum* prorsus adesse credatur. » Et cap. 12 : « Hunc sane canonicum, quem prædiximus, duodenarium psalmorum numerum, tali corporum quiete revolvunt, ut has easdem congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo qui dicturus in medium psalmos surrexerit, cuncti sedilibus humillimis insidentes ad vocem psallentis omni cordis intentione dependeant. » Et cap. 11 : « Prædictum vero duodenarium psalmorum numerum ita dividunt, ut si duo fuerint fratres, senos psallant; si tres, quaternos; si quatuor, ternos. Quo numero nunquam minus in congregatione decantant. Ac proinde quantalibet multitudo conveniat, nunquam amplius psallunt in synaxi quam quatuor fratres. » Locus sane obscurus, et ita exponendus : Si fuerint duo fratres, nempe, qui stantes canunt in synaxi cæteris attentis, senos psalmos expediunt; si tres, singuli quaternos; si quatuor, singuli ternos; donec compleatur duodenarius psalmorum numerus. Nec hic locus Cassiani ex lib. III de diurnis Orat., capite 8, nostræ assertioni adversatur, cum dicit : « Nam humi post hæc vel sedilibus humillimis insidentes tres psalmos, uno modulante, respondent. » Nam τὸ *respondent* hoc loco est *expediunt, persolvunt*, non quidem ore, sed animi attentione. Unde non dixit, *uni incipienti*, sed, *uno modulante, respondent.* Hæc disciplina monachorum Ægyptiorum in persolvendo servitutis suæ penso, quam alii secuti sunt; et si plures quam quatuor, juxta numerum psalmorum suo ordine singuli singulos psalmos canerent, exceptis his, ut diximus, qui ob aliquam causam cantare prohibebantur. Ita observabant Talennesiotæ, ut liquet ex præfatione S. Hieronymi ad Regulam S. Pachomii : « Quicunque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus

legendi, vel operandi vicibus sibi succedant, absque sancto abbate, et nimis senibus, et parvulis infantibus, aut certe ita infirmis, [a] ut surgere quid non prævaleant.

§ IX. — Ex Regula Patrum (*cap.* 4).

[b] Illud quoque observandum est ut præsente seniore, quocunque [c] vel præcedente in ordine psallendi, sequens non habeat facultatem loquendi vel aliquid præsumendi, nisi tantum is qui in ordine, ut dictum est, præcedere videtur. Hoc usque ad imum ante omnia in oratione, seu in opere, sive in responso dando erit servandum. Si vero simplicior fuerit, vel [d] impeditior sermone, et dederit locum, ita demum sequens loquatur. Omnia tamen in charitate fiant, non per contentionem et aliquam præsumptionem.

§ X. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 6).

[e] Initium psallentium in choro priores qui in eis stant, incipiant. Aut si eis adversatur infirmitas, incipiant, quibus jusserit Pater. Quibus incipientibus, mox omnes, si fieri potest, in prima aut secunda syllaba pariter unanimiter et uno ore subjungant : ut non sit dissonantia cantantium, quæ maxime ab inordinato initio, et quodammodo contentiosa varietate solet accidere.

§ XI. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 9).

Horas vero [f] ad cursum procurare juxta dispositionem abbatis debet, cuicunque ordinatum fuerit, id est, qui mente sollicita et impigra fuerit ad hoc opus idoneus inventus, ut opus Dei non tardetur. Si vero qualibet occasione a justo ordine deviatum fuerit, ut non secundum ordinem suum horæ custodiantur, [g] superpositione damnetur.

ambulat, primus psalmum dicit. » Ex Regula Macarii et aliorum cap. 6 : « Ordo iste teneatur, nullus priorem in monasterio adstandi vel psallendi ordinem præsumat præcedere. » Ex S. Hieronymo, epist. ad Rusticum : « Dicas psalmum in ordine tuo in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur. » Ex Regula S. Fructuosi episcopi Brac., cap. 23 : Qui prius in monasterio conversus fuerit, etc., prior dicat psalmum in choro, prior constet. » Ex Regula cujusdam Patris, cap. 22 : « In cursu vero positi prout ab abbate fuerint ordinati, vel ad psalmum canendum, vel ad lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes suum ordinem servent. » Et ita capiendi hi loci Regulæ S. P. Benedicti cap. 54 : « Psalmos autem, vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant. » Et cap. 63 : « Ergo secundum ordines, quos constituerit (abbas) vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum. » Idem patet ex loco epistolæ Gogi supra citato. In quibusdam tamen Ecclesiis aliter res se habebat, nam, uno incipiente, cæteri canebant, maxime in Ecclesia Cæsariensi, ut planum est ex epistola 64 S. Basilii : Ἔπειτα πάλιν ἐπιτρέψαντες ἑνὶ κατάρχειν τὸ μέλος, οἱ λοιποὶ ὑπηχοῦσι. Id est, « Deinde uni provinciam incipiendi concedentes, cæteri succinunt. » Idem fiebat in monasterio Pauli et Stephani, ut clarum est ex eorum Regula ms. : « Initium versuum per psallentium choros, priores qui in eis stant incipiant, etc. Quibus incipientibus maxime omnes, si potest fieri, in prima aut secunda syllaba pariter, unanimiter uno ore subjungant. »

[a] *Ut surgere quid non prævaleant.* In cod. Vind. : « Ut surgere omnino non possint, non compellantur facere pro eo quod non prævalent. » Optime, si legas, *qui non compellantur*, etc.

[b] *Illud quoque*, etc. Hæc exstant in Regula secunda ms. cod. Flor., cujus initium est : *Cum resideremus in unum in nomine Domini.* Et in cod. ms. Corbeiensi.

[c] *Vel præcedente in ordine psallendi.* Distinguit seniorem ab eo qui præcedit in ordine psallendi, quia vel propter dignitatem, vel propter vitæ meritum, aut aliam rationabilem causam, potest abbas juniorem in altiori gradu vel loco constituere, qui tunc præcedet seniores suos in ordine psallendi, juxta illam psallendi rationem supra a nobis observatam.

[d] *Impeditior.* Ita in cod. Flor. In Corb., *imperitior.*

[e] *Initium psallentium*, etc. Hæc habentur in Regula ms. eorumdem Patrum cod. Floriacensis. Hic locus corruptus est. Lege, ut in cod. Flor., *initium versuum per psallentium choros.* Et notandum quod non dixit, *psalmorum*, sed *versuum :* quia loquitur generaliter tam de primis psalmorum versibus quam de intermediis, cum majores psalmi intersecabantur aliqua pausatione, aut oratione, ut supra notavimus, qua absoluta cantor sequentem versum incipiebat.

[f] *Ad cursum.* Cursus est opus Dei, officium divinum, ut supra notatum est.

[g] *Superpositione damnetur.* Non semel in hac Concordia, sed sæpe sæpius nomen *superpositio* reperitur. Pœnitentiale ms. S. Columbani superpositionibus plenum est. Vocabulum habetur in conc. Eliberitano, can. 26 : « Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die jejuniorum superpositionem celebremus. » Et can. 23 editionis novæ : « Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari. » Græcis ὑπέρθεσις. Dicitur etiam superponere, Græcis ὑπερτίθεναι. Quidam putant superpositionem esse jejunium, et superponere, jejunare. Quod quidem concedi posset si hæc vocabula simpliciter et sine adjuncto ponerentur ; sed quia in citatis canonibus et in hac Concordia non semel reperitur *superpositio jejunii*, et *superponere jejunium*, ut in Regula Magistri, cap. 15, *superponatur jejunium*, et in Pœnitentiali ms. S. Columbani multæ reperiuntur *superpositiones silentii*, horum vocabulorum alia est investiganda significatio. *Superpositio* igitur et *superponere* duo significant : 1. dilatio, procrastinatio, differre et procrastinare ; ita ut si diceretur *superpositio cibi*, *superponere cibum*, non vero *superpositio jejunii*, aut *silentii*, *superponere jejunium*, etc., superior explicatio plausibilis esset, 2. *superpositio* est superadditio, adjectio, superadjectio. Ita accipit Stephanus Parisiensis in commentariis mss. in Regulam S. Benedicti, ad cap. 19 : « De divinis officiis non est mei propositi tractare. Hoc solum dicam, utinam fiant, secundum quod discretissimus Benedictus divino spiritu dignatus est ordinare. Tamen monasteria quædam quadam utuntur psalmorum et officiorum superpositione. » Ita et superponere est addere, superaddere, adjicere. Ita utitur Tertullianus lib. de Oratione : « Exinde aperte Dominus amplians legem iram in fratrem homicidio superponit. » Id est, addit, superaddit. Et sensus est : cum lex tantum prohiberet homicidium, Christus in Evangelio iram in proximum superadjecit. Itaque in hoc Concordiæ libro *superpositio jejunii* est superadditio jejunii, et cum non additur τὸ *jejunii*, subaudiendum est : et *superponere jejunium* est superaddere jejunium : quia cum monachi certis diebus jejunare soleant ex instituto, si accedente culpa jejunii multa irrogaretur, dicebatur *superpositio jejunii*, id est, multiplicatio et superadjectio jejunii ad solita jejunia. Sic in citatis canonibus concilii Eliberitani novæ

institutiones jejuniorum dicuntur *superpositiones*, id est, superadjectiones. Et ita accipienda sunt illa vocabula ὑπίρθεσις, id est, superpositio, et ὑπερτίθημι, id est, superpono, in epist. Dionysii Alexandrini, can. 1, quia ibi agitur de multiplicatione et superadjectione dierum quos transmittebant Christiani sine cibo in hebdomade sancta. Ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασι ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας· id est, « Alii quidem omnes dies sine cibo superponunt, alii duo, alii tres, alii quatuor. » Et paulo post : Καὶ τοῖς μὲν πάνυ διακόπτον θείσιν ἐν ταῖς ὑπερθέσεσιν, id est, « Et nonnullis quidem multum laborantibus in superpositionibus. »

CAPUT LV.

DE OPERE MANUUM QUOTIDIANO.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Otiositas inimica est animæ. Et ideo certis tem[poribus] [b] occupari debent fratres in labore manuum, [c] certis iterum horis in lectione divina. Ideo-

[a] *Otiositas inimica est animæ.* Eamdem sententiam producit Theodulphus episcopus Aurelianensis, cap. 3, Capitularis : « Sed et, si quando a lectione cessatur, debet manuum opera subsequi; quia otiositas inimica est animæ. » Et Rabanus libr. III de Agone Christiano, cap. de Acedia : « Unde scriptum est, Otiositas inimica est animæ. » Vera quidem sententia, nam otium omnibus bonis animam spoliat : *Qui sectatur otium implebitur paupertate*, inquit Sapiens Prov. cap. 28. I. cultus ager vepres et tribulos parit, anima nullo exculta labore vitia, mentem otiosam malæ cogitationes circumcingunt, dilacerant atque divexant, et, ut uno verbum dicam, mens otiosa tota diaboli est. « Exercitus labore proficit, otio consenescit, » inquit Vegetius, sic et monasterium.

[b] *Occupari debent fratres in labore manuum.* Ecclesia exemplum apostolorum secuta (qui, et si quotidie concionando terras et maria obirent, tamen opere manuum victum sibi quærebant) laborem manuum magno numero semper habuit, et eos, qui illum tanquam homine Christiano indignum repudiarent, ut hæreticos condemnavit, quales maxime fuerunt Massaliani, qui se Enchitas, id est, precatores appellabant, quod soli orationi, exploso labore manuum, vacandum esse crederent, quorum hæresim refutat S. Epiphanius libr. III contra hæreses, tom. II, hær. 80 ; damnat synodus Sidetana apud Photium in Bibliotheca, num. 52. Quibus accedit auctoritas S. Augustini. Cum enim Carthagine cœpissent esse monasteria, orta inter monachos contentione, an e re monastica magis esset, aut animum duntaxat ad orationem et contemplationem appellere, et piorum Christianorum oblationibus vitam sustentare, juxta illud Evangelii : *Nolite solliciti esse quid manducetis aut bibatis;* aut juxta Apostolum : *Qui non laborat, non manducet*, labore manuum victum sibi comparare : Aurelius Carthaginensis antistes totam litem S. Augustini arbitrio permisit, qui obtemperans librum illum præstantissimum de opere monachorum composuit : atque ita, qui laborem manuum a monachorum disciplina removendum esse contendebant, lite ceciderunt, ut ipse testatur cap. I ejusdem libri et libr. II Retractationum, cap. 21. Sed non est, quod de hac re pluribus disputem; cum nihil notius sit apud S. Basilium, Cassianum, Theodoretum, Severum Sulpitium, Joannem Moschum, Palladium, Rufinum, et cæteros, qui de Re ascetica, Regulis monachorum et Vitis Patrum scripserunt. Verum non modo monachis, sed etiam clericis labor manuum olim injunctus est, ut planum est ex Concilio Carthagin. IV, can. 51 : « Clericus quantumlibet Dei verbo eruditus artificio victum quærat. » Illum non refugiebat olim S. Nicetius episcopus Lugdunensis, de quo S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, cap. 8 : « Jam clericus in domo paterna residens cum reliquis famulis manu propria laborabat : intelligens commotiones corporeas non aliter, nisi laboribus et ærumnis comprimi posse; » et paulo post : « Ætate quoque jam tricenaria presbyterii honore præditus nequaquam se a labore operis, quod prius gessit, abstinebat, sed semper manibus propriis operabatur cum famulis. » Neque S. Severus presbyter, qui accersitus ad ægroti visitationem in putanda vinea occupatus repertus est, ut refert S. Gregorius in lib. I Dial., cap. 12. Neque etiam Theodosius Junior imperator (ut de clericis et monachis taceam) a labore manuum abhorrebat : nam scribendis libris sibi victum quotidianum comparabat ut cuidam monacho, cui divinitus revelatum fuerat eum non aliam mercedem in cœlis quam imperatoris habiturum, fateri coactus est, quemadmodum refert Glycas parte IV Hist.

[c] *Certis iterum horis in divina lectione. Iterum*, hoc loco est *vicissim*. Hic pulchro ordine distinguuntur monachorum exercitia, quo tædium fallatur. Quantum autem obstringantur monachi lectioni divinæ, satis declarat S. Gregorius papa cum lib. II Regesti, cap. 42, his vehementer objurgat abbatem Joannem, eo quod ejus monachi huic pio exercitio minime vacarent. « In ipsis autem fratribus monasterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare, unde considerare necesse est, quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus alimoniam vobis transmiserit, et vos mandata Dei discere negligatis. » Jure quidem : nam sine lectione divina, inquit S. Athanasius in exhortatione ad monachos, nemo ad Deum esse valebit intentus. Illius beneficio mens a Spiritu sancto illustratur. Nam spiritus sanctus cum legente colloquitur, eumque scientiam sanctorum docet. In oratione quidem homo cum Deo, in lectione divina Deus cum homine loquitur : « Cum oramus, inquit Smaragdus cap. 5 Diadematis, cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Oratione quidem petimus, lectione divina quid petendum sit, edocemur. Unde S. Leander lib. de Institutione Virginum, cap. 6 : « Lectio te doceat quid orando petas, postquam vero oraveris, iterum legendo inquire quid postules. » Illa denique ad meditationem confert plurimum. Mens enim per ejusmodi lectionem piis cogitationibus veluti saginata statim in ipsa oratione invenit quid cogitet, quid sapiat et gustet : nec variis cogitationibus circumagitur, quia cito reperit in quo consistat. Hæc autem lectio divina, in qua monachos S. Benedictus versari cupit, est sacra utriusque Testamenti scriptura, nec non sanctorum Patrum orthodoxorum scripta, ut liquido constat ex capite ultimo Regulæ : « Cæterum ad perfectionem qui tendit, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina aut quis sermo divinæ auctoritatis, Veteris ac Novi Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? » Si igitur sacræ Scripturæ et Catholicorum Patrum doctrinæ beneficio recta ad perfectionem et ad Deum tenditur, monachus procul abest

que hac dispositione credimus utraque tempora ordinari : id est, ut a Pascha usque [a] ad Kal. Octobris a mane exeuntes a prima usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. [b] Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis cum silentio : aut forte qui voluerit legere [c] sic legat, ut alium non inquietet : Agatur nona temperius mediante octava hora, et iterum quod faciendum est, operentur, usque ad vesperam, si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes. [d] A Kalendis autem Octobris usque ad caput quadragesimæ [e] usque ad horam secundam [f] plenam lectioni vacent : hora secunda agatur tertia, et usque ad nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ disjungant se ab opere suo singuli, et sint parati dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis. In quadragesimæ vero diebus, mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis : et usque [g] ad undecimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus quadragesimæ [h] accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem et integros legant. Qui codices in capite quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sane [i] deputentur unus aut duo seniores, i qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres

a perfectione, qui in his assidue non versatur. Quod spectat ad paganorum libros cum de his taceat S. Pater Benedictus, signum est hanc lectionem ab eo minime probari. Eam monachis prohibet S. Isidorus cap. VIII suæ regulæ, et episcopis concilium Carthaginense IV, can 10 : « Ut episcopus libros gentilium non legat. »

Qui corda falsis atque vanis imbuunt,
Tantumque linguas instruunt.
Nihil adferentes, ut salutem conferant,
Quod veritatem deleg t.
Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
Qui non tenent summum caput,
Veri boulque fontem et fontem ad Deum ?
Quem nemo, nisi in Christo, videt.

Inquit S. Paulinus epist. ad Ausonium. Sed, quod pejus est, hac lectione obductæ vitiorum cicatrices recrudescunt, et spiritus improbus vehementiori impetu revertitur, et priore ignorantia cladem efficit deteriorem, ut rec e monet S. Isidor s Pelusiota lib. I epistol. 63. Me s enim his adficta quo am vanitatis et superbiæ tumore inflatur, et dæmonum patet illusioni. Itaque hujusmodi lit rorum lectio, quantum fieri potest, monachis est vitanda, et tantum capacioribus ingeniis, idque raro, permittenda est.

[a] *Ad Kalendas Octobris.* Kalendæ Octobris non sunt hic primus dies Octobris, sed postridianus Iduum Septembris : quia postridie Iduum dies a Kalendis sequentis mensis denominantur. Kalendæ igitur Octobris hoc loco sunt dies decimus octavus ante Kalendas Octobris : et ita hoc caput cum capite 41 conciliatur, in quo hæc habentur : « Ab Idibus Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad nonam semper reficiant. »

[b] *Post sextam surgentes a mensa*, etc. Permittitur monachis in æstate somnus meridianus ob nimios calores. Id videtur apud S. Gregorium cap. VI, lib. I, Dial. « Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur advenit. » Ita statuit S. Fructuosus episc. cap. 6 Regulæ : « Peracto officio sextæ ab oratione pergant ad mensam refectique congrue quiescant, et fiat silentium usque ad horam nonam. » Et S. Isidorus cap. 5 Regulæ : « A tertia autem usque ad sextam lectioni vacare : debinc usque ad nonam requiescere, » iisque locis agitur de æstivo tempore, in quo fratres ad sextam reficiunt. De somno meridiano cum fratres ad nonam reficiunt, nihil a S. Benedicto decernitur, qui tamen indulgetur mona his add. 1 Cap. Lud. imp., tit. 71 : « Ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant. » Eratque ante refectionem. Fuit etiam somnus meridianus post ci'um sæcularibus familiaris, ut videre est apud Suetonium in Augusto cap. 78; Sidonium lib. I, ep. 2; Joannem Moschum cap. 77, et alios.

[c] *Sic legat ut alium non inquietet.* Quia olim hæc lectio fiebat in lecto, ut clarum est, ex Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti : « Æstivo omni tempore post prandium unusquisque ad proprium eat lectum cum summa cautela, et sine alterius perturbatione aut legat, aut dormiat, » et ex add. 1 Capitul. Lud. imp, tit. 38 : « Ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat. »

[d] *A Kalendis Octobris.* Id est a decimo octavo Kal. Octobr. inclusive.

[e] *Usque ad horam secundam.* Subaudiendum est : *A mane.*

[f] *Plenam.* Id est, consummatam, nam opponitur particulis, *pene*, *quasi*.

[g] *Ad undecimam.* Apud S. Dunstanum, Smaragdum, Turrecrematam, et in omnibus codicibus quos viderim, tam editis quam mss., legitur : *Ad decimam*, quam lectionem libenter amplector, ut dictis vesperis circa undecimam cœnare incipiant monachi, ut lumine lucernæ non indigeant in refectione.

[h] *Accipiant omnes singulos codices de bibliotheca.* Circa hos codices hæc decernuntur in add. 1 Capitul. Lud. imp., tit. 19 : « In quadragesima libris de Bibliotheca secundum prioris di positio em acceptis, alios, nisi prior decreverit expedire, non accipiant. »

[i] *Deputentur unus aut duo seniores*, etc. Circuitor monasterii, qui fratres desidiosos observat, appellatur : *Circa*, ut videre est in Concordia S. Dunstani, cap. 7 : « Jam et secundum Regulæ præceptum constitui debet aliquis frater, qui ab officio circuitus sui Circa vocatur : est enim ejus officium circuire claustrum, ne forte inveniatur frater aced osus, aut alicui vanitati deditus. » Et apud Lantfrancum c. 4 Decretorum, « Circumitores monasterii, quos alio nomine circas vocant juxta S. Benedicti præceptum certis horis circumire debent monasterii officinas observantes incurias et negligentias fratrum, et statuti ordinis prævaricationes. » A verbo circare, id est, circumire. Glossæ veteres. *Circitat et circat*, κυκλεύει, id est, circumit. Hinc castigandæ Glossæ Isidori : *Circat, circumvenit*, legendum enim, *circumit*. Unde paulo post sequitur in iisdem Glossis : *Circitorum, circantium.* At certiores in castris non erant circumventores, sed vigilias circumibant, ut renuntiarent, si qua emersisset culpa, ut scribit Vegetius libr. III, cap. 8. Circitores etiam sunt quidam institores : « Quibus vestiarii, vel linearii dant vestem circumferendam ac distrahendam, » inquit Ulpianus, ff., l. *Cuicunque igitur*, de institoria actione.

[j] *Qui circumeant monasterium.* Ex his liquido constat fratres non simul in certo quodam loco legere solitos, sed habuisse cellas per monasterium spar-

lectioni : et videant ne forte inveniatur frater [a] accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, et non est intentus lectioni : et non solum sibi inutilis est, sed et jam [b] alios extollit. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit corripiatur semel et secundo : si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat taliter [c] ut

A cæteri timeant. [d] Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens aut desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, [e] injungatur ei opus. Fratribus infirmis, [f] aut delicatis

sas in quibus lectioni vacarent, operi, orationi peculiari. Quod satis liquet ex Beda libr. IV Hist. Angl., cap. 25, ubi agit de monasterii Coludiani incendio. « Nam et domunculæ quæ ad orandum, vel legendum factæ erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum et cæterarum illecebrarum cubicula conversæ. » Ex S. Isidoro, qui quamvis cap. 12 Regulæ statuit, ut omnes fratres in uno conclavi dormiant, tamen cap. 1 cellulas fratribus assignat : « Cellulæ, inquit, fratribus juxta ecclesiam constituantur, ut possint properare quantocius ad officium. » Et S. Fructuoso episcopo Bracarensi, qui cap. VI Regulæ suæ statuit ut perfectæ ætatis monachi habeant cellas junioribus cum suis decanis lectioni et recitationi vacantibus, etsi velit omnes in uno loco pausare : ipse etiam S. Benedictus cellam habebat in qua orabat, ut videtur lib. II Dial. S. Greg. cap. 11 : « Præcepitque vir Dei statim eum in cella sua, in psiatho, quo orare solebat, projici. » Tamen postea usu receptum est, ut hæc lectio fieret in uno loco, nempe in illo peristylio, quod vulgo claustrum appellatur. Epitome Ludovici imperatoris in Regulam S. Benedicti : « Certis iterum horis lectioni pleniter vacent ; et, si fieri potest, in uno claustro sedeant. » Concordia S. Dunstani : cap. 5, « Tertia vero peracta, et missa subsequente celebrata, uti Regula præcipit, sedentes in claustro vacent lectioni. Petrus Blæsensis serm. 25 : « Inde est, quod in claustro conventuum quatuor loca cum propriis deputantur officiis, in latere claustri occidentali est scholaris subjectio : in eo quod contingit ecclesiam lectio moralis : ac orientalem in capitulo correctio materialis. » Ubi nota hæc lectionem fieri in eo latere, quod ecclesiam contingit. Cujus rei signum adhuc super est in monasterio S. Dionysii prope Lutetiam. Nam in vitreis claustri ejusdem partis visuntur depictæ artes liberales. Per scholarem subjectionem intelligit novitios, qui olim sedebant in parte occidentali, cujus observantiæ quondam vestigium vidi in eodem S. Dionysii monasterio in diebus cœnæ Domini et parasceves. Clerici etiam regulares, quos canonicos vocant, in claustro legentes sedebant : ut videre est in Actis S. Wolphangi, c. 7 : « Effecit autem apud illos (clericos) tum minis, tum suasionibus, ut, quod prius non fecerant, communi mensa et dormitorio uterentur, in claustro sederent, et lectioni incumberent. » Sed in hieme, propter nimios imbres et frigus, non fiebat in claustro ejusmodi lectio, sed in alio conclavi, ut ex eadem S. Dunstani Concordia, cap. 2, manifestum est. In eo certis horis dabatur copia fratribus confabulandi, alias silentium observabatur. Lanfrancus in Constitutionibus, § 3 : « Post sextam revertantur in claustrum locuturi : cum tempus fuerit, pulsetur unum de mediocribus signis, quo pulsato, statim silentium fiat in claustro. » Constitutiones comitiorum generalium provinciæ Cantuariensis anni 1225, cap. 7 : « Ut permissis colloquiis in claustro et alibi a turpiloquiis, et vaniloquiis et scurrilitatibus abstineatur. Nam tanta erat in servandi ordinis continua jugitate prolixitas, tanta præsertim in ecclesiasticis officiis protelabatur instantia, ut in ipso cancri sive leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horæ dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium. » Petrus Venerabilis statuto 20 : « Statutum est, ut in quadragesimali tempore, additis ad silentium tribus diebus, hoc est tertia feria, et quinta et sabbato, quibus in

claustro juxta morem pristinum locutio esse solebat, continuum per totam quadragesimam silentium teneatur. » Itaque in monasteriis creatus est prior claustri, qui fratres aut legentes aut colloquentes observaret, ut habetur in Decretorum Lanfranci : « Prior claustri quocunque major prior eat, si fieri potest in claustro, vel circa claustrum debet semper esse, et ordinem claustri in omni sollicitudine servare. » Et ne fratres interturbarentur, non dabatur copia extraneis seu clericis seu laicis ingrediendi claustrum, nisi certis de causis, ut videre est statuto 23 Petri Venerabilis : « Statutum est, ut in claustrum, vel in reliquas regulares domos nullus clericorum aut laicorum ingrediatur, nisi aut causa operis alicujus, aut videndi domos ut honesti hospites facere solent, » etc. Claustri usus antiquus est : nam illius mentio fit in Vita S. Guil. Gellonensis, qui claruit tempore Caroli Magni : « Quamprimum condecens metitur oratorium, metitur etiam totius claustris patium, domum etiam infirmorum, et domum refectionis atque dormitorium, cellam novitiorum, aulam hospitum. »

B

[a] *Accidiosus.* Ita in cod. ms. S. Germ. pro : *Acediosus*, ut vulgo habetur, id est, piger, atque etiam qui acediæ morbo laborat. Is enim vix potest animum lectioni applicare.

[b] *Alios extollit.* Id est, aufert, amovet, subducit ab opere. Extollere videlicet hoc loco est auferre, amovere. Id clarum est ex Plauto in Mercatore.

C Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

[c] *Ut cæteri timeant.* Ita apud Smaragdum, et in cod. S. Ebrul. et S. Germ. ms. vulgo : *Ut cæteri metum habeant.*

[d] *Neque frater ad fratrem jungatus horis incompetentibus.* Jungitur frater alteri horis incompetentibus, qui tempore operis Dei laboris manuum, lectionis, refectionis, aut alicujus exercitii regularis cum altero confabulatur injussus. Quod satis patet ex textu Regulæ. Nam cum S. Benedictus jussit acrius animadverti in eum qui dum fratres lectioni incumbunt, nugis et fabulis vacat, statim subjungit : « Ne frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus. » Ubi recte Smaragdus ait : « Illæ enim sunt horæ incompetentes fabulis vanis, quæ sunt competentes lectionibus sacris. » Idem videre est apud Ruthardum. Sed cum S. Benedictus ita distribuat quid singulis horis faciendum sit, ut vix extra regularia exercitia aliquid temporis restet, nullæ erunt horæ competentes ; quibus aliquando fratres se possint invicem de necessariis interrogare. Itaque non puto eam fuisse S. Benedicti mentem, ut monachi tot horas in opere manuum ad rigorem observent, sed instituisse tantum horas in quibus laborandum sit, et posse monachos absoluto opere quod ipsis injunctum fuit non exspectato horæ præstitutæ termino, se ab opere disjungere, ut aut lectioni, aut orationi, aut aliis suis necessitatibus vacare possint.

D

[e] *Injungatur ei opus.* Quod non sit servile, nec sit ejusmodi diebus prohibitum : aut si servile, quod sit licitum, ut ministerium aliquod in culina, vel in domo infirmorum.

[f] *Aut delicatis talis opera*, etc. Delicatus est in deliciis pastus, inquit Smaragdus. Vide superius annotata. Circa delicatos et debiles idem statuit S. Leander lib. de institutione Virginum, cap. 13 : « Et ista sint dicta de veste et cibo et potu vel opere pro invalidis : ut quæ durius ferre non potest, tractetur

talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur : quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

§ II. — Ex Regula sancti Macarii (*cap.* 10).

[a] Debent ergo fratres istum ordinem tenere. A prima usque ad horam tertiam Deo vacent fratres. A tertia vero usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit a Patre, [b] sine aliqua murmuratione faciant. Meminere debent [c] in quibus injungitur, dictum Apostoli : [d] *Omnia quæ facitis, sine murmuratione facite* (*Phil.* II). Timere debent illud dictum terribile : *Nolite murmurare; sicut quidam eorum murmuraverunt, et ab exterminatore perierunt* (*II Cor.* X). Debet etiam, qui præest, pater, opus, quod faciendum est, uni injungere, ut cæteri ejus præcepto, cui injunctum fuerit, fratres obediant sine querela.

§ III. — *Item ejusdem* (*cap.* 11).

[e] Si quis ex fratribus pro jejunio, vel operibus manuum suarum, quæ Apostolus præcipit : *Operantes* [f] *manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus* (*I Thess.* II et II, III), is qui talis est monachus, dignus est in omnibus. In his si fuerit aliquis infirmitate [g] obsessus, providendum est ab eo, qui præest, qualiter ipsa infirmitas sustentetur. Quod si infirmus est animo hujusmodi frater, oportet eum frequentius operari, considerans Apostolum, qualiter corpus suum servituti redigit (*I Cor.* IX). Hoc autem

A observandum est, ut in nullo voluntatem suam faciat ille.

§ IV. — Ex Regula Patrum (*cap.* 5).

[h] Cursus vero orationum vel psalmorum, sicut dudum statutum est, vel tempus istud [i] meditandi, operandique servabitur. Ita meditem habeant fratres, [j] ut usque ad horam secundam legant ; si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit etiam [k] prætermisso [l] meditem, aliquid fieri in commune. Post horam vero secundam unusquisque ad opus suum paratus sit, et usque ad horam nonam quidquid injunctum fuerit, sine murmuratione et hæsitatione perficiant, sicut docet sanctus Apostolus (*Phil.* II).

§ V. — *Item ex Regula Patrum* (*cap.* 5).

B

[m] Matutino dicto fratres lectioni vacent usque ad horam secundam : si tamen nulla causa exstiterit, qua necesse sit, etiam [n] prætermissa lectione, aliquid fieri in commune. Post horam secundam unusquisque ad opus suum paratus sit. Usque ad horam nonam quod injunctum fuerit, sine murmuratione perficiat.

§ VI. — *Item ex Regula Patrum* (*cap.* 9).

[o] Die autem Dominico nihil aliud agant, nisi Deo vacent : nec pro aliqua occasione se velint, aut alios excusare. Tamen contestor, fratres, [p] nulla operatio

levius. » Et hæc est discretionis Regula. Hinc notandum noviter venientes, qui non sunt assueti labori manuum, non statim oneran los, sed paulatim assuefacien 'os. « Neque ex nimio otio subitus labor C sine gravi noxa est, » inquit Celsus, lib. I, c. 3. De opere manuum plura vide apud Rupertum lib. III in Regulam sancti Benedicti, cap. 5 et seq.

[a] *Debent ergo*, etc. Exstat in Regula ms. Macarii, et aliorum abbatum cod. Flor. et Corb.; sed codex Corbeiensis multum differt in verbis quidem ab hac Concordia, et a cod. Flor., sed non in sensu.

[b] *Sine aliqua murmuratione faciant.* Monasteriorum est pernicies murmuratio. Estque illorum præcipue qui corpore, non animo in claustris habitant, quorum non est cor unum, nec anima una. Ut præclare docet S. Augustinus enarratione in psalmum CXXXII : *Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum : pravi cordia fatui sicut rota carri* (*Eccli.* XXXIII). *Fenum portat et murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in unum, nisi corpore.* Similia sane sunt præcordia murmuratorum rotæ carri, qui sic per cum murmuratione opus injunctum fa- D ciunt, quemadmodum rota carri quæ fert cum murmuratione fenum. Multum laborant et nihil proficiunt. Unde præclare S. Joannes Chrysostomus serm. 8 in cap. II, ad Philippenses : Βέλτιον μηδὲν ἐργάζεσθαι, ἢ μετὰ γογγυσμοῦ· ἀπόλλυται γὰρ καὶ αὐτὸ γινόμενον· id est, « melius est nihil facere quam cum murmuratione. Perit enim illud quod fit. » Idque juxta mentem S. Patris Benedicti cap. 5 : « Etsi impleat jussionem ; tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. »

[c] *In quibus injungitur.* Ita in cod Flo. Lege *ii, quibus injungitur.*

[d] *Omnia quod facitis, sine murmuratione facite.* In cod. Corb. additur, *et hæsitatione.* In versione communi : « Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus. »

[e] *Si quis ex fratribus*, etc. Habetur capite sequenti sæpius citati codicis Floriacensis. Exstat etiam in cod. Corb. Profertur supra cap. 45, sub nomine Regulæ Patrum. Hic autem citatur ob illa verba S. Patris Benedicti *Fratribus infirmis aut delicatis.*

[f] *Manibus nostris.* Ita in cod. Flor. et Corb. Hæc tamen verba non habentur in locis citatis Apostoli. In versione tamen Syra I ad Thess. II habetur : *In opere manuum nostrarum.*

[g] *Obsessus.* In cod. Corb. *oppressus.*

[h] *Cursus vero*, etc. Hoc capitulum reperitur in secunda Regula ms. cod. Flor. cujus initium est : *Cum resideremus in unum ;* Habetur etiam in cod. ms. Corb.

[i] *Meditandi.* Id est, legendi. Meditari enim aliquando legere est. Unde postea subjungitur : « Ut usque ad horam secundam legant. »

[j] *Ut usque ad horam secundam legant.* Idem statuit S. Cæsarius cap. 7 Regulæ suæ : « Omni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam secundam lectioni vacent. »

[k] *Prætermisso meditem.* Ita in Regula ms. cod. Flor. In cod. Corb. *Prætermisso medite.* In Vind. *Prætermisso meditentur.* Legendum puto, *prætermissa meditatione*, id est, lectione.

[l] *Meditem.* Ita in Regula ms. cod. Flor. et Corb. et alibi in eadem Regula cod. Flor. « Sed unusquisque opus suum et meditem custodiat. » In Cod. Vind. legitur *ita tamen meditationis causam.* Quid sibi velit τὸ *meditem*, non satis video. Itaque legendum puto *meditationem*, id est lectionem.

[m] *Matutino dicto*, etc. Hoc capitulum habetur in tertia Regula toties citati cod. Flor. cujus initium est, *Cum in nomine Domini.* Nihilque aliud comple- tetur, quam præcedens capitulum.

[n] *Prætermissa lectione.* In superiori capitulo juxta nostram emendationem : *Prætermissa meditatione*, ex quo confirmatur meditationem esse lectionem.

[o] *Die autem Dominica.* Hoc capitulum habetur in Regula Serapionis, Macarii, et aliorum cod. Corb. et Flor.

[p] *Nulla operatio.* Ita in cod. Flor. Smaragdus legit *quod nulla operatio.*

in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis et canticis spiritualibus [a] dies illa transeatur.

§ VII. — Ex Regula Pachomii (*cap.* 58).

[b] Si signum datum fuerit ut egrediantur ad opus, [c] Præpositus domus antecedet eos; et nullus in monasterio remanebit, nisi is cui [d] Pater præceperit; et hi qui pergunt [e] non interrogabunt quo vadant.

§ VIII. — *Item* (*cap.* 59).

[f] Cumque universæ domus in unum fuerint congregatæ, prioris domus Præpositus antecedet; et pergent juxta ordinem domorum et hominum singulorum, nec loquentur mutuo; sed unusquisquis de Scripturis meditabitur. Si forte eis aliquis occurrerit, et voluerit cum aliquo eorum loqui, [g] janitor monasterii, qui huic operi fuerit delegatus, occurret, et respondebit ei, eoque utentur nuntio. [h] Si janitor coram non fuerit, [i] Præpositus domus, vel alius, cui hoc fuerit injunctum, occurrentibus respondebit.

§ IX. — *Item* (*cap.* 60).

[j] Operantes nihil loquantur sæculare; sed aut [k] meditabuntur ea quæ sancta sunt, aut certe silebunt.

§ X. — *Item* (*cap.* 62 [l]).

Operans non sedebit sine majoris imperio.

§ XI. — *Item* (*cap.* 62).

[m] Nec plus operis fratres compellantur facere, sed moderatus labor omnes ad opus provocet. Sitque inter eos pax et concordia, et libenter majoribus subjiciantur sedentes, et ambulantes, ac stantes in ordine suo, et invicem de humilitate certantes. [n] Si quid peccatum fuerit, Patres monasterii emendare poterunt, et constituere quid sequi [o] debeant.

§ XII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 34 [p]).

Interrog. Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversæ ascendunt in corda nostra, et quomodo hoc possumus emendare, etc.

§ XIII. — Ex Regula Stephani (*cap.* 11).

[q] Æstatis tempore nulli liceat meridie, præter in suo lecto dormire: nisi forte jubente Priore [r] ad nubila pro custodia [s] areæ extra lectum suum dormiat. In campo vero quando messis colligitur, si meridie dormire licuerit, non divisi, sed in uno loco, aut duobus locis dormient: quia non est incognitum, quantum mali ex occasione diabolus fecerit. Tempora vero in quibus, si vacaverit, meridie dormiendum nobis est, a die Iduum Maiarum usque in diem Iduum Septembrium observemus.

§ XIV. — *Item* (*cap.* 33 [t]).

[t] Magnopere autem ab omnibus cavendum est, ne aut in pistrino, aut in quacunque manuum operatione aliquis fratrum pigre, et non inter primos occurrat.

§ XV. — *Item* (*cap.* 33).

[u] Nam adhortatio laborandi quæ hactenus cum tanto temperamento a nobis charitati vestræ insinuata est, [v] ab illa apostolica beati Pauli instantia tantum tepida est et remissa, quantum est differentia personarum; cum ille nos jubeat hactenus manibus laborare, ut habeamus unde tribuere possimus necessitatem patientibus (*Eph.* IV): nos diximus, ut, vel quod nobis sufficiat, laboremus. Ille dicit seipsum in fame et siti, in frigore et nuditate, nocte et die, suis manibus laborasse, ut sibi, et qui cum eo erant necessaria non deessent (*II Cor.* XI; *Act.* XX). Nos e contra duplicia habentes in nostris usibus vestimenta, et calciamenta, et quotidiani victus de donis Dei ad saturitatem plenissimum apparatum, hortamur ut otium non ametis, sed per sincerum unanimitatis consensum unusquisque, ut prævalet, sic laboret. Ille præcepit: *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III). Et nos fragilitatem nostram in vobis pensantes nulli vestrum, qui hactenus subdola et lubrica voluntate laborare feliciter distulistis, de necessariis rebus a fidelium fratrum [x] ordine quidquam subtraximus, patienter hactenus tolerantes, ut non vinceremur a malo, sed ut vinceremus malum in bono.

[a] *Dies illa transeatur.* In cod. Corb. et apud Smaragdum, *dies memorata transigatur.*

[b] *Si signum datum fuerit*, etc. Exstat in Regula excusa S. Pachomii, art. 35.

[c] *Præpositus domus.* In Regula excusa deest vocabulum *domus.* Sed recte positum, et legendum *Prioris domus*, ut ex sequenti articulo patet.

[d] *Pater.* Id est abbas.

[e] *Non interrogabunt quo vadant.* Recta institutio, ut discipuli suis præpositis dempta omni curiositate obtemperent.

[f] *Cumque universæ domus.* Hæc verba et sequentia usque ad illa, *non loquentur*, non exstant in Regula excusa S. Pachomii, art. 35, licet quædam sint immutata.

[g] *Janitor.* In Regula S. Pachomii excusa legitur, *præpositus*; male.

[h] *Si janitor coram non fuerit.* Hæc usque ad finem articuli non exstant in Regula excusa.

[i] *Præpositus domus.* De qua est ille quem extraneus alloqui cupit.

[j] *Operantes nihil loquantur*, etc. Hæc videre est in Regula S. Pachomii excusa, eodem cap. 35.

[k] *Meditabuntur.* Id est, loquentur. Ita sensus postulat, quia sequitur: *Aut certe silebunt.*

[l] Eodem articulo.

[m] *Nec plus operis fratres compellantur facere.* Supp. *quam vires eorum ferre possint.* Hoc capitulum exstat in regula excusa, partim art. 100, partim. 101.

[n] *Si quid peccatum fuerit.* Hic incipit art. 101 in Regula S. Pachomii excusa: ubi legitur: *Si quis peccatum fecerit.*

[o] *Debeant.* In eadem Regula excusa legitur, *debeat*, juxta superiorem lectionem.

[p] Vide supra cap. 25, § 4.

[q] *Æstatis tempore*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Pauli et Stephani, cap. 20.

[r] *Ad nubila.* Id est, sub dio, sub axe.

[s] *Areæ.* Area est locus agricolæ arte factus ad proterendum triticum. Vide Virgilium lib. primo Georg.; Columellam lib. II, cap. 20, et S. Isidorum lib. XV, cap. 13, Orig.

[t] Cap. 33 ejusdem Regulæ cod. Flor.

[u] *Nam adhortatio laborandi*, etc. Exstat in Reg. ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 34.

[v] *Ab illa apostolica beati Pauli instantia.* Id est, præ illa Pauli instantia, seu vehementi adhortatione qua nos hortatur et urget ad laborem manuum.

[x] *Ab ordine.* Ordo hoc loco est quod ordinarie datur seu ad victum, seu ad vestitum.

§ XVI. — [a] *Item ejusdem* (*cap.* 38).

[a] Hoc scientes fratres, [b] quia otiosus corpore monachus mente a sordidis cogitationibus nunquam poterit esse otiosus, [c] dicente Salomone : *In desideriis est omnis otiosus;* et iterum : [d] *Multa mala excogitat otiositas :* abjecto ergo a se qui hucusque talis fuit hoc vitio, promptus ad omne opus occurrat, quia scriptum est : *Non oderis opera laboriosa et rusticationem ab Altissimo creatam* (*Eccli.* VII). Ut donante Domino de propriis laboribus et rebus quotidianis et necessariis abundemus; et his quos amor spiritalis ad visitandos nos invitat, possimus convenienti mediocritate occurrere, aut quos gravis urget necessitas debito ministerio valeamus de proprio labore servire : quia Dominum Redemptorem nostrum *beatius esse dare quam accipere* (*Act.* x) certum est [e] præcepisse.

§ XVII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 7).

[f] Monachus semper operetur manibus suis; ita ut qui uslibet variis opificum artibus laboribusque studium suum impendat, sequens loquentem Apostolum, qui dicit : *Neque panem gratis manducavimus : sed in labore, et fatigatione nocte et die laborantes* (*II Thess.* III). Et iterum : *Qui non vult operari, non manducet* (*Ibid.*). Per otium enim libidinis et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt; per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nequaquam debet dedignari monachus versari in opere aliquo monasterii usibus necessario. [g] Nam et patriarchæ greges paverunt; [h] philosophi gentiles sutores et sartores fuerunt; Joseph justus, cui Virgo Maria desponsata exstitit, [i] faber ferrarius fuit. Siquidem et Petrus princeps apostolorum piscatoris gessit officium, et omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Si igitur tantæ auctoritatis homines laboribus et operibus, etiam rusticanis inservierunt, quanto magis monachi, quibus oportet non solum vitæ suæ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigentiam aliorum laboribus suis reficere. Qui viribus corporis et integritate salutis consistunt, si in opere ostiosi sunt, dupliciter peccare noscuntur : quia non solum non laborant, sed etiam alios vitiant, et ad imitationem suam invitant. Propterea enim quisque [j] ad Deum convertitur, ut ei deserviens laboris habeat curam, non ut otio deditus inertia pigritiaque pascatur. Qui sic volunt vacare lectioni, ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod illi legunt. Ibi enim scriptum est : *Operantes suum panem manducent.* Et iterum : *Ipsi enim scitis, quomodo oporteat imitari nos : quia non inquieti fuimus apud vos, neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione die et nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus* (*II Thess.* III). Qui per infirmitatem corporis operari non possunt, humanius clementiusque tractandi sunt; [k] nec contra eos murmurandum est ab eis qui vires laborandi habent, sed magis consulendum est eis quos sciunt corpore infirmos. Ipsi autem qui non possunt, eos qui laborant et possunt meliores sibi felicioresque fateantur. Qui vero languidus est, et laborem operum corporalium sustinere non potest, consulendum est illi, et ejus infirmitas temperanda est. Qui vero sani sunt, et fallunt, procul

[a] *Hoc scientes fratres*, etc. Hæc habentur in eadem Reg. mss. cod. Flor., cap. 35.

[b] *Quia otiosus corpore monachus*, etc. D. Hieronymus in epist. ad Rusticum de vivendi forma : « Texantur et lina capiendis piscibus; scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. *In desideriis est omnis otiosus.* Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum aliquod operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem : ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, et instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricet pedes suos. »

[c] *Dicente Salomone : In desideriis est omnis otiosus.* Loco citato hanc sententiam profert S. Hieronymus auctoris nomine suppresso, quam neque in Salomone, neque in tota Scriptura repereris : est tamen Prov. XXI, 25, quid simile : *Desideria occidunt pigrum*, etc.

[d] *Multa mala excogitat otiositas.* Ecclesiasti. c. XXX, ubi in communi versione sic habetur : *Multam enim malitiam docuit otiositas.* Cui respondet textus Græcus.

[e] *Præcepisse.* Id est, præmoruisse.

[f] *Monachus semper operetur*, etc. Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 5.

[g] *Nam et patriarchæ*, etc. Hanc totam periodum usque ad illa verba : *Qui viribus corporis*, etc. Profert Haymo Halberstatensis lib. II de Varietate, cap. 2.

[h] *Et gentiles philosophi.* Qualis fuit Hippias sophista, qui Pisam veniens certamen Olympicum spectaturus, omnia sua vestimenta quibus tum indutus erat sibi consuerat, ut scribit Apuleius lib. II Floridorum. Simon Atheniensis philosophus coriarius fuit; Menedemus Eretriensis tabernacula faciebat, ut docet Diogenes Laertius lib. II, et Hesychius Illustris in Menedemo.

[i] *Faber ferrarius.* Controvertitur inter doctores de arte S. Josephi beatæ Virginis sponsi, aliis eum fuisse fabrum ferrarium, aliis fabrum lignarium asserentibus. Haymo Halberstatensis cap. citato S. Isidori sententiam sequitur, ejusdem verba, ut supra notavimus, proferens. In Evangelio communi et generali vocabulo dicitur τέκτων, id est, faber. Hesychius : τέκτων πᾶς τεχνίτης, id est, omnis artifex; sive, ut loquitur Suidas, τέκτων κοινὸς τεχνίτης, id est, communis artifex. Tamen proprie tribuitur hoc nomen fabro lignario, ut docet Moschopulus cap. 1 de Schedis : Τέκτων πᾶς τεχνίτης. Ἰδ ὡς δὲ τέκτονες λέγονται οἱ ξυλουργοί. Id est, τέκτων, omnis artifex. Proprie vero τέκτονες dicuntur fabri lignarii. Idem docent Glossæ veteres : τέκτων, *faber lignarius, faber lignarius.* Ex quo non immerito communi sententia fertur S. Josephum fuisse fabrum lignarium, cui astipulatur S. Leander cap. 14 de Institutione virginum hac in re fratri Isidoro adversatus : « Sed et Joseph, cui fuerat desponsata, cum esset justus, erat tamen et pauper, ita ut vitam et vestitum artificio quæreret, certe faber lignarius fuisse legitur.

[j] *Ad Deum convertitur.* Hæc verba, *ad Deum*, redundant, nec sunt in Regula excusa. Nam qui veniebant ad monachatum, dicebantur simpliciter converti.

[k] *Nec contra murmurandum est.* Vide S. Basilium cap. 32 Monasticarum Institutionum. Sed in Regula excusa hæc verba usque ad ista : *Qui vero sani sunt et fallunt*, non exstant, sed ex hoc codice supplenda sunt.

dubio dolendi atque lugendi sunt : quia non corpore, sed (quod pejus est) mente ægroti sunt, quique, etsi humanis oculis convinci non possunt, Deum tamen non fallunt. Tales igitur ferendi sunt, si ægritudo latet ; aut distringendi, si sanitas patet. Monachi operantes, [a] meditari aut psallere debent, ut carminis verbique Dei delectatione consolentur ipsum laborem. [b] Si enim sæculares opifices inter ipsos labores suorum operum amatoria turpiaque cantare non desinunt, atque ita horam suam in cantibus et fabulis implicant, ut ab opere manus non substrahant quanto magis servus Christi sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in ore habeat, et lingua ejus psalmis atque hymnis inserviat. Laborandum est ergo corpore, animi fixa in Deum intentione ; sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur a Deo. Propriis autem temporibus oportet operari monachum, et propriis orationi lectionique incumbere. Horas enim debet habere monachus congruas, et ad singula officia deputatas. Partes autem temporum suis quibusque operibus taliter deputantur. Æstate enim a mane usque ad horam tertiam laborare oportet ; a tertia vero usque ad sextam lectioni vacare ; dehinc usque ad nonam requiescere ; post nonam autem usque ad tempus vespertinum iterum operari. Alio autem tempore, id est, hieme, autumno, sive verno a mane usque ad tertiam legendum ; post celebrationem Tertiæ usque ad nonam laborandum est ; post refectionem nonæ aut operari oportet aut legere aut sono vocis aliquid meditari. [c] Quæcunque autem operantur monachi manibus suis Præposito deferant : Præpositus autem principi monachorum, nihilque operis apud fratres remaneat, ne sollicitudinis cura mentem ab intentione contemplationis avertat. Hortos olerum, vel apparatus ciborum propriis sibi manibus fratres exerceant. Ædificiorum autem constructio et cultus agrorum ad opus servorum pertinebunt. Nullus monachus amore privati operis illigetur ; sed omnes in commune laborantes Patri sine murmuratione obtemperabunt. Monachi præpositis suis sine ulla murmuratione obtemperare debent, ne forte ea sententia pereant, qua perierunt hi qui in deserto murmuraverunt. Si enim illis parvulis adhuc in lege et rudibus nequaquam indultum est, quanto magis his qui perfectionis legem perceperunt non parcet, si talia gesserint.

§ XVIII. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 6).

[d] In operando hæc ratio conservetur. [e] Verno vel æstate, dicta Prima commoneantur decani a præposito suo quale opus debeant exercere : atque illi reliquos fratres. Tum demum dato signo, sumptis ferramentis congregentur in unum, factaque oratione pergent [f] recitantes ad opus usque ad horam diei tertiam : revertentesque ad ecclesiam, Tertiaque celebrata, residentes suis locis studeant lectioni vel orationi. Verum si opus tale est, quod non intermittatur, in opere ipso Tertia dicatur, et sic [g] recitando revertantur [h] ad cellam, et [i] consummata oratione, [j] ablutisque manibus [k] confestim ad ecclesiam conveniant. Et si reficiendum ad sextam est, peracto officio Sextæ, ab oratione pergant ad mensas ; refectique congrue, iterum facta oratione, quiescant. Deinde celebrata Nona, si necesse est revertantur ad opus, quousque [l] ad duodecimæ officium conveniant. [m] Sin autem, residentes taciti per cellulas suas, hi quorum jam ætas perfecta est, et conscientia pura, meditentur eloquia Domini, vel opus quodlibet intra cellulam injunctum exercentes nusquam prorsus, excepta causa necessitatis, audeant progredi, nisi fuerint a seniore præcepti. Juniores vero coram suis residentes decanis, lectioni, vel recitationi vacent ; nec se inconsulto seniore junior a sua auferat sessione, aut ad alterius decani locum audeat pergere : sed tam in sessione quam etiam in operatione semper decani a decania segregata consistant. Juniores quippe suos jugiter decanus ille commoneat, ne in aliquam negligentiam decidant ; sed viros spirituales

[a] *Meditari et psallere debent.* Ut labor sit rerum divinarum meditatione levior, nec mens, dum corpus operatur, maneat otiosa. Quod sane contingit, cum tota operi immergitur, aut aliud agens, vanisque cogitationibus indulgens a Deo distracta longius avolat. Idem de antiquis monachis refert ipse Isidorus lib. II de Off. Eccl., cap. 15 : « Canunt autem psalmos manibus operantes, et ipsum laborem divino celeumate consolantur. » Locus sumptus est ex D. Augustini libro de Opere Monachorum, cap. 17 : « Cantica vero divina cantare etiam manibus operantes facile possunt, et ipsum laborem divino celeumate consolari. » Celeuma est vox nautarum se ipsos ad opus nauticum adhortantium. Idem locus profertur ab Haymone Halberstatensi lib. II de Varietate, cap. 50.

[b] *Si enim sæculares opifices*, etc. Locus sumptus ex D. Augustino lib. de Opere Monachorum, cap. 17 : « An ignoramus opifices quibus cantibus et plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda et linguas suas, cum manus ab opere non recedant. » Refertur etiam ab Haymone loco citato.

[c] *Quæcunque autem operantur*, etc. Idem Isidorus lib. II de Offic. eccl. cap. 15. Quid simile habet S. Augustinus lib. II de Moribus Ecclesiæ.

[d] *In operando*, etc. Hæc reperire est in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi cod. Crass., eod. c. 6.

[e] *Verno vel æstate.* Particula *vel* hic sumitur copulative, sicut infra hoc capitulo.

[f] *Recitantes.* Psalmos videlicet in ipso itinere, ut ex infra dictis clarum est : *Ad opera cum egressuri sunt, orationem facturi invicem conveniant ; qua completa incipiat propositus psalmum, et sic recitantes pergant ad operationem.*

[g] *Recitando.* Psalmos.

[h] *Ad cellam.* Id est, ad monasterium : quia egrediebantur foras ad opus. Vide superius annotata.

[i] *Consummata oratione.* Id est, absoluto psalmo et collecta ad finem operis.

[j] *Ablutisque manibus.* Quæ sordidatæ erant propter opus.

[k] *Confestim ad ecclesiam conveniant.* Sextam celebraturi, quia cum non intermittebatur opus, dicebant Tertiam in ipso operis loco ; et consummato opere redibant Sextæ cursum acturi.

[l] *Ad duodecimæ officium.* Id est, ad synaxim vespertinam, quæ hora duodecima, cadente sole agebatur antiquitus, ut supra notatum est.

[m] *Sin autem.* Nempe nihil superest, quod necesse sit agere.

et sanctos illis semper in exemplo proferat; ut illorum contemplatione assidua ad meliora proficiant. Autumni vel hiemis tempore usque ad tertiam legant, usque ad nonam operentur, si tamen est quodlibet opus, quod fiat. Post nonam iterum usque ad duodecimam legant; a duodecima meditentur [a] usque ad vesperam. Ad opera cum egressuri sunt orationem facturi invicem conveniant: qua completa, incipiat præpositus psalmum, et sic recitantes pergant ad operationem. Cum operantur, non inter se fabulas vel cachinnos conserant, sive luxurientur; sed operantes intra se recitent taciti, aut psallant aliquid, aut recitent pariter, aut certe sileant.

§ XIX. — Ex Regula sancti Ferreoli (*cap.* 26).

[b] Ut usque ad horam diei tertiam omni tempore lectioni monachus tam senior quam extremus vacare procuret. Et sic demum in reliqua parte diei deputati operis cura succedat præter ægrotos tantum, quibus imponi hoc supra propriam voluntatem vel potius virtutem communis infirmitas non permittit. Nam et hi quibus fructuum colligendorum tempore fuerit ab abbate imperatum, ut matutinis horis aliquid vel laboris exerceant, hac lege non tenebuntur; neque huic definitioni putabuntur exstitisse contrarii, cum imperata sibi utilitatis causa compleverint. Etenim moris est agricolis, ut vix reddito adhuc mane arida frumenta non nisi deciduo madida facta rore succidant, ut lætam minus segetem facilius fervoribus insecutoribus eripiant, dum in exordio diei blandi aeris temperamenta custodiunt. [c] Sæpe enim ex industria factum scio, ut [d] dubia adhuc luce prius- quam, ut dicere possumus, orbe solis ardorem biberit redactam in manipulos segetem igne jubaris flammas cum fructibus messuram ejus evaserit. Hoc ergo si etiam a monachis, qui operi insistunt, ut superius diximus, fuerit observatum, non erunt pronuntiandi pro [e] compendio operis Regulæ transgressores.

§ XX. — *Item* (*cap.* 28).

Monachum absque certis solemnitatibus, vel manifesta ægritudine diem sine operatione transigentem a convivio decernimus excludendum jubente beato Apostolo: [f] *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III). Secuturas tamen excusationes inutilium prævidemus, et propterea modum ponimus otiosis. Dicturus est enim unus ex talibus: Ego non possum operari, quia amisso robore juventutis sum ad omnia senex invalidus. Alius: Neque ego possum, quia sum infirmitate jam fractus. Dicturus etiam tertius (si potuerit inveniri): Non possum etiam ego, quia laborum me assiduitas contrivit, itinerum longitudo quassavit, fortitudinem mihi abstulit sollicitudo commissa, virtutem meam actio exspoliavit imposita? Sed his quasi contrarius sermo rationis occurrat revincens eos et dicat: Ut quis non valet insistere operi, det promptius operam lectioni: quicunque agrum non excolit, Deum dupliciter colat; et inter reliquas etiam hanc quærat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non præscribit aratro; quia qui, ut supra diximus, agriculturam exercere non valet, legere, [g] scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, [h] retexere, calceamenta fratribus præparare, vel reliqua, quæ similia sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur

[a] *Usque ad vesperam.* Hoc loco sumitur latius vespera pro ipso noctis initio: cum alias idem sit vespera ac duodecima, ut supra dictis patet.

[b] *Ut usque ad horam diei tertiam*, etc. Regula Tetradii, seu Teridii, cap. 4: « Omni tempore usque ad tertiam legant: post tertiam unusquisque sibi injuncta opera faciat. »

[c] *Sæpe etenim ex industria*, etc. Locus corruptus et ita emendandus: *Sæpe etenim ex industria factum scio, ut dubia adhuc luce, prinsquam, ut dicere possumus, orbis solis ardorem biberit, redacta in manipulos segete igneas jubaris flammas cum fructibus ejus messura evaserit*, ubi τὸ *orbis*, est terra, et τὸ *jubaris*, solis; non enim jubar hoc loco sumitur pro aurora, sed pro sole.

[d] *Dubia adhuc luce.* Dubia lux est diluculum, ita apud tragicum in Hippolyto, act. 1:

Dum dubia lux est.....

Sic dubius dies in Œdipo:

Dum nocte pulsa dubius effulsit dies.

Græce, λυκόφως. Homero Iliade VII: ἀμφιλύκη νύξ. Τὸ μεσίζον σκότους καὶ φωτὸς ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τριχῶν τῶν λύκων, id est, particeps tenebrarum et lucis, translatione sumpta a pilis luporum, inquit auctor veteris Etymologici; quia, ut scribit Demetrius Triclinius in Electram Sophoclis, lux circa initium habet lupi colorem: vel quia intempesta nocte nunquam lupus oculorum usura caret. Idem scribit Ælianus lib. X de animalibus, cap. 20, dicitur et λύκη. Macrobius lib. I Saturnal., cap. 17: « Prisci Græcorum primam lucem quæ præcedit primos exortus λύκην appellaverunt ἀπὸ τοῦ λύκου, id est tempore hodieque lycophos nominant: sed locus corruptus, et pro, *id est tempore*, lege, *id temporis hodieque*, etc.

[e] *Compendio*, id est, utilitate. S. Cyprianus lib. de Zelo et Livore: Ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia. Contrarium est dispendium.

[f] *Qui non laborat, non manducet.* Ita etiam citatur locus in Regula Pauli et Stephani cap. 34, sed potius ex memoria, quam ex codice: nam in versione communi, quæ textui Græco omnino respondet, ita habetur: *Si quis non vult operari, non manducet.*

[g] *Scribere, quod est præcipuum opus.* Antiquum et usitatissimum monachorum opus fuit libros scribere. Monachi Sancti Martini Juniores librorum scriptioni operam dabant, gravioribus contemplationi rerum divinarum incumbentibus, ut refert Severus Sulpitius in ejus Vita. S. Ephræm Parænesi 47 recensens opera monachorum hæc ait: « Pulchre et eleganter scribis. » S. Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum de vivendi forma ei suadet, ut libros scribat: « Scribantur libri, ut et manus operentur cibum, et animus lectione saturetur. » Evagrius libros scribebat, ut refert Palladius in Lausiaca cap. 86. S. Theodoricus abbas S. Martini Sagiensis eamdem operam navabat, ut a nobis notatum fuit in observationibus ad nostrum Martyrologium. Sed id testantur veteres bibliothecæ monasteriorum multis codicibus mss. adhuc refertæ in quibus scribendis monachi desudantes doctrinam posteritati conservaverunt. Sed de his vide Trithenium libr. de Laude Scriptorum Manualium, cap. 5.

[h] *Retexere.* Lege: *Rete texere*, ut in cod. Vind. quod opus etiam injungit monacho Rustico S. Hieronymus epistola citata: « Texantur et lina capiendis piscibus. »

opere, famem cum improperio sustinere contentus sit.

§ XXI. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 8).

[a] Illud quoque apud Patres omni observantia custoditum est, ut [b] in responsione Alleluiæ nullus dicatur psalmus, nisi ille, qui in titulo sub [c] Alleluiæ inscriptione prænotetur.

§ XXII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 9).

[d] Cum autem fuerint orationes canonicæ ex more finitæ, unusquisque ad suum recurrens locum, aut solus, [e] aut cum alio pro societate operis, vel disciplinatus sedere permittitur, [f] idem iterum orationum officium velut peculiare sacrificium studiosius celebrare non cesset.

§ XXIII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* [g] 10).

Nec ulterius quisquam post purificationem nocturnarum vigiliarum in requiem somni iterum resolvatur, donec superveniente die nocturnæ meditationi operatio diurna succedat : ne forte puritatem nostram psalmis, orationibus acquisitam invidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Quia post illam satisfactionem confessionis, quam Deo pro negligentiis, sive ignorationibus nostris, obtulimus, invidus inimicus, si tempus quietis invenerit, maculare festinat, et tunc fiduciam nostram præcipue dejicere, atque enervare contendit, cum frequentius et purius nos orare præviderit. Nam multoties quos per totum noctis spatium sanciare non potuit, post completas vigilias sub unius horæ brevissimo tempore quiescentes dehonestare conatur.

§ XXIV. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 12).

[h] Completis autem vigiliis, et absoluta congregatione, nullus, vel ad modicum, stare cum alieno, aut sermocinari præsumat, nisi forte necessitas alicujus operis opportuni aliquid ante deliberare compellit. Cum vero in opere fuerint fratres, nulla inter eos sermocinatio penitus conferatur; sed sic unusquisque opus exsequatur injunctum, [i] ut psalmum aut Scripturam quamlibet memoriter recenseat, et non solum conspirationi noxiæ, vel consiliis pravis, sed nec otiosis quidem fabulis aliquam unius horæ partem impertiat; sed in spiritali meditatione et linguæ et cordis sit jugiter occupatus. Summa namque observantia custodiri debet, ne quis cum alio præcipue vel ad punctum temporis pariter stet, aut alicubi in partes cedat, vel manus suas invicem teneant.

§ XXV. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 10).

Omni tempore duabus horis die spiritali [j] meditationi vacabunt. Æstatis vero tempore [k] matutinis ex more completis, et prima dicta, omnes opera quæ jubentur assumant. Deinde tertia celebrata, ad

[a] *Illud quoque apud Patres*, etc. Hic textus sumptus est ex libr. II Cassiani de Nocturn. Orat. cap. 11. Sed quorsum huc referatur, non video.

[b] *In responsione.* Responsio hoc loco cantus est, et respondere est cantare. Gregorius Turon. libr. VI Hist., cap. 4 : « Quia, inquit, Gloriam non recte respondetis : nos dicimus : *Gloria Patri per Filium.* »

[c] *Sub Alleluiæ inscriptione.* Psalmi quibus inscriptio est Alleluia, sunt viginti quos solos cum Alleluia monachi Ægyptii canere solebant.

[d] *Cum autem*, etc. Hic textus habetur cap. sequenti ejusdem libri.

[e] *Aut cum alio pro societate operis.* Leg., *Aut cum alio cum quo pro societate operis :* nam duo in cella habitabant, ut supra notatum est.

[f] *Idem iterum officium.* Id est, duodenarium psalmorum numerum, jam antea in vigiliis nocturnis persolutum, ut ex capite Cassiani citato manifestum est.

[g] Ex eodem libro, cap. 1.

[h] *Completis autem vigiliis*, etc. Hæc sumpta sunt ex cap. 15 ejusdem libri.

[i] *Ut psalmum.* Olim fuit monachis usitatum semper ubique psalmos Davidicos meditari, aliisque viris sanctis; nec immerito : nam, ut ait S. Ephræm in Tractatu, quod ludicris est abstinendum : « Psalmus dæmonas propellit, psalmus telum in nocturnis timoribus, psalmus diurnorum requies laborum, psalmus infantibus tutela, psalmus senibus consolatio, mulieribus ornamentum decentissimum. Hic festa collustrat, hic eum qui secundum Deum est, dolorem procreat. Psalmus siquidem ex Dei pideo licet corde lacrymas excitat. Psalmus angelorum opus, cœlestis vitæ ratio et institutum, spiritalis est quidam suffitus. Hic mentem illuminat, hic in cœlum reducit, hic homines Deo familiares colloquio reddit, animam lætificat, otiosas collocutiones removet, risumque exterminat, de judicio nos admonet, dissidentes reconciliat. Ubi psalmus cum compunctione, ibi et cum angelis suis Deus adest. » Hæc ille. Sed præclare etiam Cassiodorus lib. de Institutione Divinarum Scripturarum, cap. 4 : « *Psalterium* est quædam cœlestis sphæra, stellis de signaculis, et, ut ita dixerim, quidam pavo pulcherrimus, qui velut oculorum orbibus et colorum multiplici et decora varietate depingitur. Paradisus animarum poma continens innumera, quibus suaviter mens humana sagittata pinguescit. » Quam formidabilis sit dæmoni psalmus, præclare docet Marcellus abbas in Scithi, apud Joannem Moschum, cap. 152 : « Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, et concitat, et irritat, et vulnerat, et perdit, et contristat, et contra nos commovet dæmones ipsumque perditionis auctorem, sicut perpetua psalmorum meditatio. » Et paulo post. « Nam cum psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim vero male ictis insequimur dæmones, ut cum dicimus : *Miserere mei, Deus*, etc. Tunc vero persequimur dæmones, cum dicimus : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et rursus, Vidi impium superexaltatum*, etc. S. Athanasius in epist. ad Marcellinum psalmorum volumen appellat paradisum, in quo sunt omnia genera lignorum plantata, demonstratque cæteros Scripturæ libros hoc uno psalmorum volumine contineri. Quam præstans sit et excellens psalmorum materia fuse declarat S. Anastasius Sinaita in oratione de sacra synaxi : Ἡ ψαλμῶν βίβλος θεοσεβειαν παιδεύει, περὶ πιστεως νομοθετεῖ, σωφροσύνην διδασκει, etc., id est : « Liber Psalmorum pietatem docet, de fide instituit, temperantiam tradit, ad timorem Dei ducit, de punitione disserit, de compunctione, de continentia, de pœnitentia, de compassione, de charitate Dei, de patientia, de castitate, de longanimitate, de jejunio, de beneficentia. »

[j] *Meditationi.* Id est lectioni, ut postea dixit.

[k] *Matutinis.* Intelligit laudes matutinas, quæ dici debent sub auroram.

expedienda quæ suscepta fuerant revertantur. [a] Nec collocutione quarumcunque fabularum sæcularium occupentur, nisi fortasse hæc proferat sermo relatoris, quod animam ædificet audientis. A sexta quoque hora usque ad nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam vero nonam usque ad horam lucernarii [b] omnes in unum solatium commodabunt. Hiemis vero tempore, matutinis vel prima transactis, omnibus usque ad tertiam vacare conceditur lectioni. Qua consummata, gratanter quod eis injunctum fuerit implere festinent, ut jam dictum est, usque ad horam lucernarii. [c] Hi vero qui deputati esse videntur culturæ, hac observatione constringi pro operis assiduitate non possunt; sed, ut tempus exegerit, aut labor eorum opera injuncta monstraverit, sic consideratione præpositi gubernentur; binis et ipsi horis lectioni nihilominus vacaturi. Quando messes et vindemiæ colliguntur, bis in die, id est, hora sexta et duodecima, refectionem accipiant. Quarta vero et sexta feria ita moderari opera debet, ut, si fieri potest, statuta jejunia non amittant, sed universa, prout utilitas aut labor exegerit, ita senioris judicio disponantur. Nemo tamen extra monasterium manducet aut bibat; hoc enim Regulæ non recipit disciplina, ut vel poma vilia sumantur. Aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant.

§ XXVI. — Ex Regula cujusdam Patris (*cap.* 12).

Operandum namque est omni tempore præter dies festos, ut habeatur vel propriæ necessitatis usus, vel egenis unde detur [d] suffragium. Sic tamen operi manuum insistendum est, ut lectionis fructus non omittatur, sed statuto tempore operi detur intentio, ac deinceps lectioni divinæ vacetur. Operatio manuum ab hora secunda sumat exordium, et in horam nonam finem accipiat: ab hora vero nona lectio usitetur. Et si aliquando proprium aliquod opus faciendum aut vestimenti consuendi vel lavandi, aut quodlibet aliud opus, per abbatis, vel præpositi commeatum faciant. Et si forte opus [e] fortius supervenerit, ut maturius arripiant operari, vel propter ferventem æstum, hoc abbatis arbitrio considerandum est, ut secundum quod tempus exigit, aut fortioris laboris pondus, vel ad sextam, ut juste judicaverit, ab opere sit quiescendum, et post quietem vel refectionem usque ad vesperam sit operandum. Illud inter omnia vel abbas, si præsens fuerit, coerceat, aut præpositus, qui ejus vice relinquitur, ut nullus penitus monachus fabulis otiosis præter necessariam interrogationem vacare permittatur, sed in ipso opere manuum operis Dei recordatio teneatur. Id est, ut dum exterius per temporalem opportunitatem manus operibus occupantur, interius mens cum linguæ meditatione psalmorum ac scripturarum recordatione dulcescat. Nam si violator hujus regulæ fabulatione delectetur, silentii pœna castigetur. Focos vero [f] in schola pœnitentes (si fuerint) bini et bini per hebdomadas faciant. Similiter [g] ad caput fratrum lavandum per singula sabbata, [h] vel balnearum usus per festas solemnitates præparent; [i] aut si sunt alia extrema, pœnitentes faciant, ut dum mente humili et contrito corde hæc propter timorem

[a] *Nec collocutione quarumcunque fabularum sæcularium occupentur.* Idem præcipit S. Pachomius, art. 35 : « Operantes nihil loquantur sæculare. »

[b] *Omnes in unum solatium commodabunt.* Id est, simul laborabunt se mutuo adjuvando. Solatium hoc loco est auxilium.

[c] *Hi vero qui deputati esse videntur culturæ.* Agrorum. Idem statuit S. Ferreolus, cap. 26 Regulæ suæ.

[d] *Suffragium.* Suffragium hoc loco est alimonia, sustentatio. Ita in concilio Toletano III, cap. 3 : « Hæc sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiæ, quoniam et antiquis canonibus hoc prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiæ pro suffragio monachorum vel ecclesiarum ad suam parochiam pertinentium dederint, firmum maneat. »

[e] *Fortius.* Id est, majus, difficilius.

[f] *In schola.* Id est, in dormitorio, ut supra notatum est.

[g] *Ad caput fratrum lavandum.* Olim monachi caput lavabant, quod apparet ex ms. S. Columbani Pœnitentiali : « Pœnitentes fratres, quamvis opera difficilia et sordida efficiant, non lavent capita, nisi in die Dominico, id est, octavo. Sin autem, nisi in quinto decimo die, aut certe propter fluentium capillorum incrementum. »

[h] *Vel balnearum usus per festas solemnitates.* In ms. Concordiæ legitur *per fectas*, reposui *per festas*, aut sane legendum *per certas*. Olim monachi et moniales quibusdam solemnitatibus instantibus, maxime Paschæ et natalis Domini, balneis utebantur. Concordia S. Dunstani, cap. 3 : « Crucis vero veneratione peracta (loquitur de die Parasceves), quibus vacuum fuerit, ministri vel pueri se radant, et balneent, si tanta fuerit cohors societatis, ut sabbati crastini ad hoc non sufficiat dies. » Lantfrancus in Decretis, c. 1, § 2 : « Vigilia tamen apostoli (Thomæ) si dies Dominicus non fuerit, radantur fratres, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis sint omnes balneati. Si necesse sit, ipso apostolicæ festivitatis die balneari possunt. » Postea describitur modus in ipsis balneis tenendus; et § 4, de tempore passionis Dominicæ. « Feria tertia radendi sunt fratres in claustro simul ipsa die, et in crastina debent esse balnea præparata. » Rituale ms. monasterii Culturæ Cenomanensis, quod usitatorium vocant : « Balnetia quinta vel quarta die peragantur omnia lucente die. » Beda libr. IV Hist. Angl., c. 19, de sancta Edildrida abbatissa : « Raroque in calidis balneis, præter imminentibus solemniis majoribus, verbi gratia, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, lavari voluerit. » S. Wiborada martyr inclusa in monasterio S. Galli ter quotannis, de licentia abbatis sui, balneis utebatur, ut in ejus Actis habetur : forsitan istis diebus Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ instantibus, ut probabile est. Neque hæc Regulæ S. Benedicti adversantur, qui non omnino a sanis balneum removit, sed tardius concedendum edixit. Nec immerito, quia ad pellendum ex animo mœrorem conducit, ut notum est ex S. Augustino lib. IX Confes., cap. 12 : « Visum est etiam mihi, ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum : quia Græci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex animo. »

[i] *Aut si sunt alia extrema facienda, pœnitentes faciant.* Idem præstabant pœnitentes in monasterio S. Columbani, ut satis liquet ex ejus Pœnitentiali : « Pœnitentes fratres, quamvis opera difficilia et sordida efficiant, » etc. ; *extrema* hoc loco, id est, vilia.

Domini faciunt, ab omnipotentis Dei misericordia celerius a suis delictis laventur. [a] Quando ad opera eundum est, istud capitulum psallatur : [b] *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige.* [c] Quando vero finitur opus, istud dicatur capitulum : *Benedicat nos Dominus Deus noster, et benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.*

§ XXVII. — Ex Regula Fructuosi.

[d] Cum vacant [e] ab operatione fratres, [f] nullus se proprio citra permissionem decani vel præpositi movere audeat loco, neque conferre fabulas, deambulationesque peragere inquietas et otiosas; sed resi-

[a] *Quando ad opera eundum est*, etc. Monachis usitata fuit oratio ante opus manuum, ad poscendum Dei auxilium. S. Fructuosus, cap. 6 : « Ad opera cum egressuri sunt, orationem facturi invicem conveniant. » S. Columbanus in Pœnitentiali ms. : « Ingredi vel egredi domum, aut opus facere sine oratione et signo crucis, duodecim plagis. » Supple *emendetur*. Ibid. supra : « Similiter qui orationem ante opus aut post opus oblitus fuerit, duodecim percussionibus. » Hujusmodi orationis formula habetur in Memoriali, *quomodo in monasterio conversari debemus*.

[b] *Sit splendor*, etc. Nota antiquum morem canendi hunc versum pro opere manuum, qui adhuc perseverat, dicta prima.

[c] *Quando vero finitur opus*, etc. Sic etiam fiebat oratio completo opere. Et patet ex loco citato S. Columbani, et ex Regula S. Fructuosi archiepiscopi, cap. 6 : « In ipso opere tertia dicatur, et sic recitando revertantur ad cellam, et consummata oratione ablutisque manibus confestim ad ecclesiam conveniant. » Hujus orationis formula habetur in citato Memoriali.

[d] *Cum vacant*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fruc. Brac., cap. 8 col. Crass.

[e] *Ab operatione*. Communi videlicet.

[f] *Nullus se proprio*, etc. Idem statuit cap. Regulæ suæ.

dens [g] operi manuum, sive lectioni intentus, aut in orationis contemplatione defixus, signo universali monitus surgat concitus, communi oratione vel operatione detinendus. Alias neque respicere, neque appellare alium citra permissionem sui senioris est quisquam e fratribus permittendus. In habitu quoque et gressu monachi ita definitum est, ut nulla diversitas esset, sed omnes cultu vestimentorum, non vario, sed uno et sincero manerent.

§ XXVIII. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 13) [h].

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine aliter tractantur in victu, etc.

[g] *Operi manuum*. Particulari videlicet, quia paulo ante locutus est de communi.

[h] Vide supra, cap. 45, § 12.

CAPUT LVI.

DE QUADRAGESIMÆ OBSERVATIONE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat observationem habere, tamen, quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter et negligentias aliorum temporum his diebus diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperamus, orationi, fletibus, lectioni et compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam damus.

[a] *Licet omni tempore vita monachi*, etc. Quia monachi vita pœnitentia perpetua est. Hanc Quadragesimæ vitam duxerunt prisci illi monachi qui, excepta Dominica et aliquando sabbato, quotidie usque ad vesperam jejunabant, duobus parvis paximatiis et aqua contenti : ad quæ leviuscula quædam olera vel legumina nonnulli adhibebant, ut taceam de his qui tres aut quatuor dies, aliquando hebdomadem integram, sine cibo et potu transmittebant, ut videre est apud Cassianum passim, maxime lib. IV de Institutis renuntiantium; Severum Sulpitium in Dialogis, Palladium, Joannem Moschum et in Vitis Patrum.

[b] *Ergo his diebus augeamus*, etc. Idem monet S. Ambrosius, lib. III de Virginibus : « Debet esse aliquid, quod quadragesimæ diebus addatur. » Id videre est etiam passim in Vitis Patrum.

[c] *Indictam*. Est quod cap. 35 dixit, *statutam*. Indicere enim aliquando est statuere. Verrina V : « Legem enim sibi indicunt innocentiæ. »

[d] *Propria voluntate*. Id est spontanea; quæ, ut postea præcipit, subjicienda est abbatis judicio.

[e] *Cum gaudio sancti Spiritus*. id est, cum gaudio vere spiritali, quod procedat a Spiritu sancto, non a spiritu superbiæ et vanæ gloriæ, juxta S. Ambro-

[b] Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam : unusquisque super mensuram sibi [c] indictam aliquid [d] propria voluntate [e] cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo. Id est, [f] subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, [g] de loquacitate, de scurrilitate : et [h] cum spiritalis desiderii gaudio [i] sanctum Pascha exspectet. Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, abbati suo

sium loco supra citato, cum agens de hoc augmento subjungit : « Sed ita ut nihil ostentationis causa fiat, sed religionis. »

[f] *Subtrahat corpori suo de cibo, de potu*. Id statuit juxta morem priscorum monachorum, qui in Quadragesima austerius et districtius vivebant, ut notum est ex Palladio in Macario Alexandrino, et ex Vitis Patrum.

[g] *De loquacitate, de scurrilitate*. Non hic ita præcipitur aliquid de loquacitate et scurrilitate subtrahere, quasi ejusmodi vitia monachis permittantur, quemadmodum potus et cibus; sed hæc addidit S. Benedictus propter infirmos, qui, si non possint loquacitatem et scurrilitatem ex toto amputare, saltem ex parte minuere conentur.

[h] *Cum spiritalis desiderii gaudio*, etc. Ille sanctum Pascha cum spiritalis desiderii gaudio exspectat, qui totam Quadragesimam in pœnitentiæ actibus traducens cum Christo in Paschate spiritaliter resurgere peroptat, in pœnitentiæ præmium hoc sacro die ejus gratia affatim cumulandus.

[i] *Sanctum Pascha*. Vocat sanctum Pascha ob hujus dici reverentiam. Ita hunc sacrum diem sexta synodus, can. 66, ἁγίαν ἀναστάσιμον ἡμέραν appellat,

suggerat, et cum ejus fiat [a] oratione et voluptate. [b] Quia quod sine permissione Patris spiritalis fit, præsumptioni deputabitur, non mercedi. Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 88).

Interrog. [c] Si quis supra vires vult abstinere, ita etiam ut in opere mandatorum impediatur per nimiam abstinentiam, si oportet ei concedi? *Resp.* Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita. [d] Non enim continentiam in cibis solum esse diximus : [e] nam hæc ab apostolo Paulo etiam culpabilis invenitur, si non cum fide et ratione fiat, [f] cum dicit : *Abstinentes se a cibis quos Deus creavit* (*Col.* II). Sed illam diximus esse perfectam continentiam, qua se quis a prioribus suis voluptatibus continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult, et non Domini, certum est ex his quæ Apostolus dicit : *Facientes voluntatem carnis et cogitationum, eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Eph.* II).

§ III. — *Item* (*cap.* 89).

Interrog. [g] Qui satis jejunat et in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere, quid magis eligere debet, jejunare cum fratribus et cum ipsis reficere, aut propter majora jejunia alios cibos requirere? *Resp.* Jejunii mensura non debet ex uniuscujusque voluntate pendere, sed [h] ex jussu et institutione [i] eorum qui communiter Deo serviunt : [j] sicut et illorum in omnibus unanimitas et consonantia refertur : quia in Actibus apostolorum (*Cap* IV) [k] cor et animam unam [l] habuisse signantur. [m] Si quis ergo rationabiliter jejunat, etiam virtutem, ut sustinere possit, a Domino consequitur : Fidelis enim est qui repromisit (*Hebr.* X).

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 43).

[n] Unum coctum omnibus pulmentum sufficiat; et [o] in secundum, quodcunque fuerit crudum cum pomis : panis hordeacei quadræ duæ. Ab ipso die Quadragesimæ [p] usque in tricesimam propter laborem binas ad diem fratres non amplius accipiant potiones, id est, unum merum, et unum caldum. A tricesima vero usque in vicesimam singulos meros accipiant. A vicesima vero usque ad Pascha vinum

id est, sanctum resurrectionis diem; et Joan. Moschus, cap. 165, Canon. 61 Ecclesiæ Africanæ, ἅγιον πάσχα. Quemadmodum et Constitutio Emmanuelis Comneni imperatoris. Conc. Carthag. V, *venerabilem Paschæ diem*. Sidonius, lib. IV, epist. 14, *sacrum Pascha*. Concilium Matisconense II, *sanctum Pascha*. Codicis lex, *ut in die*, de feriis, *sanctum diem Paschæ*. Lex, *provinciarum præsides*, eodem titulo, *venerabilem Paschæ diem*.

[a] *Oratione*. Id est, permissione, ut supra notatum est, et sequentia indicant.

[b] *Quia quod sine permissione Patris spiritalis fit*, etc. Aurea prorsus ac divina sententia, sanctoque Benedicto digna; quam si in animo alte defixam habet monachus, facili negotio poterit diaboli strophas et præstigias eludere, ac superbiæ fastum calcare.

[c] *Si quis supra vires*. Exstat apud S. Basilium, interr. 128, et apud Rufinum, cap. 50.

[d] *Non enim continentiam in cibis*. Ita apud Rufinum. In textu Græco additur ἀλόγων, id est ratione carentibus. Sed hoc vocabulum non videtur esse ad mentem S. Basilii. Hic enim agitur tantum de abstinentia a cibis.

[e] *Nam hæc etiam ab apostolo Paulo culpabilis invenitur*. Rectius in textu Græco : Συμβαίνει ἡ ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου κατηγορουμένη ἀφειδία, id est, ex qua contigit immoderata corporis afflictatio, » quæ a divo Paulo damnatur. Respicit enim ad verba Apostoli cap. II ad Coloss. : *Et non ad parcendum corpori*. In textu Græco, καὶ ἀφειδία σώματος, id est in afflictatione corporis. Ἀφειδία, ἀρτέρια, id est, tolerantia, patientia, apud Hesychium, rigor ille quo quis non sibi parcens se nimio labore aut abstinentia et similibus macerat, qualis ille Menedemus apud Terentium, qui filii fugam iniquius ferens, manum a rastris non removebat, cui proinde dicebat amicus Chremes :

. . . . . quæso tandem aliquantulum
Tibi parce.....

[f] *Cum dicit, abstinentes se a cibis*, etc. Ita apud Rufinum. Sed hæc non exstant in textu Græco, et recte quidem.

[g] *Qui satis jejunat*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. seq. et apud Rufinum capite eodem. In textu Græco legitur, πολλὰ νηστεύων, id est, qui multum jejunat, rectius.

[h] *Ex jussu*. Ita apud Rufinum. Sed lege, *ex usu*. Nam in textu Græco est ἡ χρεία, id est, usus.

[i] *Eorum qui communiter Deo serviunt*. Id est, monachorum qui communiter, id est, simul Deo serviunt. In textu Græco, τῶν εἰς θεοσέβειαν ἡκόντων, id est, eorum qui ad Dei cultum accedunt, » quod perinde est in recentiori versione, « eorum quæ pertinent ad cultum Dei, » non ita recte.

[j] *Sicut et illorum in omnibus unanimitas et consonantia refertur*. Hæc desunt in textu Græco, quæ tamen ab hujus capitis intelligentiam non parum faciunt.

[k] *Cor et*. Ita apud Ruf. Lege, *cor unum et*. In textu Græco generaliter Actus apostolorum citantur nullo certo loco designato. Sed hujus interrogationis sensus satis manifestat hunc locum citatum ex cap. IV eorumdem Actuum esse juxta mentem S. Basilii, non vero illum ex cap. XIII eorumdem Actuum : *Jejunantes et orantes et imponentes manus Saulo et Barnabæ*, etc., ut quidam putant. Non enim agitur hic de jejunio simpliciter, sed de conformitate jejunii inter monachos.

[l] *Habuisse signantur*. In textu Græco sequitur : καὶ παρὰ τοῦ ἐκλεκτοῦ Δαβὶδ μανθάνομεν, id est, « et ex electo David discimus. » Nullo tamen certo loco citato; sed puto S. Basilium respicere ad locum psalmi XLVII : *Qui inhabitare facit unius moris in domo*. Propter eamdem rationem; non vero ad illum psalmi XXIV : *Humiliabam in jejunio animam meam*, ut quidam putant.

[m] *Si quis ergo rationabiliter et fideliter jejunat*. In textu Græco : Ἐὰν οὖν τις κατὰ λόγον τοιοῦτον νηστεύῃ, id est, si quis igitur juxta hanc rationem jejunet. » Rectius.

[n] *Unum coctum omnibus*, etc. Exstat in Reg. ms. Magistri cod. Corb., cap. 53.

[o] *In secundum*. Lege, *in secundis*, ut in Reg. ms., id est, secundo loco.

[p] *Usque in tricesimam*. Tricesima est hebdomada secunda Quadragesimæ : ea ratione qua ante Quadragesimam dicuntur Quinquagesima, Sexagesima et Septuagesima. Nam hæ tres hebdomadæ non a numero dierum nomen habent, sed quia a Quadragesima, quam præcedunt, gradatim numerantur, ut recte docet Carolus Magnus in epist. ad Alcuinum; sic hoc loco illa hebdomada, quæ primam Quadragesimæ hebdomadam sequitur, appellatur tricesima; et quæ hanc hebdomadam subsequitur, vicesima, quæ est tertia Quadragesimæ; cujus etiam fit hic mentio.

omnibus subtrahatur, absque infirmis, et infantibus intra duodecim annos, et senio jam defessis. Sed hoc de infirmis consideret abbas, ne aliquis mentiatur et fingat infirmum. Firmis vero vel suo voto abstinentibus mista salibus [a] cum cimino vel apii semine calida aqua misceatur. Oleum non in cacabis, sed in ferculis propter abstinentes mittatur. Qui abstinentes in ipsis tamen mensis decadum suarum [b quod in mensa quæ in suo numero fuerunt] ordinatione Majoris juxta jubeantur sedere : ut abstinentes de una mensa in una comedant scutella. Ideo enim diximus inter alios fratres [c] communiter abstinentes sedere : ut erubescant voraces [d] in communi natura non posse pariter gulæ desideria refrenare, et in eligendis bonis divinam cum abstinentibus non posse gratiam promereri. Nam ipso die Quadragesimæ cum communicant, primo jejunio, antequam communicent, detur licentia ab abbate in oratorio talis. Dicat abbas omnibus fratribus : Qui vult pro anima sua spiritaliter laborare et aliquid abstinere, ad bonum hoc opus liberam ei voluntatem concedimus. Qui vero noluerit, regulæ de hoc titulo constituta accipiet, et quadragesimæ contentus erit mensura. Jam qui de fratribus voluerint aliquid abstinere, ibi in oratorio vadant, et humilient se ad genua abbatis agentes gratias de boni actus voluntate concessa : et post impensam humilitatem simul et ore suo abbati indicent, quis quid voluerit abstinere. Nam ideo in oratorio abstinentes diximus designari, ut ad mensas cum hoc ipsum continent ad escam in Quadragesima corpori perdendam, a tepidis vel gulosis fratribus non jam hoc ipsum repræsumere, vel secum comedere suadeantur, cum non vult quis videre a se alium meliorem. Sed sint ergo hi tales testimonio oratorii de omnibus apud Deum electi etiam abstinentes designati. Merito enim de resurrectione Domini debent in Pascha lætari cum Christo, qui corpus suum per abstinentiam cum eo crucifixerunt in Quadragesima, dicente de tristitia Scriptura : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV). Et : *In paucis vexati, in multis bene disponentur* (*Sap.* III). Nam Quadragesima hujus præsentis parvi sæculi obtinet typum, Pascha vero futuræ vitæ æternam lætitiam bonis indicat : in tantum, [e] ut quod in sexaginta diebus abstinetur, [f] manducare liceat toto anno. Sic qui in præsenti vita sæculi hujus aliquid desideriis suis vel carni subduxerit, in loco sancto abundanter licet animæ de melioribus divinis deliciis in perpetuo saginari ; quia in hoc parvo tempore pro Domino voluit contristari, cum eo mei ebitur in futuro lætari. [g] Jejunia vero Quadragesimæ protrahentur in vesperam ; id est, post lucernaria reficiatur omnibus ipsis sexaginta diebus. [h] Quia quinta feria jejunatur, absque Dominica. In qua Dominica sero penitus nihil cœnent, ut una sit in ipsis diebus a die refectio. Jejunium vero in Quadragesima propter supervenientes non frangatur a domesticis fratribus. Qui vero voluerint fratres [i] jejunium superponere, in ipso superposito die, in labore cum fratribus non spectentur, solummodo laborantibus fratribus legant : ut otiosi non sint, et pro pane verbo Dei reficiantur. Ideo enim in spiritu legendo laborent, ut, sicut scriptum est, *qui non manducat, non laboret* : nisi in illa refectione, in qua sine pane reficitur, hoc est in eloquio Dei, dicente Scriptura : *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Luc.* IV). In ipsis vero sexaginta diebus, in monasterio fratribus ab hebdomadariis pedes non lavantur, solummodo discalciantur. Supervenientibus quibusvis laventur, propter illius mulieris testimonium, quæ lavit, et de [j] alabastro unxit pedes Salvatori cœnanti (*Joan.* XII). In cœna vero Domini mittant manus pro

[a] *Cum cimino.* Lege, *cymino*, vel *cumino*. Cuminum herba est, de qua Plinius lib. XIX, cap. 5 : « Condimentorum tamen omnium fastidiis cuminum amicissimum, etc., » duplex sativum et agreste. Cuminum sativum ori gratum est, sed multo magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellavit ; secundum locum tenet Ægyptium. Excalfacit, exsiccat, astringit, etc. ; colorem bibentium, aut perunctorum mutat in pallorem, ut docet Dioscorides lib. III, cap. 57. Unde Persius sat. 5 :

. . . . . Pallentis grana cymini.

Græce κύμινον, a quo κυμινοπρίστης, id est, cumini sector, apud Aristotelem lib. IV Ethic. Sumitur pro avaro et sordido homine, ut notat Scholiastes Aristophanis in Vespas. Et Hesychius : Κυμινοπρίσται φειδωλοί· ὁμοίως καρδαμογλύφοι, id est, avari ; similiter nasturtii sectores. Cardamus herba est, quæ Latine nasturtium dicitur.

[b] *Quod in mensa quæ in suo numero fuerunt.* Hæc verba redundare videntur.

[c] *Communiter abstinentes sedere.* Lege, *abstinentes communiter sedere.* Ubi, *communiter* est *simul.*

[d] *In communi natura.* Id est, quæ similis sit et earumdem virium.

[e] *Ut quod in sexaginta diebus abstinetur.* Alibi in hoc cap. legitur, *sexaginta.* At in cod. ms. Corb. ubique legitur, *quadraginta.* Recte. Nam cum Magister hoc capite eximat tantum diem Dominicum a jejunio quadragesimali, signum est non observasse Septuagesimam, quæ servabatur ab iis qui præter Dominicam in Quadragesima non jejunabant feria quinta et sabbato : ita ut escis quadragesimalibus sexaginta dies vescerentur, ut clarum est ex epistola citata Caroli Magni ad Alcuinum, et ex ipso Alcuino cap. 8 de Offic. Eccl.

[f] *Manducare liceat toto anno.* Hæc dicuntur confuse et generaliter : nam excipienda sunt quædam jejunia, præter quadragesimale, per annum occurrentia.

[g] *Jejunia vero quadragesimæ*, etc. Ita statuit Silverius papa apud Burchardum lib. XIII, cap. 12.

[h] *Quia feria quinta jejunatur.* Olim feria quinta non jejunabatur ex institutione Melchiadis papæ, quia pagani hac die jejunabant, ut habetur in Pontificali Damasi ; et quia eodem die Christus corporis et sanguinis sui sacramentum instituit, ut docet Alcuinus capite citato : quod etiam a multis in Quadragesima observabatur ; ita ut hi qui in Quadragesima non jejunabant Dominica, sabbato, et feria quinta, in supplementum Septuagesimam servarent, ut supra docuimus. Hic tamen Magister, qui supra jejunium feriæ quintæ prohibuit, illud in Quadragesima observari jubet.

[i] *Jejunium superponere.* Id est, aliquot dies sine cibo ducere.

[j] *De alabastro.* Alabastrum est vas condendis unguentis aptum. Hesychius : Ἀλάβαστρον μυροθήκη, id

benedictione ad lavandos pedes abbatis; et postea omnibus præpositis cum solatio fratrum. [a] Inchoando tamen abbas lavet simul et ostiariis. Ipse major lavet pedes, cum et ipse humilem se in hoc obsequio præbet, digne omnibus in honorem exaltatior judicetur. Deinde Præpositi omnibus in deeada sua lavent pedes et tergant. Sexta vero feria lucescente, quæ est ante sabbatum sanctum, nocturnos solummodo faciant: [b] quia adhuc Nocturni ante pullorum cantum dicti de quinta adhuc feria sunt; [c] etiam Matutinos, vel cæteras horas vel constituta officia Dei usque ad missas Sabbati: ubi tam prolixum psalmorum silentium in ore psallentium resurrectionis Alleluia aperiat. [d] Ergo cum ad nocturnos quintæ feriæ di-

A ctos ulterius [e] usque ad missas sabbati non psallent. [f] Orationes tamen illas Quadragesimæ puras compleant, et ipso sextæ feriæ die lente sibi loquantur de tristitia Dominicæ passionis; nec se supervenientes salutent. Nam extra infirmos, et infantes et senio pervinctos, [g] quicunque de sanis reficere voluerit, sine accepta benedictione et non signata refectione refleiat: ut a gula sua, vel a semetipsis [h] communicati erubescant cum aliis [i] superponentibus pro Dei speranda mercede unum diem non posse jejunum voluntarie pertransire, cum aliis ab invito interdum triduana transire jejunia indigentiæ imponat necessitas. Et tum qua fronte futura octava Paschæ in Dominicæ resurrectionis victoria desi-

est, « theca unguentaria. » Moschopulus in schedis: Λήκυθος, καὶ ληκύθιον τὸ μιρινὸν ἀγγεῖον, ὁ ἀλάβαστρον λίγεται, καὶ ἀλάβαστον χωρὶς ῥ Ἀττικῶς, id est, « lecythus vas unguentarium, quod alabastrum dicitur. Attice alabastum sine *r*. » Suidas: Ἀλάβαστρον ἄγγος μύρου μὴ ἔχον λαβὰς λίθειον, ἢ λίθινος μυροθήκη, id est, « alabastrum vas unguenti lapideum non habens ansas vel reconditorium unguenti lapideum: » vel quod præ levitate teneri non possit, inquit Etymol. Vetus ex Methodio. Juxta alios, et rectius, dicitur alabastrum a lapide alabastrite, ex quo fiunt vascula unguentaria. Lapis candidus est, et interstinctus coloribus, et conservandis unguentis aptus, ut docet Plinius lib. XXXVI, cap. 8; et post eum S. Isidorus lib. XVI Orig., cap. 5. Sed et alabastrum est etiam vitreum vas, ut docet S. Epiphanius lib. de Mensuris et Ponderibus: quia cum multi non possent habere ex lapide alabastrite ejusmodi vascula, habebant vitrea, quæ nihilominus ex usu loquendi alabastra appellabant. Idem docet auctor Etymologici Veteris agens de alabastro: Σκεύος τι ἐξ ὑέλου, ἡ μυροθήκη, id est, « vas quoddam ex vitro, theca unguentaria. » Hinc fit quod mulier quæ unxit pedes Christi, fregerit alabastrum (*Marc.* XIV).

B noctem, et in ipsa nocte matutina luce erumpente redeundum esse in ecclesiam ad nocturnas vigilias Paschæ celebrandas. Eadem de missa hujus Sabbati sancti docet Alcuinus lib. de Offic. Eccl., cap. 18 et 19. Id etiam patet ex Collecta missæ: *Deus, qui hanc sacratissimam noctem*, etc.; ex benedictione Cerei Paschalis, quæ fit paulo ante missam sabbati, ubi dicitur: *Hæc est nox, quæ hodie per universum mundum;* et infra: *O vere beata nox;* et in benedictione etiam Cerei Paschalis apud Ennodium: *Ut principe loco fores beatæ noctis;* et infra: *In hujus ergo susciendæ noctis officio.*

C

[a] *Inchoando tamen abbas lavet.* Ut præbeat humilitatis exemplum. Idem statuitur 1 Add. Capitul. Lud., tit. 23: «In Cœna vero Domini pedes fratrum, si valet abbas, lavet et osculetur. »

[b] *Quia adhuc Nocturni ante pullorum cantus*, etc. Lege, *qui*, ut in Reg. ms. cod. Corb., et τὸ *adhuc*, redundat, et sensus est: Qui Nocturni ante pullorum cantum dicti, id est, ante mediam noctem, de feria quinta sunt, id est, feria quinta dicuntur post Completorium jam secundum morem Ecclesiæ lucente, id est, exorta feria sexta, et juxta morem sæculi nondum finita feria quinta. Atque ita licet ejusmodi Nocturni incipiant post exortum feriæ sextæ, sunt tamen adhuc de feria quinta, quæ juxta morem sæculi absolvitur tantum media nocte. Et hoc loco pullorum cantus ille est, qui media nocte auditur, non D vero ille de quo supra dictum est.

[c] *Etiam matutinos, vel cæteras horas, vel constituta officia.* Ita in Reg. ms.; sed videtur deesse aliquid, nempe ista: *Non faciant*, vel quid simile. Nam ex sequentibus satis manifestum est finitis Nocturnis feriæ sextæ cæteras horas esse prætermittendas usque ad missas Sabbati magni.

[d] *Ergo ad Nocturnos.* Lege · *Ergo a Nocturnis*, ut habetur in Reg. ms.

[e] *Usque ad missas sabbati.* Inclusive; quæ dicebantur Sabbato sancto circa mediam noctem, ut docet Theodorus Balsamon in can. 90 sextæ synodi, ubi ait religiosiores Christianos toto illo sabbato in ecclesia manere solitos et sexta noctis hora, id est, media nocte divinis sacramentis communicare, et hora septima ejusdem noctis psalmodias matutinas audire. Id videtur etiam in antiquo ordine, ubi etiam jubetur non dimittendum populum ante mediam

[f] *Orationes tamen illas quadragesimæ puras.* Intelliguntur orationes illæ, quas ipse Magister instituit in Quadragesima dicendas, ut aliquid monachi adderent supra pensum servitutis suæ, quas horis, Primæ, Tertiæ, etc., interserebant, quas et nocte faciebant ante lectos suos post primum accubitum abbate orationem complente, post Nocturnos in ipso gallicinio, atque inter Matutinos et Primam, ut est in Regula ejusdem Magistri, cap. 51 et 52, in quibus hæc oratio etiam pura appellatur, quia sine psalmodia fiebat.

[g] *Quicunque de sanis reficere voluerit*, etc. Præcipit hoc loco Parasceven sanctam ob Christi passionem sine cibo et potu traduci. Quod quidem veteres non modo observabant, sed etiam sequentem diem, hoc est sabbatum magnum sine potu et cibo transmittebant: ita ut ante horam Christi resurrectionis ne tantillum quidem gustarent, aliis usque ad mediam noctem, aliis usque ad gallicinium seu tertiam noctis horam circiter jejunium protrahentibus juxta diversas opiniones de hora resurrectionis Christi, ut videre est in epistola Dionysii Alexandrini ad Basilidem, apud Cassianum Collat. 21, cap. 25, qui ejusmodi jejunium sabbati affirmat produci usque ad gallicinium, et S. Dorotheum Doctr. 15 qui protendit hoc sabbati jejunium usque ad mediam noctem.

[h] *Communicati.* In Reg. ms., *Scommunicati.* Lege, *excommunicati.*

[i] *Superponentibus.* Hoc loco superponere est diem integrum sine cibo et potu transmittere. Nam paulo ante præcipit, ut Paraseeve sine cibo ducatur; unde recte subjungit, ut hi qui nolunt hanc diem sine cibo transmittere, manducent sine benedictione, et non signata refectione, ut erubescant non potuisse unum diem sine cibo ducere cum superponentibus; et supra hoc capite Magistri, superponere jejunium est aliquot dies transmittere sine cibo, ut satis ex antecedentibus et consequentibus manifestum est. Idem est ὑπίρθεσις, id est, superpositio, et ὑπερτίθεναι, id est, superponere in ep. Dion. Alexandrini ad Basilidem. Nam ibi agitur de diebus quos olim Christiani in hebdomade sancta sine cibo transmittebant. Itaque superponere, præterquam quod significat *addere*, et superadjicere jejunium, ut supra c. 54 notavimus, est etiam aliquando diem integrum vel plures sine cibo ducere.

deret epulari, qui in [a] tristitiæ causam ipsius passionis una die noluit cum Christo crucifigere carnem. Sacramenta vero altaris in [b] patena majore vitrea finiantur : ut cum sexta feria Judæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipso die mentibus nostris reclusus, ut sabbato nobis per resurrectionem in novo sacramento appareat. Jam qui sexta feria refecturi sunt, sine communione reficiant : ut agnoscatur jamque sexta feria injuste refici sine Christo. [c] Lotio vero rerum, vel apparatus Paschalis ipso die procuretur. In qua sexta feria [d] altaris velamen, vel universus oratorii subtrahatur ornatus; simul et lucernæ et cicendeli totum intra monasterium negetur aspectus. In nobis tristitia habeatur ipso die, cum mundo verum Domini lumen per passionem abscedit. Et in sequenti lumen lucescente sabbato per totum mundum pro lætitia reponatur, quando per resurrectionem Christi lætitiæ ad nos lumen revertetur. Nam omni tempore sic ornatum et mundum debet esse monasterium, ut per omnia introitorum loca munda ornata velis videatur ubique quasi una ecclesia : ut ubique ad se invicem occurrentes deceat, libeat, et delectentur orare.

§ V. — Item Bedæ.

[e] Ecce jejunium quadragesimale, Domino auxiliante, jam plurima ex parte complevimus. Testis est unicuique conscientia sua, quia quanto districtius se sanctis his diebus Domino mancipasse meminit, tanto amplius gaudens sanctum Dominicæ resurrectionis tempus exspectet. At si quem forte adhuc conscientia minus perfecte castigata accusat, nulli dubium, quin pavidus et tremens tantæ solemnitatis præstolatur adventum. Nec tamen hic talis de salute diffidat, neque aliqua suorum numerositate vel enormitate scelerum confusus barathrum desperationis incidat, juxta illud Salomonis : *Impius cum venerit in profundum* [f] *malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII).

[a] *In tristitiæ causam.* Id est, *ob tristitiam.*

[b] *In patena.* In Reg. ms., *in patina.* Dixit, *finiantur;* quia vult illo die omnes hostias sumi a fratribus ob rationem allatam. Et notandus est antiquus ritus communicandi ipso die sanctæ Parasceves. Qui etiam notatur ab Alcuino cap. 18 de Offic. Eccl., cum agens de hac sexta feria scribit : « Tunc communicant omnes cum silentio. »

[c] *Lotio vero rerum,* etc. Res quæ lavantur sunt altaria, templi parietes, et pavimenta. Ipsa etiam vasa sacra purificantur, juxta Magistrum quidem feria sexta; at juxta veterem Ord. Rom. et Isidorum, in Cœna Domini, l. 1 de Officiis Eccl., cap. 28, cum agit de feria quinta Majoris Hebdomadæ : « Hinc est quod eodem die altaria, templique parietes et pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata, » et juxta Alcuinum de Offic. Eccl. cap. 16.

[d] *Altaris velamen,* etc. Hæc altaris nudatio fit hodie in Cœna Domini, quemadmodum olim tempore Alcuini, ut ex capite citato constat : « His finitis, nudantur altaria jam circa noctem. »

[e] *Ecce jejunium,* etc. Exstat apud Bedam homilia quadragesimali in Dominicam Palmarum; proferturque a nostro auctore ob hæc S. Benedicti verba : *Et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.*

[f] *Malorum.* Ut in textu Græco κακῶν. In versione communi : *Peccatorum.*

CAPUT LVII.

DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT, AUT IN VIA SUNT.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Fratres, qui omnino longe sunt in labore, et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, et abbas hoc perpendit quia ita est, agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum tremore divino [b] flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ; [c] sed ut possunt [d] agant sibi, et servitutis pensum non negligant reddere.

[a] *Fratres qui omnino,* etc. Non vult omitti opus Dei ab his, qui procul ab oratorio laborant, aut in via diriguntur. Idem sanxit Regula Orientalis : « Et si in monasterio, vel in agro, aut in itinere, aut in quolibet ministerio fuerit, orandi aut psallendi tempus non prætermittat. »

[b] *Flectentes genua.* Nempe in orationibus quæ fiunt in psalmorum intervallis, de quibus supra; in precatione Litaniæ, oratione Dominica, et collectis : si tamen non sit dies Dominicus, aut præcipua aliqua solemnitas. Nec video rationem cur præciperet totum opus Dei in agro genibus flexis persolvere, cum in oratorio velit illud stando duntaxat fieri : alioqui plus reverentiæ in agro quam in oratorio requireret. Adde quod moris erat apud veteres psallere stando vel sedendo, orare vero genua flectendo, ut supra diximus.

[c] *Sed ut possunt.* Agens hoc loco S. P. Benedictus de fratribus in via directis nullam facit mentionem genuflexionis; sed dicit : *Sed ut possunt.* Quia aut Fratres sunt in navi aut in curru, aut si pedes iter agunt, aut si equitant, forte non licet eis per itineris prolixitatem in aliquo loco consistere, de equo desilire, ut possint genua flectere : ac proinde non astringuntur ejusmodi genuflexionibus, nisi ubi est opportunum.

[d] *Agant sibi.* Variant editiones et codices mss., aliis, *sibi,* aliis *ibi,* legentibus. Legendum tamen *ibi,* id est, in itinere. Nihil autem statuit S. Benedictus de his qui sunt in monasterio et non intersunt choro. Nam juxta præscriptum Regulæ hi qui in aliquo opere occupantur, simul atque signum insonat, debent omnia relinquere, et ad officium convolare nisi forte aliquando cellerarius rationabili causa dispensetur, aut hi qui coquunt, qui vix possunt interesse Sextæ, aut Nonæ, aut Vesperis, quia tunc maxime detinentur escis parandis juxta rationem temporis sive prandii, sive jejunii; aut nosocomii ministri, et si qui sint rebus necessariis quæ vix differri possint, intenti : qui sane omnes possunt servare normam eorum qui in agro laborant.

§ II. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 142).

[a] Et si [b] in navi fuerit, et in monasterio, et in agro, et in itinere, et in quolibet ministerio, [c] orandi et psallendi tempora non prætermittet.

§ III. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 107).

Interrog. [d] Si quis circa cellarium, vel coquinam, vel alia hujuscemodi opera occupatus est, et non occurrat adesse [e] ordini psallentium, vel ad orationem, nihil damni patitur in anima? — *Resp.* Unusquisque in opere suo observare debet propriam regulam. Sicut membrum in corpore et damnum habebit, si neglexerit in eo quod injunctum est ei : et de communi fratrum utilitate negligens amplius periclitabitur. Et mente et devotione complere debet id quod scriptum est : *Cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Eph.* LI). Si enim corporaliter non occurrerit adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat. Oportet tamen observare, ne forte quis possit complere in tempore suo, quod complendum est, et occurrere ; sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquam in ministerii opere occupatus. Quod qui facit, et offendiculum cæteris præstat, et ipse negligentiæ crimen incurrit.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 56).

[f] Cum fratres spiritales sine laico ambulant juncti ad se, et [g] cantantes modice de via flectant genua, et post orationem redeant in viam ; mox ab omni verbo alieno a Deo tacentes propter reverentiam operis Dei, et sic ambulando petita prius benedictione impositum prorumpant in psalmum ; quem cum expleverint, [h] stent modicum, et inclinato capite modice [i] orent ; qua oratione expleta, mox inchoent viam ambulare cum psalmo ; quo expleto, stantes orent, qua item expleta oratione, psalmum simul ambulando inchoent ; quo expleto, iterato curvati in humilitate orent. Ergo cum omnem ipsius horæ consuetudinem expleverint, modicum [j] secedentes in partem flexis genibus orent, et [k] complentes vicibus sibi, tunc demum revertantur ad viam : et sic se [l] communibus fabulis, si voluerint, misceant. Tamen illis horis quibus opus Dei ambulando perficiunt, caveant, ne divino occupati opere in aliud inter se verbum immisceant. Si vero misti cum laicis ambulant, sequestrantes se ab eis in partes stirpium,

[a] *Et si in navi fuerit*, etc. Hoc caput desideratur in Regula S. Pachomii excusa.

[b] *In navi.* Hic mentio fit navis : quia S. Pachomii discipuli habitabant in insula Nili ; ac proinde sæpe navigabant, ut supra notatum est.

[c] *Orandi et psallendi.* Non solum dixit : *Psallendi*, sed etiam, *Orandi*, ob orationes illas quæ psalmorum intervallis interserebantur : de quibus supra.

[d] *Si quis circa cellarium*, etc. Exstat apud S. Basilium interr. 147 Regul. Brev., et apud Rufinum cap. 56.

[e] *Ordini psallentium*. Ita apud Rufinum. Ordo psallentium, seu ordo psalmorum, atque etiam ordo sine adjuncto est officium divinum, opus Dei, horæ canonicæ ; de quo vocabulo supra. In textu Græco S. Basilii est, τῷ κανόνι τῆς ψαλμῳδίας· ubi versio recentior : *Statuto tempore modulandorum psalmorum ;* non ita recte. Nam κανὼν apud Græcos est cursus, officium divinum, opus Dei, horæ canonicæ ; Joan. Moschus cap. 27 : Μετὰ γὰρ κανόνα νυκτερινὸν τῆς ἁγίας Κυριακῆς, id est, post canonem, seu officium nocturnum sanctæ Dominicæ ; » cap. 147 : "Εση εἰς κανόνα μόνον λαλῶν, ἔξωθεν δὲ τοῦ κανόνος σιωπῶν, id est, « loqueris tantum in officio divino, extra officium divinum mutus eris. » Theodorus Balsamon in can. 52 sextæ synodi : Πρὸ τῆς Τυροφάγου ψάλλουσι καὶ ἀναγινώσκουσι τοὺς κανόνας καὶ τὰ μαρτύρια τῶν κατὰ τὴν ὅλην τεσσαρακοστὴν προσβαινουσῶν ἑορτῶν· id est, « ante hebdomadem Tyrophagi psallunt et legunt officia et martyria festorum, quæ tota quadragesima cadunt. » S. Antiochus in epist. ad Eustachium : Ἐκτελέσας ἐπ' αὐτοῖς τὸν συνήθη κανόνα. id est, « cum persolvisset pro ipsis solitum officium, » defunctorum videlicet. Rationem appellationis reddit idem Antiochus, homil. 105 : Ψαλμῳδία ἡμῶν κανὼν λέγεται· ὥσπερ γεωργὸς, ἐὰν μὴ δοίη πλήρη καὶ καλὸν τὸν κανόνα αὐτοῦ εἰς φυλακὴν ἐμβάλλεται, etc. ; id est, « Psalmodia nostra canon appellatur : quemadmodum colonus, nisi dederit plenam et bonam mensuram suam, in vincula conjicitur, et cruciatur : sic monachus, qui negligit suum canonem, seu mensuram, cui astrictus est, Deo quotidie persolvere, a Dei gratia excidit, et traditur inimicis suis, hoc est, diabolis. » Κανὼν ergo proprie est mensura quam colonus domino suo solvere tenetur. Quod vocabulum Latini in eadem significatione usurpant. Cassiodorus lib. v Var., epist. 39, ubi agitur de his qui agros domus regiæ conducunt : « Transmarinorum igitur canonem, ubi non parva fraus fieri utilitatibus publicis intimatur, vos attente jubemus inquirere, atque statutum numerum pro virium qualitate definire. » Et per similitudinem officium divinum dicitur canon et mensura : quia monachi et clerici in sacris constituti tanquam Dei coloni hanc ei quotidianam mensuram solvere tenentur. Ita etiam divinum officium appellarunt Latini Patres. Cassianus lib. II de Orat. noctur., cap. 6 : « Ex hinc venerabilis Patrum senatus intelligens angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decrevit hunc numerum tam in vespertinis quam in nocturnis conventiculis custodiri. » S. Columbanus cap. 7 Regulæ : « Sed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt. » Conc. Turonense II, can. 23 : « Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, id est, in ordine seu cursu divini officii. Et hinc horæ canonicæ appellatæ.

[f] *Cum fratres spiritales*, etc. Hæc videre est in Reg. ms. cod. Corb., eod. cap. 56.

[g] *Cantantes*. Locus corruptus. In Reg. ms. legitur, *camsantes*, pro *campsantes*, id est flectentes ; nam campsare est flectere. Glossæ Isidori : *campsat, flectit ;* legendum ergo, *campsantes*. Et sensus est : Ut fratres directi in via, si ambulent sine laicorum comitatu, de via modice flectentes, seu declinantes simul juncti genua flectant, et orent, et post orationes redeant in viam, et ambulando psalmos recitent.

[h] *Stent*. Id est, consistant, subsistant.

[i] *Orent*. Reg. ms. *reorent*. Recte, juxta rationem loquendi Magistri.

[j] *Secedentes in partem*. Est, quod Gallice dicimus, *se retirant à part*, id est, secedentes seorsim ab aliis in locum aliquem ; nam pars locum significat. Marculphus formula 96 : *Civis Romanus, portis apertis, eam pergat partem, quam voluerit ambulare.* Et formula seq.

[k] *Complentes vicibus sibi*. Lege, *complentes vicibus ibi*, id est, in eodem loco dicentes collectas alterni.

[l] *Communibus fabulis*. Id est, consuetis sermonibus, de sacra Scriptura et rebus piis videlicet. Nam cap. 5 Regulæ Magister tantum de rebus sanctis colloqui fratribus permittit.

[a] aut, si immundus fuerit locus et latebras non præ- A
buerit [b] eis, retro se aliquantulum faciant, et flexis
genibus trium psalmorum capita dicentes mox una
gloria explicent; deinde dicentes versum, et post
versum modicam orationem facientes, complentes
exsurgant et sequantur viæ collegas. Ideo enim plus
ad singula capita trium psalmorum cum una gloria
a fratribus non diximus dici, ne perambulante solatio
laico, cui de causa Dei cura non fuit, [c] derelicto forte
fratribus spiritalibus trivio, nescientes forte fratres
viam in multifariam separentur semitam per errorem,
et postea amara in anima tristitia occupentur, et pœ-
niteat forte eos in lucris animæ remorasse. Sed hoc
ut sic compleant, exeuntes de monasterio fratres ab
abbate aut præpositis suis debent moneri. In nubilo
vero die, cum radios suos sol mundo absconderit, B
sive in monasterio, sive in via, sive in agro,
[d] horarum transacta perpensatione fratres æstiment, et quævis hora sit, consuetum tamen compleatur officium; et sive ante, sive retro, a certa hora dictum sit, [e] consuetum horæ opus tamen Dei non prætereat, [f] sed agatur; quia obscuritas nubium cito absente sole hos religio excusat, quos culpa agentes non invenit.

§ V. — Ex Regula Stephani (*cap.* 12).

[g] Opus Dei quod per diem in quocunque loco operantes fratres per horas institutas dicent, cum disciplina et timore Dei consona voce dicatur : non prout unusquisque operis excusatione, aut occupatione voluerit [h] obrute; nec præsumendo junior ante seniorem prosiliat, et immatura festinatione præcedat; et divinum opus, quod cum timore agendum est, per inordinatam audaciam insipienter et non sapienter psallatur. Tali enim consuetudine jam infectæ mentes et fauces aliquorum fratrum ad consonantiam intra oratorium, nisi cum magno commotionis freno non queunt retineri. Ut ergo hoc usurpationis vitium abjiciatis a vobis, charitatis simplicitatem hortamur. Talium enim Deus omnium exauditor est. [i] Ipse enim misit angelum suum, et tulit me de ovibus Patris mei.

[a] *Aut si immundus.* Lege, *aut si mundus*, nempe a stipulis, ut in Reg. ms. et cod. Vind.

[b] *Eis, retro se aliquantulum faciant.* Id est, dent operam, ut aliquantulum ab ejusmodi laicis præcedantur.

[c] *Derelicto forte fratribus spiritalibus trivio.* Lege, *derelictis forte fratribus spiritalibus in trivio.*

[d] *Horarum transacta perpensatione.* Id est, perpensatione horarum apud se tractata, æstiment, id est, judicent, quando videlicet officium divinum persolvi debeat.

[e] *Consuetum horæ opus tamen Dei non prætereat.* C
Lege : *Consuetum horæ tempus tamen opus Dei non prætereat.*

[f] *Sed agatur; quia obscuritas nubium cito.* Lege : *Sed agatur cito, quia est obscuritas nubium, absente sole.*

[g] *Opus Dei*, etc. Exstat in Reg. ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 17.

[h] *Obrute.* In Reg. mss. cod. Flor., *abrupte.*

[i] *Ipse enim misit angelum suum*, etc. Probat exemplum Davidis Deum esse simplicium exauditorem. Per angelum intelligit Samuelem. Hæc autem verba sumpta sunt ex psalmo CLI qui vulgo inter Davidicos non collocatur. Reperitur tamen apud Septuaginta in quibusdam codicibus, complectens versus septem. Illius initium est. Μικρὸς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου, etc., id est, parvus eram inter fratres meos. Habetur etiam in Metaphrasi Apollinarii, in fine, sicque incipit :

Ἀμφὶ συγγενέτῃσιν ἐμοῖς μέλα τυτθὸς ἐτύχθην, etc. D

Id est, « inter fratres meos valde parvus eram. » De hoc Psalmo hæc habet S. Athanasius in synopsi sacræ Scripturæ Veteris Instrumenti, lib. XIII : Πρὸς τὸν Γολιὰθ, ὁ ρ ν α ἰδιόγραφος οὗτος ὁ ψαλμὸς τοῦ Δαβὶδ, καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ, ὅτε ἐμονομάχησε τὸν Γολιάθ. id est, « Contra Goliath CLI psalmus peculiariter David, et extra numerum aliorum inscriptus est, cum singulari certamine Goliath stravisset. » Et supra inter psalmos qui habent inscriptionem, *psalmus Davidis*, recenset psalmum CLI. Idem innuit in parva synopsi, cum ait : Ψαλτήριον Δαβιδικὸν ἔχει ψαλμοὺς ρ ν α, id est, « psalterium Davidicum habens psalmos CLI. Locus citatus a Stephano et Paulo ita habetur in dicto psalmo : Οὗτος ἐξαπέστειλε τὸν Ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἦρέ με ἐκ τῶν προβάτων τοῦ πατρός μου. Et in Metaphrasi Apollinarii, hoc modo :

Αὐτὸς ἐπουρανίου στρατιῆς ταχὺν Ἄγγελον ἧκεν
Ἐκ δέ με πατρῴης ἀγέλης ἐξείλετο μῶλων.

Id est. « Ipse cœlestis militiæ celerem angelum misit, me vero ex paterno grege assumpsit ovium. » Hic videtur Apollinarius intelligere verum angelum; sed sequentia satis indicant per angelum intelligendum esse Samuelem, cum dicitur : καὶ ἔχρισέ με τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ, id est, et unxit me oleo unctionis suæ; » et apud eumdem Apollinarium ibidem :

καί μου πιαλέῳ δίμας αὐτὸς ἔχρισεν ἐλαίῳ.

Id est, « et meum corpus pingui unxit oleo. » Samuel autem unxit David in regem, non angelus, ut videre est, lib. I Reg., cap. XVI.

CAPUT LVIII.

DE FRATRIBUS QUI LONGE SATIS PROFICISCUNTUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Fratres qui [a] pro quovis responso diriguntur, et eodem die [b] sperantur reverti ad monasterium, [c] non præsumant foris manducare : nisi forte ab abbate suo eis præcipiatur. Quod si aliter fecerint, [d] excommunicentur.

[a] *Pro quovis responso.* Responsum est negotium, quod quis tractat foris. S. Gregorius II Dial. cap. 12: « Quoties ad responsum egrediebantur fratres. » Idem epist. 47, lib. XI : « Ad urbem regiam pro faciendis responsis transmittimus. » Inde Responsales dicti, qui mittuntur ad negotia tractanda. Idem Gregorius lib. IV Regesti, cap. 54. « Nisi quia multi apud civitatem fraternitatis vestræ Responsales sæpius fuerunt. » Lib. XI, cap. 47 : « Ante hoc enim temporis Bonifacii Chartularii Responsalis mei, qui in urbe regia demoratur, vehementer me scripta turbarunt. Græce. Ἀποκρισιάριος est Responsalis, a verbo ἀποκρίνομαι. Id est, respondeo, qui negotia sanctarum Ecclesiarum tractat, ut habetur Novella IV Justiniani. Glossæ Isidori : *Apocrisiarius minister Ecclesiæ Romanæ*, Nuntius, sive legatus apostolicus. Est etiam procurator monasterii apud Joan. Moschum in Prato, cap. 88. ὅτι Ἀποκρισιάριος κοινοβίου τῶν μέρων Ἀπαμίας, id est, « quod Apocrisiarius cœnobii partium Apamiæ; » et Cod. I. 29, de Episc. et Cler., etc. : « Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi non habeant, vel in civitate Antiochensi, seu in aliis quibuslibet civitatibus conversandi, ὑπεξαιρουμένων μόνων τῶν καλουμένων Ἀποκρισιαρίων, id est, « exceptis his solis, qui Apocrisiarii appellantur. »

[b] *Sperantur.* In Vulgatis cum mss. S. Ebr. et S. Far. *sperant.* Apud S. Dunstanum, *se sperant.*

[c] *Non præsumant foris manducare.* Egregia sane institutio, quæ fuit et quorumdam aliorum Patrum, ut Tarnatensium cap. 9 : « Nemo tamen extra monasterium manducet, aut bibat. Hoc enim Regulæ non recipit disciplina. » S. Augustini, sive alterius cap. 3 : « Nemo extra monasterium sine præcepto manducet, neque bibat. Non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii. » Hæc est antiqua monachorum disciplina nobis sane imitanda, ut mensas laicorum, præsertim nobilium et divitum, quantum in nobis situm erit, declinemus. Sunt enim illæ monachis perniciosæ admodum, tum propter luxum profusiorem, tum propter apparatum curiosum nimis et exquisitum, tum propter archimagirorum et dulciariorum condimenta varia, gulæ et Veneris languentis irritamenta. Noluit Daniel pollui dapibus regiis, nec Tobias gentilium escis. Catillationibus anima polluitur; et qui ejusmodi cupediis monachus delectatur, sine dubio contaminatur. Qui multa sagina suffertus, cibis et vino ingurgitatus, nocte importunis tentationibus undique impugnatur. Hinc carnis titillatio pungit miserum, lancinat infelicem. Hinc puellarum imagines, quibuscum inter hesterna pocula confabulatus est, ejus phantasiæ importunius obversantur, acrius insultant, etiam nullo premente dæmone, quia jam de præda securus ad sobrios oppugnandos alio se confert. Præterea quis potest esse devotionis sensus in epulone? Quæ cogitatio sana, quæ pia meditatio in nidore crapulæ? Quod cœli lumen in mente ganearum tenebris offuscata? Quod præclare monet Evagrius in proverbiis : *Investiganti convivia extinguitur lumen : anima autem ejus videbit tenebras.* Quamobrem prisci illi monachi extra monasterium peregre profecturi secum ferebant viaticum, panes et quæ in monasterio fas ipsis erat comedere, ne cibos laicorum gustare cogerentur, ut manifestum est ex Joannis Moschi Prati spiritalis, cap. 57, et ex Regula S. Pachomii, art. 32 : « Quod si eis cognati vel propinqui præparaverint cibos, nec accipient omnino, nec vescentur, nisi iis quæ in monasterio edere consueverunt. Non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi non habent consuetudinem. » Si tamen officium aut necessitas aliqua monachum cogit divitum interesse convivlis, sibi sobrietate consulere, vilioresque dapes appetere meminerit, imiteturque magnum illum monachum Dionysium Exiguum, qui, ut refert Cassiodorus lib. de divinis Lectionibus, cap. 23 : « Jejunabat sine exprobratione prandentium; et ideo conviviis gratanter intererat, ut inter corporales epulas inquisitus spiritales copias semper exhiberet. Quod si tamen aliquando comederet, parvo quidem cibo, sed tamen escis communibus utebatur. Unde summum genus æstimo patientiæ inter humanas esse delicias, et abstinentiæ custodire mensuram. » Et S. Aidanum Scotorum episcopum, qui, ut ait Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5 : « Si forte evenisset (quod tamen raro evenit) ut ad regis convivium vocaretur, intrabat cum uno clerico aut duobus; et ubi paululum refíciebatur, accelerabat ocius ad legendum cum suis, sive ad orandum egrediens. » Si igitur aliquis est in monacho vitæ regularis sensus, laicorum mensas et convivia, præsertimque magnatum cane pejus et angue, ut aiunt, oderit; citius enim ejusmodi conviviis monachi fervor remittitur, sæpe violatur regulare jejunium, sensim obrepit lautitiarum cupiditas, et vilium ciborum nausea : durum est enim a rhombis et mullis ad caules redire.

> Si pranderet olus patienter, regibus uti
> Nollet Aristippus,

inquit Horatius (*Lib.* I *epist. ad Scævam*). Hinc familiaritas cum mulierculis, solitudinis tædium, tandemque vitæ religiosæ fastidium. Sed quam graphice depingat erronem monachum sæcularium epulas appetentem Petrus Blæsensis (*Serm.* 50), videamus : « Quandoque enim sub obtentu sanitatis egreditur monachus ad propinquos, ad natale solum redit, ut ibi liberum et consuetum aera bibat aliquot dies, vel forte aliquam refectionem referat a fratribus, ab amicis. Quandoque sub obtentu utilitatis fratrum egreditur monachus ad principes terræ, rogatur importunus, quæstum quocunque modo factum pietatem appellat. Cum redierit, horam ingressus sui diligenter explorat; ne oporteat eum ingredi ad communem fratrum mensam, vel ad orationem communem. Et cum obtentu boni hoc se facere proponat, verior tamen causa, quoniam olera claustri semicocta fastidit et inuncta, et vinum aqua mistum, silentium, sessionem in claustro carcerem reputans. Appetit enim edere lautius, bibere sapidius, loqui licentius, cubare mollius, vigilare parcius, orare tenuius. » Hæc est vita ardelionum monachorum, qui non monasticam, sed parasiticam vitam ducunt, aliena vivere quadra appetunt, et veluti mures semper alienum rodunt panem : qui quovis hamaxobio instabiliores nil tam oderunt quam cellam; quibus solitudo carcer, oppidum paradisus.

[d] *Excommunicentur.* Hæc excommunicatio est tantum comminatoria : nempe a mensa; nam si major, durum esset

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 9 [a]).

Si quis vero extra conscientiam abbatis, vel Præpositi qualemcunque locum egressus gulæ, vel ebrietati se sociaverit; aut si in proximo transmissus pro sua levitate vel gulæ, non statim expedita necessitate ad cellulam redierit, ut canones docent, aut triginta diebus a communione separetur, aut virgis cæsus emendetur.

§ III. — Ex Regula Magistri (*cap.* 61).

[b] Exiens frater de monasterio interroget : Quid tu jubes, domine Pater; si pro charitate ab eo ad quem mittor, aut ab alio aliquo retentus fuero ad mensam et cum juramento suasum mihi fuerit ad manducandum, [c] quid frangendum erit, aut non, jejunium? Respondeat abbas dicens : Si spiritalis frater pro adventus tui lætitia secum tamen ad manducandum te per charitatem petat, primam quidem ejus petitionem, si quarta, aut sexta feria, aut sabbatum fuerit, nega; secundæ vero iteratæ ejus petitioni pro charitate jam consenti : aliis vero diebus extra istas ferias primæ petitioni spiritalis ad manducandum effectum concede. Si vero sæcularis erit apud se reficiendi petitio, quarta, sexta feria et sabbato non permittimus te jejunium frangere; quantisvis petitionibus nega usque tamen ad juramentum. Nam forte cum per aliqua divina et sancta fueris adjuratus, jam consenti in his tribus feriis : ut agnoscaris Dominum amare, cum per eum conjuratus consentis. Et quod secundæ petitioni spiritali fratri pro charitate volendo concedis, juste laico divino te nomine conjuranti, licet A nolendo, consentis. Si vero in his tribus feriis sine adjuramento divini nominis [d] apud te erit persuasio frangendi jejunium, [e] excommunicare apud laicos non permittimus fratres; sed ad suam [f] excommunicationem [g] exspectet oratorium revertentes. [h] Si vero prolixitate itineris sero erit frater reversurus, si tamen ab aliquo, ut diximus, laico in his tribus feriis sine juramento suadeatur jejunium frangere, non tamen ei se promittat reficere. Si vero ad hunc sæcularem frater mittitur, [i] qui in omnibus jam conversum similantem religiosis actibus sola adhuc videatur tonsura dissimilis, hujus suasioni in tribus feriis pro jam conversi forma vel charitate post primam, ut diximus, petitionem refectionis concedatur effectus. Aliis vero feriis si apud suadentem de refectione a transmisso fratre [j] adhuc tarda B fuerit agenda mora, aut sexta, aut nona aut vespera fratri manducare permittatur : ne extra horas refectionum constitutas consuetus modus sancti propositi excedatur. Jam si nulla est mora et via a fratre repedari sub die necesse est, quaqua hora festinantibus fratribus fuerit persuasum, mox consentiat, ne non sumptus monasterii habeat frater [k] et consuetam refectionis horam [l] longinquæ occurrere viæ, et tarde fratri per lassitudinem revertenti in præparata diversorum refectione mensa monasterii jam explicita levetur, [m] et utrumque decipiatur adveniens. Et item ideo a festinante fratre extra horam consuetam refectioni consensus conceditur, ut non petentis pro charitate hospitis animus contristetur. C

[a] Regula 3 ms. cod. Flor.

[b] *Exiens frater*, etc. Hæc reperire est in Reg. ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 61.

[c] *Quid frangendum erit, aut non, jejunium?* Ita reposui ex Reg. ms. cod. Corb.

[d] *Apud te erit persuasio frangendi jejunii.* Id est, suadeat tibi, vel roget te frangere jejunium.

[e] *Excommunicare.* Lege, *communicare*, ut in Reg. ms. id est, non permittimus communicare, hoc est, participes esse mensæ laicorum fratres. Nam communicare juxta hunc Magistrum est in communi mensa cum aliis reficere, ut cap. 72 : *Fracto jejunio omnes fratres monasterii cum eis ad Sextam communicent.*

[f] *Excommunicationem.* Lege, *communicationem*, ut in Reg. ms., hoc est, mensæ communis participationem.

[g] *Oratorium exspectet revertentes.* Ita loquitur, quia D monachi reversi ex itinere debent accipere benedictionem in ecclesia.

[h] *Si vero prolixitate itineris.* Lege : *Si vero a prolixitate*, etc.; id est, si emensis aliquot diebus itineris.

[i] *Qui in omnibus jam conversum similantem*, etc. Hæc sunt transposita. Lege : *Si vero ad hunc sæcularem frater mittatur jam conversum, in omnibus actibus similantem religiosis, qui sola adhuc videatur tonsura dissimilis.*

[j] *Si adhuc tarda fuerit agendi mora.* Id est, si non est eodem die in monasterium reversurus.

[k] *Et consuetam refectionis horam.* Lege : *et ad consuetam refectionis horam.*

[l] *Longinquæ occurrere viæ.* Lege : *longinquitate viæ occurrere non possit.*

[m] *Et utrumque.* Tò *utrumque* videtur redundare.

CAPUT LIX.

DE ORATORIO MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Oratorium hoc sit, quod dicitur : nec ibi quidquam aliud geratur et [b] contendatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, et habeatur reverentia Deo : ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. [c] Sed et si alter vult sibi forte secretius orare, [d] simpliciter intret et oret [e] non in clamosa voce, sed in lacrymis [f] et intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur explicito opere Dei remorari in oratorio (sicut dictum est) ne alius impedimentum patiatur.

§ II. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 8).

[g] In oratorio nemo [h] aliquid agat, nisi ad quod est A factum, [i] fiat. Aut si forte etiam aliqui præter horas constitutas, si eis vacat, [k] et orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid [l] agendum putaverint.

§ III. — *Item* (*cap.* 9).

[m] Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod [n] profertur in voce.

§ IV. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 15).

[o] In oratorio præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent : ut si aliquis præter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votum suum occupatio aliena non tardet. [p] Nolite

[a] *Oratorium.* Græce εὐκτήριον apud Photium in nomocanone, tit. 11, cap. 14, et alios? Ab εὔχομαι, id est, oro; εὐκτήριος οἶκος, id est, domus oratoria in concilio Laodiceno, can. 6, et Trullensi can. 59. Dicitur et οἶκος θεοῦ in conc. Gangrensi, can. 5, id est domus Dei. Κυριακὸν, id est, Dominicum apud S. Athanasium in Vita S. Antonii. Ἐξελθὼν εὐθὺς ἐκ τοῦ κυριακοῦ, id est egressus statim e templo, in conc. Laodiceno, can. 28; Neocæsariensi, can. 14; Ancyrano, can. 15; et sexta synodo, can. 74, et in Regula S. Pachomii, art. 32. Μαρτύριον, id est, memoria martyris, in concilio Chalcedonensi can. 6 et 8, et apud Palladium in Lausiaca, cap. 103. Dicitur et templum, basilica, memoria, et ecclesia. Sunt qui statuunt discrimen inter ecclesiam et oratorium : dicunt enim ecclesiam esse clericorum, oratorium monachorum. Hujus autem capitis prior pars refertur distinct. 42, cap. 6, a Burchardo, lib. III, cap. 81, et ab Ivone Carnotensi III parte, cap. 71, quibus locis, post verbum, *condatur*, hæc sequuntur : *quam quod divinis ministeriis conveniat.* Quæ quidem verba, etsi in nullo codice seu excuso seu ms. reperire unquam potui, certum est tamen hanc regulæ sententiam esse mutilam, et hæc citata verba ei restituenda; cum a tantis viris Gratiano, Burchardo, et Ivone ei attribuantur; et ratio manifesta : nam in oratorio aliud geri necessarium est, quam id quod dicitur, id est, orationem, ut parare quæ ad sacrificium et laudes divinas spectant, ornare altaria, et parietes templi tapetibus, verrere pavimentum, etc.

[b] *Contendatur.* Lege, *condatur*, ut habetur in aliis omnibus mss. nostris et editis, et etiam apud præfatos auctores. *Condatur* autem hoc loco est : recondatur, reponatur. Id patet ex his verbis concilii Turonensis cap. 3. « Si enim domus Dei domus orationis vocatur, hoc debet esse quod dicitur : nec ibi aliud debet geri, aut recondi. » Quæ quidem ex Regula S. Benedicti sumpta sunt. Et recte sane statuitur nihil esse in oratorio reponendum, quod non spectet ad divinum ministerium) ne detur occasio D agendi in eo sæcularia ob res sæculares illic reconditas.

[c] *Sed si alter vult sibi secretius orare.* Hæc verba intelliguntur de iis qui post laborem manuum aut lectionem, aut si quoquo modo vacat, secretioris orationis gratia se ad oratorium conferunt; non de iis, qui, expleto Dei opere, in oratorio secretius oraturi remanent.

[d] *Simpliciter.* Id est, sine fastu et ostentatione.

[e] *Non in clamosa voce.* Ut fluat nostra oratio, sicut aquæ Siloe, quæ currunt cum silentio; quod B præclare monet S. Basilius in Admonitionibus : « Non in clamore vocis oraveris Deum, sed clamor cordis tui pulset aures ejus. » Vide superius annotata.

[f] *Et intentione cordis.* Id est, fervore animi : ita ut cor tanquam arcus intentus fortius ac velocius orationibus veluti jaculis Deum feriat. Vel intentione cordis, id est, directione affectus ad Deum.

[g] *In oratorio.* Hæc reperire est in Regula S. Augustini, cap. 8, et in ejusdem epist. 109.

[h] *Aliquid.* Apud S. Isidorum, lib. v Orig., cap. 4 : *aliud.*

[i] *Fiat.* Hoc verbum videtur redundare. Nam neque est in ep. citata, neque in Regula excusa, neque apud S. Isidorum, qui hanc eamdem S. Augustini sententiam refert, cum ait : « Oratorium tantum est orationi consecratum, in quo nemo aliud agere debet, nisi ad quod est factum, unde nomen accepit. »

[j] *Aut si.* Lege, *ut si*, ut in epist. Reg. ms. et excusa, et in Regula Tarnatensi. C

[k] *Et orare.* Ita in Reg. ms. cod. Corb.; sed particula *et*, neque in Regula excusa, neque in epistola reperitur.

[l] *Agendum.* Præter opus Dei, vel id, quod ad aliud pertineat.

[m] *Psalmis.* Hæc sunt in citata S. Augustini epistola, et in ejusdem Regula eodem capite 9, et in Regula S. Cæsarii Arelatensis cap. 20, hoc modo : *Cum vero psalmis et hymnis oratis Deum*, etc.

[n] *Profertur.* In cod. Corb., *profitetur*, prior lectio tamen potior videtur.

[o] *In oratorio.* Prima hujus capituli pars usque ad hæc verba, *ut si aliquis*, citatur distinct. 42, c. 7, ex D. Augustini epist. 109; sed nec in hac epistola, neque in toto Augustino habentur. Etsi Smaragdus in hoc caput Regulæ, Burchardus p. III, cap. 80, et Ivo, etiam parte III, cap. 72, eadem ex illo referant, nullo certo capite citato; sed ex hac Concordia discimus clare hæc verba non esse S. Augustini, sed Regulæ Tarnatensis; et citationem in his auctoribus fuisse a quibusdam corruptam, qui nescientes quid sit Regula Tarnatensis, videntesque quid simile haberi in Regula sancti Augustini, hæc verba S. Augustino attribuerunt. Sed cum viderent quidam juris canonici expositores non reperiri apud S. Augustinum, dixerunt prolatum fuisse a Gratiano sensum, non verba.

[p] *Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum.* Ex Regula S. Augustini, cap. 10. His autem verbis videtur arcere a cantu ecclesiastico psalmos et hymnos apocryphos, de quibus supra.

cantare, nisi quod [a] legitis esse cantandum. [b] Carnem vestram mortificate per abstinentiam, domate jejuniis et vigiliis. Animam vero vestram nitore bonæ conscientiæ abluite.

§ V. — Ex Regula Magistri (*cap.* 68).

[c] Exeuntes de oratorio fratres mox taceant; nec etiam psalmos [d] meditando exeant; ne quod in tempore suo cum reverentia dictum est, extra tempus foris per extollentiam decantetur. Ergo exeuntes de oratorio taceant statim : quia psalmorum explicatum est tempus, et taciturnitatis inceptum est, sicut dicit Scriptura : [e] *Omni rei tempus* (*Eccl.* III). *Dei omnes cum silentio exeant.*

[a] *Legitis.* Ita in Reg. ms. S. Augustini cod. Corb. et in ejusdem epist. 109; at in Regula excusa habetur, *legistis.*

[b] *Carnem vestram mortificate, per abstinentiam, domate jejuniis.* In Regula excusa S. Augustini cap. seq., *carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escæ*, etc.

[c] *Exeuntes de oratorio fratres.* Hæc habentur in Regula Magistri cod. Corb., eodem cap. 68, spectantque ad illa verba S. Benedicti : *Expleto opere* B

[d] *Meditando.* Id est, canendo, meditari enim est canere, ut Ecloga 1 Virgilii :

Sylvestrem tenui musam meditaris avena.

Et sæpe in sacra Scriptura.

[e] *Omni rei tempus.* Ecclesiastæ 1 in Vulgata versione : *Omnia tempus habent.* In Septua. τοῖς πᾶσιν ὁ χρόνος, id est, omnibus rebus tempus.

CAPUT LX.

DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS.

§ I. — Ex regula sancti Benedicti.

[a] Omnes supervenientes hospites, [b] tanquam Christus, suscipiantur. Quia ipse dicturus est : *Hospes fui, et* [c] *suscepistis me* (*Matth.* XXV). Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis. Ut nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore [d] vel a fratribus cum omni officio charitatis; [e] et primitus orent, et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus [f] inclinato capite vel prostrato omni corpore Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem hospites [g] ducantur ad orationem; et postea sedeat cum eis Prior, [h] aut cui jusserit ipse. [i] Legatur coram hospite lex divina, ut ædificetur; [j] et post hæc

[a] *Omnes supervenientes hospites.* Quanti ducenda sit monachis hospitalitas, docet Petrus Blæsensis epist. 29.

[b] *Tanquam Christus suscipiantur.* Præclara hæc est admonitio S Gregorii papæ hom. 25 in Evangelia : « Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit : Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia æterna valeatis. Præbete modo peregrino hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat in regnum. » Ita se olim gerebant circa hospites monachi Legerenses, ut refert S. Eulogius in epist. ad Willesindum Pompelonensem episcopum : « Exercebant alii peregrinorum et hospitum diligentius curam, et quasi declinanti Christo ad hospitia eorum omnibus adventantibus obsecundabant. »

[c] *Suscepistis me.* In versione communi : *Collegistis me*, juxta textum Græcum.

[d] *Vel a fratribus.* Non addidit, *omnibus*; quod non omisisset, si ab omnibus fratribus hospiti advenienti occurrendum voluisset; quemadmodum postea declaravit de lotione pedum : *Pedes autem hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet.*

[e] *Et primitus orent.* Tam susceptor quam hospes eodem vestigio loci et temporis orent ob diabolicas illusiones, ut postea dicit, quæ in ipsa oratione retexuntur. Vide Joan. Moschum, cap. 119.

[f] *Inclinato capite, vel prostrato omni corpore.* Juxta personæ qualitatem.

[g] *Ducantur ad orationem.* Nempe ad oratorium. Duplex ergo hic oratio : prima in ipsis foribus monasterii propter illusiones diabolicas; altera cum salutatus hospes et susceptus ducitur ad oratorium gratias acturus Deo de prospero adventu, et erratorum in via veniam deprecaturus. Hujus orationis mentio fit in Actis S. Galli : « Igitur illi recto itinere, cum ad viri Dei cellam pervenissent, nuntiati advenisse ducti sunt ad orationem. » Ita et in Actis S. Deodati Nivernensis episcopi : « Eumque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum Patrum, et ut habet institutio beatissimi Benedicti abbatis. » C

[h] *Aut cui jusserit ipse.* Is frater qui cum hospitibus sedere jubetur, debet esse litteratus, ut sancitur additione 1 Capit. Lud. imp., tit. 63 : « Ut docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus loquantur. »

[i] *Legatur coram hospite lex divina.* Hæc non sunt ita stricte sumenda pro solo Decalogo, aut Levitico, aut aliis Moysis legibus. Nam hoc vocabulum lex aliquando sumitur pro omnibus Veteris Instrumenti codicibus indifferenter. Unde Christus sumpsit pro Libro Psalmorum : *Ut adimpleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis* (*Joan.* XV); qui textus habetur Ps. XXXIV : *Qui oderunt me gratis.* Hic tamen lex divina sumitur præcipue pro utroque Testamento Novo et Vetere. Quod etiam D planum est ex cap. 64 Regulæ, cum de abbate dicitur : *Oportet eum esse doctum lege divina.* Quæ verba non possunt intelligi de solo Decalogo, aut legibus Moysis, vel Instrumento Vetere, sed sane de utroque.

[j] *Et post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.* Id est, perhumaniter accipiatur pro ejus conditione, merito et dignitate; atque illi necessaria affatim suppeditentur, omni luxu remoto præsertim circa obsonia. Hospites enim non causa belluationis, sed ædificationis in monasteriis diversari æquum est, et a sobriis monachis sobrietatem discere, ut præclare monet S. Basilius in Regulis fusius disputatis, interr. 20 : « Alius venit ex sæculari vita, discat operibus quod ei ratio non persuasit; formam et exemplar vitæ frugalioris accipiat; recordetur mensæ Christianorum, et non pudendæ propter Christum paupertatis. » Turpe est monachis, si in eorum monasteriis Apicii et Paxami a laicis inveniantur, quorum cupediis illecti iade ebrii discedant, ubi sobrie

omnis ei exhibeatur humanitas. [a] Jejunium a Priore frangatur propter hospitem : [b] nisi forte præcipuus sit dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes hospitibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet. Quibus lotis, hunc versum dicant : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam* [c] *in medio templi tui.* Pauperum et peregrinorum maxime [d] susceptioni cura sollicite exhibeatur. [e] Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina abbatis et hospitum super se sit : ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres. [f] In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus, [g] ut indigent, solatia administrentur ; ut absque murmuratione serviant; et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non solum ipsis, sed et omnibus [h] officiis monasterii, sit ista consideratio, ut, quando indigent, solatia accommodentur eis; et iterum, quando vacant, obediant imperanti. Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat : [i] ubi sint lecti strati sufficienter; [j] et domus Dei a sapientibus sapienter administretur. [k] Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, non frangatur a domesticis fratribus. »

tatem discere debebant. Timotheus dux Atheniensis, rei militaris gloria præstantissimus, aliquando a Platone frugali cœna acceptus postridie bene habens splendidos cœnæ apparatus vituperavit, quod die sequenti nihil voluptatis afferrent (*Ælian. Var. Hist. lib.* II, *cap.* 18). Iniquum est et nullatenus ferendum, si in monasteriis hospites ita laute et profuse epulentur, ut vix tota nox ad crapulam exhalandam sufficiat. Quare olim pontificibus, regibus, et cæteris magnatibus pisces, olera, legumina, et similia monachorum edulia in monasteriis apponebantur, ut patet ex his versibus Caroli Magni ad Paulum Diaconum (*Leo Ostiensis, l.* I, *cap.* 17) :

Alma Deo chari Benedicti tecta require :
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.
Hic olus hospitibus, panis, hic piscis abundat.

S. Joannes Gualbertus auctor congregationis Vallis Umbrosæ Leonem papam cum universa curia Romana hospitio excepit, eisque tantum pisces apposuit, ut in ejus Actis habetur. Parcius S. Bernardus Claravallensis abbas, qui pontifici maximo Innocentio pisciculum apposuit, cum cardinales vix haberent legumina, ut in ejus Actis fertur. Anglorum rex interdum in monasterium Lindisfarnense sub S. Colmanno veniebat et communibus fratrum cibis cum eis in refectorio vescebatur, ut scribit Beda lib. III Hist. Angl., cap. 26. Rex Castellæ Fernandus cum veniret ad monasterium S. Facundi cibis fratrum regularibus tantum utebatur, ut refert Rodericus libr. VI de Rebus Hispaniæ, cap. 14. Conradus rex Romanorum in die Innocentum cum duobus episcopis comedit in refectorio monasterii S. Galli una cum monachis, vilibus eorum cibis contentus : sicut et postridie fecit, solo pane et fabis crudis satiatus, ut lautius quam pridie exciperetur, ut habetur in Vita S. Notkeri, cap. 16 (*Apud Henr. Canis., t. VI, Ant. Lec.*).

[a] *Jejunium a Priore frangatur. A Priore*, id est, ab abbate (Prior est abbas, ut supra dictum est), non a Præposito, ut quidam recentior putat. Nam : *Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper*, ut est in cap. 56 Regulæ, non Præpositi. *Coquina abbatis et hospitum per se sit*, ut hic habetur, non vero Præpositi; et infra : *Abbas aquam in manibus hospitibus det*, non Præpositus. Propter hospites jejunium frangitur, ut charitatis officium impleatur : quemadmodum præclare monet S. Prosper libr. II de Vita contemplativa, cap. 24 : « Si enim quoslibet advenientes, jejunio intermisso, reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium. » Vide exempla in Vitis Patrum.

[b] *Nisi forte præcipuus dies sit jejunii.* Nempe ecclesiastici, quod ex Ecclesiæ præcepto sit inviolabiliter servandum; ita S. Isidorus cap. X Regulæ : « Pro charitate adimplenda interrumpuntur jejunia, si tamen non fuerint generalia. » Eadem ratione Magister cap. 53 Regulæ non vult solvi jejunium Quadragesimæ propter hospitem : « Jejunium vero, inquit, in Quadragesima propter supervenientem

[c] *In medio templi tui.* In cod. Vict. p. hæc sequuntur : *Sequitur oratio : Adesto, Domine, officiis nostræ servitutis, qui pedes tuorum dignatus es lavare discipulorum ; ne despicias opera manuum nostrarum, quæ nobis retinenda mandasti ; et sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium nostrum laventur peccata.* Hæc autem verba : *In medio templi tui*, id est, *in medio cordis nostri* (inquit Smaragdus), *quod tuum dicit Apostolus esse templum, suscipimus istius hospitis cum charitatis dulcedine adventum.*

[d] *Susceptioni cura sollicite exhibeatur.* Ita in mss. S. Germ. Ebrul., et apud Smaragdum, recte. In vulgatis : *Susceptio omni cura sollicite exhibeatur.*

[e] *Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.* Hunc locum Regulæ producit Radulphus addens serm. de Dominica 21 post Trinitatem : « Sed quia divites facilius scandalizantur quam pauperes ; et ut ait S. Benedictus : *Ipse timor potentum sibi exigit honorem.* Sed locum citat ex memoria, non ex codice.

[f] *In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres.* Non per singulas hebdomadas, ut supra statuit de hebdomadariis, etc. Nam si singulis septimanis coqui hospitum mutarentur per ordinem, cum multi occurrerent artis culinariæ non adeo periti, non satis honeste et humaniter cum hospitibus ageretur.

[g] *Ut indigent.* Id est, quando indigent; *ut* pro *quando*. Apud Virgilium : *Ut ventum est.* Unde paulo post dicitur : *Ut quando indigent, solatia accommodentur.*

[h] *Officiis.* Id est, officialibus.

[i] *Ubi sint lecti strati.* Hic loquitur de lectis, non de mensa, scyphis et patinis : quod signum est ejusmodi cellam non ad edendum, sed ad cubandum assignari.

[j] *Ut domus Dei a sapientibus*, etc. Est hyperbaton : nam hæc verba referenda sunt ad ista : *Cujus animam timor Dei possidet.* Sed ob sequelam textus, sunt postposita his verbis : *Ubi sint lecti.*

[k] *Hospitibus cui non præcipitur, nullatenus societur.* Idem statuitur in Pœnis Brevibus S. Basilii, art. 39 : Εἴ τις συντυχῶν ὁμιλήσει τῶν ὑποστρεφόντων ξένων, πλὴν τοῦ δοῦναι τὴν εἰρήνην, ἐκτὸς ἐντετυπωμένων, γενέσθω ἀπ' εὐλογίας· id est, si quis advenientibus peregrinis colloquatur præter pacis osculum, exceptis his ad hoc deputatis, careat benedictione. Idem instituit S. Eugendus, ut habetur in ejus Actis (*Apud Surium Jan.* I) : « Omni cautela juxta Patrum Regulam servans, ne se conspectui adventantium laicorum, vel proplnquorum saltem injussus monachus præsentaret. » Ita S. Fructuosus archiepiscopus cap. 8 Regulæ suæ : « Ne cum laico loquatur, nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur, nec alium proximum videat, vel extraneum, regulari sententia præfixum est. » Similiter S. Isidorus cap. 17 Regulæ, et S. Columbanus in Pœnitentiali ms. Idque ex monachorum Ægyptic-

neque colloquatur. Sed si obviaverit, aut viderit, A salutaris humiliter, ut diximus, et petita [a] benedictione, pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.

§ II. — Ex Regula Macarii (*cap.* 8).

[b] Venientibus eis nullus, nisi unus, cui cura circa hospitale fuerit injuncta, responsum det. [c] Venientibus orare, vel pacem offerre nulli liceat, nisi prius jubeatur ab eo qui præest Patre : et oratione simul peracta sequatur ordinem suum pacis osculum. Nec licebit alicui fratri cum superveniente sermocinari, nisi soli qui præest, Patri, aut quibus ipse jusserit.

III. — Ex Regula Patrum (*cap.* 4).

[d] Advenienti peregrino [e] nihil plus exhibeat [f] quam pacem : reliquum non sit illi cura unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit; nec se B jungat ad fabulas cum illo.

§ IV.—Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 51).

[g] Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint, aut monachi, majori honore suscipiantur; lavabuntque pedes eorum [h] juxta Evangelii præceptum (*Joan.* XIII); et deducent ad locum xenodochii, præbebuntque omnia, quæ apta sunt usui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore atque [i] collectæ venire ad conventum fratrum et ejusdem fidei fuerint, janitor vel minister xenodochii nuntiabit Patri monasterii; et sic deducentur ad orandum.

§ V. — Item ex Regula Macarii.

Hospitalitatem sectantes per omnia (*Rom.* XII), et C rum instituto, ut videre est apud Cassianum libr. IV de Institut. Renunt., cap. 16; nec sine justa ratione : quia forsan infirmus frater cum sæculari sæcularia loqueretur non sine magno animæ suæ detrimento.

[a] *Benedictione.* Id est, oratione.

[b] *Venientibus eis.* Hospitibus, hoc capitulum habetur in Reg. ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor. et Corb., sed fusius et veluti periphrastice.

[c] *Venientibus orare.* Præposui punctum, qui deerat in nostris codicibus. Sed tamen legendum puto : *Cum venientibus orare*, etc. Et hæc est oratio, quæ fit ad introitum hospitis, de qua supra.

[d] *Advenienti peregrino*, etc. Hoc capitulum habetur in Regula 2 cod. Flor., et in vetusto cod. ms. Corb.

[e] *Nihil plus exhibeat.* Privatus monachus videlicet.

[f] *Quam pacem.* Id est, osculum pacis. In Pœnis Brevibus S. Basilii, art. 39 : πλὴν τοῦ δοῦναι τὴν εἰρήνην, id est, præter pacis exhibitionem. In codicibus Flor. et Corb. legitur : *Quam occursum humilem et pacem.*

[g] *Quando ad ostium monasterii*, etc. Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 28. Apud Smaragdum legitur : *Quando ad hospitium monasterii;* non ita recte.

[h] *Juxta Evangelii præceptum.* Ita apud Smaragdum. In Regula excusa legitur : *Servabunt Evangelii præceptum.*

[i] *Collectæ.* Collecta hoc loco est synaxis officii divini, ut passim in hac Regula.

[j] *Hospitibus et peregrinis.* Hæc habentur in Reg. ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass., eodem cap. 10.

[k] *Et oleo perungendi.* Ad tollendam lassitudinem.

ne avertas oculum, aut inanem dimittas pauperem : ne forte Dominus in hospite aut paupere adveniat, et videat te hæsitantem, et contemneris; sed omnibus te hilarem ostende et fideliter age.

§ VI. — Ex Regula Fructuosi (*cap.* 10).

[j] Hospitibus et peregrinis fratribus cum summa reverentia charitatis et ministrationis obsequia sunt præbenda; et ad vesperum lavandi pedes. Et si ex itinere sunt confecti, [k] oleo perungendi sunt. [l] Lectuaria, lucerna, et stramina mollia exhibenda : ac proficiscentibus juxta posse cœnobii [m] viaticum imponendum. Ægroti omni miseratione fovendi sunt, eorumque languores congruo relevandi sunt ministerio. Tales tamen sunt eis ministri deligendi qui et pulmentaria strenue præparent, et devoto eis ministerio obsecundent; et de his quæ illis residua sunt neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant.

§ VII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 23).

[n] Advenientibus hospitibus prompta et alacris susceptio adhibenda est, scientes ob hoc novissimam consequi retributionem, sicut Dominus dicit : *Qui vos recipit, me recipit; qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X). Et licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, [o] uberior tamen clericis et monachis deferenda honorificentia hospitali- D Idem faciendum statuit B. Isaias abbas oratione 3 : « Si ad te in cella tua commorantem frater peregrinus accesserit, idem illi officium exhibeto, oleoque pedes ejus inungito. »

[l] *Lectuaria.* Vel lectualia, quæ lectis insternuntur, stragula. Cæsarius cap. 42 Regulæ : « Lectualia vero simplicia sint : nam satis indecorum est, si in lecto religioso stragula sæcularia, aut etiam tapetia picta resplendeant. »

[m] *Viaticum imponendum.* Mos fuit olim ut recedenti hospiti daretur viaticum, ut essent hospitium fortasse non invenienti in via suppetiæ. Magister cap. 1 Regulæ : « Mox et ipse recognare bisacias cogitur, quas diversorum hospitum jam panes tosti impleverant, » etc. Palladius cap. 64 Lausiacæ, ubi Protocomes S. Paphnutio sic loquitur : Οὐκ ἐξῆλθε πένης ἢ ξένος κεναῖς χερσὶ τὴν ἐμὴν αὐλὴν μὴ πρότερον ἐφοδιασθεὶς κατὰ λόγον· id est, « non egressus est domo mea pauper vel hospes manibus vacuis, cui non prius congruum viaticum imposuerim. » Ita verti clarius ad sensum. Nam ἐφόδια sunt πρὸς τὴν ὁδὸν ἐπιτήδεια ἀναλώματα, id est, « sumptus ad viam necessarii, ut docent scholiastes Aristophanis ad Plutum, et Suidas. » Unde verbum ἐφοδίαζειν, id est, viaticum alicui dare. (*Deut.* XV) καὶ ἐφοδιάσεις αὐτὸν, id est, et dabis ei viaticum.

[n] *Advenientibus hospitibus*, etc. Habetur in Regula S. Isidori excusa cap. 22.

[o] *Uberior clericis et monachis deferenda honorificentia hospitalitatis.* Tanquam Dei servis et ministris præcipuis. Idem jubet S. Pachomius art. 28 : « Si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur. » Idem clericis faciendum instituit Regula Macarii et aliorum : « Idemque qualiter clerici hospites suscipiendi sunt in monasterio, ut ministri altaris, non licebit nisi ipsis complere : sive ostiarius, sive minister templi Dei. » Ita etiam Magister

tatis. Præbeantur eis habitacula, laventur eorum pedes, ut præceptum Dominicum impleatur. Congruis etiam sumptibus eisdem humanitatis gratia præbeatur.

§ VIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 24).

Nullus propinquum vel extraneum hospitem vel monachum familiarem, seu parentem, videre absque imperio audeat senioris

§ IX. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 7).

Advenientibus quoque nihil præter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit; et curam habere de causa qua venerit, quandoque reversurus sit, non præsumat: quia hoc seniorum sollicitudo, non juniorum præsumptio, debet requirere.

§ X. — Ex Regula Magistri (*cap.* 72).

[a] Cum fratres monasterio extranei supervenerint, si quarta, sexta feria, et sabbatum fuerit, voce præsentis abbatis aut cellerarii, si absens fuerit abbas, rogentur ad refectionem remorari ad nonam. Si autem usque ad tertiam admonitionem non usque ad nonam consenserint remorari, sed pro certo se urserint ambulare, propter charitatem adventus eorum, fracto jejunio, omnes fratres monasterii cum eis ad sextam [b] communicent. Si autem ante sextam se urserint ambulare, quævis hora fuerit festinationis inventa, jam sine domesticis fratribus ipsi soli reficiant, et jejuni de monasterio non permittantur abscedere propter viam, quia [c] in panis fractione cognita est charitas Christi: sicut [d] in Actibus apostolorum legitur fracta Eucharistia et sumpta, a se apostolos discessisse Andream et Joannem.

XI. — *Item ex eadem* (*cap.* 79).

[e] Cella autem peregrinorum semote in monasterio constituatur, cum lectis stratis ubi supervenientes fratres maxime ignoti dormiant, [f] et bisacias suas ponant: in qua res monasterii, aut ferramenta, aut utensilia non sint posita: ne forte cum putantur hospites spiritales, subito in damno fures inveniantur. Nam et propter cautelam custodiendi, duo fratres de quorum decada et alii coquinam exercent, tandiu ex ipsa decada deputati vicibus a suis A præpositis fratres peregrinos ex improviso custodiant, quandiu omnes de eadem decada suis vicibus explicent septimanas; et cum de alia decada inchoaverint coquere, et in diebus septimanarum suarum si supervenerint peregrini, tandiu et de eadem decada deputati a suis præpositis supervenientes ex improviso custodiant, quandiu et ipsis alia decada succedat. Ergo sic omnes decadæ explicando et [g] recapitulando omnes peregrinos advenientes semper custodiant. Ergo ipsi duo fratres quorum ad custodiam fuerint vices, cum peregrini advenerint, in eadem cella simul sibi faciant lectos, ut, si forte unus de hospitibus ad oratorium nocte voluerit ire, et alius noluerit propter lassitudinem se levare, aut forte voluerint vicibus foras exire, utri- B que habeant singulos ex improviso custodes: ut et ille qui aut ad oratorium aut egreditur foras per incertos monasterii exitus nocte, et ingressus per occasionem custoditus a domestico fratre ducatur, et cum remanente alter remaneat custos: ut et charitatem solatii videantur hospitibus adimplere, et res monasterii ab incertis ex improviso custodiant. Nam et in die ipsi sibi sollicitudinem faciant eos intra monasterium de [h] nihil facto oculo custodire. Nam ideo duobus hæc cura committitur, ut et in nocte vicibus sint circa peregrinos solliciti, et in die, si forte ex eis unus defuerit occupatus, alter peregrinum a longe custodiens respiciat. Cella ipsa habeat clusuram talem ab intus, qualem a foris: ut nocte ab eis, inclusis secum hospitibus, ab intus missis C clusuris clavis tollatur: quam, ubi norunt, abscondant: ut cum foras forte voluerit hospes exire, ipse sibi custodes excitet, cum clavem requirit, quo præsente incipiat ad ignotum [i] refrigerium foras exire. Ipsi enim fratres bisacias eorum et virgas suscipiant in cella eadem servaturi [j] clave forensi fideliter conservandas. Jam si forte tales inventi fuerint hospites qui diu persistendo fideliter et animo laborando indicaverint [k] se monasterio perfirmare, suggerant eorum custodes abbati, et lecta eis Regula, videant quot dies jam habeant in monasterio, et residui dies de induciis eis ad tractandum

cap. 77 Regulæ: « Sacerdotes vero cum monasterio ad refectionem tenti fuerint, ipsi omnes cibos et pocula mista signent, vel primos in mensa sua meros, D et benedictionem petentibus ipsi suo responso tradant. » Et paulo post: « Clerici vero si servorum Dei mensis interfuerint, et ipsis detur locus complendi. » Recte: nam benedicere et complere orationem honorificum est.

[a] *Cum fratres*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 72.

[b] *Communicent*. Id est, communi in mensa cum fratribus reficiant, ut loquitur idem Mag. c. 71, ut supra c. 58 observatum est.

[c] *In panis fractione cognita est charitas Christi*. Cum pavit multitudinem, Joan. VI et Marc. VII, nolens dimittere jejunam, ne deficeret in via.

[d] *In Actibus apostolorum*, etc. Quæ hic dicuntur de Andrea et Joanne ex Actibus apostolorum, non sunt in Actibus apostolorum a S. Luca conscriptis, sed videntur sumpta ex quodam libro apocrypho, aut ex illis Actibus quæ duodecim apostolorum nomine vocantur, et Andreæ maxime, quibus utebatur impostor quidam Agrippius, ut scribit Photius in Bibliotheca, n. 179, seu Andreæ, Joannis et aliorum apostolorum, de quibus Eusebius l. III, c. 19, Hist.; aut certe ex Actibus Andreæ et Joannis, quibus utebantur Encratitæ, quorum meminit S. Epiphanius lib. II, tom. I, hæresi 47.

[e] *Cella peregrinorum*, etc. Hæc videre est in Regula ms. Magistri cod. Corb., cap. 79.

[f] *Et bisacias suas*. Vide supra, cap. *de generibus monachorum*

[g] *Recapitulando*. Alias, *Recapitando*. Id est, a capite iterum incipiendo quo vocabulo usus est supra.

[h] *Nihil facto*. Id est, male facto.

[i] *Refrigerium*. Id est, latrinas; ejusdem Regulæ cap. 14: *Refrigeria lavent*, et cap. ultimo, *machina, refrigerium*.

[j] *Clave forensi*. Id est, quæ foris ostium claudat.

[k] *Se in monasterio firmare*. Id est, stabilitatem in monasterio promittere. Quod dicit S. Benedictus, cap. 61, *Stabilitatem suam firmare*.

secum cedantur. Et cum exp.eti fuerint constitutarum induciarum dies, et tunc demum si placent eis probatæ vitæ vel Regulæ disciplinæ, sicut de firmandis monasterio fratribus posteriori titulo constitutum est, se monasterio usque ad mortem perseverando contradant. Quod si non se voluerint firmare, sed sic laborando quotidie cum fratribus monasterio voluerint remorari, si contenti sunt pannos suos vel indumenta in alieno opere [a] stricare, sola tamen communis mensa vel vitæ mensura eis de monasterio præbeatur, de cæteris necessariis præparatio denegetur. Quia [b] firmis debent omnia præparari, talibus vero de [c] firmitate dubiis sola monasterii mensa sufficiat : et hoc tantum quod vel laborare cum fratribus volunt remorando, a fratribus illis custoditi duntaxat die noctuque.

[a] *Stricare.* Id est, consumere, de quo vocabulo supra.

[b] *Firmis.* Id est, qui stabilitatem in monasterio promiserunt.

[c] *Firmitate.* Id est, stabilitate in monasterio.

CAPUT LXI.

SI DEBEAT MONACHUS LITTERAS, EULOGIAS, VEL ALIQUID SUSCIPERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem, [b] litteras, [c] eulogias, [d] vel quælibet munuscula accipere aut dare sine præcepto abbatis. [e] Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati : quod si jusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui illud jubeat, dari. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerat, ut non

[a] *Nullatenus*, etc. Prima pars hujus capitis citatur in concilio Duziacensi II, cap. 2.

[b] *Litteras.* Olim prohibitum fuit monachis litteras accipere, aut transmittere injussu abbatis. Ita cautum est in Pœnis brevibus, quæ vulgo S. Basilio tribuuntur. Art. 49 : Εἴ τις εὑρεθῇ ἐκτὸς ἀρχιμανδρίτου γράφων τινί, ἢ δεχόμενος γράμματα, ἔστω ἀφωρισμένος· id est, « Si quis inventus fuerit scribere aut accipere litteras sine archimandritæ scientia, sit excommunicatus. » In Regula Teridii, cap. 15 : « Præcipue epistolas sine scientia abbatis nec accipiat, nec transmittat. » In Pœnitentiali ms. S. Columbani : « Si epistolam cujuscunque susceperit, si tribuere præsumpserit sine abbate, superpositione. » Supple, *emendetur.* In Regula S. Cæsarii, cap. 23, et in ejus Recapitulatione, cap. 6, in Regula S. Isidori, cap. 17. Idem videre est apud Cassianum lib. IV de Institutis renuntiantium, c. 16. Nec immerito. Nam ejusmodi litteris sæpe utitur diabolus tanquam proxenetis ad animam perdendam.

[c] *Eulogias.* Recta lectio, quæ habetur in cæteris codd. nostris mss., quemadmodum apud Smaragdum, Donatum c. 5, Turrecrematam, in editione Coloniensi et in concilio Duziacensi supra citato. At in vulgatis et in editione Colinæi legitur, *eulogia*, in plurali, male. Nam eulogium non dicitur in neutro, etsi reperiatur in Vita S. Ludgeri, et fortasse alibi, sed corrupte. Eulogia autem est munus ex charitate datum generaliter loquendo, Latine *benedictio*, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munus benedictionem appellant. I Regum, cap. XXV : *Quapropter accipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua.* In textu Hebraico est ברכה *beracah*, id est benedictio, apud Septuaginta εὐλογία. Sumitur etiam eulogia pro pane illo qui ad eucharistiam consecrandam destinatur, ut videre est apud Joannem Moschum, cap. 25. Sunt et munera quæ ex reliquiis sanctorum mittuntur, apud S. Gregorium, lib. XI Regesti, cap. 47 : « Eulogias vero S. Marci a beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate qua transmissæ sunt, secundum notitiam earum suscepimus. » Quas interdum, *benedictionem* appellare solet, ut in eadem epist. : « Præterea transmisimus crucem parvulam, in qua de catenis amatorum vestrorum inserta est benedictio. » Sed communiter eulogiæ panes sunt qui in ecclesia a sacerdote benedicuntur, olimque distribuebantur iis qui ob quoddam impedimentum diebus festis et Dominicis non sumebant Eucharistiam, ex decreto Pii papæ, apud Burchardum lib. V, cap. 27. Et habetur in concilio Nannetensi, can. 9, et in Capitulis Hincmari archiepiscopi Rhemensis, cap. 7. Mittebantur etiam fidelibus in signum benevolentiæ et communionis in eadem fide. Unde in concilio Laodiceno, can. 32, statuitur, Ὅτι οὐ δεῖ τῶν αἱρετικῶν εὐλογίας λαμβάνειν, id est, « Quod non oportet hæreticorum eulogias accipere. » Aliquando etiam tragemata, bellaria, ut fructus, nuces, aridæ ficus, etc., a presbytero benedicta pro eulogiis dabantur, ut patet ex Palladio in Lausiaca, cap. *de Valente.* Nec dabantur excommunicatis. Unde S. Arsenius cum non accepisset aliquando eulogiam fratrum, gessit se pro excommunicato, ut habetur in Vitis Patrum interprete Pelagio, lib. XV, n. 8; et qui ab excommunicatione absolvebantur eulogias accipiebant, ut videre est apud Gregorium Turonensem, lib. V Hist., cap. 14; et excommunicati episcopi eulogias aliis dare prohibebantur, ut videtur apud eumdem Gregorium, lib. VIII Hist., cap. 20, de Ursicino Cadurcensi episcopo excommunicato. Et de his eulogiis panis intelligendus est hic S. Benedicti locus, quas antiqui Patres sine superioris licentia dare prohibuerunt. S. Cæsarius cap. 23 Regulæ : « Si aliqua voluerit transmittere eulogiam panis, Matri suggerat. » Et Donatus, cap. 53 Regulæ : « Si aliquis voluerit transmittere litteras, aut eulogias panis, Patri suggerat. » Ita capiendus est locus in Pœnis brevibus S. Basilii, art. 50 : Εἴ τις πέμπει τινὶ εὐλογίαν, id est, « Si quis miserit eulogiam alicui. »

[d] *Vel quælibet munuscula.* Item statuit S. Pachomius art. 58 : « Nemo ab altero accipiat quidquam. » S. Basilius in Pœnis brevibus, art. 38 : Εἴ τις δίδοι ἔξω τι, ἢ λαμβάνει, παρὰ γνώμην τοῦ ἀρχιμανδρίτου, ἀφοριζέσθω; id est « Si quis dederit foras aliquid aut acceperit præter voluntatem abbatis, excommunicetur. » Et S. Isidorus, cap. 17 Regulæ : « Qui occulte ab aliquo litteras vel aliquod munus acceperit, » etc.

[e] *Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit*, etc. Id olim servabatur in monasterio S. Eugendi abbatis, ut videre est in ejus Actis : « Si quid vero cuicunque fuit a proximis fortassis oblatum, confestim hoc abbati vel œconomo deferens, nihil exinde absque paterno præsumpsit imperio. »

detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

§ II. — Ex Doctrina sancti Orsiesii.

[a] Si quis in domo monasterii sub præposito manens, nulla re indigens quam in monasterio habere permissum est, et habet patrem fratremque et amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem. Si autem fuerit comprobatum [b] quod minus habeat de his quæ præcepta sunt, [c] culpa omnis atque correptio ad præpositum convertetur.

§ III. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 31).

Interrog. [d] Si quis debet a carnalibus propinquis accipere aliquid? — *Resp.* Propinquos quidem reddere quæ sua sunt iis qui ad servitium Dei accedunt, necessarium est, et nihil subtrahere, ut non crimen sacrilegii incurrant. Verumtamen hæc [e] prærogari in conspectu eorum, ad quod visa sunt pertinere, *et illis ipsis præstat occasionem elationis et superbiæ, et aliis* fratribus ejusdem propositi pauperioribus tristitiam generat, ita ut accidat illud in quo Corinthii increpantur ab Apostolo dicente : *Quia confunditis non habentes* (*I Cor.* XII). Et ideo et his qui per loca singula ecclesiis præsunt, si sunt fideles et prudentes dispensatores, offerre debent, secundum imitationem eorum qui in Actibus apostolorum (*Cap.* IV) id fecisse præscribuntur, de quibus dicitur : *Qui offerentes pretia prædiorum suorum ponebant ante pedes apostolorum.* Cæterum, quoniam non est omnium hujusmodi dispensationes explere fideliter, illis offerre convenit qui apud omnes in hoc officio probati habentur. Verumtamen de his probabit ille qui præest, [f] per quem debeant dispensari.

§ IV. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 25).

[g] Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras, [h] vel quælibet munuscula accipiat, si hoc ultra confitetur, illi parcatur et oretur pro illo; si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium præpositi vel presbyteri gravius emendetur.

§ V. — *Item* (*cap.* 26).

[i] Consequens ergo est ut etiam [j] qui suis filiis, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasteriis constitutis aliquis vel aliqua contulerit vestimenta, sive quodlibet aliud, inter necessaria monasterii [k] deputandum est. Non accipiatur, sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, *cui necessarium fuerit, præbeatur.* [l] Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

§ VI. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 6).

[m] Si quid a parentibus vel extraneis cuilibet monacho collatum fuerit, non erit sub jure privatæ rei habendum, sed in potestate abbatis in commune redactum, [n] cum necesse est, præbeatur. Monachus enim quidquid quoquo modo acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit. Nullus peculiariter separatam sibi ad habitandum cellulam expetat, in qua privatim a cœtu remotus vivat, præter eum qui fortasse morbo vel ætate defessus, hoc ex consulto Patris monasterii, promeruerit. Cæteri tamen quibus nec languor, nec senectus inest, in sancta societate communem vitam conversationemque retinebunt.

§ VII. — *Item.*

[o] Non est præsumendum sine conscientia abbatis [p] egenis vel quibuslibet conferre de eo quod regulari dispensatione noscitur monachus possidere :

[a] *Si quis*, etc. Hæc habentur in libro excuso S. Orsiesii ultra medium.

[b] *Quod minus habeat.* Reposui τὸ *habeat* ex lib. edito.

[c] *Culpa omnis atque correptio ad præpositum convertetur.* Is est præpositus domus de qua est ille frater qui tanquam culpæ reus ab abbate corripietur, si non suppeditaverit illi fratri quæcunque ei ex præscripto Regulæ necessaria sunt.

[d] *Si debet quis*, etc. Apud S. Basilium, interr. 187 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 26.

[e] *Prærogari.* In textu Græco, ἀναλίσκεσθαι, id est, consumi.

[f] *Per quem debeat dispensari.* In textu Græco additur, καὶ τὸ παρὰ τῶν τοιούτων δεδομένον, id est, « et illud etiam quod ab hujusmodi hominibus datum est. »

[g] *Quicunque autem*, etc. Hæc videre est in Regula excusa S. Augustini eod. cap. 25, et in epist. ejusdem 109. Exstant etiam in Regula S. Cæsarii, cap. 23, et in Regula Donati, cap. 53.

[h] *Vel quælibet munuscula.* Ita in cod. Corb. ms. et in epist. At in Regula excusa, *vel quodlibet munus.* In Regulis Cæsarii et Donati, *Aut quælibet mandata, aut munuscula.* Sed Donatus sumpsit ex Cæsario, non ex Augustino, nam fere eadem Cæsarii verba profert.

[i] *Consequens ergo est*, etc. Exstat in Regula S. Augustini edita, cap. 28, et in ejusdem epist. 109.

[j] *Qui suis*, etc. Ita in Regula excusa. Male, quemadmodum et in Corb. ms., ubi τό *qui* deest. Legë ergo ut in epist.: « Illud quod suis, vel filiis, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquis vel aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud, » etc. In epistola legitur, *filiabus*, quia scribitur ad sanctimoniales. Locum contraxit S. Cæsarius, cap. 41 hoc modo : « Ante omnia observandum est, ut si filiæ suæ aliquis vel aliqua necessitudine ad se pertinenti vestimenta, vel aliquid aliud dederit, vel transmiserit, non occulte accipiatur. » Sed lege, *ut si aliquis filiæ suæ, vel aliqua*, etc.

[k] *Deputandum est.* Recta lectio, si post τό *est* scribatur punctum. Nam parens, qui dat filiæ suæ vel alteri, non dat eo nomine ut inter res monasterii deputetur, sed sanctus Augustinus jubet deputari.

[l] *Quod si aliquis*, etc. Hæc habentur cap. sequenti ejusdem Regulæ.

[m] *Si quid a parentibus*, etc. Habentur in Regula excusa, cap. 9, ubi primum membrum hujus capitis ita legitur : « Si quod a parentibus vel extraneis munus cuilibet monacho fuerit directum, in conventum fratrum redactum sit, et cui necesse erit, præbeatur. »

[n] *Cum necesse est.* Lege *cui*, etc.

[o] *Non est præsumendum*, etc. Hæc videre est in Regula S. Isidori excusa, cap. 19.

[p] *Egenis.* Non vult dari eleemosynam a monachis inconsulto abbate : si tamen urgeat necessitas, posse dari a monacho eleemosynam docent S. Thomas 2-2, qu. 32, art. 8, et alii. « Et dat nomine conventus non suo » docet gloss. 16, qu. 1, cap. 5.

[a] cum alio quoque fratre quippiam commutare, nisi abbas vel præpositus jusserit, nulli licebit : nec habebit quidquam, præter illa quæ in communi lege monasterii concessa sunt.

§ VIII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 24 [b]).

Neque sine abbatis jussu quisque accipere epistolam, vel dare cuiquam præsumat.

§ IX. — Ex Regula sancti Fructuosi episcopi (*cap.* 8).

[c] Munus denique quodlibet sive epistolas nemo monachus accipiat, [d] neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur; nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur; vel alium proximum videat, vel extraneum, regulari sententia præfixum est.

§ X. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 5).

Nihil occulte accipiatis. Sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut auro, vel aliud quodcunque dederit aut transmiserit, in potestate sit abbatis. Et si cui transmiserit, necesse fuerit, tribuatur; sin vero ille nihil indiget, in commune redactum, cui est necessarium, tribuatur.

§ XI. — *Item* (*cap.* 6).

Epistolas præcipimus nec dandas, nec accipiendas sine scientia et permissu abbatis.

§ XII. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 18).

Qui vero litteras vel munuscula cujuscunque accipere præsumpserit, si non statim a quo accepit et quæ accepit publicaverit, districtioni severissimæ subjacebit. Illa vero quæ transmissa sunt, [e] peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incendio cremabuntur. [f] Sane si quis suis filiis vel aliqua ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit, in re communi redactum cui necessarium fuerit, tribuatur. Si vero cui transmissum est abbas jusserit dare, tanquam reliqua fidelium munera cum gratiarum actione percipiet.

§ XIII. — Ex Regula Orientali.

[g] Mutare de his quæ a præposito acceperit cum altero non audebit. Nec [h] accipiat melius, et dabit deterius : at contrario datis melioribus et deterius [i] accipiens. [j] Nemo ab altero accipiat quippiam, [k] nisi præpositus jusserit.

[a] *Cum alio quoque fratre quippiam commutare.* Quia hoc assidet peculiaritati. Quæ dantur monacho, in suum usum, non in alienum ei dantur. Idem prohibuit S. Pachomius, art. 55 : « Mutare de his quæ a præposito acceperit nemo audebit. » S. Basilius in Pœnis brevibus, art. 14 : Εἴ τις ἀλλάσσῃ τι μετά τινος παρὰ γνώμην τοῦ ἀρχιμανδρίτου, γενέσθω ἀπ' εὐλογίας, id est, « Si quis permutaverit aliquid cum aliquo, et dederit præter mentem abbatis, sit sine benedictione. »

[b] In Regula excusa, cap. 13.

[c] *Munus denique*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass., cap. eodem.

[d] *Neque uspiam sine benedictione sui senioris progrediatur.* Antiquus et laudabilis in monasteriis mos invaluit, ut nunquam monachus sine benedictione vel oratione sui rectoris foras progrediatur, ut hac veluti circumvallatus mundi pericula et dæmonum tela declinare possit. Id apparet ex Pœnis brevibus toties citatis : Εἴ τις ἐξέλθοι τοῦ μοναστηρίου μὴ λαβὼν εὐλογίαν, ἢ ἀπολυθεὶς ὑπὸ ἀρχιμανδρίτου μετὰ εὐχῆς, ἔστω ἀκοινώνητος· id est, « Si quis egressus fuerit monasterio non accepta benedictione, vel non dimissus ab abbate cum oratione, excommunicetur. » Ex sexta synodo, can. 46 : « Sed et viri qui persequuntur vitam monasticam urgente necessitate καὶ αὐτοὶ μετὰ εὐλογίας τοῦ τὴν ἡγεμονίαν ἐμπεπιστευμένου προϊτώσαν, id est, et ipsi cum benedictione illius qui præest, procedant. » Idem paulo ante eodem can. de sanctimonialibus præcipitur. Ex Actis sancti Columbæ, lib. III, cap. 8 : « Vir sanctus Columbanus, cui emigranti benediximus, nusquam in hoc sæculo faciem videbit meam. » Ex S. Gregorio, lib. I, Dial., cap. 2 : « Erat pro utilitate monasterii causa constituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus Libertinus ad lectum abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit. » Ex Pœnitentiali ms. S. Columbani : « Qui ministrat in die Dominico, aut in alio solemni ad lavacrum, aut quamcunque necessitatem una oratione ante exitum et introitum eget, interroget tamen. Si non procul exeat, signo crucis indiget, » etc. Cum autem plures essent domus in monasterio S. Columbani ad instar monasterii S. Pachomii, in quibus monachi veluti per classes divisi habitabant, nulli licebat domo sua egredi sine benedictione et oratione senioris sui seu præpositi, sive ille monasterio egrederetur, sive in eo remaneret, ut videre est in Vita S. Eustasii abbatis Luxoviensis, ubi hujusmodi benedictionem redarguit in synodo ejusdem monasterii monachus et desertor Agrestinus : « Ait superflua quædam et canonicæ institutioni contraria in eorum studiis teneri, cochlearii scilicet, quam lamberent, crucis signo crebro signari, et in ingressu cujuslibet domus intra cœnobium tam introeuntem quam egredientem benedictionem postulare. » Qui locus mire illustratur ex citato Pœnitentiali. « Qui egrediens domum ad orationem poscendam non se humiliaverit, et post captam benedictionem non se signaverit, crucem non audierit [*Leye*, adierit], XII percussionibus emendare statuitur. » Et paulo post : « Et qui egrediens domum, orationem petens non se curvaverit intra domum, XII percussionibus emendetur. » Quod spectat ad alterum crimen ab Agrestino objectum de cochleari signando, hæc habentur in eodem Pœnitentiali circa initium, « et qui non signaverit cochleare quod lambit, sex percussionibus. » Ex quibus doctorum virorum tollitur scrupulus, qui ab Agrestino objecta in Regula S. Columbani hactenus quæsiverunt; non sunt enim in Regula, sed in citato Pœnitentiali ms.

[e] *Peregrinis aut ignibus deputabuntur.* Nota priscorum observantiam, qui ipsas res peculiaritatis vitio possessas nolebant in monasterio remanere, sed eas statim extraneis donabant, aut ignibus tradebant.

[f] *Sane si quis*, etc. Hoc membrum sumptum est ex Regula S. Augustini, cap. 8.

[g] *Mutare de his*, etc. Prima pars hujus capituli sumpta est ex Regula S. Pachomii, art. 55.

[h] *Accipiat*. Lege *accipiet*.

[i] *Accipiens*. Lege *accipiat*, ut in Regula S. Pachomii.

[j] *Nemo ab altero*. Hæc secunda pars sumpta est ex art. 58 Regulæ S. Pachomii.

[k] *Nisi præpositus jusserit*. Intelligit præpositum domus, non monasterii. Nam in monasterio S. Pachomii præpositus cujusque domus administrabat necessaria monachis qui suæ domus erant, ut clarum est ex multis ejusdem Regulæ locis.

§ XIV. — Ex Regula a Donato collecta (*cap.* 53).

[a] Nullatenus liceat fratri a parentibus suis neque a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel quælibet munuscula accipere aut dare sine præcepto abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat illud suscipere, nisi prius indicatum fuerit Patri. Quod si jusserit suscipi, in ipsius sit potestate, aut ei (si necesse est) aut cui illud jubeat, dare. [b] Quicunque autem (quod Deus non patiatur) in tantum progressus fuerit, ut occulte litteras ab aliquo aut quælibet mandata aut munuscula accipiat, si hoc ultro confessus fuerit, indulgentiam mereatur, et A oretur pro eo. Si autem celans proditur, vel convincitur, secundum instituta monasterii Regulæ gravius emendetur. [c] Simili etiam districtioni subjaceat, si vel ipse cuicunque litteras aut munuscula transmittere sacrilego ausu præsumpserit. Pro affectu parentum aut cujuscunque notitia si aliquis transmittere voluerit litteras aut eulogias panis, Patri suggerat. Et si ipse permiserit, [d] per posticiarios det, et ipsi de nomine ejus transmittant, cui voluerit ipse. Sine præposito aut posticiario per se nullus præsumat nec dare, nec accipere a quoquam. Quod si præsumpserit, superpositionibus pœniteat.

[a] *Nullatenus liceat.* Hæc usque ad illa, *quicunque*, etc., sumpta sunt ex cap. 54 Regulæ S. Benedicti.

[b] *Quicunque autem*, etc. Hæc sumpta sunt ex Regula S. Cæsarii, cap. 23, exstantque in Regula S. Augustini, cap. 8.

[c] *Simili etiam districtioni subjaceat*, etc. Hæc etiam exprompta sunt ex Regula S. Cæsarii, cap. eodem.

[d] *Per posticiarios.* Posticiarius est qui curam habet recipiendi ea quæ in monasterium deportantur, et transmittendi ea quæ transmittuntur. Et posticiaria in cœnobiis sanctimonialium, quæ idem opus exercet, ut notum est ex Regula S. Cæsarii, cap. 23. Gallice: *la tourière*, a nomine posticium; de quo Papias in vocabulario: « Posticium est latens ostium, dictum quod remotum sit a publico. » Reperitur in B Regula S. Cæsarii, cap. 30: « Aut posticio aut lanipendio præponuntur. » Alias *posticum*, apud Horatium lib. I, epist. 5.

Atria servantem postico falle clientem.

Et in Regula S. Isidori, cap. 1: « Monasterii autem munitio tantum januam extrinsecus habeat, unumque posticum, per quod eatur ad hortum. » Dicitur et *pseudothyrum* apud Severum Sulpitium Dial. III, cap. 16: « Vidi præterea ad pseudothyrum monasterii. »

CAPUT LXII.

[a] DE VESTIARIIS ET CALCEARIIS FRATRUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, [b] vel aerum temperiem dentur: C quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio [c] penes abbatem est. Nos tamen [d] mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos [e] cucullam et tu-

[a] *De vestiariis et calcearis.* Ita legit S. Dunstanus, cum editione Colinæi. Vulgo legitur: *De vestimentis et calceamentis fratrum.*

Vel aerum temperiem. Ita omnes mss. nostri codices, cum Smaragdo et S. Dunstano. Vulgo legitur: *Vel aeris temperiem.*

[c] *Penes abbatem est.* Ita legunt codices mss. Victorini, S. Ebrulphi, et Faronis cum Smaragdo, S. Dunstano, et editione Coloniensi. Vulgo legitur: *Penes abbatem sit.*

[d] *Mediocribus locis.* Id est, temperatis: quia paulo ante dixit: *In frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.* Alias mediocria loca dicuntur ea, quæ sunt mediocris census, ut est in concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cap. 122. D

[e] *Cucullam.* Cuculla est quoddam capitis operimentum. Græce κουκούλλιον. Sozomenus libr. III Hist. Eccl., cap. 14: Σκέπασμα κεφαλῆς, ὃ κουκούλλιον καλοῦσιν, id est, « tegumentum capitis, quod cucullam vocant. » Dicitur et *cucullio*. Julius Capitolinus in Vero: « Objecto capiti cucullione veteri. » Lampridius in Heliogabalo: « Tectus cucullione mulionico. » Etiam *cucullus* apud Sidonium infra citandum. Hinc bardocucullus apud Martialem libr. IV, epigr. 128:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Quos versus quidam vir doctus enarrans dicit esse pallium viaticum; quia, ut ille arbitratur, βάρδος est *via* Gallorum lingua. Sed tota via aberrat loco Hesychii corrupto deceptus, ubi sic legitur: Βάρδοι οἱ ὁδοὶ παρὰ Γαλάταις, id est, « bardi viæ apud Gallos. » Sed legendum: Βάρδοι ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις, id est, « bardi vates apud Gallos. » Nam bardi olim in Gallia vates erant, qui præclara illustrium virorum facinora versu celebrabant, ut clarum est ex Lucano libr. I de Bello Civili:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum, vates, dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina bardi.

Et ex Festo, Strabone libr. IV Geographiæ, Diodoro Siculo libr. V Bibliothecæ, et aliis. Est ergo bardocucullus genus quoddam cucülli, quo utebantur bardi illi Gallorum, de quibus hic locus Martialis intelligendus est: quod etiam suadet mentio Galliæ et Santonum; non de bardæis Illyricis militibus. Monachi utuntur cucullis, quod mundus ipsis crucifixus sit, et illi mundo, inquit S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica, et quod simplicitatem et vitæ innocentiam puerorum habere debeant: quia olim pueri cucullis utebantur, ut docet Palladius in Lausiaca cap. de Tabennesiotis, Sozomenus supra citatus, Cassianus infra citandus, S. Dorotheus Doctr. I: Τὸ κουκούλλιον δέ ἐστι σημεῖον τῆς ἀκακίας, καὶ τῆς ἐν Χριστῷ νηπιότητος, id est, « cuculla vero signum est innocentiæ et puerilis simplicitatis in Christo; » et Eucholegium Græcorum in sequentia magni schematis: Ἐνδύεται κουκούλλιον τῆς ἀκακίας, id est, « induitur cucullam innocentiæ. » Sanctimoniales etiam cucullis utebantur, maxime in Orientali Ecclesia, ut notum est ex S. Athanasio tractatu de Virginitate, S. Hieronymo in epist. ad Eustochium de Custodia virginitatis, et Palladio in Lausiaca cap. citato. Forma autem cucullæ antiquorum monachorum Ægypti ita describitur a Cassiano

nicam : cucullam [a] in hieme villosam, in æstate [b] puram et vetustam ; et [c] scapulare [d] propter opera. Indumenta pedum [e] pedules et [f] caligas. [g] De quarum rerum omnium colore et grossitudine

libr. I de Habitu Monachi, cap. 4. « Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur et noctibus : scilicet ut innocentiam et simplicitatem parvulorum jugiter custodire etiam institutione ipsius velaminis commoneantur. » De longitudine cucullæ nihil statuit S. Benedictus; ac proinde Benedictinis monachis varia fuit olim cucullæ mensura, quibusdam etiam usque ad talos pendentibus, ut habetur in Vita S. Benedicti hujus Concordiæ auctoris. Sed tandem statutum est : « Ut mensura cucullæ duobus consistat cubitis, » ut habetur 1. Add. Capitul. Lud. imp., tit. 21. Hic Benedictus noster abbas Anianæ, idem instituit vel saltem, ut usque ad genua pertingeret, ut in ejus Vita habetur : « Quamobrem vir Dei monachis instituit modum, ut non amplius a duobus cubitis excederet mensura, vel usque ad genua pertingere posset. »

[a] *In hieme villosam.* S. Sidonius libr. VII, epist. 16, agens de cuculla quam mittit Chariabaudi abbati : « Quanquam non opportune species villosa mittatur hieme finita. » Cuculla villosa hoc loco est grossioris panni, cujus adhuc villi, id est, filamenta, seu veluti flocci quemadmodum in rudiori panno, non adeo arte fullonis polito, seu coacto, et conciliato exstant, et prominent. Nam villus non solum dicitur de setis et pilis brutorum animalium, nec villosus de eorum pellibus, quæ non sunt adhuc pilis suis spoliatæ, sed etiam de pannorum filis, et de ipsis pannis, qui suis pilis et flocculis nondum nudati sunt, ut videre est apud Martialem libr. XIV, ep. 147 :

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.

Et epigr. 136 ejusdem libri.

Tempore brumali non multum levia prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Quæ etiam vocabula de linteis dicuntur; apud Martialem ejusdem libri epigr. 138 :

Nobilius villosa tegunt tibi lintea citrum.

Ubi citrum est mensa citrea, apud Virgilium.

. . . tonsis mantilia villis.

Et Sidonium libr. V, epist. 17, dicitur : « Linteum villis onustum. » Unde villosa dicitur mantile a S. Bonifacio Moguntino epist. 8 : « Et villosam unam ad tergendos pedes, cum laveris, servorum Dei ; et epist. 11.

[b] *Puram.* Pura est tenuis, levis ; opponitur enim villosæ. Glossæ veteres : *Purus*, καθαρὸς, ψιλὸς, id est, purus, tenuis. Eædem Glossæ, *Pura* : ἀγνὰ, καθαρὰ, ψιλὴ, id est, casta, pura, tenuis.

[c] *Scapulare propter opera.* Scapulare est genus vestis monachalis. Græcis κατανώτιον. Ita apud sanctum Ephræm de colenda Humilitate, cap. 88. « Arbitror conducere monacho, maxime juniori, non exire ἄτερ κατανωτίου. » Hinc castigandus locus Joannis Moschi, cap. 134, ubi male legitur κατανόχιον pro κατανώτιον. Dicitur et ἐπώμιον apud S. Athanasium tract. de Virginitate. Hesychio ἐπωμάδιον ἐπ' ὤμῳ, id est, quod super humeros ponitur, ut in Vita S. Arsenii, et apud Macarium Chrysocephalum infra citandum. Dicitur etiam ἀνάλαβος. Michael Psellus libr. de Operatione dæmonum : Ὑπέγραφέ μου καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸν ἀνάλαβον, id est, « subindicabat et meum habitum et analabum; » etsi quidam vir doctus legat ἀναβολὴν, sed perperam : nam ἀναβολὴ est rebrachiatorium, succinctorium quod duobus resticulis constat ad succingendas vestes, ut notum est ex Cassiano lib. I, cap. 6. At ἀνάλαβος est genus vestis, et verbum ἀναλαμβάνειν, unde ἀνάλαβος deducitur, ad rem vestiariam spectat : nam κοσμίως ἀναλαμβάνειν τὴν ἐσθῆτα apud Suidam est vestem ornate et decenter componere. Analabi mentio fit in auctoribus mox citandis. Epomadium autem, seu scapulare, sive analabus, erat in modum crucis, ut monachus instar Christi crucem humeris gestaret. S. Dorotheus doctrina 1 : Ἀνάλαβος τίθεται σταυροειδῶς ἐπὶ τοῖς ὤμοις ἡμῶν, τοῦτ' ἐστι, τοῦ σταυροῦ σύμβολον βαστάζομεν ἐν τοῖς ὤμοις ἡμῶν, καθὼς λέγει· Ἆρον τὸν σταυρόν σου, id est, « analabus ponitur in formam crucis super humeros nostros, hoc est, crucis symbolum gestamus super humeros nostros, juxta id quod dicit : *Tolle crucem tuam.* » Vita S. Arsenii : Μονώτατος καὶ ἄσκευος ἐπωμάδιον τὸν τοῦ Χριστοῦ σταυρὸν φέρων, id est, « solus sine vasis scapulare crucem Christi ferens. » S. Ephræm in Vita S. Juliani anachoretæ : « Cum eum deduxisset eum miser et ignavus homo in quemdam subterraneum locum, ubi multum auri putabatur reconditum ab eis qui sacra sepulcra reparabant, Dæmon conspecto crucis signo, quo puer amictus et consignatus erat, non est ausus ei nocere : nam eum analabo adduxerat eum vir ille. Macarius Chrysocephalus de Exaltatione Crucis : Τὸν σταυρὸν ὡς ἐπωμάδιον ἔχων ἑκουσίως ὑπέστη δι' ἡμᾶς θάνατον, id est, « crucem tanquam scapulare habens sponte propter nos mortem subiit. » Euchologium Græcorum in sequentia magni schematis : Λαμβάνει τὸν ἀνάλαβον, etc., id est, « Assumit analabum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, assumens crucem suam super humeros, et sequens Dominum Christum. » Hinc capiendus est locus Vitæ S. Guillelmi Gellonensis : « Veste apostolica instar crucis induitur. » Scapulare autem formam crucis refert, cum duobus pannis hinc independentibus, latius exspatiatur per humeros.

[d] *Propter opera.* Id videtur in citata Vita S. Guillelmi : « Sicque propriis manibus extra factis carbonibus, et scapulari illæso expositis cineribus lares aptat et temperat intromittendis panibus. »

[e] *Pedules.* Hoc vocabulum reperitur in Regulis S. Isidori, S. Fructuosi, et Magistri hic citatis. Pedules per ellipsin, subintelligitur τὸ *fascir*, factumque est substantivum, ut τὸ *mortales*. Dicuntur et pedulia, de quibus Festus : « Pedulia quæ dicimus, πέδιλα Græcos appellare manifestum est, » παρὰ περιειλεῖσθαι τοῖς ποσὶν, id est, « quod circumvolvantur pedibus, » inquit Etymol. vetus; et Glossæ Benedicti : Πεδούλια ποδῶν καλύμματα, τινὲς ἀρτάρια ἡρμήνευσαν, id est, « pedulia pedum operimenta, quidam artaria

[f] *Caligas.* Caliga est calceamentum ex pellibus, quod ad mediam suram surgebat, de quo Horatius libr. I, sat. 6 :

Nam ut quisque insanus nigris medium impedit crus
Pellibus. . . . .

[g] Locus intelligitur de eo qui ex humili loco ad senatorium

De quarum rerum omnium colore. Nempe vili : nam statim subjungit : *et grossitudine*, quæ non potest esse non vilis. Quamvis nihil de colore vestium S. P. Benedictus expresse et explicite constituerit, tamen ejus Regulæ addicti nigris vestibus usi sunt. Id docet Petrus Blasensis epist. 97 : « Inter album et nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judæi et Græci. Attendit Dominus mentem, non vestem ; merita, non colorem. In monte Cassino schema monasticum, quo beatus Benedictus est usus, usque hodie, sicut dicitur, perseverat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filiis? » Ibi autem purgat se, quia videbatur monachos alios Cistercienses et Carthusienses prætulisse monachis nigris. Petrus Casinas in appendice ad Leonem Ostiensem,

[a] non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua habitant, [b] aut quod vilius

taria interpretati sunt. » Artaria juxta Suidam sunt τῶν ποδῶν πίλοι. Πίλοι vero pedum sunt quædam textilia, quibus pedes involvuntur, inquit Joannes Tzetzes illud Operum et Dierum Hesiodi enarrans :

. . . . . πίλοις ἔντοσθε πυκάσας,

id est, « tegumentis intus condensans. » Auctor Etymologici veteris eumdem locum enarrans : Σημαίνει, inquit, καὶ τὰ ἀοτώρια καὶ πανιά. Πανία autem fascias et lacinias ex vestibus rescisas appellant Græci recentiores (*Vide Joan. Meursium in Lexico Græco-barbaro*). Dicitur et pedule. Glossæ veteres : *Pedule, πόδιον*, ita legendum, non *pedale*. Quid sit πόδιον explicat Hesychius : Πόδια ἐπιλήμματα ποδῶν, ἤγουν, φασκίας, id est, « involucra pedum, hoc est, fascias. » Quæ quidem correctio satis patet ex Cornelio Frontone : Pedale, inquit, mensura est pedis, pedule vero sub pedibus præstat utilitatem ; » ubi τὸ *sub* redundat : nam pedule est singulare τοῦ pedulia, supra. Hinc « fasciæ crurales pedulesque » Ulpiano ff. l. *Argumento sunt, de auro et argento legato*, et substantivum pedules, ut supra diximus. Nostram explicationem confirmat mos antiquus involvendi pedes fasciis, qui satis patet ex Apollinari Sidonio libr. VIII, epist. 11.

Si vestigia fasceata nudi
Per summum digiti regant citatis
Firmi ingressibus. . . .

Et carmine 2.

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos. . . .

His utebatur S. Eugendus abbas, ut ex ejus Actis clarum est : « Habebat namque Eugendus beatissimus calciamenta fortia rusticaque in modum priscorum patrum, constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas, » qui locus mirum in modum illustrat explicationem præsentem.

rium ordinem assurgit. Unde exprobrat Isiaco senatori Tertullianus in poemate sive quis alius, quod, abjecta caliga, gallica uteretur.

. . . caligaque remota
Gallica fit pedibus molli redimita papyro.

Caliga multis ligulis seu corrigiis constringebatur, ut ex Juvenali, sat. 5 planum :

. . . habet Trebius quod rumpere somnum
Debeat, et lignas dimittere, sollicitus ne
Tota salutatrix jam turba peregerit urbem.

Ad quem locum vetus Scholiastes : « Calciarii (*Lege*, calcearii) cum festinant, ansas caligarum prætereunt nonnullas. » Id patet etiam ex S. Gregorio, libr. III Dial., cap. 20, de quodam Stephano Valeriæ provinciæ presbytero. « Qui quodam die mancipio suo negligenter loquens præcepit dicens : Veni, diabole, discalcea me. Mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissolvere. » Et paulo post : « Ita ut inventæ sint magna ex parte dissolutæ corrigiæ. » Imo jactantiæ gratia multiplicabantur corrigiæ. Unde S. Ferreolus cap. 22 Regulæ dicit : « Sed et hoc curandum est, ut pes sit ligamentis temperatius cumulatus, ut non in jactantiæ signum multos astrictus habeat. » Caligæ pedem tegebant ; illum enim muniebant a frigore et æstu, ut ljquet ex Cassiani libr. I, cap. 10. « Calceamenta vero velut interdicta Dominico præcepto recusantes cum infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, seu meridiani æstus fervor exegerit, tantummodo caligis suos muniunt pedes. » Monachos olim usos caligis fuisse præter citatum Cassiani locum notum est ex S. Gregorio lib. I. Dial., cap. 2 : « Pro amore vero ejusdem venerabilis Honorati quocunque Libertinus ibat, ejus semper caligulam in sinu portare consueverat. » Et cap. 4 ejusdem libri, cum agit de S. Equitio abbate : « Tunc ecce vir Dei clavatis calceatus caligis. » Nec dicendum est caligas nihil aliud esse quam sandalia illa, quæ vulgo soleæ appellantur. Nam ex

supra dictis satis constat caligas distingui ab ejusmodi soleis rudioribus et vilioribus, quibus modo quidam monachi calceantur. Et ipse Magister, ut infra videbitur, distinguit caligas ab ejusmodi sandaliis seu soleis. Nec nos moratur illud quod profertur ex cap. 12 Actuum apostolorum : *Calceate caligas tuas*, ubi in textu Græco habetur, σανδάλια. Cum enim caligæ non sint sandalia, non est dubium quin nomen caligæ hoc loco improprie sumptum fuerit ab interprete, quemadmodum etiam a Papia et Glossis veteribus. Nec ullus potest cogi ita interpretari locum sancti Benedicti. Nam si proprio vocabulo non usus fuisset, reliquisset institutionem obscuram. Imo nec sandalium in textu Græco Actuum citato proprie sumitur. Nam proprie sandalium est concinnum mulierum calceamentum, ut videre est apud Julium Pollucem lib. VII Onomastic., cap. 22, habenis tenuiter sectis, insuperque aureis floribus concinnatum, qualiter describit Cephisodorus ibidem, qui illud opponit περιβαρίσι ancillarum, quod erat vile calceamentum. Unde cap. X Judith dicitur : καὶ ἔλαβε σανδάλια εἰς πόδας αὐτῆς, id est : *Induitque sandalia pedibus suis*. Quæ quidem sandalia non erant apostolorum, qui abhorrebant ejusmodi ornatum.

stiensem, c. 115, in disputatione adversus monachum Cistellensem coram imperatore : « Cur nigris vestimentis semper utimini ? Quia talibus Benedictus Pater usus est, ut habitu quoque mundo renuntiasse videretur. » Rupertus abbas Tuitiensis exponens cap. VII Zachariæ prophetæ : « Quadriga secunda, in qua erant equi nigri, pœnitentium est, qui ab apostolorum temporibus incipientes, in his, qui sanguinem Christi fuderant, vitam nobis cœnobialem sanxerunt, usque hodie per orbem niger tam professione quam habitu perseverat ordo monachorum. » Hinc monachi sub regula S. Benedicti militantes nigri appellati sunt, ut videre est in charta Ethelbaldi regis Merciorum pro fundatione monasterii Croilandensis, quam refert Ingulphus abbas in historia fundationis ejusdem monasterii : » Trado et concedo omnipotenti Deo, beatæ Mariæ et S. Bartholomeo de dominiis meis ad fundationem nigrorum monachorum sub norma S. Benedicti Deo famulantium totam insulam Croilandiæ. » Vide epist. 17, libr. IV, Petri Venerabilis. Idque ex consuetudine priscorum monachorum, qui nigro colore usi sunt, ut planum ex S. Athanasio, tractatu de Virginitate : Ὁ ἐπενδύτης μέλας, μὴ βεβαμμένος ἐν βαφῇ ἀλλ' αὐτοφυὴς ἰδιόχρως ἢ ὀνυχίζων, id est, « amictus tuus niger nulla tinctura infectus, sed nativi coloris, et fuscus. » Synesio epist. 146 ad Joannem, qui institutum monachum arripuerat : « καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπίχεσθαί σε φησίν, » id est, « et pallium pullum te induisse dicit. » Et paulo post : Εἰ δὲ καὶ τὸ μέλαν ἐπήνεσας, etc., id est, « Quod si nigrum colorem probasti, quod id aliorum, qui ante te sumpserunt, imitatione feceris, laudo quidquid fit Dei causa. » Eodem colore usus est S. Martinus, ut constat ex Severo Sulpitio, Dial. 2 : « Sed ubi Martinum in veste hispida, nigro penduloque pallio circumtectum contingua de latere jumenta viderunt. » Vide sextam synodum, can. 42 et 45. Causam reddit Gregorius Pachymeres in cap. 6. Eccl. Hierarchiæ S. Dionysii Areopagitæ : « Monasticus ordo maxime solitarie et unice, non dupliciter, vel tripliciter, vel multipliciter conversatur. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ ἀμφιεννύμενον μέλαν, etc., id est : « Hoc enim ostendit nigra vestis, quæ amicitur ; alii enim colores facile in alios transeunt, et omnes in nigrum, niger vero in alium colorem nunquam mutatur. »

[a] *Non causentur.* Causari est murmurare hoc loco.

[b] *Aut quod vilius comparari potest.* Subaudi verbum, *accipiant.*

comparari potest. Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta [a] utentibus ea, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere [b] propter noctes et propter lavare ipsas res. Id quod supra fuerit, superfluum est: amputari debet. Et pedules, et quodcunque est vetustum reddant, dum accipiunt novum. [c] Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: quæ revertentes lota ibi restituant. Et cu-

[a] *Utentibus ea.* Ita in cod. mss. S. Germ. Ebrul. Far. et Vind. nam verbo, *utor*, veteres accusativum dederunt. Plautus in Sticho,

Posticam partem magis utuntur sedium.

[b] *Propter noctes.* Ex his verbis manifestum est quod, etsi vestiti dormirent monachi, tamen positis diurnis vestibus, nocturnas assumebant, cum quibus dormiebant, et nocturnas vigilias celebrabant; nam surgentes a lecto eas minime deponebant. Quia S. Benedictus ideo præcipit, ut monachi vestiti dormiant, ut sint parati atque expediti, cum ad nocturnum cursum excitantur; quod fieri non posset, si, exutis nocturnis vestibus, diurnas induere tenerentur, cum ad vigilias properant. Et ita capiendus locus Sidonii libr. VII, epist. 16, cum dat cucullam Chariabaudi abbati, qua utatur inter orandum et cubandum: « Per quos nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis inter orandum cubandumque dignanter tegare, transmisi. »

[c] *Femoralia.* Quæ et feminalia dicuntur et *βραχία*, ut apud Hesychium et Suidam; vulgo braccæ. Ita describit S. Hieronymus in epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali: « Lineis feminalibus, quæ usque ad genua et poplites veniunt, verenda celantur, et superior pars sub umbilico vehementer astringitur. » Subscribit S. Isidorus libr. XIX Orig., cap. 22. Græcis *ἀναξυρίδες*, apud Suidam, Hesychium citatos et Julium Pollucem libr. VII Onomast., cap. 22; quæ tamen aliquando a summis plantis ad nates pertingebant, quales gerebat Abaris Athenas veniens, ut describit Himerius sophista ad Urbicium comitem: Ἀναξυρίδες ἐκ ταρσῶν ἄκρων ἄχρι τῶν γλουτῶν ἀνατεινουσαι, id est, « a summis plantis ad nates extensæ. » Unde auctor veteris Etymologici eas appellat *βωθία ὑποδήματα*, id est, profunda calceamenta; et Julius Pollux cap. citato *σκολίας*, id est, tibialia, seu tibialium operimenta. Porro S. P. Benedictus femoralia viatoribus solum concedit, S. vero Fruct. episcopus cap. 4 Regulæ permittit etiam his qui implicantur ministerio altaris. « Femoralium usus cuiquam est permittendus, maxime his, qui ministerio implicantur altaris. » De femoralibus vide Rupertum libr. III in Regul. S. Benedicti, cap. 17.

[d] *Modice.* Ita omnes membranæ nostræ cum S. Dunstano, Smaragdo, Turrecremata, editione Coloniensi, et Colinæi, quod in vulgatis non habetur.

[e] *Et revertentes restituant.* Ita in mss. cod. S. Ger. et S. Faronis cum S. Dunstano, Smaragdo, et editione Coloniensi. Turrecremata legit: *Et revertentes ibi restituant;* vulgo: *Et revertentes ibi lotas restituant.*

[f] *Matta.* Est stratum durum, mortificationi carnis aptum, et mattarii, qui ejusmodi strato utebantur, ut clarum est ex S. Augustino l. V contra Faustum Manichæum, cap. 5. « Et quia in mattis dormiunt, mattarii appellantur, a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Faustî, et caprinæ lodices, qua deliciarum affluentia non solum mattarios fastidiebat. » Mattæ fit mentio apud S. Eulogium lib. III Memorialis Sanctorum, cap. 10. Consule Joannem Savaronem in epist. 24, libr. IV Sidonii, et

A cullæ et tunicæ sint aliquanto a solito quas habent [d] modice meliores: quas exeuntes in via accipiant de vestiario, [e] et revertentes restituant. Stramenta autem lectorum sufficiant, [f] matta, [g] sagum, [h] læna et [i] capitale. [j] Quæ tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne inveniatur. Et, si cui inventum fuerit, quod ab abbate non acceperit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. Et ut hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quæ sunt necessaria, id est, tunica, cuculla, pedules, caligæ, [k] bracile, cultellum, gra-

Onomasticon Heriberti Rosweidi.

[g] *Sagum.* Usitatiori significatione est pallium militare quadrum de quo Nonius Marcellus cap. 3. Hoc loco est stragulum. Papias: *Sagum, stragulum,* B *vel coopertorium.* Glossæ veteres *σάγιον, lodix*, lege, *σάγον*, et *σάγη* apud Hesychium est *σκέπασμα*, id est, operimentum.

[h] *Læna.* Varro libr. IV de Lingua Lat.: « Læna quod de multa lana. » Est pallium crassum, meminit Persius, sat. 1:

Cui circa humeros hyacinthina læna.

Et Juvenalis, sat. 5:

. . . . plurima sunt quæ
Non audent homines pertusa dicere læna

A Græco χλαῖνα per aphæresin litteræ, χ, potius quam a lana; de quo vocabulo Hesychius: *χλαῖνα*; *χλαμύς, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλαίνειν, ὅ ἐστι θερμαίνειν*, id est, « chlamys vel hiemale vestimentum a *χλαίνειν*, id est, calefacere. » Idem docent Suidas et auctor veteris Etymologici. Læna hoc loco est stragulum seu tegmen crassum in quo quis dormit; quæ quidem significatio satis patet ex S. Gregorio libr. XII, epist. 16, ubi læna inter stramenta C lectorum connumeratur: « Filio nostro Simplicio renuntiante cognovimus lectos vel lectisternia in gerontocomio, quod illic ab Isauro constructum est, deesse, propterea misimus lænas quindecim, racanas triginta, etc. » Et ex Ennodio libr. IX, epist. 17: « Lænam et racanas, cujus volueritis coloris, rubei, vel fusci, mihi sub celeritate dirigite. » Quid sit racana, infra dicetur. Ita etiam *χλαῖνα* a Græcis usurpatur. Julius Pollux de lectis agens libr. X, cap. 8, ait: *Τὰ δὲ στρώματα, ἐπιβλήματα, περιβόλαια, ἐφεστρίδες, χλαῖναι.*

[i] *Capitale.* Est pulvinum, cervical. Quod satis conjicitur ex Glossis veteribus. *Τυλοπροσκεφάλαιον, Capitale, pilentum;* et alibi, *pulvinum, προσκεφάλαιον.* Ita Pelagius in Vitis Patrum libr. V, n. 78: « Et modicum capitale de cartica sub caput ejus. »

[j] *Quæ lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt.* Regula cujusdam Patris: « Omnibus sabbatis post D horam orationis nonam tam Senior quam Juniores Præpositi lectos omnium fratrum visitent, et faciant propter eorum negligentias inquirendas, aut si aliquid inveniatur illicite, et sine commeatu retentum. »

[k] *Bracile.* Ita passim legitur tam in editis quam in aliis mss. S. Dunstanus, Papias infra citandus et lex Salica titul. 29, § 37, legunt, *Brachile.* Vict. p. *Bracille.* Quid sit bracile, docet S. Isidorus libr. XIX Orig., cap. 33: «, Redimiculum est, quod succinctorium, sive bracile nuncupamus, quod dividens per cervicem, et a lateribus colli divisum (*Lege*, demissum) utrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem vestitat corpus, atque conjungendo componat. Hoc vulgo bracile, quasi brachiale vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. » Hæc fere ex Cassiano exscripta sunt libr. I de Veste monachi, cap. 6. Subscribit S. Isidoro Papias:

phium, [a] acus, [b] mappula, tabulæ, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum apostolorum : *Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat* (*Cap.* v). Ita ergo abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 3 [c]).

Vestimenta vero fratribus necessaria ita abbas omnibus ordinare debet, quæ monachos deceant, non diversis coloribus tincta, exceptis cucullis, quæ

[a] Brachile, quod succinctorium, *sive* redimiculum dicimus, quod nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. » Ubi bracile in secunda significatione est zona, seu renum cingulum. In qua etiam manifeste sumitur a Magistro cap. 11 Regulæ : « Cum dormiunt, vestiti dormient, et cincti, aut cingulis, aut restibus, aut corrigia. Bracili fratrem in nocte uti ideo prohibemus ; ne dum se regirat per somnum oppressus, exiens per theeam mucro cultelli carni ejus figatur. In die vero cingantur bracilibus, dicente de sancto Joanne Scriptura : *Et circa lumbos erat cinctus zona pellicea.* » Ex quo Magistri loco satis patet quid S. Benedictus per bracile intelligat ; maxime cum nullam zonæ mentionem fecerit, quæ tamen necessaria.

[a] *Acus.* Praxis videtur in Vita S. Eugendi abbatis : « Nam usque ad acum ipsam, lanasque netas etiam suendi consuendique cuncta præbebantur in medium.

[b] *Mappula.* Mappula sudarium est, seu linteum tergendæ pituitæ aptum. Alcuinus de Offic. Eccl. cap. 39 : « Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum et narium detergimus. Meminit S. Gregorius lib. II Dial., cap. 19 : « Qui fuerat missus monachus post admonitionem factam a sanctimonialibus rogatus mappulas accepit, » ubi in textu Græco Zachariæ mappulæ exponuntur ἐγχείρια. Quid sit ἐγχείριον, explicat San. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus in Mystica Theoria : Τὸ δὲ ἐγχείριον τὸ ἐπὶ τῆς ζώνης ἐστὶ τὸ ἀπομάξαι τὰς χεῖρας αὐτοῦ λινοῦν, id est, « manuale vero est linteum de zona pendens ad ejus manus tergendas. »

[c] Exstat in Regula Patrum tertia cod. Flor.

[d] *Nemo in domo*, etc. In Regula S. Pachomii excusa, art. 41, hæc valde mutilata et contracta habentur.

[e] *Id est, armatura.* Armatura hoc loco est id omne quod vestitui alicujus necessarium est.

[f] *Levitonariis duobus et uno attrito.* Eadem tribuit monachis Pachomianis S. Hieronymus in præfatione ad Regulam S. Pachomii : « Et duo lebitonaria (quod Ægyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis), et unum jam attritum ad dormiendum vel operandum. » Levitonarium autem, seu lebitonarium, apud S. Ephræm de comparanda humilitate, cap. 88, et apud Palladium in Lausiaca, cap. *de Tabennesiotis*, λεβιτών, est vestis quædam sine manicis, qua olim utebantur monachi, alias *colobium*, vel ut ait D. Hieronymus, *Ægyptiis monachis genus vestimenti sine manicis*, et quia Ægyptii monachi lebitonario utebantur lineo, ita auctores lebitonarium definire solent. Glossæ Isidori : *Levitonarium, colobarium lineum sine manicis.* Glossæ Arabico-Latinæ, *Levitonarium est colobium lineum sine tunicis* [Lege, *manicis*]. Papias : *Levitorium* [Lege, *levitonarium*] *colobium lineum sine manicis, qualibus monachi Ægyptii utuntur.* Quare castigandus est locus S. Isid., l. XIX Orig., c. 22 : *Lebitonari est colobium sine manicis, qualibus monachi Ægyptii utuntur ;* legendum est enim : *Lebitonarium est colobium lineum*, etc. Non dubium est enim quin Papias ex S. Isidoro sumpserit, ut multa alia, ususque fuerit exemplari correctiore. Colobia monachorum Ægyptiorum fuisse linea etiam testatur Cassianus loco mox citando. Quare nescio quid sibi velit Suidas cum ait : Λεβιτωνάριον χιτὼν μοναχικὸς ἐκ τριχῶν συντεθειμένος, id est, « Lebitonarium est tunica monachica ex pilis contexta : » et, quod magis miror, cum addidit κατὰ τὴν ἐγχώριον γλῶτταν Περσαίων, id est, « juxta patriam linguam Prussæensium, « cum hoc vocabulum sit potius Ægyptiacum. Porro colobia seu levitonaria monachorum Ægyptiorum ita describit Cassianus lib. I de habitu monachi, cap. 5 : « Colobiis quoque lineis induti quæ vix ad cubitorum ima pertingunt nudas de reliquo circumferunt manus. » Et recte colobium describitur. Erat enim tunica sine manicis, ut satis liquet ex Servio, cum enarrat illud IX Æneidos :

Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.

« Tunicæ vestræ habent manicas. Quod etiam Cicero vituperat dicens : *Manicatis et talaribus tunicis.* Nam colobiis utebantur antiqui. » Et olim probrosum erat apud Romanos habere tunicas χειριδωτούς, id est, manicatas : quippe quæ solis feminis et effeminatis convenirent, ut docet Agellius lib. XVII, cap. 12. Quare monachi ab iis abstinebant. Colobiis autem monachorum Syrorum assutum erat signum ex purpura instar militum, ut innuerent se Christo militare, ut docet S. Dorotheus doctrina prima : Ἔχει δὲ τὸ κολόβιον ἡμῶν σημεῖον τίποτε πορφυροῦν, etc. Id est, « Habet vero colobium nostrum signum quoddam purpureum, » etc.

[g] *Sabano longiori.* Sabanum est linteum, ut supra notatum est. Hoc loco est quod dicit S. Hieronymus præfatione citata *amictum lineum.* Sed vox *longiori* mihi suspecta est. Nam Pachomiani monachi breviore pallio amiciebantur, sicut et alii Ægyptii. Quod satis manifestat S. Orsiesius, discipulus S. Pachomii, cum assignat monachis *lineum palliolum.* Quod satis confirmatur his S. Pachomii verbis : *Quo collum humerique circumdantur.* Itaque crediderim omissam esse particulam *non*, et legendum esse *sabano non longiori.* Hoc palliolum appellatur *mafortes*, ut videre est apud Cassianum, lib. I de Habitu monachi, cap. 7, et *mafortium.* Glossæ Arabico-Latinæ *Mafortium fascialis*, id est, *angustum pallium, quo utuntur monachi collum pariter et humeros tegens.* Græci μαφόριον dicunt. S. Athanasius in tractatu de Virginitate, καὶ τὸ μαφόριον ἀκρώσσων, id est, « et mafortes sine fimbriis. » Mentio fit in Pœnis brevibus S. Basilii, art. 7, et apud S. Dorotheum, doctrina 1, dicitur *mavortes* et *mavorte.* Eo etiam mulieres caput tegebant. Glossæ Isidori : *Mafortes operimentum capitis mulierum.* Consule Isidorum, lib. XIX, cap. 25. Baronius ad annum Christi 193, ex Gregorio Turonensi, cap. 16, colligit mafortem fuisse etiam amplam mulierum vestem. Cui favent Glossæ Arabico-Latinæ : *Peplum, mavorte.* Nam peplum amplum erat, quippe vestimentum muliebre.

§ III. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 61).

[d] Nemo in domo et cella sua habeat præter ea quæ in commune lege monasterii præcepta sunt : non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonsis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non pulvillium quidem ad caput, aut aliud variæ supellectilis : exceptis his quæ a Patre monasterii per domorum præpositos dividentur, [e] id est, armatura sua, [f] levitonariis duobus, et uno attrito ex usu, [g] sabano longiori, quo collum humerique

circumdantur, pellicula quæ pendet ex latere, gallicis et cucullis duobus, zona [a] et bacillo. Præter hæc quidquid inveneris, absque contradictione auferes.

§ IV. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 11).

Interrog. [b] Quis est dignus, vel decens habitus Christiani? — *Resp.* Quoniam sermo in superioribus humilitatem necessariam docuit; ita ut qui vult religiose et pie vivere, in omnibus et simplicitatem et humilitatem requirat, id est, ea quæ parvo sumptu acquiruntur, id observandum puto in corporalibus usibus, per quod occasiones nobis majorum occupationum minime fiant. Hoc ergo etiam in observatione indumentorum custodiendum puto. Si enim studium nobis habendum est omnium esse minimos et omnium nos novissimos, certum est quia et indumentis omnium nos novissimos deputare debemus. Nam si hi qui gloriam ex indumentorum splendore conquirunt, [c] satis agunt quomodo pretiosis et magnificis vestibus videantur induti, ita consequens est eum qui de ultimis et novissimis, id est, per nimiam humilitatem, placere studet, eligere debere hoc in quo omnium et ultimus et novissimus appareat: [d] sicut ille e contrario, id est, de summis et pretiosis, videri clarior et nobilior vult. Si enim in publica cœna arguuntur Corinthii (*I Cor.* xi) quod per suam abundantiam confundant eos qui non habent, certum est quia et in hoc communi et simplici indumento, quod ad communem habitum vel usum pertinet, et [e] si alter altero differat habitus, vel pretiosior inveniatur, confundimus non habentes. Sufficienter quoque etiam Apostolus hujuscemodi usibus brevi sermone regulam posuit dicens: *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus* (*I Tim.* vi). Ostendens indumento solo quo contegamur indigere nos, et non varietate aliqua vestis, et ornamento ejus et decore jactari. Quæ utraque postmodum introducta sunt, humanæ vitæ artificiis et luxuriæ ingenio conquisita. Sed et primus ille indumenti usus hæc eadem indicat, cum dicitur Dominum fecisse primis hominibus pellicias tunicas (*Gen.* iii). Sufficiebat enim ad confusionem contegendam hujuscemodi indumenti usus. Verum quoniam nobis prospectum est indumentis etiam et calefieri et foveri, necessarium videtur ut ad utrumque usus ipse temperetur, quo et operiri nuditas videatur et vel vis frigoris, vel omne quod extrinsecus lædit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere quæ usum exhibeant longiorem: ita tamen ut in nullo lædatur regula voluntariæ paupertatis, id est, ne eadem nobis sint vestimenta ad procedendum præparata et alia ad usum domesticum, et rursus alia ad aliud tempus, vel in nocte, et alia et in die: sed oportet illud ipsum tale esse indumentum, quod nobis sufficere possit ad omnia: ut et in die honestum videatur indumentum, et in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet ut et habitus noster communis et similis atque unius formæ sit omnium, et Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quæ uno prospectu ac proposito geruntur, similia, imo eadem in omnibus esse debent. Utile autem est etiam ex ipsa proprietate vestis et habitus intelligere unumquemque et professionem suam agnoscere in ea vita, qua secundum Deum vivit, ut sciat sibi etiam actus consimiles esse debere; et ad eos qui nos vident secundum habitum nostrum æquales etiam in actibus apparere debemus. Non enim similiter turpe est in quolibet alio, si inhoneste quid agat, sicut in his qui vitam sobriam etiam in ipso habitu profitentur. Si enim quis videat de trivio aliquem hominem cædentem alium aut vapulantem publice, vel turpiter proclamantem, aut in tabernis aliisque locis vitam cum dedecore ducentem, nec observabit quidem facile hujuscemodi hominem, vel notabit, sciens eum consequenter ad reliquam vitam suam gerere. Si vero eum qui religiosam vitam profitetur, viderit quis vel parum aliquid contra quam decet facere, observant omnes et increpant et ad religionis opprobrium ducunt. Itaque velut pædagogus est infirmioribus habitus iste religiosior, ut etiam invitos eos ab opere inhonesto indecentique custodiat. Denique et Apostolus [f] ordinatum episcopum designat, quæ res ad habitum magis revocatur. Sed et de mulieribus dicit [g] in habitu ordinato esse debere. [h] Ordinatus autem esse habitus Christiani dicitur is qui secundum propositum et professionem ejus aptus intelligitur. Sicut enim proprium est aliquid militi in habitu [vestimenti], et alius est habitus senatoris, ex quo præcipue intelligitur, vel iste quod senator est, vel ille quod miles est; ita etiam Christianus habere aliquid proprium etiam ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed et de calceamentis eadem ratio observabitur, ut quòd simplicius est, et paratius, et aptum proposito, et usibus sufficiens, id assumatur. Zonæ quoque usum ostendunt necessarium esse etiam qui præcesserunt nos sancti. Nam Joannes zona pellicea constringere lumbos suos dicitur (*Matth.* iii); et Eliæ antea tanquam proprius habitus ipsius designatur, cum dicitur: *Vir hirsutus, et zonam pelliceam habens circa lumbos suos*

[a] *Et Bacillo.* S. Orsiesius dat monachis *caligas, pellem et virgam.* Hoc utebantur ad imitationem Patrum Veteris Testamenti, ut notat Cassianus lib. I de Habitu monachi, cap. 8: « Et baculus, quem gestat ad imitationem horum qui professionis ejus profiguravere lineas in Veteri Testamento. »

[b] *Quis est dignus*, etc. Exstat apud S. Basilium, interr. 22 et 2, Regul. fusius disputatarum, et apud Rufinum cap. 12, contractius tamen.

[c] *Satis agunt.* Lege, *satagunt*, ut apud Rufinum.

[d] *Sicut ille e contrario*, etc. Hæc corrupta sunt, et non exstant in textu Græco: quæ tamen ita leguntur apud Rufinum: *Sicut ille qui e contrario est, de summis et pretiosis videri clarius et nobilius gestit.*

[e] *Si alter altero differat.* Apud Rufinum, *si alter alteri præferatur;* rectius et clarius.

[f] *Ordinatum.* Ita apud Rufinum. In textu Græco, κόσμιον, id est ornatum. Ita legendum, cum sic habeatur apud Apostolum I ad Tim. iii.

[g] *In habitu ord nato.* Lege, *in habitu ornato*, ut est in Apostolo I ad Timoth. ii.

[h] *Ordinatus.* Lege, *ornatus.*

(*III Reg.* I). Sed zona usus Petrus ostenditur, sicut ex verbis angeli, quæ ad eum dicta sunt, recognoscimus : *Accingere*, inquit, *et calceare caligas tuas* (*Act.* XII). Sed et beatus Paulus zona usus ostenditur per Agabum prophetam dicentem : *Utrum enim, cujus est zona hæc, ita illigabunt in Hierusalem* (*Act.* XXI). Sed et Job audit a Deo : *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job* XXXVIII). Virtutis namque cujusdam et prompti ad opera animi signum videtur esse usus cinguli. Sed et discipulis Domini zonæ usus fuisse videtur, ex more, quibus prohibeatur [a] ne pecuniam haberent in zonis suis. Revera enim necessarium videtur eum ex more, qui manuum opere uti in aliquo deberet, succinctum esse, et in omnibus præparatum : ac sine ullo impedimento inveniri ad omne boni operis ministerium. Unde et cingulo indiget, ut vel colligata circa corpus tunica, ex qua et magis confoveri possit, si undique constrictus sit, vel non impediri ad omnem rem quam agere parat. De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione perscriptum sit, in quo dicit : *Qui habet duas tunicas, det non habenti unam* (*Luc.* III). Ex quo sine dubio duas habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum præcipi potest?

§ V. — *Item* (*cap.* 142).

Interrog. [b] Quid est perperam agere? — *Resp.* [c] Quod non propter usus necessarios, sed vel maxime ornatus causa vel decoris alicujus fit, hoc est perperam agere.

§ VI. — *Item* (*cap.* 143 [d]).

Interrog. Quis est qui ab Apostolo dicitur habitus ordinatus (*I Tim.* II)? — *Resp.* Is qui secundum propositum uniuscujusque honestus est, usus vel secundum locum, vel secundum tempus, vel secundum personam. Non idem usus esse hominis potest in tempore hiemis et in tempore æstatis. Non idem habitus est operantis et quiescentis : nec militis idem est et privati, neque viri idem qui mulieris.

§ VII. — *Item* (*cap.* 144 [e]).

Interrog. Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsa autem indumenta viliora quibus utitur, vel calceamenta ita composite utatur, ut studeat decorem inde aliquem capere, si peccat aut vitio aliquo id facere putandus est? — *Resp.* Qui vult per decorem habitus placere hominibus, manifestum est hujus ipsius vitii ægritudine laborare, id est, hominibus placendi : et certum est mentem ejus a Deo longius evagari; sed et hoc ipsum est vitium perperam agere, cum indumentis vel calceamentis non usus causa utitur.

§ VIII. — *Item* (*cap.* 45 [f]).

Interrog. Quali affectu oportet accipere vel vestimentum vel calciamentum qualecunque fuerit? — *Resp.* Siquidem breve aut grande est ad mensuram staturæ suæ, etc.

§ IX. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 34).

[g] Vestes vestras [h] in uno habete sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur. Et sicut pascimini ab uno cellario, sic induimini ex uno vestiario. Et, si fieri potest, [i] non ad vos pertineat [j] quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur : utrum hoc recipiat unusquisque vestrum quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen unicuique quod cuique opus est non negetur. [k] Si autem hinc inter vos contentiones et murmurationes orinntur, [l] cum queritur aliquis deterius se accepisse quam prius habuerat, [m] et indignum se esse [n] qui ita vestiatur sicut alius frater ejus vestitur, hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiore

[a] *Ne pecuniam haberent in zonis suis.* Zonæ olim ita erant compositæ, ut in illis pecunia recondi posset, ut clarum est ex illo dicto Alexandri Severi apud Lampridium : « Miles non timet nisi vestitus, armatus, calciatus, et satur, et habens aliquid in zonula. » Oratione Gracchi apud Gellium, lib. XV, cap. 12 : « Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia vacuas retuli. » Et ex edicto Pescennii Nigri apud Spartianum : « Idem jussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent. » Hinc proverbium, *zonam perdere*, apud Horatium lib. II, ep. 2.

Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Dicitur de homine omni censu et pecunia exhausto. Unde et decoctores et similes qui non sunt solvendo zonam ponere coguntur.

[b] *Quid est perperam agere*, etc. Habetur apud S. Basilium interr. 49 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 73.

[c] *Quod non propter usus necessarios*, etc. Ad hunc locum S. Basilii respexit Suidas cum scripsit : Περπερεία ὁ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλοπισμὸν παραλαμβάνεται· ὃ καὶ ἡ βλακεία καὶ προπέτεια. Id est, « id quod non propter necessitatem, sed propter ornatum assumitur. Quod et mollities, et præcipitatio, et temeritas. » Et apud eumdem et Hesychium : Πέρπερος ὁ μετὰ βλακείας ἐπῃρμενος, κ. τ. λ., id est, « perperam agens, qui cum mollitie inflatus est, ut loquax, præceps, nihil cum ratione agens. » Apud auctorem veteris Etymologici : Πέρπερος, φλύαρος, id est, nugator; et ibidem : Ὅθεν καὶ περπερεύεται ἀντὶ τοῦ ματαιοῦται, ἀτακτεῖ, κατεπαίρεται μετὰ βλακείας. Id est, « Inde et perperam agit, pro eo, qui frustra aliquid et petulanter agit, qui cum mollitie extollitur. »

[d] Interr. 210, et cap. 73 Rufini.

[e] Interr. 50 Regulæ brev. et Rufini cap. 73.

[f] Vide supra cap. 72, § 22.

[g] *Vestes vestras*, etc. Hæc videre est in Regula S. Augustini excusa, cap. 26, et in ejusdem epist. 109.

[h] *In uno habete.* Ita in cod. ms. Corb.; in Regula excusa, *in unum habeatis.* In epistola, *in uno loco habete*, recte, ut in fine capituli hujus.

[i] *Non ad vos pertineat.* Id est, ne solliciti sitis.

[j] *Quid vobis induendum.* Ita in cod. Corb. et in epist. Recte. At in Regula excusa, *quod vobis indumentum.*

[k] *Si autem hinc inter vos*, etc. Hæc habentur in Regula S. Cæsarii, cap. 26, sed quodammodo immutata.

[l] *Cum queritur.* In epist., *et conqueritur.*

[m] *Indignum se esse.* Id est, vilem et abjectum haberi.

[n] *Qui ita vestiatur.* Ita in cod. Corb. et Vind. Addenda tamen particula *non*, ut in Regula excusa et in epistola.

habitu [a] sordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si sic vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod posueritis, in uno tamen loco sub [b] communibus habete quod ponitis.

§ X. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 14).

[c] Cultus vestium et indumentorum insignes monacho deponendi. Munitus enim debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet in monacho esse notabilis habitus, ita nec satis abjectus. Nam pretiosa vestis animam ad lasciviam protrahit, nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Vestimenta non erunt æqualiter distribuenda omnibus, sed cum discretione, ut cujusque ætas gradusque expostulat. Ita enim et apostolos fecisse legimus, sicut scriptum est : *Erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique, prout opus erat* (*Act.* IV). Uniuscujusque autem fratris [d] supplementum vel indigentia inspiciatur, ut qui habent contenti sint, et qui non habent accipiant. Porro linteo non oportet monachum indui ; [e] orarium, [f] birros, [g] planetas non est fas indui, neque illa indumenta vel calceamenta quæ cætera monasteria abutuntur. Tunis autem tunicis et binis pallijs, singulisque cucullis [h] contenti erunt, nihil præter hæc in habitu præsumentes. Pedules autem utentur, quandiu hiemis coegerit violentia, sive dum fratres gradiuntur in itinere, vel proficiscuntur ad urbem. Monachi autem in monasterio palliis semper operiantur, ut et pro honestate tecti semper incedant, et in ministerio operis expediti discurrant. Sane si forte quis pallium non habet, humeris mappulam superponat. Nullus monachorum vultus caram gerat, per quod lasciviæ et petulantiæ crimen incurrat. Non est enim mente castus, cujus aut corporis cultus, aut impudicus incessus. Nullus monachorum comam nutrire debet. Nam qui hoc imitantur, etsi ipsi hoc ad decipiendos homines per speciem simulationis non faciant, alios tamen scandalizant ponentes offendiculum infirmis, et sanctum propositum usque ad blasphemiam producentes. [i] Tondere ergo debent isti, et omnes, imo simul, ac pariter omnes. Nam reprehensibile est diversum habere cultum, ubi non est diversum propositum.

[a] *Cordis.* In Regula ms. cod Corb. additur, *ornatus.* Recte, ut sensus sit ; Hinc probate quantum vobis desit ornatus in illo interiore habitu cordis, etsi hoc vocabulum desideretur in Regula excusa et in epistola.

[b] *Communibus.* Adde, *custodibus*, ut in Regula excusa, epist. et cod. Corb. in Regula S. Cæsarii legitur, *sub communi custode.*

[c] *Cultus vestium, etc.* Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 12.

[d] *Supplementum.* Id est, abundantia.

[e] *Orarium.* Orarium prohibet monachis S. Isidorus, juxta decretum concilii Aurelianensis primi, can. 22 : « Monachum orarium in monasterio vel tzangas habere non liceat. » Orarium duo significat, primo est linteum seu textile oblongum ad mucosem excipiendum, aut sudorem ex facie tergendum. Glossæ Basilicorum : Ὀδονάρια, καὶ ὀδονία ὑφάσματα ἐπιμήκη, καὶ ὠράρια παρά τισιν λέγεται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι, ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον. Id est, « odonaria et odonia textilia oblonga, quæ et oraria a quibusdam dicuntur. Hæc in palatium intrantes senatores ferentes in his mungebantur et spuebant. » De quo et Suidas, atque auctor veteris Etymologici in voce φώσσων· ἢ προσώπου τι ἐκμαγεῖον· λέγεται δὲ οὕτω καὶ ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται ὠράριον, id est, « vel faciei sudarium seu tersorium. Dicitur autem sic, et quod apud Romanos appellatur orarium. « Hinc capiendæ Glossæ Isidori : *Manuale, orarium.* Ad cujus similitudinem secundo orarium appellatur textile illud oblongum sericum pretiosum quo ex antiquo Ecclesiæ usu utuntur pontifices, presbyteri et diaconi, quod postea stola dictum est, de quo Papias et Alcuinus de Offic. Eccl., cap. 39 ; concilium Toletanum IV, can. 27 ; concilium Laodicenum, can. 22 : Ὅτι οὐ δεῖ ὑπαρχειν ὠράριον φορεῖν. Id est, « Quod non oportet subdiaconum orarium ferre, » et Liturgia S. Chrysostomi, καὶ τὸ ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ. id est, « et orarium osculatus imponit illud humero sinistro. » Ibi autem agitur de diacono. Putat Theodorus Balsamon in citatum canonem concilii Laodiceni orarium dici a verbo ὠρῶ, id est, custodio, quod diaconus observare debeat quando fit prolatio petitionis catechumenorum. Sed vocabulum Latinum est, ut volunt Suidas et auctor veteris Etymologici, et ab ore tergendo dictum, quia ad hunc usum orarium primo inventum est. Locus autem Isidori de orario in secunda significatione intelligendus est.

[f] *Birros.* Birrus plura significat. Primo est color rufus seu flavus. Glossæ veteres : βυρρὸν, ξανθὸν, καὶ πυρρὸν, id est, byrrum, flavum, et rufum. Festus : « Burrum antiqui quod nunc dicimus rufum. » Scholiastes vetus Juvenalis in sat. 3 : « Quod Græci coccum, Latini teres [*Lege*, veteres] birrum appellant. » Glossæ Isidori, *Birrus, rufus.* 2. vestimentum. Suidas, βιρρὸν ἱμάτιον Ῥωμαικὸν, id est, « Birrum vestimentum Romanum, » illudque erat crassum. Papias : « Birrus a Græco fit, vestis, amphiballus villosus, » eoque utebantur Romani instar pœnulæ et lacernæ. Aliquando servi usi sunt. Codicis Theodosiani lib. XIV, t. *Sine exceptione*, tit. 10, *de habitu quo uti oportet intra urbem.* « Servos sane omnium (quorum tamen dominos sollicitudine constat militiæ non teneri) aut birris uti permittimus, aut cucullis. » Hoc autem loco S. Isidori birrus est vestis pretiosa ac proinde monachis prohibitus. Cassianus de habitu monachi lib. I, cap. 7 : « Atque ita planeticarum atque birrorum pretia simul ambitionemque declinant. » Eratque episcoporum. S. Augustinus, serm. 2, de Vita clericorum : « Offeratur mihi verbi gratia birrum pretiosum, forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum. » Palladius, cap. 55, de S. Athanasio fugiente : λαβὼν ἑαυτοῦ τὸ στιχάριον, καὶ τὸ βίρριον, κ. τ. λ, id est, cum accepisset suam tunicellam et birrum. S. Gregorius Turonensis lib. II Hist. cap. 1, de S. Bricio episcopo : Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo prunas ardentes in birrum suum posuit. »

[g] *Planetas.* Cassianus loco citato appellat *planeticas.* Planetæ sunt vestes pretiosæ, de quibus S. Isidorus libr. XIX. Orig., 24 : « Sic et Græce planetas dictas, quia oris errantibus evaganter. » Idem docet Papias, in Vocabulario.

[h] *Contenti erunt.* In Regula excusa additur : *Servi Christi, quibus adjicietur melotes pellicea, mappula, manicæ quoque, pedules, et caligæ.*

[i] *Tondere ergo debent isti et omnes.* Olim monachis totum caput tondebatur, ut videre est in Theoria S. Germani episcopi Constantinopolitani, ubi agit de monachis : Τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κάραν ὁλοτελῶς, κ. τ. λ. Id est, « tonderi vero caput ex toto. » Cum facti sunt clerici, in modum coronæ attonsi fuere. Unde S. Fructuosus pontifex Bracarensis, cap. 16

§ XI. — *Item* (*cap.* 15).

[a] Speciosam vel variam supellectilem monacho habere non licet : cujus stratus erit historia et stragulum, [b] pellesque lanatæ, [c] galnabis quoque geminusque ad caput pulvillus. Per singulas hebdomadas abbas sive præpositus lectulos cunctorum prospiciat, ne quid indigeat frater seu superfluum habeat.

§ XII. — *Item* (*cap.* 20).

[d] Qui vestiaria monasterii suscipit, [e] quique etiam fila diversa pro consuendis vestibus fratrum habebit, et quibuscunque, ut necesse est, ministrabit. Ad hunc quoque pertinebit aurum et argentum, cæteraque [f] facta infectaque æris ferrique metalla : ordinatio quoque linteariorum, fullonum, [g] cerariorum, atque sartorum.

§ XIII. — Ex Doctrina sancti Orsiesii.

[h] Nolite, obsecro vos, oblivisci semel arrepti propositi, et traditiones [i] Patris nostri scalas putemus ad cœlorum regna tendentes. Ne desideretis quæ ante calcastis. Sufficit nobis habere quod homini satis, [j] duo levitonaria, et aliud attritum, et [k] palliolum lineum, [l] duos cultellos, zonam lineam, [m] gallicas, pellem, et virgam. Cui ministerium aliquod et dispensatio monasterii creditur, etsi ex ea lucrum faciat, scelus putetur et sacrilegium quidquam ex ea contingere, et in propriam vertere [n] requiem quasi despiciens eos qui non habent et felici paupertate sunt divites, ut non solum ipse perierit, sed et cæteros provocet ad pereundum. Et illi quidem qui incurvaverunt cervicem suam, et cum omni humilitate et afflictione lugentes, atque plangentes inpræsentiarum placuerunt Deo, cum de corpusculo isto exierint *ducentur*, et accumbent cum sanctis Patribus omnibus.

§ XIV. — Ex Regula sancti Ferreoli episcopi (*cap.* 31).

Ut monachus, quamlibet delicati corporis, linea ad nuda corporis non utatur, quia incongruum est ut caro, quæ semper vitio naturæ superbit, mollibus foveatur indumentis, et ei quasi minus validæ blandiatur, quæ quotidie ad expugnationem animæ novus quidam præliator et fortissimus commovetur. Etenim toties reparat vires contra animam bellatura, quoties aliquid *velut* rebelle mancipium remissionis acceperit.

Regulæ : « Coronam capitis quam gestabat amittat. » Postea Græci monachi affonsi sunt in modum crucis, ut liquet ex Græcorum Euchologio, ubi in sequentia Novitii, parvi et magni schematis hæc verba ter habentur : ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς, id est, « sacerdos tondet eum in formam crucis. » Qui vero inter nos choro deputati sunt, toto capite tondentur, excepto inferiori capillorum circulo, juxta antiquam formam clericorum, quæ statuitur in concilio Toletano IV, can. 46, et in concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, cap. 1, ex S. Isidoro libr. II de Offic. Eccl., cap. 4, quæ etiam videtur apud S. Gregorium Turonensem in Vitis Patrum, cap. 57 : « Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, capillis nudum quidem servabatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam clerici esse signatam. » Pontifices Græci medium duntaxat caput attondebant, ut docet S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in mystica Theoria : Τὸ δὲ ξύρισμα τῆς κεφαλῆς τοῦ ἱέρεως, καὶ τὸ γυροειδὲς αὐτοῦ τμῆμα τὸ μέσον τῶν τριχῶν, id est, « tonsura capitis pontificis, et rotunda ipsius sectio media capillorum. » De tonsura vide Bedam, lib. V. Hist. Angl. cap. 22.

[a] *Speciosam vel variam supellectilem.* Hæc videre est in Regula excusa S. Isidori, cap. 15.

[b] *Pellesque lanatæ duæ.* In Regula S. Fructuosi archiepiscopi : *duabus lanatis pellibus arietum.*

[c] *Galnabis.* Lege, ut in Concordia ms. Vindocinensi, *galbanis.* In Regula S. Fructuosi episcopi Concordiæ Floriacensis legitur *calbanemque villatam*, *c* pro *g*, ut alibi occurrit in eodem cod., *castrimargia* pro *gastrimargia.* Galnabis ergo seu potius galbanis est læna, stragulum villosum. Ita Smaragdus, apud quem tamen male legitur, *galnapem*, ut apud Isidorum libr. XIX. Orig., cap. 26, *galnapes.* Hinc galbanatus galbane involutus apud Martialem lib. III, epigr. 40 :

Jacet occupato galbanatus in lecto.

Apud Papiam : « Galbana genera vestium a galbaneo colore, qui est sublucidus et subalbus cum pallore. » Hinc capiendus Juvenalis sat. 2 :

Cærulea indutus scutulata et galbina rasa,

a galbus. Glossæ veteres : *Galvus* χλωρὸς, pro *galbus* (nam in ejusmodi glossis sæpe scribitur *v* pro *b*), id est, pallidus, non viridis. Nam χλωρὸς est etiam pallidus, ut manifestum est ex Hesychio : χλωρὸς, ὠχρὸς, id est, pallidus, et paulo ante, χλωρὸν δέος· τὸ χλωροποιὸν, κ. τ. λ., id est, pallidus timor pallidum efficiens : ita sane explicandus hic locus, cum timor viridem hominem non efficiat. Galbana ergo sunt vestimenta subalba cum pallore in citato Juvenalis loco ; estque substantivum, non adjectivum. Nec legendum *galbina*, nec *galbanatus* in loco Martialis, sed retinenda utrobique antiqua lectio. Quamvis in vetere scholiaste Juvenalis legatur *galbina.*

[d] *Qui vestiaria monasterii.* Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori eodem cap., sed aliter leguntur : *Iste a vestiariis* |*monasterii suscipiet acus, etiam et fila diversa pro consuendis vestibus fraternis habebit.* Intelligiturque custos sacrarii, ut clarum est ex eadem Regula excusa, quæ tamen ibi videtur corrupta, et ex hoc codice emendanda.

[e] *Quique etiam fila.* Lege, *acus etiam et fila.*

[f] *Facta infectaque æris.* In Regula excusa, *fractaque æris.*

[g] *Cerariorum.* In Regula excusa legitur : *calciariorum*, rectius.

[h] *Nolite, obsecro vos*, etc. Hæc habentur in Regulis S. Orsiesii circa medium, tom. IV Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis.

[i] *Patris nostri.* Id est, Pachomii.

[j] *Duo levitonaria, et aliud attritum.* S. Pachomius supra hoc capite citatus : *Levitonariis duobus et uno attrito ex usu.*

[k] *Palliolum lineum.* Quod supra in Regula S. Pachomii dicitur sabanum.

[l] *Duos cultellos.* Quorsum duo cultelli monachis conceduntur, cum unus sufficiat? sed lege, ut in libro edito Orsiesii : *duos cucullos*, quos etiam concedit suis monachis S. Pachomius supra hoc capite.

[m] *Gallicas, pellem.* In libro edito S. Orsiesii male legitur : *Gallicam pellem* ; quid sint Gallicæ, supra explicatum est. Pellis est melotes, quæ olim erat usui monachis Ægypti, ut notat Cassianus lib. I de habitu monachi, cap. 8 : « Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes et pera appellatur. »

[n] *Requiem.* Id est, utilitatem, commoditatem, refocillationem.

§ XV. — *Item ejusdem* (*cap.* 14).

[a] Vestimenta supersufficientia monachus non requirat, quia non amplius quam ad quotidianum usum abbas necessarium viderit, consequatur, dicente Domino ad discipulos : *Neque duas tunicas habeatis* (*Luc.* VII), quas duas tunicas intelligere debemus non numero, sed propter hiemes necessarias, [b] et supra usum, si reservatæ fuerint, computari. Super ergo si quid fuerit, putabitur alienum : dum quid [c] possessor avarus includit, magis utitur arca quam dominus. Quod ut vitetur, maximus nobis beatus Apostolus testis assurgit qui dicit : [d] *Habentes victum et vestitum his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, et inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas, quam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus et confessus bonam confessionem coram multis testibus, præcipio tibi coram Deo,* • *qui vivificat omnia, et Christo Jesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi* (*I Tim.* VI). Studete ergo, fratres, ut quod ad unum hominem, id est ad Timotheum, scribitur, ad unam congregationem servetur.

§ XVI. — *Item ejusdem* (*cap.* 32)

Vestimentorum fragrantiam vel nimium propter elationem nitorem monachus non studeat habere, sed sequens melius Apostolum dicentem : *Bonus odor sumus Christi Jesu* (*II Cor.* II). Colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem sæpe species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet ac habere non ambiat : ne et jactantiæ suæ secum testimonium ferat, et (quod absit) dum corpus vestimentis cito consumendis adornare temporaliter elaborat, de animæ suæ, quæ æterna esse poterant, ornamentis non curet. Etenim ista facientes taliter Scriptura castigat : *In amictu vestimentorum ne glorieris, et in die gloriæ noli extolli* (*Eccl.* XI). De calceamentis vero reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem monachorum. Sed et hoc curandum est, ne pes ita sit ligamentis [f] temperatius vinculatus, [g] ut non jactantiæ signum multos astrictus habeat, sed sanctius vinculo laxiori follescat, ut in omnibus simplicitas commendet Deo, quem ejus amore possessum, probatum sæculi viderit contemptorem.

§ XVII. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 4).

[h] Vestimenta non multa nec superflua sint. Duabus tantum cucullis, [i] villata, et [j] simplici, et uno palliolo, [k] ternisque tunicis, et [l] staminiis duabus

[a] *Vestimenta*, etc. Hunc locum ita contractum profert Smaragdus : « Vestimenta superflua monachi non requirant. »

[b] *Et supra usum, si reservatæ fuerint, computari.* Ita hunc locum emendavi ex Smaragdo.

[c] *Possessor avarus.* Apud Smaragdum, *possessor alienus*, non ita recte.

[d] *Habentes victum et vestitum.* In textu Græco, σκεπάσματα, id est, operimenta ; et ita legendum contendit Cassianus lib. I de Habitu monachi, cap. 3 : « *Habentes autem alimenta et operimenta. Operimenta*, inquit, non *vestimenta*, ut in quibusdam Latinis exemplaribus non proprie continetur : quæ corpus operiant tantum, non quæ amictus gloria blandiantur. »

[e] *Qui vivificat omnia.* Ita in textu Græco, τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα. In versione communi, *qui justificat omnia.*

[f] *Temperatius.* Id est, elegantius, cultius.

[g] *Ut non in jactantiæ signum multos astrictus habeat.* Diximus supra in caligis multas fuisse ligulas seu corrigias, quod etiam ex hoc loco S. Ferreoli confirmatur : qui tamen hanc corrigiarum multiplicitatem improbat tanquam jactantiæ signum, quod proprium erat laicorum, qui cultum in calceamentis quærebant, non vero monachorum, qui simplicitatem quærentes paucas ligulas adhibebant, ita ut laxior caliga follicaret. Quem simplicem cultum suis monachis præcipit S. Ferreolus. At contra damnat S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis : « Apud quos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior. » Sed ibi arguit quosdam pseudo-monachos, qui follicationem, hoc est, laxitatem caligarum, plusquam par erat, affectabant, ut inde aliquam sanctimoniæ famam sibi conciliarent, et mulierculas affectata cultus simplicitate deciperent. Et ita uterque sanctus conciliatur, cum alter follicationem calceamenti commendat, alter vero reprobat.

[h] *Vestimenta*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi Bracarensis archiepiscopi cod. Crass. eodem capite.

[i] *Villata.* In hieme, id est, villosa.

[j] *Simplici.* In æstate, id est, pura et tenui.

[k] *Ternisque tunicis.* Sumpsit ex Regula S. Isidori supra.

[l] *Staminiis.* Ex his patet quam sit antiquus staminearum usus in monasteriis. Staminæ sunt camisiæ seu interulæ laneæ, quibus utebantur monachi pro lineis sibi interdictis, de quibus Magister cap. 80 Regulæ : « Habere debent fratres in hieme paratam grossam, staminiam et tunicam aliam nocturnam. » S. Ardo in Vita S. Benedicti abbatis Indensis : « Concessit etiam necessitatis causa, præter quam regula jubet, duas scilicet stamineas et femoralia. » Guillelmus Gemmeticensis lib. III Hist., cap. 8 : « Verumtamen cucullam et staminiam ab eo extorquens secum asportavit; » et cap. 12 ejusdem libri. Sigebertus in Chron. agens de exordio ordinis Cisterciensis : « Rejicientes quidquid Regulæ refragatur, foricas videlicet pelliceas, estamina (*Lege*, et stamineas), caputia quoque et femoralia. » Et de his intelligendus est Arnoldus lib. II de S. Emmerano : « Lineis camisiis utebantur seniores, qui habere poterant, cæteri laneis induebantur ob penuriam scilicet cilicinarum vestium. » Et add. I Capitul. Lud., tit. 22 : « Alioquin hæc omnino provideat et camisias duas, et tunicas duas; » nam locus intelligendus de laneis camisiis, seu staminiis. Camisia autem est interula, in qua dormire solent, a camis, id est, lectis appellata. S. Isidorus libr. XIX, cap. 22 : « Camisias vocamus, quod in his dormimus in camis, id est, stratis. » Hinc castigandæ Glossæ Basilicorum, Καμίσιον ὁ ἐπὶ καμάτων χιτών, lege, ὁ ἐπὶ καμῶν, id est, « Camisia tunica est qua in lectis utimur. » Quod cama lectus sit, præter S. Isidorum docent glossæ Arabico-Latinæ : *Camis, id est, lectis.* Papias ait esse lectum brevem : *Cama lectus brevis.*

cujusque necessitatis querimonia sufficienda est. In ipsis quoque calciariis hoc videndum est, ut hieme pedules calcient, qui voluerint a die Kalendarum Novembrium ad Kalendas Maias. Reliquis æstivis mensibus caligarum tantum solatiis muniendi sunt. Femoralium usus cuiquam permittendus est, [a] maxime his qui ministerio implicantur altaris. [b] Sed hoc qui studere noluerit, reprehendendus non erit, [c] cum nunc usque constet pleraque hunc usum monasteria etiam [d] in his regionibus non habere. In stramentis competens adhibenda est disciplina, nec amplius quidquam ab aliquo requirendum est, quam unum stragulum [e] calbanemque, villatam [f] mattulam, et duas lanatas pelles arietum. Quidquid in veste vel cultu est monachorum, non peculiariter apud unumquemque habendum est, sed [g] sub manu unius fratris spiritalis in una cella recondendum est: quique, cum necessitas poposcerit, petenti cuique congrua staturæ mutatoria tribuet. Unde et studere idem custos debet, ut summam in his vestibus deligendis habeat solertiam, et cuique, ut dictum est, apta distribuat. Nec quisquam hoc murmurare præsumat, cum sibi distributa aliorum conspicit indumenta vestiri. Subulæ sane, acus et fila diversa pro consuendis, [h] emendandis, sarciendis vestibus ipsi tribuenda sunt ab abbate; et cum necessitas poposcerit, lavandi atque emendandi habeat potestatem. Quidquid in vestimentis, calciamentis vel [i] lectariis monachorum vetustum fuit, dum nova percipiunt, totum ab abbate detur pauperibus.

§ XVIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 18).

Lectula singulorum abbas et præpositus bis in hebdomada revolvant et perscrutentur, ut videant ne quis superfluum aliquid illic vel occultum habeat.

§ XIX. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 43).

[j] Si quid vero superfuerit expensis aut usibus fratrum in auro aut vestibus, vel cellario, sanctus abbas per manus [k] provisoris, aut per quamlibet fidelem personam pauperibus, peregrinis aut captivis faciat dispensari.

§ XX. — *Item* (*cap.* 44).

[l] Vestimenta etiam, cum nova accipiunt, vetera abbati refundant, [m] incipientibus aut pauperibus eroganda.

§ XXI. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 50).

[n] Primum de habitu monachorum donante Deo sumimus exordium. Oportet ergo primum ut talis sit vestis monachi, quæ corpus contegens tantum verecundiam nuditatis repellat, et frigoris retundat injuriam, non quæ occasionem vanitatis nutriat; quæ ita vilis sit, ut nulla coloris vel compositionis novitate inter cæteros fratres spiritales habeatur insignis: et ita ab studiosis superfluisque accurationibus aliena, ut nullus iterum per incuriam collectis aut affectatis sordibus sit deformis. Postremo sic ista vestis ab hujus mundi separetur ornatu, ut in omnium servorum Dei cultum communis sit. Nam quidquid inter famulos Dei non ab omnibus tenetur, sed ab uno vel paucis præsumitur, aut superfluum aut elatum est, et propter hoc noxium judicandum est, quod magis vero non virtutis speciem, sed vanitatis ostendit. Quamobrem [o] cilicinam quoque vestem vel circumspectam omnibus atque notabilem Patres nostri omnimodis refutaverunt, quia non solum nulla spiritui emolumenta confert, sed etiam elationis concipit vanitatem, et quæ ad necessarii operis exercitium quasi inhabilis pigrum semper impeditumque monachum reddat. Quod si aliquos hac veste aut quibusdam damnosis cultibus usos fuisse aut audivimus aut vidimus, non ideo antiqua Patrum decreta sunt relinquenda, quia generali omnium constitutioni paucorum non debet præponi nec præjudicare sententia. Illas enim regulas indubitanter et indiscusse per omnia servare debemus, quas non paucorum voluntas intulit, sed quas antiquitas, tantorum temporum et numerus sanctorum concordi institutione definivit. Oportet quoque monachum, quasi militem Christi in apparatione pugnæ semper positum cingulum habentem accinctis lumbis die noctuque jugiter permanere, sicut Eliam, Eliseum, Joannem quoque et Paulum legimus zonis semper fuisse accinctos: [p] quia lumborum accinctio castitatis indicat continentiam, quæ nihil resolutum in se habere permittitur.

[a] *Maxime his qui ministerio implicantur altaris.* Juxta id quod præcipitur Exodi XXVIII.

[b] *Sed hoc qui noluerit studere.* Id est: *Sed et hoc qui noluerit observare.*

[c] *Cum nunc usque constet pleraque monasteria.* Quæ tunc erant ordinis S. Benedicti in Hispania.

[d] *In his regionibus.* Hispanicis.

[e] *Calbanemque.* Lege, *galbanemque.*

[f] *Mattulam.* Id est, parvam mattam.

[g] *Sub manu unius fratris spiritalis.* Juxta Regulas SS. Augustini et Cæsarii supra.

[h] *Emendandis.* Apud Smaragdum, tantum, *dandis*, male.

[i] *Lectariis.* Apud Smaragdum, electariis, male. Lege, *lectuariis.*

[j] *Si quid vero superfuerit expensis aut usibus.* Apud Smaragdum: *Si quid superfuerit ex usibus.* Lege: *Si quid superfuerit ex impensis aut usibus.*

[k] *Provisoris.* Sæpius in Regula S. Cæsarii, unde suam sumpsit S. Aurelianus, mentio fit provisoris. Ille erat qui necessaria emebat, inferebat, exportabat, lites et cætera negotia procurabat.

[l] *Vestimenta etiam*, etc. Hæc sumpta sunt ex Regula S. Cæsarii, cap. 41: « Indumenta vero ipsa, cum nova accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, abbatissa refundat pauperibus, aut incipientibus vel junioribus dispensanda. » Sed lege: *abbatissæ refundant.*

[m] *Incipientibus.* Hæc vox non exstat apud Smaragdum, sed restituenda ex his locis SS. Aureliani et Cæsarii. Incipientes sunt novitii, quos Græci ἀρχαρίους vocant, id est, incipientes, ab ἀρχή, id est, initium. De qua voce infra.

[n] *Primum de habitu*, etc. Hæc sumpta sunt ex libr. I, cap. 3, de habitu monachi.

[o] *Cilicinam quoque vestem*, etc. Idem censet S. Epiphanius in Synopsi.

[p] *Quia lumborum accinctio castitatis indicat continentiam.* S. Augustinus, serm. 39, de verbis Domini: « Ad continentiam pertinet *sint lumbi vestri*

§ XXII. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 19).

Observandum est etiam ne interioris animæ sordes contrahat vestis mundæ nimius appetitus. Quapropter secundum præpositi sunt ordinationem lavandæ. Quæ tam simplici erunt et nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiæ vitium; et ita sunt indigentibus tribuendæ, ne [a] per vitium avaritiæ reservatæ, providendi singulis detur audacia. Si quis vero his negligenter [b] expetenda putaverit, præpositi sit cura, ut [c] interversor rerum monasterialium corrigatur. Ante omnia procurantes, [d] ut lites nullas habeatis. Si autem diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione sanentur : et inde proferantur remedia, unde facta sunt vulnera : *nec occidat sol super iracundiam vestram.* Consuetudinem jurandi abjicite. *Sit sermo vester, est, est; non, non;* quia sicut Dominus ait : *Quod his abundantius est, a malo est* (*Matth.* v).

§ XXIII. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 67).

[e] Levitonarium, et quidquid in veste est, monachorum nemo lavet, [f] [nisi] die Dominica, [g] præter nautas et [h] pristinarios

§ XXIV. — *Item ejusdem* (*cap.* 68).

[i] **Non vadant ad lavandum, nisi omnibus signum unum insonuerit : sequenturque præpositum suum, et lavabunt taciti cum disciplina.**

accincti. » Diana virgo dicitur a Pindaro βαθύζωνος, id est, alte cincta. Olim virgines zona cingebantur, quam solvebant in nuptiis virginitatem amissuræ, docet scholiastes Callimachi in hymnum ad Dianam. Hinc lascivi discincti appellati Persius, sat. 2 :

Non pudet in morem discincti vivere Nattæ.

Discinctus Mæcenas a Seneca dicitur epist. 114 : « Non oratio ejus æque soluta est, quam ille discinctus. » Et Cæsar, quod laxiori veste delicate uteretur, a Sylla per jocum *male cinctus* appellatus est, apud Dionem, libr. XLIII.

[a] *Per vitium.* Adjeci particulam *per*, quæ desideratur.

[b] *Expetenda.* Lege, *utendum.*

[c] *Interversor.* Id est, *dissipator.*

[d] *Ut nullas lites habeatis*, etc. Hæc sumpta sunt ex Regula S. Augustini, cap. 37; habentur etiam in Regula S. Cæsarii Arelatensis, cap. 31.

[e] *Levitonarium*, etc. Hic articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa.

[f] *Nisi.* Hæc particula videtur redundare.

[g] *Præter nautas.* Nautæ erant in monasterio S. Pachomii, quia situm erat in Tabenna, insula Nili, de quibus vide articulum 65 ejusdem Regulæ.

[h] *Pristinarios.* Lege, *pistrinarios*, a pistrino, de quibus vide art. 65 ejusdem Regulæ. Permittitur autem nautis et pistrinariis die Dominico lavare vestes, quod aliis diebus non vacaret.

[i] *Non vadant*, etc. Hic quoque articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa. In qua tamen sunt constitutiones de privata vestimentorum lautione, nempe art. 37 et 77. Hic autem de lautione communi intelligitur, cum fratres exeunt ad lautionem vestimentorum una cum suis præpositis.

[j] *Nemo lavet*, etc. Neque hic articulus exstat in Regula excusa S. Pachomii.

[k] *Commonebit præpositum suum.* Hoc est, præpositum domus suæ, cum videlicet postea seorsim ab aliis lavare vestimentum suum cupiet, sicut statuitur art. 37 de eo qui vult lavare vestimentum suum :

§ XXV. — *Item* (*cap.* 69).

[j] Nemo lavet retractis in altum plusquam statutum est vestibus, cumque laverint, omnes pariter revertentur. Si quis remanserit eo tempore quo ibunt ad lavandum, vel in præsenti non fuerit, [k] commonebit præpositum suum, et ille mittet cum eo alterum : et sic loto vestimento [l] revertentur domum.

§ XXVI. — *Item* (*cap.* 95).

Nemo lavare alterum poterit aut ungere, nisi ei fuerit imperatum.

§ XXVII. — Ex Regula Stephani (*cap.* 18).

[m] Vestimenta vel lectuaria nullus lavare audeat [n] absque oratione præmissa [o] prioris.

§ XXVIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 81).

[p] Habere debent fratres in hieme [q] paraturam grossam quotidianam stamineam et tunicam aliam nocturnam, quam post nocturnos [r] puduclent, quia in die diversis occupantur laboribus. [s] Habeant enim in hieme et pallium stamineum, braccas lineas, et [t] fasciolas aut pedules. In æstate vero habeant [u] paraturam linostimam non satis grossam propter laborem : et habeant pallios linostimos [v] subtiles non satis propter æstus sudoris, et braccas lineas, et [x] fasciolas lineas vero uti Dei homines prohibemur, ut aliquid distet a clerico monachus. Et habeant singulas paraturas linostimas subtiliores, quas

« Si quis voluerit lavare vestimentum suum, commonebit præpositum suum, et ille mittet cum eo alium, et, lota veste, revertentur domum. »

[l] *Revertentur domum.* Ita loquitur, quia lavabant extra domos suas, non extra monasterium.

[m] *Vestimenta*, etc. Exstat in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor., cap. 29.

[n] *Absque oratione præmissa.* Juxta antiquam morem, de quo supra.

[o] *Prioris.* Id est, abbatis. Nam sæpe in hac Regula prior usurpatur pro Patre seu principe monasterii; de quo vocabulo supra.

[p] *Habere debent fratres*, etc. In Regula Magistri hoc caput est 81.

[q] *Paraturam.* Paratura et vestimentum, ornatus. Sangallensis in Vita Caroli Magni : « Erat antiquorum ornatus vel paratura, » etc. Tertullianus de Pallio, cap. 3 : « Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinæ prosecuta primum tegendo homini, qua necessitas præcessit, dehinc et ornando, imo et inflando, qua ambitio successit, indumentorum formas promulgavere. »

[r] *Puduclent.* Ita in Regula ms. cod. Corb.; *puduclo* hoc loco videtur idem esse quod *exuo.*

[s] *Habeant enim.* Particula *enim* hoc loco est *vero*, quemadmodum particula *nam*, ut sæpe occurrit in hac Magistri Regula.

[t] *Fasciolas aut pedules.* Particula *aut* expositilie sumitur, nam hoc loco fasciolæ et pedules idem sunt. Nec nos moratur quod in add. 1 Capitul. Ludovici imp., tit. 22, fasciolæ distinguantur a pedulibus, nam ibi fasciolæ sunt crurales fasciæ, non pedules.

[u] *Paraturam linostimam.* S. Isidorus lib. XIX Orig., cap. 22 : « Linostima vestis est ex lana linoque contexta : et linestima, quia in stamine linum, in trama lanam habet. »

[v] *Subtiles non satis.* Ita in Regula ms., sed videtur addendum τὸ *grossos*, nam paulo ante dixit, *non satis grossam.*

[x] *Et Fasciolas.* Τὸ *et* expungendum, et leg. *fasciolas vero lineas.*

in diebus festis solum [a] in processionibus utantur. Et in æstate habeant singula [b] mannariora linea propter sudores, et singula facitergia per decadam. Quas omnes res per singulas decadas singulæ arcæ contineant, tenentibus ex eis clavem præpositis suis, [c] quæ positæ sunt : de cujus cellæ custode jam [d] supra diximus. Ideo enim diximus in una arca unius decadæ sub clave præpositorum omnes [e] mutandas consistere, [f] ut cum unusquisque frater in potestate peculiare aliquid abscondat, quem ordinem omnes decadæ observant. Si quis vero frater [g] in specie sua sibi visus fuerit [h] scemari, vel satis gavisci, mox a præpositis suis ei tollatur et alio detur, et alteritis illi. Hoc ideo ut non extollatur propria in fratre voluntas, quia quidquid ejus anima petit ei magis dari non debet, quia contra desideria carnis spiritus sentit. Ideo spiritalis homo Dei est, non carnalis. Hebdomadariis coquinam intrantibus [i] sacci sunt tonicæ et [j] cucullæ segestræ. Quæ tales res, maxime intra monasterium, sine verecundia [k] omne sordicium injuriamque simul [l] caccavorum, [m] cucumæ et [n] hiemarum, nec non et foci calorem vel coquinæ sordes diversas sustineant. Quæ ergo res expleta hebdomada ultimo die sero lotæ hebdomadariis aliis intrantibus consignantur. De calcearils vero, oportet fratres caligas habere [o] ferratas [p] viclinas non ad lusum, sed ad usum, quas debent tempore hiemis uti, æstatis vero tempore unctas reponi. Et [q] caligas omnes oportet habere [r] clavatas tam in monasterio quam in via, ut diu repositæ caligæ conserventur.

[a] *In processionibus.* Id est, quando conveniunt et procedunt in ecclesiam officii divini celebrandi causa. Ita sumitur *processio* a Sidonio lib. v, epist. 17 : « Conveneramus ad S. Justi sepulcrum, sed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adesses. Processio fuerat anteluceana, solemnitas anniversaria. » et S. Gregorio lib. I Dial., c. 10 : « Processionem vero imperaret verecundia. Nempe ad dedicationem oratorii S. Sebastiani, ut ibi habetur. Sic *procedere* apud Tertullianum est infirmum visitare, et ecclesiam adire lib. II de Cultu feminarum : « Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica ; aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut sermo Dei administratur. » Et lib. II ad Uxorem : « Si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obveniat. » Id est, si conveniendum est in ecclesiam. Idem patet ex S. Gregorio lib. II Dial., cap. 10 : « Ad dedicationem prædicti oratorii fuerat processura ; » et paulo post : « Ad dedicationem oratorii processit. »

[b] *Mannariora.* In Reg. ms. cod. Corb., *Mannariola*; lege *Manuariola*. Manuariolum est sudarium, mappula, alias manuale. Græce, ἐγχείριον.

[c] *Quæ positæ sunt.* Hic locus mutilus est, sed ex Regula ms. ita suæ integritati restituendus : « Quæ arcæ in vestario [*Lege*, vestiario] ponantur, ubi ferramenta monasterii, et omnes positæ sint, » nempe arcæ.

[d] *Supra diximus.* Cap. 17 ejusdem Regulæ.

[e] *Mutandas.* Mutandæ sunt mutatoria S. Fructuoso episcopo : vestimenta et similia, quæ reponuntur ad mutandum.

[f] *Ut cum unusquisque frater*, etc. Locus mancus est, et ita ex Regula ms. legendus : *Ut cum unusquisque frater in potestate arcam non habuerit, non habeat ubi peculiare aliquid abscondat.*

[g] *In specie sua.* Species sunt vestimenta, ornamenta varia, supellex, ita hoc vocabulum sæpe usurpat S. Gregorius Turonensis in Hist. Franc.

[h] *Scemari.* Ita in Regula ms. scemare est sibi placere, quasi schemate, seu gesticulatione lætitiam præseferre, quod verbum explicare videtur Magister, cum addit, *vel gavisci*, id est gaudere. Scematio lib. II legis Longobardorum, tit. 15, l. 16, est corporis deliguratio : « Verumtamen non occidatur, sed ei scematio corporis fiat. » Et infra : « Non in occisione et scematione corporis. »

[i] *Sacci sint tonicæ.* Phrasis Græca, pro, *tunicæ sint ex sacco.* Sacci tunicæ, id est, cilicinæ. Saccus, Græce σάκκος, passim apud Septuaginta Interpretes est cilicium. In cod. Vind. legitur : *Sat sint tunicæ.* Male.

[j] *Cucullæ segestræ.* In cod. Vind., *cucullæ segestraæ*, satis recte. In Regula ms. Magistri, *cucullæ segestri*, lege, *ex segestri*. Segestre a segete est tegumentum. Varro lib. IV de Lingua Latina : « Nisi quod Græci dicunt λεκτρὸν lectum potius quam lecticam, quod involvebant, quod fere stramenta erant a segete segestria appellant, ut etiam nunc in castris : nisi a Græcis. Nam στέγαστρον, ubi lectus mortui fertur. » Idem lib. I de Vita populi Romani, apud Nonnium cap. 1 : « Quod frontem lecticæ struebant, ex ea herba torta torum appellatum, hoc quod injicitur, etiam *toral* dicitur. Lecticam quæ involvebant, *segestria* dicebant. » Meminit Lucilius lib. XV, apud eumdem Nonnium, cap. 14.

> Pæoula, si quæris, canterius, servus, segestre.
> Uulior mihi, quam sapiens.....

In glossis Isidori, *Segestre*, *teges*, Dicitur et *Segestrum*. Glossæ Benedicti : *Segestrum* στέγαστρον, id est pellis, seu operimentum pelliceum. Aliæ Glossæ, *Segestrum* τερμάδερμον, στέγαστρον, id est, pellis. Nam στέγαστρον Græcis pellis est, et tunica pellicea. Vide Julium Pollucem, lib. X, cap. 46. Cucullæ ergo segestratæ vel ex segestri sunt fere straminheæ vel pelliceæ.

[k] *Omne sordicium injuriamque.* Lege ut in Regula ms., *omnem sordium injuriam*.

[l] *Caccavorum.* Pro *cacaborum*, de quo vocabulo supra.

[m] *Cucumæ.* Cucuma est vas coquinarium, olla. S. Isidorus, lib. XX Orig., cap. 8 : « Cacabus et cucuma a sono fervoris cognominantur. Hæc in Græcis et Latinis communia. Sed utrum Latini a Græcis, an Græci a Latinis hæc vocabula sumpserunt, incertum est. » Cucuma Græce κουκούμιον.

[n] *Hiemarum.* In Regula ms., *geniarum*. Videtur legendum, *heminarum*.

[o] *Ferratas.* Propter glaciem.

[p] *Viclinas.* Ita in Regula ms. In cod. Vind., *biclinas*.

[q] *Caligas.* In Regula ms. legitur, *gallicas*, rectius. Nam sui jungit, *ut diu* (nempe toto æstatis tempore) *caligæ repositæ* (id est reconditæ) *conserventur*. Et Gallica aptior in æstate, quæ fere totum superiorem pedis partem nudam relinquat, ut supra observatum est.

[r] *Clavatas.* Clavis suffixas. Sic S. Equitius abbas utebatur caligis clavatis, ut notum est ex S. Gregorio papa, lib. I Dial., cap. 4 : « Tunc vir Dei clavatis calceatus caligis falcem fenariam in collo deferens veniebat. » Idque militum more, qui caligis calceabantur clavatis ad opera diversa, et ne pes in acie titubaret. Leo, constitutione VI, § 26, agens de calceis militaribus : Ἀναγκαῖον δὲ ὀλίγοις μικροῖς ἥλοις καθηλοῦσθαι αὐτά, id est, « Necessarium est ipsos paucis parvis clavis suffigi. » Hinc capiendus Juvenalis sat. 3 :

> ..... planta mox undique magna
> Calcor et in digito clavus mihi militis hæret.

Et sat. 16, si modo illius sit :

> ..... offendere tot caligatos
> Millia clavorum.

et pes fratris [a] in caliga refrigeretur. Ad nocturnos vero in æstate [b] ligneos cuspus putantur [c] pelliciis, ne inquinatis pedibus ad suum revertentes stratum lectorum sagos coinquinent. In hieme vero ad nocturnos [d] pedulibus utantur pelliciis propter frigus pedum. In lectis habeant in hieme singulas matertantque hi clavi præacuti, ut clarum est ex Plinio, lib. IX, cap. 18: « Squamis conspicui crebris et præacutis clavorum, caligarium effigie. »

[a] *In caliga.* Lege, ut in Regula ms., *In gallicla*, id est, gallicula, juxta præfatam rationem.

[b] *Ligneos cuspus putantur.* Lege, ut in Regula ms., *ligneos cuspos utantur.* Quid sit cuspus docent glossæ veteres; *Cuspus*, ξύλινον σανδάλιον, id est, ligneum sandalium.

[c] *Pelliciis.* Hoc vocabulum redundat, nec habetur in Regula ms.

[d] *Pedulibus utantur pelliciis.* Præter caligas quæ superponantur.

[e] *Sagos.* Ita in Regula ms. Recte: nam hoc vocabulum dicitur masculine et neutraliter. Nonnius, cap. 3: « Sagum generis neutri et plerumque masculini, » etc. Arrianus in Periplo maris Erythræi posuit masculine: σάγοι ἀρσενοστιχοι γεγραμμένοι, καὶ βεβάμμενοι, id est, sagi ad usum virorum arte fullonis præparati et tincti.

[f] *Rachinis.* In Regula ms., *rachœnis.* Rachina, ratas, et [e] sagos tumentatitios singulos, et lænas; in æstate vero pro lænis [f] rachinis propter æstus utantur? et ante ipsos lectos singulas pelles, ubi tergant a sordibus pedes, et sic in suos lectos ascendant.

cana, seu rachana cum aspiratione, et rachanella est stragulum, seu lectorum operimentum. Papias: *Rachina, strata lectorum.* Vita S. Joannis Eleemosynarii: « Justum est enim et bene acceptum Deo, ut tegantur centum potius quadraginta quatuor fratres et domini tui, quam tu infelix. Venumdantur enim quatuor rachanellæ numismate uno. » Et in eadem Vita: « Illic enim fieri fecerat, quasi tholos quosdam prolixos ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos, et simul cum storeis et racanis per totam hiemem. » Racana tamen seu racanella est simplex et tenuis propter hiemem, ut evidenter patet ex hoc loco Magistri, et satis colligitur ex Gregorio papa, lib. XII Regesti, epist. 16, ubi agens de lectis quos mittit ad monasterium montis Sinai, distinguit lænas a racanis: « Misimus lænas quindecim, rachanas triginta, lectos quindecim. » Et ex Ennodio, lib. IX, epist. 17: « Lænam et racanas, cum volueritis, coloris rubei aut fusci mihi cum celeritate mittite. » Et hic locus sanus est, nec ullo medicamine indiget.

CAPUT LXIII.

DE MENSA ABBATIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. [b] Quoties tamen minus sunt hospites, [c] quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate. [d] Seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum propter disciplinam.

[a] *Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper.* Arnolphus lib. I de S. Emmerano hunc Regulæ locum tangit, agens de S. Romualdo abbate monasterii S. Emmerani: « Mensa illius secundum Regulam sancti Benedicti erat cum hospitibus et peregrinis. » Hospites sunt ejusdem nationis, peregrini alterius; non sunt hi hospites, qui in eadem civitate et oppido in quo situm est monasterium residentes, ultro convivium emendicant, aut ab abbate invitantur: sunt enim potius convivæ quam hospites. Hic autem sola mentio fit mensæ, non cellæ, aut cameræ, aut palatii abbatis in quo seorsum a sua congregatione reficiat cum hospitibus et peregrinis. Ex quo efficitur ipsi abbati reficiendum esse cum peregrinis et hospitibus in ipso conventu fratrum, maxime in refectorio, vel certe alibi, si commodum. Non erit refectorium fratrum juxta rationem a nobis explicandam. Is fuit usus antiquorum Patrum quibus S. Benedictum in re tanti momenti contrarium fuisse minime credendum est. Id præcipit Regula Patrum ms.: « Illud quoque statuimus, ut abbates omni tempore cum fratribus reficiant. » S. Isidori, cap. 9: « Abbas citra languoris necessitatem cibos in conspectu pariter cum fratribus sumat. » S. Aureliani, cap. 49: « Abbas, nisi inæqualitate faciente, extra congregationem non reficiat. » S. Cæsarii, cap. 39: « Abbatissa nisi inæqualitate aut infirmitate aut occupatione impellente extra congregationem penitus non reficiat. » Ubi vides solum inæqualitatis, id est, morbi, vel occupationis casum excipi. Id etiam videtur ex S. Cæsario, epist. ad Orariam: « Et in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his, cum quibus pari in mensa uteris consensu, ut qui ad unam sedetis mensam, unum vos parque reficiat alimentum. »

[b] *Quoties tamen minus sunt hospites.* Quam videlicet sufficiat ad explendam abbatis mensam.

[c] *Quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate.* Vocantur fratres ad mensam abbatis, ut ipse abbas humilitatis recordetur: ne vel tanquam princeps, aut monarcha solus in mensa sed at; vel, si habeat aliquot hospites, extollatur, fratresque spernat, quod solus cum hospitibus separatus a grege accumbere possit. Unde S. Eugendus abbas (ut in ejus Actis habetur) nunquam mensam separatam a fratribus habuit. Nec dicendum est fratres vocari ad mensam abbatis, ut lautius epulentur. Nam si valent, non indigent lautioribus epulis; si infirmi sunt, aut omnino debiles, habent cellam infirmorum, in qua melius accipiantur, et procurentur, et opus est, carnes comedant, quas in refectorio comedere nefas Nec dixit S. Benedictus debiles et infirmos, sed quos volet. Nec, cum separavit coquinam abbatis et hospitum a coquina fratrum, hoc ideo instituit ut abbatis olla ferveret, fratrum vero cacabus algeret, sed, *ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres* (*Cap.* 53 *Regulæ*). Et si aliquid addendum est in gratiam hospitum, illud etiam fratribus indulgendum, ut supra notatum est.

[d] *Seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum.* Optima lectio, si verbum substantivum, *est*, subintelligitur. Nam gerundium aliquando accusativum regit. In Concordia Vindocinensi legitur: *Seniores tamen unus, aut duo cum fratribus dimittendi.* Vulgo additur τὸ *procuret.* In cod. p. ms. Victorino additur, *mandamus.* Sed cum hucusque rite cuncta procedant, in his verbis totius difficultatis cardo versatur. Nam si unus aut duo seniores dimittendi sunt propter disciplinam, acta

§ II. — Ex Regula Magistri (*cap.* 82).

[a] Ad mensam abbatis sedeant seniores, extranei supervenientes, [b] vel vicibus [c] fratres psalterati, quos voluerit abbas præter Præpositos, qui in decadis suis ideo ad suas mensas jubentur esse præsentes, ut causam Dei, id est, taciturnitatis et gravitatis

mentum. » Idem faciebat S. Eugendus abbas, ut habetur in ejus Actis apud Surium : « Ille, inquam, abbas sanctus nec mensulam suam (ut facere quosdam nuper audivi), nec victum unquam exceptavit a fratribus. » His accedat constitutio abbatum in synodo Aquisgranensi sub Ludovico Pio imperatore, tit. 27 : « Ut abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiatur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi et bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. » Neque huic titulo adversatur sexagesimus secundus, in quo statuitur, « ut laicus causa manducandi et bibendi in refectorium non ducatur. » Nam hic titulus ad hospites non spectat. Nostræ sententiæ favet Magister, qui, etsi statuat mensam abbatis ut sanctus Benedictus, tamen cap. 24, ubi agit de lectore hebdomadario, statuit quid legendum sit in refectorio, cum superveniunt extranei. Ne autem quis putet hanc novam esse interpretationem, Ruthardus antiquus scriptor hoc caput Regulæ exponens ait quosdam in ea esse opinione : Quæritur, inquit, in hoc loco ubi debet abbas manducare, utrum in refectorio, an foris. Sunt alii, qui dicunt foris, alii vero intus. Quomodo ergo dimittere debet seniores duos, vel tres cum fratribus, si illic in refectorio debet manducare? Qui respondentes dicunt : Propterea dixit S. Benedictus seniores dimittere, quia sunt talia refectoria, in quibus sedent fratres, ut propter multitudinem fratrum ab abbate non possint videri, veluti in sancto Gallo. » Hæc sententia confirmatur ex regula S. Benedicti, cap. 38 : « Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliud quidquam requirere, ne detur occasio maligno : nisi forte Prior voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere. » Ubi Prior pro abbate usurpatur, ut supra declaratum est. Sed si abbas nunquam reficiat in conventu fratrum, quia cap. 53 dicitur nunquam hospites deesse monasterio, aut saltem raro, si locus sumatur hyperbolice, absurdum esset permittere ipsi abbati aliquid in refectorio de lectione dicere, qui nunquam, aut raro debeat interesse. Præterea si contraria sententia valet, nescio quid deterius monasterio contingere possit, cum ipsi abbati fenestram ad omnem licentiam ejusmodi institutio patefaciat : datur enim ei occasio quotidie comessandi cum sæcularibus, decoquendi, obliguriendi, et dilapidandi bona monasterii, ut quotidiana patet experientia : quod etiam præclare notat Petrus Venerabilis lib. I, epist. 18. Hinc orta est omnis monasticæ vitæ corruptela, divisio illa bonorum monasterii inter abbatem et monachos, cum sibi abbates opimiorem et meliorem partem, quam occasione hujus capituli mensam abbatialem appellant, seposuerunt. Nec id me movet, quod in constitutionibus, *ne in agro Dominico, cum ad monasterium*, et in Benedictina fiat mentio cameræ abbatis, in qua possit, quos velit ex fratribus melius procurare. Non enim interpretantur Regulam summi pontifices, sed id quod dudum introductum fuerat, et ægre avelli poterat, tolerant. Cæteris difficultatibus mox satisfiet. Et hæc sententia vindicat S. Benedictum a multorum injuria, qui dicunt passim ex hoc Regulæ capite ruinam monasteriorum natam esse, cum data sit libertas abbatibus quotidie epulandi. Sed cum hæc libertas non clare pateat in hoc capite, sed tantum ex quibusdam verbis colligatur, satius est sequi nostram sententiam, quam tantam injuriam S. Benedicto facere.

res est (ut aiunt adversarii); nam inde clarum est abbati non reficiendum esse in eodem cum fratribus loco; sed clarior esset hæc consequentia, si additum fuisset, in refectorio, vel quid simile. Itaque primo respondemus juxta superiorem responsionem ex Ruthardo allatam. Quæ clara est ex verbis Magistri, qui, cap. 82 ut sæpe alibi, optime S. Benedicti mentem interpretatur, cum ait : « Ad mensam abbatis sedeant seniores, extranei supervenientes, vel vicibus fratres psalterati quos voluerit abbas, præter Præpositos, quin in decadis suis ideo ad suas mensas jubentur esse præsentes, ut causam Dei, id est, taciturnitatis et gravitatis in susceptis suis custodiant. » Hæc clara sunt, et nullis ambagibus involuta : maxime cum extranei supervenientes juxta Magistri Regulam debeant in refectorio cum fratribus reficere, ut supra notatum est. Respondeo secundo locum esse intelligendum de illis diebus in quibus abbas frangit jejunium propter hospites; cum nimirum fratres reficiunt hora nona, et abbas cum hospitibus hora sexta. Tunc enim dimittet unum aut duos ex senioribus, qui hora nona reficiant cum fratribus propter disciplinam : quia tunc abbas jam refectione sumpta cum hospitibus non intererit refectorio. Neque his obstat quod cap. 53 fratres jejuniorum consuetudinem prosequi debeant. Nam hæc ita intelligenda sunt, si non vocentur ad mensam abbatis, cui potestas absoluta hoc capite conceditur quemlibet e fratribus vocandi ad mensam suam sine ullo dierum discrimine. Quidam objiciunt, quod S. Maurus Theodebertum regem convivio excepit in domo hospitum. Verum quidem est, sed non inde concluditur S. Maurum a sua congregatione separatum cum rege epulatum fuisse. Si vero non duxit regem in refectorium, id contingere potuit, quia locus minime aptus erat ad regem accipiendum cum suo comitatu. Opponunt etiam quod S Columbanus non intromittebat hospites sæculares in interiora monasterii. Concedo quidem, sed non inde efficies S. Columbanum seorsum a sua congregatione cum ejusmodi hospitibus semper, aut plerumque comedisse. Opponunt etiam id valde incommodum esse fratribus, si sæpius hospites cum eis comedant. Sed contrarium quotidiana patet experientia. Et si quid incommodi inde emergit, illud minus est, quam si abbati nunquam aut rarius cum sua congregatione reficienti detur occasio dilapidandi bona monasterii cum laicis; fratribus vero murmurandi, et remissius in sancto proposito agendi? Quæ facile inter vescendum obrepunt, maxime si illi prælatum nunquam aut raro in refectorio videant : cum etiam ejusmodi seniores ob disciplinam relicti nunquam satis auctoritatis ad eos compescendos habituri sint.

[a] *Ad mensam abbatis*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. Magistri, cod Corb. eodem capite.

[b] *Vel vicibus.* In cod. Vind. additur, *alienis.*

[c] *Fratres psalterati.* In cod. Vind. deest, *τὸ psalterati.* Psalterati sunt ii, qui psalterium memoria tenent, ut satis liquet ex eadem Regula Magistri, cap. 57 : « Si vero in viam longiorem dirigatur, codiculum modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio secum portet, ut quavis hora in via repausaverit, aliquantulum tamen legat : ita tamen, si fuerit psalteratus. Si vero non fuerit, tabulas a majore superpositas psalmis (*Lege*, cum aliquibus psalmis) secum portet, ut ad refectionem prandii aut ad mansionem quando applicuerit, aliquantulum, quantum occurrerit, tamen meditetur, ut quotidie Regulæ reddat quod suum est. » Psalterati ergo sunt, qui psalterium callent; non psalterati vero, qui illud nondum plene didicerunt : qui non admittuntur ad mensam abbatis, quia ut plurimum juniores sunt.

in susceptis suis custodiant. Ideo enim ambos diximus in mensa decadæ suæ præesse, ut decem fratres sibi commissos [a] vicaria sollicitudine ab universis vitiis certatim custodiant.

§ III. — Ex Regula Patrum (*cap.* 8 [b]).

Venientibus vero fratribus ad horam refectionis, non licebit peregrino fratri cum fratribus manducare : nisi cum eo qui præest fuerit, ut possit ædificare. Nulli licebit cum eo loqui.

§ IV. — Ex Regula sancti Fructuosi Episcopi (*cap.* 10).

[c] Cum fratribus advenientibus hospitibus et peregrinis in una mensa [d] communiter [e] vivant : quia de ipsis Dominus ait : *Hospes fui, et collegistis me* (*Matth.* XXV).

[a] *Vicaria sollicitudine.* Si forte alter in coquina, aut in aliquo negotio occupatus est, vel morbo detinetur.

[b] In Regula ms. Serapionis, et aliorum cod. Flor.

[c] *Cum fratribus*, etc. Hæc non habentur in Reg. ms. S. Fructuosi episcopi Bracarensis, sed videntur esse alterius Fructuosi, capite 10, quod supra citatur capite, qualis debet esse abbas.

[d] *Communiter.* Id est, simul, ut toties explicatum est.

[e] *Vivant.* Id est, vescantur, nempe abbates, de quibus hoc capite agitur.

CAPUT LXIV.

DE ARTIFICIBUS MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Artifices si sunt in monasterio, [a] cum omni humilitate faciant ipsas artes, [b] si permiserit abbas. [c] Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, [d] hic talis evellatur ab ipsa arte, et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat. Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ et Saphiræ : [e] ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subripiat avaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur quam [f] ab aliis sæcularibus [g] dari potest, ut in omnibus glorificetur Deus.

§ II. — Ex Regula Macarii [h].

Illud etiam tenendum fuit ut extra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii poterit quid facere.

§ III. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 34).

[i] Si quis autem de opere et sudore proprio plus ab aliis reditus confert monasterio, in nullo inflatur nec sibi de tanto operis sui acquisito blandiatur nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victus parcitate præsumat; sed tanquam peregrinum se hujusce mundi reputans arreptæ [j] nuditatis virtutem ad finem usque perducat.

§ IV. — Ex Regula Magistri (*cap.* 85).

[k] Cum unaquæque ars aliquid perfectum supervatulit : considera quanto periculo in divino judicio dignaberis, qui non nummos, sed teipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti. » Ex quibus colligitur Ananiam et Saphiram juxta mentem sanctorum Benedicti et Gregorii non esse damnatos, sed eorum mortem duntaxat fuisse temporalem, non æternam. In qua opinione est etiam Cassianus Coll. VI, cap. 14, qui scribit eorum culpam levem fuisse, « qui parum quid clam de substantia sua infidelitatis errore servaverant; » inquit ille.

[a] *Cum omni humilitate.* Ita in cod. ma. S. Germ. Vulgo tamen additur, *et reverentia.*

[b] *Si permiserit abbas.* Ita Smaragdus, Turrecremata, et cod. ms. S. Fat., qui addunt particulam *tamen.* Vulgo legitur : *Si tamen jusserit abbas.*

[c] *Quod si aliquis ex eis extollitur*, etc. Longe sane a Christi præcepto, quo jubetur ut in omnibus operibus nostris nos servos inutiles reputemus; longe etiam a perfectione monachorum Ægyptiorum, de quibus Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 14 : « Et cum tantos unusquisque eorum quotidie de opere et sudore proprio redditus conferat monasterio, ut ex eis sustentare non solum suam valeat parcitatem, verum etiam usibus possit exuberare multorum . in nullo tamen inflatur, nec sibi de tanto operis sui quæstu ac sudore blanditur : sed præter duo paxamatia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibi amplius unusquisque præsumit.

[d] *Hic talis evellatur ab ipsa arte.* Hoc sapienter a S. Benedicto institutum est. Nihil enim iniquius ferre potest superbus, quam si videat se ab omnibus tanquam aliis inutilem despici, et monasterium sua industria et labore minime indigere. Quapropter S. Columbanus circa finem sui Pœnitentialis dicit superbum puniendum esse despectu.

[e] *Ne mortem quam illi in corpore pertulerunt*, etc. Ita S. Gregorius lib. I, epist. 36, agens de Venantio vitæ monasticæ desertore : « Si ergo mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat nummos, Deo abs-

[f] *Ab aliis sæcularibus.* Ita in cod. S. Germ., Ebr., Far., cum Smaragdo, S. Dunstano, Turrecremata et editione Coloniensi. In vulgatis τὸ *aliis* desideratur.

[g] *Dari potest.* Ita apud Smaragdum et Turrecrematam. In editione Coloniensi et quibusdam vulgatis, *datur.* In codicibus S. Germ. et Victorinis, *detur.* In cod. S. Ebr., S. Far., editione Colinæi, et apud S. Dunstanum nihil horum habetur, sed verbum subintelligitur.

[h] In Regula ms. Serapionis, etc., cod. Flor.

[i] *Si quis autem*, etc. Hæc sumpta sunt ex lib. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 14.

[j] *Nuditatis.* Id est, paupertatis, quam S. Basilius, et nonnulli Patres Græci ἀκτημοσύνην appellant, id est, possessionis carentiam. Apud Hesychium ἀκτήμων πένης, ἀνδεής, id est pauper, indigens, ἀκτημοσύνη, ἔνδεια, id est, indigentia.

[k] *Cum unaquæque ars*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. cod. Corb. cap. eodem.

canenm usibus monasterii [a] *habuerit*, vel mittendarum [b] Eulogiarum abundaverit, interrogata qualitate pretii quantum a sæcularibus [c] distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distrahatur pretio : ut agnoscantur in hac parte spiritales a sæcularibus [d] actorum distantia separari : cum non [e] negotii causa, quæ est inimica animæ, lucrum supra justitiam quærant [f] sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendi pretii humanitate consentiant : ut non propter cupiditatem et avaritiam artes operari credantur, sed ne otio possit pascenda dignis sumptibus manus vacare, et horas operosi diei gratis transire. Pretium vero acceptum abbati debet ab ipsis artificibus fideliter consignari. Quæ diminutio pretii æstimatione abbatis artificibus debet constitui ut sciant item quanta ementibus summa respondeat, et accepti pretii fraudem non possint facere de ipsa quantitate jam scienti abbati.

§ V. — Ex Regula sancti Hieronymi (*cap.* 6).

[g] Fratres ejusdem artis in unam domum sub uno Præposito congregentur, verbi gratia, ut qui lina texunt, sint pariter; qui mattas, in unam reputentur familiam; [h] sarcinatores, carpentarii, [i] fullones, [j] galligarii seorsum a suis Præpositis gubernentur. Et per singulas hebdomadas ratiocinia operum suorum ad Patrem monasterii referant.

§ VI. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 102).

Interrog. [k] Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere aliquod opus absque conscientia, vel jussione ejus qui præest et operum sollicitudinem gerit? — *Resp.* Furti reus erit [l] ejusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt.

§ VII. — *Item* (*cap.* 104). [m]

Quod si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur? etc.

[a] *Habuerit.* Adjeci hoc verbum, quod deesse videtur.

[b] *Eulogiarum.* Hoc vocabulum hic improprie sumitur. Nam turpe esset vendere eulogias

[c] *Distrahi.* Id est, vendi. Distrahere, vendere. Ulpianus. ff. I, *Præcipiant.* De ædilitio edicto, « ut eccle plerique solent mancipia, quæ novitia non sunt, quasi novitia distrahere. » Cassianus lib. IV de Institutis Renuntiantium, cap. 14 : « Sed præter duo paxamatia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibi amplius unusquisque præsumit. » S. Leander de Institutione Virginum, cap. I. « Viris se distrahunt, simulque cum pudicitia libertatem perdunt. » Nonius c. 4 : « Distrahere est vendere. »

[d] *Actorum distantia.* Ita reposui ex Reg., ms. cum in Concordia legeretur, *actibus distantiaque.*

[e] *Negotii.* Id est, negotiationis.

[f] *Sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendi pretii*, etc. Ita in Reg., ms. ; sed hæc corrupta sunt, et videtur deesse verbum, *discedere.* Itaque legendum puto : *Sed etiam ab ipsa justitia minus accipiendo pretium discedere humanitate consentiant.* Quasi hic Magister imperaret discipulis, ut a justitia commutativa discedant minus pretium accipiendo humanitatis gratia.

[g] *Fratres ejusdem artis.* Hæc videntur esse ex præfatione D. Hieronymi ad Regulam S. Pachomii; etsi in codicibus excusis non habeantur. Nam infra cap. 79, quædam proferuntur ex D. Hieronymo, quæ habentur in eadem præfatione. Et quæ hic citantur, institutis S. Pachomii similia sunt, de quibus S. Hieronymus disserit in citata præfatione.

[h] *Sarcinatores.* Horum mentio fit in Vita S. Pachomii apud Palladium, cap. de Tabennesiotis.

[i] *Fullones.* Horum etiam mentio fit in Vita S. Pachomii ibidem.

[j] *Galligarii.* Lege, *Gallicarii.* Sunt Gallicarum sutores.

[k] *Si oportet eos*, etc. Exstat apud S. Basilium, interr. 142 Regul. Brev.; et apud Rufinum, cap. 54.

[l] *Ejusmodi.* Pro hoc vocabulo in textu Græco est ἑκάτερος, id est, uterque; et additur ὅ τε διδούς, καὶ ὁ δεχόμενος, id est, qui dat, et qui accipit; opus videlicet.

[m] Vide supra cap. 91, § 6.

CAPUT LXV.

DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed, sicut ait Apostolus, *Probate spiritus, si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV). Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias et difficultatem ingressus [b] post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus; et sit

[a] *Noviter veniens quis*, etc. Id est, noviter venienti ad conversionem non facile tribuatur ingressus. Hæc phrasis sapit Hebraismum.

[b] *Post quatuor aut quinque dies*, etc. Sic S. Antonius monasticæ vitæ princeps Paulum Simplicem quatuor dies ante fores suas perseverantem vix tandem intromisit, ut docet Palladius, cap. de Paulo Simplice.

[c] *Et sit in cella hospitum paucis diebus.* Quid faciat in cella hospitum noviter veniens, non declarat S. Benedictus; sed hoc ex aliis Patribus discendum est, qui statuunt ut ejusmodi novitius serviat hospitibus. Ita statuit auctor Regulæ Tarnatensis : « Uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste monstrata. » S. Isidorus cap. 4 Regulæ : « Vitam enim uniuscujusque in hospitalitatis servitio ad paucos dies redacto; ne a spiritalibus exercitiis novitii retardarentur.

in cella hospitum paucis diebus. [a] Postea autem sit in cella [b] novitiorum, [c] ubi meditetur et manducet, et dormiat. [d] Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum curiose omnino intendat; et sollicitus, [e] si revera Deum quærit, [f] si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. [g] Prædicentur ei omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum. Et, si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia, post duorum mensium circulum [h] legatur ei hæc Regula per ordinem. Et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis, [i] si potes observare, ingredere; si vero

[a] *Postea autem sit in cella novitiorum.* Antiqua hujus rei praxis videtur in Vita S. Hermelandi abbatis: « Ubi ex more instituti monastici in cella, ut vocant, novitiorum probatus, etc. » Hujus cellæ mentio fit in Vita S. Guillelmi Gellonensis: « Quamprimum condecens metitur oratorium, metitur etiam totius claustri ambitum. » Et paulo post: « Atque dormitorium, et cellam novitiorum. » Hæc cella ab aliis monasterii domiciliis erat separata, et in extremis locis illius sita. Id patet ex Beda lib. IV Hist. Angl., cap. 33, ubi agit de monasterio sanctæ Hildæ: « Erat enim hac ipsa hora cum aliis nonnullis Christi ancillis in extremis monasterii locis seorsum posita, ubi nuper venientes ad conversionem feminæ solebant probari; donec regulariter institutæ ad societatem congregationis suscipiantur. Et ex S. Fructuoso archiepiscopo, cap. 21 Regulæ: « Neque interna fratrum diversoria accedet, sed delegata in exteriore curte cella perfruetur. » Sed videtur S. Fructuosus singulis novitiis singulas cellulas assignare, quemadmodum et S. Ferreolus cap. 5 Regulæ: « Vicinam tamen monasterio cellulam, dum prænotatum tempus observat, accipiat. » Novitii autem ab aliis fratribus separabantur; ne ea quæ in monasterio geruntur in eorum notitiam venirent, et discedentes ea sæcularibus revelarent. Id etiam eorum tranquillitati maxime congruum erat ut ab omni consortio sejuncti facilius contemplationi et vitiorum exstirpationi studerent.

[b] *Novitiorum.* Novitius proprie servus novus est, noviter emptus. Glossæ veteres: *Novitius νεώνητος*, id est, noviter emptus. Meminit Cicero orat. in Pisonem: *De grege novitiorum.* Juvenalis sat. 3:

Tetrumque novitius horret
Porthmea.

Quo in loco agitur de novitio, qui in balneis serviebat. Novitius opponitur veteratori. Veterator, qui anno servivit; novitius, qui minus, communiter docent jurisconsulti. Vide titulum de edicto ædilitio. Recte igitur novitii appellantur a S. Benedicto ii qui noviter accedunt ad servitutem Dei. Sunt enim monachi servi Dei, et ita passim appellantur a sanctis Patribus; monasterium schola est divini servitii, ut loquitur S. Benedictus. Sic a Tertulliano libr. de Pœnitentia cathecumeni appellantur novitioli: « Sic præcipue novitiolis istis, qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare. » Vitæ monasticæ novitios S. Isidorus Pelusiota libr. I, epist. 258, appellat *νεοπαγεῖς*, id est, neophytos. Græci communiter appellant *ἀρχαρίους*, id est, incipientes. Palladius cap. 21 de B. Marco: *Καὶ παρακαθίζομαι τῇ θύρᾳ τῆς κέλλης αὐτοῦ, ὡς ἅτε ἐγὼ ὁ ἀρχάριος ὢν νομιζων αὐτὸν ὑπὲρ ἄνθρωπον*, id est, « et assideo foribus cellæ illius, quem ego ut pote qui essem adhuc incipiens et novitius, supra hominem existimabam. » Quod vocabulum ita reddit interpres Heraclidis: *Tyro novusque monachus.* Anonymus quidam tractatu de Silentio: *Καὶ σωτήριον καὶ ὠφέλιμον τοῖς ἀρχαρίοις, καὶ μέσοις, καὶ τελείοις*, id est, « res salubris est et utilis incipientibus seu novitiis, mediis seu proficientibus et perfectis. » Et Euchologium Græcorum: *Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα*, id est, sequentia seu ordo instituendi novitii ferentis rasum. » Sic quidam Patres Latini appellant novitios incipientes S. Cæsarius cap. 41, et S. Aurelianus cap. 44, supra cap. 62. S. Basilius interr. 13 Regularum fusius disputatarum appellat *εἰσαγομένους*, id est, qui introducuntur. S. Isidorus cap. 4 Regulæ, et S. Fructuosus archiepiscopus cap. 21 Regulæ et 22; *conversos.*

[c] *Ubi meditetur.* Meditetur, id est, legat.

[d] *Et senior ei talis deputetur.* Ita S. Fructuosus cap. 21 Regulæ: « Sicque anno illo uni spiritali traditus seniori non statim commiscendus erit congregationi. » S. Cæsarius Arelatensis cap. 3 Regulæ: « Sed uni ex senioribus tradita annum integrum in habitu quo venit, perseveret. » An autem singulis novitiis singuli seniores dandi sint, non exprimitur; nec puto hanc esse mentem S. Benedicti et S. Fructuosi, qui fere sequuntur Ægyptiorum monachorum normam, juxta quam uni seniori decem juniores dantur instituendi, ut constat ex Cassiano, libr. IV de institutis cap. 7.

[e] *Si revera.* Erat tantum scriptum, *si vera*; sed ex mss. nostris, Smaragdo, S. Dunstano et Turrecremata reposui, *si revera.* In vulgatis *si vere.*

[f] *Si sollicitus est ad opus Dei.* Sumitur opus Dei pro officio divino, missa, et horis canonicis, ut passim alibi. Nec est minima virtus monachi, si sollicitus est ad opus Dei, sine qua vix monachi nomen et personam sustinere potest; quæ si a rectore monasterii abest, non video quomodo monasterii disciplina possit integra et salva consistere. Quatuor autem inspicienda seniori circa novitium præcipiuntur: primum, si revera Deum quærit, id est, si vera et pura intentione Deo in monasterio servire cupit; secundum, si omni sollicitudine horis canonicis et sacris liturgicis interesse cupit; tertium, si nihil charius, nihil antiquius obedientia ducit; quartum, si opprobria et injurias sibi factas æquo animo et summa alacritate sustinet; quæ si præstiterit, vere monachatu dignus est.

[g] *Prædicentur ei omnia dura atque aspera, per quæ itur ad Deum.* Hunc S. Benedicti locum citat sanctus Gregorius papa in I Reg., cap. 4, cum ait: « Qui arctissimam conversationis viam imperant, noviter venientibus facile habitum non impendunt. Quare ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus, veritatis discipulus eruditus præcipit dicens: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Et iterum nuntientur eis dura et aspera, per quæ itur ad Deum, ut sciat, ad quid intrat. »

[h] *Legatur ei hæc Regula.* Idem statuit S. Cæsarius cap. 8 suæ Regulæ: « Quæcunque ad conversionem venerit, in salutatorio ei frequentius Regula relegatur; » et Regula Tarnatensis: « Deinceps omnis Regulæ constitutio relegatur. »

[i] *Si potes observare, ingredere.* Non est temere subeundum onus, quod viribus nostris impar sit. Tentandæ vires, cum arduum aliquid aggredimur.

Versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri,

inquit Horatius, in Arte. Quod si in aliis rebus faciendum est, id maxime cum de vita monastica amplectenda agitur, præstandum est, quod præclare docet S. Gregorius cap. citato: « Cum infirmi fortia promittunt, non est expertum robur, sed confusio discretionis quos omnes sub unius denotatione sapiens admonet, qui dicit: *Supra te onus ne levaveris.* Qui ergo in regularis vitæ forti proposito aliis præsunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto et utilius prænoscendum est, accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex præcipitatione voluntatis. Nam qui in suis actibus faciles sunt, solent tam instanter vitæ spiritalis asperitatem appetere, ut videantur magna animi virtute quod expetunt desiderare. » Notanda doctrina his

non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supra dictam cellam novitiorum, et iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei Regula, ut sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum ei legatur [a] eadem Regula; et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, et cuncta sibi imperata servare; [b] tunc recipiatur in congregatione, [c] sciens se lege Regulæ constitutum, quod ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei [d] excusare, aut suscipere. [e] Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus [f] promittat de stabilitate sua [g] et conversione

quorum est spiritus appetentium vitam monasticam probare.

[a] *Eadem Regula.* Ita apud Smaragdum et S. Dunstanum, vulgo τὸ *eadem* desideratur.

[b] *Tunc recipiatur in congregatione.* Anno videlicet evoluto, qui unicus datur a S. Benedicto ad probationem, ut ex hoc capite notum est, cujus institutionis a S. Benedicto factæ mentio fit in rescripto Alexandri II papæ ad Udonem Trevirensem, et Theodoricum Verdunensem episcopos apud Ivonem p. VI, cap. 428, et causa 17, qu. 2, cap. 1. Idem præscripsere spatium S. Cæsarius cap. 5 supra citato; S. Ferreolus cap. 5 suæ Regulæ, S. Fructuosus archiep. cap. 21, Fructuosus alter c. 18; Magister cap. 90; et Regula Tarnatensis: « Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. » Idem statuitur in conc. Aurelian. V, cap. 19, de puellis vel quæ propria voluntate monasterium expetunt, vel a parentibus offeruntur. S. Isidorus, cap. 4 Regulæ, probationem contraxit ad trimestre spatium. Alias, maxime in Oriente, tres anni concedebantur antequam ascriberetur novitius in numerum monachorum, ut habetur C. L. *Servis*, § *verum*. De Episcopis et Clericis, etc. « Verum et si legitimo probatus experimento monachus efficiatur, evadet jugum servitutis. Debent enim per triennium antequam monachi efficiantur in monasterio permanere; postea vero si monachi facti fuerint, liberi erunt. » Idem statuitur Novella 5 Justiniani imperatoris, cap. 2: « Sancimus ergo sacras sequentes regulas eis qui singulam conversationem profitentur non prompte mox a reverendissimis præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem; sed per triennium totum, sive liberi sint, sive servi, tolerare nondum habitum monasticum promerentes. » Et paulo post: « Et dum triennio toto permanserint optimos semetipsos et tolerabiles aliis monachis demonstrantes hos monasticam promereri vestem atque tonsuram. » Idem statuit synodus Constantinopolitana prima, et secunda can. 5: Ὥρισεν οὖν διὰ τοῦτο ἡ ἁγία σύνοδος μηδένα τοῦ μοναχικοῦ καταξιοῦσθαι σχήματος, πρὶν ἂν τῆς τριετίας χρόνος εἰς πεῖραν αὐτοῖς ἀφθλὶς δοκίμους αὐτοὺς καὶ ἀξίους τῆς τηλικαύτης βιοτῆς καταστήσῃ. Id est, « propterea igitur decrevit sancta synodus, ut nemo monachi habitu dignus putetur, priusquam triennii tempus eis ad experientiam relictum eos probatos et dignos esse tali vita ostenderit. » De eadem re agit Photius in Nomocanone, tit II, cap. 3. In conc. Aurelianensi V, can. 19, sanctimonialibus, quæ non perpetuo tenentur inclusæ, probationis triennium ante habitus sumptionem decernitur. Idem triennale spatium præscriptum fuit S. Pachomio ab angelo, ut videre est apud Palladium, cap. 38: Τὸν μέντοι εἰσελθόντα εἰς ἄπαξ συμμεῖναι αὐτοῖς, ἐπὶ τριετίαν εἰς ἀγῶνα ἀδύτων οὐ δίξῃ, ἀλλὰ ἐργοτικώτερα ἔργα ποιήσας οὕτως εἰς τὸ στάδιον ἐμβαινέτω μετὰ τὴν τριετίαν. Id est, « eum qui ingressus est ad semel manendum cum illis, usque ad triennium non suscipies ad certamen rerum secretiorum; sed cum difficiliora opera fecerit, sic post triennium accedat ad stadium. » Quod spectat ad alios Ægypti monachos ratio alia fuit circa probationis spatium. Non enim candidati prius apud eos admittebantur in monasterium quam decem dies vel amplius excubassent pro foribus monasterii omnium fratrum ludibrio expositi, qui eos dedita opera convitiis proscindebant; quæ si æquo animo pertulissent, ac suis rebus perfecte renuntiassent, propriis exuti vestibus habitu monachico ab abbate coram fratribus induebantur. Si vero processu temporis eos in sancto proposito non posse perstare animadvertissent ex quadam murmurationis vel parvæ inobedientiæ culpa, eos rebus monasticis exutos et suis indutos ejiciebant; si vero nihil ejusmodi in eis deprehendissent, admittebant, eorumque vestes sæculares pauperibus erogabant. Nec tamen illis fratrum congregationi commisceri permittebant, sed eos seniori, qui non procul a monasterii vestibulo cellam habebat, et curam hospitum gerebat, tradebant, ut anno integro cum omni humilitate et patientia servirent hospitibus: quo revoluto, si quæ suarum partium erant in hospitio strenue egissent, uni ex decanis disciplinis spiritalibus imbuendi committebantur, ut fuse narrat Cassianus libr. IV de Institutis Renuntiantium, capitibus 3, 4 et seq

[c] *Sciens se lege Regulæ constitutum.* Varie hoc membrum legitur. In vulgatis non est τὸ *se*, in multis aliis habetur, ex quo faciendum est verbum, *esse*, et legendum: *Sciens esse lege Regulæ constitutum.*

[d] *Excusare.* Optima lectio. Ita omnes codices nostri mss. cum Kerone in expositione Alamanica vocabulorum Regulæ S. Benedicti. Smaragdo, S. Dunstano et Turrecremata; et *excusare* hoc loco idem est, quod *recusare*: Glossæ veteres: παραιτοῦμαι, *excuso*, *recuso*. Pontius Diaconus in Vita S. Cypriani: « Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, excusat, id est, recusat. » S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, cap. 5: « Quod ille diversis modis excusans asserebat hoc non posse fieri. » Rufinus cap. 42 Institut. Monast: « Si autem ratio est aliqua, qua sibi recte excusare videatur opus illud quod excusat. » Ergo in vulgatis male legitur, *recusare.*

[e] *Suscipiendus in oratorio.* Recte in oratorio emittuntur vota: quia locus sacer est; et qui solemnem emittit professionem Deo se consecrat. Idem statuit S. Fructuosus archiepiscopus cap. 21 Regulæ suæ: « Expleto anno probatus moribus et laboribus elimatus, percepta in ecclesia benedictione, fratrum societate donetur. »

[f] *Promittat de stabilitate sua.* Stabilitas illa est in congregatione, ut alibi S. Benedictus loquitur, hoc est, in cœnobio fratrum in communitate viventium; per quam excluditur status eremiticus, qui quidem monasticus est, non tamen cœnobialis; ad quem tamen monachus in congregatione vivens traduci potest. Nec solvit prius votum: quia licet a statu minus perfecto ad perfectiorem migrare; et qui vovet, non ita se astringit, ut per ejusmodi votum impediatur, quominus ad statum perfectiorem Deo inspirante aliquando gradum faciat; alioqui votum ineptum esset. Præterea status cœnobialis ordinatur ad eremiticum, estque via ad illum, ut notum est ex capite primo Regulæ: et sic in cœnobio debent vivere monachi, ut aliquando vitæ eremiticæ digni evadant. Præterea cum Regula ejusmodi statum cœnobitis permittat et proponat, is non violat votum stabilitatis in congregatione, qui de licentia prælati a statu cœnobitico ad eremiticum traducitur. Dixi, de licentia prælati. Nam prælati est judicare, an cœnobita sit eremiticæ vitæ idoneus, et ad illam a Deo votus: ne specie pietatis et umbra a dæmone decipiatur, ut de multis legitur.

[g] *Et conversione morum suorum.* Quid sit conversio morum præclare docet S. Anselmus eleganti illo

morum, et obedientia [a] coram Domino et sanctis ejus; [b] ut si aliquando aliter fecerit, [c] a Deo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat [d] petitionem [e] ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, et abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe, si nescit litteras, alter ab eo rogatus scribat; [f] et ille novitius signum faciat, et manu sua [g] eam super altare ponat. Quam dum posuerit, [h] incipiat ipse novitius mox hunc versum : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea.* [i] Quem versum omnis congregatio respondeat. [j] Tunc stans in loco suo abbas incipiat orationem Dominicam, ut pro ejus petitione præsumptor barbarus occupavit, id priori domino semota dilatione restituat. » Et recta lectio; nec legendum, *Pictatio*, ut quibusdam placet.

carmine de contemptu mundi et vita monachorum :

Vovistis Domino vestros convertere mores :
Jam non peccetis, sit modus et vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus :
Sit castus, quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis, captabat honores :
Hinc jam vilescant census honorque sibi.
Gaudebat daplibus, gaudebat divite mensa :
Nunc tenuem victum sobria mensa dabit.
Ipse suis lætus successibus esse solebat :
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis et auro :
Veste modo vili squalida membra tegat.
Verbosus taceat, mitescat fervidus ira,
Invidus invidia dira venena vomat.
Cuique prius cædes placuit, placuere rapinæ,
Nunc pius et mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantum ventosa laudet tumebat,
Nunc hominum laudes æstimet esset nihil.
Et qui sponte malus, gratisque nocere solebat
Nunc etiam lætus utilis esse velit.
Ad lites fuit hic facilis, ad jurgia præceps :
Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,
Omnia robusto corde molesta ferat.
Pax animæque quies inter convicia duret :
Nam fortem rerum nulla procella movet.
Hæc veniam fratres conversio vera meretur :
Hæc valet offensum flectere vita Deum.

Conversio morum est qualis decet monachum, non modo a gravioribus noxis se abstinere, sed etiam a levioribus culpis; oblectamenta mundi etiam licita et honesta fugere; vitam duram et austeram amplecti; se a sæculi actibus alienum facere; crucem ferre; et perfectioni evangelicæ impensius studere. Quod autem hæc tria vota stabilitatis, conversionis morum et obedientiæ maxime conveniant statui monastico, sic declaratur. Quia mens humana inconstans est, et mutationi obnoxia, convenienter admodum institutum est votum stabilitatis, per quod promittit monachus se perseveraturum in statu cœnobitico, ut supra exposuimus. Quia vero non sufficit permanere in cœnobio, sed convenienter statui cœnobitico vivendum est, accedit secundum votum, conversio videlicet morum, juxta rationem a S. Anselmo, et a nobis explicatam. Quia tandem in congregatione multæ possunt oriri difficultates, diversæ opinationes et studia, ex quibus non leves procellæ et tempestates surgere et excitari possunt in cœnobio, et quia etiam circa perfectam vivendi rationem multæ possunt singulis monachis illusiones obvenire, votum obedientiæ convenientissime adjunctum est; ut singuli et omnes monachi uni rectori subditi summa cum securitate et tranquillitate, et sine ulla dæmonum infestatione in ejusmodi statu cœnobitico vivere possint.

[a] *Coram Domino.* Vulgo : *Coram Deo.*

[b] *Quod si aliquando*, etc. Circa hanc doctrinam hæc verba S. Gregorii papæ cap. citato notanda veniunt : « Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat; qui dum verba audit, corda discutit, et ex textu professionis usuras exquirit robusti operis, hæc namque novitiorum mentes audiant, et expavescant. »

[c] *A Deo.* Ita S. Dunstanus, vulgo legitur : *Ab eo.*

[d] *Petitionem.* Id est, scripturam obligatoriam. Petitio enim est syngrapha, chirographum, charta donationis, ut clarum est ex Cassiodoro, libr. 1 Var., epist. 18 : « Si Romani prædium, ex quo, Deo propitio, fontis fluenta transmisimus; ubi primum Italiæ nos suscepit imperium, sine delegatoris cujusquam

[e] *Ad nomen sanctorum, et præsentis abbatis.* Tanquam testium.

[f] *Et novitius signum faciat.* Sive per se petitionem scribat, sive per alium. Antiqua olim fuit consuetudo in ejusmodi petitione imprimere signum crucis; quæ hodie perseverat, ut videre est ep. 13 Arnulphi Lexoviensis episcopi : « Nosse si quidem debes in eo, qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam prælato suo viva voce, et scripto juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signavit. »

[g] *Eam super altare ponat.* Tanquam Deo offerens ad majorem confirmationem; qua de re hoc cap. ad Regul. Tarnatensem.

[h] *Incipiat ipse novitius hunc versum*, etc. Idem præcipitur in veteri Ordine Romano, in ordine monachi : « Et indutus ipsum melotem corpore prostratus ante altare dicat hunc versum : Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam. »

[i] *Quem versum omnis congregatio respondeat.* Ita in cod. Vind.; videtur tamen deesse τὸ *tertio*, id est, ter, quod habetur tam in editis quam in cæteris codicibus nostris mss. Quod ex veteri Ordine Romano confirmatur loco citato : « Per tres vices omnibus eumdem versum respondentibus. » Respondeat, id est, dicat : Novitius igitur semel versum dicit, chorus vero ter repetit, adjungens : *Gloria Patri* : cui Magister cap. 90 Regulæ hæc subjungenda præcipit : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Post quem versum dictum, mox data ab omnibus pace, compleat abbas. » Smaragdus vero ait post gloriam, dicendam esse orationem Dominicam sub silentio, et subsequentem collectam ab abbate : *Suscipe, quæsumus, Domine, hunc famulum tuum ad te de procella sæculi hujus, laqueisque diaboli fugientem : ut a te susceptus, et instanti sæculo salvatum, et in futuro se gaudeat a te feliciter remuneratum. Per Christum.* Vetus Ordo Romanus multas addit orationes. Quædam etiam alia, quæ olim observabatur, notanda veniunt. Ex Ruperto libr. VIII de Spiritu sancto, cap. 8 : « Episcopus, ait B. Gregorius, debet missam celebrare in ordinatione presbyteri, et abbas in consecratione monachi, et quatuor orationes super caput ejus dicere; et sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur; et ita usque ad diem tertium velatum habeat caput cum silentio summo et debita reverentia figuram gestans Dominicæ Passionis. Die autem tertia tollat abbas capitium de capite ejus : ut depositâ tristitia veteris peccati revelata facie gloriam Dei speculetur. Secundo ergo baptizatus est, et emundatus ab omnibus peccatis. Et subinde tribus diebus sunt sub silentio juxta apostolos, qui ob metum Judæorum in conclavi residebant, usquedum die tertio resurgens Christus dicit : *Pax vobis* : sic abbas det pacem monacho, et capitium de capite ejus auferat. » Hæc capitis velatio triduana constituitur longe ante Ruperti ætatem, addit. prima Capitul. Lud. imperatoris, tit. 35 : « Ut monachus professione facta tribus diebus coopertum habeat caput. » Sed ut rem ab ipsa origine repetamus, breviter perstringendum est qualiter se prima illa temporibus apostolorum Ecclesia gerebat. Primo,

nis congregatio respondeat, adjungentes, *Gloria Patri*. Tunc ipse frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo. Et jam ex illa die in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemni donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus : quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem sè habiturum sciat. [a] Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo [b] consenserit, ut egrediatur de monasterio (quod absit) tunc [c] exutus rebus monasterii projiciatur. Illam tamen [d] petitionem, quam desuper altari abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio servetur.

ut tradit S. Dionysius Areopagita cap. 6 Eccl. Hierarchiæ, sacerdos stans ante altare orationem quæ monachum attingit, recitat, pone astante consecrando, seu initiando ; qua perfecta ad initiandum conversus sacerdos eum interrogat, num abjuret non modo dividuas distinctasque vitas, id est, ut exponit vetus ejus scholiastes, quæ ad mundum pertinent, et in multas partes divisæ sunt, ut sunt mercaturæ et contractus, sed etiam an renuntiet visis, id est, ut explicat idem scholiastes, mentis cupiditatibus, perturbationibus, motuumque imaginibus, deinde perfectissimam ei vitam exponit. Quæ ubi omnia is qui initiatur, se facturum professus est, sacerdos eum signo crucis consignatum tundet appellans tres personas divinæ beatitudinis, omnique veste detracta illum alia induit, et cum aliis sanctis viris, qui adsunt. Ubi eum salutavit, divinorum mysteriorum facit participem. In his notandum est unicum illius temporis votum monachorum, quod non est aliud quam morum conversionis promissio, cum initiandus seu consecrandus interroganti sacerdoti promittit se ea quæ mundi sunt, atque etiam mentis cupiditates, perturbationes, motuumque imagines abjurare, seque posthac perfectissimam vitam ducturum.

[a] *Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis*, etc. Ex his et sequentibus verbis : *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda*, etc., discendum est novitios olim toto tirocinii seu probationis tempore sæcularibus vestibus fuisse indutos, nec nisi illo expleto monachi vestem induere solitos. Id clarum est ex synodo Constantinopolitana, et Codicis lege supra citatis. Ita statuit Cæsarius Arelatensis cap. 3 Regulæ : « Sed uni ex senioribus tradita anno integro in eo quo venit, habitu, perseveret. » Conc. Aurel. v, can. 19 : Quæcunque puellæ seu propria voluntate monasterium appetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intrant veste permaneant. In his vero monasteriis ubi non perpetuo tenentur inclusæ, triennium in ipsa qua intraverint veste permaneant ; et postmodum secundum statuta monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. » Sanctus Fructuosus abbas cap. 18 : « Et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur et postquam probatus in cunctis obedientiis fuerit ; » et paulo post : Postmodum exuatur sæcularibus vestibus, et induatur monasteriis religiosis simplicibus. » Regula Tarnatensis : « Et nisi expleto anno nullus habitum mutare permittatur. » Ita etiam Magister cap. 90. Additio 1 Capitul. Lud. imp., tit. 34 : « Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod Regula præcipit, inde faciet : ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedien-

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 1).

[c] Quod si quis de sæculo in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefaciant. Quod si omnia apte susceperit, sic digne a fratribus [f] in cellula suscipiatur. [g] Nam si aliquam [h] in cella voluerit inferre substantiam, [i] in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptum fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed nec de se ipso ab illa judicabit hora.

§ III. — Item ex aliorum Patrum Regula (*cap.* 4).

[j] Qualiter vero examinatio erga eos qui de sæculo convertuntur teneri debeat, ostendamus. Amputandæ sunt primo ab hujusmodi divitiæ sæculi,

tiam promittat. » In Justiniani Novella 5, cap. 2, videmus eos usos aliquando tonsura et veste eorum, qui tunc laici in monasteriis appellabantur. Postea novitii apud Græcos induti sunt raso, seu rasa veste, et hinc appellati ῥασοφόροι, id est, rasum ferentes, ut videre est apud Theodorum Balsamonem in can. 5 synodi Constantinopolitanæ supra citatæ, et ῥασοφορεῖν, id est rasum ferre apud eumdem Balsamonem in can. 19 epist. S. Basilii ad Amphilochium : κἂν γὰρ μὴ ἀποκαρῇ τις, ἀλλὰ ῥασοφορήσῃ, id est, si quis non tonsus fuerit, sed rasum ferat, id etiam patet ex Euchologio Græcorum : Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφορούντα, id est, ordo instituendi novitii rasum ferentis. »

[b] *Consenserit ut egrediatur*, etc. Cap. 48 S. P. Benedicti incorrigibilem monachum ejiciendum esse decernit ; hoc vero cap. statuit projiciendum essé eum qui vult exire : quod ita intelligendum est, si tentationi succumbens, sæpius rogatus ut maneat, nolit omnino Regulæ et abbati morem gerere : quia dum invitus retineretur, totum conventum turbaret, multosque ex fratribus subverteret. Quod quidem clarius fiet ex verbis Magistri, c. 90 Regulæ : « Ne forte (quod non in conversis contingat) cum ad suos vomitus redire voluerit, et sæculi elegerit iterato repedare itinera, et nullis scripturarum, vel monitionis potuerit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est, id est, exutus sanctis vestibus, et suis, quibus venerat, vestitus, resimilans sæculo ad suasorem diabolum revertatur. »

[c] *Exutus rebus monasterii*. Projiciendus monasticis vestibus exuitur : quia non decet aliquem veste monachica indutum cum sæcularibus habitare, aut forte vagari, ob scandalum.

[d] *Petitionem ejus*, etc. Non est petitio reddenda projecto : quia potest illum abbas cogere, ut ad monasterium redeat, ait Smaragdus : quia etiam forsitan in militiam ascribi, aut uxorem ducere vellet, et recepta illa petitione se esse monachum negaret.

[e] *Quod si quis*, etc., Habetur in Regula tertia cod. Flor., ubi pro his verbis scribitur : *Placuit fide.*

[f] *In cellula*. Id est, in monasterio.

[g] *Nam*. Id est, *verum*.

[h] *In cella*. Id est, in monasterio.

[i] *In mensa ponatur*. Mensa hoc loco est communis monasterii substantia, seu possessio. Ita apud S. Gregorium Turonensem, lib. XI, cap. 3, dicitur : *Mensa canonicorum*. Acta S. Cæsarii Arel. Hist. l. 1 : « Donec omnes ab ipso essent redempti eo argento quod venerabilis Eonius antecessor ejus ecclesiæ mensæ reliquerat. »

[j] *Qualiter vero*, etc. Hoc caput invenire est in Regula ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor.

morum, et obedientia [a] coram Domino et sanctis ejus; [b] ut si aliquando aliter fecerit, [c] a Deo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat [d] petitionem [e] ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, et abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe, si nescit litteras, alter ab eo rogatus scribat; [f] et ille novitius signum faciat, et manu sua [g] eam super altare ponat. Quam dum posuerit, [h] incipiat ipse novitius mox hunc versum : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab exspectatione mea.* [i] Quem versum omnis congregatio respondeat.

carmine de contemptu mundi et vita monachorum :

Vovistis Domino vestros convertere mores :
Jam non peccetis, sit modus et vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus :
Sit castus, quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis, captabat honores :
Hinc jam vilescant census honorque sibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa :
Nunc tenuem victum sobria mensa dabit.
Ipse suis lætus successibus esse solebat :
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis et auro :
Veste modo vili squalida membra tegat.
Verbosus taceat, mitescat fervidus ira,
Invidus invidia dira venena vomat.
Cuique prius cædes placuit, placuere rapinæ,
Nunc pius et mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantum ventosa laudet tumebat,
Nunc hominum laudes æstimet esset nihil.
Et qui sponte malus, gratisque nocere solebat
Nunc etiam lætus utilis esse velit.
Ad lites fuit hic facilis, ad jurgia præceps :
Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,
Omnia robusto corde molesta ferat.
Pax animæque quies inter convicia duret :
Nam fortem rerum nulla procella movet.
Hæc veniam fratres conversio vera meretur :
Hæc valet offensum flectere vita Deum.

Conversio morum est qualis decet monachum, non modo a gravioribus noxis se abstinere, sed etiam a levioribus culpis; oblectamenta mundi etiam licita et honesta fugere; vitam duram et austeram amplecti; se a sæculi actibus alienum facere; crucem ferre; et perfectioni evangelicæ impensius studere. Quod autem hæc tria vota stabilitatis, conversionis morum et obedientiæ maxime conveniant statui monastico, sic declaratur. Quia mens humana inconstans est, et mutationi obnoxia, convenienter admodum institutum est votum stabilitatis, per quod promittit monachus se perseveraturum in statu cœnobitico, ut supra exposuimus. Quia vero non sufficit permanere in cœnobio, sed convenienter statui cœnobitico vivendum est, accedit secundum votum, conversio videlicet morum, juxta rationem a S. Anselmo, et a nobis explicatam. Quia tandem in congregatione multæ possunt oriri difficultates, diversæ opinationes et studia, ex quibus non leves procellæ et tempestates surgere et excitari possunt in cœnobio, et quia etiam circa perfectam vivendi rationem multæ possunt singulis monachis illusiones obvenire, votum obedientiæ convenientissime adjunctum est; ut singuli et omnes monachi uni rectori subditi summa cum securitate et tranquillitate, et sine ulla dæmonum infestatione in ejusmodi statu cœnobitico vivere possint.

[a] *Coram Domino.* Vulgo : *Coram Deo.*

[b] *Quod si aliquando*, etc. Circa hanc doctrinam hæc verba S. Gregorii papæ cap. citato notanda veniunt : « Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat; qui dum verba audit, corda discutit, et ex textu professionis usuras exquirit robusti operis, hæc namque novitiorum mentes audiant, et expavescant. »

[c] *A Deo.* Ita S. Dunstanus, vulgo legitur : *Ab eo.*

[d] *Petitionem.* Id est, scripturam obligatoriam. Petitio enim est syngrapha, chirographum, charta donationis, ut clarum est ex Cassiodoro, libr. 1 Var., epist. 18 : « Si Romani prædium, ex quo, Deo propitio, fontis finenta transmisimus; ubi primum Italiæ nos suscepit imperium, sine delegatoris cujusquam petitione præsumptor barbarus occupavit, id priori domino semota dilatione restituat. » Et recta lectio; nec legendum, *Pictatio*, ut quibusdam placet.

[e] *Ad nomen sanctorum, et præsentis abbatis.* Tanquam testium.

[f] *Et novitius signum faciat.* Sive per se petitionem scribat, sive per alium. Antiqua olim fuit consuetudo in ejusmodi petitione imprimere signum crucis; quæ hodie perseverat, ut videre est ep. 13 Arnulphi Lexoviensis episcopi : « Nosse si quidem debes in eo, qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam prælato suo viva voce, et scripto juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signavit. »

[g] *Eam super altare ponat.* Tanquam Deo offerens ad majorem confirmationem; qua de re hoc cap. ad Regul. Tarnatensem.

[h] *Incipiat ipse novitius hunc versum*, etc. Idem præcipitur in veteri Ordine Romano, in ordine monachi : « Et indutus ipsum melotem corpore prostratus ante altare dicat hunc versum : Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam. »

[i] *Quem versum omnis congregatio respondeat.* Ita in cod. Vind.; videtur tamen deesse τὸ *tertio*, id est, ter, quod habetur tam in editis quam in cæteris codicibus nostris mss. Quod ex veteri Ordine Romano confirmatur loco citato : « Per tres vices omnibus eumdem versum respondentibus. » Respondeat, id est, dicat : Novitius igitur semel versum dicit, chorus vero ter repetit, adjungens : *Gloria Patri* : cui Magister cap. 90 Regulæ hæc subjungenda præcipit : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Post quem versum dictum, mox data ab omnibus pace, compleat abbas. » Smaragdus vero ait post gloriam, dicendam esse orationem Dominicam sub silentio, et subsequentem collectam ab abbate : *Suscipe, quæsumus, Domine, hunc famulum tuum ad te de procella sæculi hujus, laqueisque diaboli fugientem : ut a te susceptus, et instanti sæculo salvatum, et in futuro se gaudeat a te feliciter remuneratum. Per Christum.* Vetus Ordo Romanus multas addit orationes. Quædam etiam alia, quæ olim observabatur, notanda veniunt. Ex Ruperto libr. VIII de Spiritu sancto, cap. 8 : « Episcopus, ait B. Gregorius, debet missam celebrare in ordinatione presbyteri, et abbas in consecratione monachi, et quatuor orationes super caput ejus dicere; et sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur; et ita usque ad diem tertium velatum habeat caput cum silentio summo et debita reverentia figuram gestans Dominicæ Passionis. Die autem tertia tollat abbas capitium de capite ejus : ut depositâ tristitia veteris peccati revelata facie gloriam Dei speculetur. Secundo ergo baptizatus est, et emundatus ab omnibus peccatis. Et subinde tribus diebus sunt sub silentio juxta apostolos, qui ob metum Judæorum in conclavi residebant, usquedum die tertio resurgens Christus dicit : *Pax vobis* : sic abbas det pacem monacho, et capitium de capite ejus auferat. » Hæc capitis velatio triduana constituitur longe ante Ruperti ætatem, addit. prima Capitul. Lud. imperatoris, tit. 35 : « Ut monachus professione facta tribus diebus coopertum habeat caput. » Sed ut rem ab ipsa origine repetamus, breviter perstringendum est qualiter se prima illa temporibus apostolorum Ecclesia gerebat. Primo,

nis congregatio respondeat, adjungentes, *Gloria Patri*. Tunc ipse frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo. Et jam ex illa die in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemni donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus : quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. [a] Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo [b] consenserit, ut egrediatur de monasterio (quod absit) tunc [c] exutus rebus monasterii projiciatur. Illam tamen [d] petitionem, quam desuper altari abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio servetur.

A

B

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 1).

[e] Quod si quis de sæculo in monasterio converti voluerit, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefaciant. Quod si omnia apte susceperit, sic digne a fratribus [f] in cellula suscipiatur. [g] Nam si aliquam [h] in cella voluerit inferre substantiam, [i] in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si susceptum fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed nec de se ipso ab illa judicabit hora.

§ III. — Item ex aliorum Patrum Regula (*cap.* 4).

[j] Qualiter vero examinatio erga eos qui de sæculo convertuntur teneri debeat, ostendamus. Amputandæ sunt primo ab hujusmodi divitiæ sæculi,

ut tradit S. Dionysius Areopagita cap. 6 Eccl. Hierarchiæ, sacerdos stans ante altare orationem quæ monachum attingit, recitat, pone astante consecrando, seu initiando; qua perfecta ad initiandum conversus sacerdos eum interrogat, num abjuret non modo dividuas distinctasque vitas, id est, ut exponit vetus ejus scholiastes, quæ ad mundum pertinent, et in multas partes divisæ sunt, ut sunt mercaturæ et contractus, sed etiam an renuntiet visis, id est, ut explicat idem scholiastes, mentis cupiditatibus, perturbationibus, motuumque imaginibus, deinde perfectissimam ei vitam exponit. Quæ ubi omnia is qui initiatur, se facturum professus est, sacerdos eum signo crucis consignatum tundet appellans tres personas divinæ beatitudinis, omnique veste detracta illum alia induit, et cum aliis sanctis viris, qui adsunt. Ubi eum salutavit, divinorum mysteriorum facit participem. In his notandum est unicum illius temporis votum monachorum, quod non est aliud quam morum conversionis promissio, cum initiandus seu consecrandus interroganti sacerdoti promittit se ea quæ mundi sunt, atque etiam mentis cupiditates, perturbationes, motuumque imagines abjurare, seque posthac perfectissimam vitam ducturum.

tiam promittat. » In Justiniani Novella 5, cap. 2, videmus eos usos aliquando tonsura et veste eorum, qui tunc laici in monasteriis appellabantur. Postea novitii apud Græcos induti sunt raso, seu rasa veste, et hinc appellati *ῥασοφόροι*, id est, rasum ferentes, ut videre est apud Theodorum Balsamonem in can. 3 synodi Constantinopolitanæ supra citatæ, et *ῥασοφορεῖν*, id est rasum ferre apud eumdem Balsamonem in can. 19 epist. S. Basilii ad Amphilochium : *κἂν γὰρ μὴ ἀποκαρῇ τις, ἀλλὰ ῥασοφορήσῃ*, id est, si quis non tonsus fuerit, sed rasum ferat, id etiam patet ex Euchologio Græcorum : *Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφορούντα*, id est, ordo instituendi novitii rasum ferentis. »

[a] *Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis*, etc. Ex his et sequentibus verbis : *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda*, etc., discendum est novitios olim toto tirocinii seu probationis tempore sæcularibus vestibus fuisse indutos, nec nisi illo expleto monachi vestem induere solitos. Id clarum est ex synodo Constantinopolitana, et Codicis lege supra citatis. Ita statuit Cæsarius Arelatensis cap. 3 Regulæ : « Sed uni ex senioribus tradita anno integro in eo quo venit, habitu, perseveret. » Conc. Aurel. v, can. 19 : Quæcunque puellæ seu propria voluntate monasterium appetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intrant veste permaneant. In his vero monasteriis ubi non perpetuo tenentur inclusæ, triennium in ipsa qua intraverint veste permaneant; et postmodum secundum statuta monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. » Sanctus Fructuosus abbas cap. 18 : « Et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur et postquam probatus in cunctis obedientiis fuerit; » et paulo post : Postmodum exuatur sæcularibus vestibus, et induatur monasteriis religiosis simplicibus. » Regula Tarnatensis : « Et nisi expleto anno nullus habitum mutare permittatur. » Ita etiam Magister cap. 90. Additio 1 Capitul. Lud. imp., tit. 34 : « Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod Regula præcipit, inde faciet : ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedien-

[b] *Consenserit ut egrediatur*, etc. Cap. 48 S. P. Benedicti incorrigibilem monachum ejiciendum esse decernit; hoc vero cap. statuit projiciendum esse eum qui vult exire : quod ita intelligendum est, si tentationi succumbens, sæpius rogatus ut maneat, nolit omnino Regulæ et abbati morem gerere : quia dum invitus retineretur, totum conventum turbaret, multosque ex fratribus subverteret. Quod quidem clarius fiet ex verbis Magistri, c. 90 Regulæ : « Ne forte (quod non in conversis contingat) cum ad suos vomitus redire voluerit, et sæculi elegerit iterato repedare itinera, et nullis scripturarum, vel monitionis potuerit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est, id est, exutus sanctis vestibus, et suis, quibus venerat, vestitus, resimilans sæculo ad suasorem diabolum revertatur. »

C

[c] *Exutus rebus monasterii*. Projiciendus monasticis vestibus exuitur : quia non decet aliquem veste monachica indutum cum sæcularibus habitare, aut forte vagari, ob scandalum.

[d] *Petitionem ejus*, etc. Non est petitio reddenda projecto : quia potest illum abbas cogere, ut ad monasterium redeat, ait Smaragdus : quia etiam forsitan in militiam ascribi, aut uxorem ducere vellet, et recepta illa petitione se esse monachum negaret.

D

[e] *Quod si quis*, etc., Habetur in Regula tertia cod. Flor., ubi pro his verbis scribitur : *Placuit fide.*

[f] *In cellula.* Id est, in monasterio.

[g] *Nam.* Id est, *verum.*

[h] *In cella.* Id est, in monasterio.

[i] *In mensa ponatur.* Mensa hoc loco est communis monasterii substantia, seu possessio. Ita apud S. Gregorium Turonensem, lib. XI, cap. 3, dicitur : *Mensa canonicorum.* Acta S. Cæsarii Arel. Hist. l. I : « Donec omnes ab ipso essent redempti eo argento quod venerabilis Eonius antecessor ejus ecclesiæ mensæ reliquerat. »

[j] *Qualiter vero*, etc. Hoc caput invenire est in Regula ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor.

[a] [quod] si habet ipse divitias, quas amputare debeat, quas Spiritus sanctus ostendit [b] per Salomonem dicens : *Odit anima mea pauperem superbum, et divitem mendacem* (*Eccli.* XXV) ; et alio loco dicit : *Sicut vulneratum, superbum* (*Psal.* LXXXVIII). Debet ergo is qui præest Pater magno studio hanc regulam tenere, ut si pauper convertitur, primo [c] exponat sarcinam superbiæ : [d] [et] quia ille debet ante omnia humiliter imbui quod magnum et Deo sacrificium acceptum est. Nam suam voluntatem non faciat unusquisque vestrum, fratres, sed ad omne opus bonum parati estote, vel quidquid acciderit, aut justum fuerit, memores esse debetis, *in tribulatione patientes* (*Rom.* XII), in operibus honesti. Nolite vos invicem ad iracundiam provocare ; sed semper bona sectamini. Hi qui tales sunt, cum de sæculi latebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada pro foribus jungantur, [e] et durus sermo et laboriosus eis proponatur : si vero perseveraverint pulsantes, eis non negetur ingressus ; sed is qui præest Pater hujuscemodi homines introire permittat, et qualiter vitam fratrum vel Regulam tenere possint, ostendat. Quod si dives est, habens multas divitias, et converti voluerit, debet primo Dei voluntatem implere, et consequi præceptum illius, præcipue quod adolescenti diviti dicitur : [f] *Vende omnia tua, et da pauperibus ; et tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XIX). Deinde instruendus est ab eo, qui præest, Patre, ut nihil sibi relinquat nisi crucem Christi, quam teneat, et sequatur Dominum. Crucis vero fastigia [g] quæ tenenda sunt, [h] primo omni obedientia non suam voluntatem facere, sed alterius. Quod si voluerit in monasterio [i] partem conferre, [j] noverit quo ordine sive ipse, sive ejus oblatio suscipiatur. Et, si voluerit de suis servis secum in monasterio conducere, noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille.

§ IV. Ex Regula sancti Macarii

[k] Ergo si quis voluerit ad monasterium converti, Regula ei introeunti legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. Quod si omnia apte sustinuerit, sic digne a fratribus suscipiatur in monasterio. Nam si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quod si [l] susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa judicabit hora. Nam si aliquid prius intulit fratribus, ipsi tamen non est licentia ut aliquid habeat in sua potestate. [m] Et, si ex qualibet causa scandali post tertium diem exire voluerit, nihil penitus accipiat nisi in veste qua venit. Quod si casu [n] transierit, nullus hæredum ejus [o] adire debeat. Quod [p] si impulsare voluerit, [q] Regula ei legatur, et confundatur turpiter, et discedat confusus, quia et illi, a quo repetit, fuerit recitata.

§ V. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 49).

[r] Si quis accesserit ad ostium monasterii volens sæculo renuntiare, et fratrum [s] aggregari numero, non habebit intrandi libertatem, sed prius nuntiabitur Patri monasterii, et paucis diebus manebit foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam

[a] *Quod si habet ipse.* Ita in cod. Flor. ; tamen τὸ *quod* videtur redundare.

Per Salomonem. Hic textus non est Salomonis, sed Jesu filii Sirach, Ecclesiastici cap. XXV.

[c] *Exponat.* Ita cod. Flor, id est, *deponat.* Nonnius Marcellus, cap. 4, *exponere, deponere,* Virg. lib. XI :

> . . . . . socios de puppibus altis
> Pontibus exponunt. . . . . .

Et *exponere veterem hominem* apud Tertullianum lib. de Resurrectione carnis, id est, deponere. Et *expositio,* id est, depositio, apud eumdem lib. de Præscript. Hæret., *Expositionem peccatorum de lavacro repromittit.*

[d] *Et quia ille.* Ita in ms. Regula. Sed copula redundat.

[e] *Et sermo durus et laboriosus eis proponatur.* Ita apparet correctum in nostra Concordia. Sed lege, ut in Concordia Vindocinensi, *Et semper dura et laboriosa eis proponantur,* juxta illud S. P. Benedicti : *Prædicentur ei dura et aspera, per quæ itur ad Deum.*

[f] *Vende omnia tua,* etc. Matth. XIX, Marc. X, Luc. XIX ; in quibus tamen locis non sunt hæc verba, *et tolle crucem tuam,* sed addita ab hujus Regulæ auctoribus, quod facerent ad propositum

[g] *Quæ tenenda sunt.* Supple *ostendat.*

[h] *Primo omni obedientia non suam facere voluntatem, sed alterius.* Ita in Regula ms. cod. Flor., sed videntur quædam deesse.

[i] *Partem.* Bonorum suorum videlicet.

[j] *Noverit jam non eum servum habere,* etc. Ita B. Joannes de Monte Mirabili servum quem secum duxerat in monasterium, non solum habebat ut fratrem, sed etiam ei serviebat.

[k] *Ergo si quis,* etc. Eorum quæ hic citantur sub nomine S. Macarii, media pars supra hoc capite ex regula Patrum producta est. Quædam vero habentur in R. Ms. tertia cod. Flor. cujus initium est : *Cum in nomine Domini una cum fratribus nostris conveniissemus.*

[l] *Susceptus.* Lege, *suscepta.*

[m] *Et, si ex qualibet causa scandali.* Hæc usque ad finem hujus capituli non exstant in citata Regula cod. Flor.

[n] *Transierit.* Id est, mortuus fuerit.

[o] *Adire debeat.* Nempe hæreditatem ejus de bonis quæ monasterio intulerat.

[p] *Impulsare.* Usurpatur pro *pulsare,* quod est aliquem in jus vocare, agere in aliquem, citare aliquem. Conc. Aurelian. V, can. 7 : « Ejusmodi quoque libertas si a quoquam pulsata fuerit, cum justitia ab ecclesiis defendatur. » Cassiodorus, lib. Var., epist. 8 : « Si nihil est quod rationabiliter a pulsato possit opponi, postulatas res tutori facias sine dilatione restitui. » Lib. II legis Longobardorum, tit. 13 : Si intra quinque annos creditor pulsaverit, et debitor non habuerit unde solvat, » etc. Glossæ veteres, *pulsat,* αἰτιᾶται, id est, accusat.

[q] *Regula ei legatur.* Ut cognoscat pulsator seu actor non esse repetenda ea quæ a monacho collata sunt monasterio, et quod hanc legem monachus non ignoraverit.

[r] *Si quis accesserit,* etc. Hæc habentur in Regula edita S. Pachomii, art. 26.

[s] *Aggregari.* In Regula excusa, *congregari.* Male.

ac psalmos, [a] quantos poterit ediscere, et diligenter sui experimentum dabit, [b] ne forte mali quippiam fecerit [c] et turbatus ad horam timore discesserit, aut [d] sub aliqua potestate sit. Et utrum possit renuntiare parentibus suis, et propriam contemnere facultatem. Si enim viderint aptum ad omnia, docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas facere debeat, quibusque servire sive in collecta omnium fratrum, sive [e] in domo cui tradendus est, sive [f] in vescendi ordine, ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, et induent habitu monachorum, tradentque ostiario, ut orationis tempore adducat eum in conspectu omnium; sedebitque in loco ubi ei præceptum fuerit. Vestimenta autem quæ secum detulerat accipient qui huic ei rei præpositi sunt, et referent in [g] repositorium, eruntque in potestate principis [h] monasteriorum.

§ VI. — *Item* (*cap.* 1).

[i] Qui i rudis [k] in collectam sanctorum ingreditur, et quem per ordinem janitor ab ostio monasterii introduxerit et sedere fecerit [l] in conventu fratrum, non licebit ei sedendi locum vel ordinem mutare, [m] donec eum transferat.

§ VII. — Ex Regula sancti Basilii. (*cap.* 5).

Interrog. [n] Si oportet eum qui servis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum, [o] Domino dicente: *Vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX). Et iterum: *Vendite omnia quæ habetis, et date eleemosynam* (*Luc.* XII)? *Resp.* Arbitror quidem quod is qui accedit ad Dei servitium non debeat contemnere et ut libet reliquere ea quæ sibi competunt, [p] sed temnet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quæ jam a Domino consecrata sunt, quantum fieri potest, rationabiliter dispensare, sciens quia non est absque periculo in opere Dei agere negligenter. Si vero propinqui ejus vel parentes contra fidem veniant, debet rursus meminisse Domini dicentis: *Quia non est qui reliquerit domum aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiet centuplum in præsenti tempore, et in futuro sæculo vitam æternam* (*Marc.* X). [q] Verumtamen non oportet eum his qui sibi quæ sua sunt denegant, resistere, sed fidem facere, protestari, et denuntiare, quia sacrilegii crimen incurrunt, secundum mandatum Domini dicentis: *Quia si peccat in te frater tuus, vade et argue eum* (*Matth.* XVIII). Et reliqua. Judicio vero experiri de his apud judices sæculi abnuit religionis auctoritas per id quod dixit Apostolus: *Audet aliquis vestrum negotium habens adversus alium judicari apud injustos, et non apud sanctos* (*I Cor.* VI). Et rursum: [r] *Quia jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos* (*Ibid.*).

§ VIII. — *Ex eadem Regula* (*cap.* 6 [s]).

Interrog. Si oportet omnes qui veniunt ad nos suscipere, aut cum probatione, aut qualis ista debet esse probatio, cum Dei clementia omnes vocet, et per illam prædicationem qua dicitur: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI)? — *Resp.* Non est absque discrimine abjicere quempiam venientem ad nos. Verumtamen neque immundis (ut aiunt) pedibus indulgendum est introire quempiam in sanctam doctrinam; sed sicut Dominus noster Jesus Christus juvenem illum qui ad se venerat, interrogavit de priore vita sua: et cum audisset quia recta ei transacta esset, quod deerat ei præcepit adimplere: et ita domum jussit eum sequi se. Ita etiam nos oportet inquirere de præterita vita et conversatione, ne forte simulata quis mente et fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoscitur, si facile omnem laborem corporis, qui injungitur, ferat, et ad castitatem vitæ pronus inclinatur: vel si etiam delictum aliquod suum, cum interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, et medelam delicti, quæ adhibita fuerit, graviter assumit: et, si ad omnem humilitatem absque ulla iracundia inclinatur, ac vilioribus et abjectioribus artificiis (si ita ratio poposcerit) tradi se non aspernatur. Cum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus, quia firma mente, et stabili consilio, ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Et priusquam corpori

[a] *Quantos*, Id est, *quot*; ut, tantos, *tot*, de quibus supra.

[b] *Ne forte mali quippiam fecerit.* In Regula edita non est τὸ *mali*, sed restituendum est.

[c] *Et turbatus ad horam timore*, etc. Lege, *et turbatus timore ad horam*, etc.

[d] *Sub aliqua potestate.* Id est, servus.

[e] *In domo cui tradendus est.* Id est, in domo in qua manere debeat: quia S. Pachomii monasterium suo continebat ambitu plures domos, in quibus habitabant fratres sub singulis domorum præpositis, ut toties dictum est.

[f] *In vescendi ordine.* Id est, in refectorio, ut artic. 2 ejusdem Regulæ: *Et in vescendi ordine corripietur.*

[g] *Repositorium.* Est vestiarium hoc loco.

[h] *Monasteriorum.* Lege, *Monasterii*

[i] *Qui rudis*, etc. Hoc capitulum non exstat in Regula S. Pachomii edita.

[j] *Rudis.* Id est, novitius.

[k] *In collectam sanctorum.* Id est, in ecclesiam.

[l] *In conventu fratrum.* Sive in ecclesia, sive in refectorio.

[m] *Donec eum transferat.* Janitor, ad alium locum videlicet.

[n] *Si oportet eum*, etc. Hæc habentur apud S. Basilium, interr. 9 Regul. fusius disputatarum, sed valde hic contracta.

[o] *Domino dicente*, etc. Hæc testimonia sunt in responsione in textu Græco.

[p] *Sed temnet.* Lege, *sed contendet.* Nam in textu Græco est, ἀλλὰ πειρᾶσθαι, id est, sed contendere; alioqui nullus est sensus.

[q] *Verumtamen non oportet*, etc. Hæc ita emendavi, quia valde corrupta erant in Concordiæ codice.

[r] *Quia jam quidem omnino*, etc. Hic locus non exstat in textu Græco

[s] Interrog. 6 Reg. fusius disp.

fraternitatis inseratur, oportet ei injungi quædam laboriosa opera, et quæ videantur opprobria haberi a sæcularibus ; et observari oportet si libenter hæc et libere et fiducialiter expleat, nec confusionem eorum graviter ferat; vel etiam, si in labore impiger inveniatur ac promptus.

§ IX. — *Item interrogatio* [a] (*cap.* 18).

Quoniam scriptum est : *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus* (*Prov.* x), nobis, quibus non accidit dispergere pro animæ redemptione divitias, quid faciemus? Si quidem voluimus, et non potuimus, memores simus responsionis Domini ad Petrum : cum de hac re sollicitus esset ac diceret: *Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX.) Respondit ei dicens : *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, centuplum accipiet, et vitam æternam consequetur* (*Ibid.*). Quod si per negligentiam accidit cuiquam amisisse divitias, vel nunc adhibeat propensius studium, ut ex opere manuum largiens neglectum resarciat censum. Quod si non nunc quidem vel tempus nobis superest vel virtus ad hujuscemodi ministerium, consolatur nos Apostolus dicens : *Non quæro quæ vestra, sed vos* (*II Cor.* XII).

§ X. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 5).

[b] Qui vero renuntians sæculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum delegandus est monachorum. Vitam enim uniuscujusque in hospitalis servitio tribus mensibus considerari oportet, quibus peractis ad cœtum sanctæ congregationis accedere. Neque enim suscipi intus quemquam convenit, nisi prius foris positus ejus humilitas sive patientia comprobetur. Qui relicto sæculo ad militiam Christi pia et salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum aut indigentibus dividant, aut monasterio conferant. Tunc enim servi Christi liberum animum divinæ militiæ offerunt, quando a se spei sæcularis vincula cuncta præscidunt. Qui non rigida intentione convertitur, cito aut superbiæ morbo, aut vitio luxuriæ subditur. Nequaquam ergo debet a tempore inchoare, qui mundo renuntiat, ne per ipsum teporem rursus in amorem sæculi cadat. Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi se prius [c] ibi scripitis suæ professionis spoponderit permansurum. [d] Sicut enim hi qui sæcularem promoventur ad militiam, in legionem non transeunt nisi antea in tabulis conferantur, ita hi qui in spiritalibus castris [e] cœlesti militia sunt signandi, nisi prius professione verbi aut scripti teneantur, in numerum societatemque servorum Christi transire non possint.

§ XI. — Ex Regula Ferreoli (*cap.* 5).

Si quis veniat religionem expetens monasterium intraturus, [f] nisi enim sobrius anni circulo [g] aut certe si abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex menses dierum numero compleantur, monachorum contubernio non jungatur : ut in tanto spatio ignorantibus, qualis sit futurus, ostendat, et diurna observatione carere possit, si quid secum crudelitatis attulerit. At vero quando prius ad monasterium venit, et recipi se in numero postulat monachorum, interrogetur ab eo utrum liber sit. Hæc abbati primum cum satisfecerit responsio, adjiciat si nulla præter devotionis causam compulsus

[a] Interr. 89 Reg. brev.

[b] *Qui vero*, etc. Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 4.

[c] *Ibi scriptis suæ professionis*, etc. In Regula edita *Ipse scripto se spoponderit permansurum.*

[d] *Sicut enim hi qui ad sæcularem promoventur militiam*, etc. Tirones olim Romæ expleto tirocinii sui tempore, in quo multa probatione adhibita experimentum sui dabant an militiæ essent idonei, eorum nomine in matriculis scripto, dato sacramento, in legiones conscribebantur, ut docet Isidorus lib. VII Orig., cap. 3, et Vegetius lib. II de Re militari, cap. 5 : « Lectis junioribus, animis corporibusque præstantibus, additis etiam exercitiis quotidianis quatuor vel eo amplius mensium, jussu auspiciisque invictissimi principis legio formatur. Nam punctoris in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti jurare solent per Deum, et per Christum, et per Spiritum, et per majestatem imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est et colenda ; » et lib. I, cap. 8 : « Sed non statim punctis signorum inscribendus est tiro, verum ante exercitio prætentandus, ut utrum vere tanto operi aptus sit possit dignosci. »

[e] *Cœlesti militia sunt signandi.* Metaphora ducta, a militibus, qui expleto tirocinio quibusdam punctoris in cute signabantur, ut clarum est ex citatis Vegetii locis.

[f] *Nisi enim sobrius.* Locus corruptus, et legendum ut in altero exemplari : *Nisi elapso prius*, etc., ut sensus sit, Nullum in fratrum contubernium esse admittendum, nisi post unius anni, aut saltem sex mensium curriculum.

[g] *Certe si abbati visum fuerit aliquantulum temperare*, etc. Diximus supra probationis tempus olim aut trium annorum, aut unius anni spatio, ut plurimum, terminari solitum. Si tamen persona monasterium appetens religiose in mundo vixisset, aut in ea tempore probationis singularis quidam devotionis fervor eluxisset ; ante præfinitum tempus ad habitum, seu professionem admittebatur. Ita statuit synodus Constantinopolitana prima et secunda, can. 5 : Ἡ εἰ μήπω τις εἴη ἀνὴρ εὐλαβὴς, καὶ τὸν μοναχικὸν βίον ἐν τῷ κοσμικῷ διανύων σχήματι· ἐπὶ γὰρ τούτου ἀνδρὸς εἰς ἀπόπειραν πάντελῆ καὶ ὁ ἐξαμηνιαῖος ἀκαίρου χρόνος. Id est, « vel si quis nondum sit religiosus et tamen vitam monachicam in habitu sæculari peragens. Tali enim viro ad experientiam omnimodam semestre spatium sufficiet. » S. Fructuosus archiepiscopus, cap. 20 Regulæ : « Quod si quilibet conversus bonis ac puris moribus enitens, abbatis et aliorum fratrum spiritalium fuerit judicio comprobatus, pro merito et purificatione suæ conscientiæ celerius poterit fratrum consortiis misceri. » Regula Tarnatensis : « Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si pœnitentis fuerit tanta compunctio ut hoc sibi supplicatione assidua exigat, non negetur. » Sanctus Cæsarius Arelatensis, cap. 3 Regulæ : « Sed uni ex senioribus tradita, annum integrum in eo quo venit habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo, sit in potestate prioris : et quomodo personam vel compunctionem viderit, ita vel celerius vel tardius studeat temperare. » Ubi nota posse differri professionem, etiam completo probationis anno. Sed sacrum Tridentinum concilium, sess. 25, cap. 15, decrevit ne quis ante expletum probationis annum ad vitæ regularis professionem admittatur.

monasterium duxerit expetendum. Post hoc monasterii Regula abbatis ei jussu legatur, ut in posterum nihil novum vel inusitatum, aut si discessurus, prætereat; aut si permansurus, agnoscat. Vicinam tamen monasterio cellulam, dum prænotatum tempus observat, accipiat. Victumque quotidianum a monasterio, si [a] inter reliquos operetur, exspectet, lectioni ante omnia et orationi dans operam, ut dignetur eum ille Omnipotens scrutator animi, cognitorque secreti, familiæ suæ meritis sanctæ conversationis adnumerare: et fiat, sicut scriptum est, *unus grex, unus pastor.*

§ XII. Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 21).

[b] Conversum de sæculo Patrum decreta docent non suscipiendum in monasterio, nisi experimentum sui in opere [c] et penuriam opprobriis dederit et conviciis: [d] quique decem diebus persistens ad januam cœnobii orationibus et jejuniis, patientiæ et humilitati operam dederit. Sicque anno illo uni spiritali traditus seniori non statim commiscendus erit congregationi, neque [e] interna fratrum diversoria accedet, sed delegata in exteriore corte cellula perfruetur, ubi omnem sinceriter exerceat obedientiam: hospitibus sive peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, et omnia humiliter ministeria exercebit, fascemque lignorum suo quotidie dorso ferens hebdomadariis tribuet. Atque ita in omni penuria et vilitate subactus, expleto anno, probatus moribus et laboribus elimatus, [f] percepta in ecclesia benedictione, fratrum societate donetur: unique decano delegetur cunctis bonorum operum exercitiis edocendus. Quod si quilibet conversus, bonis ac puris moribus enitens, abbatis vel aliorum fratrum spiritalium fuerit judicio comprobatus, pro merito et puritate suæ conscientiæ celerius poterit fratrum consortiis misceri secundum quod abbatis vel fratrum [g] ob timorem consuerit deliberatio faciendum.

§ XIII. — *Item ipse* (*cap.* 22).

[h] Omnis conversus ut ad cœnobium venerit, seque suscipi postulaverit, confestim in conspectu totius congregationis adductus sciscitabitur ab abbate utrum liber [i] an servus sit; utrum bona et spontanea voluntate, an fortasse qualibet compulsus necessitate converti voluerit. Cumque ejus spontaneam ad conversionem præviderit existere voluntatem, neque quolibet eum [j] conditionis nexu [k] afflictum esse perspexerit, accipiet pactum ejus omnem suæ professionis continens originem, [l] in quo item ita se isdem convertens alligabit, ut omnia se instituta

[a] *Inter reliquos operetur.* Manibus suis; alioqui se suis sumptibus alat.

[b] *Conversum de sæculo*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi cod. Crass.

[c] *Et penuriam opprobriis.* In Regula ms. et Cod. Vind., *Et penuriam, et opprobriis;* in alio codice, *Penuria et opprobriis.* Lege, *in opere et penuria, in opprobriis dederit et conviciis.* Et *penuria* hoc loco est afflictio, maceratio, ut paulo post: *Atque ita in omni penuria et vilitate subactus.* Et cap. 17 ejusdem Regulæ: *Amplior et districtior animadversio, flagellorumque penuria irrogabitur.*

[d] *Quique decem diebus.* Totidem dies ambientes monachatum in monasteriis Ægypti pro foribus excubabant, teste Cassiano lib. IV de Inst., cap. 3.

[e] *Interna.* Ita correxi ex Regula ms., cum in nostra Concordia legeretur *integra.*

[f] *Percepta in ecclesia benedictione.* Antiquus mos est benedicendi monachos professionem emittentes. Acta S. Guillelmi Gellonensis: « Die natalis apostolorum Petri et Pauli Guillelmus comes auro textis depositis vestibus per Dei gratiam solemniter benedicitur. » Causa 20, qu. 3, cap. *præsens*, ubi agitur de quodam monacho excucullando auctoritate summi pontificis: « Salomon episcopus cum quibusdam aliis absque Patris oblatione, vel abbatis percepta et benedictione eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit. » Ægidius Aureæ Vallis monachus tom. II de Episcopis Leodiensibus, cap. 2, « Abbas Theodorieus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarii benedixit, et professi fecit. »

[g] *Ob timorem consuerit.* Lege, *optimorum censuerit.*

[h] *Omnis conversus*, etc. Exstat in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Bracar. eodem cap. 22, quod est *de susceptione conversi.*

[i] *An servus.* Quia nefas est admittere servum ad habitum monachicum invito domino. Unde S. Ferreolus supra: « Interrogetur ab eo, utrum liber sit. » Et Fructuosus abbas, cap 4 Regulæ: « Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem a proprio domino præ manibus attulerint præsentandam. » Ita sancitur can. 4 concilii Chalcedonensis, μηδένα προσδέχεσθαι δοῦλον ἐπὶ τὸ μονάσαι παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου, id est, nullum servum suscipere ad vitam monachicam præter voluntatem domini sui. » Ita statuitur Cod. L. *Servis*, de Episc. et Clericis, etc.; novella 12 Valentiniani imperatoris, et novella 11 Leonis imperatoris, in qua statuitur, ut servi ad monasterium confugientes quacunque de causa sive intra triennium, sive post triennium repetiti, inde avellantur, ut dominis restituantur. S. Basil., inter 11 Regul. fus. disp., prohibet præter dominorum suorum voluntatem recipi servos in monachos, si modo non cogantur a dominis suis Dei legem violare, alioqui recipiendos censet, etiam invitis dominis. Servorum conditioni indulgentior fuit Justinianus imperator, eorum saluti simul et vitæ monasticæ dignitati consulere cupiens novella 5, cap. 2, qua statuit, ut si servi ob mores flagitiosos, simulatione, non veritate sanctimoniæ, ex dominorum suorum ædibus ad monasterium fugerint, et furto aliquid forsitan sustulerint, si ita res est, intra triennium a dominis repetiti reddantur; sin autem secus sit, et compertum sit eos honeste apud dominos vixisse, sintque in monasterio mites et disciplinati, etsi nondum forte completum sit triennii tempus, in monasterio remanere debeant trahentium asperitate liberati. Si vero triennio expleto schema sumpserint monachale, ut pote digni judicati, ut non possint inde avelli a dominis suis decernit, etsi ob furtum aliquod et profligatos mores ad monasterium confugerint, furto tamen ablatis domino restitutis. Nam, ut ibidem ait imperator: « Si multis casibus etiam ex lege hoc sit et talis quædam libertas datur, quomodo non prævalebit divina gratia talibus eos absolvere vinculis? » Idem constituit novella 123, cap. 35. At libro V Capitularium Caroli et Ludovici imper., tit. 227, statuitur ut servi ad monasterium convolantes, si ante triennium repetantur, dominis restituantur, si post triennium, non inde trahantur. Vide Photium in Nomocanone, tit. 1, cap. 36, et tit. 2, cap. 3, et Theodorum Balsamonem ibidem, et in citatum canonem concilii Chalcedonensis.

[j] *Conditionis.* Id est, servitutis.

[k] *Afflictum.* Lege, *astrictum.*

[l] *In quo item se convertens alligabit.* Expleto vide-

cœnobii mente devota profiteatur implere : nec ea ullo unquam tempore violare, neque a districtione cœnobii, quam expetiit, polliceatur ullatenus evagari. Cumque hac se professione astrinxerit, subjiciatur regulis supra scriptis, per bonorum operum industriam quandoque Domino, placiturus.

§ XIV. — *Item Fructuosi* (*cap.* 4).

[a] Monachi qui ob religionis obtentum monasterium ingredi petunt, primum ante fores tribus diebus et noctibus excubent, et ex industria jugiter ab hebdomadariis exprobrentur. Quibus diebus peractis, primum interrogentur utrum liberi sint an servi. Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem [b] a proprio domino præ manibus attulerint præsentandam. Cæteri vero, sive liberi, sive servi, sive divites an pauperes, conjugati an virgines, stulti an sapientes, inscii an artifices, infantes an senes, si quispiam horum fuerit, acrius percontentur utrum recte abrenuntiaverint an non; si omnia fecerint quæ in Evangelio per vocem Veritatis audierunt : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV) ; [c] et illud quod dives quondam adolescens, qui omnia quæ in lege præcepta sunt se implesse jactabat, ad quem Dominus ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus : et veni, sequere me, habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX). [d] Iterum [ad eum] Dominus loquitur : *Qui vult esse perfectus* [e] [*qui*] *cum apostolis patrem et matrem, reteque et naviculam dimittit.* Et qui omnia dixit, nihil de propria facultate reservari mandavit : et non cuilibet, sed cuncta Christus pauperibus eroganda præcepit. Non enim dixit patri, non matri, non fratri, non propinquo, non consanguineo, non filio adoptivo, non uxori, [f] non liberis, non [g] Ecclesiæ, non principi terræ, non servis, exceptis libertatibus confirmandis. Cum hæc, quæ diximus, fuerit sciscitatus, postmodum [h] in ultimo gradu recipiatur. [i] Quod si horum quos supra diximus more pietatis vel unum nummum alicui male abrenuntians reliquit, statim eum foras pelli mandamus, quia non eum in apostolorum numero, sed Ananiæ et Saphiræ [j] sequacem esse videmus. Sciatis enim eum non posse in monasterio ad mensuram venire monachi, neque ad paupertatem descendere Christi, neque humilitatem acquirere, neque obediens esse, neque ibidem perpetuo perdurare, sed cum aliqua occasio pro aliquo a sui abbate monasterii distringendi aut emendandi accesserit, continuo in superbiam surget, et acediæ Spiritu inflatus monasterium fugiens derelinquet.

§ XV. — *Item ipse* (*cap.* 18).

[k] Comperimus per minus cauta monasteria, qui cum facultatibus suis prius ingressi sunt, postea tepefactos, cum grandi exprobratione [l] repetere et sæculum, quod reliquerant, ut canes ad vomitum revocare; et cum suis propinquis, quod monasterio contulerant, hoc extorquere, et judices sæculares requirere, et [m] cum sajonibus monasteria dissipare, et per unum negligentem multos simplices deturbatos videmus esse. Proinde solerter providendum est, et omni intentione discernendum, ut tales non recipiantur, quia non pro amore Christi isti veniunt, [n] sed vicina morte perterriti, et infirmitatis angustia compulsi, non ob amorem cœlestem incitati, sed solummodo pœnam formidantes inferni, de quibus apostolus ait : [o] *Qui timet non est perfectus in charitate, quoniam timor pœnam habet, sed perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* I). Non sunt isti discipuli Christi, et non in Ecclesia sunt requirendi, sed in membris Antichristi inveniendi sunt : non sunt accolæ terræ repromissionis, nec veri Israelitæ, sed de longinquo advenæ et proselyti : sed neque fratribus fideles neque in pugna inventi sunt fortes. Tales enim [p] in Levitico Dominum cognoscimus detestasse,

licet probationis anno, juxta ea quæ statuuntur capite superiori, alioqui secum pugnaret S. Fructuosus.

[a] *Monachi qui ob religionis obtentum*, etc. Hæc non exstant in Regula ms. S. Fructuosi arch., sed videntur esse alterius Fructuosi.

[b] *A proprio domino*. Supple *obtentam*.

[c] *Et illud quod dives quondam adolescens*. Supple *audivit*.

[d] *Iterum ad eum Dominus loquitur*. Tò *ad eum* redundat : nam post hanc responsionem non ultra locutus est contristato adolescenti, sed apostolis. Hæc autem verba : *Qui vult perfectus esse*, etc., sunt prolata ex memoria, non ex codice.

[e] *Qui cum apostolis*. Tò *qui* redundat.

[f] *Non liberis*. Seclusa tamen legitima, quam eis tenetur dare. Id docet Photius in Nomocanone, tit. 21, cap. 1, et habetur Cod. L., *Si qua mulier*. Idem de filio adoptivo dicendum est.

[g] *Non ecclesiæ*. Nisi forte sit ei curta supellex, et res familiaris angusta.

[h] *In ultimo gradu recipiatur*. Ad probationem videlicet.

[i] *Quod si horum quos supra diximus*. Adjeci pronomen, *quos*, quod desiderabatur.

[j] *Sequacem*. Id est, sectatorem. Paulus diaconus, lib. I Hist. Longobard., cap. 28, hymn. de S. Benedicto :

Hæc inter instar nectaris
Mirando plectro claruit :
Nam pinxit apte lineas
Vitæ sacræ sequacibus.

Significat etiam obedientem. Sidonius lib. VII, epist. 17, « Cujus disciplinæ si qui rebelles, ipse castiga; si qui sequaces, ipse collauda. »

[k] *Comperimus per minus cauta monasteria*, etc. Hæc non sunt S. Fructuosi archiepiscopi, sed alterius Fructuosi. His autem simile est illud Cassiani lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 4 : « Nam per alia minus cauta monasteria simpliciter quidam suscepti eorum quæ intuleraht, quæque in Dei opere fuerant dispensata, cum ingenti post blasphemia redhibitionem poscere tentaverunt. »

[l] *Repetere et sæculum*. Copula *et* transposita est. Sed lege : *Repetere sæculum ; et quod reliquerant, seu canes ad vomitum, revocare.*

[m] *Cum sajonibus*. Sajones sunt lictores, de quo vocabulo supra.

[n] *Sed vicina morte perterriti*, etc. Eorum qui gravi infirmitate oppressi cucullam induerunt, plenæ sunt historiæ.

[o] *Qui timet non est perfectus in charitate*. Joan. epist. I, cap. IV, ubi hæc sententia est aliis hujus loci posterior

[p] *In Levitico*. Non citavit ex codice, nam locus habetur Deut., cap. XX.

et in bello ne pergerent, prohibuisse : *Si quis*, inquit, *in corde pavidus est, non egrediatur ab bellum, vadat, et revertatur in domum suam : ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut et ipse timore perterritus est.* De talibus in Evangelio Veritas ait : *Quam difficile est, qui pecunias habent, intrare in regnum cœlorum!* (*Matth.* XIX.) Nihil enim de pristinis facultatibus suis [a] in eumdem locum ubi ingredi se petit monasterium vel unus nummus recipiatur, sed ipse manu sua cuncta pauperibus eroget ; et postmodum [b] quod probatus monasterio sub Regula introducatur : et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur. Et postquam probatus in cunctis obediens fuerit, et non [c] in plumbi lamina mollitus, sed acer perduraverit ut ferrum, postmodum exuatur sæcularibus vestibus, et induatur monasterii religiosis simplicibus, et adnotetur [d] in pacto, cum fratribus, et vivat inter monachos probatus et ipse monachus.

§ XVI. — *Item ipse* (*cap.* 19).

[e] Qui gravioribus culpis se deliquisse cognoscunt, primum eos optamus Regulæ colla submittere sub probatissimo abbate, in monasterio desudare, et cuncta retroacta peccata tanquam ægrotos medico spiritali seniori manifestare, et sicut publice peccaverunt, publice pœnitere, et pœnitenda ultro non committere : timorem de supplicio, amorem de regno, spem de misericordia habere, et nunquam desperare, [f] quia in ultimo est extrema vitæ justificare aut condemnare. Scriptum est enim : *Ipse judicabit extrema terræ.* Unumquemque Dominus in fine aut justificat aut condemnat, et universorum finem ipse considerat ; ut nec peccator, si fortiter ingemiscit, desperet veniam, nec justus de propria sanctitate confidat. Nihil prodest, si aliquis de regno hodie subtractus, a regni potentia exclusus, ferro constrictus hodie carceri est mancipatus : ita nihil obstat, si hodie a carcere quis rapitur, et in regali honore constituitur : nullus ei sordes carceris imputat ; sed hoc solum laudat quod in eo miratur. Sic nihil prodest justo bene vivere, et male vitam finire : ita magnum bonum est peccatori ad pœnitentiam redire ; olim male vivere, et postmodum bene finire, a nullo retroacta peccata imputata habere. Credimus judicem, qualem in fine invenerit, talem coronare, aut certe damnare. Et quamvis sint gravia delicta, non est tamen illico de Dei misericordia desperandum. Liquido ergo cognoscimus publicanos et peccatores nullo præcedente merito, qui futuri per justitiam erant damnandi, gratuita miseratione per brevem pœnitentiam esse redemptos. Sed non est in eis tam consideranda mensura temporis quam doloris. Agat ergo unusquisque dignam pœnitentiam secundum qualitates culparum, ut quis [g] in quo delicto se esse cognoscit reum, de eo delicto necesse est observare primum secundum instituta canonum, [h] In lege habetur ut quis cui quantum intulerit damnum, aut fecerit cædem, aut commoverit ultionem, judicis dirimatur judicio, et de numerositate solidorum ad suum reducatur arbitrium : ne fortasse persona damnet oppressum, et qui legali censura centenarium habebat incurrere damnum, tertiam reddat : [i] quod

[a] *In eumdem locum, ubi ingredi se petit monasterium.* Lege, *In eodem, ubi ingredi se petit, monasterio.*

[b] *Quod probatus.* Vocabulum *quod* redundat.

[c] *In plumbi lamina*, etc. Ex Regula S. Benedicti, cap. 1.

[d] *In pacto.* Videtur legendum, *in pittacio.* Pittacium, seu pictacium, est brevis, tabella, matricula. Glossæ veteres : πιττάκιον, *pittacium, brevis.* Glossæ Isidori : *Pittacium, epistola brevis et modica.*

[e] *Qui gravioribus culpis*, etc. Non modo qualescunque peccatores, sed etiam ii qui graviorum scelerum conscientia stimulantur, in monasterium admittendi sunt, si non simulata erratorum pœnitentia ducuntur. Christus clamat : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Laborantes sunt ii qui mediocribus vitiis affecti sunt ; onerati, qui scelerum pondere premuntur, et incurvati sub fasce gemunt. Non observandum est claustrum ei cui Deus aperit cœlum. Christus ipse publicanos et conclamatos peccatores ad se vocavit. In Historiis ecclesiasticis et Vitis Patrum legimus profligatos et perditos homines, immanes parricidas et latrones, et proscriptæ libidinis lupas, ad Christum tandem conversos pœnitentiæ beneficio in sanctissimos evasisse. Hi sunt thesauri bonitatis, patientiæ et longanimitatis Dei, qui dives in omnes qui invocant illum, cujus manus non est abbreviata, cujus opus misericordia, cujus sane non est numerus : nam miserationes ejus super omnia opera ejus. Præstantissimi est medici deploratos curare morbos, humanissimi Salvatoris ex sentina et pollubro vitiorum peccatores extrahere ; magnificentissimi regis est suscitare de terra inopem, et de stercore erigere pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. « Quare non est desperandum de malis. Sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicandum, quia numerus sanctorum de numero semper est auctus impiorum, » inquit S. Prosper sent. 184. Ne vero propudiosi peccatorum mores religiosam vitam vel leviter labefactare valeant, circa eorum studia qui religiosam vitam appetunt, hæc statuit S. Basilius observanda interr. 10 Regul. fusius disputatarum : Hi qui in sæculo vitam sanctam egerunt, sunt religioni maxime idonei. Hi vero qui in vitiorum situ et pædore immersi erant, et ii qui mediam quasi vitam inter bonum et malum tenebant, sunt quidem suscipiendi ; sed explorandi eorum morum et ingenia, an levitate quadam animi facile in contraria studia et consilia mutentur. Non sunt tamen ab ipso limine desperandi, quia nulla est tam inveterata peccandi consuetudo quæ Dei gratia et timore atque laboris assiduitate non pervincatur. Periculum est faciendum eos exercendo durioribus laboribus. Si quid inesse in eis constantiæ animadvertimus, admittendi sunt ; sin minus, repudiandi : ne cæteri fratres eorum contagione et porrigine coinquinati contabescant.

[f] *Quia in ultimo est.* Lege, *quia in altissimo est.*

[g] *Ut quis in quo delicto*, etc. Id est, in reorum emendatione secundum delicti qualitatem observandum est quid statuant canones.

[h] *In lege habetur*, etc. Sensus est : Si quis ob cædem seu percussionem centum solidos componere et solvere debeat, clementia tamen judicis tertiam duntaxat partem solvere cogetur : sicut cum multa Deo debeamus, ipse tamen singulari sua humanitate parva satisfactione pro tot et tantis delictis contentus est.

[i] *Quod de liberis continetur.* Id est, quod in lege de liberis continetur.

de liberis continetur. Certe nos cum essemus servi peccati, Deo miserante et nullo nostro merito præcedente, liberi facti sumus justitiæ, et de innumerositate peccaminum in misericordissimi judicis pendet arbitrio nostri peccati debitum : et pro centesimo pondere peccatorum iniquitatis [a] cognoscimus apponere villicum, qui de centum cadis olei octingenta, de centum coris tritici quinquaginta decurtatum quæsivit debitum, statim se cognovit a proprio Domino esse laudatum (*Luc.* XVI). Ita plerique sunt in monasteria ingressi, qui ob immanitatem scelerum [b] excesserunt numerum quo sancti canones [c] foras ecclesiæ agere pœnitentiam censuerunt, [d] et nisi in fine vitæ communionem percipere negaverunt. Nos tamen misericordia Domini cooperta pusillanimes sumus consolati, ne gravi tristitia coarctati pereant desperati, de multitudine annorum ad brevem recurrimus numerum, et cito reconciliamus, quam cito eum cognoverimus in patientia et humilitate fundatum. Quia et tunc medicus ab incisione suspendet ægrotum, cum eum per medicamina cognovit esse sanandum. Cibos vero tales eis præscribere mandamus, qui nec lasciviam nutriant, nec nimis corpus affligant. Carnes tamen, siceram vel vinum eis auferre mandamus. Quod si per infirmitatem, aut nimiam senectutem, aut certe aliquam necessitatem ex his imbecillitas paterit, in arbitrio et potestate majorum ponimus. Vestimentum vero cilicinum præbere jubemus qualiter per id compuncti [e] per hædos a sinistris quorum semper reminiscantur peccaminum. Lectum tamen sternere mandamus, [f] corio aut [g] psiatho, quod Latine [h] historia nuncupatur, aut certe paleis tenuibus, si ibi horum nihil habetur: exceptis infirmis et nimia senectute depressis : et ipsi arbitrio foveantur abbatis. [i] Per hanc quam supra notavimus, pœnitentiam dignam, et non fictam humilitatem unumquemque venire cognoscamus ad veram sanitatem.

§ XVII. Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 5).

Si quis fidei ardore succensus renuntians sæculo monasterium i magnæ dispositionis elegerit expetendum, non confestim licentia tribuatur intrandi, sed primum studiosius indagetur utrum voluntarie, an necessitate aliqua coactus advenerit, aut si nulla servitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cum ad abbatis notitiam præposito nuntiante pervenerit, uni de senioribus deputatus tandiu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste monstrata. Atque ut informetur regularibus disciplinis, et quæ facere debeat, quibusque eum conveniat servire, cognoscat ; deinceps omnis regulæ constitutio relegatur, et ad comprobandam obedientiam ejus dura ei et aspera præcepta mandentur, nihil in potestate de his quæ secum attulit habiturus. Sed si ejus votum tale est ut quæ monasterii usibus conferre desideret, oblationem ejus ad integrum devotio sincera commendet : et [k] super altare instituat, unde reposci aliquid sacrilegium judicatur. Si pecora cujuslibet generis ad monasterium quo migraturus adduxerit, ab abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendo quod voluerit non negetur. Quæ si abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur, aut quod melius est, [l] præposita venundanda committat. Pretium vero ipsum, ut jam dictum est, [m] ab eo cui res fuerant, dummodo in ejus nihil potestate resideat. Nefas est enim ut qui decipulam hujus sæculi intendit evadere, reservet unde eum infestatio diabolica valeat inretire. Clientem vero et famulum aut [n] parentem secum exhibens, si postulet in consortium religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus venit aggregari. Et qui ei fuerat ante in [o] servitute subjectus. Id patet ex cap. 58 Regulæ S. Benedicti : « *Et manu sua eam* (petitionem) *super altare ponat;* » ex charta Fulconis Junioris comitis Andegavensium (*in Breviculo fundationis S. Nicolai Andegavensis*) : « *Ipsisque videntibus et concedentibus super altare S. Nicolai ipsam chartam posuit;* » et chartam Berlæii (*Ibidem*) : « Et Berlæius cum uxore sua, donum quod fecerat, iterum abbati cum ipso missali concessit, et super altare posuit ; » ex Magistro cap. 89 Regulæ : « Tunc ille brevis vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta ipsius donatoris manu super altare ponatur. »

[a] *Cognoscimus.* Videtur deesse *Tó minus.*

[b] *Excesserunt numerum*, etc. Annorum videlicet. Nam olim pœnitentes plurimis annis pro delictorum gravitate ante fores ecclesiæ stabant, ut supra adnotatum est.

[c] *Foras ecclesiæ.* Lege, *ad fores ecclesiæ.* Nam olim pœnitentes ad fores ecclesiæ stabant. Vide supra.

[d] *Ut nisi in fine vitæ*, etc. Ea fuit antiquorum canonum districtio, ut atrocioris criminis rei in morte tantum recipererent communionem, ut habetur in conc. Ancyrano, can. 27; Arelatensi I, can. 14, et nonnullis aliis.

[e] *Per hædos a sinistris.* Id est, qualiter hoc vestimento cilicino, ex pilis hircinis confecto, sibi in animum inducant se tanquam hædos ad sinistram Dei stare ob peccata judicandos.

[f] *Corio.* Juxta morem antiquum. Virgilius VII *Æn.* :

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

[g] *Psiatho.* Id est, matta. Vide supra.

[h] *Historia.* Pro *storea*, est culcita : « quod sit terra strata, » inquit S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 11.

[i] *Per hanc quam supra.* Ita emendavi, cum legeretur, *hæc quam supra.*

[j] *Magnæ dispositionis.* Lege, *magna dispositione.*

[k] *Super altare instituat.* Id est, super altare ponat. Olim eorum quæ Deo offerebantur chartæ super altare ponebantur, ut offerens magis astringeretur : *Unde*, ut hic additur, *reposci aliquid sacrilegium judicatur.*

[l] *Præposita.* Lege, *præposito.*

[m] *Ab eo cui res fuerant.* Videtur deesse verbum *accipiatur.*

[n] *Parentem.* Id est, propinquum, cognatum, affinem. S. Hieronymus, lib. II contra Rufinum : « Forte parentes militari vulgarique nomine cognatos et affines nominat. » S. Cæsarius Arelatensis, cap. 38 Regulæ : « Si quis vero germanam suam, aut filiam, aut quamlibet parentem videre voluerit. » S. Greg. Turon., lib. III Hist., cap. 14 : « Munderius igitur, qui se parentem regum asserebat, elatus superbia, » etc. Lex Burgundionum, tit. 35, § 3 : « Quod si parentes puellæ parentem suam punire noluerint, puella libenter careat. »

[o] *Servitute subjectus*, etc. Ita in Regula Macarii, Serapionis, et aliorum supra hoc capite : « Noverit jam non eum servum habere, sed fratrem, ut in omnibus perfectus inveniatur homo ille. »

etus, frater est in Domini positus servitio computandus, quia apud Deum, ut Apostolus docet, nulla est acceptio personarum. Ille tamen qui ex humili conditione est in germanitatis æqualitate susceptus, non aliquo elationis tumore superbiat; sed per humilitatem in eo, quæ bona sunt, convalescant: et non solum ei cui æqualis effectus est, sed omni fraternitati, ut verus famulus Christi, cum pietate et humilitate deserviat. Quia sicut is qui esse major videbatur in sæculo, per humilitatis affectum frater vocatur ex domino, ita ille sui memor conditionem suam non altiora petendo, despiciat; sed testimonio humilitatis exaltet, ut apud Deum inveniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si pœnitentis fuerit tanta compunctio, ut hoc sibi supplicatione assidua exigat, non negetur. Quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vestimenta quoque secum delata, quæ primi anni usus non valet expendere, redacta in pretium, cui abbas præceperit, tribuuntur: quia cum alia meruerit indumenta, priores [a] exubiæ in sua non erunt potestate, ut exterioris hominis immutatio cum interioris perfecta plena ratione conveniat. Nihil de his quæ perceperit ei sit licitum commutare, nec pro abjectione viliora, nec pro commodo meliora; sed qualiacunque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantum usui vindicabit.

§ XVIII. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 19).

[b] Si quis monachus disciplinam intrare desiderat, non ante monasterium permittatur ingredi quam diebus decem seu amplius ante januas permanendo duraverit, ut indicium perseverantiæ ac desiderii sui, humilitatis etiam vel patientiæ se habere demonstret. Qui transeuntium fratrum genibus provolutus ab universis de industria [c] refutetur atque despiciatur, tanquam cui non propter religionem, sed propter aliquam necessitatem oportet monasterium introire. Insuper etiam injuriis et exprobrationibus eum afficiant, ut experimentum constantiæ, vel qualem tolerantiam in tentationibus injuriarum sit habiturus, ostendat.

§ XIX. — *Item ipse* (*cap.* 20).

Cumque fuerit in monasterio exploratæ mentis ardore susceptus, summa diligentia perquiritur, ne de pristinis facultatibus suis vel unum nummum reservaverit sibi. Nam si in conscientia ejus quantulacunque facultas pecuniæ latitaverit, nullo modo sub monasterii disciplina diuturnus poterit permanere; nec humilitatis aut obedientiæ institutum apprehendere valebit, nec in monasterii paupertate aut districtione poterit esse contentus; sed mox ut orta fuerit quælibet commotionis occasio, stipis illius quam sibi reservavit fiducia animatus, continuo de monasterio fugiturus egredietur.

§ XX. — *Item ipse* (*cap.* 21).

Si quid vero ab eodem pecuniæ vel quarumcunque rerum offeratur, nullo modo, qui præsunt, suscipere ea in monasterii usibus acquiescant, ne confidentia hujus oblationis dedignetur pauperibus se fratribus coæquare. Aut certe si susceperint, cautius per multum tempus prudenti debent servare consilio. Nam multis experimentis frequenter perhibitum quosdam per monasteria minus cauta susceptos ea quæ secum detulerant, et quæ jam in Dei opere fuerant dispensata, tepefactos postea non sine injuria monasterii sacrilego spiritu ingenti post blasphemia repetisse.

§ XXI. — *Item ipse* (*cap.* 23).

[d] Si quis autem ex divitibus huic mundo et facultatibus ejus renuntiat, ita necesse est eum congregationis disciplinam expetere, ut in nullo sibi ex his quæ reliquit aut intulerit monasterio, blandiatur. Qui si forsitan fortiori fuerit ætate provectus, sic [e] præparet se omnibus obedire, ut secundum sententiam Domini [f] ad simplicitatem pristinæ infantiæ humilitatis gratia revertatur; et nihil sibi de consideratione ætatis, vel annorum numerositate præsumat, quam in sæculo noviter consumptam perdidisse se putet; sed novitate conversationis, quam in Christi militia gerere cupit, subdere se etiam junioribus non moretur.

§ XXII. — *Item ipse* (*cap.* 24).

[g] Cum vero receptus quis in monasterio fuerit, ita fideliter omni pristina facultate nudetur, ut ne ipsum vestimentum quo a sæculo venit indutus, habere amplius permittatur; sed in medio productus exuatur propriis, et per manus abbatis induatur monasterii vestimentis: ut per hoc non solum universis rebus suis antiquis se noverit exspoliatum, verum etiam omni superbia mundiali deposita, ad Christi paupertatem et inopiam descendisse; et nihil jam de crastino cogitans pauperibus se [h] æqua-

[a] *Exubiæ*. Pro, *exuviæ*, id est, vestimenta relicta: Virgilius IV Æn.:

Dulces exuviæ, dum fata Deusque sinebant.

[b] *Si quis monachus*, etc. Ex lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 5.

[c] *Refutetur*. Id est, respuatur, recusetur. S. Columbanus, ep. ad Sethum:

Spernit avaritiam vanosque refutat honores.

S. Gregor. Tur. in Vitis Patrum: « Cumque ille refutaret, tandem abbatis precibus super oculos domini sui signum crucis imposuit. »

[d] *Si quis ex divitibus*, etc. Hoc capitulum non exstat apud Cassianum; sed puto esse ex Regula cujusdam Patris, quam dixi aliam esse a Regula Servi Dei; quæ etiam in hac Concordia suppresso auctoris nomine dicitur cujusdam Patris.

[e] *Præparet se*. Addidi τὸ *se*, quod desiderabatur.

[f] *Ad simplicitatem pristinæ infantiæ*. Hæc simplicitas, quam Christus commendat in Evangelio, summum est in religione bonum. Nam simplex neminem judicat, omnibus cedit, nulli injuriam facit nec reddit, curiositatem fugit, nihil innovat, curas superfluas a se amolitur. Sententiam suam aliis postponit: quia de se vilia, de aliis excelsa judicat. Semper verax nihil simulat, aut dissimulat, ac proinde cum Deo semper, qui est summa veritas et simplicitas, conversatur.

[g] *Cum vero receptus*, etc. Hoc capitulum sumptum est ex Cassiano, cap. 5 libri citati.

[h] *Æquare*. Id est, se similem et parem judicare, ut supra dixit, *coæquare*.

re, quibus [a] cognominari Christus, et quorum se fratrem non erubuit nuncupare : sed potius domesticis ejus glorietur factum se esse consortem.

§ XXIII. — *Item ipse* (*cap.* 25).

[b] Illa vero quæ deposuit vestimenta [c] Præposito tradantur : quæ tandiu ab eo serventur, donec profectus conversationis ejus diversis tentationibus evidentius cognoscatur. Et si [d] transactis multis temporibus, in ipso fervore quo ingressus est perstiterit, ipsa vestimenta quibus ingressus est pauperibus erogentur.

§ XXIV. — *Item ipse* (*cap.* 26).

[e] Si vero aliqua murmuratio, aut inobedientia in eo fuerit deprehensa, exuatur monasterii vestibus quibus indutus fuerat, et revestitus suis antiquis, quæ a Præposito conservantur, [f] [et] foris expellatur : quia non est fas cum vestimentis monasterii quæ accepit abscedere. Nulli autem qui de monasterio exire vult, in palam discedere conceditur nisi forte sicut servus captans densissimas tenebras nocte defugiat, aut certe, sicut superius diximus, cum confusione exuatur coram omnibus fratribus, [g] et deposita monasterii veste pellatur.

§ XXV. — Ex Regula Orientali.

[h] Si quis accesserit ad ostium monasterii volens sæculo renuntiare, et fratrum aggregari numero, non habeat intrandi libertatem, sed prius nuntietur Patri monasterii ; et manebit paucis diebus foris ante januam, ac docebitur orationem Dominicam, et psalmos, quantos poterit discere. Et diligenter sui experimentum dabit : ne forte mali quidpiam fecerit, et turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit ; et utrum possit renuntiare parentibus, et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas facere debeat, quibusve servire, [i] sive in vescendi ordine, ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. [j] Hæc observabit custos januæ, referens omnia, sicut superius scriptum est, [k] annuntians senioribus.

§ XXVI. — Ex Regula Magistri (*cap.* 87).

[l] Ingredienti in monasterium novo fratri, [m] sive jam converso, sive adhuc laico, et hoc petenti debere in monasterium suscipi, respondeat ei hoc primo abbas non forte eum posse constituta Regulæ conservare. Cum vero ille dixerit posse se ad omnia obedire, tunc hæc monasterii Regula ei legatur. Qua Regula in lectione expleta, [n] et omnia abbatis verbis prædicta cum se responderit novus frater ad omnia factis se esse paratum, tunc abbas subsequatur et dicat : [o] Quid de tuis rebus, quas proprio arbitrio uteris ? Non enim tibi expedit te hic pro causa Dei posito res tuas alibi remanere, sed sicut dicit Scriptura, *Ubi et thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI). Nam ideo non expedit, ne forte titillatione diaboli a rebus tuis foris positis per desiderium earum de monasterio [p] provoceris, et relicto servitio sanctæ scholæ proprio redeas militaturus arbitrio, et sicut canis delectatus redeas ad vomitum tuum et salivas a te projectas in terram denuo cum sordibus resorbeas. [q] Sed qui perseverantiam diligit, occasionem migrandi cupit nescire. Ideoque constituimus salubre consilium, ut audias vocem Domini tibi dicentis : [r] *Vade, vende omnia, et da pauperibus ; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Quam ergo si sequi vis vocem, vende quæ habes, et omne pretium huc ante me defer, ut te præsente a me pauperibus erogetur, ut nullum sæculo pignus tuum remaneat ad illud iterum revertendi. Ideo enim cum nondum [s] firmatam ingressionem tuam in monasterio habes, tibi de rebus tuis libera adhuc voluntas conceditur. Quia post firmatam ingressionem discipulo sive in monasterio, sive foris peculiare aliquid habere a regula denegatur, ut non sit ubi propria ejus voluntas extollatur. Quod [enim] si totum [t] distrahere tibi grave videtur, et sunt tales res quæ una tecum possunt monasterio deservire, nec eæ pro pignore revertendi [u] sæculo [v] dimittuntur, omnia fideliter tecum

[a] *Cognominari*. Id est, idem nomen sortiri. Apud Cassianum legitur : *Connumerari*.

[b] *Illa vero vestimenta*, etc. Hoc capitulum sumptum est ex cap. 6 ejusdem libr. IV.

[c] *Præposito*. Apud Cassianum habetur : *Œconomo*.

[d] *Transactis multis temporibus*. Apud Cassianum : *Tempore procedente*.

[e] *Si aliqua murmuratio*. Ex cap. 6 ejusdem lib. IV de Institutis Renuntiantium.

[f] *Et foris*. Copula *et* redundat.

[g] *Et deposita monasterii veste pellatur*. Hæc ejectio est eorum tantum qui probantur, cum eorum vestimenta sæcularia nondum fuere pauperibus erogata ; ac proinde male a nonnullis eadem esse existimatur cum illa, de qua S. P. Benedictus loquitur cap. 26, 29 et 54. Altera habetur expulsio apud Cassianum libr. IV de Instit., cap. 16 ; sed erat solum ad tempus : cum quis confusionis gratia cogebatur manere tres aut quatuor dies extra fores monasterii, ut supra observatum est.

[h] *Si quis accesserit*. Major pars hujus capitis est ex Regula S. Pachomii, art. 26.

[i] *Sive in vescendi ordine*. Quædam desunt, quæ ex excitato Pachomii articulo hic restituenda : *Sive in collecta omnium fratrum, sive in domo nutriendus est, sive in vescendi ordine*.

[j] *Hæc observabit*, etc. Hujus capitis clausula non exstat in Regula S. Pachomii.

[k] *Annuntians*. Lege, *Et nuntians*.

[l] *Ingrediendi in monasterium*, etc. Hæc reperire est in Reg. ms. Mag. cod. Corb., cap. 87.

[m] *Sive jam converso*. Conversus est, qui jam monachus est.

[n] *Et omnia abbatis verbis prædicta*. Ita in Reg. ms. Lege : *Et omnibus abbatis verbis prædictis*, id est, prædicatis.

[o] *Quid de rebus tuis*. Subaudi, *facies*.

[p] *Provoceris*. Ita in Reg. ms. Supp. *exire de monasterio*.

[q] *Sed qui perseverantiam diligit*, etc. In Reg. ms. : « Quia perseverantia occasionem migrandi cupit nescire. »

[r] *Vade, vende*. Ita apud Fructuosum abbatem, juxta textum Græcum : Ὑπαγε, πώλησον, quod idem sonat. In versione communi additur copula : *Vade, et vende*.

[s] *Firmatam ingressionem*. Id est, stabilitatem.

[t] *Distrahere*. Id est, vendere, de quo supra.

[u] *Sæculo*. Pro, ad sæculum.

[v] *Dimittuntur*. Supp. *monasterio*.

in monasterium defer, nihil subcelando Deo, cujus te cum omnibus rebus tuis subdis servitio; qui ubique omnia respicit, et nihil est ei occultum qui revelat absconsa. Memor esto fraudis Ananiæ et Sapphiræ, qui de rebus suis Deo oblatis exinde subcelare volentes mortem perpetuam irruerunt [a] pro fide. Mox ut hæc audierit novus frater, si [b] priori divina sententia omnibus distractis, et per manus abbatis erogatis, [c] [si] hoc pro certo habuerit votum omnia distrahere, et monasterio non aliquid reservare, non cogatur, nisi ex sua voluntate voluerit. Ergo cum omnibus per manus abbatis erogatis, [d] se firmare monasterio voluerit, [e] charta ab eo perseverantiæ non petatur, quia pignus fidei ejus apud Deum omnium rerum suarum per erogatam eleemosynam fuit. Nam per omnium rerum suarum erogationem expensam cognoscitur apud Deum posse fideliter permanere, qui rebus suis pro eo cupit non parcere. Solummodo hanc det fidem sibi penitus foris nihil remansisse celatum. Hanc ideo [f] voluntatem abbas ingredientibus tribuit, ut non ab introeuntibus [g] judicetur potius res hominum desiderare quam animas. Qui vero frater hoc elegerit cum rebus suis [h] monasterio tradere, et distrahendi voluntatem non habuerit, ne aliquando mutatus a diabolo vel armatus propter res suas exigendas aliquas molestias mo- A nasterio generans exigere desideret, [i] cavens manum suam Deo et oratorio monasterii per donationem offerat, totum subscribentibus religiosis testibus episcopo, presbytero et diacono, vel ipsius territorii clero; et [j] in ipsa cautione taxans hoc [k] quod si aliquando monasterio vel sine indulgentia peccatorum a Deo non discedat. Jam de ipsis rebus abbas in potestate sua [l] mutatis [m] quidquid necessariæ utilitati monasterii abundare viderit, pro anima fratris ipsius propter præceptum supra dictum sequendi Dominum per eleemosynam distracta illa re supervacua pretium ejus pauperibus tribuat: ut quod ille imperitus frater non meruit facere, pro illo iste quasi doctus magister valeat adimplere. [n] Qui vero frater ex toto indicaverit se nihil habere, prius exquiratur a vicinis B illius regionis ubi mansit; et si inventum fuerit quod certe sit ex toto ejus paupertas, tunc dato perseverantiæ fidejussore [o] sub cautione pœnæ interposita. Si tamen jam notus fuerit, [p] sic debet in monasterio suscipi, ne forte aliquibus rebus suis ad tempus foris [q] commendatis, mentita in monasterio paupertate, non solum nihil Deo per eleemosynam, vel monasterio per donationem conferat, sed etiam ab [r] spectantibus eum foris rebus suis provocatus; [s] et cum quid venerit, exeat causæ. Nam cum dederit

[a] *Pro fide.* Id est, ut majorem fidem Christiani adhiberent apostolis.

[b] *Priori divina sententia.* Quæ paulo ante prolata est ex Matth. XIX.

[c] *Si hoc.* Particula *si* redundat, nec habetur in Reg. ms.

[d] *Se firmare monasterio.* Id est, stabilitatem in monasterio promittere.

[e] *Charta perseverantiæ.* Id est, petitio, seu professio scriptis mandata.

[f] *Voluntatem.* Dispensandi de bonis suis.

[g] *Judicetur potius res hominum desiderare quam animas.* Hæc notanda Magistri sententia hoc miserando sæculo, in quo multi coguntur religionem Græca mercari fide, hoc est, præsenti pecunia et prænumeratis nummis, quæ est sane turpis licitatio et nundinatio, Simonis magi opus, si fiat ex pacto pretio, antiquis conciliis prohibita, synodi VII, can. 19, conc. Francofurd. sub Carolo Magno, 17; conc. Later. an. 1163, apud Guill. Neubrigensem lib. II de Gestis Angl. cap. 15; et altero concilio Lateranensi apud eumdem lib. III, cap. 20: « Monachi non pretio recipiantur in monasterio. » Si tamen non sunt sufficientes redditus, potest dari aliquid in alimoniam.

[h] *Monasterio tradere.* Lege, ut in Reg. ms.: *Se monasterio tradere.*

[i] *Cavens manum suam*, etc. Locus mutilus, sic ex Reg. ms. restituendus: *Cavens manu sua prius de stabilitate simul rerum suarum brebe* (Leg., *brevi*) *adjuncto una cum anima sua Deo et oratorio monasterii offerat.* Cavens manu sua est cautionem seu chirographum manu sua faciens securitatis causa. Glossæ veteres: *Cavisti, ἠσφαλίσω ἐχειρογράφησας.* Id est, tutum fecisti, chirographum fecisti. Ulpianus ff. l. I, tit. *Usufructuarius quomodo caveat.* « Si cujus rei ususfructus legatus sit, æquissimum prætori visum est legatarium cavere. »

[j] *In ipsa cautione.* Cautio est chirographum, charta, litteræ, quæ dantur securitatis, seu recordationis causa. Papias: *Cautio a cavendo dicta breve, vel charta recordationis.* Glossæ veteres: *Cautio, ἀσφάλεια*, id est, securitas. *Cautiones, ἀσφάλειαι.* Legis Longobardorum tit. 21, l. 13: « Si quis mutuaverit cuiquam homini solidos per cautionem, » etc. Luc. XVI: *Accipe cautionem tuam*, in textu Græco, *γράμμα*, id est, litteras. Dicitur et cautum. Corippus lib. II de Laudibus Justini minoris.

C

Debita persolvit genitoris, cauta recepit.

Glossæ veteres: *Cautum, ἀφαλὶς, χειρόγραφον*, id est, securum, chirographum.

[k] *Quod si aliquando.* Locus mutilus, sed ita ex Reg. ms. restituendus: *Quod si aliquando discedere voluerit, sine rebus suis de monasterio: vel sine indulgentia peccatorum a Deo descendat;* lege, *discedat.*

[l] *Mutatis.* Id est, derelictis. Nonius Marcellus, cap. 4: *Mutare, derelinquere.* Lucilius lib. XXVI: « Mihi quidem non persuadetur, publice ut mutem meos. »

[m] *Quidquid necessariæ utilitati monasterii abundare viderit*, etc. Notanda hominis integritas, sinceritas, simul et charitas. Quam longe abest a quorumdam avaritia, aut curiositate, qui aut bona novitiorum in arca recondunt, aut ea insanis substructionum molibus erigendis, similibusque vanitatibus impendunt, Christo in suis membris algente et esuriente.

[n] *Qui vero frater.* Ita in Reg. ms. Legendum tamen D videtur: *Si vero frater;* ita sensus postulat, et tota hujus capitis constructio.

[o] *Sub cautione pœnæ interposita.* Ita in Reg. ms. Videtur tamen deesse verbum, *suscipiatur*, vel quid simile. Hæc autem pœna est pecuniæ aut rerum æquivalentium, si forte monachus desertor furtum intulerit monasterio, ut ex sequentibus colligere est.

[p] *Sic debet in monasterio suscipi.* Dato nimirum fidei jussore.

[q] *Commendatis.* Id est, in depositum datis, commendare enim est in depositum dare. Spartianus in Pescennio Nigro: « Idem jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prælia quod dederant. »

[r] *Spectantibus.* Pro, exspectantibus.

[s] *Et cum quid venerit, exeat causæ.* Hæc transposita sunt. Lege: *Et cum quid causæ venerit, exeat.*

[a] cautos fidejussores cum pœna, jam tunc demum ei [b] pro actibus monasterii sine suspicione secure res monasterii aut pretia emendorum vel [c] vecturarum alimonia contradantur. Si vero talis monasterio advenerit frater quem [d] ipsa patria ignoraverit, vel omnibus habuerit vultum ignotum, et se ad monasterii societatem [e] firmare voluerit, cum notitia abbatis vel omnium exeat; et cum jam exire voluerit, prius juret se de rebus monasterii nulla furti commissione, aut foris [f] antecessus commendasse, aut absconsa secum portasse, nisi forte ei pro misericordia voluerit aliquid donare abbas, ut si perjuraverit, ferat in anima quod in corpore non potuit adimplere. Res tamen quibus indutus fuerat monasterii, vel calceamenta reconsignet abbati; et remanenti in perseverantia fratri proficiant quæ migrantibus auferuntur; et res monasterii ille habeat qui in monasterio habitat; et juste illi retollatur, qui injuste animos suos a perseverantia monasterii separat; nec illi dare placeant, cui ipsarum rerum [g] displicuit disciplina. Si vero ita juraverit, et non se firmet, sed ad tempus remoretur, hoc solum testetur, ut sine notitia vel vale abbatis, vel cum furto non exeat. Etiam ex improviso custodiatur et in potestate nihil habeat; et ad laborem cum fratribus communiter impellatur, ut laborando vivat. Si tamen nudus fuerit, et induere eum abbas voluerit, ad tempus utatur; ut sciat se quod habet omne reconsignaturum, cum exire voluerit; et velut ignotus nullam [h] catenam fidei abbati de securitate intulerit: sive si nulla sacramenti fide teneatur; cum forte incertus de firmitate frater missus fuerit cum vehiculis animalium, et emendarum pretio rerum, mox ducatu diaboli inventis per occasionem sumptibus vel vehiculis in alienas terras de rebus monasterii incipiat magis ordinatus migrare, securus de se per deceptionem quotidie exspectandus et prolongando aut tarde, aut nunquam sequendus.

[a] *Cautos.* Id est, qui sunt solvendo, si forte ipse transfuga aliquid de rebus monasterii furto sustulerit.

[b] *Pro actibus.* Id est, pro negotiis.

[c] *Vecturarum.* Vecturæ hoc loco sunt jumenta, caballi, asini et similia.

[d] *Ipsa patria.* Id est, regio in qua situm est monasterium.

[e] *Firmare voluerit.* Post hæc verba, quædam desunt ex Regula ms. restituenda: *Sola sacramenti fides ab eo exposcatur, ut si aliquando de monasterio exire voluerit, cum notitia abbatis,* etc

[f] *Antecessus.* Glossæ veteres: *Antecessus,* ἔμπροσθεν βαδίζων, id est, ante vadens. Hic est ergo antecessus, qui prius aliquo iverit, ut nimirum res monasterii absconderet, aut in depositum daret ante fugam seu exitum a monasterio.

[g] *Displicuit disciplina.* Est paronomasia. Eleganter Alcuinus epist. 79: « Disciplina Domini non debet esse cuiquam disciplina. »

[h] *Catenam fidei.* Lege: *Chartam, fidejussoris,* ut cap. seq.

[i] *Cum de omnibus supra dictis,* etc. Hæc habentur in Reg. ms. Magistri Cod. Corb., eodem cap. 20.

[j] *Conventus novus frater.* Ita correxi ex Reg. ms.; sed adde τὸ *fuerit.*

[k] *Regulæ.* In Reg. ms. legitur, *a regula,* recte.

§ XXVII. — *Item* (*cap.* 88).

[i] Cum de omnibus supra dictis [j] conventus novus frater [k] Regulæ per abbatem de stabilitate firmanda, aut per [l] rerum eleemosynam, aut per donationem monasterio, aut per chartam fidejussoris pœnalem, aut si ignotus per juramenti fidem, duorum tamen mensium spatium in inducias ad tractandum accipiat. Laborando tamen cum fratribus [m] contentus annonæ communi mensura, [n] vel regulæ disciplina et excommunicationum, ut et mores monasterii probet, et a monasterio ipse probetur; et secum tractet, si debeat se [o] ad Deum firmare, aut ad diabolum expeditius remeare. In quibus duobus mensibus sub cura illorum fratrum, qui peregrinos custodiunt, et ipse similiter ex improviso custodiatur, et in cella peregrinorum dormiat, et ingressus illius vel exitus in monasterio custodum præsentia videatur. Et omni hora si alicubi a conventu fratrum secesserit, sollicite a custodibus requiratur, ne forte anticipet ambulare sine vale cum furto. Quod si explicitis duobus mensibus non placabili disciplina, et idem monasterio placuerit ambulare, cum notitia abbatis, vel omnium post datam fidem nullius furti commissi, vel reconsignatis rebus monasterii, quas ad tempus forte acceperat, mox data universis pace, et accepta virga [p] et annona viatica, post factam orationem, vel dictum versum, vel redditam ei pacem, si tamen vult, ut hospes abscedat; et resuscipiat [q] vicem suam diabolus, quem malens hospitem susceperat Christus.

§ XXVIII. — *Item* (*cap.* 89).

[r] Cum expletæ duorum mensium ad tractandum inducie fuerint, et placabili disciplina ab eo magis stabilitas eligatur, et perseverantiam repromissam lectæ Regulæ firmitate ei placeat adimplere, interrogatus ab abbate novus frater, quid secum in concesso inducirum spatio definisset: [s] si cum responso ejus implenda in omnibus promittatur

[l] *Rerum.* Adde, *suarum,* ut habetur in Reg. ms.

[m] *Contentus annonæ communi mensura.* Ita emendavi ex Reg. ms.

[n] *Vel regulæ disciplina et excommunicationum.* Clarius: *Vel regulæ et excommunicationum disciplina,* ut in Reg. ms.

[o] *Ad Deum firmare.* Id est, stabilitatem in monasterio Deo promittere.

[p] *Et annona viatica.* Quia olim egredientibus hospitibus annona ad viam peragendam dabatur.

[q] *Vicem suam.* Lege: *Civem suum,* ut in Reg. ms.

[r] *Cum expletæ duorum mensium,* etc. Hæc videre est in Reg. ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 89, in quo, quemadmodum in duo us superioribus agit permixtim tam de jam conversis quam de laicis, seu de his qui ex sæculo ad monasterium acce unt. Sed ista a nobis distinguentur, ut initium hujus capitis in quo dantur tantum duorum mensium inducie ad probationem in ipso hospitio, intelligatur de jam conversis, qui olim non tenebantur migrando ad alterum monasterium anni integri tyrocinium iterare; sed perspectis in hospitio eorum moribus, admittebantur in societatem, juxta præscriptum S. Benedicti cap. 16 Regulæ.

[s] *Si cum responso ejus,* etc. Ita hunc locum correximus.

obedientia, respondeat abbas : Deo gratias. Alia die [a] post Primam dictam missas explicitas exeunti limen oratorii cum congregatione abbati flectet ad genua ejus novus frater cervicem, rogans eum vel omnem congregationem eum debere modicum in oratorio remorari, et orare pro se. A quibus mox diutissime pro eo oretur. Et completis omnibus abbas volens egredi, humiliter apprehenso ejus vestimento, novi retineatur manu discipuli, qui hæc rogando insinuet : Est quod suggeram primo Deo, et oratorio isti sancto, vel tibi et congregationi. Cum responderit abbas dicens : Et hoc placet tibi? subsequatur futurus discipulus : Hoc primo Deo, sic et mihi. Tunc dicat abbas : Vide, frater, nihil mihi promittis, sed Deo, et huic oratorio vel altari sancto. Si ad omnia obaudieris divinis præceptis, vel meis monitis, in die judicii tu coronam accipies bonorum actuum, et ego de peccatis meis indulgentiæ aliquid promerebor; qui ut diabolum cum sæculo vinceres, incitavi. Si autem nolueris mihi in aliquo obaudire, ecce ego Dominum contestor, [quia] et hæc congregatio testimonium mihi est in die judicii præbitura, quia, ut supra dixi, cum non mihi, vel congregationi in aliquo obaudieris, in judicio Dei ego solutus, tu vero pro tua anima, vel tentatione rationem restitues. Post hæc verba, [b] si cum rebus suis introierit, tunc ille brevis, vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta, ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre : Ecce, Domine, cum anima mea et paupertate mea quidquid mihi donasti, tibi reconsigno et offero; et ihi volo, ut sint meæ res, ubi fuerit cor meum et anima mea, sub potestate tamen monasterii et abbatis, quem mihi, Domine, in vice tua timendum proponis [c] cum eis dicis : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Unde quia per eum nobis tu omnia necessaria cogitas, ideo nihil oportet peculiare habere : quia tu nobis de omnibus es idoneus, et in omnibus sufficis solus, ut jam nobis vivere et spes Christus sit, et mori lucrum. Post hæc dicta dicat ipse novus frater responsorium A hoc : [d] *Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum, et vivam; et non confundas me ab expectatione mea* (*Psal.* CXVIII). Post hoc responsorium dicat abbas hunc versum : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Post quem dictum, [e] data ei ab omnibus pace, compleat abbas; et tollens brevem de super altare mox ab eo novus discipulus sub [f] præpositis ordinetur; et in manu eorum consignatus cum aliis fratribus [g] exeat disciplinæ. Eadem namque die pro humilitatis indicio aquam manibus fratrum ad communionem intrantibus, ipse ministret, et cum dat, osculetur omnium manus, et petat singulos pro se debere orare. Breves vero donationum factos a fratribus tempore mortis suæ abbas [h] in quod usibus monasterii expensis restituerit, [i] testamento B suo inserat, etiam nomina eorum quorum noscuntur collata : ut nullus post mortem ejus forte de monasterio exiens repetendi rerum suarum fiduciam habeat; et stabilitatem monasterio, et fidem frangat defuncti, vel dicat sine donatione aliquid suum in monasterio contineri.

§ XXIX. — *Item* (*cap.* 90).

[j] Cum aliquis novellus ad servitium Dei in monasterium confugerit et indicaverit se velle converti, non ei credatur tam facile. Nam ficte ab abbate solo verbo, non facto, habitatio ei monasterii denegetur. Ad probationem gravia proponantur, ad obedientiam ejus inveniendam prædicentur contraria et voluntati ejus amara, quotidiana jejunia ei promittantur. Nam et hoc ex lectione Regulæ, et dicto C abbatis agnoscat, quia in monasterio nulli licet dicere : Hoc volo, et hoc nolo; hoc amo, et hoc odio : ut nec propria eligatur voluntas; et sciat quia qui in monasterio conversus fuerit, quidquid ex voluntate sua voluerit, hoc magis non permittetur. Quare? Quia *sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit.* Et quod noluerit, hoc cogitur; ut voluntas in eo propria amputetur, quæ inimica est Deo. Qui ergo cupit perfecte converti, [k] quidquid amaverit et desiderio habuerit, ei denegetur; et quidquid oderit, ei apponaD

[a] *Post primam dictam missas explicitas.* Lege : *Et post primæ dictæ missas explicitas.* Quid sint missæ, supr : diximus.

[b] *Si cum rebus suis*, etc. Hæc sunt intelligenda de laicis, non de conversis.

[c] *Cum eis dicis.* Nempe Ecclesiæ pastoribus.

[d] *Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum.* Ita in Reg. ms in versione communi : *Secundum eloquium tuum*, et Magister adjecit τὸ *Domine.*

[e] *Data omnibus pace.* Id est, dato osculo pacis, seu salutatione. Nam novitius admissus ad societatem fratrum debet eos osculari, aut salutare, sive ut statuit S. Benedictus, eorum pedibus provolvi. Cap. 6 Eccl. Hierar. S. Dionysii Areopagitæ, in benedictione monachi hujus salutationis fit mentio, quemadmodum et in Euchologio Græcorum, in ordine parvi schematis, καὶ γίνεται ἀσπασμὸς, id est, et fit salutatio.

[f] *Præpositis.* Ita correxi, cum legeretur *Præposito;* quia hic Magister in unaquaque decade, seu decania instituit duos præpositos instar decanorum, ut ex superioribus notum est. Et hanc lectionem suadet pronomen, *eorum.*

[g] *Exeat disciplinæ.* Supp., *gratia*, id est cum reliquis fratribus eat ad omnia exercitia disciplinæ. Est eclipsis, phrasis Græca : ut oratione in Pisonem : *Quæ sit hominum querela frontis tuæ.* Supp. *causa.*

[h] *In quod usibus monasterii expensis restituerit.* In Reg. ms. legitur : *Restiterit*, recte, lege autem, *et quod usibus monasterii expensis restiterit.* Id est, et quod, omnibus expensis in usus monachorum factis erit residui ex pecuniis et aliis rebus cum chartis donationum illud in suo testamento scribendum curet abbas moriturus.

[i] *Testamento suo inserat.* Non est hoc loco testamentum suprema testatoris voluntas; sed charta, instrumentum, breviculus seu inventarium, in quo abbas omnem cœnobii substantiam et expensas scribebat, de quo vocabulo supra.

[j] *Cum aliquis novellus*, etc. Hæc reperire est in Reg. ms. cod. Corb., eodem cap. 90; agitur autem hic specialiter de laicis, qui in monasterio converti cupiunt.

[k] *Quidquid amaverit*, etc. Hæc compendiosa ad perfectionem via, juxta traditionem priscorum illorum Ægypti monachorum; qui ea discipulis suis

tur, dicente Domino : *Qui vult meus esse discipulus, abneget semetipsum sibi, et sequatur me* (*Matth.* XVI) ; hoc est non suam, sed Dei faciat voluntatem. Omnia enim debet pro Domino sustinere, qui in ejus cupit militare schola. Aut quid enim digne possumus pro Domino sustinere? dicente Apostolo : *Non sunt condignæ passiones nujus sæculi* [a] *ad superventuram gloriam* (*Rom.* VIII). Ut si ignem persecutor servo Christi inferat, ut temporalis calor finito non sentiatur dolore, non tamen talis est, qualis est ignis inexstinguibilis; aut sic incendit, quomodo æterna pœna gehennæ peccatrici animæ immortaliter reservatur. Si ungulæ vel equulei, vel verberum pœnas ingerat, in ipsa parvi doloris tolerantia æternæ lætitiæ [b] coronatus succedit; si carcer nos pro Deo tenebrosus reclaudat, ædificata ex margaritis et auro vel gemmis ornata nos Hierusalem exspectat. Si obscuritas clausuræ nos pro Deo obcæcet, in momento nos poterit obscurare; sed pro hac illa nos lux in æterna vita suscipiet, quæ non solis candore vel lunæ, non stellarum cœli, sed ipsius Dei perpetua majestate lucebit. Si terra ista, quam in hac vita calcamus, moriendo pro Deo meruerimus abscedere, mox super illam terram ambulare perpetuo deputamur, quæ septies argento lucidior. Si vero quæ putantur hujus sæculi esse deliciæ, quæ inquinant potius [c] interanea nostra quam reficiunt, pro Deo ea contempserimus, ad illa statim flumina in æternum currentia perpetuo deputamur, quæ sunt mellis, et lactis, vini et olei abundantia plena; simul et illarum fructus arborum varios et diversos duodecies in annum nascentes non cultura hominis, sed abundantia Deitatis; qui non fame delectant ad vescendum, vel esurie appetuntur ad manducandum; sed postquam oculi sanctorum ipso visu fuerint saginati, insuper hoc unicuique sapit in ore quod fuerit delectatus. Ergo digne ad parvum tempus jejuniis et abstinentia pro Domino cruciamur, ut in eis quæ præparavit bonis in perpetuum satiemur : obscuramur pro Deo a persecutore in carcere, ut in illa perpetua luce fulgeamus, tanquam scintillæ in arundineto discurrentes : mortem momentaneam pro Deo libenter appetimus, ut in æternum a gehennæ morte perpetua liberemur. Postremo et sine persecutione in ipsa christianitatis pace in schola monasterii ideo probationibus vel amaricationibus voluntatum sub abbatis imperio militemus, ut post peregrinationem vitæ sæculi hujus, cum Dominus noster in judicio nos accersierit suo, digna ei nostra opera consignemus, offerentes ei patientiam nostram, per quam dura omnia et diversa nobis ab abbate imperata, quæ pro nomine ejus gratanter portavimus, vel amaricationes voluntatum nostrarum diversas, quas pro nomine Dei vel salute animæ libenter magis sustinuimus, dicentes Domino : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Et cum hæc omnia venerint super nos, obliti non sumus te, et per observationem obedientiæ inique non egimus in testamento tuo; et a perseverantia bonorum actuum vel desiderio spei futuræ non recessit retro cor nostrum : quia non declinaverunt semitæ nostræ a viis tuis, in quibus viis *probasti nos, Deus, sicut examinatur argentum.* Induxisti nos probationis in laqueum, posuisti amaricationum tribulationes in dorso humilitatis nostræ : ut nostram non permitteremur, sed tuam cogeremur facere voluntatem. Unde *imposuisti homines super capita nostra :* quia ostendisti nos sub abbate doctore vel præposito disciplinæ debere esse probandos. Ergo hi tales [d] subsequentes, Domino dicant : In illo jam sæculo *transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium;* hoc est, transivimus per amaricationes voluntatum nostrarum et servitium sanctæ obedientiæ : ecce pervenimus ad tuæ refrigerium pietatis. Et item dicimus ei : *Delectati sumus pro diebus, quibus non humiliasti, annis in quibus vidimus mala :* ut nihil habeat in nobis gehennæ ignis sibi quod vindicet, quando nihil suum in nobis incendendum ibi diabolus egit. Ergo omnia debet pro Domino sustinere qui ejus cupit militare scholæ; et tanquam aurum lima, et malleis, et igne fornacis probetur ad diadema Dei, et coronam Dominicam profuturus. Quia cum propriam non fecerit voluntatem aliquis, cogitur facere, cui quotidie dicimus in oratione : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* [e] Terra enim est corpus nostrum, cui dicit Dominus : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Quia omnis propria voluntas carnalis est, et a corpore descendit, ideo nos cogit [f] illecebra et injusta committere [g] quæ ad tempus parvum vitæ hujus carni per desideria esse

imperabant, quæ eorum voluntati adversari videbant, ut notat Cassianus lib. IV de Institutis renuntiantium, cap. 8. *Cujus hæc erit sollicitudo et eruditio principalis, per quam junior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa prævaleat : ut doceat eum penitus vincere voluntates, quem studiose in his diligenter exercens hæc illi imperare de industria curabit, quæ senserit animo ejus esse contraria.*

[a] *Ad superventuram gloriam.* In versione communi, *ad futuram gloriam.*

[b] *Coronatus.* Id est, coronatio; in Reg. ms. : *Corona.*

[c] *Interanea nostra.* Ita in Reg. ms. Magistri, id est, interna, quæ ad animam spectant, metaphorice : nam proprie interanea sunt exta, intestina. Glossæ veteres : *Interanea, ἔγκατα,* id est, exta. Item. *Intestina, interanea, exta, ἔγκατα.* Lex Salica dicit : *Intrania,* tit. 49, § 5 : « Si vero intra costas nullus intraverit, et usque ad intrania pervenerit. » Gallice, *entrailles.*

[d] *Subsequentes.* Id est, persequentes.

[e] *Terra enim est corpus.* Ita idem Magister in expositione orationis Dominicæ, quam posuit post regulæ suæ prologum : « Ita *et in terra,* dixit, hoc est, corporis nostri machina de limo terræ formata, cui per sententiam Dei dictum est : *Terra es, et in terram ibis.*

[f] *Illecebra.* Ita in Reg. ms. Lege : *Illecebrosa.*

[g] *Quæ ad parvum tempus vitæ hujus carni,* etc. Locus corruptus. In Reg. ms. additur verbum *videntur,* recte. Sed ita lege : *Quæ ad tempus parvum vitæ hujus per carnis desideria videntur esse dulcia, amariora felle futura.*

dulcis amarior felle futura in posterum et in æternum. Ideoque enim cogitur lingua nostra juste quotidie clamare ad Dominum : Fiat voluntas tua in terra corporis nostri. Quæ voluntas cum fuerit nobis in schola monasterii a majoribus tradita, et per obedientiam a nobis fuerit adimpleta quotidie, juste nobis credamus in futuro Dominum parcere, et confidamus insuper gratia ejus posse nos coronari, quia semper ejus fecimus voluntatem, non nostram, et nunquam nos desideria carnis prætulimus amori ejus; et propter eum etiam parati sumus perdere animas nostras in præsenti tempore, ut mereamur eas in futuro invenire cum ipso. Ergo accedens ad timorem Dei aliquis in monasterio cupiens converti, vel volens esse discipulus, hoc ei pro Domino futurus magister proponat, ut supra diximus. Quia quidquid aliquando pro desiderio voluntatis suæ appetierat, sciat sibi posse negari; quidquid noluerit, audiat sibi posse imponi. [a] Antecessus ei peculiaria denegentur; Regula ei tota legatur, et factis implenda promittatur. Domum parentum de cætero sciat sibi esse extraneam, inaccessibile limen ejus ulterius habere jam credat. *Quia, nisi quis reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut domum, non potest esse Christi discipulus.* Citra jussionem majoris a monasterio fortasse non exire sciat. Cum hæc omnia ab abbate prædicta promiserit se ad omnia obaudire, et ejus, vel Regulæ monitionibus ad omnia factis esse paratum, tunc suscipiatur in monasterium. Nec tamen tam facile [b] sancti propositi habitus imponatur : ne ad horam promittens fallat in posterum, et sub nomine ovis lupus ingrediatur. [c] Quia cum sæcularis erat, eum diabolus non tentabat, cujus aperte semper voluntatem perfecit, cum ejus operarius fuit; sed ex quo se a diaboli suasionibus vel militia sæculari ad timorem Dei in servitium Christi tradidit, certissime ab ea die diabolum sibi inimicum sciat effectum, quem cum sæculo suo propter timorem Domini dereliquit. Ergo tam facile ingredienti non debet credi, nisi videatur si quod promittit verbis, factis adimplet, dicente Scriptura : *Nolite omni spiritui credere,* [d] *sed prius probate* (*I Joan.* IV). Et iterum : *Quia multi ad vos veniunt in vestitu ovium, intus autem lupi rapaces* (*Matth.* VII). Vide ergo quia causam Dei caute nos jubet agere Scriptura, ut non mittatur sanctum canibus, nec margaritæ pretiosæ ante porcos; sed monens eum quotidie abbas dicat : Fili, interim [e] istæ res, quibus uteris in monasterio, nihil tibi præjudicant apud nos; sed prius in divinis interanea cordis tui de sæcularibus factis cum mundaveris, jam tunc demum mutabis vestes, ut merito jam ab omnibus hoc videaris in corpore, quod a Deo possideris in mente; et juste post pectoris cæsam malitiam tondebis et caput. Et cum hæc omnia quæ in regula monasterii continentur, in tuis adhuc vestibus perfecte impleveris, et nostrum cum susceperis habitum, sanctior permanebis. Cum ergo ex illa die omnia cum cæteris fratribus inculpabiliter in monasterio per integrum annum impleverit, tunc demum sine ulla dubitatione tondeatur, et ei [[f] sancti propositi] vestes mutentur. Tondeatur enim sic. Stet ipse frater in medio oratorio curvatis genibus : [g] tondente eum abbate, psallentibus in circuitu cunctis. In quo probationis anno psalmum, antiphonam,

[a] *Antecessus ei peculiaria denegentur.* Id est, non præcedat alios.

[b] *Sancti propositi habitus imponatur.* Ita correxi, cum deesset τὸ *sancti*, et τὸ *præpositi* legeretur; ex sequentibus : *Quandiu sancti propositi habitum habere mereatur.*

[c] *Quia cum sæcularis erat*, etc. Notanda doctrina, ne quis incipiens se acrius a dæmone impugnari animadvertens, animo cadat. Nec solum diabolus, sed etiam ipsa caro initio conversionis vehementius insurgit, pungit, ac lancinat; et ipsa vitia, inveterata etiam peccandi consuetudo noviter conversos instantius urgent, et quæ prius amica, fiunt inimica. Quod præclare docet Isidorus libr. de Conversis, cap. 3 : « Quisque conversus si mox carnales stimulos calcare cupiat, et summa virtutum subire contendat, si forte adhuc aliqua adversa de carnis molestiis tolerat, non frangatur : quia dispensator bonorum novit adversitatis reprimere vitium successione virtutum. Tunc magis gravari se quisque impulsu vitiorum agnoscit, dum ad cognitionem Dei accesserit. Sicut populus Israel graviore onere ab Ægyptiis premitur, dum per Moysen divina illa cognitio aperitur. Vitia enim ante conversionem quasi pacem in homine habent : quando autem expelluntur, acriore virtute consurgunt. Fiunt autem inimica converso, quæ peccatori prospere blandiebantur, atque item fiunt blanda converso, quæ peccatori adversa exstiterunt. Multos habet conflictus Dei servus ex recordatione operum præteritorum, multique post conversionem etiam nolentes motum libidinis sustinent : quod tamen ad damnationem non tolerant, sed ad probationem, scilicet ut semper habeant pro excutienda inertia hostem, cui resistant, dummodo non consentiant. »

[d] *Sed prius probate.* In versione communi : *Sed probate Spiritus*, etc. I Joan. IV.

[e] *Res istæ.* Id est, vestes sæculares.

[f] *Sancti propositi vestes mutentur.* Ita in Reg. ms., sed hæc vocabula : *Sancti propositi*, redundant.

[g] *Tondente eum abbate.* Olim cum monachus habitu monachico induebatur, ante altare ipse ab abbate, seu a sacerdote tondebatur. Id patet ex Actis S. Mauri, ubi Florus ante altare habitum suscipiens a S. Mauro tondetur prius, deinde a Theodeberto rege et aliis ejus optimatibus, rogante S. Mauro; ex Actis S. Galli episcopi Arvernensis apud S. Gregorium Turonensem, cap. 6 de Vitis Patrum : « Ille assumpto secum uno puerulo monasterium Cremonense expetiit sexto situm ab Arverna urbe milliario suppliciter abbatem exorans, ut sibi comam capitis tondere dignaretur. » Joanne Moscho, cap. 143 : Ταῦτα ἀκούσας ὁ ἀββᾶς ἐδέξατο αὐτὸν ἔνδον τοῦ μοναστηρίου καὶ ἀποκείρας αὐτὸν δίδωκε αὐτῷ τὸ ἅγιον σχῆμα, id est, « his auditis abbas suscepit eum in monasterium, et cum totondisset, dedit ei sanctum habitum. » Euchologio Græcorum, ubi describitur ratio vestiendi monachi : Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς, id est, « sacerdos tondet eum in modum crucis. » Id videtur etiam apud Theodorum Balsamonem in can. 6 synodi Carthaginensis, ubi ait tonsuras monachorum posse fieri a sacerdote monasterii præfecto, ab alio vero sacerdote monacho minime nisi de licentia episcopi. Antiquus sane ritus, et ab apostolicis temporibus derivatus, ut constat ex cap. 6 Hierarchiæ Ecclesiasticæ supra citato : Τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενον αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει, id

aut responsorium, vel versum non imponat, quandiu sancti propositi habitum habere mereatur, nec cum abbate ausus sit manducare. Vestes vero sæculares, quas, dum mutat, exutus fuerit, diligentia reponitæ conserventur : ne forte (quod non in conversis contingat) cum ad suos denuo vomitus redire voluerit, et sæculi elegerit iterato repedare itinera, et nullis scripturarum vel monitionis potuerit vinculis retineri, reddat Christo quod suum est : id est, exutus sanctis vestibus, vel habitu sacro, suis quibus venerat vestitus vestibus [a] resimilans sæculo ad suasorem diabolum revertatur, et non Christi prædatus habitus polluatur in sæculo a fugaci. Recipiat talem qualem miserat sæculum : quia retulit quod suum est, indigno quod dederat Christus cum invenire in eo Dominus non potuit quod quærebat. [b] Quidquid enim in monasterio acquisivit, vel laboravit, aut contulit, [c] abscedenti ei penitus non reddatur : quia omni rei ingressæ ad Dominum in monasterio perseverantia opus est ; ideo exitus licentia denegatur ; solum ab invito ea res quæ liberum habet arbitrium non detinetur, id est, anima ipsa et corpus, quæ in voluntatibus et desideriis suis, ut a diabolo captivetur, libero se dicit esse constitutam arbitrio, et putat sibi licere quod malum est. Res apostatarum vel collata ideo a Patribus non jubentur a monasterio reddi, quia licet erogatæ vel consumptæ in usus sanctorum, removeri et restitui non possint ; tamen plurima ideo certissime denegantur, ut vel occasione rerum suarum ad Dei disciplinam in monasterio permanentes retineantur discipuli. Ideo res Deo oblata [d] revocari sæculo ab homine non debet. Nam et ista hujus Regulæ tripartita sententia : « Labor in monasterio fratres pascit ; perseverantia calciat et vestit ; discessus restituit debitas monasterio res : [e] et si capit, abscedat.

§ XXX. — Ex Regula sancti Aureliani episcopi (*cap.* 1).

Hoc jubente Deo in primis statuimus tenendum, ut si quis [f] ad conversationem venerit, [g] Regula ei in salutatorio [h] legatur, et si professus fuerit se omnia impleturum, [i] tunc excipiatur. [j] Exceptus vero usque ad mortem suam nec præsumat, nec permittatur de monasterio egredi propter illud propheticum : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI). [k] Vestimenta vero religiosa non accipiat, nisi de omni facultate sua, sive grandi, sive parva chartas donationis, aut venditionis, cui voluerit, faciat, propter Domini mandatum, ubi dicit : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes* (*Matth.* XIX). Et : *si quis non relinquit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV).

§ XXXI. — *Item* (*cap.* 4).

Si quis laicus tonsurandus est, [l] de capillis illius [m] in confessione mittatur, ut ei in testimonium sit.

est, « forma crucis signatum ipsum (monachum) sacerdos tondet. » Hanc orationem, quæ dicebatur, antequam monachus tonderetur, refert Smaragdus : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut hic famulus tuus comam amittit capitis, vitia similiter amittat corporis et cordis : ut corpore pariter innovatus et mente, tecum feliciter valeat in æternum regnare. Per Christum.* Sed hic ritus abiit in desuetudinem.

[a] *Resimilans sæculo.* Ita in Reg. ms. Id est, iterum similis sæculo factus.

[b] *Quidquid enim in monasterio acquisivit, vel laboravit.* Particula *enim*, hoc loco sumitur pro, *vero*, *autem*, ut passim occurrit in hoc auctore.

[c] *Abscedenti penitus non reddatur.* Olim prohibitum fuit abscedentibus monachis bona quæ monasterio contulerant reddere. Idem videtur in Regula Magistri, supra cap. 89, et statuitur in Regula Macarii seu Patrum supra hoc cap. : « Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem exire voluerit, nihil penitus accipiat, nisi in veste qua venit. » Quemadmodum Novella 5 Justiniani, cap. 5 : « Si quis autem forte semel dedicatus, schemateque potitus, deinde a monasterio discedere voluerit, et postmodum fortasse eligere aliam vitam, ipse quidem sciat, quam pro hoc Deo dabit satisfactionem : res autem, quascunque habuerat, dum in monasterium intrabat, eas esse monasterii. » Et C. L. 54, *de Episcopis et Clericis*, etc. « Quod si illi monasteria, aut ecclesias relinquant, et mundani fiant, omne ipsorum jus ad monasterium aut ecclesiam pertinet. »

[d] *Revocari.* Id est, restitui, de quo supra.

[e] *Et si capit, abscedat.* In Reg. ms. : *Etsi capit, abscedit* ; lege, *etsi capit, qui abscedit* ; nam dixit : *Dicessus restituit monasterio res.*

[f] *Ad conversationem.* Lege, *Ad conversionem*, ut in cod. Vind.

[g] *Regula ei in salutatorio legatur.* Ita statuit S. Cæsarius in Recapitulatione, cap. 8 : « Quæcunque ad conversationem venerit, in salutatorio ei frequentius Regula legatur. » De salutatorio supra dictum est.

[h] *Legatur.* Videtur legendum : *Frequentius legatur*, quemadmodum S. Cæsarius, quem sequitur S. Aurelianus.

[i] *Tunc excipiatur.* Anno scil. probationis evoluto.

[j] *Exceptus vero usque ad mortem suam*, etc. Ita statuit S. Cæsarius cap. 1 Regulæ suæ : « Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare et sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo juvante possit evadere, usque ad mortem suam de monasterio non egrediatur. » Tetradius seu Tetradius, cap. 1 Regulæ : « In primis si quis ad conversionem venerit, ea conditione excipiatur, ut usque ad mortem suam ibi permaneat. »

[k] *Vestimenta vero religiosa non accipiat*, etc. Idem statuit S. Cæsarius cap. 4 Regulæ suæ : « Quæ autem viduæ aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad monasterium veniunt, non recipiantur, nisi antea de omni facultatula sua, cui voluerint chartas aut donationes aut venditiones faciant, » etc. Lege, *aut donationis, aut venditionis.* Per viduas quæ mutatis vestibus veniunt ad monasterium, intelligit eas quæ mutatis vestibus in domibus convertuntur sive sanctimoniales fiunt, de quibus conc. Aurelian. v, can. 19. Idem etiam decernit Tetradius, cap. 1 Regulæ : « Vestimenta vero laica non ei mutentur, nisi antea de facultate sua chartas venditionis esse sicut Dominus præcipit dicens, » etc. Sed hic locus etiam corruptus est atque etiam ita castigandus : *Chartas donationis et venditionis faciat, sicut Dominus præcipit*, etc.

[l] *De capillis illius in confessione mittatur.* In professionis monasticæ testimonium. In Actis S. Guillelmi Gellonensis videmus barbam et comam depositam Deo consecrari : « Guillelmus comes auro textis depositis vestibus per Dei gratiam benedicitur, totus ille in eo sacer ordo perficitur ; coma nobili, barba venerabili deposita, et Deo consecrata. »

[m] *In confessione.* Confessio est capsa seu tabernaculum ex auro, vel argento, et seu alia quavis

Quod si tonsuratus, [a] aut in habitu religioso venerit, non excipiatur, nisi, ut superius diximus, chartas de eo quod proprium in sæculo habuerat, faciat, ut nihil sibi reservet quod non a se alienet. Et id quod secum exhibuerit, totum [b] in potestatem abbatis tinnens exemplum Ananiæ et Saphiræ.

pretiosa materia in honorem alicujus sancti fabricatum. Anastasius Bibliothecarius in Hilario papa : « Confessionem sancti Joannis Baptistæ fecit ex argento, quæ pensat libras centum. » Et paulo post : « In oratorio sanctæ Crucis fecit confessionem, ubi lignum Dominicum posuit cum cruce aurea cum gemmis, quæ pensabat pondus librarum viginti. » In Symmacho papa : « Fecit autem oratoria duo, S. Joannis Baptistæ, et sancti Joannis Evangelistæ, in quorum confessione arcus argenteos posuit pensantes libras triginta. » In Sixto tertio : « Item fecit Sixtus episcopus confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam et altare, et confessionem sancti Laurentii martyris de argento purissimo ; » et innumeris prope ejusdem auctoris locis.

[a] *Aut in habitu religioso.* Si nempe monachatum ageret in ædibus suis, aut certe habitum pœnitentis suscepisset. Nam hæc verba non intelliguntur de cœnobitis, qui chartas donationum facere non poterant migrando de uno monasterio ad alterum. Quod autem nonnulli vitam monachicam in suis domibus agerent, patet ex epist. 24 Sidonii, lib. IV : « Cum surgeremus percontor astantes quod genus vitæ de tribus arripuisset ordinibus, monachum ageret, an clericum, pœnitentemne ? » Ibi agitur de Maximo palatino, qui conversus vitam sanctam in suis ædibus agebat ; et frustra an monachum ageret, interrogasset, nisi etiam aliqui in suis ædibus vitam tunc ducerent monachicam.

[b] *In potestatem abbatis.* Deest verbum *consignet*, vel quid simile.

CAPUT LXVI.

DE FILIIS NOBILIUM ET PAUPERUM QUI OFFERUNTUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minore ætate est, [b] parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant in [d] palla altaris, et sic eum offerant. [e] De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam

[a] *Si quis forte de nobilibus offert filium suum.* Hujus oblationis mentio fit in Chron. Novalegiensi, in petitione Widilonis suum filium offerentis tempore Caroli Magni : « Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur et cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo feliciter servituros, etc. »

[b] *Parentes.* Id est, pater et mater, et non alii. Vide Petrum Blæsensem, ep. 54.

[c] *Et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri*, etc. Id videtur in eadem petitione Widilonis : « Idcirco ego Widilo hunc filium nostrum Amblulfum cum oblatione in manu altaris palla manu mea involutis ad nomen S. Petri et S. Andreæ cæterorumque sanctorum, quorum reliquiæ hic continentur, et tibi Warnari præsenti decano ad vicem domni Witgari episcopi, seu et Richarii præpositi trado coram testibus regulariter permansurum. » — *Cum oblatione.* Hæc oblatio erat hostia cum vino in calice, ut habetur in Constitutionibus Lantfranci, cap. 18 : « Offerendus puer facta prius corona manibus portans hostiam et calicem cum vino, sicut mos est, » etc. Sed hic mos non ubique viguit ; nam in monasterio Eremi S. Mariæ in Helvetiis puer ferebat hostiam in mappula, et vinum in ampulla, ut scribit Ruthardus ejusdem cœnobii monachus, in hoc capit : « Debet ponere in dextra manu filii sui oblatam cum mappula, in sinistra autem ampullam vini. » Et videtur Ruthardus hæc dicere juxta consuetudinem monasteriorum Germaniæ. Oblata est oblatio seu hostia, panis qui offertur in missa. Antiqua synodus, quæ videtur celebrata sub S. Udalrico episcopo Augustano, constitutione 19, « Calicem et oblatam recta cruce signate. » Græcis προσφορά. Sed locus synodi intelligitur de hostia tam consecrata quam nondum consecrata, locus S. Benedicti, ut et Lantfranci et Ruthardi, de hostia non consecrata.

[d] *Palla altaris.* Soteris papæ decreto (*Dist.* 25, *c.* 26) prohibetur sacratis Deo feminis et monachabus sacratas pallas tangere, ac proinde minus licitum laicis, seu viris, seu mulieribus, et synodi Antissiodorensis, can. 37 : « Non licet mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere. » Itaque cum S. P. Benedictus permittat puero et ejus parentibus tangere pallam altaris, videtur palla altaris esse quid distinctum a sacratis seu Dominicis pallis, quæ, ut arbitror, sunt linteum illud sacratum quod corporale vulgo dictum supponitur corpori Dominico ; sed palla altaris est illud velamen quo velatur altare, sive sit lineum, sive sericum ; quæ quidem pallæ altaris distinguuntur a corporali, ut videre est in concilio Meldensi, apud Burchardum lib. IV, cap. 13 : « Similiter ad corporale lavandum, et ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat ; » et in synodo Arvernensi, can. 7, ubi opertorium Dominici corporis, quod est corporale, distinguitur a palla altaris : « De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur. » Et recte corporale dici potest opertorium Dominici corporis, quia olim sacrosanctum Domini corpus illo operiebatur in altari. Rupert., lib. II de divinis Officiis, cap. 23, « Sacrosanctum Domini corpus lineo corporali superpositum obtegitur. » Eadem differentia videtur in concilio Rhemensi apud Burchardum lib. III, cap. 97. « Observandum est ut mensa Christi, id est, altare, ubi corpus Dominicum consecratur... cum omni veneratione honoretur, et mundissimis linteis et pallis diligentissime cooperiatur. » Et apud eumdem, cap. seq., in eodem concilio : « Corporale super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo et purissimo linteo sit. » Huic nostræ explicationi favet Lantfrancus constitutione supra citata : « Involvant prædicti parentes manus (*lege* manum) pueri in palla, qua altare coopertum est, et cujus pars anterius pendet. » Sed discrepat Ruthardus, qui scribit pallam altaris dici mappulam cum qua puer offert oblationem. Sed id probandum esset. Hujus tamen ritus rationem affert, quia pannus altaris sacratus erat ; sed hoc peculiare erat huic monasterio et nonnullis aliis.

[e] *De rebus autem suis aut in præsenti petitione promittant*, etc. Ita in citata petitione Widilonis : « Et ut hæc nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo et angelis ejus, quia nunquam per me, nunquam per suspectam

[a] per suffectam personam, nec quolibet modo, ei aliquando dent aut tribuant occasionem habendi : vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid offerre voluerint in eleemosyna monasterio pro mercede sua, fa- A ciant ex rebus quas dare voluerint, monasterio donationem, reservato sibi (si ita voluerint) [b] usufructuario. Atque ita omnia observantur, ut nulla [c] suspicio remaneat puero, [d] per quam deceptus perire possit

personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de monasterio tribuam occasionem. »

[a] *Per suffectam personam.* Recta lectio et habetur in codicibus mss. SS. Germani Far. et Vict., cum editione Coloniensi, S. Dunstano et Smaragdo, tam in textu quam in formula petitionis, quam profert, hancque vocem explicat : « Suffecta persona *dicitur supposita, vel subrogata ;* suffectus *dicitur in loco alterius suppositus.* Favet Lantfrancus constitutione citata, cum ait : « Quo facto, præfati parentes coram Deo et sanctis ejus statim promittant, quod per se, aut a se suppositam personam susceptum ordinem puer nunquam relinquet : neque se ei scienter aliquid daturos, unde puer (quod absit) perire possit. » Ubi B τὸ *suffectam* explicavit per τὸ *suppositam.* Turrecremata, Chron. Novalegiense, et vulgatæ editiones legunt, *suspectam*, sed hæc mihi valde suspecta lectio : quasi vero nihil possit dari puero, quam per suspectam personam ? Suffecta ergo persona est vicaria supposita, subrogata. Novella 38 Theodosii : « Si propriæ non compleverit onera civitatis universa, per suffectum reddere compellatur. »

[b] *Usufructuario.* Smaragdus legit, *usu fructuum*, et ita explicat : *Usu fructuum dicit quod non dicimus usum fructuarium.* Editio Colinæi legit, *usufructu.* Vulgo tamen legitur, *usufructuario*, id est usufructu. Ita loquitur S. Gregorius papa lib. II, epist. 9 : « Retento sibi usufructuario diebus vitæ suæ. » Quidam legunt divisim, *usu fructuario*, alii conjunctim uno vocabulo, ut nomen sit neutrius generis ; ita Ruthardus : « Ut dum ego vixero, ejus portionis usufructuarium habeam ; » ab adjectivo, *usufructuarius*, factum substantivum : quo adjectivo utitur Marculphus, form. 25, « Pater facultatum filii integram usufructuario jure vindicet portionem. » C

[c] *Suspicio.* Facultatum, quas in sæculo esset habiturus.

[d] *Per quam deceptus perire possit.* Ex his verbis satis constat pueros seu infantes oblatos a parentibus astringi perpetuo monachatui, nec posse hunc statum repudiare sive ante pubertatis annos, sive post. Et hæc antiqua fuit praxis Ecclesiæ et monasteriorum. Id patet ex formula petitionis apud Smaragdum : « Idcirco hunc filium nostrum N. cum oblatione in manu, atque petitione, altaris palla omnibus involutis, ad nomen sanctorum quorum hic reliquiæ continentur, et abbatis, trado coram testibus regulariter permansurum, ita ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub jugo regulæ excutere, » etc. Idem habetur in petitione Widilonis supra citata. Quæ quidem verba nugatoria essent, si pueri oblati tenerentur remanere in monasterio D tantum usque ad annos pubertatis. Et clarius patet ex formula petitionis quam profert Ruthardus in hoc Regulæ caput, « Promitto ego ille coram Deo et sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua, et conversione morum, atque obedientia. » Ibi vovetur sine restrictione et conditione, quæ tamen in re tam necessaria et tanti ponderis exprimenda esset : præsertim cum in voto solemni conceptis verbis exprimendo nihil sit in animo retinendum quod ore non proferatur. Præterea votum stabilitatis non est ad paucos annos, sed ad vitam, ut supra explicatum est. His dictis ex eodem Ruthardo postea dicebat pater : « Promitto per viventem in sæcula quia nunquam do illi hæreditatem suam, aut aliquid quidquam ; sed exhæredo illum ab omni mea hæreditate, ut exhæres sit in perpetuum : ita ut per nullum ingenium possit quærere hæreditatem meam. » Quæ quidem verba omnem explodunt explicationem ; nisi dicamus patrem offerendo filium, Deo et sanctis ejus in testimonium adhibitis, coram sacro altari nugari velle, imo pejerare. Id cautum est concilii Toletani IV can. 48 : « Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit : quidquid horum fuerit alligatum, tenebit ; proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus. » Vulgo respondetur loqui concilium de pueris qui sunt adhuc impuberes, quod tunc non liceat eis excutere jugum sibi a parentibus impositum, non vero de puberibus, qui postea possunt hoc jugum deponere. Sed hæc solutio nulla est. Nam qui proprio arbitratu profitetur religionem, nunquam debet in mundum regredi, ergo, nec is qui paterna devotione offertur. Probatur. Ideo qui proprio arbitrio profitetur, nunquam potest in mundum regredi, quia ex præfato concilio monachus est ; sed qui paterna devotione offertur, ex eodem concilio monachus est : *Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit.* Ergo ei qui offertur a parentibus per hoc concilii decretum nunquam licebit a monasterio recedere, et jugum sibi a parentibus impositum excutere. Ita etiam statuit S. Isidorus hic citatus a nostro auctore et a Smaragdo, et relatus 20, qu. 1, c. *Quicunque :* « Quicunque a parentibus propriis monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. » Eadem causa, qu. 3, cap. 4, agitur de quodam Lamberto, qui invitus inter octavum et decimum annum cuculla a patre indutus fuerat, nec multo post habitum monachicum acceperat ab episcopo, etiam invitus : qui cum vellet reclamantibus fratribus adire hæreditatem, papam convenit, ab eoque dispensari petiit, quod facile obtinuit, patre, qui jam nuntium mundo remiserat, sub jurejurando obtestante quod eum invitum cuculla induisset, nec manum ejus palla altaris involvisset, nulla ab abbate benedictione percepta. Hæc tota dispensationis causa, non minor ætas. Si igitur hic Lambertus, nullum ponens obicem, fuisset solemni ritu a patre oblatus, manu ejus pallæ altaris involuta et abbatis benedictione percepta, non fuisset dispensatus ; ac proinde post pubertatis annos non potuisset legitimam dispensationem postulare. Id etiam clare constat ex conc. Tolet. II, cap. 6 : « Ideoque si in qualibet minori ætate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filiis, aut unus, aut ambo parentes dederint : certe vel nolentibus, aut nescientibus esse susceptam, et non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum quandoque penitus non licebit, » etc. ; ubi hæc posteriora verba satis indicant non licere ejusmodi pueris post pubertatem ad sæculum redire, et satis explicant mentem concilii Toletani IV supra citati. Et cap. q. 1 ejusdem causæ : « Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cœpit canere et legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit ; sed si discesserit, reducatur ; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur ; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. » Quæ profecto de his qui pubertatis annos excesserunt intelligenda sunt, cum sit inusitatum pueros ante pubertatem relicto monasterio ducere uxores. Sed esto quod ejusmodi matrimonium sit ante pubertatis annos ab ejusmodi pueris contractum, tamen ex citato canone sequitur ejusmodi pueros esse religioni perpetuæ astrictos, cum ejusmodi canon jubeat hoc matrimonium dirimi ; quod non posset fieri, si pueri a parentibus oblati perpetuæ religioni non es-

(quod absit), quod experientia didicimus. Similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, similiter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum [a] coram testibus.

sent obnoxii. Probatur, quia ejusmodi oblatio minus obligaret pueros oblatos quam votum simplex religionis et castitatis; sed hæc vota etsi impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum; igitur ejusmodi oblatio, quæ juxta adversarios non astringit perpetuæ religioni, non posset dirimere contractum matrimonium, licet impediret contrahendum. Probatur major, quia prædicta vota perpetuo obligant, sed ejusmodi oblatio, juxta adversarios, non perpetuo obligat, ergo minus quam ejusmodi vota. Sed nostra assertio maxime probatur ex cap. 2, qu. 1, ejusdem causæ, ubi Gregorius III papa S. Bonifacio sciscitanti an pueri ejusmodi possint post annos pubertatis egredi monasterio, et uxorem ducere, sic respondet : « Addidisti adhuc quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos egredi et matrimonio copulari : hoc omnino evitamus, quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. » Ubi vides hanc solam et unicam rationem cur non debeant ejusmodi pueri ad mundum redire post pubertatis annos, quia Deo oblati sunt a parentibus, non vero, quod manendo in monasterio usque ad annum decimum quartum sine ulla ejusmodi status reclamatione pueri oblati censeantur tacite ratam habere ejusmodi oblationem de se a parentibus factam, ut nonnulli respondent. Quod non multum favet ipsis pueris oblatis : nam aut forte, ut primum ad hunc annum pervenerunt, ætatem suam nesciunt, aut non cogitant de ratificanda ipsa oblatione. Et sane dandum esset eis aliquod deliberandi spatium unius anni, aut aliquot mensium. Et durius cum illis agitur, si pridie quam attigerint decimum quartum annum nullo modo obligati perpetuo manere, postera die obligentur. Quid, si uno aut altero mense, si quindecim vel octo diebus duntaxat oblati fuerint a parentibus ante annum ætatis decimum quartum, quomodo ratam habebunt ejusmodi oblationem, cui tam brevi spatio temporis ad deliberandum concesso obstringi necesse erit, cum adultis annus integer concedatur ?

Huic nostræ opinioni vulgo opponitur decretum Marcelli papæ, quod habetur 20, qu. 1, cap. 10, ubi permittitur pueris anno ætatis decimo quinto hujuscemodi parentum oblationem aut confirmare, aut rescindere. Sed hoc decretum non adeo certum est, cui palea præfigitur, ut etiam ipse glossæ auctor testatur; et merito quidem : quia cum tunc rari essent monachi, atque illi in solitudinibus vitam durissimam agerent, non est credibile tempore hujus Marcelli papæ puerorum oblationem in usu fuisse; maxime cum nihil de ea ante tempora S. Benedicti, aut saltem S. Leonis primi, qui agit de puellis oblatis a parentibus, legatur.

Objicitur etiam non esse probabile tale jus fuisse parentum in liberos, et hoc adversari sacræ Scripturæ. Sed dico hoc jus esse a naturali potestate quam habent parentes in liberos, qui possunt etiam eos vendere necessitatis causa, ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium, tam pro salute sua quam liberorum, modo id fiat pura intentione et devotione. Et hæc oblatio summæ est virtutis, quæ vincit amorem naturalem parentum in liberos, et etiam desiderium naturale propagandæ familiæ suæ, maxime cum uno oblato cæteri superstites possint sine liberis mortem obire : et etiam solatii, quod parentes possent ex ejusmodi oblatis percipere, quo tamen privantur illos Deo sponte offerendo. Quapropter non est dubium quin

§ II. — Ex Regula sancti Basilii.

Interrog. [b] Ex qua ætate oportet nosmetipsos offerre Deo, vel [c] virginitatis professionem quando oportet firmam vel stabilem judicari ? — *Resp.* Dicente hæc oblatio sit Deo gratissima et acceptissima, cujus gratia tum parentes, tum liberos summis beneficiis cumulat Deus et ditat; maxime liberos, ut possint onera æquo animo ferre vitæ monasticæ, quæ leviora sunt jugo servitutis, quod tamen possunt liberis suis parentes imponere, ut in confesso est apud omnes : Jugum enim Christi suave est et onus leve, maxime ipsis pueris, qui nullis vitiis conspurcati sunt, nulla prava consuetudine corrupti, ab ineunte pueritia bonis monachorum exemplis imbuti, piis institutionibus et præceptis informati, sæculi et vanitatum ejus, ac deliciarum penitus ignari; præsertim antiquis illis temporibus, cum rara essent in urbibus monasteria, raro sæculares ad monasteria accederent, et rarius monachi suis asceteriis egrederentur. Neque his adversatur sacra Scriptura, et, si quæ testimonia proferri possunt, ea sunt de adultis, et juxta communem usum hominum intelligenda. Neque etiam obstat id quod objicitur de sponsalibus, quæ facta a parentibus nomine filii, ab eo possunt rescindi. Nam aliud est filium alicui puellæ despondere, aliud est eum Deo offerre : et status matrimonii, licet de bonis sit, non est tamen de optimis et perfectis, ut loquuntur : at status religionis est de optimis et perfectis. Deinde onus matrimonii gravius est jugo religionis : id experimento norunt qui cum mala muliere conjuncti sunt. Nec etiam cap. *Firma* nostræ sententiæ adversatur. Nam ibi agitur de his qui proprio voluntatis arbitrio vovent, non vero de his qui a parentibus offeruntur, ut ubi recte explicat Gratianus. Sed postea ejusmodi oblationes abrogatæ sunt cap. *Cum simus*, de regularibus.

[a] *Coram testibus.* In petitione nobilium et pauperum nulla fit mentio testium, sed tantum in petitione eorum qui nihil habent omnino. Tamen in antiquis petitionum formulis, quæ generaliter tam de nobilibus, quam de his qui nihil habent omnino sunt, testes adhiberi videmus, ut apud Smaragdum hoc loco : « Et ut hæc petitio firma permaneat, manu nostra eam firmamus, et testibus roborandam tradidimus. » Id videtur etiam in petitione Widilonis nobilis viri : Trado coram testibus regulariter permansurum. » Et statuitur Add. 1 Capitul. Lud. imp., tit. 36 : « Ut puerum pater et mater tempore oblationis offerant altari, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, » et hoc decretum generale est. Id etiam constat ex Ruthardo, cum agit de ritu puerorum offerendorum indifferenter, sive illi sint nobiles, sive pauperes, aut nihil omnino habeant : « *Ille debet respondere dicens :* Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio. » Et paulo post : « *Deinde debet dicere abbas testibus :* Auditis, fratres, et videtis, quid iste dicat; *illi debent dicere :* Audimus et videmus. » Itaque hæc verba, *coram testibus*, referuntur etiam ad nobiles et ad pauperes. Adhibentur autem testes, ne forte parentes liberos repetant aut pueri reclament.

[b] *Ex qua ætate,* etc. Habetur apud S. Basilium, interr. 15 Regul. fusius disput., et apud Rufinum, cap. 8, sed contractum.

[c] *Virginitatis professionem.* Erat hoc unicum olim apud Græcos vitæ monasticæ votum παρθενίας, id est, virginitatis, ut vocat S. Basilius hac interrogatione, in junioribus quidem; ἀγαμίας, id est, cœlibatus, in his qui thorum olim experti sunt, apud eumdem in epist. 2, ad Amphilochium, can 19 : « Virorum autem professionem non novimus præter eos qui seipsos monachorum ordini addixerunt, » οἱ κατὰ τὸ σιωπώμενον δοκοῦσι παραδεδέχθαι τὴν

Domino : *Sinite infantes venire ad me* (*Matth.* XIX), et apostolo Paulo collaudante eum qui ab infantia sacras litteras didicisset (*II Tim.* III) ; *et rursum* præcipiente educari filios in doctrina et correctione Domini (*Eph.* VI). [a] Firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, et ea quæ solet nuptiis apta deputari ac perfecta. Oportet tamen infantes voluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos sub testimonio plurimorum suscipi, ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui, tam in verbo quam intellectu et opere. Quidquid in tenero et parvo quis inseruerit, firmius et tenacius in posterum conservabit. Injungenda est ergo infantium cura his qui ante omnia in virtute patientiæ documenta sui probabiliter præbuerint, qui possint pro merito delicti et ætatis singulis quibusque etiam correptionis adhibere mensuram, et qui servent eos primo omnium a sermonibus otiosis, et ab iracundia, atque ab incitamentis gulæ, et a cunctis indecentibus et inordinatis motibus. Si vero cum ætatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industrius, sed vaga mens et animus cassus, etiam post instituta probabilia, infructuosus permanserit, hujuscemodi abjici oportet, et maxime cum juvenilis fervor rudem lacessit ætatem. Eorum vero qui ætate robusta accedunt ad servitium Dei, oportet inquirere, ut diximus, qualitatem vitæ præteritæ, et sufficere etiam hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt, et si verum et ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Hujusmodi vero fieri documenta ab his oportet qui valde prudenter de his discutere potuerint et probare. Cum autem fuerint suscepti, si forte propositum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquam eos qui in Domino deliquerunt, [b] quod est confessionis suæ pactum, cum professi sunt. Et, si peccaverit, quis orabit pro eo (*I Reg.* II)?

§ III. — Ex Regula sancti Isidori.

[c] Quicunque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum. Nam Anna Samuel puerum natum et ablactatum Deo [d] pietate, qua voverat, obtulit ; quique in ministerio templi, quo a matre fuerat [e] functus, permansit, et ubi constitutus est, deservivit (*I Reg.* I).

§ IV. — Ex Regula sancti Aureliani Episcopi (*cap.* 46).

[f] Qui vero minoris ætatis sunt, aut vivis parentibus in monasterio ingrediuntur, [g] chartas tunc facere compellantur, [h] quando ætate probati fuerint, et apostolo Paulo testante, *Viduam eligi non minorem annis sexaginta* (*I Tim.* V), quæ ante hanc ætatem nubere appetit, damnationem habet, quia primam fidem irritam fecit, quæ ætas in feminis ad generandum jam non valet, et ideo ad Deo vovendum tempus est. Quæ vero ante hanc ætatem Deo se voverunt, et nubere appetunt, damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Quæ vero ante hanc ætatem Deo se voverunt, et nubere appetunt, damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Quæ vero ante hanc ætatem Deo se voverunt, et nubere appetunt, damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.

ἀγαμίαν, κ. τ. λ., id est, *Qui tacite videntur cœlibatum admisisse*, etc. Et in Admonitionibus idem Basilius mentionem facit voti virginitatis : « Si ad feminarum domus accesserit clericus aut monachus, et virgo patiatur hujuscemodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, et quod Deo polliciti sunt, sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt hujusmodi mansionem in se Deo præparare, sed dissolvuntur ut lignum aridum. Nunquid virginitatem Dominus ab aliquo extorquet invito? »

[a] *Firma tamen erit professio virginitatis*, etc. Hic textus profertur a Gratiano, 20, qu. 1, cap. 2, ex nona synodo ; sed ibi non reperitur. S. Basilius hoc loco professionem adulta ætate faciendam esse præcipit ; epist. 2, ad Amphilochium, can. 7, ætatem professioni idoneam determinat, docetque votum virginitatis emittendum esse supra annum decimum sextum aut decimum septimum. Verum concilium Trullense, can. 40, permisit professionem fieri anno ætatis decimo, non antea : Ἔστω τοίνυν ὁ μέλλων μοναχικὸν ὑπέρχεσθαι ζυγὸν, οὐχ ἥττων ἢ δεκαετής, id est, « Qui ergo monachicum subit jugum, non sit minor decem annis. » Agit concilium de monachica professione, aitque votum non esse differendum ad ætatem a S. Basilio præscriptam, imo acceleradum, quia Ecclesia Dei firmior est et robustior. Sed utramque ætatem amplectitur novella sexta Leonis imperatoris : « Itaque quæ magnus iste et admirandus decrevit Basilius, ut videlicet qui monachicum habitum ambiunt decimo sexto primum ac decimo septimo ætatis anno digni illi habeantur, quæque sancta sexta mandat synodus anno decimo, qui ejusmodi vitam capesserent, suscipiendos esse, noveris. Hæc cum sanctissimo patriarcha Deique amantissimis metropolitanis diligenter expendentes, neutram sacrarum legum duximus esse contemnendam. Sed contra ad utramcunque tempus religioso habitu, qui illam vitam sumere cupiunt, dignos haberi jubemus. » Videndus Theodorus Balsamon in canonem citatum. Hæc ideo instituta sunt quia bonum est viro portare jugum ab adolescentia sua. Flos ætatis Deo consecratus odorem spirat suaviorem. Postea statutum est ut nemo ante annum decimum quartum vitæ religiosæ professione solemni astringeretur, ut habetur cap. *Ad nostram*, de Regularibus, etc. Sed tandem propter abusum multorum, qui avaritia ducti liberos suos monasteriis obtrudunt invitos, qui a fratrum consortio, ut verbis Majoriani imperatoris utar (*Nov.* 8), parricidali quodammodo arte subtrahuntur, ne patris matrisque congrua largitione, aut eorum æqua cum reliquis filiis successione potiantur, sacrum concilium Tridentinum sanxit (*Sess.* 25, *cap.* 15) ne quis ante decimum sextum ætatis annum expletum ad professionem religiosam admittatur.

[b] *Quod est confessionis suæ pactum cum professi sunt*. Locus corruptus. Lege, ut apud Rufinum : *Et professionis suæ pactum transgressi sunt*.

[c] *Quicunque a parentibus*, etc. Hæc non reperiuntur in Regula S. Isidori excusa. Referuntur 20, qu. 1, cap. *Quicunque*, sine ulla libri aut capitis citatione. Referuntur etiam a Smaragdo, sed ex nostro auctore sumpsit.

[d] *Pietate, qua voverat, obtulit*. In causa citata, et apud Smaragdum legitur tantum, *cum pietate obtulit*.

[e] *Functus*. Ita apud Smaragdum ; sed in causa citata legitur, *deputatus*, rectius.

[f] *Qui vero*, etc. Hoc capitulum desideratur in cod. Vind., quod quidem sumptum est ex Regula S. Cæsarii, cap. 4 : « Illæ vero quæ adhuc vivis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere non compellantur ; quando res parentum in potestate habuerint, aut ad legitimam ætatem pervenerint. » Ubi lege, *sed quando*, etc. Idem præcipit Tetradius, seu Teridius cap. 1 Regulæ : « Si vero pater aut mater ejus vivat, et non habet potestatem faciendi (chartas), si migraverint, cogantur facere. »

[g] *Chartas*. Donationum.

[h] *Quando ætate probati fuerint*. Id est, quando

rint, [a] aut res parentum in potestate habuerint.

§ V. — *Item* (*cap.* 47).

[b] Minori ætate non excipiantur in monasterio, nisi ab annis decem, aut duodecim; qui et nutriri non egeant, et cavere noverint culpas.

§ VI. — Ex Regula Magistri.

[c] Cum alicujus nobilis filius propter Dei servitium in monasterium voluerit convolare, non prius suscipiatur, nisi, ut diximus, omnem a se obedientiam promiserit implendam. Deinde [d] conveniant ejus parentes, ut et eorum quale sit votum agnoscatur de eo. Quod si contrarii exstiterint interim usque ad vim pro eo Domino inferendam ad claustra monasterii, vindicetur, quem potest Dominus defendere propter se : quia fortior est dextera ejus ad protegendum quam diaboli iniquitas ad lædendum. Quod si magis fuerint consentientes ejus voto parentes, convocatis eis ab abbate in monasterium, votum filii convertentis exquiratur ab eis, ut ab ipsis potius videatur devoveri vel offerri qui eum genuerunt. Cum ergo magis responderint parentes gratanter se velle adimplere quæ cupit, tunc dicat eis abbas : Equidem omnibus nobis unus ad omnia sufficit Deus; [e] sed quia accedentibus ad divinum servitium, vel intrantibus in monasterium sæculi prius amputetur spes, [f] excarricato de se suarum onere facultatum, nullis ulterius sæculi laqueis irretitus, securus pergat, et solus ad Dominum : quia *nemo serviens Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II, 4). Quia homo onustus auro

ætate competenti fuerint. Hæc constitutio non recedit a novella Leonis imperatoris sexta, qua prohibetur ne puer decimum ætatis annum agens monachus factus condat testamentum ante ætatem legitimam. Hæc autem ætas erat annus decimus quartus completus. Ulpianus, ff. leg. *qua ætate*, tit. *Qui testamenta condere possunt*. Quod quidem de masculis intelligendum est, nam feminis olim concessum est condere testamentum anno duodecimo ætatis suæ completo. Ulp. ibidem. Porro ex hoc S. Aureliani decreto planum est olim monachos defunctis parentibus non fuisse legitima sua exclusos. Id clarum est ex locis Cæsarii, Teridii, et novellæ paulo ante citatis, et 20, qu. 1, cap. *Non liceat*, ex novella. « Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate sua repellere monachos factos, quamvis, dum laici fuerant, in causam ingratitudinis inciderunt. » Et Cod. l. 54, de Episcopis et Clericis, etc., statuitur ut parentes testamentum condentes necesse habeant liberis seu clericis seu monachis *quadrantem relinquere*; quod si non fecerint, locum esse *ab intestato*. Et Cod. Theod., lib. v, tit. 3, l. *Si quis episcopus*, sancitur ut, si monachus aut monacha nullo condito testamento decesserit, bona quæ ad eum pertinent, monasterio cui fuerat destinatus omnifariam socientur, si nec ei parentes, vel liberi, vel agnati, vel cognati aut uxor exstiterint. Id etiam constat ex S. Salviano Massiliensi, qui lib. IV ad Ecclesiam catholicam, fuse probat eos qui in monasteriis convertuntur, non esse a parentibus legitima sua spoliandos. Nec tamen poterant monachi pro arbitrio uti ejusmodi bonis, sed tenebantur ea factis chartis dare monasterio, aut pauperibus, aut ecclesiis. Quæ si monasterio dabant, vendebantur : et inde pecunia facta pauperibus erogabatur, paucis nummis in subsidium fratrum sepositis. Non enim

A sequi Christum non potest, dum non potest duobus dominis servire. Ipse vero bene servit Deo, qui voluerit illum in cœlis cum eo thesaurum possidere, quem non tinea comedit, neque fures effodiunt et furantur, dicente Domino in Evangelio : *Nisi qui renuntiaverit omnibus quæ possidet,* [g] *non potest sequi me, et meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Quia, ut diximus, [h] homo onustus auro sequi Christum non potest, [i] in tantum ut admoneat Dominus in Evangelio quemdam sua sequentem vestigia dicens ei : *Si vis perfectus esse vade et vende omnia quæ habes; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Unde contristatus ille propter multas divitias meruit hanc Dominicæ vocis audire sententiam : *Facilius potest camelus per foramen acus transire, quam intrare posse*
B *divitem in regnum cœlorum* (*Marc.* X; *Luc.* XVIII). Quos et sua sententia damnat Apostolus dicens : *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem* [i] *et laqueos et desideria multa, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes a fide exciderunt, et inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* VI). Videtis ergo, quia nec sequi Deum potest qui in sæculo quæ possidet bona sua non vult relinquere, nec amare poterit Deum qui divitias suas voluerit non odire. [k] Quia non tanta, vel talia, qualia pro Deo contemnuntur, novit Deus retribuere his qui pauperes se faciunt propter eum, insuper ad fruendum in æternum ipsam vitam eis tribuit sempiternam. Non ideo Deus quærit rebus vestris vos exui, ut ali-
C quid exinde ipse juvetur, aut vestra paupertate gau-

accumulandis possessionibus animum appellabant, alioqui ejusmodi testamentis seu chartis donationum fere universum orbem sibi comparassent.

[a] *Aut res*, etc. Particula *aut* sumitur copulative.

[b] *Minori ætate non excipiantur nisi ab annis decem.* Juxta concilium et novellam præfata. Tamen S. Cæsarius Arelatensis, cap. 5 Regulæ infantulas parvulas ab annis sex aut septem recipi permittit.

[c] *Cum alicujus nobilis filius*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. cod. Corb., cap. 91.

[d] *Conveniant.* In Reg. ms., *conveniantur*, rectius.

[e] *Sed quia accedentibus.* Ita in Reg. ms. Verum particula *sed* videtur redundare, et τὸ *quia* referendum a superiora, hoc modo : *Equidem quia omnibus nobis unus ad omnia sufficit Deus, accedentibus*, etc.

[f] *Excarricato.* Lege : *Et excarricato*, ut in Regula ms. *Excarricare* est onus deponere; *carricare*
D onerare, ut supra notatum est.

[g] *Non potest sequi me.* Ita in Reg. ms., quæ tamen non reperiuntur in textu evangelico; sed addita sunt potius ex Christi sensu quam ex Evangelii textu.

[h] *Homo onustus auro Christum sequi non potest.* S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum : « Vociferatur ille sæpe : *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*; et ego onustus auro arbitror me Christum sequi. »

[i] *In tantum ut.* Id est, ita ut.

[j] *Et laqueos.* I ad Tim. VI. Ita in Reg. ms. In communi versione : *Et in laqueum diaboli.* In textu Græco, καὶ παγίδα, tantum, id est, et laqueum.

[k] *Quia non tanta vel talia*, etc. Sensus est : Non talia reddit Christus, qualia pro eo contemnuntur, id est, non eadem vel æqualia reddit iis quæ pro eo spernuntur; sed longe majora et præstantiora; insuper et vitam æternam.

deat, vestraque indigentia gratuletur; [a] sed ut euntibus vobis ad eum ejus divitias sempiternas desiderantes momentanea sæculi [b] per] impedimenta, cum sibi vestros occupant cogitatus de anima vestra nunquam vos faciant cogitare, vel de morte, [c] ut possitis esse solliciti, [d] et post dies vestros in extremo vitæ termino per negligentiam definitos, relictis omnibus sæculi de quibus cogitabatis, ultima mortis ratio in judicio vobis cum solis peccatis occurrat, nihil aliud nisi pœnas perpetuas habituri, et tunc vos in æternum incipiat pœnitere; cum ipsius pœnitentiæ non poteritis merito invenire remedium. Unde nobis clamat merito Scriptura : [e] *Currite, dum licentiæ ad providendum vobis lumen habetis, ne ad discutiendam negligentiam tenebræ vobis mortis occurrant* (*Joan.* XII). Quid ergo si aliquis ita accedat ad Dominum, ut a divitiarum suarum avaritia non recedat, hos tales superius dixit Apostolus non posse in hoc [f] quod Deo cupiebant permanere, et tota facultate a fide posse discedere, quibus de sæculo remanet quod amatur. Ita enim nos considerantes, o parentes, juste vobis secundum Deum pro vestro filio suademus, [g] ut si filium vestrum digne Deo cupitis offerre, a sæculo eum prius exuite. Quod si aliquid apud vos ei a sæculo remanserit conservandum, habebit aliquando titillationem diabolici desiderii, sicut canis [h] delectatur ad suum redire vomitum; [i] et posita manu super aratrum respiciens retro non sit aptus regno cœlorum, [j] relicto quandoque monasterio securus de portione sua ei servata a vobis, cupiens in sæcularem domum vestram reverti, fratribus suis volens esse cohæres [k] in] suarum redire incipiat sponsus et dominus facultatum, et pristinis restitutus deliciis et pompis non aliud desideraturus quam nuptias. Ergo, sicut superius diximus, si digne eum vultis Deo offerre, de auferendo prius A impedimento ejus quam de anima cogitate. Itaque audite vocem illius Domini, quam filius vester dicit se sequi, ipso dicente : *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX). Sed quia portio ejus adhuc in vestra est potestate, et consensu vestro, vel [l] promissione magis videtur Deo offerri, [m] vos tangit de ea secundum Dominicam vocem, quam si vultis audire, pro filio vestro apud vos nihil remaneat in sæculo, nisi Deus. Quod si forte propter [n] immanitatem divitiarum vel amorem nutritæ domi familiæ gravis vobis et minus dulcis hæc divina præceptio convenit, audite Regulæ nostræ a Patribus salubre statutum consilium. De portione ejus tres fiant æqualiter partes : una distributa abbatis manibus pauperibus vel indigentibus erogetur; aliam B vobis vel fratribus suis pergens ille ad comitatum sanctorum [o] exagiliario munus titulo derelinquat; tertiam vero partem viatici sui utilitatem deferat secum monasterii sanctorum usibus profuturam. Quia quomodo filius vester omnibus in monasterio fratribus ad solatium vitæ portionem suam [p] conferat, dicente Apostolo de erogatione : *Maxime ad domesticos fidei* (*Gal.* VI). Ita et universi monasterii fratres suis singulis vicibus, prout quis habet, [q] ad hanc, ingredientes monasterium, deferunt formam filio vestro communiter cum omnibus profuturam. [r] Quod si utræque vobis graves sunt, ut nec Deum audiatis pauperibus erogando, et filii animam redimendo nec nostrum consilium [s] partibus dividendo, C et auferendo ab eo sæcularem substantiam, vel nudum ac solum filium Deo [t] largite, ita ut jurejurando per sacrosancta Evangelia promittatis ei ulterius eum de vestra patrimonii substantia [u] nihil habere : ut firmiter jam perseverans in Domino, sciens se de sæculo nihil sperare cum se a vobis et ab eo viderit

[a] *Sed ut euntibus vobis.* Particula *ut*, hoc est τὸ *quod*.

[b] *Per impedimenta.* Particula *per* redundat.

[c] *Ut possitis esse solliciti.* De vestra salute videlicet. Addidi particulam *ut*, quæ deesse videtur.

[d] *Et post dies vestros.* Adjeci præpositionem *post*, quæ desiderabatur.

[e] *Currite dum licentiæ ad providendum*, etc. Ita in Reg. ms.; sed legendum : *Currite dum licentiam*, etc. Locus habetur Joan. XII : *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Sed Magister potius hic paraphrasim posuit, quam textum. D

[f] *Quod Deo cupiebant.* Lege : *Quod de Deo cupiebant.*

[g] *Ut si.* Pro *quod si*, ut supra.

[h] *Delectatur.* Lege : *Qui delectatur.*

[i] *Et posita.* Lege : *Ut posita.*

[j] *Relicto.* Lege : *Et relicto.*

[k] *In suarum.* Particula *in* redundat.

[l] *Promissione.* Lege : *Permissione*, ut in Reg. ms.

[m] *Vos tangit de ea.* Id est, vestra res est de ea disponere.

[n] *Immanitatem.* Lege : *Inanitatem*, id est, quia forte timetis, ne vestræ divitiæ minuantur, si integram portionem filio vestro conceditis.

[o] *Exagiliario munus titulo derelinquat.* Ita in Reg. ms. et cod. Vind. Apud Smaragdum, *exagilario.* Legendum tamen videtur *exagellario*, ab *exagella*, quæ est quoddam munus, seu legatum quod morituri amicis seu servis relinquunt. Id apparet ex hoc loco Ennodii in Vita S. Epiphanii Ticinensis : « Ravennam egressus est, et per omnes Æmiliæ civitates celer venit, tanquam ad sepulcri receptaculum properans : omnibus sacerdotibus in itinere potius munificus, communis, et affabilis, quasi exagellam relinquens, se ipso præstantior. » Munus ergo exagellario titulo est quod datur nomine exagellæ, seu legati. Itaque hic puer monasterium ingressurus, mundo moriturus dividere debuisset fratribus suis partem suæ hæreditatis titulo exagellario, seu tanquam exagellam, quemadmodum S. Epiphanius sacerdotibus munificus morte impendente tanquam exagellam reliquit. Exagella videtur deduci a nomine exagium, Græce ἐξάγιον, ponderis quoddam genus, quod olim centesimam libræ partem complectebatur, postea septuagesimam secundam, ut docet Theodorus Balsamon in Canonem 17 synodi Nicænæ.

[p] *Conferat.* Lege : *Confert.*

[q] *Ad hanc.* Est hyperbaton, referendum ad τὸ *formam.*

[r] *Quod si utræque vobis graves sunt.* Supp., *conditiones propositæ.*

[s] *Partibus dividendo.* Ita in Reg. ms., id est, in partes dividendo.

[t] *Largite.* Id est, largimini; a *largio*, pro *largior* : de quo supra.

[u] *Nihil habere.* Id est, nihil habiturum, præsens pro futuro; est enallage. Sæpe occurrit in hac Regula, quemadmodum interdum in Regula S. Benedicti.

alienum, solummodo superna desideret. Quia hoc expedit animæ illius, ut [a] aut ordinatus a vobis vadat ad Dominum, aut pro eo exhæredatus a vobis solutus magis pergat ad Deum, clamans Deo, quem sequitur nudus : *Tu, Domine, restitues mihi hæreditatem meam* (*Psal.* XV). [b] Tantum est ut nihil habeat de sæculo quod, vivis vobis, mortuus de vestris facultatibus jam speret. Quia [c] cum semel crucifixus est mundus, denuo ad eo redelectari non debet. Nam si ex toto nihil de eo ordinare volueritis, causam ejus puto vobis divino reservari judicio : eum vero certissime sciatis plura a Domino [d] recipere quam contempsit, cum Dominum sibi fecit, quem nudus secutus est, debitorem. Recipiet enim in cœlis filius vester sine dubio, multa promittente ei Domino, dicens : [e] *Qui reliquerit aurum, argentum, aut possessiones, aut domos propter me, centuplum accipiet, et regnum Dei, insuper et vitam æternam* (*Matth.* XIX). Hæc audiens filius vester paratus est (si vultis) relinquere vobis totum ut apud Deum centuplum invenire valeat, quia de omnibus Dominus noster est nobis [f] idoneus. [g] Nam illi sufficit, cui ipse Dominus non sufficit.

[a] *Ordinatus a vobis.* Nempe data ei sua legitima, aut certe aliqua ejus parte.

[b] *Tantum est ut.* Id est, modo, dummodo.

[c] *Cum semel.* Lege : *Cui semel*, ut in Reg. ms. et apud Smaragdum.

[d] *Recipere.* Pro recepturum.

[e] *Qui reliquerit aurum.* Hæc omnia vocabula non sunt in Evangelio, sed proferuntur exposite et paraphrastice.

[f] *Idoneus.* Id est, sufficiens.

[g] *Nam illi sufficit*, etc. Lege, ut in Reg. ms. : *Nam quid illi sufficit.*

CAPUT LXVII.

DE SACERDOTIBUS QUI FORTE VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem citius ei assentiatur. [b] Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum. [c] Nec aliquid ei relaxabitur, ut sit sicut scriptum est : *Amice, ad quid venisti* (*Matth.* XXI)? Concedatur tamen ei [d] post abbatem stare, et benedicere, et [e] missas tenere, si tamen jusserit abbas : sin alias, nullatenus [f] aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det. [g] Et, si forte ordinationis, aut alicujus *tur;* nempe de Regulæ disciplina, quoad vixerit in monasterio, non vero in novitiatu. Quia insulsum esset aliquem astringere Regulæ disciplinæ tantum pro eo tempore.

[a] *Si quis de ordine sacerdotum*, etc. Quamvis sacerdotium longe præcellat monachatui, sacerdotibus tamen perfectioris vitæ aut pœnitentiæ cupidis patuere semper claustra monachorum, ut præclare disputat Lupus abbas Ferrariensis, qui hunc Regulæ locum profert epist. 129 : « Verum ne nos magni facere videamur, B. Gregorius, cujus tanta in Ecclesia resplendet auctoritas, Patrem nostrum Benedictum commendat : *Scripsit monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam.* Sanctus autem Benedictus sacerdotes suscipi in monasterium et posse, debere, ostendit, cum (quanquam non facilem) tamen eis promittit ingressum, et retinendi officii ex jussione abbatis præbet auctoritatem. Quod nullo modo faceret, si soli admittendi essent criminosi. Nam et eos interdum, sed difficillime, et vehementer compunctos recipimus. Venit enim homines quærere et salvare quod perierat. Cum autem B. Gregorius Regulam S. Benedicti approbat, eadem autem Regula sacerdotes cum officio suscipiendos docet, nisi qui contentioso spiritu laboret, et susceptos jam inde ab initio nostri ordinis et esse integræ vitæ sacerdotes in monasterio minime dubitat. » Id eis etiam per sacras synodos mox citandas licitum fuit. Rupertus libr. III in Regulam S. Benedicti hunc locum de episcopis interpretatur; potest etiam intelligi de presbyteris, imo et præcipue de illis.

[b] *Tamen si omnino perstiterit*, etc. Hic nulla mentio est annui tyrocinii seu novitiatus; quemadmodum etiam nec paulo post, cum agitur de clericis : quia olim eo non indigebant, quippe qui viri maturi et gravitate morum conspicui essent. Et eorum ingenia et mores hospitalitatis tempore, aut duorum, vel sex ad summum mensium spatio satis explorari poterant. Vide superius annotata.

[c] *Nec aliquid ei relaxabitur.* Nempe de regulæ districtione, non de novitiatu. Id satis indicant præcedentia : *Et sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum.* Unde bene sequitur : *Nec aliquid ei relaxabi-*

[d] *Post abbatem stare.* Ac proinde ante Præpositum et decanos, si non sint sacerdotes.

[e] *Missas tenere.* Ita in omnibus codicibus mss. et apud Rupertum loco supra citato, Ruthardum, et Smaragdum, qui hanc lectionem servat etiam in Commentario. *Huic rite conceditur et post abbatem stare, et benedicere, et missas tenere.* Missas tenere est facere, celebrare, vulgo canere. Concilium Agathense can. 21 : « Clerici vero, si qui in festivitatibus quas supra diximus, in oratoriis, nisi jubente aut permittente episcopo, missas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur. » Dixit concilium τὸ *clerici*, quia complectitur unico decreto tam sacerdotes quam ministros. Unde in Arvernensi, can. 14, dicuntur presbyteri et diaconi divina celebrare mysteria : « Si quis ex presbyteris, aut diaconis, qui neque in civitate, neque in parochiis canonicus esse dignoscitur : sed in villulis habitans, in oratorio deserviens celebret divina mysteria. » Presbyter offerendo, diaconus ministrando. Missas tenere est etiam eis interesse, eas audire, ut clarum est ex eodem conc. Agathensi can. 47 : « Missas die Dominico sæcularibus totas tenere speciali ordine præcipimus. » Et conc. Braccarensi primo, can. 16 : « Si quis feria quinta Paschali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima post nonam jejunus in ecclesia missas non tenet, etc. » Sit ergo hæc indubitata lectio; quamvis, apud S. Dunstanum Turrecrematam et in vulgatis editionibus legatur : *Missas canere :* quod vix usitatum ante et circa tempora S. Benedicti repereris.

[f] *Aliqua præsumat.* Supp., *facere*, quæ videlicet ad munus sacerdotale spectant.

[g] *Et, si forte ordinationis, aut alicujus rei causa fuerit in monasterio.* Subaudi, *exaltatus.*

rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, [a] quando ingressus est monasterium; non illum qui pro reverentia sacerdotii concessus est.[b] Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio voluerit sociari, loco mediocri collocetur; et ipse tamen si promittat de observatione Regulæ, vel propria stabilitate.

§ II. — Ex Regula Magistri (*cap.* 83).

[c] Peregrinorum loco habeantur sacerdotes, maxime quorum primatus et honor in Ecclesia continetur et militat. Qui si elegerint ut pro amore Dei vel propter disciplinam et mensuram sanctæ vitæ monasteriis habitent, in [d] solo [enim] nomine patres monasterii nuncupentur; et nihil aliud in monasteriis liceat, nisi orationes colligere et [e] signare. Aliud vero nihil aut præsumant, aut eis liceat; vel aliquid ordinationis, aut dominationis, aut dispensationis vindicent; sed omnem formam licentiæ, vel ordinandæ dominationis monasterii abbas, qui super gregem universum est ordinatus, cum Regula vindicet, vel defendat. Nam solo honoris nomine ideo statuimus eos patres monasterii appellare propter sacrationem sacerdotii aut ordinationem. Et ne ipso obtentu honoris de ratiociniis, vel dominatione, ut pote laici, abbates excludant. Nam si ipsi sacerdotes victum aut vestitum monasterii uti magis eligant, et operari communiter secundum præceptum apostolicum fratribus debent, non imperative satis coacti ab abbate, sed cum reverentia admoniti. Nam si spiritales sunt, ipsi sibi imperent, [[f]nam et propter cautelam] quod poterant ab aliis cogi; memores semper Apostoli Pauli formam ostendentis de se et dicentis: [g] *Non gratis panem vestrum manducavimus* (*II Thess.* III). Et item dicit: [h] *Laborantes manibus nostris, ne quem vestrum gravaremus.* Et item ipse dicit: *Qui non laborat, non manducet.* Ergo quod si diutissime otiosi labore manuum suarum quærere victum noluerint, cum reverentia per multorum religiosorum testimonia [i] conventi ab abbate i ecclesiis revertantur. Si vero, quod absit, non pacifice, sed magis per [k] scandalum exire voluerint, tamen et exuti rebus monasterii duntaxat sine gravi injuria, clausa [l] regia excludantur. Quia magis ipsi amplius agere debent, quod aliis prædicant generaliter a Deo esse præceptum otiosis debere laborantium panes negari.

Quando ingressus est. Apud Ruthardum legitur: *Quem habuerat, quando ingressus est*, recte. Quæ priora verba, *quem habuerit*, si non sunt ex S. Benedicti textu, saltem subaudienda sunt.

[b] *Clericorum autem si quis*, etc. Posse clericos in monachos recipi clarum est ex concilio Toletano IV, can. 49: « Clericis qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos ab episcopo in monasterio largiri oportet ingressus, etc. » Ubi concilium intelligit tam presbyteros quam cæteros clericos; at S. Benedictus intelligit eos qui sunt inferioris gradus a presbyteris. Idem statuitur in concilio Augustano celebrato anno 952, can. 7, ubi mentio fit decreti concilii Toletani.

[c] *Peregrinorum loco*, etc. Hæc habentur in Reg. ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 83. Illic autem Magister statuit, ut sacerdotes, qui voluerint in monasterio habitare, haberentur peregrinorum loco, nec vovesent stabilitatem.

[d] *Solo enim.* Tò *enim* redundat.

[e] *Signare.* Id est, benedicere. Ita correxi ex Reg. ms. et cod. Vind., cum legeretur, *saginare.*

[f] *Nam et propter cautelam.* Hæc non exstant in Reg. ms. et certe redundant, quæ si deleantur sensus clarus erit.

[g] *Non gratis panem vestrum manducavimus.* In versione communi: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo.*

[h] *Laborantes manibus nostris.* Citat ex memoria, non ex cod., nam in Apostolo legitur: *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

[i] *Conventi.* Apud Smaragdum legitur, *convicti.*

[i] *Ecclesiis revertantur.* Lege, ut apud Smaragdum, *ecclesiis reddantur.*

[k] *Scandalum.* Id est, rixa, jurgium, contentio, et hic recte opponuntur τὸ *non pacifice*, et τὸ *per scandalum.* Vide superius annotata.

[l] *Regia.* Id est, janua. Idem Magister cap. 4 Regulæ: « In sola regia oris nostri, id est, janua; cap. 30: « Mox clausis ab ostiariis regiis; » cap. 92: « Duobus fratribus ætate decrepitis cella intra regias monasterii construatur. » Et paulo post: « Omnia vero necessaria intus intra regias esse oportet; » et sæpius in eodem capite. S. Ennodius in lemmate epigrammatis 17: « Super regiam triclinii in domo. » S. Gregorius Turonensis libr. IV Hist., cap. 15: « Ad regias ædis sacræ, quæ tunc reseratæ fuerant, appropinquant. » Acta S. Mariæ Ægyptiacæ: « Mane atrii regiam pulsavit; » infra: « Hisque peractis monasterii aperiebantur regiæ. » Joann. Monachus libr. II Vitæ S. Odonis abbatis Cluniacensis: « Ut ingrediendi aditus a quovis concederetur, prædictas regias diutius pulsavit. » Anastasius Bibliothecarius in Honorio est castigandus. « Investivit regias januas in ingressu ecclesiæ majores, quæ appellantur mediunæ, ex argento. » Nam τὸ *januas* redundat, estque glossema quod irrepsit ex margine in textum. Antiquus Ordo Romanus: « His ita compositis, invitante ad regiam secretarii prædicto diacono scholam, etc. » Chronicon cœnobii Novaliciensis in valle Segusiana. « Et veniret ad ecclesiam S. Michaelis, vel S. Syri seu cæteras alias, aperiebantur statim regiæ divinitus ante suum conspectum. »

CAPUT LXVIII.

DE MONACHIS PEREGRINIS, QUALITER SUSCIPIANTUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, et contentus fuerit [a] consuetudine

[a] *Consuetudine.* Id est, victus mensura et qualitate solitis. Id enim sonat nonnunquam hoc vocabulum. Tertullianus de Jejunio adversus Psychicos: « Plane vestrum est in carcere popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ; ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur. » S. Fructuosus Bracarensis cap. 20 Regulæ suæ: « Exquisitas epulas mensæ lautioris,

loci quam invenerit, et non superfluitate sua perturbat monasterium; sed simpliciter [a] contentus est quod invenerit, suscipiatur, quanto tempore cupit.

A Si quæ sane rationabiliter et cum humilitate reprehendit, aut ostendit, tractet abbas prudenter, [b] ne forte pro hoc ipsum Dominus direxerit. [c] Si vero

consuetudinemque contemnat. » Regula Pauli et Steph. c. 17: « Supra statutum consuetudinem sive in potu, etc. »

[a] *Contentus est quod invenerit.* Id est, contentus est eo quod invenerit: phrasis Græca. Interdum enim Græci pronomina antecedentia, ἐκεῖνο αὐτό, supprimunt per ellipsin.

[b] *Ne forte pro hoc ipsum.* Ita apud Ruthardum, et in ms. p. S. Germ. Aliæ editiones variant.

[c] *Si forte voluerit stabilitatem suam firmare.* Quæstio est an expediat monacho in aliud monasterium migrare, ut ibi firmet stabilitatem de consensu pristini abbatis, si nulli congregationi, ordini, aut societati sit obnoxium; vel an ei conveniat de suo ordine in alium traduci. Sed illam monasterii, seu ordinis, mutationem tanquam levis animi notam suspectam habent sancti Patres, omninoque improbant; et si vitæ durioris et cum Deo conjunctioris prætendat rationem. Quia ejusmodi voluntas sæpe ex dæmonis impulsu nascitur, qui vitæ religiosæ odium in monacho parere non valens, tamen vitæ, in qua dudum militat, tædium generare conatur; et quamvis cum de vita monachica ejuranda minime sollicitet, imo quodammodo ut in ea perseveret assentiri videatur, nihilominus, quia in tali palæstra decertare cœpit sub hoc abbate, cum his fratribus, tali exercitatione, non cessat diabolus inquietare et perturbare parum cauti minimeque prudentis monachi mentem; cum ejus motu et suasione ipsi non sapit bonum, quod in ipso Deus singulari sua misericordia incœpit. Hinc fit ut miser ille aut nullo modo, aut parum in virtute procedat: aut quod acquisierat, amittat, aut sine fructu in claustro maneat; et dum mentem alio migrandi cogitatione pascit, in virtutis studio proficere minus curat. Hæc et similia docet vir diu multumque in claustrali palæstra exercitatus S. Anselmus, cum epist. 29, libr. I, Lansonem monachum ab ejusmodi voluntate deducere conatur. In eadem sententia est S. Bernardus, summum illud vitæ monachicæ lumen, libr. de Præcepto et Dispensatione, cap. 20, idque tribus potissimum causis. Prima, quia eos a quibus discedimus pudore suffundimus tanquam nostra conversatione indignos ob eorum vitia. Secunda, quia dum certa tenemus, incerta venari minime tutum est: cum fortassis unam vitæ rationem sectari facile erit, aliam non item; quam postmodum a nostris moribus et ingenio discrepare sentiemus. Tertia, quia deplorandæ levitatis est, per quam olim inexperta desideramus, quæ vix apprehensa fastidiamus; uno momento eadem volumus et nolumus; probamus et reprobamus non minori inconstantia quam socordia. His accedit quod facilior ad progressum munitur via in ea qua incœpimus religione quam in aliena, quam hactenus ignoramus, cujus statutis summa cum difficultate vix unquam assuescere poterimus. Majora et perfectiora appetere facile est, assequi perdifficile. Austerior quidem vita plerumque desideratur; sed quam sit amara experimento discitur. Dulce bellum inexpertis. Dicet aliquis: In hoc ordine vel monasterio, vita spiritalis non ducitur, disciplina regularis remissior est, devotio tepet. « Atque, inquit S. Anselmus epist. citata, aliorum mores, aut loci consuetudines si contra præcepta divina non sunt, etiamsi inutiliter videantur, dijudicare refugiat. Quod si sibi videtur majora quæ jam et utiliora spiritali fervore appetere quam illi prioris monasterii institutionibus liceat; æstimet aut falli se sive præferendo paria paribus, vel minora majoribus, sive præsumendo se posse, quod non possit; aut credat se non meruisse quod desiderat: Sed quod attentius considerandum est, in nobis sæpe, non in loco vitium est. Æger animus omnia fastidit et frustra locum mutat, alios fugit, qui nec se, nec morbum effugit.

Is causa est animus, qui se non effugit unquam,
inquit Horatius. Et præclare Seneca lib. de Tranquillitate vitæ: « Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, et littora pereurruntur; et modo mari se, modo terra experitur, semper præsentibus infesta levitas. » Et paulo post. « Et ut ait Lucretius:

Hoc se quisque modo semper fugit

Sed quid prodest, si non effugit: sequitur seipse, et urget gravissimus comes. Itaque scire debemus non locorum esse vitium, quo laboramus, sed nostrum. » Ægrotus quocunque vadat, secum morbum vehit. Οὐ τόπος, ἀλλὰ τρόπος, inquit S. Chrysostomus, id est, non locus, sed mores. Et præclare S. Gregorius lib. I, hom. 9 in Ezechielem: « Sæpe vero cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia, si desit spiritus, non adjuvat locus. » Job in terra Hus, in terra paganorum justus inventus est; Adam in ipso paradisi voluptatis meditullio peccavit; Loth Sodomæ flammas effugit vini ac libidinis extra Sodomam arsurus incendio. Quis novit præterea quas in loco, vel ordine, quem appetimus, insidias nobis moliturus est veterator ille ac versipellis cacodæmon? Scit enim ille peccandi occasiones sibi ad nos tentandum opportunas; quas in hoc, vel tali loco nacturi sumus, quæ in quo residemus loco, non suppetunt: qui propterea nos importunius de migratione sollicitat specie majoris boni decepturus. His et similibus rationibus, quæ proferri possent, inducti sancti Patres ejusmodi mutationem ordinis, seu monasterii minime probarunt; nisi gravi et urgente necessitate, ut monet S. Anselmus epist. citata, ut si quis in suo monasterio male agere cogeretur. « Quapropter, inquit, quicunque cœnobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei in quocunque monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit, ut ibi malum invitus facere cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare. » Astipulatur S. Bernardus cap. citato: « Nam si hæc (conversio morum et obedientia) pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium obtineri nequiverint, duce spiritu libertatis indubitanter audeo transire ad alium locum, ubi non impediatur homo reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua. » Et epist. 7 ad Adam monachum: « Hac ratione illos suscipimus: quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorum, quæ in locis suis potuerunt quidem promittere, sed nequaquam persolvere Deo, qui ubique est, ubicunque reddant. » His accedit auctoritas Lanfranci, quam protulit S. Anselmus in fine carminis de contemptu mundi. « Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, et viderem in hoc, quod animam meam salvare non possem, exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non ab ipso, nisi contra eum solvitur. Porro ab ipso contra ipsum non solvitur, qui propter amorem ejus, ut ei bene placeat, a filiis superbiæ et diffidentiæ, a filiis discordiæ et, ut apertius dicam, a filiis diaboli migravit ad filios pacis, spei, et humilitatis, imo filios Dei. Qui enim sic transit, nonne fugit a sede diaboli ad sedem Dei? » Tria autem statuit S. Anselmus epist. citata, ob quæ potest quis locum mutare: « Tria, inquit, capitula, quibus mutare liceat loca in quibus se stabiles esse promiserunt religiosi. Primum, nimia paupertas; secundum, persecutio nimia; tertium, irreligiositas. Nam stabilitas in loco non promittitur, nisi propter regulam servandam. » His addam doctorem Ange-

postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur ei talis voluntas ; et maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, verum etiam dicatur ei honeste ut discedat, ne ejus [a] miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verum etiam suadeatur, ut [b] stet : ut ejus exemplo alii erudiantur, [c] et quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur. [d] Quem si etiam talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco : non solum autem monachum, sed etiam de

A supra dictis gradibus sacerdotum [e] vel clericorum, stabilire potest abbas in majore quam [f] ingreditur loco, si ejus talem perspexerit vitam esse. [g] Caveat autem abbas, ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis ejus, [h] aut litteris commendatitiis : quia scriptum est : [i] *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 13).

[j] Non licebit de alio monasterio sine voluntate Patris fratres recipere : non solum recipere, sed nec videre oportet, dicente Apostolo : *Quia qui* [k] *primam fidem irritam fecit*, etc. (*I Tim.* v). Quod si precatus fuerit ab eo qui præest Patre, ut in alio monasterio ingrediatur, commendetur ab eo ei qui præest, ubi esse de-

licum, qui docet ejusmodi migrationem, nisi summæ utilitatis, aut necessitatis causa non esse permittendam. Quod spectat ad necessitatem, clara est ; quod vero ad utilitatem, quorumdam sanctorum habemus exempla, S. Hugonis episcopi Lincolniensis, qui a Canonicis Regularibus ad Carthusianos monachos transiit ; S. Antonii Pataviensis, qui etiam a Canonicis Regularibus ad Franciscanos traductus est ; S. Lutgardis, quæ a Nigris sanctimonialibus ad Cistertienses migravit ; quorum justam fuisse migrationem patefecit eventus. Hæc autem utilitas serio pensitanda est, ne forte fucata in ruinam animarum cedat. Quamobrem etsi B. Benedictus peregrinos monachos suscipi permittat, si petierint, vel, si non petierint, rogari, ut maneant, tamen non prius quam probe notos et spectatos.

B maxime quia tunc stabilitatem non vovebant. Præterea loci citati intelliguntur de monachis vagis et fugitivis, de quibus non agit S. P. Benedictus cum ejusmodi hominum mores facile sit tempore hospitalitatis internoscere. Cur autem quis de ignoto seu remoto veniens monasterio possit recipi sine litteris commendatitiis, aut sine abbatis licentia, hanc dat rationem S. Bernardus, lib. de Præcepto et Dispensatione, cap. 20 : « Porro de vicino prohibet, quod jubet de peregrino ; ne vicinitas inter monasteria fomes scandali et rixæ materia sit, si alterutrum recipere monachos acquieverint absque mutuo duntaxat assensu. » Si autem inter abbates duorum monasteriorum quædam aut per litteras, aut quoquo modo consuetudo interesset, aut familiaritas, non esset aliquis ex his monasteriis sine abbatis licentia recipiendus : quia ejusmodi monasteria pro notis habenda sunt. Nec propterea violatur stabilitatis votum a monacho in alienum cœnobium migrante : siquidem hoc fit secundum Regulam quæ ejusmodi in aliena monasteria migrationem permittit, servatis tamen his quæ supra dicta sunt.

[a] *Miseria.* Id est, vitio, perversitate.

[b] *Stet.* Id est, stabilitatem suam firmet.

[c] *Et quia in omni loco uni Domino servitur.* Duas rationes proponit, unam pro monacho qui admittitur ; qui fortassis opponeret se non perinde in illo ac in C suo monasterio Deo serviturum. Ac proinde additur copula, ut posterior ratio jungatur priori.

[d] *Quem si etiam talem perspexerit abbas.* Nempe ut mereatur promoveri ad altiorem locum. Ex his patet monachum peregrinum in ultimo loco esse statuendum, non in eo quem habuerat in pristino suo monasterio. Id etiam patet ex sequentibus : *Non solum autem monachum, sed etiam ex supra dictis gradibus sacerdotum et clericorum stabilire potest abbas in majore quam ingreditur loco.* Atque inde hujus monachi probatur humilitas.

[e] *Et Clericorum.* Supp. *aliquem.*

[f] *Ingreditur.* Optima lectio. Quia supplenda est vox, *aliquem*, post τὸ *clericorum*, ut diximus. Quare in editione Coloniensi et vulgatis male legitur, *ingrediuntur.*

[g] *Caveat autem abbas*, etc. Antiqua concilia vetant suscipi monachum alienum sine abbatis sui consensu ; Agathense can. 27 ; Augustodunense sub S. Leodegario can. 10. Synodus VII can. 21 : Προσλαμβάνεσθαι ἄνευ γνώμης τοῦ ἡγουμένου αὐτοῦ οὐ προσήκει, id est, « recipi sine abbatis sui voluntate non convenit. Id etiam prohibet S. Gregorius papa l. I Regesti, ep. 40 et Fructuosus alter c. 20 Regulæ suæ. Quæ tamen videntur capienda juxta mentem S. Benedicti, si videlicet isti monachi non sint de ignotis monasteriis. Solebant enim monachi antiquitus devotionis causa ad loca sancta peregrinari, ita ut ad propria non remearent ; sed in alieno monasterio, cujus districtionem tempore hospitalitatis perspectam habuerant, se suscipi rogabant. Hanc enim libertatem habebant sancti illi viri,

D

Magnanimi heroes nati melioribus annis,

qui non levi quadam animi inductione, sed pura intentione monasteria mutabant ; ut de S. Saba in ejus Vita legitur, et de multis aliis in Vitis Patrum ;

[h] *Aut litteris commendatitiis.* Litteræ commendatitiæ Græcis συστατικαί, a verbo συνίστημι, id est, commendo dicuntur et ἀπολυτικαί, id est, dimissoriæ, quæ ostendunt clericum a suo episcopo in aliam ecclesiam dimitti, ut docet Theodorus Balsamon in can. 13 concilii Chalcedonensis.

[i] *Quod tibi non vis, alii ne feceris.* Post verbum, *vis*, omittitur το *fieri*, ut etiam a S. Ferreolo citato infra hoc capite : habetur tamen, cap. *De instrumentis bonorum operum* : « Et quod sibi quis fieri non vult. » Locus exstat Tobiæ IV : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Sed citatur locus ex memoria, et profertur potius sensus quam verba. Hanc sententiam his versibus exprimit S. Columbanus in monasticis :

Quod tibi vis fieri, hoc alii præstare memento :
Quod tibi non optes, alii non feceris ulli.

Vide annotata in cap. 7. Hæc autem a S. P. Benedicto sententia prolata confirmat nostram superiorem opinionem de suscipiendis monachis ignoti et remoti monasterii sine litteris commendatitiis. Nam si hoc passim licitum non fuisset ex more, in hanc sententiam, quæ est commune charitatis vinculum, peccaret, qui de ignoto monasterio sine abbatis consensu reciperet, et extra rem hæc sententia a S. Benedicto citaretur.

[j] *Non licebit*, etc. Hoc caput reperitur in Regula ms. Macarii, Serapionis et aliorum cod. Flor.

[k] *Primam fidem irritam fecit.* I ad Tim. v : *Fidem negavit, et est infideli deterior* ; et paulo post : *Quia primam fidem irritam fecerunt* ; sed citatur locus ex memoria, non ex codice ; et ex duobus locis unus conflatur.

siderat; et sic suscipiatur. Nam sine [a] voluntate *ejus* qui præesse videtur in monasterio, nullatenus recipiatur frater. Quod si [b] præsumpserit talia facere, noverit se in synodo episcoporum, aut in conventu fratrum suorum in audientiam venire. [c] Et tunc recedat tanquam junior suus, donec ab eo cui injuriam fecit veniam petat, ut non per ipsius vitium alii despiciantur [d] Patres. [e] Ille vero monachus [f] quantos fratres in alio invenerit, [g] tantos [h] se noverit habere priores. Sed nec attendendum est quod fuit antea; sed probandus est qualis esse cœperit. Susceptus vero si habere videtur aliquid sive in rebus, sive in codicibus, ultra ei possidere non licebit: ut possit esse perfectus, [i] quia alibi non potuit esse senex. Residentibus vero fratribus, si fuerit aliqua de Scripturis collatio, et fuerit [j] ex his talis scitus, non licebit ei aliquid dicere, nisi præceptum fuerit a Patre.

§ III. — Ex Regula Patrum (*cap.* 14).

[k] Monachum nisi abbatis sui [l] aut permissu, aut voluntate, [m] ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas [n] aut suscipere, aut retinere præsumat. Quod si ad districtiorem Regulam non pro actus sui levitate tendentem abbas suus ipsum ad alterum monasterium transire permiserit, ut inde postea sub aliqua occasione egredi præsumat, nulla ratione permittimus.

§ IV. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 87).

Interrog. [o] Si dicat quis: Volo apud vos parum aliquid temporis facere, ut proficiam ex vobis: si oportet eum suscipi? — *Resp.* Domino pronuntiante: *Quia venientem ad me non ejiciam foras* (*Joan.* IX); et Apostolo nihilominus dicente: *Propter subintroductos, aut falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habuimus in Christo Jesu: quibus nec ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos* (*Gal.* II). Concedere quidem ei convenit ingressum propter incertos exitus rerum. Interea enim potest fieri, ut per tempus proficiat, et delectetur sanctitate vitæ, et permaneat cœptis sicut et frequenter factum scimus. Sed ut manifestetur veritas [p] institutionum nostrarum, [q] de quibus fortassis homines aliter opinantur: oportet tamen circa eum cautius agi, et diligentius, [r] ut sive in veritate permaneat, vel proficiat, sive institutionum nostrarum veritas explorabitur, probabilis inveniatur et pura. Ita namque et nos Deo placebimus, et ille aut proficiet, aut, si simulator est, [s] erubescet.

§ V. — Ex Regula Ferreoli (*cap.* 11).

[t] Monachum omnino, sive [u] clericum alterius [v] loci] monasterii recipi sub qualibet causa nolumus, interdicimus, prohibemus, prospicientes talia studio charitatis, ne novum aliquod forte [x] scandalum [y] surgentes inducant. Dicit enim Scriptura: *Quidquid tibi non vis, alio ne feceris* (*Tob.* IV). Hinc enim plerumque non tantum inter abbates, sed etiam inter monasteria lites insanabiles oriuntur: dum unus nititur defendere quem recipit, alter revocare quem perdidit. Et ad extremum nisi reddatur isti petitori petitus, et istius restauratio recepti placaverit injuriam acceptam; fit ut non secundum Apostolum vincant in bono malum (*Rom.* XII), sed utrique mali vincantur uno malo. Attamen nec illud prætereundum censuimus, ut si forte alterius loci, ut supra dixi, monachus, sive clericus scripta abbatis [z] vel episcopi deferat, in quibus manifeste probetur non propter vitia curanda, sed propter charitatem nostram, quam habuimus in Christo Jesu: quibus nec ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos

tatem missus, ipse tantum sōcius fieri congregationis obtineat. Si tamen credi ullo modo potest bono migrare vellēnt esset alterius diœcesis, ut canones statuunt de aliis clericis, adhibitis etiam abbatis sui litteris commendatitiis ; si autem monasterium ad quod migrandum est sit ejusdem diœcesis, sufficiunt solæ abbatis commendatitiæ, quia tunc nulla fit injuria episcopo.

A suo quemquam vellē exspoliari, et alium sua nuditate vestiri.

CAPUT LXIX.

DE SACERDOTIBUS MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Si quis abbas sibi presbyterum, [b] vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem [c] caveat elationem, [d] aut superbiam : [e] nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab abbate suo [f] præcipiatur; sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam et disciplinam; sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum vero illum semper attendat, [g] quando ingressus est in monasterium, præter officium altaris : et, si forte electio congregationis, et voluntas abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerint. Qui tamen [h] Regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi servare sciat. Quod si aliter præsumpserit, [i] non sacerdos, sed rebellio judicetur. Et sæpe ad-

B

C

D

[a] *Si quis abbas sibi presbyterum*, etc. Additur particula, *sibi*, id est pro suæ ecclesiæ, non alienæ, ministerio. Nam olim duplici nomine monachi ordinabantur sacerdotes, vel pro monasteriis suis, ut ex hoc capite constat, vel pro ecclesiis sæcularibus, seu parochiis, ut habetur 16 qu. 1 cap. *Si quis ;* cap. *In parochia tua.* cap. *Cum pro utilitate Ecclesiæ ;* cap. *Monachi*, et cap. *Ne pro cujuslibet.* Hinc explicatur locus S. Gregorii epist. 18, libr. VII Regesti : « Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat manendi. » Non enim ibi agit S. Gregorius de monachis qui pro suis monasteriis ordinantur, sed de iis qui ab episcopo e monasterio tollebantur, permittente abbate ad officium ecclesiasticum administrandum. Sic enim supra in eadem epistola beatissimus papa scribit : « Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii abbate, aut ad ordinis clericatus officium tolli exinde monachi non debeant; sed si abundantes fuerint, et ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de iis qui superfuerint, offerat quos dignos coram Deo putaverit. » Ex his autem clarum est monachos olim fuisse sacerdotes, qui et omnia sacerdotii munia obire poterant, ut manifestum est eadem causa et qu. cap. *Doctos ;* cap. *Si monachus ;* cap. *Moderamine ;* cap. *Ex auctoritate.* In quo dicuntur monachi sacerdotes apostolorum figuram tenere ; et cap. *Nonnulli*, in quo hæc S. Bonifacii verba notanda veniunt : « Neque enim B. Benedictus monachorum præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor. » S. Augustinus Eudoxium abbatem ejusque monachos Caprariæ insulæ hortatur ad Ecclesiæ munia obeunda, epist. 81.

[b] *Vel diaconum.* Ita in omnibus codicibus quos viderim tam editis quam mss. ; sed quo tendant hæc verba, difficultas est non minima : nam statim subjungit S. Benedictus : *Qui dignus sit sacerdotio fungi*, quæ diacono minime conveniunt. Sed notandum est sacerdotii nomen aliquando diaconis attribui ; nam diaconatus est quidam ordo sacerdotii, qui tertius appellatur, et presbyteratus secundus, ut patet ex Optato Milevitano, lib. II contra Parmenianum : « Quid (commemorem) diacones in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos ; » ac proinde recte dici potest, *diaconus dignus sacerdotio fungi*, quia sacerdotium non modo de episcopatu et presbyteratu, sed etiam de diaconatu dicitur. Postea vero loquitur S. Benedictus tantum de presbyteris, non de diaconis et aliis clericis : quia id quod de presbyteris dicit, facile de aliis concludi potest, ducto argumento a majori ad minus.

[c] *Caveat elationem.* Id est, aliis non se præferat, nec eos qui sunt inferioris gradus, despiciat.

[d] *Aut superbiam.* Id est, neque aspiret ad superiorem gradum ; nam superbiæ est altiora quæque appetere, dicitur enim a *super habendo*. Cornelius Fronto : « Superbia est a *super habendo*. »

[e] *Nec quidquam præsumat.* Sup., *facere.*

[f] *Præcipiatur.* Ita in Victor. p. Vulgo : *Præcipitur.*

[g] *Quando ingressus.* Ita in Concord. Vind. et cod. ma. S. Germ. recta lectio et subaudienda hæc verba : *Quem habuerit*, hoc modo : *Locum vero illum semper attendat, quem habuerit, quando ingressus est in monasterium.* Vulgo legitur : *quo ingressus est.*

[h] *Regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi servare sciat.* Varie legitur hic locus ; lege tamen et distingue, ut apud Smaragdum : *Regulam a decanis vel præpositis constitutam sibi, servare sciat ;* quæ nihil aliud sonant, quam quod debeat sacerdos suis decanis et præpositis obtemperare. Regula hoc loco est lex, disciplina. Ita passim loquitur S. Gregorius lib. I, epist. 40 : « Sub abbatis sui regula ; » et II Dial., cap. 1 : « Sub Theodati patris regula. »

[i] *Non sacerdos, sed rebellio.* Recta lectio. Ita apud Keronem, Smaragdum et S. Dunstanum ; ita in editione Colinæi ; quemadmodum in utroque codice S. Germani, S. Victoris, Vindocinensi et S. Ebrul. Apud Turrecrematam legitur : *Sed rebellio*, et *rebellis ;* sed illa verba, *et rebellis*, sunt glossema. In vulgatis, et in cod. S. Faronis : *Non ut sacerdos, sed ut rebellis ;* sed hæc manant a cujusdam correctoris officina. Rebellio autem idem est ac rebellis. Epistola Faustinæ ad Marcum philosophum (*Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio*) : « Tamen jam hortor, ut si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrime persequaris. » Marcellinus comes, in Chron. : « Plinta comes idemque rebellio apud Palæstinam provinciam deletus est. » Jornandes de Rebus Geticis : « Gothi vero tam regis sui mortem, quam suam injuriam a rebellionibus exigentes, ita prælati sunt, etc. Joannes VIII papa Neopolitanis apud Ivonem, p. XI, cap. 90 : « Cum enim regis rebellionibus quocunque participio conjungantur, pari sententia condemnantur. » Ekerhardus junior de Casibus monasterii S. Galli cap. 7 : « Victor autem rebellio factus inter convicia illum insilire parans alapam minatur. » Glossæ veteres : *ἀντάρτης, rebellio, perduellio ;* ubi etiam perduellio pro perduellis sumitur. Glossæ veteres : *Perduelliones, οἱ κατὰ δήμου τῶν τε μαίων βουλευόμενοι, ἢ κατὰ βασιλέως* id est, « contra populum Romanum consilium dantes, vel contra reges. » Rebellio ergo est etiam rebellis ; ut perduellio perduellis ; et *ἀντάρτης* est rebellio, ab *ἀντί et ἄειρω*.

monitus si non correxerit, etiam [a] episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis, projiciatur de monasterio; si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire Regulæ nolit.

§ II. — Ex Regula sancti [b] Aurelii (*cap.* 44).

[c] Nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat [d] præter abbatem : si voluerit ordinari presbyterum, et unum diaconum, vel [e] subdiaconem ; quos ipse voluerit, [f] ordinandi habeat potestatem. Si vero Deo propitio ita profeceritis, ut aliquis ex vobis ad episcopatum pelatur, [g] ipse solus egrediatur.

§ III. — Ex dictis sancti Hieronymi.

[h] Si in monasterio vivens clericus esse desideras, ita te exhibe, ut vitæ meritum consequaris. Id est, adolescentiam tuam nulla libidinis sorde commacules; ut ad altare Domini quasi de thalamo virgo procedas, et habeas deforis bonum testimonium. [i] Feminæ, quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. Multo tempore disce quod doceas. Ne credas laudatoribus tuis : imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes.

ad verbum, qui in aliquem insurgit, ut est rebellio, seu rebellis, qui rebellat.

[a] *Episcopus adhibeatur in testimonium.* Nempe contumaciæ, ut postea ejici possit. Hoc statuit S. Benedictus de solis sacerdotibus, non de aliis monachis, idque ob dignitatem et reverentiam sacerdotii; et quia presbyteri peculiari ratione ad curam episcopi pertinent, ob gradum quem obtinent in Ecclesia : sunt enim secundi ab episcopo. Eadem ratione neque illos flagellis, aut excommunicationi subjicit, sed statuit ut judicentur tit rebelles; deinde, si non emendaverint, sæpius admoneantur; si nec sic correxerint, episcopus adhibeatur in testimonium; tandem clarescentibus culpis, id est patentibus et manifestis, ita ut propter dignitatem presbyteratus sint aliis scandalo, projiciantur. Itaque olim ejusmodi presbyteri monasteriorum non solum erant sub abbate, sed etiam sub episcopo, ut patet ex epistola Friderici archiepiscopi Coloniensis ad Adelberonem episcopum Leodiensem ex hoc S. Benedicti loco (*Apud Ruperium, lib.* IV, *in Reg. S. Benedicti, cap.* 2) : « Neque a solo abbate, inquit, super monachum presbyterum judicium est diffiniendum, nisi episcopus adhibeatur in testimonium juxta ipsius B. Benedicti institutum sanum ac legitimum. » Qui supra in eadem epistola omnes sacris ordinibus initiatos ait sub cura esse tum episcopi, tum abbatis. Concilium Arelatense tertium omnes clericos monasterii Lirinensis subjicit episcopo, laicos vero abbati (*Tom. I Concil. Galliæ*) : « Hoc etiam et rationis et religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem episcopi debita subjectione respiciant; laica vero omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quam sibi ipse elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat. » Sed modo propter exemptiones alio jure vivitur. Et sane olim hoc tolerabile erat, cum pauci essent in monasteriis sacerdotes seu clerici.

[b] *Aurelii.* Lege : *Aureliani*, ut supra monuimus.

[c] *Nullus honorem presbyterii*, etc. Ex hoc capite satis constat S. Aurelianum duas composuisse Regulas, ut supra monuimus : unam monachorum, ad quam pertinet hoc caput; alteram sanctimonialium : sed de hac fe supra.

[d] *Præter abbatem.* Id est, præter abbatis voluntatem.

[e] *Subdiaconem.* Quo modo dicimus *diaconem*, sæpius tamen *diaconum*. Non enim solum dicitur *diaconus;* sed etiam *diacon;* genit. *diaconis*, a Græco Διάκων, διάκονος. Vide Lexicon Græco-barbarum Joannis Meursii.

[f] *Ordinandi habeat potestatem.* Non per se, sed per episcopum.

[g] *Ipse solus egrediatur.* Nempe monasterio ad habitandum in sua diœcesi; nec ducat secum monachum habitationis socium.

[h] *Si in monasterio vivens*, etc. Hæc habentur in epistola S. Hieronymi ad Rusticum de forma vivendi.

[i] *Feminæ quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant.* In epist. excusa S. Hieronymi hic locus ita legitur : « Feminæque nomen tuum noverint, vultum nesciant. » Sed rectius in nostra Concordia. Hinc autem discat monachus vitare familiaritatem mulierum : quæ quam periculosa sit, ita præclare docet S. Cæsarius Arelatensis in epistola ad quosdam germanos : « Attende omnia sancta; diligenter intellige quanta mala de inordinata familiaritate nascantur. Familiaritas enim cujuslibet feminæ, si frequens esse cœperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit: igneminiam parat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, etc. »

CAPUT LXX.

DE ORDINE CONGREGATIONIS.

I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Ordines suos in monasterio ita conserventi, ut conversionis tempus et vitæ meritum discernit atque abbas constituerit. Qui abbas [b] non conturbet gregem sibi commissum, [c] nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid; sed semper cogitet quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, [d] sic accedant ad pacem, ad psalmum imponendum in

[a] *Ordines suos in monasterio ita conserventi*, etc. Idem in Vita S. Fulgentii episcopi Ruspensis statutum legitur, ut monachi videlicet *tempus inter se conversionis ordinemque servent.*

[b] *Non conturbet gregem sibi commissum.* Alios extollendo, alios deprimendo, præferendo, vel postponendo sine rationabili causa.

[c] *Nec quasi utens libera potestate.* Quod ne quidem reges decet, qui bene regnant, si cum ratione imperant. Vide supra c. 5.

[d] *Sic accedant ad pacem.* Id est, ad osculum pacis. Idque dupliciter intelligitur : primo, cum advenientibus hospitibus occurritur, quibus cum salutantur, datur osculum pacis : secundo, cum fratres ante sumptionem eucharistiæ se mutuo osculantur juxta antiquum Ecclesiæ morem, quem videre est apud Dionysium Areopagitam in Hierarchia ecclesiastica, πρὸς αἷς ὁ θεῖος ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν τελεῖ,

choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas [a] non discernat ordines nec præjudicet, quia [b] Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt. Ergo exceptis his quos, ut diximus, altiori consilio abbas prætulerit, vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint: ut verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterio, juniorem se noverit illius esse qui prima hora venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris vero

A per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur priores suos honorent, priores juniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum [c] nulli liceat alium puro nomine appellare: sed priores juniores suos [d] fratrum nomine; juniores priores suos [e] nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas vero, quia vices Christi agere videtur, [f] dominus et abbas vocetur, non sua assum-

τὴν ἁγίαν εἰρήνην ἅπασι διαγγέλλει, καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους, κ. τ. λ. « Postea divinus pontifex orationem sacram perficit, et sanctam pacem omnibus annuntiat, et posteaquam omnes se invicem osculati sunt, mysterium sacrarum plicarum peragitur. » Apud Tertullianum, lib. de Oratione, ubi arguit eos qui cum jejunabant, osculum pacis omittebant: « Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione B cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes jam audeant de sua pace fratri transigere? quæ oratio cum divortio sancti osculi integra, quam Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est a quo sine pace receditur? » In Actis S. Mariæ Ægyptiacæ: « Et expleto, *Pater noster, qui es in cœlis*, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori, et sic vivifica mysteriorum sanctorum suscipiens dona, » etc. Apud S. Gregorium, lib. III Dial., cap. 37, ubi agit de Maximiano abbate et fratribus in mari Adriatico periclitantibus: « Tunc jam in navi residentes non jam de morte vicina, sed de ipsa ejus præsentia et visione turbati omnes sibimet pacem dederunt, corpus et sanguinem Redemptoris acceperunt. » Et apud S. Ferreolum, cap. 25, Regulæ suæ: « Statuimus hujus culpæ C reum communionem Dominicam et osculum fratrum sex anni mensibus non habere. » Hinc capiendus est canon 12 concilii Antissiodorensis: « Non decet mortuis nec eucharistiam, nec osculum tradi. » Quia qui dabant eucharistiam mortuis, id faciebant osculo præmisso.

[a] *Non discernat ordines.* Ita apud Smaragdum et in Vict. p.; vulgo legitur, *Non discernatur in ordine.* Quamvis autem ætas non discernatur in ordine quem debeant tenere monachi, si tamen abbas præponat senes pueris et adolescentibus, id fiet rationabili causa.

[b] *Samuel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt.* De Daniele clarum est, de Samuele non ita; qui nihilominus dici potest judicasse Heli presbyterum lib. I Reg. cap. II, cum ei judicium patefecit quod de eo et domo ejus statuerat Deus.

[c] *Nulli liceat alium puro nomine appellare.* Sic S. Fulgentius Ruspensis episcopus in Africa neminem D fratrum puro nomine appellabat, ut habetur in ejus Actis apud Surium: « Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret. » Ex quo loco nota neminem puro nomine esse appellandum mansuetudinis causa.

[d] *Fratrum nomine.* Subaudi, *appellent.* Vulgo legitur, *Fratres nominent*, quod est plausibilius.

[e] *Nonnos vocent.* Nonnus, vox satis vulgaris est, nondum tamen bene nota. Nonnus vulgo monachum significat, et ita interpretantur glossæ veteres; nonna monacham, ut videre est in visione Flotildis, quæ exstat ad calcem Supplementi Flodoardi: « Audivit quod fieri nonna deberet. » Sed non est hæc propria horum vocabulorum significatio, nata ex eo quod monachi se nonnos, et monachæ nonnas appellarent. Nam si nonnus monachum significaret, omnes sine discrimine jussisset S. Benedictus nonnos appellari, cum juniores æque sint monachi ac priores et seniores sui. Deinde non adeo magnus honor esset, si juniores seniores suos nominarent nonnos, id est monachos, cum hoc nomen esset omnibus monachis commune. Aliam sane significationem ei attribuit Joan. Xiphilinus in Domitiano: Ἡδῶσας καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἐστι ὅτε νόννας συνέβαλε, καὶ γυναῖκας; id est, « sæpe etiam certamina nocte edidit, et interdum nonnas et mulieres commisit. » Qui videtur in hunc locum Suetonii in Domitiano, cap. 4, respiceere: « Nam venationes (commisit) gladiatoresque et noctibus ad Lychnuchos, nec virorum modo pugnas, sed et feminarum. » Non enim nonnæ hoc loco sunt monachæ, vel sanctimoniales: undenam has habuisset Domitianus? Quis credat tantam fuisse tunc Ecclesiæ corruptionem, ut monachæ gladiatorum more decertarent? Hæc dico propter eos qui hoc Xiphilini loco putant nonnas significare monachas. Itaque dico nonnum proprie significare Patrem, majorem, seniorem: quod plane indicant hæc S. P. Benedicti verba, *quod intelligiur paterna reverentia*, id est, Pater. Unde Add. I Capitul. Lud. imp., tit. 54: « Ut qui præponuntur, nonni vocentur, id est paterna reverentia. » Ita enim Papias: « Nonnos vocamus majores ob reverentiam. Nam intelligitur paterna reverentia. » Et Glossæ Arabico-Latinæ dictæ, *Nonnus, major.* Id plane colligitur ex epist. S. Hieronymi ad Eustochium de servanda virginitate: « Quia maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur et nonnæ. » Castæ ergo, quia viduæ et continentes sunt; nonnæ, quia majores: quippe quæ matresfamilias fuere, et viduitatis libertate gaudentes, junioribus præferuntur. Et in hac significatione vi letur sumpsisse hoc vocabulum supra citatus Xiphilinus, et interpretatum esse addendo *καὶ γυναῖκας*, id est, et mulieres, non quidem virgines, sed matresfamilias ac matronas. Et ita interpretandus supra citatus Suetonius, cum τὸ *feminas* dixit, non τὸ *virgines*. Quod sane notasset; quemadmodum infra eodem capite: *In stadio vero, cursu etiam virgines.* Et sane τὸ *nonnus* est nomen honoris. Arnobius in psal. CV: « Si ille qui sanctus vocatur et nonnus sic agit, ego quis aut quotus sum ut non agam? » Et psal. CXL: « Væ autem mihi et mei similibus, quia invicem nobis oleo capita impinguamus, et adulantes nobis invicem in præsenti positi sanctos nos vocamus et nonnos; absentes vero nos ita mordemus et percutimus, ut recte canibus comparemur. » Nonnus aliquando est nomen proprium. Moschopulus in schedis, Νόννος· ὄνομα κύριον· id. est, « Nonnus nomen proprium, » ut S. Nonnus pontifex Edessenus, qui S. Pelagiam ad fidem adduxit, et Nonnus Panopolitanus poeta, qui Dionysiaca et Evangelium Joannis metrice scripsit. Ita et Nonna. Idem Moschopulus, Νόννα κύριον, id est, « Nonna nomen proprium: » quod nomen sortita est mater S. Gregorii Nazianzeni, ut clarum est ex ejus oratione de laudibus Gorgoniæ, ac proinde male arguitur Moschopulus a quodam viro docto.

[f] *Dominus.* Ita in Victorinis mss. Huic lectioni favet Vita S. Mechthildis Diezzensis, cap. 10: « Soror Mechthildis contendit appellari sine dominæ adjectione; altum omne contempsit in nomine: sed usus exegit domus, et monasterii Regula, ut domina re-

ptione, sed honore et amore Christi. [a] Ipse autem cogitet, et sic se exhibeat ut dignus sit tali honore. Ubicunque autem sibi obviant fratres, junior a priore [b] benedictionem petat: transeunte majore minor surgat, [c] et det ei locum sedendi; nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus, ut fiat quod scriptum est: *honore invicem prævenientes.* [d] Pueri parvi [e] vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina [f] ordines suos consequantur. Foris autem, vel [g] ubi et ubi custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 10).

Interrog. [h] Quomodo oporteat observare nos circa cathedras et accubitus, cum tempus poposcerit, quoniam Domini habemus præceptum quod nos in omnibus informat ad humilitatem; in quo etiam de hoc pronuntiat, ut cum ad convivium imus discumbendi locum novissimum requiramus (*Luc* XIV), et non occupemus locum priorem? — *Resp.* Illud nos scire oportet quia ubi omnes eodem prospectu et proposito convenimus, maxime si in multis et in majoribus humilitatis documenta dedimus, cupere quidem [i] prævenire unumquemque inferiorem locum secundum mandatum Domini condecens est. Sed rursum, [j] si res ad contentionem venit de hoc et unus alium detrudere velut de loco inferiori conatur, valde est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis et inquietudinis nascitur, si incipiet nemo alteri cedere; et si pro hoc certamina moveantur, similiter erit tanquam si de primatibus contendatur. Propter quod oportet etiam in hoc considerantius providere, vel quid unicuique nostrum competat, vel certe indulgere ei cui cura commissa est, et in cæteris et in recumbendo custodire ordinem, et obtemperare ei, ut impleatur in

caretur et abbatissa. » In aliis tamen cod. mss. nostris atque etiam editis omnibus, quos viderim, legitur, *domnus*. Et rectius. Nam τὸ *dominus* est nomen regium et imperatorium, quod etiam Augustus imperator recusavit. Sed postea a scriptoribus, ut vocabulo humiliori uterentur, ex vocabulo *dominus*, factum est, *domnus*, per syncopen. Quo vocabulo olim sanctos viros, episcopos aliasque honorabiles personas appellarunt. Severus Sulpitius, epist. 2, « Domnum Martinum obiisse nuntiant. » Epist. 3, « Domnus Martinus. » Idem videtur in charta S. Germani episcopi Parisiensis; in subscriptionibus conc. Arelatensis IV; concilii Aurelianensis III; in epistola Pappoli episcopi Carnotensis ad episcopos in concilio Parisiensi congregatos; lib. IV Gregorii papæ, epist. 45; in epistola Constantii et Dadonis episcoporum ad Desiderium episcopum Cadurcensem, et passim in epistolis ipsius Desiderii episcopi Cadurcensis; in epistola S. Radegundis ad episcopos, apud S. Gregorium Turonensem, lib. IX Hist., cap. 42; S. Ennodii, lib. III, epist. 4; et passim alibi. Eadem ratione dicitur, *domna*, pro *domina*, ut patet ex epist. 29 Ennodii, lib. IX: « *Bene fecisti, domna Agnella,* » et alibi passim: epist. citata S. Radegundis, epist. 27 S. Gregorii papæ, lib. VI: « Gloriosissimas autem filias meas domnam Dominicam et domnam Eudochium mea vice salutate. »

A Græcis recentioribus pro τὸ κύριος, id est dominus, dicitur κυρὸς, etiam per syncopen. Ita apud Theodorum Balsamonem in can. 55 sextæ synodi: Μέχρι τῆς ἐφημερίας τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου κυροῦ Μιχαήλ, id est, « usque ad tempora sanctissimi patriarchæ domni Michaelis; » et in 4 can. synodi primæ et secundæ Constantinopolitanæ: Ἐπὶ τῆς ἐφημέριας τοῦ ἁγιωτάτου κυροῦ Λουκᾶ· id est, » tempore sanctissimi domni Lucæ; » et infra in eumdem canonem: Διὰ τοῦτο καὶ ὁ αὐτὸς ἁγιώτατος κυρὸς Λουκᾶς ἐπέτρεψε τῷ μοναχῷ, καὶ ἱερεῖ ἐκείνῳ κυρῷ Μακαρίῳ τῷ Ἱεροσολυμίτων, id est, « Idcirco ipse sanctissimus dominus Lucas permisit monacho et sacerdoti illi domno Macario Hierosolymitano. » Hoc vocabulo utitur Theorianus in legatione Armenorum: Καὶ χαιρετίσαντες τὸν καθολικὸν τῆς Ἀρμενίας κυρὸν Ναρσέσιν, ita in editione Parisiensi, nam quidam legunt κῦρον, id est, » Salutato universali Armeniæ domno Narsesio. » Dicitur et κῦρις. Joannes Moschus Prati spiritalis cap. 76: κῦρι ἀδελφέ, οὐκ οἶδας, id est, « Domne frater, nescis. » Ita et femininum κυρὰ vel κυρὴ pro κυρία. In Chron. Constantinopolitano: κυρὴ τῆς Ἀνατολῆς, id est, « domna Orientis. » Vetus sane vocabulum; nam Cnidii olim ita Cererem indigetarunt. Auctor veteris Etymologici: Κυρὴ παρὰ Κνιδίοις Δημήτηρ· παρὰ τὸ κυρία εἶναι τοῦ ζῆν. Ὅρος, id est, « *Kure* apud Cnidios Ceres: ab eo quod sit vitæ domina. Horus. »

[a] *Ipse autem cogitet.* Supple *quod dicitur*, ut supra cap. 2 Regulæ, *Meminisse debet quod dicitur*, id est, quale nomen sortitur, ut facta respondeant huic nomini.

[b] *Benedictionem petat.* Hæc inter se mutuo conversantes, sibique occurrentes seque salutantes benedicendi ratio veterum Christianorum fuit, ut liquet ex Tertulliano, lib. de Testimonio animæ, cap. 2: « Et quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ et conversationis sacramentum, Benedicat te Deus, tam facile pronuntias quam Christiano necesse est. » Se ergo mutuo salutantes Christiani dicebant, *Benedicat te Deus.* Cum monachi sibi occursabant, junior dicebat, *Benedicite*, ut statuitur in epitome Ludovici imp. super Regulam S. Benedicti: « Cum vero sibi obviant fratres, ubicunque junior dicat priori, inclinato capite, *Benedicite.* » Senior vero respondeat, *Deus*, ut clarum est ex cap. 13 Regulæ Magistri, ubi agitur de excommunicato: « Petenti benedictionem nullus respondeat, *Deus.* » Et hæc quidem salutatio maxime facit ad devotionem, charitatem, gravitatem mutuamque observantiam et reverentiam, ablegatque insulsam et scurrilem nescio quam familiaritatem.

[c] *Et det ei locum sedendi.* Si ibi consistat senior.

[d] *Pueri parvi.* Ita in utroque cod. ms. S. Germ. Apud Smaragdum vero, et S. Dunstanum, et in vulgatis legitur, *pueri parvuli.* Pueri parvi sunt infantes.

[e] *Vel adolescentes.* Particula *vel* hoc loco sumitur copulative, non disjunctive, ut sæpe in hoc opere, quemadmodum toties monuimus.

[f] *Ordines suos consequantur.* Juxta tempus ingressionis suæ in monasterium, non solum inter se, sed etiam inter alios monachos, quia ætas non debet discerni, nec præjudicare in ordine, ut supra dixit, nisi forte abbas rationabili causa velit aliquem eis præferre.

[g] *Ubi et ubi.* Lege, *ubi ubi*, expuncta copula, ut supra cap. 36 dicitur: *Vel aliud quid excesserit, ubi ubi.*

[h] *Quomodo oporteat observare*, etc. Hæc habentur apud S. Basilium interr. 21 Regularum fusius disputatarum, et apud Rufinum ms., cap. 11, qui hoc caput, ut multa alia, contraxit.

[i] *Prævenire.* Legendum videtur, *præoccupare*, ut in textu Græco, προκαταλαμβάνειν.

[j] *Si res ad contentionem.* Adjeci particulam *si*, quæ desiderabatur.

nobis illud quod dictum est : *Omnia vestra honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV).

§ III. — Sancti Hieronymi (*cap.* 3).

[a] Quicunque autem monasterium primus ingreditur, [b] primus sedet, primus ambulat, [c] primus psalmum dicit, primus in mensa extendit manum, prior in ecclesia communicat : nec ætas inter eos requiritur, [d] sed professio.

§ IV. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 5).

[e] Qui in monasterium prior ingreditur, primus erit in cunctis gradu vel ordine. [f] Non quærendum est si dives sit aut pauper, servus an liber, juvenis an senex, rusticus an eruditus. In monachis enim nec ætas, nec conditio quæritur, [g] quia inter servi et liberi animam nulla apud Deum est differentia.

§ V. — Ex Regula sancti Fructuosi (*cap.* 12).

[h] Cautela, et moderatio, et pudicitia, fides et sinceritas, ornant habitum monachi. [i] Duplex enim nullo modo esse debet famulus Christi, sed veridicus et [j] simplex, [k] superciliosi fastus carens effigie. Coram senioribus suis prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat vel loquatur, sed honorem fratri A seniori et reverentiam, ut condecet, competenter exhibeat.

§ VI. — *Item* (*cap.* 13).

[l] Qui prius in monasterio conversus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in ecclesia, prior loquatur cum interrogantur fratres pro aliqua quæstione, prior psalmum dicat, in choro prior constet, [m] hebdomadam prior faciat, manum in mensam primus extendat : nec ætas sola inter fratres requirenda, sed conversio est et laboris studiique propositum. Unde et hæc discretio senioris est præstolanda, ut quem quomodo erga Dei amorem cultumque ferventem viderit, sic honoret. Non enim generis dignitas, B aut rerum opulentia, quam quisque habuit in sæculo, vel ætatis grandævitas exquirenda, sed vitæ rectitudo, et ardentissimæ fidei merita debent esse pensanda. Ille enim potior, qui Deo proximior, judicandus est. Monachi in monasterio sancte, et pudice atque honeste viventes persistant ; [n] laici foris abbatis, vel præpositi mandata peragant

[a] *Quicunque autem*, etc. Hæc sumpta sunt ex epist. S. Hieronymi, quæ præfixa est Regulæ S. Pachomii, quæ in codice Vindocinensi, non ita recte, per imperativum enuntiantur.

[b] *Primus sedet*, etc. Hæc et similia non habentur in Regula S. Pachomii, quæ exstat apud Palladium cap. de *Tabennesiotis*, et apud Sozomenum libr. III Hist. Eccl., cap. 13, neque in majori Regula S. Pachomii. Quare dicendum est, aut Regulas S. Pachomii non esse integras, aut S. Hieronymum hoc loco narrare tantum quasdam traditiones non scriptas, quas de more tantum servarent discipuli S. Pachomii.

[c] *Primus psalmum dicit*. Non dicit, *incipiat*, quod confirmat opinionem a nobis supra tractatam de ordine canendorum psalmorum a singulis fratribus.

[d] *Sed professio*. Id est, tempus, quo quis vitæ monachicæ professionem inire cœpit

[e] *Qui in monasterium*, etc. Hæc reperire est in Regula edita S. Isidori, cap. 4.

[f] *Non quærendum est si dives sit aut pauper*. Præclare S. Hieronymus in epist. ad Celantiam : « Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque et humiliore loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum : servum et nobilem de moribus pronuntiat. »

[g] *Quia inter servi et liberi animam nulla apud Deum est differentia*. Nam, ut ibidem ait D. Hieronymus, D « Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus. »

[h] *Cautela et moderatio*, etc. Hæc videre est in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. Crass., eodem cap. 12.

[i] *Duplex enim nullo modo esse debet famulus Christi*. Duplex ille est qui non sincere coram Deo et hominibus ambulat, qui non pure Deum quærit, sed duabus viis graditur, ut explicat S. Gregorius lib. I Moral., cap. 11 : « Sunt namque nonnulli qui in his bonis quæ faciunt simplices non sunt, dum non in his retributionem interius, sed exterius favorem quærunt. Unde bene per quemdam sapientem dicitur : *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis*. Duabus viis peccator quippe terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi quod per cogitationem quærit. » Quapropter ejusmodi hominibus maledicit Scriptura ; *Væ duplici corde et labiis sceleslis* (*Eccl.* II).

[j] *Et simplex*. Verus ille monachus qui simplex est, qui nunquam ingredietur regnum cœlorum nisi efficiatur sicut parvulus ; et hoc est Christi oraculum. Sed quam sit eximia simplicitas declarat sanctus Ambrosius in Exhortatione ad virgines : « Bonæ enim divitiæ sunt innocentiæ atque simplicitatis, quibus peccatum non imputatur, quia nulla in iis doli fraudisque versutia est. Omnis enim simplex obtrectare non novit, nescit invidere, suo contentus est, aliena non quærit : et si egeat, sibi dives videtur, si suppetat quod alimento est satis. Denique pulchre apostolus : *Et profunda*, inquit, *paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum*. » Et libro de obitu Satyri fratris de eadem agens : « Ea est quædam morum temperantia et sobrietas. » Et paulo post : « Anima benedicta omnis simplex. »

[k] *Superciliosi fastus carens effigie*. Ita correxi ex Regula ms., cum in codice nostro corrupte legeretur, *supercilio fastus carens effigiem*.

[l] *Qui prius in monasterio*, etc. Hæc habentur in Regula ms. S. Fructuosi archiep. Brac. cod. Crass., eodem cap. 13, partim sumpta ex Institutis S. Pachomii, ut videre est in epist. citata S. Hieronymi, partim ex Regula sancti Patris Benedicti.

[m] *Hebdomadam faciat*. In culina.

[n] *Laici*. Ejusmodi laici erant veluti quidam servi seu famuli monasteriorum ad negotia sæcularia deputati, ut ex hoc S. Fructuosi loco patet, et ex Regula S. Isidori, cap. 20. « Ars autem pistoria ad laicos pertinebit. » Meminit Justinianus novella 5, ex qua apparet fuisse distinctos a monachis tonsura et veste, ubi agens de novitiis statuit eos κουρᾷ καὶ ἐσθῆτι τῶν καλουμένων χρῆσθαι λαικῶν, id est, tonsura et veste eorum qui laici vocantur. » In conc. Arelatensi III, in quo controversia inter Theodorum episcopum et Faustum abbatem Lerinensem componitur, fit mentio laicæ multitudinis et congregationis in monasterio, quæ subjicitur abbati, et clericorum monasterii qui episcopo : sed ejusmodi laici seu laica congregatio erant vere monachi, atque ita appellantur, quod non essent clericali tonsura insigniti, quamvis improprie. Non sunt enim monachi laici, sed medii inter clericos et laicos, ut docet S. Dionysius Areopagita (*Cap.* 6 *Eccl. Hier.*). Postea tamen illi monachi, qui ad chorum non sunt deputati, laici appellati sunt, atque etiam conversi, Robertus Antissiodorensis in

§ VII. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 46).

Quanto se affectu vel charitatis ministerio in monasterio animæ positæ debeant diligere, sanctorum Patrum instituta sanxerunt. Sed in quibus sit actibus vel officiis demonstrandum, a nobis [a] pro parte indicandum est. Habet denique latissimum virtutum copia ambitum, quo circumsepta facile hostem sibi superet adversantem. Sunt etenim nonnulla quæ in actu videntur exigua, et tamen vel custodita, vel neglecta, [b] aut tepescente, aut fervente animi motu demonstrantur : ut est humiliatio capitis, et sermonum affabilis salutatio, quæ aut rigidæ mentis vel in corde, [c] aut [si] certe pia purissimum patefaciunt affectum. Servandum est ergo famulis vel famulabus Christi, ut semper intra mentis statum ea nutriant quæ a vera humilitate ac charitate non discedant, quibus summa constat virtutum. Nam sicut nunquam sine vera humilitate vera manet charitas, ita nunquam absque vera charitate vera manet humilitas. Arripiamus ergo instruere fundamentum, ut ad culmen perveniamus virtutum. Sic prius humilitas monstranda tam in actu quam in affectu, ut post charitatis copia ædificetur. Et quando sibi [d] mutuatim in via, vel in quocunque loco occurrerint, omni humilitate, ab invicem [e] flectentes benedictionem rogent. Et si unus ex eis senior fuerit, prius junior benedictionem postulet. Tunc demum senior prosequatur. [f] In cursu vero positi, prout ab abbate fuerint ordinati, vel [g] ad psalmum canendum, vel ad lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes, suum ordinem custodiant : nec constitutum sibi locum transilientes, in ambitionis vel arrogantiæ vitio demergantur. Abbati vero studendum est ut per ordinem, sicut conversi in monasterio fuerint, ita in suo ordine constituantur, præter si uberis conversatio religionis meruerit ut [h] inantea promoveatur : vel si gravis culpa exegerit ut retro [i] regradetur : sive aliquis e fratribus agnoscatur seniorem affectare locum, cum verecunda castigatione refellatur : quia non debiti honoris locum præsumpsit; nec religionis commeritum, sed ambitionis honorem indebitum conatus est arripere. In consessu fratrum, si alius supervenerit, qui juniores sunt ordine assurgant, et seniori locum præbeant. Juniores vero senioribus nullatenus superbiendo contradicant, sed cum omni humilitate vel interrogati vel correpti respondeant. Si labentem in quodlibet delictum junior seniorem aspexerit, [j] non exprobrando ad confitendum abbati vel præposito dirigat. Similiter senior juniori faciat. Ad confessionem veniens prius prostratus supra humum suam culpam esse dicat : sic priusquam surgere jubeatur, suam confessionem manifestet. Quando ad aliquod opus fieri [k] commeatus rogatur, [l] venia prius petatur, et sic de opere quod faciendum est, commeatus rogetur. Quando ad abbatem venitur, cum omni humilitate veniam petendo accedatur. Similiter quando egreditur, cum veniæ petitione benedictio quæratur. Nullus monachorum per semetipsum de propria necessitate abbati suggerat; sed omnes per præpositum, quidquid necessitatum fuerit, abbati studeant intimare. Si sacerdos [m] vel quilibet religiosus venerit, ut eis per abbatis commeatum sit accurrendum, a longe adstantes cum omni humilitate flectentes genu sub silenti voce [n] benedictionem rogent. Et si ordinatum fuerit ab abbate ut cum his aliquis fratrum loquatur, cum omni humilitate, et modestia, ac sobrietate loquendum est, ut in omnibus his virtus humilitatis et sobrietatis inveniatur.

Chron : « Cum quidam Cistertiensis ordinis abbas provectæ ætatis, miræ simplicitatis cum suo monacho et converso pro quibusdam negotiis iter ageret. » Petrus de Vallibus Sarnay, cap. 3 Hist. Albigensium. « Abbati triginta sex, converso vero viginti quatuor plagas infligens, » etc. Omnes tamen monachi olim conversi appellabantur, ut supra observatum est.

[a] *Pro parte.* Id est, aliqua ex parte.

[b] *Aut tepescente, aut fervente animi motu demonstrantur.* Lege : *aut tepescentem, aut ferventem animi motum demonstrant.*

[c] *Aut si certe.* Particula *si* redundat.

[d] *Mutuatim.* Id est, mutuo.

[e] *Flectentes.* Apud Smaragdum additur, *genua*. Et in margine adnotatur cum asterisco τὸ *capita*.

[f] *In cursu.* Id est, in opere Dei, in officio divino, in horis canonicis, nam cursus id significat. S. Gregorius Turonensis de Gloria confessorum, cap. 37 : « Nam post expletum in oratorio cursum elevabatur a præsentia fratrum. » Et lib. x Hist., cap. ult. « De cursibus etiam ecclesiasticis unum librum edidi. » S. Bonifacius archiepiscopus Moguntinus, epist. 17 : « Wigbertus presbyter et Megingordus diaconus Regulam vestram vobis insinuant, et speciales horas, et cursum ecclesiæ custodiant. » Sed de his supra fusius actum est.

[g] *Ad psalmum canendum.* Ita loquitur idem Pater cap. 19 suæ Regulæ : « Ut in loco in quo antea fuit, nec psalmum cantet, nec ullum ordinem teneat. » Ubi vides, *psalmum canere*, idem esse quod dicit S. P. Benedictus *psalmum imponere*. Sed de his supra.

[h] *Inantea promoveatur.* Id est, in superiori ordine collocetur.

[i] *Regradetur.* Id est, *degradetur*. Nam particula *re* in compositione sæpe destruit, ut, *refigo, relego, recludo, resero*, quemadmodum vulgo docent grammatici. Idem vocabulum videre est in Regula S. Pachomii, art. 92 : « Et regradabunt in ultimum, donec corrigatur. » Et art. 94 : « Regradabitur de solio suo, donec corrigatur. » Ita legitur in Regula ms. Floriacensi, et in conc. Vindocinensi, etsi in Regula S. Pachomii excusa legatur, *degradabunt* et *degradabitur*. Sed ejusmodi lectiones manant a quodam correctore. Hoc vocabulo utitur concilium Aurelianense IV, can. 10 : « Illi vero qui illicite promoti sunt, regradentur. » Hinc *regradatio*, id est, degradatio. Concil. Aurel. III, can. 4, « in regradatione honorum, priorum statuta serventur. »

[j] *Non exprobrando ad confitendum.* Lege, ut apud Smaragdum, *Non exprobrando, sed magis dolendo ad confitendum.*

[k] *Commeatus.* Id est, licentia, ut supra notatum est.

[l] *Venia.* Culparum videlicet.

[m] *Vel quilibet religiosus.* Sive clericus, sive monachus.

[n] *Benedictionem rogent.* Illum religiosum videlicet.

CAPUT LXXI.

[a] DE OSTIARIIS MONASTERII.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[b] Ad portam monasterii ponatur [c] senex sapiens, qui sciat [d] accipere [e] vel reddere responsum; cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant, a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit, [f] *Deo gratias* respondeat, [g] aut *Benedic :* et [h] cum A omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum [i] festinanter cum fervore charitatis. Qui portarius, si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat. [j] Monasterium autem (si fieri potest) ita debet constitui, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ infra monasterium exerceantur, [k] ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus

[a] *De ostiariis.* Ita in utroque cod. S. Germ. et apud Smaragdum; recte, quia hic ponit duos ostiarios, nempe alterum senem, et alterum juvenem. At in vulgatis et in Regula a S. Dunstano emendata habetur, *de ostiario.*

[b] *Ad portam monasterii*, etc. Hoc caput exstat etiam in Recapitulatione S. Cæsarii Arelatensis, capite ultimo, masculino genere in femininum mutato, quia scribit sanctimonialibus.

[c] *Senex sapiens.* Senis portarii sapientia ob duo potissimum requiritur; primo, ut advenientibus prudenter satisfaciat; secundo, ut animam suam custodiat, ne vagandi ei libertas subrepat. Qui non solum moribus, sed etiam ætate senex esse debet : nam statim subjungit dandum esse ei juniorem fratrem in solatium, qui licet junior sit ætate, tamen debet esse senex moribus.

[d] *Accipere responsum.* Id est, concipere advenientis voluntatem, quam ab eo sciscitatus fuerit.

[e] *Vel reddere.* Particula *vel* hoc loco sumitur copulative : nam non modo horum unum præstare debet janitor, sed utrumque, nempe bene accipere, et reddere responsum.

[f] *Deo gratias respondeat. Deo gratias* est antiqua Deo gratias agendi formula, qua olim Christiani utebantur in occursibus et congressionibus. S. Augustinus in psal. CXXXII : « Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, *Deo gratias* dicunt. Quid est, inquiunt, *Deo gratias?* Itane surdus es, ut nescias quid sit *Deo gratias?* Qui dicit *Deo gratias*, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident, qui habitant in Christo? » Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmenianum : « Tunc Secundus dixit, Sedete omnes. Tunc dictum est ab omnibus : *Deo gratias*, et sederunt. »

[g] *Aut benedic.* Ita in Concordia ms. Vindocinensi et in cod. S. Germ. ma. Vulgo tamen legitur, *benedicat*, ut apud Smaragdum. Sed textus Regulæ apud eum vitiatus est, et legendum est : *Benedic*, non *benedicat.* Quod plane indicant ejus adnotata in hunc locum : « Eleganter hic duas venientium beatus posuit Benedictus personas, unam potentis : qui si januam monasterii invenerit clausam, manu vel fuste pulsat eam : aliam vero pauperis posuit, qui non pulsat, sed tantum humiliter ad januam clamat. Quibus et satis apta a portario respondenda composuit responsa : videlicet ut voce pauperis audita, Deo gratias agat : potenti vero occurrens obviam humiliter ab eo benedictionem petat. » Si ergo juxta Smaragdum janitor a divite benedictionem petere debet, necessarium est legisse Smaragdum τὸ *benedic*, non τὸ *benedicat*. Itaque legendum est, *benedic*. Ita ut janitor benedictionem ab hospite petere debeat : quia monachi humilitati magis consentaneum est petere benedictionem, quam benedicere, magisque ad S. P. Benedicti mentem accedit, qui cap. 53 vult ut monachi ab hospite obvio benedictionem petant, cum nullum hac in re discrimen inter ingressum et occursum intercedat. Quæ quidem benedictio, ut plurimum, est precatoria.

[h] *Cum omni mansuetudine timoris Dei.* Id est, cum mansuetudine quæ timorem Dei spectet, non vanam et aulicam adulationem, cum Christus sit in hospite suscipiendus, sive ille sit dives, sive pauper.

[i] *Festinanter cum fervore charitatis.* Duas S. Benedictus requirit in reddendo responso virtutes : mansuetudinem, quæ ex timore Dei, et diligentiam, quæ ex charitate procedat, quia spiritali viro omnia B spiritaliter agere convenit.

[j] *Monasterium autem, si fieri potest*, etc. Idem habet concilium Moguntinum sub Carolo Magno, cap. 20, idque ex auctoritate Regulæ, et liber V Capitul. impp., tit. 78, ubi præcipitur ut missi regis simul cum episcopis uniuscujusque diœcesis perspiciant loca monasteriorum, « si in apto et congruo loco sint posita, ubi commodum ac necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasteriorum, sicut in sancta Regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra monasterium exerceantur : ut non sit necessitas monachis vel clericis vagandi foras, quia non expedit animabus eorum. » Ubi addita sunt illa verba, *vel clericis*, propter canonicos.

[k] *Ut non sit necessitas monachis vagandi foras*, etc. Optima constitutio, et monachorum mentibus altius defigenda, si eos vitæ perfectæ sensus aliquis tenet stimulatque desiderium. In mundo enim alget pietas, C torpet devotio. Mundi pestilens aer est, qui citius monachos sua contagione funestat. Mundus retibus et plagis redundat, quæ statim monachum involvunt et irretiunt. Οἱ βρόχοι, καὶ παγίδες τοῖς ἰδίοις σωθῆναι αἰτῶν κοσμικῶν συντυχίαι, id est, « Mundanorum congressus et frequentationes his qui volunt salvari laquei sunt, » inquit S. Antiochus hom. 3. Ita sentiebat olim S. Nonnosus præpositus monasterii Soractis montis. Cum enim in eo monasterio olei penuria esset, jam parati erant monachi per vicos et oppida oleum quærere : id non tulit S. Nonnosus; sed magna humilitate, ut abbas jussa revocaret, effecit : ne fratres monasterio exeuntes, dum olei lucra quærerent, animarum damna paterentur. Itaque paucas olivas, quæ in arboribus remanserant, in prelum mitti jussit, et quantum olei exprimi posset, sibi deferri. His ita perfectis, vasculum oleo impletum ante altare posuit, et dimissis arbitris oravit; et postea ex hoc oleo parumper in omnia vasa monasterii D diffundi jussit, quæ continuo claudi jussa, altera die aperta omnia plena reperta sunt, ut refert S. Gregorius lib. I Dial., cap. 7. Idque olim sacris humanisque legibus cautum fuit, ne monachi urbes aut pagos obambularent, sed ut in monasteriis manerent inclusi, ut habetur can. 4 synodi Chalcedonensis, et can. 46 synodi Trullensis, et Cod. l. 29, de Episc. et Cler., etc. : Οἱ ἐν τοῖς μοναστηρίοις διατρίβοντες μὴ ἐχέτωσαν ἐξουσίαν ἔξιέναι τῶν μοναστηρίων, id est, « Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi non habeant; vel in civitate Antiochensi, seu in aliis quibuslibet civitatibus conversandi, exceptis duntaxat iis qui vocantur apocrisiarii, quibus licentiam

eorum. Hanc autem Regulam sæpius volumus in- congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

§ II. — Ex Regula Orientali.

[a] Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur : lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii præceptum, et præbebunt eis omnia quæ apta sunt usui monachorum. [b] Si quis ad ostium monasterii venerit dicens velle se videre fratrem suum vel propinquum, janitor nuntiabit abbati : et permittente, [c] cum accipiet comitem, cujus fides probata est ; et sic mittetur ad fratrem videndum vel proximum. [d] Si propinquus alicujus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit licentiam, nisi Pater monasterii præceperit. [e] Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

§ III. — Ex Regula Magistri (*cap.* 95).

[f] Duobus fratribus [g] ætate decrepitis cella intra [h] regias monasterii prope constituatur : qui deputati ibi et claudant monasterium omni hora post exeuntes, aperiant ingredientibus, et advenientes nuntient abbati. Nam et hoc observare debent ipsi duo fratres quotidie, ut horis quibus oportet in monasterio legere seratis regiis se jungant, [i] et legentes audiant : et cum ad opus divinum oratorii [j] index sonaverit, seratis item regiis oratorio præsententur. Ad opus laboris hoc quæratur quod possunt pro ætatis possibilitate implere, id est, aut si artes sciunt, aut certe, si nesciunt, in quo possunt quotidie adjuvent septimanarios. Tamen labori alio non quærantur, si propter opus aperiendi et claudendi omni hora occupentur. Annonam canum a cellarario ipsi accipiant, et eis cum aqua vel culinæ remanente juscello ministrent. Animalium intra monasterium curas adjuncto in septimana illorum hebdomadariorum solatio ipsi impleant, et regiæ munditias ipsi exerceant : vel intra cam [k] cicendelum suspensum et factum incendant quotidie, ut noctu foris cujusque cognoscatur ingressus. Qui senes, ut superius diximus, pro honore ætatis cum abbate manducent secundum formam præfatæ humilitatis, [l] ut sancta evangelica demonstrat, quæ dixit nec ipsis se superiorem velle ostendere. Nam talibus dicit Scriptura perfectis : [m] *Quanto magnus es, tanto humilia te : et*

damus volentibus ad sola responsa necessaria exire. » Consule Photium in Nomocanone tit. II, cap. 4. Idem statuitur Cod. Theod. l. 1 et 2, *De monachis*, nisi forte de judiciariis injuriis agatur. Nec se ita inclusum doleat monachus. Nam si vel minimo religionis amore tenetur, se ipsa inclusione in libertatem assertum putabit. Vera utique libertas est hujus mundi carcere liberari. Veris monachis cellæ amatoribus id dicam quod olim Tertullianus sanctis martyribus in carcere vinctis scribebat : « Nec vos hoc contristet quod segregati estis de mundo. Si enim recogitaverimus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere quam in carcerem introisse intelligemus. » Vere mundus carcer est, in quo homines vitiorum vinculis colligati detinentur inclusi. Felix monachus, qui tam tetro carcere solutus est, et potest dicere cum David : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Si igitur in monasterio sedet inclusus, mentem rerum humanarum cupiditate solutam per hanc universitatem mirabilia divinæ bonitatis opera considerando evagari sinat : Deumque laudet et benedicat in omnibus. Mens omni sollicitudine libera per immensam illam cœlorum regiam exspatietur, sedesque illas beatorum suspiciat, nunc choros angelorum perlustret, nunc se patriarcharum et prophetarum cœtibus adjungat, nunc martyribus consocietur, nunc virginibus assideat. Hinc Deum adoret, admiretur et stupeat. Hæc vera libertas, sed illius qui unius cellæ inclusus angustiis latitudine fruitur paradisi. Hæc optanda monachis evagatio, dum in cella sedent inclusi. Nam « etsi (inquit Tertullianus) caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu ; et non stadia opaca et porticus longas proponens tibi, sed illam viam quæ ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. »

[a] *Quando ad ostium monasterii*, etc. Hæc habentur in Regula edita S. Pachomii, art. 28, non tamen articulus integer producitur.

[b] *Si quis ad ostium*, etc. Secunda hujus capituli pars exstat etiam in Regula excusa S. Pachomii, art. 30, etsi quædam hic desiderantur quæ apud S. Pachomium reperire est.

[c] *Eum accipiet comitem*, etc. Nota disciplinam antiquam illorum Patrum, qui non permittebant monacho soli cum extraneo colloqui, sed dabant ei comitem et sermonum testem, non quemvis de trivio, sed probatum moribus, ne forte daretur occasio maligno.

[d] *Si propinquus*, etc. Hæc tertia pars etiam reperitur in Regula S. Pachomii, art. 33, paucis verbis immutatis, servato tamen eodem sensu.

[e] *Nullus de horto*, etc. Hæc quarta hujus capituli pars continetur etiam in Regula S. Pachomii, art. 38.

[f] *Duobus fratribus*, etc. Hæc habentur in Regula ms. Magistri cod. Corb., eodem cap. 93.

[g] *Ætate decrepitis.* Id est, senibus, hac voce latius sumpta ; nam decrepiti huic officio minus essent idonei. Decrepitus est cujus vita præ senectute in dubio est. Nonnius Marcellus, cap. 1 : « Crepera res proprie dicitur dubia, et crepusculum dicitur lux dubia, et senes decrepiti dicti in dubio vitæ constituti. »

[h] *Regias.* Id est, januas. Vide supra.

[i] *Et legentes audiant.* Quia hic magister non vult ut seorsum fratres legant, sed ut congregati per decadas legentem audiant, ut habetur cap. 50 ejusdem Regulæ : « A prima usque ad tertiam segregatæ a se per loca diversa decade, ne in uno redacta omnis congregatio, suis sibi invicem vocibus obstrepent, id est, lectionibus vacent, unus de decem per loca legat, et residui suo numero audiant. »

[j] *Index.* Id est, signum, campana, ut supra notatum est.

[k] *Cicindelum suspensum.* Vide supra.

[l] *Ut sancta evangelica demonstrat.* In Regula ms. legitur : *In sancta Eugenia demonstratur.* Lege, ut in cod. Vind., *ut sancta Eugenia demonstrat.* Probat humilitatem quæ in abbate requiritur ab exemplo S. Eugeniæ martyris, quæ dissimulato sexu tandem in abbatem electa cæteris fratribus humilitate præluxit, ut in ejus Vita habetur, cujus textum, quia lumen affert huic loco, alioqui satis obscuro, proferam : « Ipsa tamen ante omnes opus monasterii, quod infima solebat exercere persona, suscepit. » Et paulo post : « Aquam portare, ligna concidere, munditias adhibere : in eodemque loco habitare sibi elegit, ubi ostiarius monasterii manebat ne vel ipso se superiorem ostenderet. »

[m] *Quanto magnus es, tanto humilia te.* Ut in textu

apud Deum [a] *et homines invenies gratiam* (*Eccli.* III). Omnia vero necessaria intus intra regias esse oportet, id est, furnum, [b] macinæ, [c] refrigerium, hortus, vel omnia necessaria, ut non sit frequens occasio propter quam fratres multoties foras egressi, sæcularibus mixti, forte a religiosorum oculis visi ad damnationem potius nostram ab eis pro angelis adoremur, et [d] *Benedicite* nobis non meritis indigne dicatur: cum forte sancti putemur esse, quod non sumus: aut magis per irrisionem quorumdam infidelium vilescat in publico vel plateis sanctus habitus in ambulando. Cum ergo hæc omnia intus fuerint constituta, clausa sit semper monasterii regia, ut intus clausi cum Domino fratres veluti a sæculo sint jam [e] clausa Dei in cœlestibus separati. Quæ regia monasterii [f] circellum habeat ferreum in [g] fimella, quo ab adveniente concusso, cujuslibet superveniens intus indicetur adventus.

§ IV. — Ex Regula cujusdam (*cap.* 3).

[h] Portarii seu ostiarii tales esse debent [i] qui omnium mercedem simul ædificent: ætate senili, [j] quibus mundus sequi jam ex præsentibus pompis nihil desiderent, sed toto cordis affectu Creatori inhærentes singuli dicant: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). Quid enim ex præsentibus phaleramentis desiderent, quia perfunctoriis contemptis Christum amare cœperunt, in quo summum bonum contemplatione mentis manere conspexerunt? Sint mentis suæ statu firmissimi, ut Domino cum Propheta orando dicant: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua* [k] *vivifica nos* (*Psal.* CXVIII). Tale semper supervenientibus ostendant exemplum, ut et foris ab extraneis nomen Domini glorificetur, juxta quod Dominus ait: *Sic luceat lux vestra* [l] *coram omnibus hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V). [m] Et intus a consodalibus suis mercedis præparent lucra, dum omnium vice foris gerunt curam. Sic cautis moribus cum virtutum magistra humilitate existant, ut omnis patientiæ blandimenta ex colloquio affabili ostendant. [n] Nunquam singuli vel bini attollentes laicos vel clericos intente aspiciant; sed demisso cum humilitate vultu inclinatis oculis necessaria colloquantur. Pauperum, peregrinorum et hospitum curam inter omnia habentes, quia in his Christus suscipitur, quia ipse ait: *Quæcumque* [o] *his minimis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Foris aliquid dare, vel cuilibet ministrare, vel a foris aliquid accipere nullatenus sine commeatu abbatis præsumant. Et quodcunque a foris accipiunt ex donis et eleemosynis aliorum nullatenus antea ad cellarium portent, [p] quam ante oratorium deferentes congregatio pro eo orent qui hoc exhibuit. [q] Fabulis quas ad portam vel a sæcularibus, vel a quibuslibet audierint, nullatenus aurem accommodent; et si nolentes audierint, vel intellexerint, nullatenus consodalibus suis referant. Si horum aliquid, quæ ut ad ejus strepitum janitor fores aperiat, quod in Gothia Gallica dicitur *femelle*: Glossæ Benedicti, cap. *de Ferramentis*: *femella*, ἀμφίδρυς, quod utroque capite seu parte inflgatur januæ, ab ἀμφὶ et δρυμί.

Græco: Ὅσῳ μέγας εἶ, τοσούτῳ ταπεινοῦ σεαυτόν. At in versione communi: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

[a] *Et homines.* Hæc non sunt in textu Græco et in versione communi.

[b] *Macinæ.* Ita in Regula ms. et in cod. Vind. pro τὸ *machinæ*, quia in vetustis illis cod. mss. sæpe omittuntur aspirationes. Sunt molendina, prela et similia.

[c] *Refrigerium.* Id est, latrinæ.

[d] *Et Benedicite, nobis non meritis indigne dicatur.* Is olim honor monachis deferebatur a sæcularibus, ut cum eis occurrerent, benedictionem peterent, ut videre est in Vita S. Hilarionis apud S. Hieronymum: « Igitur audito quod S. Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos a dæmone frequenter curaverat), gregatim ei cum uxoribus et liberis obviam processere, submittentes colla, et voce Syra *barach*, id est, *benedic*, clamantes. » Idem clarum est ex Beda lib. III Hist. Angl., cap. 26: « Unde et in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus: ut ubicunque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur: et etiam si in itinere pergens inveniretur, occurrebant, et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. » Id etiam scribit de Wallensibus Giraldus in descriptione Cambriæ, cap. 8.

[e] *Clausa Dei.* Lege, *causa Dei*, ut in Regula ms.

[f] *Circellum habeat ferreum.* Circellum est annulus fimellæ januæ insertus, quem movet is qui sibi vult januam aperiri. Glossæ Benedicti *Circellum*, κρίκιον: diminutivum a κρίκος, a quo et κρικέλλιον, id est, annulus, παρὰ τὸ κλείω. ὁπάντοθεν περικεκλεισμένος, id est, undique clausus, inquit auctor veteris Etymologici, seu potius a strepitu quem edit.

[g] *In fimella.* Fimella, seu femella est ferrum januæ affixum per quod circellum ei insertum ducitur,

[h] *Portarii seu ostiarii.* Ita correxi ex cod. Vind. cum legeretur: *Portarius seu ostiarius.* Apud Smaragdum legitur: *portarius*, tantum.

[i] *Qui omnium mercedem simul ædificent.* Id est, qui ita sint exemplo supervenientibus, ut ex eorum moribus, quales sint reliqui fratres, judicetur.

[j] *Quibus mundus sequi jam*, etc. Apud Smaragdum, *quibus mundus si qui jam.* Legendum puto, *quibus mundus senuerit jam, et ex præsentibus pompis nihil desiderent.* In cod. Vind., *Ætate senili, qui jam ex præsentibus pompis nihil desiderent.*

[k] *Vivifica nos.* Vulgo, *vivifica me.* Psal. CXVIII.

[l] *Coram omnibus hominibus.* Matth. V., in vulgata versione, *coram hominibus.*

[m] *Et intus a consodalibus suis.* Apud Smaragdum, *Et intus cum sodalibus suis.* Lege, *et intus consodalibus suis*, id est, et pro fratribus qui intus sunt advenientes ædificent, ut ex eorum moribus alii cognoscantur.

[n] *Nunquam singuli vel bini attollentes.* Locus corruptus: Lege, ut in cod. Vindocinensi: *Nunquam singuli vel bini sine tertio teste loquantur, nunquam oculos in sublime attollentes.*

[o] *His minimis fecistis.* Matth. XXV; in editione vulgata: *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis.*

[p] *Quam ante oratorium deferentes.* Lege, *quam ante ad oratorium deferentes.* Optima institutio: neque enim tarde gratia beneficii est rependenda.

[q] *Fabulis.* Egregia institutio. Nam si portarii quibuslibet rumusculis et sermonibus advenientium sæcularium aurem commodarent, cito a virtute recederent, totumque conventum labefactarent, si ea quæ audiunt, fratribus renuntiarent.

diximus, transgressi fuerint, regulari pœnitentia castigentur. Si humili satisfactione patefaciant, prout humilitas confitentis cernitur, ita delinquentis culpa judicetur. Si vero contymaciæ crimen incurrit, et modum pœnitentiæ augebit. Claves ostiorum vel portæ nullo modo penes se retineant; sed ad abbatem nocte deferentes præsentent, et mane [a] post secundam recipiant. [b] Idipsum et cellararii, et pistores, et coqui implere studeant : et ab occasu solis, vel cum fuerit opus necessitate perfectum, [c] usque ad secundam abbas claves retineat; nisi necessitas evenerit, ut per commeatum abbatis nocte retineantur, et post secundam denuo tribuantur. A signo vespertino usque ad secundam impletam nullatenus portarum fores aperiantur, neque ullus a foris introitus patefiat; sed si necessitas talis advenerit, ut post vesperam sit [d] deliberandum, per fenestram, quæ in eadem porta fuerit, totum deliberetur. [e] Si talis necessitas hospitum vel peregrinorum advenerit, ut hora refectionis cum fratribus esse non possint, post cum coquis vel ministris, vel cum reficiendi spatium habuerint, reficiant. Vasa vel reliqua utensilia, quæ ad hospitium bajulant, ac si sacra Dei, gubernent atque custodiant; ne per ipsorum neglectum ab ipso mercedem non recipiant, cujus res diripiendo non servant. Intra septa monasterii vel ostia nullum virorum omnino vel feminarum edere, vel bibere permittant; sed [f] de omnibus advenientibus foris in hospitale, prout honor exigit, per abbatis ordinationem ministrent; intus vero tantummodo, qui sacram Deo voverint religionem, et immunitate obedientiæ sub una Regula sunt ligati, edere vel bibere censemus. Sic semper ostiarii agant, ut in omnibus zelum Dei habentes Regulæ tenorem conservent, ut pro studii sui vel culturæ labore incorruptam recipiant mercedem.

§ V. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 12).

Pistores vero alternatim per vices opus commune faciant. Nec tamen [ut] minus tribus non sint propter loquendi necessitatem. Et si necesse fuerit ut ibidem maneatur, minus quatuor non sint, et unus ex eis senior sit præpositus, cujus religioni credatur : qui et loquendi licentiam habeat, et panem, quem faciunt per vices, senior qui ex eis est, cellarario repræsentet, [g] ut omni custodia tuti in nullo reprehensibiles reperiantur. Similiter et qui in [h] brachisitorium ad cervisiam faciendam inhabitaverint, unus ex eis senior [[i] sit] præpositus secundum regulam pistoris omnia custodiat.

§ VI. — Ex Regula Orientali.

Ostiario cura sit ut omnes advenientes intra januas recipiat, dans eis responsum honestum cum humilitate et reverentia; ac statim nuntiet vel abbati vel senioribus quis venerit et quid petierit : nec ullus extraneorum patiatur injuriam, neque habeat cum aliquo de fratribus necessitatem ac facultatem loquendi absque conscientia abbatis vel seniorum : mandatumque quod fuerit, nihil ad ipsum perveniat, priusquam abbati vel senioribus indicetur. Ante omnia ostiarius monasterii hæc observabit, ne quem de fratribus foris januam exire permittat.

§ VII. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 19).

[j] Ad janitorem pertinebit cura hospitum, denuntiatio advenientium, custodia [k] exterorum claustrorum. [l] Item cura peregrinorum vel pauperum eleemosyna pertinebit ad eum cui dispensationis potestas commissa est. Iste quod habet distribuat, communicet [m] in quod potest, non ex tristitia aut necessitate : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Item. Ars autem pistoria [n] ad laicos pertinebit. Ipsi enim triticum purgent. Ipsi ex more molant. Massam tantumdem monachi conficiant, et panem sibi manibus propriis ipsi faciant. Porro pro hospitibus et infirmis laici faciant panes.

§ VIII. — *Item ejusdem* (*cap.* 12).

Hortulus sane intra monasterium sit inclusus, quatenus, dum intus monachi operantur, nulla occasione exterius evagentur.

[a] *Post secundam.* Horam matutinam, quæ est octava nostra, nempe prima dicta.

[b] *Idipsum et cellerarii et pistores et coqui implere studeant.* Id est, claves officinarum suarum nocte consignent, ne videlicet aliqui de nocte surgentes commessentur.

[c] *Usque ad secundam.* Vespertinam, quæ est nostra octava. Itaque cum paulo ante dixit, *ab occasu solis*, hæc verba paulo latius sumenda sunt pro initio noctis.

[d] *Deliberandum.* Id est, colloquendum.

[e] *Si talis necessitas hospitum.* Hic locus intelligetur tantum de hospitibus vel peregrinis monachis. Nam paulo post prohibet ne quis virorum vel feminarum intra monasterii septa comedat, præter eos qui sacram religionem Deo voverint.

[f] *De omnibus.* Nempe ad victum necessariis, atque etiam ad capiendum somnum.

[g] *Ut omni custodia tuti.* Est hyperbaton : nam his verbis, *qui et loquendi licentiam habeat*, subjungendum erat hoc membrum, ut referatur ad pistores.

[h] *In brachisitorium.* Ita in cod. Vind., lege tam *in bratiatorio*, vel *bratiario* : cujus mentio est in libello supplici monachorum Fuldensium ad Carolum imperatorem, supplicatione 16 : « Ut ipsa monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, bratiarium, coquina, agricultura. » Bratiarium, seu bratiatorium, aut braxiatorium, quod nos Franci occidentales vocamus, *brasserie*, est officina, in qua cervisia seu zythum conficitur, a nomine, *bratium*, seu, *brasium*, quod veteri Germanorum lingua significat hordeum de madido torrefactum. Vide Christophorum Browerum, lib. III Antiquitatum Fuldensium, c. 12.

[i] *Sit præpositus.* To *sit* redundat.

[j] *Ad janitorem pertinebit.* Hæc habentur in Regula excusa S. Isidori, cap. 20.

[k] *Exterorum.* Lege, *exteriorum*, ut in Regula excusa. Claustra exteriora sunt officinæ vel domus, quæ sunt extra septa monasterii.

[l] *Item cura peregrinorum.* Hæc usque ad illa verba, *ars autem pistoria*, habentur in fine capitis in Regula excusa.

[m] *In quod.* Lege, *in quantum*, ut in Regula excusa.

[n] *Ad laicos pertinebit.* De laicis vide quæ supra adnotata sunt hoc capite ad sanctum Fructuosum.

§ IX. — *Item* (*cap.* 19 [a]).

Ad hortulanum pertinebit munitio custodiaque hortorum, alvearia apum, cura seminum diversorum, ac denuntiatio quid, quando oporteat in hortis seri aut plantari.

§ X. — Ex Regula sancti Augustini (*cap.* 40).

[b] Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur : et ubi vos inveneritis, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum largitori. Ubi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, [c] orans ut sibi et debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur. »

§ XI. — Ex Regula Aurelii episcopi (*cap.* 54).

Et vos, sancta congregatio, ut omnia quæ in hac Regula pro remedio animæ nostræ, et pro animarum vestrarum salute statuimus, integra et illibata custodiatis, et ne per oblivionem aliquid negligatis, semel ea in triginta diebus relegite, id est in Kalendis.

§ XII. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 68).

Levitonarium et quidquid in veste est monachorum, nemo lavet [nisi] die Dominica, præter nautas et pistrinarios.

§ XIII. — *Item* (*cap.* 116).

[d] Quando farinam conspergunt aqua, et massam subigunt, nemo loquatur alteri. Mane quando tabulas ad furnum vel ad clibanos deportant panes, si-

A mile habebunt silentium, et tantum de psalmis et de Scripturis aliquid [e] decantabunt, donec opus impleant. Si quid necessarium habuerint, non loquantur, [f] sed signum dabunt his qui possunt afferre quibus indigent.

§ XIV. — *Item* (*cap.* 17).

[g] Quando ad miscendum farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium ; exceptis his qui coctioni sufficient et quibus jussum fuerit, [h] nemo residebit.

§ XV. — Ex Regula Pauli et Stephani (*cap.* 32 [i]).

Magnopere autem ab omnibus est cavendum ne aut in pistrino, aut in quacunque manuum operatione aliquis fratrum pigre et non inter primos occurrat.

§ XVI. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 10).

Quando panes faciunt, [j] vel in omni monasterio [k] corporalem laborem suum mutuo relevabunt : et quamlibet cuicunque operi esse videantur intenti, orandi et psallendi tempora non omittant : ut dum escas eligunt præparare carnales, spiritaliter verbo Dei et bonæ conscientiæ meditatione pascantur. De quo tamen opere nullum deesse convenit, nisi quem retentat infirmitas, aut quem præpositus in alia [l] causa præceperit occupari.

§ XVII. — Ex Regula Pachomii.

[m] Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

[a] Cap. 20 Regulæ excusæ.

[b] *Ut autem*. Habetur in Regula S. Augustini, cap. 43, quod est ultimum ; et in fine epistola 109 ejusdem S. Augustini.

[c] *Orans ut sibi*. Illud, *sibi*, non exstat in Regula excusa, nec in cod. ms. Corb., nec in epistola citata.

[d] *Quando farinam*. Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 65.

[e] *Decantabunt*. In Regula S. Pachomii excusa legitur, *meditabuntur*, quod perinde est.

[f] *Sed signum dabunt*. In eadem Regula excusa, *sed signum dent*.

[g] *Quando ad miscendam farinam*. In Regula S. Pachomii excusa hic articulus non separatur a præcedente ; et puto in titulo deesse notam, c, ut secun-

C dum nostrum auctorem hic articulus sit CXVII, cum superior, cui in Regula excusa annexus est, sit juxta nostrum auctorem CXVI, et ambo ad eamdem materiam spectent.

[h] *Nemo residebit*. Verba hæc non exstant in Regula S. Pachomii edita, quæ sane videntur superflua.

[i] In Regula ms. cod. Flor., c. 33.

[j] *Vel in omni monasterio*. Legendum puto, *vel in omni ministerio*.

[k] *Corporalem laborem suum mutuo relevabunt*. Id est, in corporali labore suo sibi invicem succedent.

[l] *Causa*. Id est, opere.

[m] *Nullus de horto*. Exstat in Regula edita S. Pachomii, art. 38, et refertur supra hoc capite ex Regula Orientali. Citatur autem a nostro auctore, quia S. Benedictus hoc capite horti mentionem facit.

CAPUT LXXII.

DE FRATRIBUS IN VIA DIRECTIS.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Dirigendi fratres [a] in via [b] omnium fratrum ve-

D abbatis se orationi commendent, et semper ad orationem ultimam operis Dei [c] commemoratio omnium

[a] *In via*. S. Dunstanus, Smaragdus et mss. S. Ebr. et Vict. p., legunt : *in viam*.

[b] *Omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent*. Particula *vel* sumitur hoc loco copulative. Fratres autem in via dirigendi, se olim ante altare prosternebant, ut docet Smaragdus, qui et preces dicendas profert : « His vero fratribus in viam dirigendis et ante altare prostratis, et ab omnibus orationem poscentibus dicat sacerdos hos versus, ipso incipiente et aliis respondentibus. *Salvos fac servos tuos : Deus meus, sperantes in te. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Tunc sacerdos orationis dicat collectam : *Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, ut, peracto obedientiæ cursu, ad nos iterum revertamini cum gaudio. Per Christum.* » S. Benedictus loquitur in plurali, *dirigendi fratres*, quia nunquam solus monachus, sed duo vel tres in via dirigendi sunt ob mutuam custodiam animi præsertim, ut supra notatum est.

[c] *Commemoratio omnium absentium fiat*. In ms. p. Vict. hæc sequuntur. « *Et sic oratur pro eis :* Salvos

absentium fiat. Revertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus, [a] ne qui forte subripuerint in via visus aut auditus malæ rei, [b] aut otiosi sermonis. [c] Nec quisquam præsumat referre alio quæcunque foris monasterii viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subjaceat. Similiter et qui præsumpserit claustra monasterii egredi; [d] vel quocunque ire, [e] vel quippiam, quamvis parvum, sine jussione abbatis facere.

§ II. — Ex Regula Patrum (*cap.* 58).

[f] Ad necessaria quærenda [g] in cellula bini egredientur vel terni fratres; [h] et ita illi quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectantur.

§ III. — Ex Regula sancti Pachomii (*cap.* 56 [i]).

Nullus solus foras mittatur ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.

§ IV. — *Item* (*cap.* 57 [j])

Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint quærentem aliquem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, et nuntiare, vel vocare : et omnino quidquid foris gesserint et audierint, in monasterio narrare non poterunt.

§ V. — *Item* (*cap.* 46).

[k] Si quis eorum qui peregre mittuntur, in itinere vel in navi ægrotaverit, et habuerit necessitatem sive desiderium comedendi [l] liquamen de piscibus, vel aliarum rerum quæ in monasterio comedere consueverunt, non manducabit cum cæteris fratribus,

fac servos tuos. ℟ Deus meus, sperantes in te. Mitte eis auxilium de sancto. ℟ Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Domine, exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat. Oratio. Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et servientibus tibi in nulla es regione longinquus, dirige viam famulorum tuorum omniumque tibi adhærentium in voluntate tua, ut te protectore et te præduce per justitiæ semitas sine offensione gradiantur. Per Dominum. » Ejusmodi orationis hanc tradit formulam Smaragdus : « *Hoc in loco priusquam quinquagesimus inchoetur psalmus, a sacerdote dicatur :* Oremus pro fratribus nostris absentibus, *fratribus respondentibus :* Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. *Prosequatur sacerdos et dicat :* Mitte eis, Domine, auxilium de sancto ; *fratresque respondeant :* Et de Sion tuere eos. *Item sacerdos dicat :* Domine, exaudi orationem meam ; *respondeant fratres :* Et clamor meus ad te veniat. *Et tunc subsequatur quinquagesimus psalmus ab omnibus decantandus.* » Porro per ultimam orationem operis Dei intelligit collectam completorii, post quam orandum est pro omnibus absentibus ; non vero ultimam orationem seu collectam cujusque horæ canonicæ, quod sane expressisset, si ita ejus mens fuisset, quemadmodum explicite de revertentibus significavit, cum præcipit ut ad finem cujusque horæ canonicæ pro eis oretur. Itaque ex antithesi et oppositione utriusque sententiæ hujus loci manifesta est interpretatio.

[a] *Ne qui forte subripuerint in via visus*, etc. Recta lectio. Vulgo tamen legitur : *Ne quid forte subripuerit*, etc.

[b] *Aut otiosi sermonis.* In cod. Vict. p. hæc sequuntur : « *Et his verbis pro reduntibus fratribus de via vel itinere placuit ab omnibus orari :* Oculi Domini super justos, ℟ Et aures ejus ad preces eorum. Si iniquitates observaveris, ℟ Domine, Domine, quis sustinebit? Apud Dominum misericordia. ℟ Et copiosa apud eum redemptio. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæque dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium ; ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos. Per Dominum. » Sui temporis consuetudinem notat hoc loco Smaragdus : *Revertentibus autem de via et solo oratorii prostratis, orationemque petentibus, hanc eis collectam sacerdos dicat :* Quæsumus, omnipotens Deus, ut his famulis tuis, quos ad nos incolumes de via redire fecisti, quidquid illic impediente fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimittas. Per Christum. »

[c] *Nec quisquam præsumat referre.* Hoc intelligitur de vanis et futilibus, aliisque ejusmodi quæ animæ puritatem contaminare possunt : nam si quid viderit vel audierit quæ ad animæ ædificationem conferre possint, non prohibetur ea referre.

[d] *Vel quocunque ire.* Hoc intelligitur de his qui in via diriguntur, ut tantum ad locum ad quem missi sunt, nec declinando ad dexteram vel ad sinistram, recta se conferant.

[e] *Vel quippiam quamvis parvum.* Hoc sumptum est ex antiquorum monachorum disciplina, ut videre est apud Cassianum infra citatum. Cum tamen S. Benedictus loquatur generaliter, puto locum intelligendum de iis quæ extraordinarie fiunt. Id nos exemplo docuit S. Odo postea abbas Cluniacensis, qui episcopo roganti exscribere librum noluit injussu abbatis, textum Regulæ allegans, ut refert Joannes monachus lib. II Vitæ S. Odonis.

[f] *Ad necessaria quærenda.* Hoc capitulum exstat in Regula tertia cod. Flor., cujus initium est : *Cum in nomine Domini, una cum fratribus*, etc. Sed notandum est in Concordiæ codice ms. male scriptum fuisse LVIII. Itaque puto notam L esse delendam, ut remaneat numerus VIII, quia in Regula citata cod. Flor. hoc caput est tantum VIII, hæcque Regula quatuordecim duntaxat capita complectitur.

[g] *In cellula.* Id est pro cella : et cellula hoc loco sumitur pro monasterio.

[h] *Et ita illi quibus creditur.* Id est, illi quibus obstrictam observantiam abbas confidit.

[i] Art. 34 Regulæ.

[j] Eodem articulo.

[k] *Si quis eorum.* Habetur in Regula S. Pachomii excusa, art. 23.

[l] *Liquamen de piscibus.* Liquamen, vel liquamen de piscibus, est liquor ex piscibus in salsamento solutis manans seu expressus. S. Isidorus lib. XX Orig., cap. 3 : « Liquamen dictum ab eo quod soluti in salsamento pisces eumdem humorem liquant ; cujus liquor appellatur salsugo vel muria. » Quod etiam garum dicitur. S. Isidorus ibidem : « Garum est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant : et quamvis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet a quo initium sumpsit. » Glossarium vetus : γάρον, *liquamen*. Æschylus, apud Athenæum lib. V, dixit τὸν ἰχθύων γάρον, id est, ex piscibus garum, ex quo loco probat Athenæus hoc nomen esse etiam masculini generis; meminit Plato, apud eumdem loco citato : « Ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξουσί με, id est, in putido garo mergentes suffocabunt me. » Marculphus formula 35, *gari libras tantas*. Meminit et Martialis lib. XIII. epigr. 3 :

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum munera cara garum ;

et epigrammate sequenti, quod inscribitur ***Muria*** :

Antipolitani, fateor, sum filia thynni,
Essem si scombri, non tibi missa forem.

sed separatim ei dabitur a ministris ad omnem abundantiam, ne in nullo frater languidus contristetur.

§ VI. — *Item* (*cap.* 84).

[a] Nullus neque exeundi in agrum, neque [b] ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii procedendi foras habeat facultatem, nisi interrogaverit præpositum domus, et ille concesserit.

[c] § VII. — *Item* (*cap.* 85).

Cavendum ne quis de domo in aliam domum verba transferat, nec de monasterio in monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

§ VIII. — *Item* (*cap.* 86).

[d] Si quis ambulaverit [e] via, vel [f] navigaverit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio quæ ibi geri viderit.

§ IX. — *Item* (*cap.* 104).

[g] Galliculas, et si quid aliud [h] jungendum est, vel componendum, [i] absque eo cui hoc ministerium delegatur et præposito domus facere nullus audebit.

§ X. — *Item* (*cap.* 89).

[j] Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, intrare illicitum est. [k] Ad cibum non pergent, nisi generali sonitu convocentur.

§ XI. — *Item* (*cap.* 125).

[l] Nemo juncos infusos aqua sibi tollet ad operandum, nisi minister hebdomadis ei dederit.

§ XII. — *Item ex eadem Regula* (*cap.* 15 [m]).

Nullus in domo quidquam faciet, nisi quod præpositus jusserit.

§ XIII. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 68 [n]).

Interrog. Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habet? — *Resp.* Merces ejus illa ipsa est, quod sibi placet. Cum Apostolus dicat : *Unusquisque ut in proximo suo placeat in bono ad ædificationem* (*Rom.* xv). Et, ut amplius inclinaret et constringeret audientes addidit dicens : *Quia ipse non sibi placuit* (*Ibid.*). Scire debet unusquisque periculum esse in eo quod vult sibi placere ; simul enim et inobediens invenitur.

§ XIV. — *Item* (*cap.* 80).

Interrog. [o] Si oportet ire quocunque, non commonito eo qui præest? — *Resp.* Cum Dominus dicat: [p] *Non veni, ut a me faciam quidquam,* [q] *sed ab illo qui me misit* (*Joan.* vii), quanto magis unusquisque vestrum sibi permittere nihil debet. Qui enim sua auctoritate aliquid agit, manifestissimæ superbiæ morbo detinetur, et subjectus est illi sententiæ quæ dicit : [r] *Quod in omnibus superbum est, abominatio est in conspectu Dei* (*Luc.* xvi) ; sed in omnibus sua sponte vel auctoritate aliqua agere culpabile est.

§ XV. — *Item* (*cap.* 101).

Interrog. [s] Si debent peregrini intrare ad illa loca

Recte ergo muria seu garum filia thyni sive scombri ex horum piscium liquore. Antipolitani thynni ab Antipoli dicti, quæ est urbs Deciatiorum apud Ptolemæum in ora Massiliensi, non procul a Varo fluvio, qui Galliam separat ab Italia, ut patet ex Plinio, lib. III, cap. 4 : « At in ora oppidum Latinum ; Antipolis, regio Deciatium, amnis Varus. » Gallice dicitur *Antibes*. Muria etiam dicitur aqua sale mixta, teste Isidoro loco citato, Gallice, *saumure*, quasi muria salsa. Festo muries : « Muries est, quemadmodum Verranius docet, ea quæ fit ex sale sordido in pila pinsato. Et Paulo Diacono, ex eodem Festo : « Muries dicebatur sal in pila tunsum, et in ollam fictilem conjectum, et in furno percoctum, quo deinde in aquam misso Vestales virgines utebantur in sacrificio. » Liquamen autem Gallice dicitur : *Gelée de poisson*.

[a] *Nullus exeundi.* Exstat in Regula S. Pachomii excusa, art. 47, in quo hæc verba, *Exeundi in agrum*, desiderantur. Idem præcipitur articulo 72.

[b] *Neque ambulandi in monasterio.* Extra domum suam.

[c] Art. 48 Regulæ editæ.

[d] *Si quis ambulaverit.* Habetur in Regula S. Pachomii excusa, art. 49, qui eo sensu intelligendus est quo superior.

[e] *Via.* Lege, *in via*, ut Regula excusa.

[f] *Navigaverit.* Sæpe enim navigabant monachi Tabennesiotæ, quia monasterium S. Pachomii situm erat in insula Nili, ut supra notatum est.

[g] *Gallicula.* Hic articulus non invenitur in Regula sancti Pachomii excusa. *Gallicula*, inquit Papias, *calceamenta pastorum*, diminutivum a gallica. Vide superius adnotata.

[h] *Jungendum est.* Id est, suendum est.

[i] *Absque eo.* Id est, absque licentia ejus.

[j] *Cellulam alterius.* Hic etiam articulus non habetur in Regula S. Pachomii edita, quamvis articulo 61 hæc reperire liceat, *Ad alterius cellam intrare nullus audebit*, nam diversa præcepta sunt.

[k] *Ad cibum cum pergent.* Hæc verba, licet superioribus sint annexa, nihilominus tamen sejungenda : nam videntur efficere articulum alium, cum sint rei diversæ. Signi autem ad vescendum mentionem facit S. Pachomius art. 18, *Qui percutit ad vescendum*, etc.

[l] *Nemo juncos.* Hic etiam articulus non exstat in Regula S. Pachomii excusa ; nihilominus quid simile habetur art. 39 : *Palmarum folia ; unde texuntur sportæ, nemo jure suo tollet, absque eo cui palmæ sunt creditæ.* Intelliguntur hic junci Nilotici, quos monachi aquis madefactos consuebant ad conficiendas mattas seu psiathos, quemadmodum etiam folia palmarum aqua infundebant ad conficiendas sportas : ut videre est apud Palladium cap. de Macario Alexandrino, Οὗτος βρέξας ὀλίγους τοὺς ἐκ φοινίκων εἰς πλῆθος· id est, « cum ipse madefecisset multitudinem foliorum ex palmis. » Erat autem tunc hic Macarius in monasterio sancti Pachomii.

[m] Non exstat in Regula excusa.

[n] Interrog. 118 Regulæ ; Rufin., cap. 42.

[o] *Si oportet ire.* Exstat apud S. Basilium, interrog. 120 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 46.

[p] *Non veni ut a me faciam quidquam.* Ita apud Rufinum. In textu Græco, Οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, id est, *Non enim a meipso veni*, ex Joannis cap. vii, ubi sic habetur, Καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, id est, *et a me ipso non veni.*

[q] *Sed ab illo qui me misit.* Apud Rufinum : *Sed ille qui me misit, ipse fecit.* Aliter in textu Græco S. Basilii : ἀλλ' ἐκεῖνος μ' ἀπέστειλε, id est, *sed ille me misit.* Sed discedit a textu Græco Joannis, ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, id est, *sed est verax, qui misit me.* Itaque citatur locus ex memoria.

[r] *Quod in omnibus superbum est.* Lege : *Quod in hominibus superbum est.* Luc xvi, *Quod hominibus altum est.* In textu Græco τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλόν. Apud Rufinum, *quoniam in hominibus superbientibus*,

[s] *Si debent peregrini.* Habetur apud S. Basilium, interrog. 141 Regul. brev., et apud Rufinum cap. 54.

ubi fratres operantur, vel etiam si alii de eodem monasterio debent, relictis suis locis, intrare ad alia, præter illum cui creditum est requirere operantes, id est, ad quem opus pertinet et dispensatio? — *Resp.* Si quis inventus fuerit hoc faciens, tanquam inturbans disciplinam et ordinem fratrum, [a] a communi conventu excludatur, et omnino [b] a licitis progressibus inhibeatur; et sedens in uno loco, in quo judicaverit is qui præest, apto ad correctionem, et vindictam, nusquam prorsus permittatur abscedere, sed urgeatur in opere multo plus quam est consuetudo, et quotidie exigatur, usquequo discat implere hoc quod Apostolus dixit : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor.* VII).

§ XVI. — *Item* (*cap.* 102).

Interrog. [c] Si oportet eos qui neverunt artificia, suscipere ab aliquo opus absque conscientia vel jussione ejus qui præest, et operum sollicitudinem gerit? — *Resp.* [d] Furti reus erit ejusmodi, vel similis eis qui furibus concurrunt.

§ XVII. — Ex Regula sancti Stephani (*cap.* 26).

[e] Nulli liceat tam in cellario quam in singulis officinis artificum improba atque importuna absque senioris jussu audacia introire. Quia et communi utilitati valde impedit hæc præsumptio, et ipsis artificibus rancorem animorum ex superflua hac importunitate impingit.

§ XVIII. — Ex Regula Ferreoli (*cap.* 20 [f]).

Vagari per loca monachum, sicut non decet, ita non convenit, etc.

§ XIX. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 30).

[g] Tanta autem obedientia Regulæ debet junior imbui ut absque senioris sui scientia vel permissu non solum de cella exire, sed ne communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumat : [h] nec illa etiam quæ utilia sunt, id est, aut cellam mundare, aut aquam deferre, aut si quid aliud opportunum est, sine conscientia et ordinatione sui senioris usurpet.

§ XX. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 7).

[i] Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus se aliis implicare, nec liberum judicet ab [i] schola vel ubi meditantur fratres discedere. Qui vero in hac præsumptione proruperit, excommunicationi, ut dignus est, subjacebit. [k] Cellulam alterius præter abbatem et præpositum, nisi dato signo, est licitum introire, quia ipsis tantum conceditur fratrum secreta cognoscere, et [l] qualiter [se] unusquisque agat, occulta inspectione perquirere : [m] et ubi artifices operantur [n] absque suprascriptis personis nullus præsumat accedere. [o] Advenientibus quoque nihil præter humilitatis affectum et debitum famulatum junior exhibebit : et curam habere de causa qua venerit, quandoque reversurus sit, non præsumat; quia hæc seniorum sollicitudo, non juniorum præsumptio, debet inquirere.

§ XXI. — Ex Regula Orientali.

[p] Nullus mittatur foras ob aliquod negotium. Missi vero non singuli, sed bini vel terni ambulent, ut dum se invicem custodiunt et consolantur, et testimonium eorum de honesta eorum conversatione securi præposito) nullus præsumat accedere. »

[a] *A communi conventu excludatur.* Hæc non sunt in textu Græco.

[b] *A licitis progressibus.* Id est, a concesso egressu.

[c] *Si oportet eos.* Habetur apud S. Basilium sequenti interrogatione, et apud Rufinum eodem capite.

[d] *Furti reus erit.* Ita apud Rufinum, sed aliter in textu Græco : Τῷ κρίματι τοῦ κλέπτου, ἢ τοῦ συντρέχοντος τῷ κλέπτῃ ὑποκείσθω ἑκάτερος, ὅ τε διδοὺς καὶ ὁ δεχόμενος, id est, « Judicio furis, et ejus qui cum fure concurrit, subjiciatur uterque et dans et suscipiens opus, » videlicet absque conscientia ejus qui præest operibus.

[e] *Nulli liceat.* Invenire est in Regula ms. Pauli et Stephani cod. Flor. cap. 27. Refertur autem hoc caput, quia S. Benedictus prohibet aliquid facere injussu rectoris : ac proinde non intrandum in cellarium et in artificum officinas sine ejus permissu. Quæ quidem institutio optima est propter rationes allatas, tum quia confusionem ipsis artificiis affert, atque etiam artificibus ejusmodi promiscuus in eorum officinas ingressus : etiam non sine jactura instrumentorum, cum passim ab omnibus sine discrimine tractantur. Idem statuitur in Pœnis brevibus, quæ S. Basilio ascribuntur, art. 42 : Εἴ τις ἀκαίρως ἔρχεται εἰς ἐψητήριον, ἢ εἰς κελλάριον ἐκτὸς τῶν ἐντετυπωμένων, ἢ τῶν φροντιζόντων τῆς ἐυταξίας, μενέσθω ἀπευλογίας; id est, « Si quis importune ingreditur in cullinam et vel cellarium exceptis designatis, aut his qui curam gerunt ordinationis et disciplinæ, careat benedictione. » Eadem est mens S. Pachomii, cum id solis præpositis permittit, art. 6 : « Ad officinas diversarum artium soli, pergent præpositi ut accipiant quod necessarium est. » Idem videre est in Regula Tarnatensi hoc capite : « Et ubi artifices operantur absque supra scriptis personis (abbate et

[f] Vide supra c. 38, § 7.

[g] *Tanta autem.* Hæc sumpta sunt ex cap. 10 lib. IV de Institutis renuntiantium.

[h] *Nec etiam illa quæ utilia sunt.* Hæc non exstant apud Cassianum.

[i] *Meditantibus.* Id est, legentibus, discentibus. Regula Pauli et Stephani, cap. 32 : « Sed neque ad meditandas litteras vel psalmos aut lectiones quisquam ex sua quasi potestate præsumat. » Beda lib. III Hist. Angl., cap. 5 : « Ut omnes qui cum eo incedebant, sive attonsi, sive laici, meditari deberent. Id est, aut legendis Scripturis aut psalmis discendis operam dare. »

[j] *Schola.* Schola est conclave ingens, in quo monachi legebant et dormiebant, ut supra notatum est.

[k] *Cellulam alterius.* Idem præcipit S. Pachomius hoc capite supra citatus : « Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, intrare illicitum est. »

[l] *Qualiter se unusquisque agat.* Pronomen *se* redundat.

[m] *Et ubi artifices operantur.* Idem præcipitur in Regula Pauli et Stephani supra hoc capite.

[n] *Absque.* Id est sine permissu.

[o] *Advenientibus quoque.* Idem statuitur in Regula Patrum ms., quæ est secunda cod. Flor., unde hic locus videtur esse emendicatus : « Advenienti peregrino nihil plus exhibeat quam occursum humilem et pacem. Reliquum non sit illi cura unde venerit, pro quo venerit, vel quando ambulaturus sit, nec se jungat ad fabulas cum illo. »

[p] *Nullus mittatur foras.* Ex Regula S. Pachomii, art. 34 : « Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero. »

sint, et illi non periclitentur. Observantes tamen hoc [a] ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligenti cedant locum destructionis, sed unusquisque in actu suo attentus sit, prout tempus fuerit. [b] Quando autem reversi fuerint in monasterium, si ante ostium viderint aliquem quærentem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non valebunt ire ad eum et nuntiare vel evocare. Et omnino quidquid foris gesserint, in monasterio narrare non præsumant.

§ XXII.—Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 24).

[c] Nullus monachorum inconsulto abbate audeat uspiam progredi, nec aliquid [d] præsumere sine imperio ejus seu præpositi. Si quando abbas [e] vel præpositus alicubi proficiscuntur, ille ferat fratrum sollicitudinem, qui est post præpositum secundus in ordine. Quando fratres foris proficiscuntur vel redeunt congregatis omnibus in unum in ecclesia, benedictionem accipiant. Eodemque modo hebdomadarii [f] vel quarumlibet rerum dispensatores, sive dum promoventur, sive dum recedunt. Propter necessitatem aliquam monasterii duo fratres spirituales comprobatissimi eligantur, qui ad urbem [g] vel ad possessionem mittantur. [h] Adolescentuli autem, vel nuper conversi a tali ministerio removendi: ne aut infirma ætas carnis desiderio polluatur, aut rudis conversio ad sæculi desideria revertatur. Monachus dum ad aliud monasterium mittitur visitandum, quandiu cum eis fuerit ad quos destinatus est, ita eum ibi oportet vivere sicut reliquum cœtum sanctorum videt, [i] propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.

§ XXIII. — Ex Regula Magistri (*cap.* 28).

[j] Nam et fratres in via dirigendi hoc præceptum abbatis vel præpositorum suorum accipiant. Quarta, sexta et sabbato in diebus majoribus, id est, a Pascha usque VIII Kalend. Octobr., quod est æquinoctium hiemale, ut non in via jejunent propter æstum et sitim; deinde ab æquinoctio hiemali usque ad Pascha, quia breviores sunt dies, ambulantium fratrum in quarta, sexta et sabbato, jejunia protrahantur in vesperam, [k] ne occupati fratres nona hora per refectionem in via accelerata brevitas diei fratribus [l] mansionem protendat, aut, ut est lucrum sæculi totum [m] vernale, cum jam ad seram finiti cum jejunio diei inclinata jam secunda refectio, [n] [cum] nihil sibi emendum mansionem promiserit, propter nullum [o] distractionis adquæstum, [p] dejejunatum jam fratrem non vellet taberna suscipere, et propter susceptionem [q] a nullis lucris fratribus denegatam, cogantur fratres propter hospitalitatem iterato de sumptibus suis expendere, et per secundam refectionem, quæ non licet, jejunium violare.

[a] *Ut non se invicem fabulis inanibus destruant.* Recte sane, quia maxima est monachorum destructio loqui inania, futilia et sæcularia, quorum relatione monachi fervor cito remittitur et torpet, ut præclare monet S. Antiochus, homil. 102 : « Κἂν χαυῶται ὁ νοῦς καὶ καταργεῖται ἐκ τῆς πνευματικῆς ἐργασίας, καὶ ἐκλύεται πρὸς τὸν τῆς ἀσκήσεως τόνον· id est, « Mens monachi remittitur, ab operatione spiritali desidet, enervis resolvitur ad servandum exercitationis monasticæ vigorem. » Nec mirum sane; quia ejusmodi confabulationes mentem a Deo avertunt, eamque obtenebrant et sterilem efficiunt, ut præclare docet Hesychius presbyter centur. II, n. 25 : « Τηνικαῦτα ὁ νοῦς σκοτίζεται, καὶ ἄκαρπος μένει, ἡνίκα ἂν ἢ λόγους κοσμικοὺς λαλήσῃ, ἢ κατὰ διάνοιαν καταδεξάμενος προσομιλήσῃ αὐτοῖς. Id est, « Tunc mens obtenebratur et sine fructu manet, quando sæculares sermones loquitur, aut cum illis ab intellectu susceptis confabulatur. » Quamobrem vitæ religiosæ institutores ejusmodi verba proscripserunt, sancta sola et divina monachis permittentes. S. Pachomius, art. 35 : « Operantes nihil loquantur sæculare, sed aut meditentur quæ sancta sunt, aut certe silebunt. » Serapion et alii abbates in sua Regula : « Nec alicujus audiatur sermo, nisi divinus, qui ex pagina (sacra) proferatur. » Si quis ergo loquitur, inquit Apostolus, quasi sermones Dei.

[b] *Quando autem reversi fuerint.* Reliqua hujus capitis sumpta sunt ex Regula S. Pachomii, art. 34.

[c] *Nullus monachorum.* Exstat in Regula excusa S. Isidori, cap. 23.

[d] *Præsumere.* Id est, ex suo arbitrio facere.

[e] *Vel præpositus.* Particula *vel* hoc loco sumitur copulative.

[f] *Vel quarumlibet rerum dispensatores.* Optima institutio, ut non solum hebdomadarii, sed etiam præpositi, decani, cellerarii aliique officiarii, data in ecclesia benedictione, promoveantur.

[g] *Vel ad possessionem.* Possessio est villa, curtis, vicus. Lex Salica, tit. 56, § 4 : « Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in casam vel ubicunque miserit aliquid, quod furatum est, nesciente domino, cujus possessio est. » Et lib. V Capitul., tit. 169 : « Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi mittuntur. »

[h] *Adolescentuli autem et nuper conversi.* Optima institutio, et valde notanda propter rationes allatas : tum etiam, ut semper intersint communibus exercitiis, ne cito desuescant, et tandem torpescant.

[i] *Propter scandalum scilicet et perturbationem infirmorum.* Quæ suboriri possent ex remissiori vita peregrinorum monachorum.

[j] *Nam et fratres.* Hæc sumpta sunt ex eodem capite 28 Regulæ Magistri, cui titulus est : *De diebus jejuniorum vel hora refectionis*, paulo post medium, ut apparet ex eadem Regula cod. Corb.

[k] *Ne occupati fratres.* Est nominativus absolutus loco ablativi absoluti.

[l] *Mansionem prætendat.* Id est, anticipet tempus mansionis, ut non possint ante lucis defectum ad illam pervenire.

[m] *Vernale.* In Regula ms. *binale*, pro *vinale*, id est, *venale*, ut supra *vidunt*, pro *venduni*. Itaque legendum puto, *venale*, ut in cod. Vind.

[n] *Cum nihil sibi.* Ita in Regula ms.; sed particula *cum* redundat, et legendum, *cibi* pro *sibi*.

[o] *Distractionis ad quæstum.* Id est, venditionis quæstum; adquæstus pro quæstu. Gallice, *acquêt*.

[p] *Dejejunatum jam fratrem.* Id est : *Qui jam refecisset.* Gallice : *Qui aurait déjà déjeuné.* Sensus autem omnium horum verborum est : Si ad seram, finito cum jejunio die, nulla refectio superest monachis, ac propterea nihil lucri ab eis speraret caupo, nollet eos suscipere; ac proinde ut susciperentur, iterum reficere cogerentur, et sic jejunii legem violarent.

[q] *A nullis lucris.* Lege, *Nullius lucri*, præpositione expuncta.

[a] Aliis vero diebus extra quarta, sexta et sabbato, in diebus minoribus, sexta hora ad refectionem, in via [b] repausent et sera cœnent propter viæ laborem. A Pascha vero usque Pentecosten, exceptis missis in longinqua via, in monasterio vel ubivis sexta semper hora reficiant, et cœnas suas mutent in prandiis, dicente sancta Scriptura : [c] *Non licet vobis jejunare cum sponsus vobiscum est*, et non cœnent, nisi quinta feria et Dominica. Nam ideo omni tempore [d] quinta feria non licet jejunare, quia [e] ascensa Domini ipso die omni tempore occurrit. Dominica vero die non licet jejunare, quia resurrectio Domini imputatur, quod in libris suis fieri prohibet S. Sylvester. Nam ideo a Pascha usque Pentecosten non licet jejunare, quia sabbatum Paschæ claudit tristitiæ jejunia et aperit lætitiæ alleluia, et sabbatum Pentecostes claudit alleluia et aperit jejunia. Sed [f] ecclesiis clauditur alleluia. Nam monasterio, quasi in peculiari servitio Dei alleluia usque ad Epiphaniam per [g] modum psalmorum constitutum [h] aperta a servis Dei psallitur Domino.

§ XXIV. — *Item* (*cap.* 57).

[i] Frater qui [i] pro actibus monasterii mane missus fuerit, et qui propter occupationem viæ [k] a prima usque ad tertiam in hieme, sive a nona usque ad vesperam in æstate, legerit; si sub eodem die monasterium reversus fuerit, quavis hora redierit, prandeat; aliquantulum tamen legat [l] aut meditetur, ut Regulam ipso die videatur implere. Si vero in viam longiorem dirigatur codiculum modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio secum portet, ut quavis hora in via [m] repausaverit, aliquantulum tamen legat : ita tamen si fuerit [n] psalteratus. Si vero non fuerit, [o] tabulas a majore superpositas psalmis secum portet, ut ad refectionem prandii, aut [p] ad mansionem cum applicaverit, aliquantulum, [q] quantum occurrerit, tamen meditetur, ut quotidie Regulæ reddat quod suum est. Ita et frater qui adhuc litteras discit, tabulas superpositas a majore de monasterio secum portet; ut si cum litterato vadit, ipse cum se ad refectionem aut mansionem applicaverit, cum eo tamen, aut solus aliquantulum, quantum occurrerit, meditetur, ut supra diximus, aut ad prandium aut mansionem aliquantulum tamen meditetur, ut videatur quotidie consuetam regulam adimplere. Item frater qui pro actibus monasterii aut noluerit ire, aut certe ambulans murmuraverit, vel cum aliqua tarditate exire voluerit, si placuerit abbati, jam non mittatur, et statim excommunicationis pœnam suscipiat, et sciat se adeptum superbiam præceptioni repugnare divinæ; ideo divinæ, quia dicit Dominus doctoribus nostris : [r] *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Applicantes vero in via ad mansionem fratres tali loco

[a] *Aliis vero diebus extra quarta, sexta et sabbato.* Ita in Regula ms. et isti ablativi sumuntur veluti adverbialiter.

[b] *Repausent.* Id est, reficiant. Sumitur active a Cassiano coll. XVIII, c. 14.

[c] *Non licet vobis jejunare, cum sponsus vobiscum est.* Matth. IX, Marc. II, Luc. V. Profert autem sensum Scripturæ hic Magister, non verba. Dicit autem sponsum esse nobiscum in his diebus quinquagesimæ Paschalis, quia Christus post resurrectionem illis diebus conversatus est cum apostolis, licet non integris ob ascensionem, quæ facta est die quadragesimo. Sed hic sumitur major pars pro toto.

[d] *Feria quinta non licet jejunare.* Ex institutione Melchiadis papæ, ut supra notatum est. Sic beata Genovefa tota hebdomade jejunabat, exceptis Dominica et feria quinta, ut in Actis ejus habetur.

[e] *Ascensa Domini.* Ita in cod. Vind. Ascensa est ascensio, ut in Sacramentario S. Gregorii, *In Ascensa Domini*, et paulo post, *Dominica prima post Ascensam Domini.* Ita etiam in Aimonis sermone ms. bibl. S. Germ. a Pratis ; *In Ascensa Domini*, etc. Sic *missa* pro *missio*, *remissa* pro *remissio*. Tertullianus, lib. IV contra Marcionem, cap. 18 : « Diximus de remissa peccatorum. » S. Cyprianus, epist. 10 : « Qui blasphemaverit Spiritum sanctum, non habet remissam. » Et epist. 59 : Gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur. » Sic defensa est defensio, id est, vindicta. Tertullianus, lib. II contra Marcionem : « Ut quia durissimo et infideli in Deum populo longum vel etiam incredibile videretur a Deo exspectare defensam edicendam postea per prophetam : *Mihi defensam, et ego defendam, dicit Dominus.* » Sic resona est resonatio : Glossæ veteres, *Resona*, ἀχώ, id est, echo. Mina, minatio. Glossæ Arabico-Latinæ dictæ : *Mima, mimatio bestiarum ;* lege *mina, minatio.* Unde subjungitur, *minabamur*, id est, *minabamus.* Proba, probatio. Cod. Theod. lib. VI, tit. 31 : « ut ab stratoribus unus tantum solidus probæ nomine peteretur. »

[f] *Sed ecclesiis*, etc. Clericorum et canonicorum videlicet. Nam ecclesiæ sunt clericorum et canonicorum proprie, oratoria monachorum.

[g] *Modum.* Id est, numerum. Ita in eadem Regula, cap. 35, in lemmate *de modo psalmorum, vel numero*, et postea in eodem capite quot psalmi singulis horis decantandi sint, instituitur. In Cod. Theod. l. supra citata : « Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios facimus. »

[h] *Aperta.* Ita in Regula ms. Magistri cod. Corb. Refertur ad *alleluia* (quod vocabulum Magister hoc loco femininum facit) et opponitur verbo *clauditur.*

[i] *Frater qui.* Habetur in Regula ms. ejusdem Magistri cod. Corb., eodem cap. 57.

[i] *Pro actibus.* Id est, pro negotiis.

[k] *A prima usque ad tertiam in hieme.* Quia juxta hujus Magistri Regulam in hieme fratres legunt a prima ad tertiam, in æstate a nona ad vesperam, ut habetur cap. 50 ejusdem Regulæ.

[l] *Aut meditetur.* Meditari hoc loco est legere, idemque significat toto hoc capite. Nam hic agitur tantum de lectione sive in mensa sive extra mensam, non de oratione mentali. Vult enim hic Magister ut fratres in via directi legant, et ferant codicillos seu tabulas, ut videantur quotidie Regulam implere.

[m] *Repausaverit.* Id est, refectionem sumpserit.

[n] *Psalteratus.* Qui Psalterium didicit, litteratus. Vide quæ supra de hoc vocabulo notata sunt.

[o] *Tabulas psalmis superpositas.* Id est, codicillum in quo sint psalmi, ut illiteratus ille, et nondum psalteratus, aliquid meditetur de Psalterio.

[p] *Ad mansionem.* Id est, diversorium. Lex Burgundionum, tit, 38, § 3 : « De legatis vero extranearum gentium ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio contulerit. » Sic et mansiones militares Plin., lib. VI, cap. 23 : « A Copto camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis. »

[q] *Quantum occurrerit.* Id est, quantum licuerit.

[r] *Qui vos spernit, me spernit.* In resp. ms., *qui vos expernit, me expernit.*

lectum sibi eligant facere, qui sit semotus et mundus ; ubi digne super stratum leniter in nocte Deum memorentur. Nam et hoc præceptum abbatis vel præpositorum exeuntes in viam fratres accipiant, ut quotiescunque fratres spiritales positos visitent ; et cum eorum introierint cellas aut oratoria, orantes dicant hunc versum : [a] *Introivimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI). Exeuntes exinde orantes similiter dicant hunc versum semper : *Vias tuas, Domine,* [b] *notas fac mihi, et semitas tuas edoce me ; dirige me in veritate tua* (*Psal.* XXIV). Aut forte alium versum pro isto, si voluerint dicere : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* CXVIII). Ergo cum cœperint a monasteriis et cellulis spiritalium fratres nostri exire, prius oratorio valefaciant, [c] et item peculiariter pro egressu, quos in monasteriis suis vel cellulis derelinquant, se debere in sequenti Dei opere memorari, et sic ambulent. [d] Cum vero ecclesias nostri fratres intraverint, post orationem humilitatis Deo incurvati, erecti dicant hunc versum : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLIX). Et modice incurvati [in] orationem complentes sibi, sic exeant foras.

§ XXV. — *Item* (*cap.* 54).

[e] Ambulantes longo itinere fratres quarta, sexta, sabbato in hieme, hoc est, ab æquinoctio autumnali, quod est octavo Kal. Octob. usque in Pascha, in via ambulantes fratres ad vesperam reficiant. Nulla ratione hæc frangant jejunia. Ideo enim ad vesperam diximus, quia si nona volunt in die reficere, occupati in refectione brevibus horis prolongata, mansio eis clauso parvo die subducitur. [f] Sed qui tamen hæc in hieme non frangant jejunia, si [g] carricati in dorsis suis gravibus oneribus non vadunt. Nam tunc abbas fratres faciat reficere, considerata propensati me aut temporis, aut necessitatis, sive in hieme, sive in æstate, si gravia [h] gelicidia camporum, aut ferventes æstus viarum, aut montes excelsos [i] subire, aut grave sarcinarum pondus existimaverit, vel imbecillitates quorumdam impossibilitatis fratrum consideraverit : tunc refectos aliquid faciat de monasterio properare. In hiemis gravi algore calefactos, in ferventi æstate [j] temperatos in viam debet fratres dirigere.

§ XXVI. — *Item* (*cap.* 60).

[k] Considerans abbas fratrum debitum [l] quotidianæ mensuræ, necnon et longinquitatem itineris, vel moras agendi [m] actus, et perpensans substantiæ monasterii quantitatem in nummis et in his quæ cruda possunt portari, sufficientibus consuetæ mensuræ sumptibus aliquantulum [n] probare itineris magis, propter adjuncti forte in via collegæ vel socii charitatem quantum abbas voluerit, panis aut vini seu et aliarum rerum vel nummorum jungat mensuræ.

§ XXVII. — *Item* (*cap.* 63).

[o] Fratres spiritales [p] in via quando a se abscedunt, si vale sibi non faciant, [q] vel orationem communem offerant Domino, vel pacem sibi tradant, sciant se a charitate [r] excommunicatos discedere, usque dum se revideant, et charitatis inter se vinculum nectant ; sicut [s] in Vitas legitur Patrum : abscedens unus frater de partibus Orientis, veniens in partes Occidentis, rememoratus quod uni fratri vale non fecerat, [t] prætermissæ charitatis repedavit itinera, ut quod minus complevit in fratre perficeret. Unde debent ad hanc charitatem fratrum fratres esse solliciti.

§ XXVIII. — *Item* (*cap.* 66).

[u] Exeuntes in via fratres petant pro se orari, dicentes versum : *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me* (*Psal.* XXIV). Aut si voluerint, alium : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI). Semper enim versum quando exeunt, sive quando ingrediuntur, cum *gloria* explicent. Similiter et revertentes petant pro se orari dicentes hunc versum : *Introivimus in tabernaculum ejus, adoravimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI). Cum gloria. Vel quotiescunque [v] limen forum ultimarum monaste-

[a] *Introivimus.* Pro *introibimus*, *v* pro *b*.

[b] *Notas fac mihi, Domine.* Ita in Psalterio Romano.

[c] *Et item peculiariter pro egressu.* Hic desunt nonnulla, sed hoc modo supplenda ex Regula ms. : « Et item peculiariter pro egressu suo foris orent, et exeuntes ab eis nostri peregrini petant omnes quos in monasteriis, etc. » Sensus est : Cum fratres foras exeunt, orent, et petant ab eis quos derelinquunt ut sui memoriam faciant in sequenti opere Dei, seu officio canonico.

[d] *Cum vero ecclesias.* Nempe canonicorum aut clericorum, quas distinguit ab oratoriis monachorum.

[e] *Ambulantes longo itinere.* Reposui titulum omissum, ex Regula ms. cod. Corb.

[f] *Sed qui tamen.* Lege, *sed ita tamen*, ut in Regula ms.

[g] *Carricati.* Id est, onusti.

[h] *Gelicidia.* Id est, gelu.

[i] *Subire.* Pro *subituros* ; enallage.

[j] *Temperatos.* Id est, potos.

[k] *Considerans abbas.* Habetur in Regula ms. eodem cap. 6.

[l] *Quotidianæ mensuræ.* Quæ singulis fratribus quotidie datur.

[m] *Actus.* Id est, negotii.

[n] *Probare.* Lege, *pro labore*, ut in Regula ms. et cod. Vind.

[o] *Fratres spiritales.* Hæc habentur in Regula ms. cod. Corb., eodem capite 63.

[p] *In via.* Ita in Regula ms. ; sed subaudiendum videtur, *directi*.

[q] *Vel orationem communem offerant.* Ita in Regula ms. ; sed supplenda est particula *non*.

[r] *Excommunicatos.* Id est, separatos.

[s] *In Vitas Patrum.* Ita in Regula ms. quia hoc nomen, *vitas*, hac forma indeclinabile est, ut supra notatum est.

[t] *Prætermissæ charitatis.* Supple *causa*, *gratia*. Hellenismus.

[u] *Exeuntes in via fratres.* Exstat in Regula ms., eodem cap. 66.

[v] *Limen forum ultimarum.* In Regula ms., *limen forense ultimæ regiæ*. Ubi *forense* est a foribus, non a foro.

rii [a] egressus ingressusque frater fuerit, sine versu tamen petat pro se orari semper.

§ XXIX. — *Item* (*cap.* 77).

[b] Fratres quovis horæ tempore de via reversi ad monasterium fuerint, et fratres psallentes in oratorio invenerint, orantes mox psallant cum ipsis ; et [c] post psalmum expletum a psallentibus pariter voce universos petant pro se orari debere, ut videantur

[a] *Egressus ingressusque frater fuerit.* In Regula ms. deest τὸ *egressus*, non ita recte. Qui locus ita intelligitur, ut frater petat orationem, nullum versum proferens sive egrediatur, sive ingrediatur limen januæ ultimæ monasterii. Quod non repugnat initio hujus capitis, in quo præcipitur, ut exeuntes et ingredientes fratres dicant versum, nam hoc intelligitur, cum petunt orationem in ipso oratorio, sive pro egressu vel ingressu.

[b] *Fratres quovis horæ tempore.* Reperire est in Regula ms., eodem capite 67.

[c] *Post psalmum expletum.* Non dicit, post horam

A de ingresso limine forensi exterioris regiæ monasterii in petenda oratione Regulam adimplere. Et post [d] missas operis sancti in oratorio primo abbatem, deinde præpositos suos [e] vel omnes post regressum viæ ad pacem [f] accipiant.

§ XXX. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 6).

[g] Nemo sibi aliquid operis vel artificii pro suo libito eligat faciendum, sed in arbitrio senioris erit quod utile prospexerit, imperandum.

expletam, ex quo intelligitur ad finem cujusque psalmi, cum fratres in oratione prosternuntur, ejusmodi orationem a reversis fratribus esse petendam.

[d] *Missas.* Id est, collectas, seu expletum officium.

[e] *Vel omnes.* Particula *vel* hoc loco sumitur copulative.

[f] *Accipiant.* Id est, excipiant.

[g] *Nemo sibi aliquid operis.* Exstat in Regula S. Cæsarii eod. cap. 6. Hoc autem capitulum hic citatur ob illa S. Benedicti verba: *Vel quippiam quamvis parvum, sine jussione abbatis facere.*

CAPUT LXXIII.

SI FRATRI IMPOSSIBILIA INJUNGANTUR.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

Si cui fratri aliqua forte gravia aut [a] impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit [b] pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas ei qui sibi præest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in sua sententia [c] prioris imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, [d] et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

B

C

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 69).

Interrog. [e] Si licet alicui excusare opus, quod ei injungitur et aliud quærere. — *Resp.* Cum definitum sit mensuram obedientiæ usque ad mortem esse, qui devitat hoc quod ei injungitur, et aliud quærit, primum omnium obedientiæ reus est, et manifeste ostenditur

D

quia nondum negavit semetipsum. Deinde malorum multorum causa efficitur tam sibi quam etiam cæteris, quia auditum contradictionis pluribus aperit, et seipsum ad contradictionem insuescit; et cum non possint singuli discernere quod melius est et eligere, potest fieri, si talis est licentia ut aliquid deterius eligat. Tunc deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quod passione aliqua, [f] vel ad opus illud eligit, adstringatur, vel certe erga eos cum quibus id necesse est operari. Itaque omnimodo non obedire multorum malorum causa est et radix. Si autem ratio est aliqua, qua sibi recte excusare videatur opus illud quod excusat, exponat hanc ipsam causam huic qui præest; et relinquat ejus judicio, ut ipse probet, si [g] excusatione dignum est quod allegat.

§ III. — *Item ipse* (*cap.* 82).

Interrog. [h] Si licet unicuique vitare opus, quod

[a] *Impossibilia.* Id est, admodum difficilia. Hæc enim non physice, sed moraliter capienda sunt. Quæ quidem perfectam requirunt obedientiam, qualem suis discipulis optat S. Benedictus cujus beneficio onus quod ultra vires esse videbatur, Deo opitulante leve erit. In hoc maxime enituit obedientia monachorum Legerentium, quam ita describit sanctus Eulogius in epistola ad Willisindum Pampilonensem episcopum : « Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia, quæ omnium virtutum magistra est, vindicans, suos non patiebatur exsecutores degenerare, sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscunque munere suo illustraverat. » Neque est quod ex hoc loco suæ tyrannidi indulgendum censeant quidam rectores monasteriorum. Nam ejusmodi impossibilia rarius, probationis aut necessitatis causa tantum, imperanda sunt.

[b] *Pondus oneris.* Ita omnes mss. nostri, uno excepto. Ita S. Dunstanus, Turrecremata, et editio Coloniensis. In vulgatis τὸ *oneris* deest. In ms. S. Germ. p. et apud Smaragdum legitur, *operis.*

[c] *Prioris imperium.* Per Priorem hoc loco intelligit seniorem, quem juniori opponit, cum ait : *Sciat junior sibi expedire.*

[d] *Et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.* In cod. Vict. p. præpositio *ex* desideratur. In ms. S. Germ. ma. legitur : *Et de charitate confidens et de adjutorio Dei.* Vulgata nihilominus lectio prævalet, ut quis obediat ex charitate, id est, Dei amore impulsus de Dei auxilio confidens, non de sua charitate : nam qui de sua charitate consideret, præsumptionis notam non evaderet.

[e] *Si licet alicui excusare.* Exstat apud S. Basilium inter. 119 Reg. brev., et apud Ruf. cap. 42. *Excusare* hoc loco est recusare, ut supra notatum est.

[f] *Vel ad opus illud eligit.* Apud Rufinum, *vel ad opus quod eligit.* Lege, *vel ad opus illud, quod eligit.*

[g] *Excusatione.* Id est, recusatione.

[h] *Si licet unicuique.* Habetur apud S. Basilium interr. Reg. brev. 122, et apud Rufinum cap. 46.

gravius videtur? — *Resp.* Qui fideliter et puriter Deum diligit, et certus est [a] de tribulatione Domini, nec sufficere sibi putat ea quæ sibi injunguntur, sed semper augmenta operis quærit, et majora quam injunguntur desiderat et exoptat etiamsi supra vires videatur esse quod facit; nec aliquando securus est, tanquam opere non expleto, sed e contrario sollicitus est et anxius, tanquam qui nihil dignum præceptis evangelicis egerit, memor illius Dominici sermonis dicentis : *Cum autem feceritis omnia quæ præcepta sunt quæcunque præcipio vobis, tunc dicetis : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII). Sed et imitabimur Apostolum, cui cum mundus esset crucifixus, et ipse mundo, non erubescit dicere : *Quia ego meipsum nondum æstimo* [b] *apprehendere. Unum autem ea quidem quæ retro sunt obliviscens, ad ea autem* [c] *quæ inante sunt me extendens secundum propositum sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* III). Et qui cum haberet potestatem, ut Evangelium annuntians, de Evangelio viveret. *Magis in labore et fatigatione,* A inquit, *nocte ac die* [d] *operans vixi* (*I Cor.* VII). *Non quia non habemus potestatem, sed ut nos formam daremus vobis ad imitandum nos* (*II Thess.* III). Quæ cum ita sint, quis ita stultus est, vel infidelis, ut putet se majoribus quam debet, oneribus pergravari [e] cum in hoc, quod mensura poscit, nondum possit implere?

§ IV. — Ex Regula Cassiani (*cap.* 31).

[f] Illa enim vera obedientia est, quæ quamvis aliquid difficile ei imperetur, [g] nihil tamen discutiens sine aliqua cordis hæsitatione perficere nititur et consummare quod jussum est, et pro reverentia senioris nihil de impossibilitate aut stultitia præcepti dijudicat, sed plena fide ac devotione quidquid dictum fuerit, non tanquam ab homine, sed tanquam a Deo sibi suscipit imperatum. Ita enim omnibus virtutibus præferre debet obedientiam, ut huic omnia postponantur, et universa dispendia monachus subire contentus sit, dummodo hoc bonum in nullo violare videatur.

[a] *De tribulatione.* Lege : *De retributione;* ita apud Rufinum, et textus Græcus postulat. Τῆς παρὰ τοῦ Κυρίου μισθαποδοσίας, id est, de remuneratione Domini.

[b] *Apprehendere.* Ad Philippenses III. Ita apud Rufinum, in Vulgata interpretatione, *comprehendisse;* textus Græcus idem sonat, καταλήφναι.

[c] *Quæ inante.* Inante, id est, antea, ut apud Rufinum legitur; in Vulgata editione : *Quæ sunt priora.*

[d] *Operans vixi.* Ita apud Rufinum. In Vulgata editione, *operantes,* ut in textu Græco Apostoli, ἐργαζόμενοι, quemadmodum etiam in textu S. Basilii; at illud, *vixi,* non reperitur.

[e] *Cum in hoc quod mensura poscit.* Præpositio *in* redundare videtur. Apud Rufinum : *Cum hanc quoque mensuram,* etc. Sed hoc ultimum membrum in textu Græco desideratur.

[f] *Illa enim vera obedientia est.* Hæc sumpta sunt ex capite 10, libr. IV, de Institutis Renuntiantium.

[g] *Nihil discutiens.* Quia obedientia simplex et cæca esse debet nihil dijudicando, sed mandatum simpliciter et humiliter amplectendo. Idem Cassianus collat. 18, cap. 3 : « Cæterum nunquam rationem veritatis intrabit, quisquis a discutione cœperit erudiri : quia videns eum inimicus suo potius quam Patrum judicio confidentem, facile in id usque propellit ut etiam illa, quæ maxime utilia atque saluberrima sunt, superflua ei videantur et noxia. » Unde B. Antiochus, homil. 39, ita obedientiam præclare definit ὑπακοὴ οὖν ἐστὶν ἀδιάκριτος πεῖθώ, id est, « obedientia est sine dijudicatione persuasio. »

CAPUT LXXIV.

UT IN MONASTERIO NON PRÆSUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Præcavendum est, [b] ne quavis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in monasterio, [c] aut quasi tueri : [d] etiamsi quavis consanguinitatis propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id a monachis præsumatur : quia exinde gravissima occasio [e] scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

§ II. — Ex Præceptis sancti Pachomii.

[f] Qui consentit peccantibus, et defendit alium

[a] *Præcavendum est.* Ita in nostris mss. et apud Smaragdum; in cod. Vict. p., *Cavendum est;* in vulgatis cum S. Dunstano : *Summopere præcavendum est.*

[b] *Ne quavis.* Vict. p., *ne qualicunque.*

[c] *Aut quasi tueri.* Ita loquitur quia plus est tueri quam defendere; nam tueri est servare, custodire. Nonius, cap. 4, in tutelam accipere a curando et tutela. Varro libr. VI de Ling. Lat.: at defendere non item, etsi interdum hæc duo verba confundantur. Particula *quasi* abest a ms. S. Germ., quemadmodum et hæc verba, *in monasterio.* Hæc autem defensio ita capienda est, si nempe injusta sit, et contra veritatem : alioqui potest quis innocentem defendere, humiliter tamen et non proterve.

[d] *Etiamsi quavis.* Ita vulgo habetur. At in cod. S. Far. Ebr. Vict. ma. ut apud Smaragdum et S. Dunstanum legitur, *qualibet.*

[e] *Scandalorum.* Id est, jurgiorum, rixarum, contentionum. Hoc autem malum defensionis mutuæ in monasteriis præcipue manat a clandestina illa quorumdam monachorum familiaritate, quæ, ut supra monuimus, universam pessumdat disciplinam et observantiam.

[f] *Qui consentit.* Hic minime notatur numerus articuli : nihilominus hic habetur textus in Regula S. Pachomii excusa, art. 909; hic autem locus, usque ad illa verba *quod si per ignorantiam,* habetur in decreto Ivonis p. 14, cap. 110, et apud Burchardum libr. II, cap. 4, sub nomine S. Basilii, et 11, qu. 3, cap. 6, sub nomine S. Isidori; sed male.

delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione severissima. [a] Quod si per ignorantiam deceptus est, et non ita putavit, ut verum est, ignoscatur ei. Et omnis qui peccat per ignorantiam, facile accipiet veniam. Qui autem sciens peccaverit, sustinebit increpationem juxta mensuram operis sui.

§ III. — Ex Doctrina sancti Orsiesii.

[b] Si præpositus domus aliquem corripuerit ex fratribus, qui sibi subjecti sunt, erudiens eum in timore Dei, et cupiens ab errore corrigere, et alius voluerit pro eo loqui, et eum defendere subvertens cor illius; qui hoc facit peccat in suam animam: [c] qui subvertit eum qui corrigi poterat, consurgentem dejicit in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decepit, errans ipse et alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter: [d] *Væ qui potum dat proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum* (*Habac.* II). *Væ qui errare facit cæcum in via* (*Deut.* XXVII); [e] *qui scandalizat quempiam de his qui credunt Deo : expedit ei, ut appendatur ei mola asinaria super collum ejus, et præcipitetur in mare* (*Matth.* XVIII) : quia subvertit, ut diximus, sublevantem se, et obedientem transtulit ad superbiam, et eum [f] qui in dulcedinem charitatis poterat ire, convertit in amaritudinem, et subjectum legibus monasterii malis consiliis depravavit, fecitque odisse illum, et constristari contra illum; qui eum docebat Domini disciplinam, lites serens inter fratres atque discordias, et non timens illud quod scriptum est : *Tu qui es, qui judicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit; stabit autem.* [g] *Potens est autem Dominus rursum statuere eum* (*Rom.* XIV). [h] Non ille potens est, qui verba Domini præteriit. Unde, fratres, magno opere devitemus alicujus mentem subvertere contra doctorem et monitorem suum; et meminerimus Scripturæ dicentis : [i] *Libera cor tuum a malitia ut salveris* (*Jer.* IV). Nec pro obedientia superbiam et contumaciam in cordibus nostris invicem seminemus. Qui enim timet Dominum, [j] si viderit fratrem suum errare et labi, magis debet monstrare quæ sancta sunt, et rectum iter ostendere : ut cum omni castitate et timore Dei incedens illam Salomonis exsequatur sententiam : [k] *Libera eos qui ducuntur ad mortem, et redimere de interfectione non cesses* (*Prov.* XXIV). [l] Ne dicas : Nescio hunc. Scito, quoniam Dominus corda omnium novit. Et Judas in Epistola sua loquitur : [m] *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes carnem commaculatam tunicam, caveamus hujuscemodi vestimentum,* [n] *induamus potius* [*ut*] *armaturam Dei*, ut possimus resistere contra insidias diaboli. [o] Non est enim nobis pugna contra carnem et sanguinem, sed adversus [p] principatus, et potestates, et adversus rectores [q] tenebrarum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI).

[a] *Quod si per ignorantiam deceptus.* Id est, si is qui aliquem defendit insontem existimans ignorantia facti deceptus est, ei ignoscatur.

[b] *Si quis præpositus domus.* Sequitur doctrinam Magistri sui Pachomii S. Orsiesius. Quid sit domus, et præpositus domus in monasterio S. Pachomii, cujus discipulus fuit S. Orsiesius, supra dictum est. In Cod. Vind. male hæc ascribuntur S. Basilio.

[c] *Qui subvertit.* Ita in libro Orsiesii edito, legendum tamen puto, *quia*, etc.; et paulo post ait : *Quia subvertit, ut diximus.*

[d] *Væ qui potum dat proximo suo.* Abacuc. II, juxta Septuaginta : Οὐαὶ ὁ ποτίζων τὸν πλησίον αὐτοῦ ἀνατροπὴν θολερὰν, καὶ μεθύσκων, id est, *væ qui potat proximum suum subversione turbida et inebriat.* Paulo aliter versio communis : *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians.*

[e] *Qui scandalizat quempiam.* Ita in Orsiesio edito, Matth. XVIII. In communi versione : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

[f] *Qui in dulcedinem charitatis poterat ire.* In edito : *Qui in dulcedine charitatis poterat ambulare.*

[g] *Potens est autem Dominus rursum statuere eum.* Ita in Orsiesio edito. In Vulgata editione : *Potens est enim Deus statuere illum;* ad Rom. XIV.

[h] *Non ille potens est.* Subaudi, *statuere eum.*

[i] *Libera cor tuum a malitia, ut salveris.* Hic locus exstat in cap. IV Jeremiæ; aliter in Vulgata versione hoc modo juxta Septuaginta : *Lava a malitia cor tuum, Hierusalem, ut salva fiąs.*

[j] *Si viderit.* In excuso Orsiesii libro : *Non viderit;* male.

[k] *Libera eos qui dicuntur.* Prov. XXIV in versione communi : *Erue eos, qui ducuntur ad mortem : qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.*

[l] *Ne dicas, Nescio hunc.* Ita in textu Græco ibidem; Ἐὰν δὲ εἴπῃς, Οὐκ οἶδα τοῦτον, γίνωσκε ὅτι κύριος καρδιὰς πάντων γινώσκει, id est, *si dixeris Non novi eum*, etc., his consonat textus Hebraicus. At discrepat versio communis. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.*

[m] *Et hos quidem de igne rapientes.* In edito Orsiesio hic locus ita citatur : *Et hos quidem de igne rapientes, et odio habentes commaculatam tunicam;* sed mutile. In communi versione ita habetur : *Illos vero salvate de igne rapientes, aliis autem miseremini in tempore, odientes illam quæ carnalis est maculatam tunicam.* In textu Græco sic : Οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες, μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Id est, *et hos quidem in timore salvate ab igne rapientes, et odio habentes carnalem commaculatam tunicam :* et ita hic locus apud Orsiesium legendus est. Putoque ita redditum ab ejus interprete, qui non sequitur Vulgatam interpretationem, sed textum Græcum, in quo nihil est quod respondeat verbis Latinis : *Aliis autem miseremini.* Itaque in codice Concordiæ pro *carnem*, legendum est *carnalem*, ut in textu Græco et communi versione satis manifestum est, vel potius *carnis*, ut in Cod. Vind. interpres non sequitur versionem Vulgatam.

[n] *Et induamus potius ut armaturam Dei.* Ad Eph. VI. Particula *ut* redundat. In textu Apostoli : *Induite vel armaturam Dei.* Sed locum connectit suo textui Orsiesius.

[o] *Non est enim nobis pugna.* In versione communi et in Orsiesio edito : *Non est enim nobis colluctatio.*

[p] *Principatus.* Ita apud Orsiesium; in communi versione, *principes;* in textu Græco, ἀρχὰς id est, principatus.

[q] *Tenebrarum.* In versione communi et in Orsiesio edito additur, *harum.*

§ IV. Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 28).

Interrog. [a] Quale judicium esse debet de his qui peccantes defendunt? — *Resp.* Ut mihi videtur, gravius ab illo, quod dixit Dominus : *Quia expedit illi, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, et,* [b] *præcipitetur in mare, quam scandalizet unum de minimis istis* (*Matth.* XVIII; *Luc.* XVII). Non enim jam correptionem ad emendationem, sed defensionem ad confirmandum peccatum suum suscipit qui delinquit. Sed et alios ad simile provocat malum : [c] ita ut conveniat et qui peccantes defendit, illud quod dictum est : *Quia si non ostenderitis fructus dignos pœnitentiæ, excidemini, et in ignem mittemini* (*Luc.* III). Vel rursum, quod a Domino dictum est : *Quia si oculus tuus dexter scandalizat te, ejice eum, et projice abs te : expedit enim, ut pereat unum membrorum tuorum, et non omne corpus tuum mittatur* [d] *in gehennam* (*Matth.* XV).

§ V. — *Item ipse* (*cap.* 120).

Interrog. [e] Si is qui facit voluntatem alicujus, [f] etiam particeps est, vel socius? — *Resp.* [g] Scire debemus Domino dicente : *Quia qui facit peccatum, servus est peccati*; et iterum : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis* (*Joan.* VIII). Scimus quia non solum socium et participem, sed dominum sibi ac patrem ascribit eum, cujus opus facit. Testatur autem de his Apostolus dicens : *Aut nescitis, quia cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obedientiæ ad justitiam* (*Rom.* VI).

[a] *Quale judicium esse debet.* Exstat apud S. Basilium interrog. 7 Reg. Brev., et apud Rufinum cap. 24.

[b] *Præcipitetur in mare.* Ut supra apud S. Orsiesium. In Græco textu ἐρρίπται εἰς τὴν θάλασσαν, quod idem sonat ; quæ quidem verba sumpta sunt ex cap. XVII Luc., cætera vero ex Matth. XVIII.

[c] *Ita ut conveniat illi quod dictum est.* Ita apud Rufinum, sed aliter in textu Græco, qui ita sonat apud S. Basilium : *Ex quo fit, ut nisi fructus dignos pœnitentia ostenderit, qui alium defendit in eum conveniat illud, quod a Domino dictum est : Quod si oculus tuus*, etc.

[d] *In gehennam.* Apud Rufinum additur : *Ignis ardentis.*

[e] *Si quis facit voluntatem.* Reperire est apud S. Basilium interr. 283; et apud Rufinum, cap. 62.

[f] *Etiam particeps est.* Lege per interrogationem, *Nunquid est etiam particeps?* ut apud Rufinum.

[g] *Scire debemus Domino dicente.* In textu Græco aliter. Εἰ πιστεύομεν τῷ Κυρίῳ λέγοντι, id est, « si credimus Domino dicenti. »

[h] Interrog. 46 Reg. brev., Rufinus, cap. cit.

[i] *Si quis errori.* Hic textus producitur a Smaragdo, qui illum attribuit cuidam Patri anonymo. in codice Vindocinensi jungitur superiori capiti S. Basilii, non ita recte, quia non exstat apud S. Basilium; habetur etiam apud Burchardum libr. XI, cap. 46, et Ivonem in Decreto parte IV, cap. 110, ex dictis S. Basilii, et quidem contractius, hoc modo : « Hinc et quidam sanctissimus Pater ait : *Si quis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem judicandum et excommunicandum.* » Et qu. XI, cap. 3, *Qui consentit*, ex S. Isidoro, in fine. Sed non exstat apud S. Isidorum. Ex quibus patet restituendam esse hanc sententiam Regulæ Orientalium, ut in hac concordia habetur.

§ VI. — *Item* (*cap.* 120 [h]).

Interrog. Si is qui consensit alterius peccato, si etiam ipse peccati reus est? — *Resp.* Hæc sententia manifesta est ex verbis in quibus ait ad Pilatum dicens : *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* (*Joan.* XV). Manifestum namque est ex hoc, quia et Pilatus acquiescens his qui tradiderunt Dominum peccatum habebat, licet minus quam illi, Ostenditur etiam hoc in eo, quod Adam acquiescit Evæ vel consentit, quæ acquieverat serpenti. Nullus enim ex ipsis aut innocens judicatus est, aut impunitus abscessit. Sed et ipsa Dei indignatio, quæ adversus eos habita est, hoc ipsum indicat. Cum enim Adam pro excusatione sua objecisset : *Quia mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, et manducavi. Quia audisti,* inquit Deus, *vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno, de quo præceperam tibi, ne manducares, maledicta terra erit in operibus tuis* (*Gen.* III).

§ VII. — Ex Regula Orientalium.

[i] Si quis errori [j] ejus consenserit, et [k] secundum duritiam illius magis consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se, [l] cum in hoc errore fuerit deprehensus, simili modo culpabilem judicandum.

§ VIII. — *Item, ex eadem Regula.*

[m] Qui consentit [n] peccatis et defendit alium delinquentem, malèdictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione severissima.

§ IX. — Ex Regula Patrum (*cap.* 5).

[o] Si quis vero de fratribus, [p] vel qui in oratorio sunt, vel qui in cellis consistunt, [q] errori fratris consenserit, culpabilis erit atque excommunicatione dignissimus.

[h] Interrog. 46 Reg. brev., Rufinus, cap. cit.

[i] *Si quis errori.* Hic textus producitur a Smaragdo, qui illum attribuit cuidam Patri anonymo. in codice Vindocinensi jungitur superiori capiti S. Basilii, non ita recte, quia non exstat apud S. Basilium; habetur etiam apud Burchardum libr. XI, cap. 46, et Ivonem in Decreto parte IV, cap. 110, ex dictis S. Basilii, et quidem contractius, hoc modo : « Hinc et quidam sanctissimus Pater ait : *Si quis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem judicandum et excommunicandum.* » Et qu. XI, cap. 3, *Qui consentit*, ex S. Isidoro, in fine. Sed non exstat apud S. Isidorum. Ex quibus patet restituendam esse hanc sententiam Regulæ Orientalium, ut in hac concordia habetur.

[j] *Ejus.* Apud Smaragdum, Burchardum et Ivonem legitur, *alterius*; quæ quidem lectio videtur plausibilior.

[k] *Secundum duritiam illius.* Hæc verba non sunt apud Smaragdum.

[l] *Cum in hoc errore fuerit deprehensus.* Hæc verba non exstant in causa citata.

[m] *Qui consentit.* Hic textus habetur etiam in Regula S. Pachomii excusa, art. 99. Producitur etiam a Smaragdo hoc capite, et apud Burchardum et Ivonem citatis capitibus : ex Basilii dictis, sed non exstat apud sanctum Basilium. Ibi causa citata producitur ex S. Isidoro : sed non exstat apud illum. Est igitur ex Regula Orientalium et S. Pachomii.

[n] *Peccatis.* Lege, *peccantibus*, ut apud S. Pachomium, tum in Regula excusa, tum in citata supra hoc capite; et etiam apud Smaragdum, Burchardum, Ivonem et causam eamdem. Ubi hæc sequuntur, quæ huc referri possunt : *Hinc et alius Pater ait : Si quis peccantem defendit, acrius quam ille qui peccavit coerceatur.*

[o] *Si quis vero de fratribus.* Hæc reperiuntur in secunda Regula ms. cod. Flor. cujus initium est : *Cum resideremus in unum.*

[p] *Vel qui in oratorio sunt*, etc. Per eos qui in oratorio sunt intelligit eos monachos qui simul habitant et conversantur. Ita loquitur, quia fuit olim quorumdam monachorum mos, ut dormirent in oratorio. In Pœnis Brevibus S. Basilio ascriptis, art. 16 : Εἴ τις τῶν ὑγιαινόντων ἔξω που κοιμᾶται τοῦ εὐκτηρίου, etc., id est, « si quis ex sanis dormiat extra oratorium, excommunicetur. » Per eos autem qui in cellis consistunt, intelligit reclusos.

[q] *Errori fratris consenserit.* In Reg. ms. legitur

§ X. — Ex Regula sancti Columbani (*cap.* 33).

[a] Defendere proximum vel consanguineum in monasterio nullo modo [b] permitti censemus. [c] Quid enim alium defendat, qui jam sibi non vivit, sed Christo, quem imitatus, manet crucifixus; qui propriam animam, ut uberius saluti jungeret, perdidit? Qui vero proprias perdidit voluntates, ut Christi in se voluntatem impleret, cur aliorum dicta defendat, qui propria crucifixit? Et si in veritate crucifixit, et non modo etiam, sed Christo vivit, cur in mundi A facinoribus labentes pro qualibet familiaritate defendat? Sit ergo ei æquus amor tam in consanguineo quam in [d] cætero fratre, qui ei sanguinis affinitate non jungitur. Maneat ergo in omnibus amor corde clausus: nec quemquam sub disciplinæ moderamine positum tueri studeat, [e] ne vitium defendendi in aliis dimittat. Sit ergo in arbitrio corrigentis, ut quos corrigit [f] sub amoris studio, [g] non propria implenda voluntate, sed vitia corrigendo inferat disciplinam.

Ejus errori consenserit, refertur ad antecedentia: *Correctus autem non audeat.*

[a] *Defendere proximum.* Hoc caput non exstat in Concordia ms. cod. S. Arnulphi Metensis; nec in Regula S. Columbani, quam habemus manuscriptam in codice Floriacensi; neque in edita quæ exiit ex bibliotheca cœnobii Bobiensis; neque in ea quæ B prodiit ex bibliotheca S. Galli opera Melchioris Haiminsfeldii Goldasti. Et quidem in Regula quæ ex Bobiensi cœnobio exiit, et ea quæ exstat in dicto codice Floriacensi sunt tantum novem capita, non computato Pœnitentiali, qui in codice Floriacensi habetur. In ea vero quæ edita est ex cœnobio S. Galli, sunt quidem quatuordecim capita; sed ea, nonnullis capitibus in alia divisis, non est aliis prolixior, imo contractior: quia in ea caput de oratione desideratur, ut taceam de Pœnitentiali, qui neque in ea exstat. Quamobrem nirum est hic citari caput trigesimum tertium Regulæ S. Columbani. Quod autem hujus capitis titulus quoad nomen S. Columbani, verus sit liquet ex Smaragdo, qui hoc totum fere caput citat sub nomine S. Columbani. Quoad numerum tamen capitis suspicor mendum esse, et hoc caput esse decimum ejusdem Regulæ, etsi in cod. Vind. idem sit numerus trigesimus tertius.

[b] *Permitti censemus.* Apud Smaragdum: *Permittimus.*

[c] *Quid enim.* Lege: *Ut quid enim*, ita apud Smaragdum.

[d] *Cætero.* Id est, alio.

[e] *Ne vitium defendendi.* Apud Smaragdum: *Ne vitium defendendo.* Sed retineo *defendendi*; ut sensus sit: Ne hoc alterius defendendi vitium malo suo exemplo in alios fratres traducat.

[f] *Sub amoris studio.* In cod. Vind., *Sub amaro studio.*

[g] *Non propria implenda voluntate.* Lege: *Non propriam implendo voluntatem.*

CAPUT LXXV.

UT NON PRÆSUMAT PASSIM QUISQUAM ALIUM CÆDERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit. [b] Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant. [c] Infantum vero usque quindecim annorum ætates disciplinæ [d] diligentia adhibeatur ab omnibus, et custodia sit. Sed et hoc cum omni mensura et ratione. [e] Nam in fortiori ætate, qui C præsumpserit aliquatenus sine præcepto abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subjaceat, quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, [f] alio ne feceris.*

§ II. — Ex Regula Ferreoli (*cap.* 21).

Ut monachus in monachum ira inflammatus, quod est turpissimum, manus injicere non præsumat; præter illos ad quos pertinet correctionis vel nosse modum vel tenere judicium: ne uno peccante cæteris præsumendi crescat audacia, et ita disciplinæ

[a] *Vetetur.* Ita in omnibus mss. nostris, et apud Smaragdum, Ruthardum, S. Dunstanum, Turrecrematam; ita in vetusta editione Parisiensi, Coloniensi, et Colinæi. Itaque illud membrum: *Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio*, est quoddam generale edictum ad sequenda stabilienda. In vulgatis legitur: *Ut vitetur.*

[b] *Peccantes coram omnibus arguantur.* Cum prius bis aut ter ab ipso rectore secreto admoniti fuerint, ut habetur cap. 23 Regulæ.

[c] *Infantum vero usque ad quindecim annorum ætates disciplinæ diligentia adhibeatur.* Ita in cod. Vind. et apud Smaragdum; id est, *disciplinæ infantum adhibeatur diligentia*, etc.; in aliis tamen nostris mss. atque etiam editis, item apud S. Dunstanum et Turrecrematam legitur: *Infantibus vero usque ad quintum decimum annum ætatis disciplinæ diligentia*; etc. ms. S. Farodis et editio Colinæi legunt, *ætatis suæ.*

[d] *Diligentia adhibeatur ab omnibus et custodia sit.* In vetusta editione Parisiensi: *Diligentia sit, et custodia adhibeatur ab omnibus.* Cum dicitur, *ab omnibus*, hoc de præpositis, decanis, sacerdotibus, diaconis, senioribus, aliisque intelligitur, qui ad eam ætatis maturitatem pervenerint, ut tempus rationem et modum discretæ correctionis cognoscere valeant; vel, ut loquitur S. Ferreolus: « Ad quos pertinet correctionis vel nosse modum, vel tenere judicium. » Nec puto fuisse unquam permissum iis, qui decimum septimum aut decimum sextum, imo et vigesimum ætatis annum vix attigerunt, passim pueros cædere. Hanc autem custodiam usque ad decimum quintum ætatis annum definiit S. Benedictus, quia tunc pueri incipiunt duci ac regi ratione. Per infantes autem intelligit pueros, et infantes proprie dictos.

[e] *Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit.* In editione Colinæi legitur: *Nam in fortiori ætate qui aliquatenus hæc præsumpserit.* Sed hæc editio multa addit Regulæ, quæ non habentur in codicibus mss. et excusis. Sensus autem hujus loci est ejusmodi: nam in majori ætate constitutos, qui aliquo modo præsumpserit cædere, etc.

[f] *Alio ne feceris.* Ita in ms. S. Germ. ma. *Alio*, pro *alii*, ut supra observatum. In veteri editione Parisiensi, *aliis ne feceris.*

ordine confuso irruptaque lege vivendi ipsius sacræ religionis per singulos jura perdantur. Quapropter quisquis taliter incontinens manibus invenitur, ita ut nesciat ab illicitis temperare, manus illæ, quas erexit in proximum, per longum tempus non solum jejunio, sed etiam operis assiduitate lassentur : ut deinceps ad Deum leventur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. Dandam tamen veniam decernimus, juxta ut abbas moderari voluerit, postulanti, si pœnitentia præmissa, etiam dum deprecatur, reatus sui, faciem lacrymarum effusione rigaverit.

§ III. — Ex Regula sancti Aureliani (*cap.* 13).

[a] Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat

§ IV. — Ex Regula Orientali.

[b] Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in monasterio. In qualicunque omnino arte quæ exercetur a fratribus, si quid perierit, et per A negligentiam fuerit dissipatum, increpetur a Patre minister operum, et ipse iterum increpet alium, qui opus perdiderit, duntaxat juxta voluntatem et præscientiam [c] principis : absque quo nullus increpandi habebit potestatem.

§ V. — Ex Regula Magistri (*cap.* 14) [d].

Infantulos vero usque quindecim annorum non excommunicari, sed præcipimus vapulare pro culpis, etc.

§ VII. — Ex Regula sancti Cæsarii (*cap.* 5)[e].

Si potest fieri, aut difficile, aut nullus unquam in monasterio infantulus parvulus, etc.

§ VI. — Ex Regula sancti Isidori (*cap.* 20).

[f] Cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad B virum quem elegerit Pater, sanctum sapientemque, atque ætate gravem, informantem parvulos non solum [g] studiis litterarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum.

[a] *Frater in fratrem.* Eadem verba citat Ivo Carnot. p. VI Decreti, cap. 292, ex concil. Ilerdensi, cap. 7. Idem statuit S. Cæsarius cap. 24 Regulæ : « Tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de sororibus ausæ fuerint, diabolo instigante, prorumpere aut ut furtum faciant, aut in se invicem manum mittant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant. » Disciplina autem in utroque loco S. Aureliani et S. Cæsarii est flagellatio, ut supra notatum est.

[b] *Qui minister est.* Operum videlicet quæ fiunt quotidie in monasterio, id est, qui præest operibus monasterii.

[c] *Principis.* Nempe monasterii, id est, abbatis ; C nam in Regula S. Pachomii, ex qua hæc Orientalis fere sumpta est, abbas passim appellatur princeps monasterii.

[d] Vide supra, cap. 39, § 6.

[e] Vide supra, cap. 46, § 3.

[f] *Cura nutriendorum parvulorum.* Hæc habentur in Regula S. Isidori excusa, eodem cap. 20.

[g] *Studiis litterarum.* Ergo pueri monachi sunt litteris imbuendi. Unde S. Cæsarius paulo ante citatus non vult suscipi in monasterium pueros, nisi qui litteras ediscere valeant. Horum Patrum neglecta doctrina propter operosam olim in monasteriis cantus, cæremoniarum et officiorum divinorum multiplicitatem, puerorum ingenia excoli desierunt, quia tempus et otium ad id non suppetebant : atque inde ignorantia, vitiorum mater et nutrix, atque etiam animorum ærugo acedia, ex ejusmodi rerum fastidio nata, universam monasteriorum disciplinam radicitus exstirparunt.

CAPUT LXXVI.

UT OBEDIENTES SIBI SINT INVICEM FRATRES.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, [b] sed etiam sibi invicem ita obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergo abbatis, [c] ut præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, [d] cui non permittimus [e] privata imperia præponi, de cætero omnes juniores [f] prioribus

[a] *Obedientiæ bonum.* Hoc caput multum confert ad observantiam, quia continet summam obedientiam et honorem. D

[b] *Sed etiam sibi invicem ita obediant fratres.* Quod etiam præclare monet Haymo Halberstattensis lib. II de Varietate, cap. 47 : « Invicem obedire debemus, sicut servi dominis, secundum quod præcepit Dominus, quia *Qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium novissimus et omnium servus ;* quibus addit, ut magis nos inclinet ad humilitatem : *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare :* sed et illud quod ab Apostolo dictum est, *Per charitatem spiritus servite invicem.* » Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti : « Oportet omnino ut obedientes sibi sint invicem, et ipsa obedientia, si recto corde ostendatur, Deo offertur. Ipsa est via quæ ducit ad vitam. Citius enim exauditur una oratio obedientis, quam decem millia contemnentis. »

[c] *Ut præpositorum.* In omnibus editis et mss. nostris legitur, *aut præpositorum ;* optima tamen lectio nostræ Concordiæ, nam rectum sensum efficit : per præpositos hoc loco intelliguntur tam præpositus quam decani.

[d] *Cui non permittimus.* In ms. S. Germ. ma., *quibus non permittimus*, male.

[e] *Privata imperia.* Id est, privatorum monachorum imperia, qui nullam præpositurum seu magisterium habent in monasterio ; nam privatus proprie ille est qui nullum gerit magistratum. S. Isidorus lib. VIII Orig., cap. 4 : « Privati sunt extranei ab officiis publicis. » Cornelius Fronto : « Privatum, non publicum, quia privatus non gerit personam publicam. » Apud Athenienses ἰδιώτης, qui nullum gerit magistratum, qui non est persona publica, ut videre est passim apud Demosthenem et Isocratem.

[f] *Prioribus.* Id est, senioribus, antiquioribus, præcedentibus dignitate vel officio, ut sunt presbyteri, diaconi, etc. Dicuntur etiam priores, qui ob vitæ meritum in altiori gradu et loco ab ipso abbate constituuntur. Degradati tamen, hoc est,

suis [a] omni charitate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus [b] reperitur, corripiatur. [c] Si quis autem frater pro quavis minima [d] causa ab abbate vel a quocunque priore suo corripitur quolibet modo, vel si leviter senserit [e] animos prioris cujuscunque contra se iratos vel commotos, quamvis modice, mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usquedum [f] benedictione sanetur [g] illa commotio. Quod qui contempserit facere, aut corporali vindictæ subjaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio [h] expellatur.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 64).

Interrog. [i] Quomodo invicem obaudire debemus? — *Resp.* Sicut servi dominis, secundum quod præcipit Dominus : *Quia qui vult in vobis esse* [j] *magnus, fiat omnium novissimus, et omnium servus* (*Marc.* x). Quibus addit, ut magis nos inclinet ad humilitatem : *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx). Sed et illud quod ab Apostolo dictum est : *Per charitatem spiritus servite invicem* (*Gal.* v).

§ III. — *Item* (*cap.* 13).

Interrog. [k] Si oportet omnibus vel quibuscunque obedire? — *Resp.* Eorum quidem qui imperant differentia vel diversitas non debet [l] impedire obedientium proposito; [m] quia neque Moyses intempe-

qui ob vitium suum in ultimum seu inferiorem locum deturbantur, non possunt dici priores eorum a quibus præceduntur.

[a] *Omni charitate.* In Vict. Ma., *Cum omni charitate.*

[b] *Reperitur.* In Vict. p., *Fuerit reperta.*

[c] *Si quis autem frater.* Circa hanc prostrationem hæc statuuntur 1 Add. Capitul. Lud. imp., tit. 13 : « Ut cum a quocunque priore suo increpatus quis eorum fuerit, *mea culpa* primo dicat; deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat, et tunc jubente priore surgat, et unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat. » Nota quia se non debet excusare junior, nisi rationem errati petat prior seu senior. Item in Epitome Ludovici imperatoris super Regulam S. Benedicti : « Si frater increpatur a majore priore qualicunque, aut ab alio quolibet, aut certe a juniore reprehenditur pro alia qualibet re, cum summa velocitate cadens veniam postulet : quia hæc eadem humilitas Deo exhibetur, non homini, et si ex corde fuerit, cito indulgentiam merebitur. » Ubi observa hoc decreto statui ut etiam prior seu senior a juniore reprehensus in terram prosternatur, quod tamen a Regula non præscribitur. Porro non modo frater ab abbate suo aut præposito, sed etiam a quibuscunque prioribus et senioribus suis objurgatus se ejus pedibus provolvere debet, ut ex verbis Regulæ liquido constat : *Vel a quocunque priore suo corripitur quolibet modo, vel leviter senserit animos prioris cujuscunque contra se iratos.* Neque enim hæc de præposito, qui vulgo dicitur prior, possunt intelligi. Hæc autem præclara est institutio, quia juniorum petulantiam comprimit, qui ubi seniores spernere cœperunt, cito a vita religiosa deficiunt.

[d] *Causa.* Id est, culpa. Vide superius notata.

[e] *Animos.* Ita in cod. S. Germ. ma., vulgo in singulari.

[f] *Benedictione.* Id est, bona precatione, ut si dicat senior : *Benedicat te Deus*, vel quod simile.

[g] *Illa commotio.* In cod. Vict. p. deest τὸ *illa.*

[h] *Expellatur.* Adhibitis omnibus iis quæ supra statuta sunt.

A rans exstitit cognato suo Jethro (*Exod.* xviii), cum utilia moneret et justa. [n] Commotionum sane non parva est diversitas. Aliæ namque contrariæ videntur esse mandatis Dei, aliæ vero interrumpere mandatum vel contaminare illud videntur, aliæ vero ad expleudum id atque ædificandum veniunt. Necessarium ergo est meminisse apostolici præcepti dicentis : *Prophetias nolite spernere ; omnia probate, quod bonum est retinete : ab omni specie mala abstinete vos* (*II Thess.* v). Et iterum : *Cogitationes purgantes vel destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo* (*I Cor.* x). Si quid ergo est quod conveniat cum mandato Dei et animæ expediat, et hoc nobis
B ab aliquo fuerit imperatum, velut voluntatem Dei prompte ac libenter debemus accipere et explere, quod dictum est : [o] *Obtemperantes invicem in charitate Christi* (*Ephes.* iv). Sin autem contrarium aliquid mandatis Dei, vel quod ea corrumpere videatur aut contaminare, facere jubemur [p] aliquo, tempus est nos dicere : *Obtemperare oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v). Et rursum meminisse Domini dicentis : [q] *Alieni autem vocem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quoniam nesciunt alienorum vocem* (*Joan.* x). Sed et sancti apostoli momores esse debemus, qui ad nostram cautelam au-

[i] *Quomodo invicem.* Habetur apud S. Basilium, interr. 115 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 42.

[j] *Magnus.* Ut apud Haymonem Halberstatensem
C loco supra citato, et in textu Græco Evangelii, μέγας, in vulgata interpretatione, *major*, hic autem locus contracte citatur a S. Basilio.

[k] *Si oportet.* Habetur apud S. Basilium, interr. 114 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 14. Hic autem titulus contractior est quam apud S. Basilium.

[l] *Impedite obedientium proposito. Impedire*, id est, nocere, unde in textu Græco legitur ὀφείλει παραβλάπτειν, id est, debet nocere.

[m] *Quia neque Moyses intemperans.* Ita apud Rufinum. Sed lege : *Inobtemperans;* id textus Græcus παρήκουσε, quod idem sonat, et historia postulant. Et notanda est summa Moysis humilitas, qui, etiamsi cum Deo facie ad faciem loqueretur, non tamen hominis peregrini consilium aspernatus est ; ut discant rectores suorum consilia inferiorum non spernere.

[n] *Commotionum.* Lege, *commonitionum*, ut apud Rufinum.

[o] *Obtemperantes invicem in charitate.* Ad Eph. iv. Ita apud Rufinum. Nihilominus in versione communi,
D *Supportantes invicem in charitate*, juxta textum Græcum Apostoli : ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ.

[p] *Aliquo.* Lege, *ab aliquo.*

[q] *Alieni autem vocem non sequuntur.* Ita apud Ruf. ; nam in vulgata interpretatione Joan. x : *Alienum autem non sequuntur.* His autem locis docet S. Basilius non esse obtemperandum præcipientibus ea quæ cum lege divina pugnant. Itaque si videat inferior mandatum superioris manifeste legi divinæ adversari, nec tenetur, nec debet obtemperare : neque etiam talia imperari debent. Etsi Mutio imperatum legamus ut filium, et alteri ut se in ardentem clibanum projicerent, ipsos vero sine mora obtemperasse (*Cass. lib.* iv *de Instit., c.* 27; *Severus Sulp. l.* i *Dial., cap.* 13), et quædam alia similia; hæ tamen potius admiranda quam imitanda, nec facienda nisi ex peculiari motu Spiritus sancti, qui ne sequeretur homicidium, miracula edidit : aliorui homicidium nec imperandum, nec faciendum.

sus est ne angelis quidem parcere dicens : *Etiamsi angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Ex quo edocemur ut etiamsi valde vobis charus sit aliquis, etiamsi magnificus habeatur, et in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere quod a Domino præceptum est : vel rursum imperat fieri quod Dominus prohibuit, exsecrabilis debet esse qui ejusmodi est omnibus qui diligunt Dominum.

§ IV. — *Item* (*cap.* 25) [a].

Quali affectu vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat, etc.

§ V. — *Item* (*cap.* 24) [b].

Quali affectu quis debet suscipere correptionem, etc.

§ VI. — *Item* (*cap.* 25).

Interrog. [c] Qui tristatur adversus eum qui se increpat, qualis est? — *Resp.* Neque periculum peccati agnovit iste, maxime ad Deum, neque lucrum pœnitentiæ; nec credidit illi qui dixit : *Quia,* [d] *qui diligit, diligenter corripit* (*Prov.* XIII) ; sed se ipsum alienum facit ab illa utilitate, dicens : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* (*Psal.* X); sed et ad læsionem cæterorum iste talis permanet inter fratres, resolvit enim et impedit animos eorum qui possunt proficere.

§ VII. — *Item* (*cap.* 15).

Interrog. [e] Pœnitentem ex corde quomodo oportet suscipi? — *Resp.* Sicut Dominus ostendit, cum dicit : *Quia convocat amicos et vicinos dicens : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram* (*Luc.* XV).

§ VIII. — *Item* (*cap.* 72).

Interrog. [f] Si frater fratrem contristaverit, quomodo debet emendari? — *Resp.* Si quidem contristaverit, sicut Apostolus dicit, [g] *Contristati enim estis, ut in nullo detrimentum* [h] *pateremini ex nobis* (*II Cor.* VII). Non ille qui contristavit emendari debet, sed ille qui contristatus est, [i] [et] indicia ejus tristitiæ quæ secundum Dominum est, debet ostendere. Si vero indifferenter contristavit, id est, non secundum Deum, memor sit is qui contristavit Apostoli dicentis : *Si autem propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* (*Rom.* XIV). Et cum cognoverit tale delictum esse suum, impleat illud quod a Domino dictum est : *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris ibi quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare,* [j] *et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens* [k] *offeres munus tuum* (*Matth.* V).

§ IX. — *Item* (*cap.* 69).

Interrog. Quod si non acquiescit, ut satisfaciat? — *Resp.* Implere debemus in eo quod a Domino dictum est de eo qui peccavit et non egit pœnitentiam, cum dixit : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis et publicanus* (*Matth.* XVIII).

§ X. — *Item* (*cap.* 74.)

Interrog. Quod si, satisfaciente eo qui contristavit, noluerit reconciliari is qui contristatus est? — *Resp.* Manifesta est de hoc Domini sententia, quæ refertur in illa parabola de servo qui rogatus est a conservo suo, et noluit patienter agere : *Et videntes,* inquit, *conservi renuntiaverunt domino suo* (*Matth.* XVIII). Iratus autem dominus revocavit omnem gratiam quam concesserat debiti, et tradidit eum tortoribus usquequo redderet omne debitum.

§ XI. — *Item* (*cap.* 84.)

Interrog. [l] Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur? — *Resp.* Eo affectu quo esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti ; vel quo affectu [m] omnis homo suscipit ab aliquo ea quæ ad vitam pertinent : imo [n] et si quid amplius, pro eo quod multo est pretiosior futura vita quam præsens, sicut Dominus dicit : [o] *Quia mandata mea vita æterna sunt* (*Joan.* XII). Sicut ergo præsens constat in cibo panis, ita æterna vita constat in opere mandati, sicut ipse Dominus iterum dicit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, Patris* (*Joan.* IV).

[a] Vide supra c. 5, § 22.

[b] Vide supra, c. 5, § 23.

[c] *Qui tristatur.* Reperitur apud S. Basilium, interrog. 159 Regul. brev., et apud Rufinum eodem cap. 23.

[d] *Qui diligit, diligenter corripit.* Prov. XIII. *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui non diligit illum, diligenter erudit.* In varvis Bibliis mss. S. Germ., *instanter erudit.*

[e] *Pœnitentem ex corde.* Invenire est apud S. Basilium, inter. 8 Reg. brev., et apud Rufinum, cap. 24, apud quem est, *pœnitentes.* Sed in ms. legitur, *pœnitentem,* ut in textu Græco μετανοοῦντα.

[f] *Si frater fratrem contristaverit.* Habetur apud S. Basilium, interr. 40 Regul., et apud Rufinum, cap. 43.

[g] *Contristati enim estis.* Ita apud Rufinum : sequitur tamen in textu Græco Apostoli : κατὰ Θεόν, id est, *secundum Deum.*

[h] *Pateremini.* Lege, *patiamini,* ita apud Rufinum, et interpretatione vulgata.

[i] *Et indicia.* Particula *et* redundat.

[j] *Et vade prius reconciliari.* Ita apud Rufinum, sed lege et distingue : *Et vade prius, reconciliare ;* ita in versione communi ; ut in textu Græco : καὶ ὕπαγε, διαλλάγηθι, quod idem significat.

[k] *Offeres.* Ita apud Rufinum et in vulgata versione Matthæi ; sed in textu Græco, etiam apud S. Basilium ; imperativo, προσφερε, id est, *offer.*

[l] *Cum quali affectu.* Habetur apud S. Basilium, interr. 166 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 46.

[m] *Omnis homo.* Ita apud Rufinum. In textu Græco sequitur, ἀντιποιούμενος τοῦ ζῆν, id est, « cui vita chara est. »

[n] *Et si quid amplius.* Ita apud Rufinum. In textu Græco : μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέον, id est, « imo et multo amplius. »

[o] *Quia mandata mea vita æterna sunt.* In textu Græco S. Basilii : Ἡ γὰρ ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ, φησὶν ὁ Κύριος, ζωὴ αἰώνιός ἐστιν, id est, « Mandatum enim Dei, inquit Dominus, vita æterna est. » Sed paulo aliter in textu Evangelii : Ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν, id est, ut in versione communi : *Quia mandatum ejus vita æterna est ;* mandatum ejus est Patris sui, de quo ibi loquitur Christus. Itaque locum citavit S. Basilius ex memoria.

§ XII. — Ex Regula Patrum (*cap.* 7).

[a] Hoc etiam addendum fuit, ut frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur [b] patientiam habeat [c] et non respondeat arguenti, sed humiliet se in omnibus secundum præceptum [d] Domini dicentis : *Quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit* (*I Petr.* v) ; et, *Qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* xiv).

§ XIII. — Ex Regula cujusdam.

Ad primum verbum [e] discussionis senioris sive [f] œconomi, sive alicujus fratris, [g] venia petenda est, et tandiu in terra prostratus, donec senior discussionem consummaverit. Si autem senior discussionem iteraverit, et ipse [h] veniam iterare debet. Si quis [i] tardior ad veniam inventus fuerit, sive aliqua verba religioni contraria sive pro excusatione dilecti sui protulerit, mittendus est in carcerem ; et pœniteat secundum quod judicaverit senior, usquequo corrigatur. Si autem obstinatus invehitur, separandus est a fratribus.

§ XIV. — *Item ex eadem.*

Virtus obedientiæ expetenda est, et secundum uniuscujusque vires exercenda est : et ad primum verbum senioris omnes qui audierint ex fratribus, assurgere oportet ; et qui non surrexerit, veniam petat et pœniteat quantum judicaverit senior, et impleat quod jussum est, licet durum videatur. Obedientia usque ad mortem facienda, secundum exemplum Domini, qui factus est obediens Patri usque ad mortem. Et unumquemque oportet fratri suo servire sicut abbati proprio vel patri. Sicut Apostolus dicit : [j] *Servite invicem in timore Christi* (*Eph.* v). Et iterum : *Omnia vestra* [k] *cum charitate fiant* (*I Cor.* xvi).

§ XV. — Ex Regula Fructuosi (*cap.* 17).

[l] Quisquis frater pro qualibet negligentia vel reatu arguitur, vel excommunicatur, et tamen [m] humiliter veniam petit, vel confitetur lacrymabiliter, congrua ei remissionis et indulgentiæ medela tribuetur. Procaci autem et persistenti, atque per superbiam vel

[a] *Hoc etiam addendum fuit.* Hic textus habetur in Regula secunda ms. cod. Flor., cujus initium est : *Cum resideremus in unum in nomine Domini.* In cod. Vind. male scribitur in titulo : *Item capitulo quarto.*

[b] *Patientiam habeat.* In libello de rectoribus, Coloniæ edito, legitur : *Pœnitentiam habet ;* male in codice Corbeiensi : *Patienter habeat.*

[c] *Et non respondeat arguenti.* Se excusando nimirum, quod etiam vetat S. Columbanus in Pœnitentiali ms., « Excusans ad veniam, L percussionibus. » Et infra : « Cæterum, qui se excusaverit, non filius Dei spiritalis, sed filius Adam carnalis judicetur. » Et infra : « Si quis veniam non petit, aut dicit excusationem, duos dies unum paximatium et aqua. » Aut etiam contradicendo, quod etiam prohibet idem Columbanus ibidem : « Qui non cito ad portum requiei humilitatis Dominicæ confugerit, nimirum contradictionis aditum aliis aperiens in superbiæ verbo persistens, de libertate sanctæ Ecclesiæ in cellula ob pœnitentiam agendam separetur : usque dum bona ejus voluntas cognoscatur, atque per humilitatem denuo sanctæ congregationi inseratur. » Id etiam prohibetur in Pœnis brevibus, quæ vulgo S. Basilio tribuuntur. Art. 18 : Εἴ τις γένηται ἀπευλογίας, λυπηθεὶς ἀντιπαιδεύσει, τὸν παιδεύσαντα, ἢ ἀντιλέγων μὴ καταδέξηται, ἀφοριζέσθω. Id est : Si quis caruerit benedictione, et contristatus castigantem se rursus castigaverit, aut contradicens non susceperit, excommunicetur. »

[d] *Domini dicentis : Quia Deus humilibus dat gratiam.* Ita in Regula ms. tam Floriacensis, tam Corbeiensis codicis. Sed puto hos locos esse transpositos, et legendum : *Domini dicentis : Qui se humiliat, exaltabitur ;* et, *quia Deus humilibus dat gratiam, superbis autem resistit ;* ita ut hic ultimus locus, qui est I Petr. cap. v, non referendus sit ad illa verba, *Domini dicentis*, qui etiam est transposito membrorum ordine citatus : *Quia Dominus superbis resistit ; humilibus autem dat gratiam.* Ita in vulgata editione ; in textu Græco est, Θεὸς, id est Deus, ut in codice Concor iæ et citatis Regulis mss.

[e] *Discussionis.* Id est, redargutionis, reprehensionis, correptionis.

[f] *Œconomi.* Œconomus est qui bonorum et reddituum familiæ alicujus curam gerit, eaque pro necessitate et dignitate singulis distribuit et administrat. S. Isidorus Pelusiota lib. v, epist. 301 : Ἐπὶ οἰκονόμος εἴρηται παρὰ τὸ ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον νέμειν, ἢ παρὰ τὸ ἑκάστῳ τῶν ἐν τῷ οἴκῳ τὸ πρὸς ἀξίαν νέμειν, κ. τ. λ. Id est, « Si œconomus dictus est ab eo quod singulis id quod proprium est dividat, vel quod singulis qui in domo sunt pro dignitate distribuat, » etc. Œconomus monasterii est cellerarius. Ecclesiæ etiam suum habebant œconomum, cujus officium sic describit S. Isidorus in epist. ad Leudefredum episcopum Cordubensem : « Ad œconomum pertinet separatio [*Lege*, reparatio] basilicarum atque constructio, actiones ecclesiæ in judiciis vel in proferendo vel in respondendo ; tribuit quoque accepta et rationes eorum quæ inferuntur : cura et agrorum et culturæ vinearum, causa possessionum et servitiorum, stipendia clericorum, viduarum et devotarum pauperum, dispensatio vestimenti et victus domesticorum clericorum, servitiorum quoque et artificum ; quæ omnia cum jussu et arbitrio episcopi ab eo implentur. » Erant autem plures œconomi, et qui eis præsidebat, magnus œconomus dicebatur. De quo vide Joannem Meursium in Lexico Græco-Barbaro. In monasteriis etiam major fuit œconomus. S. Columbanus in Pœnitentiali : « Si quid præceperit abbas vel œconomus major. » Œconomus dicitur etiam vicedominus, de quo supra.

[g] *Venia petenda est.* Circa hoc notanda est doctrina beati Isaiæ abbatis orat. 3 : « Si quis te durius compellarit, ne extollas adversus illum cor tuum : sed operam da, ut illi satisfacias antequam animus tuus indignetur : ira enim ex studio provenit. Si aliqua in re, vel jure vel injuria ab aliquo reprehensus fueris, ne perturberis, sed pœnitentiam age : Ignosce, inquiens, mihi, non faciam amplius. »

[h] *Veniam iterare.* Id est, iterum petere.

[i] *Tardior ad veniam.* Supple *petendam.*

[j] *Servite invicem in timore Christi.* Ad Eph. v, ubi in vulgata editione legitur : *Subjecti invicem*, etc., ut in textu Græco, ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις, quod idem significat.

[k] *Cum charitate fiant.* I Cor. xvi, ubi in vulgata lectione juxta textum Græcum legitur : *In charitate fiant.*

[l] *Quisquis frater.* Habetur in Regula ms. S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis cod. grass. eodem cap. 17. In cod. Vind. male in lemmate ponitur, *Ex eadem Regula.*

[m] *Humiliter veniam petit.* S. Isidorus, cap. 16 Regulæ : « Qui sponte culpam confitetur quam gessit, veniam promereri debet quam expetit. »

controversiam deneganti, amplior et districtior animadversio [a] flagellorumque penuria irrogabitur.

§ XVI. — [b] Ex Regula Ferreoli (*cap.* 39).

Ad illos vero qui post correctionem impugnantes judicia seniorum nituntur excusare peccatum, et non ad pœnitentiam recordatione delicti, sed ad duritiam indignationis nimium migraverint, respicit ista [c] sententia : [d] ut quandiu a proposita intentione revocentur et [e] cum ore mentis manifesta emendatione deponant, secundum arbitrium abbatis arduæ omnino subjaceant [f] disciplinæ, quia non dixerunt, Peccatum meum ego cognosco; sed dixerunt quod [g] in Isaia propheta de rebellibus dicitur : *Nullus est qui agat pœnitentiam* [h] *super peccatum suum dicens : Quid feci* (*Jer.* VIII)?

§ XVII. — Ex Regula Aureliani (*cap.* 38).

[i] Si quis pro qualibet culpa aut transgressione Regulæ increpatur, aut [j] disciplinam accipit, arguenti respondere non præsumat, quia peccatum quod hic [k] distringitur [l] in æterna examinatione non punitur. Et sic debetis animæ [m] curam excipere, quomodo æger curam medici, tenentes illud sacræ Scripturæ : *Qui abjicit disciplinam, infelix est* (*Sap.* III); et illud : *Ego in flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVII).

§ XVIII. — Ex Regula Tarnatensi (*cap.* 5).

[n] Pro qualibet etiam culpa qualibet aspera fuerit increpatione correptus, respondere nefas judicet arguenti. Sed humiliando se emendationem delicti doceat secururam; quia Deus humilibus daturum se gratiam repromisit (*I Petr.* III).

§ XIX. — *Item* (*cap.* 8).

[o] Increpare junior non audeat seniorem : sed si extra Regulam [p] aliquid fieri aut factum esse cognoscit, abbati est aut præposito reservandum, ut correptione regulari quod reprehenditur, corrigatur. Quæcunque ab aliquo [q] absque testibus [r] ammittuntur, si ad abbatis notitiam [s] pervenerit, secretius emendetur. Si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus [t] amissi criminis arguendus.

§ XX. — Ex Regula sancti Columbani.

[u] Si cui injunxerit abbas aut præpositus de fratribus iter agere, ita observandum est, ut seniori junior obediat; si tamen rectum fuerit quod ei indicaverit, observare studeat. [v] Si quid præceperit abbas vel [x] œconomus major, et alius humilior iteraverit œconomus, ipse obedire debet, indicans tamen in silentio quod præceperit alius major. Infra monasterium vero [y] nullus tamen alio imperio præcellente imperet, nisi qui præest.

[a] *Flagellorumque penuria.* Ita in Regula ms. et eodem capite supra citato : ita ut *penuria* hoc loco severitatem atque acerbitatem significet.

[b] *Ex Regula S. Ferreoli.* In cod. Vind. legitur, *Ex Regula S. Fructuosi*, cap. 17, male.

[c] *Sententia.* Id est, judicium, condemnatio.

[d] *Ut quandiu.* Id est, *ut donec*, ut supra notatum est.

[e] *Cum ore mentis.* Locus corruptus, lege, *tumorem mentis;* sensus clarus est, *et tumorem mentis manifesta emendatione deponant*, ut in cod. Vindocinensi.

[f] *Disciplinæ.* Id est, flagellationis, ut supra notatum est.

[g] *In Isaia.* Aut lapsus memoriæ, aut error exscriptoris qui scripserit : *In Isaia* pro *in Jeremia;* nam locus habetur Jeremiæ octavo capite.

[h] *Super peccatum suum.* In versione communi, *super peccato suo.*

[i] *Si quis pro qualibet culpa.* Idem statuit S. Cæsarius Arelatensis cap. 11 : « Quæ pro qualibet culpa admonetur, castigatur, corripitur, respondere penitus non præsumat. » Hoc capitulum in cod. Vind. nullum habet titulum.

[j] *Disciplinam accipit.* Id est, flagellatur.

[k] *Distringitur.* Id est, punitur, coercetur; hinc districtio, animadversio, coercitio, districtus, severus, rigidus, districtum examen. Et districtus, territorium in quo quis districtionis jus habet. II de Feudis, tit. 54 : « Ad hoc quod allodium vendiderit, districtum et jurisdictionem imperatoris vendere non præsumat. »

[l] *In æterna examinatione.* Examinatio hoc loco est supplicium, pœna, damnatio.

[m] *Curam.* Id est, *curationem.*

[n] *Pro qualibet etiam culpa.* Lege : *Pro qualibet etiam culpa qui qualibet aspera fuerit increpatione correptus.* Quanta autem disciplina et correptio facienda sit, lege tractatum S. Cypriani de Disciplina, et sermonem S. Valeriani episcopi Cemeliensis de Bono disciplinæ. In cod. Vind. hoc capitulum attribuitur Aureliano. Male.

[o] *Increpare junior non audeat seniorem.* Optima institutio, ut non detur licentia junioribus spernendi seniores.

[p] *Aliquid fieri aut factum esse.* A seniore videlicet.

[q] *Absque testibus.* Id est, secreto, nullis videntibus. Rutilius in itinerario :

Quod soli nullo vivere teste volunt.

[r] *Ammittuntur.* Recta lectio, pro *admittuntur*, ut *ammirari* pro *admirari*, *ammonere* pro *admonere*, ut supra notatum est.

[s] *Pervenerit.* Nempe ille qui in Regulam peccavit.

[t] *Amissi.* Lege, *ammissi*, id est, *admissi.*

[u] *Si cui injunxerit abbas.* Hæc videre est in Pœnitentiali ms. S. Columbani cod. Flor.

[v] *Si quid præceperit abbas vel œconomus major.* Sensus est : Si abbas vel œconomus major præceperit aliquid, et alter œconomus infirmior iteraverit, id est, rursus aliud imperaverit fratri, ipse frater debet majori obedire, indicans illi submissa voce sibi aliquid imperatum fuisse ab abbate vel majore œconomo.

[x] *Œconomus major.* Per œconomum majorem hic videtur intelligi præpositus monasterii, qui secundus est ab abbate. Olim enim præpositi, ut supra notatum est, in multis monasteriis negotia exteriora tractabant tanquam œconomi, et necessaria monachis distribuebant.

[y] *Nullus tamen alio imperio præcellente imperet.* Id est, nullus ita imperet, ut velit mandatum suum abbatis imperio anteponi.

CAPUT LXXVII.

DE ZELO BONO QUEM DEBENT MONACHI HABERE.

§ I. — Ex Regula sancti Benedicti.

[a] Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitio et ducit ad Deum et ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi. [b] Id est, ut honore se invicem præveniant, [c] infirmitates suas, sive corporum, sive morum, patientissime tolerent : [d] obedientiam sibi certatim impendant. [e] Nullus quod sib utile judicaverit, sequatur, sed quod [f] magis alio; charitatem fraternitatis casto impendant amore : Deum timeant : [g] abbatem suum sincera et humili charitate diligant : [h] Christo omnino nihil præponant, qui ad vitam æternam perducat. [i] Amen.

§ II. — Ex Regula sancti Basilii (*cap.* 38). [j]

Interrog. Qualem debemus habere charitatem ad

[a] *Sicut est zelus amaritudinis.* Quia inter eos qui simul vivunt invidia facile obrepere potest, ideo hoc ultimo eam capite fugiendam monet S. Benedictus; proponit ergo duplicem zelum, unum malum, alterum bonum. Hic vero notandum zelum proprie apud veteres invidiam significare. Etymologici veteris auctor : Ζῆλος ὁ φθόνος, id est, « zelus invidia. » Dicitur παρὰ τὸ ζέω καὶ λίαν. Θερμὸς γάρ ἐστιν λίαν. Id est, « a verbo ζέω, id est ferveo, et λίαν, id est nimis, est enim invidia calida nimis, vel quod faciat animam ardere intus. » ἢ ἀπὸ τοῦ ζάλη ζάλος καὶ ζῆλος. ὁ γὰρ ζῆλος ζάλην ἐμβάλλει εἰς τὸν ἄνθρωπον· « vel a ζάλη, id est tempestas : nam invidia homini tempestatem immittit, » docet idem Etymologici auctor. Et recte sane quia invidus, semper furiarum facibus inflammatus, nunquam quiescit. Unde præclare S. Cyprianus eleganti illa oratione de zelo et livore : *Zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur : instat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit.* Nihilominus *zelus* in sacra Scriptura et sanctis Patribus est nomen indifferens, modo bonæ, modo adversæ significationis : bonæ, ut psal. LXVIII : *Zelus domus tuæ comedit me;* adversæ, I Cor. III : *Cum sit inter vos zelus et contentio.* Bonus zelus a S. Ambrosio lib. II de Officiis cap. 3, zelus Dei dicitur, malus vero humanus : « Sit ergo inter vos, inquit, Dei zelus, non iste humanus, quem invidia generat. » Ubi distinguit zelum humanum ab invidia, ita ut iste zelus addat aliquid invidiæ sitque vehemens quidam animi motus, quo quis inardescit adversus proximi bonum : quem S. Benedictus vocat zelum amaritudinis S. Jacobum secutus, qui in sua Epist., cap. 3, appellat, *zelum amarum.* Vulgo tamen ista vocabula confunduntur.

[b] *Id est, ut invicem se honore præveniant.* Octo enumerat effectus boni zeli, quibus docte explicatur in quo consistat ejusmodi zelus. Primus ergo est, ut fratres se invicem honore præveniant, quia invidus proximi sui honore maxime cruciatur.

[c] *Infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent.* Quia invidus, etsi semper malo lætetur alieno, tamen ex illo occasiones contentionum et rixarum quærit, nec unquam pacem habet cum proximo. « Hinc vultus minax, torvus aspectus, palior in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata, » inquit S. Cyprianus oratione citata. Sed qualis sit ejusmodi zelus satis declarat S. Jacobus capite citato : *Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.* At contra, juxta Apostolum : *Charitas omnia suffert, omnia sustinet,* et ex aliorum infirmitate proficit; quod præclare docet S. Leander, cap. 16 libri de Institutione virginum : « Etsi interdum pro varietate voluntatum oriatur quædam congregationi simultas, et nonnunquam murmuriis carnalium tristentur spiritales, non tamen deerunt, quas in actibus bonis imiteris. Et certe tolerare carnales probatæ virtutis est, imitari vero spiritales spei est maximæ. Erudiunt carnales spiritalium patientiam : et dant, quæ sanctæ sunt, bonarum documenta virtutum : ac sic animæ proficienti utræque sunt utiles, et quas patienter tolerat, et quas imitatur suaviter. *Libenter,* inquit Apostolus, *sustinetis insipientes, dum sitis sapientes* (*I Cor.* XI). Et ipse idem dicit : *Debetis enim vos, qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum sustinere, et non vobis placere. Unusquisque autem proximo suo placeat in bonum ad ædificationem* (*Rom.* XIII). » At contra invidus nihil ex aliorum virtute proficit, qui etiam ut ei virtus aliena multum officiat, efficit; alterius meritum in sui tormentum, medicamentum in venenum convertens, ut præclare docet S. Cyprianus oratione citata : « Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere; illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam; velut quosdam pectori admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent. » Et Prosper Aquitanicus lib. III de Vita contemplativa, cap. 5 : « Quis facile potest quale sit hoc malum verbis exprimere, quo invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine; cum potius amari homo debeat pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet pœna justa tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores. »

[d] *Obedientiam sibi certatim.* Ut cap. 17.

[e] *Nullus quod sibi utile judicaverit sequatur.* Quia charitas non quærit quæ sua sunt, inquit Apostolus, ac proinde non appetit aliena; nec alienæ invidet prosperitati, quæ non suam sed alterius quærit utilitatem.

[f] *Magis alio.* Ita in cod. S. German. ma.

[g] *Abbatem suum sincera et humili charitate diligant.* Quod non facit invidus, qui eo difficilius alteri subjicitur, quo magis alterius invidet honori : « Hinc vinculum pacis rumpitur, inquit S. Cyprianus oratione citata, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus. » Sincera autem charitas est verba non facta [verbo ac facto?] humilis, quæ cum timore conjuncta est, ut non degeneret in insulsam familiaritatem.

[h] *Christo omnino nihil præponant.* Quia malo zelo « magisterium Christi negligitur, » inquit S. Cyprianus supra.

[i] *Amen.* Deest in cod. S. German. ma.

[j] Interrog. 162 Regulæ; Rufin., cap. 31.

luxicem? — *Resp.* Qualem Dominus ostendit et docuit dicens : *Diligite invicem, sicut et ego dilexi vos, majorem autem charitatem nemo habet quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv). Si autem et animam poni oportet, quanto magis in aliis votum et studium debet ostendi, sine dubio non secundum humanas voluntates, sed secundum illum prospectum, in quo est commune omnium propositum placendi Deo.

§ III. — *Item* (*cap.* 39).

Interrog. [a] Quomodo poterit quis implere charitatem erga proximum? — *Resp.* Primum quidem metuens judicium prævaricantis mandatum Domini, quia ipse dixit : *Qui non crediderit Filio,* [b] *non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III). Tunc deinde velut cupiens ad æternam vitam pervenire, *Quia mandatum ejus vita æterna est. Primum autem et magnum mandatum est : Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua,* [c] *et ex tota anima tua* (*Luc.* x); *secundum vero simile illi : Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* xxii). Et si quis desiderat similis effici Domino dicenti : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut et dilexi vos* (*Joan.* xiii). Sed ex communi consensu sentire hoc debemus, quasi beneficium consequamur a fratre; in eo quod diligimus fratrem, A debitores ei efficimur, ut eo merito diligamus quod etiam inter gentiles observari solet, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? quia et peccatores et gentiles diligentes se diligunt* (*Luc.* VI). Si autem in aliquo vel lædit nos vel adversetur quis, hunc non solum propter mandatum, sed et propter hoc ipsum quod plus nobis præstat in quo lædit, diligere debemus. Si quidem credimus Domino dicenti : *Beati estis, cum exprobrabunt vos, et persequentur, et dicent omne malum adversum vos mentientes propter me : gaudete et exsultate, quia merces vestra magna est in cœlis* (*Matth.* v).

§ IV. — *Item* (*cap.* 40).

Interrog. [d] Quomodo intelligitur quis si zelo Dei moveatur adversus fratrem, aut a propria iracundia? — *Resp.* Si ad omne peccatum fratris, patitur illud quod scriptum est : [e] *Consumpsit me zelus domus tuæ, quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici.* Manifestus est enim in hoc Dei zelus. Verumtamen etiam in his oportet [f] prudenter omnia dispensari. Si ergo hunc affectum etiam antea non habuit in animo suo, motus suos sciat magis ex passione quam ex Deo descendere, et in nullo posse officium pietatis implere.

B

C

D

Quomodo poterit quis. Habetur apud S. Basilium, interr. 163 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 31.

[b] *Non habebit vitam.* Apud S. Cyprianum, lib. II contra Judæos, legitur, *Non habet vitam;* in textu Græco tamen, Οὐκ ὄψεται τὴν ζωήν, id est, ut in Vulgata editione : *Non videbit vitam.*

[c] *Et ex tota anima tua.* Luc. x. Hæc non sunt in textu Græco Basilii, sed *ex toto corde tuo, ex tota mente tua,* καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, id est, *ex tota fortitudine tua.* Sed ex locis Lucæ, Matthæi et Deuteronomii VI, unam confecit sententiam, citans ex memoria, non ex codice.

[d] *Quomodo intelligitur.* Habetur apud S. Basilium, interrog. 165 Regul. brev., et apud Rufinum, cap. 45. Nullus autem titulus erat in codice, sed reposui, juxta rationem quam auctor Concordiæ persequitur, in serie capitulorum S. Basilii.

[e] *Consumpsit me zelus domus tuæ.* Aliter in textu Græco, ἐξέτηξέ με ὁ ζῆλός σου, id est, *tabescere me fecit zelus meus.* Psal. CXVIII. Sed Rufinus initium hujus versiculi sumpsit ex psalmo LXVIII. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.*

[f] *Prudenter dispensari.* Ita etiam apud Rufinum; sed in textu Græco additur, πρὸς οἰκοδομὴν πίστεως, id est, « ad ædificationem fidei. »

S. BENEDICTI ANIANENSIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AD MONACHOS ANIANENSES.

Scripta in extremis.

[Mabill., *Act. ord. S. Bened.*, sæc. IV, pag. 216.]

Summæ in Domino beatitudinis ac felicitatis Georgio monasterii Aniani abbati, et cunctis filiis ac fratribus nostris bene et vigilanter sub norma Patris degentibus Benedicti, ultimus omnium abbatum Benedictus optat jam in extremis positus salutem.

Super omnibus igitur quæ meum ardent animum, et præ cunctis curam inquirunt rebus, hoc est quod de vestro maxime sollicitor vitæ regularis ordine. Nempe nequaquam ullo modo ignoro vos nobiliter desudare, et nostri fidelissime fore memores, neque ullo indigere adhortationis verbo. Verumtamen in ultimis constitutus, ignorans utrum jam vos videre queam, urgenti erga vos charitate animum, nonnulla tam per fideles verba amicos quamque per epistolas curavi dirigere. Denique ipsi nostis qualiter totis quantum valui nisibus, quandiu potui, et vitæ et exhortationis exempla monstravi sollicitus vobis. Nunc, fili mi [*Al.*, Filium Dei], precor, et per ipsum testor Deum, ut unanimes in charitatis nexu idem sitis sapientes, neque ullos, quos vel mecum adduxi, vel alicubi propter aliquod exemplum aut pro aliqua re misi, quasi habeatis extraneos : sed quicunque ad vos iterum ex illis reverti voluerit, et regulariter vobiscum versari, pie benigniterque velut fratres recipite, ut decet. Deo enim gratias, non deerit vobis corporale subsidium. Omnibus autem generaliter, maxime vero illis quos nobis in amicitia junctos nostis, diligentissimum semper attendite affectum, et ut potestis, aliis pauperioribus quæ supersunt vobis necessaria monasteriis ministrate. Abbati quoque Modario de monaste-

rio sancti Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, A ferte; et de his et de aliis, veluti in vita nostra, magis autem post mortem agite meam. Sicut ergo multa monasteria dudum vitiata jam aliquid emendationis a nobis accepisse videntur largiente Deo, ita omnimodis nunc cavete, ne (quod absit te posco, misericors Domine) sinistram viam. . . . . scilicet queant ullo tempore tenere. Monasterio vero Indæ velut fratribus estote juncti unicis. Helisacar quoque, qui præ omnibus super terram omni tempore vobis exstitit amicus fidelissimus canonicorum, et fratres ipsos in eo habetote semper loco, et ad eum semper sit refugium vestrum. Sed vobis ita nunc suggero, quia ignoro utrum in præsenti vos videam sæculo. Jam septimo Idus Februarii acerbissimo, dante misericordia Christi. . . tactus B verbere, nihil aliud quam ultimum celeri (*sic*) exspecto diem vocationis.

EPISTOLA II.

AD NIBRIDIUM ARCHIEPISCOPUM.

[Hug. Menard., *Conc. Regul.*]

Venerabili in Christo Patri [a] Nibridio archiepiscopo Benedictus ultimus omnium abbatum abbas sempiternæ felicitatis salutem opto.

[b] Eia, vir Dei, parcat modo charitas, ac dilectio, seu benevolentia, qua semper modo, in quantum potes, sive per temetipsum, seu familiares et amicos, [c necnon] per omnia monasteria, quocunque potueris transmittere, ut orationes tam in psalmis quam in missis pro me ad Dominum fundere non cessent, quia modo valde mihi necessarium est. Scito, Pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro, jam anima a corpore separatur, et in hac luce oculis corporeis te minime videre spero. Ille qui potest facere de immundo mundum, de peccatore justum, de impio justum, faciat nos pariter regno perfrui sempiterno, ibique cum omnibus sanctis cantare canticum novum. Supplico, *charissime Pater*, ut sicut [d] mercedem habuisti semper de fratribus, qui degunt in monasterio Aniano, ita semper, dum anima a corpore egredietur, melius ac B melius habeatis in vestra sancta dilectione. Omnes illis in partibus amicos, familiares, et propinquos commendo. [e] In monasterio quoque nostro totis nisibus, sic credo, facietis arguendo, obsecrando, increpando, ut libera voce cum Psalmista aliquando dicere valeatis: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.* Jam omnia in charitate et discretione agite; vosque Trinitas sancta custodiat, et præmia largiatur æterna. Amen.

[a] *Nibridio archiepiscopo.* Narbonensi. Fuit enim illis temporibus Nibridius archiepiscopus Narbonensis. Forte idem est cum Nibridio eremita, de quo supra agitur in Vita S. Benedicti Anianensis. Illius mentio fit in concil. Arelatensi sexto sub Carolo Magno. [c] Igitur cum hæc attentius agerentur, venerabiles missi gloriosissimi ac pissimi domini nostri Joannes Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, necnon et Nibridius Narbonensis sedis archiepiscopus steterunt in medio concilii. In Hispaniam profectus est ad convellendam hæresim Felicianam, ut videre est in epistola Alcuini ad illum, et alios, ubi male legitur, *Nefridio.*

[b] *Eia, vir Dei*, etc. Hac epistola S. Benedictus obitum sibi imminentem commendat, suosque amicos et monachos Anianenses. C

[c] *Necnon.* Redundat.

[d] *Mercedem.* Id est, curam.

[e] *In monasterio quoque nostro.* Aniano.

S. BENEDICTI ANIANENSIS OPUSCULA.

I.

Testimoniorum nubecula de incarnatione Domini, sancta et individua Trinitate et iteratione baptismatis devitanda pernicie.

(Baluz. Miscellanea sacra, tom. II, pag. 85.)

Benedictus filio Guarnario salutem.

Nubem hanc testimoniorum catholicæ fidei direxi tibi, quoadusque Domino favente redeam, tuæ memoriæ commendandam ne otio torpeas, sed magis magisque provectu orthodoxi dogmatis fulciaris, quo tibi et aliis mente ac spiritu sufficiens esse possis; quatenus de indicis sagaciter strenuus, juxta testimonium Joannis evangelistæ testis existens idoneus, refellendo scilicet detestandam Felicianam hæresem nuperrime redivivam, inquiens ita: *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quid ad hæc dicitis, insani, quia garritis Jesum Christum Filium non esse Dei, dum iste evangelista dilectus et a Deo electus dixerit hanc sibi esse occasionem scribendi hoc Evangelium ut crederent quia Jesus est Christus, Filius Dei; ille, inquam, qui ab angelo nuntiatus est, et nomen illi impositum est Jesus, dum venit ad virgi- D nem dicens: *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hic utique Jesus, qui natus est ex virgine Maria, Filius est Dei, sicut testatur iste evangelista, ut et omnes in hac fide vitam possint habere sempiternam in nomine ejus. Quid de vobis æstimandum est qui eum non creditis Filium esse Dei verum, sed adoptivum, nisi forte ut nunquam habeatis vitam æternam? Dicunt itaque assumptionem et adoptionem unum esse, et Jesum Christum, secundum quod homo est, propter assumptionem humanitatis necessario adoptivum esse, non intelligentes quanta est hæc absurditas quæ sequitur eos. Nam si adoptivus est propter assumptionem, igitur Filii persona adoptiva est, quia Filius assumpsit hominem; et est tunc nepos Deo Patri: quod quam impium sit

nullus æstimo fidelium ignorat; quod etiam abdicandi nævo in potiori nube testimoniorum, quam penes me habeo, plenius, cum venero, imo abundantissime lectitabis. Interdum et semper doceto Jesum esse Christum Filium Dei verum in utraque natura. Quia sicut Filius Dei vere est filius hominis, ita filius hominis vere est Filius Dei. Errare autem hæreticos hæc maxime causa facit, dum aut ignorant aut nolunt advertere in Domino Jesu Christo, sicut unam personam, ita esse duas substantias, Deum ex Deo Patre, et hominem ex homine matre, et quæ de se ipse Dominus secundum dispensationem carnis assumptæ loquitur deputant divinitati; ut est illud : *Pater major me est;* et illud : *Jesus fatigatus ex itinere;* vel illud : *Flevit Lazarum;* vel alia hujusmodi quæ leguntur. Quod si vellent, pulchre ostendit quod Deus ex duabus naturis est, advertere illud Apostoli, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;* vel illud Evangelii, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, non dubitarent, ut superius dictum est, confiteri in una persona duas esse substantias, et ubi audiunt, *Pater major me est*, secundum humanitatem acciperent; ubi vero audiunt, *Ego et Pater unum sumus*, secundum divinitatem dictum non dubitarent, sicut ex ejus operationibus datur intelligi.

Secundum hominem enim esurivit, ut veram carnem ostenderet. Secundum autem Deum de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, ut se Deum virtutibus approbaret. Secundum hominem sitivit, sed secundum Deum Samaritanam viva aqua refecit. Secundum hominem navem ascendit, sed secundum Deum siccis pedibus super mare ambulavit. Secundum hominem in navi dormivit, sed secundum Deum ventis et fluctibus imperavit. Secundum hominem in cruce pependit, sed secundum Deum paradisum latroni donavit. Secundum hominem passus mortem gustavit, secundum vero Deum semetipsum a mortuis suscitavit. Si hæc et similia vellent sapienter discernere, et unicuique substantiæ quod suum est deputarent, facile poterant rectæ fidei cursum tenere, et non pro ejus beneficiis, quæ pro nobis redimendis in forma servi suscepit vel passus est, divinitati ejus contumelias irrogarent, et ubicunque legunt in Scripturis secundum humanitatem aliquid quod minus loquatur divinitas, sed pro dispensatione carnis assumptæ hoc protestetur humanitas, naturæ unicuique propria recognoscerent, et divinitatis æquitatem derogare desisterent. Nam nos, sicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum usquam legimus, nec credere religiosa mente debemus. Sed ad hæc Arianus persistit et dicit : Fieri non potest ut non Filius minor Patre credatur. Apud homines ideo minorem filium generat pater quia et ipse minor est generatus a patre. Idcirco crescente filio pater senescit, et moriendo patre filius succedere comprobatur, et melior ac potentior patre nonnunquam efficitur. Apud Deum vero non ita est : quia ubi crescere vel senescere divinitas non habet, hoc est dignum ut filium dilectio habeat æqualem, quia non potest (pati) plenitudo minorem. Ideoque perfectus perfectum generat, omnipotens omnipotentem, plenus plenum. Et quia ætatis incrementum non habuit, minorem generare non potuit. Sed omnino qualis est Pater, talem et Filium esse cognosce, sicut ipse dicit : *Qui me videt, videt et Patrem;* et alibi : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Sed forte, quia audis missum, ideo putas minorem? Rogo te, Deum credis esse Filium, an non? Sine dubio responsurus es, Deum. Quia etsi tu negare volueris, sanctis Scripturis convinceris, dicente Apostolo : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* et Joannes in Epistola sua : *Ut simus*, inquit, *in vero Filio ejus, qui est verus Deus et vita æterna;* et Thomas : *Deus meus*, inquit, *et Dominus meus;* et Melchisedech summus sacerdos : *Benedictus*, inquit, *Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram.* Vides quia non solum Deus, sed Deus excelsus, Melchisedech vocibus comprobatur. Testis est et Osee propheta dicens : *Firmans cœlum et creans terram, ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cœli.* Si ergo Deus est Filius, imo quia Deus est, quia per ipsum facta sunt omnia, et non solum non minor sed excelsus Deus, interrogo te utrum Deus ubique sit, an forte localiter, cum impium sit negare quod ubique sit Deus. Et si ubique est, quæso te, ubi missus est? Sed missionem Filii incarnationem ejus intellige, ipso Apostolo exponente : *Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Denique de ipso legimus in Propheta : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus;* et evangelista : *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus.* Et si omnia ipse implet, ubi missus est cujus majestate plena sunt omnia? Sed adhuc forte dicis, sicut habet carnalis intellectus, inter gignentem patrem et genitum filium non potuisse fieri nisi ut aliquod fuisset spatium : spatium horæ faciunt, horæ tempus designant, ac sic si tempus anteponis filio, non omnia per ipsum facta fateris. Et ubi est illud : *Omnia per ipsum facta sunt.* Certe secundum tuam propositionem respondeo, qui dicis fuisse Patrem aliquando sine Filio. Utique legimus pariter in Apostolo, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et ipse de se Dominus loquitur : *Ego sum via, veritas et vita.* Si ergo fuit Pater sine Filio, sicut tu dicis, fuit sine virtute, fuit sine sapientia, fuit sine vita, fuit sine veritate. Sed quia sine his nunquam fuisse Pater credendus est, hoc convenit saluti tuæ ut juxta fidem catholicam consempiternum Patri et æqualem Filium fatearis, quia et virtus ejus legitur sempiterna, dicente Apostolo : *Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.* Similiter et de veritate ejus, dicente Psalmista : *Et veritas Domini manet in æternum.* Solent etiam istam velut quæstionis calumniam generare. In tantum, inquiunt, major est Pater ut priori semper nominetur loco. Etiamsi priori sem-

per loco nominaretur, valde videbatur esse conveniens; quia ex ipso est Filius, non ille ex Filio. Tamen ut æqualitatem agnoscas, audi in Scripturis, ubi etiam prior Filius nominatur. Joannes evangelista ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In Verbo itaque Filium indicavit. Et Apostolus ad Ephesios : *An nescitis quia omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei?* Ecce et hic priori loco Filius nominatur. Et ad Galatas Paulus apostolus : *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem.* Et ad Thessalonicenses : *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus Pater, qui dilexit nos.* Ad Corinthios : *Secundum gratiam Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis.* Et ipse Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus.* Non dixit, *Pater et ego.* Et alibi : *Qui me videt, videt et Patrem.* Et iterum : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ecce quoties priori loco Filius nominatur. Sed quia in Patre et Filio æqualitas est, nullum præjudicium nec ante nec postea nominatus alteri poterit exhibere; quia nulla est diversitas ubi est æqualis in utroque divinitas. Sed ideo sic legimus quia humana locutio aliter se non valet expedire nisi ut cum unum dixerit, sic alterum dicat. Ecce ut agnoscant quia ibi nihil majus minusve est, cesset quæstio de Patre anterius nominato : quia ubi una est substantia, una deitas, et incorporalis immensitas, nulla est disparilitas vel diversitas æstimanda. Ubi enim unus Deus creditur, ibi minor et major excluditur. Nescit enim numerum unitas, gradum non admittit æqualitas, sicut scriptum est : *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Et ideo auferat contentionem et teneat cum catholica inseparabilem Trinitatem sine permixtione conjunctam, sine separatione distinctam; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus Deus verus, plenus, et unus est. Ipsa enim per se ratio docet quia unus nec posteriorem recipit nec priorem, comparationem vel separationem nescit habere qui solus est, minor non potest esse qui plenus est; quia perfectioni nec addi quidquam nec minui post. Credantur ergo tres personæ, sed non tres substantiæ, tres proprietates, sed non tres potestates. Ita una sine principio sempiternitas, sicut una sine fine majestas. Sine auctore Pater, sine tempore Filius, sine majore Spiritus sanctus. Nos enim catholici Dominum Deum nostrum Jesum Christum et minorem dicimus Patri et æqualem; minorem propter humanitatem assumtam, quia, cum in forma Dei esset, formam servi induere dignatus est. Æqualem vero dicimus propter deitatis sempiternitatem, qua ex Patre parte existens Filius consempiternus est Patri. Quare ergo nobiscum non confitentur æqualem, cum nos illis non negemus minorem? præsertim cum utrumque utrique in Scripturis sanctis legimus, dicente evangelista : *Propterea,* inquit, *quærebant eum interficere Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Ecce impietas Judæorum dicit æqualem, et non veretur dicere Christianus minorem? Et alibi idem Evangelista ait : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Æqualis enim bonor nonnisi æqualibus exhibetur. Et alio loco idem dicit : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat.* Audi dicentem *quos vult,* et æqualem eum Patri ac suæ potestatis esse cognosce. Et non dicas eum minorem, quia nusquam in Scripturis sanctis id reperies, sed sicut ipse Philippo dicit : *Qui me videt, videt et Patrem, et omnia quæ Pater facit.* Vel illud : *Deus erat Verbum.* Et Apostolus, ut memoravimus : *Qui est,* inquit, *super omnia Deus benedictus in sæcula.* Non potest minor credi qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et alibi Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Quare hoc? Quia nemo rapit nisi quod non habet. Ille ergo qui habebat æqualitatem, non est arbitratus rapinam; sed quam rebellis angelus assumere voluit per rapinam, Christus possidet per naturam. Quia vero est verus Deus audi beatum Joannem dicentem in Epistola sua : *Et simus,* inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Audis verum Deum, et præsumis dicere minorem, et non confiteris æqualem. Dicit etiam beatus apostolus ad Titum : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Nescio qua fronte minor esse dicatur quem magnum Deum Apostolus profitetur. Hoc etiam perfidus error dicere solet, quod ubi in Scripturis legimus aut solum Deum aut solum altissimum aut solum sapientem, hoc non de Trinitate dici, sed de solo Patre accipi debeat : quod quam absurdum sit ita sentire de hoc uno testimonio convincatur. Dicit enim Apostolus : *Cognito soli sapienti Deo.* Non intelligunt quia non dixit *soli sapienti Patri,* sed *soli sapienti Deo,* quæ est Trinitas. Nam dum soli Patri hoc deputant, Filium insipientem blasphemant. Et quomodo eum Apostolus sapientiam Dei esse dicit si solus Pater est sapiens, cum nullus sapiens possit esse nisi per sapientiam suam? Et ubi est illud quod ad Colossenses idem Apostolus protestatur de Christo Jesu, *in quo sunt omnes,* inquit, *thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi?* Unde agnoscant quam stultum sit quod proponunt. Et ubicunque aliquid similiter legunt, non uni personæ deputant, sed beatæ Trinitati, quæ sola summus Deus et verus est. Nam et de Spiritu sancto sic dicit Apostolus : *Alii quidem datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum.* Si ergo per Spiritum sanctum, sicut verum est, et sapientiæ et scientiæ sermo donatur, quomodo solius Patris personæ hoc potest ascribi quod solus sit sapiens, nisi, ut dictum est, æque vere Trinitati ista conveniant? Solent etiam dicere : Ideo minor est Filius quia visibilis, Pater autem invisibilis. Non intelligunt quia nec Filius in sub-

nullus æstimo fidelium ignorat; quod etiam abdicandi nævo in potiori nube testimoniorum, quam penes me habeo, plenius, cum venero, imo abundantissime lectitabis. Interdum et semper doceto Jesum esse Christum Filium Dei verum in utraque natura. Quia sicut Filius Dei vere est filius hominis, ita filius hominis vere est Filius Dei. Errare autem hæreticos hæc maxime causa facit, dum aut ignorant aut nolunt advertere in Domino Jesu Christo, sicut unam personam, ita esse duas substantias, Deum ex Deo Patre, et hominem ex homine matre, et quæ de se ipse Dominus secundum dispensationem carnis assumptæ loquitur deputant divinitati; ut est illud : *Pater major me est;* et illud : *Jesus fatigatus ex itinere;* vel illud : *Flevit Lazarum;* vel alia hujusmodi quæ leguntur. Quod si vellent, pulchre ostendit quod Deus ex duabus naturis est, advertere illud Apostoli, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;* vel illud Evangelii, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, non dubitarent, ut superius dictum est, confiteri in una persona duas esse substantias, et ubi audiunt, *Pater major me est*, secundum humanitatem acciperent; ubi vero audiunt, *Ego et Pater unum sumus*, secundum divinitatem dictum non dubitarent, sicut ex ejus operationibus datur intelligi.

Secundum hominem enim esurivit, ut veram carnem ostenderet. Secundum autem Deum de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, ut se Deum virtutibus approbaret. Secundum hominem sitivit, sed secundum Deum Samaritanam viva aqua refecit. Secundum hominem navem ascendit, sed secundum Deum siccis pedibus super mare ambulavit. Secundum hominem in navi dormivit, sed secundum Deum ventis et fluctibus imperavit. Secundum hominem in cruce pependit, sed secundum Deum paradisum latroni donavit. Secundum hominem passus mortem gustavit, secundum vero Deum semetipsum a mortuis suscitavit. Si hæc et similia vellent sapienter discernere, et unicuique substantiæ quod suum est deputarent, facile poterant rectæ fidei cursum tenere, et non pro ejus beneficiis, quæ pro nobis redimendis in forma servi suscepit vel passus est, divinitati ejus contumelias irrogarent, et ubicunque legunt in Scripturis secundum humanitatem aliquid quod minus loquatur divinitas, sed pro dispensatione carnis assumptæ hoc protestetur humanitas, naturæ unicuique propria recognoscerent, et divinitatis æquitatem derogare desisterent. Nam nos, sicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum usquam legimus, nec credere religiosa mente debemus. Sed ad hæc Arianus persistit et dicit : Fieri non potest ut non Filius minor Patre credatur. Apud homines ideo minorem filium generat pater quia et ipse minor est generatus a patre. Idcirco crescente filio pater senescit, et moriendo patre filius succedere comprobatur, et melior ac potentior patre nonnunquam efficitur. Apud Deum vero non ita est : quia ubi crescere vel senescere divinitas non habet, hoc est dignum ut filium dilectio habeat æqualem, quia non potest (pati) plenitudo minorem. Ideoque perfectus perfectum generat, omnipotens omnipotentem, plenus plenum. Et quia ætatis incrementum non habuit, minorem generare non potuit. Sed omnino qualis est Pater, talem et Filium esse cognosce, sicut ipse dicit : *Qui me videt, videt et Patrem;* et alibi : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Sed forte, quia audis missum, ideo putas minorem? Rogo te, Deum credis esse Filium, an non? Sine dubio responsurus es, Deum. Quia etsi tu negare volueris, sanctis Scripturis convinceris, dicente Apostolo : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* et Joannes in Epistola sua : *Ut simus*, inquit, *in vero Filio ejus, qui est verus Deus et vita æterna;* et Thomas : *Deus meus*, inquit, *et Dominus meus;* et Melchisedech summus sacerdos : *Benedictus*, inquit, *Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram.* Vides quia non solum Deus, sed Deus excelsus, Melchisedech vocibus comprobatur. Testis est et Osee propheta dicens : *Firmans cœlum et creans terram, ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cœli.* Si ergo Deus est Filius, imo quia Deus est, quia per ipsum facta sunt omnia, et non solum non minor sed excelsus Deus, interrogo te utrum Deus ubique sit, an forte localiter, cum impium sit negare quod ubique sit Deus. Et si ubique est, quæso te, ubi missus est? Sed missionem Filii incarnationem ejus intellige, ipso Apostolo exponente : *Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Denique de ipso legimus in Propheta : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus;* et evangelista : *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus.* Et si omnia ipse implet, ubi missus est cujus majestate plena sunt omnia? Sed adhuc forte dicis, sicut habet carnalis intellectus, inter gignentem patrem et genitum filium non potuisse fieri nisi ut aliquod fuisset spatium : spatium horæ faciunt, horæ tempus designant, ac sic si tempus anteponis filio, non omnia per ipsum facta fateris. Et ubi est illud : *Omnia per ipsum facta sunt.* Certe secundum tuam propositionem respondeo, qui dicis fuisse Patrem aliquando sine Filio. Utique legimus pariter in Apostolo, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et ipse de se Dominus loquitur : *Ego sum via, veritas et vita.* Si ergo fuit Pater sine Filio, sicut tu dicis, fuit sine virtute, fuit sine sapientia, fuit sine vita, fuit sine veritate. Sed quia sine his nunquam fuisse Pater credendus est, hoc convenit saluti tuæ ut juxta fidem catholicam consempiternum Patri et æqualem Filium fatearis, quia et virtus ejus legitur sempiterna, dicente Apostolo : *Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.* Similiter et de veritate ejus, dicente Psalmista : *Et veritas Domini manet in æternum.* Solent etiam istam velut quæstionis calumniam generare. In tantum, inquiunt, major est Pater ut priori semper nominetur loco. Etiamsi priori sem-

per loco nominaretur, valde videbatur esse conveniens; quia ex ipso est Filius, non ille ex Filio. Tamen ut æqualitatem agnoscas, audi in Scripturis, ubi etiam prior Filius nominatur. Joannes evangelista ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In Verbo itaque Filium indicavit. Et Apostolus ad Ephesios : *An nescitis quia omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei?* Ecce et hic priori loco Filius nominatur. Et ad Galatas Paulus apostolus : *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem.* Et ad Thessalonicenses : *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus Pater, qui dilexit nos.* Ad Corinthios : *Secundum gratiam Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis.* Et ipse Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus.* Non dixit, *Pater et ego.* Et alibi : *Qui me videt, videt et Patrem.* Et iterum : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ecce quoties priori loco Filius nominatur. Sed quia in Patre et Filio æqualitas est, nullum præjudicium nec ante nec postea nominatus alteri poterit exhibere; quia nulla est diversitas ubi est æqualis in utroque divinitas. Sed ideo sic legimus quia humana locutio aliter se non valet expedire nisi ut cum unum dixerit, sic alterum dicat. Ecce ut agnoscant quia ibi nihil majus minusve est, cesset quæstio de Patre anterius nominato : quia ubi una est substantia, una deitas, et incorporalis immensitas, nulla est disparilitas vel diversitas æstimanda. Ubi enim unus Deus creditur, ibi minor et major excluditur. Nescit enim numerum unitas, gradum non admittit æqualitas, sicut scriptum est : *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Et ideo auferat contentionem et teneat cum catholica inseparabilem Trinitatem sine permixtione conjunctam, sine separatione distinctam; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus Deus verus, plenus, et unus est. Ipsa enim per se ratio docet quia unus nec posteriorem recipit nec priorem, comparationem vel separationem nescit habere qui solus est, minor non potest esse qui plenus est; quia perfectioni nec addi quidquam nec minui post. Credantur ergo tres personæ, sed non tres substantiæ, tres proprietates, sed non tres potestates. Ita una sine principio sempiternitas, sicut una sine fine majestas. Sine auctore Pater, sine tempore Filius, sine majore Spiritus sanctus. Nos enim catholici Dominum Deum nostrum Jesum Christum et minorem dicimus Patri et æqualem; minorem propter humanitatem assumtam, quia, cum in forma Dei esset, formam servi induere dignatus est. Æqualem vero dicimus propter deitatis sempiternitatem, qua ex Patre parte existens Filius consempiternus est Patri. Quare ergo nobiscum non confitentur æqualem, cum nos illis non negemus minorem? præsertim cum utrumque utrique in Scripturis sanctis legimus, dicente evangelista : *Propterea*, inquit, *quærebant eum interficere Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Ecce impietas Judæorum dicit æqualem, et non veretur dicere Christianus minorem? Et alibi idem Evangelista ait : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Æqualis enim honor nonnisi æqualibus exhibetur. Et alio loco idem dicit : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat.* Audi dicentem *quos vult*, et æqualem eum Patri ac suæ potestatis esse cognosce. Et non dicas eum minorem, quia nusquam in Scripturis sanctis id reperies, sed sicut ipse Philippo dicit : *Qui me videt, videt et Patrem, et omnia quæ Pater facit.* Vel illud : *Deus erat Verbum.* Et Apostolus, ut memoravimus : *Qui est*, inquit, *super omnia Deus benedictus in sæcula.* Non potest minor credi qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et alibi Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Quare hoc? Quia nemo rapit nisi quod non habet. Ille ergo qui habebat æqualitatem, non est arbitratus rapinam; sed quam rebellis angelus assumere voluit per rapinam, Christus possidet per naturam. Quia vero est verus Deus audi beatum Joannem dicentem in Epistola sua : *Et simus*, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Audis verum Deum, et præsumis dicere minorem, et non confiteris æqualem. Dicit etiam beatus apostolus ad Titum : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Nescio qua fronte minor esse dicatur quem magnum Deum Apostolus profitetur. Hoc etiam perfidus error dicere solet, quod ubi in Scripturis legimus aut solum Deum aut solum altissimum aut solum sapientem, hoc non de Trinitate dici, sed de solo Patre accipi debeat : quod quam absurdum sit ita sentire de hoc uno testimonio convincatur. Dicit enim Apostolus : *Cognito soli sapienti Deo.* Non intelligunt quia non dixit *soli sapienti Patri*, sed *soli sapienti Deo*, quæ est Trinitas. Nam dum soli Patri hoc deputant, Filium insipientem blasphemant. Et quomodo eum Apostolus sapientiam Dei esse dicit si solus Pater est sapiens, cum nullus sapiens possit esse nisi per sapientiam suam? Et ubi est illud quod ad Colossenses idem Apostolus protestatur de Christo Jesu, *in quo sunt omnes*, inquit, *thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi?* Unde agnoscant quam stultum sit quod proponunt. Et ubicunque aliquid similiter legunt, non uni personæ deputant, sed beatæ Trinitati, quæ sola summus Deus et verus est. Nam et de Spiritu sancto sic dicit Apostolus : *Alii quidem datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum.* Si ergo per Spiritum sanctum, sicut verum est, et sapientiæ et scientiæ sermo donatur, quomodo solius Patris personæ hoc potest ascribi quod solus sit sapiens, nisi, ut dictum est, æque vere Trinitati ista conveniant? Solent etiam dicere : Ideo minor est Filius quia visibilis, Pater autem invisibilis. Non intelligunt quia nec Filius in sub-

stantia deitatis suæ sit visibilis, nisi in assumpto homine, qui et Christus dicitur. Nam Filius Dei, id est, Verbum quod erat in principio Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia, videri in sua substantia non potest, sicut nec Pater in substantia sua. Interrogo autem sine sui injuria illum ipsum qui dicit quod visus sit Filius Dei, utrum animam suam visibilem an invisibilem fateatur, et cum dixerit invisibilem, sicut et verum est, dicatur ei : Si creatura, id est anima tua, invisibilis est, creator utique Deus, creator universitatis, quomodo potuit esse visibilis? Sed ideo induit carnem, quæ videri potuit, quia deitas ab homine videri non potest. Hac carne major est Pater et æqualis Verbo, major carne, æqualis ei per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos. Nam quod Deus sit Filius, licet multa testimonia superius posita evidenter perdoceant, tamen adhuc pauca credidi subjungenda. In Genesi scriptum est : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Ecce hic Deum agnosce, quia et hominem ipse creavit. Et Isaias dicit de Joanne præcursore Domini : *Rectas facite semitas Dei nostri.* Cujus Dei nisi utique Filii, quem in carne venisse non dubitamus? Et paulo post : *Confortate manus dissolutas, et genua debilium roborate. Dicite, pusillanimes : Ecce Deus vester in fortitudine veniet, et salvabit vos, et tunc aperientur oculi cæcorum :* quod utique in adventu Christi completum esse cognoscimus. Psalmista etiam dicit : *Omnes gentes quascunque fecisti venient et adorabunt coram te, Domine, quoniam magnus es et faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Non puto aliquem esse tam impium qui neget Filium Dei et mirabilia fecisse et universas gentes creasse, nisi forte Judæos. Et alibi Isaias, cum adventum Christi per virginem nuntiat, dicit inter cætera : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* Sed et beatus apostolus : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Et ut agnoscas Deum esse Christum, sic alibi dicit : *Omnes stabimus ante tribunal Dei. Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Utique de Christo dicit, quem ad judicandum vivos et mortuos venturum esse credimus. Psalmista voces angelicarum faciens cum Christus ascendisset : *Tollite,* inquit, *portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Illis quasi interrogantibus quis esset iste rex gloriæ respondit : *Dominus fortis et potens, Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Et ne forte de Patre dictum putent, quomodo multa absurde intelligunt, audiant Apostolum huic versiculo consentientem : *Si enim,* inquit, *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Cum tam præsentibus quam præteritis testimoniis, quæ de Scripturis sacris posita sunt, Deus esse Filius demonstretur, miror qua fronte eum aliqui minorem dicendo blasphemare non metuunt, cum nusquam omnino Deus minor esse legatur, nisi, ut dictum est, propter dispensationem carnis assumptæ, in qua non solum ab angelis minoratus est, sicut dicit Apostolus, *Eum autem qui modicum quam angeli minoratus est vidimus Jesum propter passionem mortis,* sed et matre sua junior invenitur, sicut jam diximus. Secundum hanc ergo regulam duas in Christo crede substantias, Deum verum et hominem verum. Secundum hominem morti subditur, sed secundum Deum auctor vitæ esse cognoscitur, dicente beato Petro : *Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis.* Secundum hominem : *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* sed secundum Deum : *Potestatem habeo ponendi eam et iterum sumendi eam, et nemo eam tollit a me, sed ego eam pono a memetipso.*

Hinc etiam occasionem calumniandi solent (accipere) quod Dominus in Evangelio dixerit : *Non potest Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem.* Quod carnalis sensus non intelligens ideo dictum ut se ex Patre esse ostenderet, putat Deum Patrem et Filium, quomodo inter homines fieri solet, velut ipse Pater artifex Filium suum artificium suum vult edocere, ut quod viderit Patrem operantem Filius specialiter imitetur. Quod quam absurdum sit de Deo Patre omnipotente ita credere, qui est incorporeus, invisibilis, inæstimabilis, et immensus, qui cordis oculos sanos habet evidenter potest agnoscere. Nam qui sic sentiunt, interrogandi sunt mundus iste quem cernimus a quo sit factus. Utique a Filio minime denegabunt, attestante evangelista et dicente : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Dicant ergo ubi vidit Filius Patrem ante facientem alium mundum, ut sic postmodum ille istum crearet, præsertim cum apud potentiam Dei voluisse creasse sit, sicut legimus : *Ipse dixit, et facta sunt.* Sed sublato cordis velamine bene facerent credere Filium in Patre et Patrem esse in Filio, quia divinitas ubique tota et præsens tam Patris quam Filii, quam Spiritus sancti, sine se esse nusquam potest, sicut ipse dicit : *Ego in Patre, et Pater in me ;* et cognoscerent quid sit videre Filii ut una est substantia, ita una voluntas, una potentia, una gloria, nihil ibi majus nihilque minus esse credentes. Si enim nos homines terreni quod facere volumus corpore animæ nostro ante meditationis insinuatione præmissa, sapientia exsequente, perficimus, et quodammodo consilium innatum in mente nostra, prius intus in corde agimus quod facere disponimus, quæ tamen absque ulla participatione sensuum indissociabiliter una mens efficit, quomodo non Deus Pater sapientiæ suæ cum Deo Filio, quæ est sapientia sua in se manente, quia ipse est, ut sæpe diximus, sapientia et virtus Patris, et in una voluntate cuncta et una operatione perficit, et ea hæc alia Pater facit, alia Filius? Sed eadem quæ Pater facit, ipse et Filius facit, sicut ipse testatur : *Quæcunque,* inquit, *Pater facit, hæc eadem et Filius similiter facit.* Sed ideo dixit : *Non potest Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem,* ut nos cognoscamus et credamus quia ex Patre est Filius, et non ex semetipso vel aliunde, sed consempiter-

nus Patri, quia Pater in se est, semper perfectus exstitit. Nec enim aliquando, quomodo Ariani blasphemantur, fuit sine Filio Pater. Ergo imperfectus fuit. Ergo fuit sine Verbo, et sicut jam memoravimus, fuit sine sapientia, sine veritate, sine vita, sine justitia, sine virtute; quia istæ omnes species divinitatis secundum Scripturas Filius esse noscuntur. Sed quia sine his virtutibus Patrem unquam dici fuisse blasphemum est, hoc justum est, convenit ut consempiternum et coæqualem Patri Filium fatearis. Si enim Deus in cordibus nostris, cum loquitur miro modo, loquitur sine sono, putas quomodo potest loqui Filio suo, qui est Verbum ejus? Sic ergo cogita, quod incorporaliter locutus est Filio sicut et incorporaliter Pater genuit Filium. Nec enim sic docuit quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse quod est doctum et scientem genuisse, et hoc est *Docuit me Pater*, quod est *Scientem genuit me Pater*. Quomodo autem a se nihil potest facere Filius, de quo Propheta testatur et dicit: *Deus autem in cœlo sursum, et in terra deorsum, omnia quæcunque voluit fecit?*

Sed forte dicturus es hoc de Patre dictum. Redi ad evangelistam dicentem de Filio quia omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Qui etiam loquitur ad Moysen: *Vade*, inquit, *dic filiis Israel, Deus patrum vestrorum misit me ad vos.* Illo respondente et dicente: *Dic mihi nomen tuum, nam non credent mihi;* post hæc adjiciens Deus dixit ei: *Vade, dic filiis Israel: Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos.* Et ne de Patre dictum accipias, audi beatum apostolum huic loco consentientem et quodammodo ipsum testimonium exponentem ad Corinthios: *Dei*, inquit, *Filius, qui prædicatus est vobis per me et Silvanum et Timotheum, non fuit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est.* Audi populum cum Moyse concordantem, et tu noli a fide catholica discordare. Nam si Ecclesiam catholicam interrogas de Patre quid sit, dicit: Deus. Si de Filio, dicit: Deus. Si de Spiritu sancto, dicit: Deus. Et tamen non dicit tres deos, ne gentibus compararetur, qui plures deos errore suo decepti confingunt, sed credit Scripturæ dicenti tam Novi quam Veteris Testamenti, quia Deus unus est, et unus major, alter minor non est, ut Ariani dicunt. Unus dici non potest major: æqualitas unitatem includit. Quomodo autem tres et unum credimus adverte. Unitatem facit æqualitas virtutum, trinitatem proprietas personarum. Audite quomodo ipse intelligendam æqualitatem suam et Patris docuerit. *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus.* Aliud est *unum*, aliud *sumus*. Nam cum dicit *sumus*, personas significat; cum dicit *unum*, substantiam divinitatis designat. *Unum sumus*, id est, justitia sumus eademque sapientia, virtus indivisa, par gloria. Quæ cum ita sint, contentio auferatur et fides integra teneatur.

Dicunt etiam: Ideo major est Pater quia et immortalis. Interrogandi sunt utrum Filium in substantia deitatis suæ mortalem esse fateantur. Quod si dixerint, quam contra rationem dicant omnis homo agnoscere potest qui etiam humanam animam immortalem esse non ambigit. Sed hoc eis dicendum, quod secundum carnem passus dicatur et mortuus; nam secundum divinitatem, qua semper exstitit et universa creavit, immortalis permaneat.

Dicunt etiam esse visibilem. Quod quam absurdum sit agnoscant qui hoc dicunt. Cum nec anima humana possit esse visibilis, quanto magis Deus in sua substantia? Sed ideo carnem assumpsit, quæ poterat videri, quia deitas corporeis oculis non poterat intueri. Hæc interim de æqualitate Patris ac Filii ad præsens dicta sufficiunt. Nam de æqualitate operum Trinitatis, id est, Patris et Filii et Spiritus sancti, paulo post, donante Domino, de Scripturis sanctis monstrabimus.

Nunc vero de sancti Spiritus deitate pauca de multis testimoniis sunt ponenda; quem non solum minorem asserere, sed etiam Deum omnino dicuntur hæretici denegare. Audiant pauca de deitate Spiritus sancti. In Genesi dicit sermo divinus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, hoc est, eminentia potestatis, non inopia necessitatis. Et in Evangelio: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Et ne forte de Patre dictum intelligas, et non de Spiritu sancto, audi quod sequitur: *Spiritus ubi vult spirat.* Audi *ubi vult*, et suæ potestatis eum esse non dubites. Et Apostolus ad Corinthios dicit: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et ut cognoscas ipsum Spiritum nominatum Dominum et Deum, audi inferius quomodo concludit: *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum. Alteri fides in eodem Spiritu*, et reliqua. Et sic conclusit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Qui divina munera *prout vult* dispensat, legem superioris ignorat. Agnosce tandem quia qui *prout vult* dividit, nullis subditus esse probatur, sed suæ potestatis esse dignoscitur. De summa enim potestate descendit voluntas cui nulla contradicit auctoritas. Et ad Hebræos similiter dicit (de) Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem; et quis iste sit distributor ac divisor ad Romanos evidenter ostendit dicens: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei;* et ad Corinthios: *Nescitis*, inquit, *quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*, et reliqua. Et quis iste Deus sit cujus templum prohibet violari ait in sequentibus: *Nescitis quia membra vestra templum est Spiritus sancti.* Et quis esset iste Spiritus sanctus, cujus templum essemus, sic concludens demonstrat: *Glorificate*, inquit, *et portate Deum in corpore vestro.* Agnosce Spiritum sanctum evidenter Deum, et desine blasphemare. Et in Actibus Apostolorum beatus Petrus ad Ananiam, qui Deo

voverat oblationem, et postmodum exstitit indevotus, sic dicit : *Quis compulit te mentiri Spiritui sancto ? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ecce et hic eum evidentissime Deum esse beati Petri attestatio manifestat. Item ibi dixit Spiritus sanctus : *Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus ad quod elegi eos.* Et beatus Paulus inibi dixit : *Attendite*, inquit, *vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit apostolos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.* Et quis esset iste qui apostolos segregat et mittit idem Paulus ad Corinthios declarat dicens : *Et quosdam*, inquit, *posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundum prophetas, tertio doctores*, et reliqua. Ecce ubi Spiritum sanctum Deum luce clarius demonstravit. Et quem in Actibus Spiritum sanctum dixit, ad Corinthios Deum esse manifeste confessus est. Dicit enim idem vas electionis ad Judæos : *Bene Spiritus sanctus de vobis prophetavit per os Isaiæ prophetæ.* Et quis esset iste Spiritus sanctus qui in prophetis locutus sit, beatus David exprimit dicens : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et beatus Petrus in Actibus apostolorum : *Ut impleretur*, inquit, *Scriptura quam præmisit Deus per os prophetarum suorum.* Et hic agnosce quod eum Deum evidenter declarat qui per os prophetarum locutus est, sicut Zacharias in Evangelio ait : *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi suæ.* Et post pauca ait : *Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum.* Agnoscis Dominum Deum esse Spiritum sanctum, qui per os prophetarum locutus est. Quod nec impii Judæi denegant. Qui si Deus non esset, non in baptismo in uno nomine deitatis Patri et Filio sociaretur, sicut scriptum est ubi regulam baptismi posuit ipse Dominus. *Ite*, inquit, *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quod solum testimonium deberet hæreticis sufficere ad credulitatem inseparabilis Trinitatis, quia nec ipsi audent aliter baptizare, ne regulam Domini corrumpere videantur. Et ubi unum nomen dicitur, ibi major et minor excluditur. Et in secunda Epistola ad Corinthios : *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Ut agnoscas Patris et Filii et Spiritus sancti unam esse substantiam ac divinitatem, audi Isaiam prophetam dicentem : *Quis appendit tribus digitis molem terræ ?* Nam et singulariter invenimus in Scripturis *digitum* sanctum Spiritum nominatum. Ut est illud in Evangelio ubi ait : *Si ego in digito Dei dæmonia ejicio ;* quod alius evangelista declarat dicens : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Et magi Pharaonis victi signis dicunt : *Digitus Dei est.* In Pentecosten, quod etiam ante adventum Christi Judæi colebant, digito Dei, id est Spiritu sancto, inscriptas tabulas Moyses accepit ; et quæ tunc in lapideis tabulis præfigurata sunt corda durissima Judæorum post ascensionem Domini in carneis tabulis, id est in cordibus discipulorum, visibiliter dignatus est apparere in ipsa specie ignis, in qua Moysi in deserto apparuit : de quo credimus Isaiam dicere : *Dominus noster ignis consumens est.* Et sicut legimus quod nemo noverit cogitationes hominum nisi Deus, quomodo Spiritus sanctus non est Deus, quia etiam non solum in homine est, sed et quæ inter sunt scire dignoscitur, dicente Apostolo : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et paulo post ita : *Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.*

Sed forte dicit aliquis ideo minorem quia missus legitur ? Et quid dicturus est cum legit in Isaia propheta ex persona Christi dicentis : *Dominus misit me et Spiritus ejus ;* et alibi : *Spiritus Domini super me. Propter quod unxerit me ad evangelizandum pauperibus remissionem et cæcis visum, ut annuntiarem annum placabilem Domini*, et reliqua. Et ut scias evidenter de Domino dictum, evangelista dicit : *Cum venisset Dominus Jesus in synagoga, datus est ei liber Isaiæ prophetæ ; quem aperiens, invenit scriptum : Spiritus Domini super me*, et reliqua quæ supra diximus. *Et post hæc liquit*, inquit, *librum et dedit ministro, et dixit : Hodie in vobis impleta est scriptura ista.* Credendum est mitti qui ubique esse dignoscitur, sicut dicit psalmista : *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam ?* Sed sicut Filii missio incarnatio intelligitur, ita Spiritus sancti missio manifestatio declaratur, cum se dignatus est aut in columbæ specie vel in igne aut diversis hujusmodi assumptis indiciis declarare. Quomodo ergo minor credendus est qui etiam Deum, qui sicut ipse æqualis est Patri, approbatur ad nostram remissionem misisse, et non solum misisse, sicut per Isaiam dictum memoravimus, sed etiam secundum carnem creasse, sicut habes in Evangelio angelum ad Mariam dixisse : *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, et reliqua. Non enim generatione, sed jussione et benedictione sancti Spiritus conceptus est Christus, sicut et alius evangelista ait : *Inventa est*, inquit, *habens in utero de Spiritu sancto.* Prophetæ autem dicunt, ut cum frequenter jam memoravimus : *Hæc dicit Dominus.* Et qui sit iste Dominus, Michæas propheta evidenter ostendit cum loquitur ad Achab dicens : *Et si tu de prælio sanus redieris, in me non est locutus Deus.* Et quis iste Deus sit qui in prophetis locutus sit, Paulus apostolus demonstrat cum dicit ad Judæos : *Bene*, inquit, *de vobis Spiritus sanctus prophetavit per os Isaiæ prophetæ : Vade, inquit, excæca cor populi hujus*, et reliqua.

Interrogandi sunt tamen hæretici cujus major offensa sit, qui in Patrem peccaverit, an qui in Spiritu sancto, quem dicunt Deum non esse. Et cum dixerint majorem offensam esse qui in Patrem peccat, interrogandi sunt iterum filii Israel utrum peccaverunt Patri, an alteri. Cum responderint quia Patri peccaverunt, iterum interrogandi sunt si eis fuerint dimissa peccata. Utique non negabunt, quia et legimus quod conversi sunt ad Deum, et dimissa fuerint eis peccata. Deinde interrogandi sunt ut ex-

ponant quomodo intelligant dictum a Domino : *Quicunque in Spiritu sancto peccaverit, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro.* Si Deus non est, quare tam gravis ejus offensa a Domino esse dicatur?

Iterum interrogandi sunt si fuerint filii Israel contumaces Deo, an non. Cum non negaverint, quia nec possunt, dicendum est eis quomodo accipiant illud quod beatus Stephanus Judæis exprobraverit dicens : *Vos semper resistitis Spiritui sancto, et semper ei contumaces fuistis, sicut et patres vestri.* Audi etiam ad Thessalonicenses, ubi Spiritum sanctum et priori loco ponit et Dominum nuncupat dicens : *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.* Diligenter adverte quia hic Spiritus sanctus oratur ut corda credentium dirigat in charitate Dei et in patientia Christi.

Interrogandi sunt etiam quid majus sit, utrum cœli, an virtutes cœlorum. Et cum sine dubio dixerint virtutes cœlorum, dicendum est eis : In tantum Spiritus sanctus minor non est, sed summus est, ut Verbo Domini dicantur cœli creati; Spiritu sancto virtutes cœlorum. Accipe adhuc ubi creator evidenter Spiritus sanctus describitur. Job dicit : *Spiritus divinus qui fecit me.* Et divinum utique et creatorem uno versiculo demonstravit, cum divinum appellat et Deum creatorem ostendit; sicut et David dicit : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.*

Interrogandi etiam sunt si creatura ubique esse potest an non. Et cum responderint quia non ubique, sicut et verum est, dicendum : Absque dubio Spiritus sanctus Deus est, et non creatura, quia ubique esse describitur : de quo, sicut jam dictum est, Propheta omnipotentiam ejus metuens dicit : *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam?* Agnosce ergo nullum esse locum ubi non omnipotentia Spiritus sancti præsens esse probetur.

Item interrogandi utrum possit alius præter Deum peccata dimittere. Et cum responderint quia nullus nisi Deus, quia scriptum est, *Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus*, dicendum est eis : Sine dubio Spiritus sanctus Deus est, qui remissionem peccatorum conferre dignoscitur, sicut Dominus dicit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Qui etiam in baptismo cum Patre et Filio baptizatis remissionem tribuit peccatorum. Audi etiam quod ad Corinthios jam dictum est : *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, et charitas et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis.* Qui si non esset Deus et creatura esset, sicut blasphemant hæretici, nunquam in baptismo, ubi salus humani generis agitur, Patri et Filio copularetur.

Nam quod unius substantiæ sit Pater et Filius et Spiritus sanctus Isaias propheta dicit, sicut jam memoravimus : *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Quo loco per tres digitos in tribus personis unam substantiam esse perdocuit. Quod Apostolus de Trinitate dictum intelligens ait : *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Idem ex Patre et Filio et Spiritu sancto omnia continentur. Item ad Corinthios dicit idem apostolus : *Deus qui prædixit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Jesu Christi.* Quo loco manifestissime Trinitas intelligitur. In eo vero ubi dicit *in faciem Christi Jesu*, Filius designatur.

Audi adhuc quia Trinitas in unitate manet, et unitas in Trinitate, angelorum et archangelorum voces declarant in Isaia, ubi seraphim hymnum scribitur dicere, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, id est, ut tres personas et unum Deum intelligas. Non semel dicunt, ne singularitatem credas; non singillatim, ne sanctum excludas; non *sancti domini dii Sabaothes*, ne tres deos more gentilium fatearis; sed dicunt *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, ut Trinitas Deus laudetur, qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quem etiam Deum esse ex operationum æqualitate, qui oculos cordis sanos habet, facile poterit approbare, sicut in sequentibus demonstrabimus. Sicut salvat Pater, ita et Filius et Spiritus sanctus. De Patre *Salva nos* dicitur *et congrega nos de nationibus.* De Filio : *Venit filius hominis salvum facere quod perierat.* Et alibi : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* De Spiritu sancto ad Titum : *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis Spiritus sancti.* Sicut confortat Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Confortat me Deus deorum.* De Filio Apostolus : *Gratias ago Domino Jesu Christo, qui me confortavit, et fidelem me existimavit.* De Spiritu sancto in Evangelio : *Puer autem crescebat et confortabatur plenus Spiritu sancto.* Vivificat Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. In Evangelio : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita Filius quos vult vivificat.* De Spiritu sancto in Epistola Petri apostoli : *Mortificatos carne, vivificatos autem Spiritu.* Et Paulus apostolus : *Littera*, inquit, *occidit, Spiritus autem vivificat.* Et in Evangelio : *Spiritus est qui vivificat. Nam caro non prodest quidquam.* Sicut liberat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Deus excelsus liberator eorum est.* De Filio in Evangelio : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos.* De Spiritu sancto : *Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Elegit Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus : *Benedictus Deus et Pater Domini Jesu Christi, qui elegit nos ante mundi constitutionem.* De Filio : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum : *Cum ergo jejunassent et orassent, dixit eis Spiritus sanctus : Segregate mihi Barnabam et Paulum ad opus ad quod elegi eos.* Creator dicitur Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus. De Patre Apostolus : *Quæ sit sacramenti dispensatio a Deo, qui omnia creavit.* De Filio ad Colossenses : *Quia ab ipso creata sunt universa, et omnia in ipso constant.* Et in Evangelio : *Omnia per ipsum facta sunt.* De Spiritu in Salomone : *Et vidit et dinumeravit et mensus est omnia, ipse creavit ea per Spiritum sanctum;* et in

Psalmo : *Emitte Spiritum tuum et creabuntur ;* et alibi : *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sicut prædixit Pater, ita et Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Deus autem, sicut prædixit pati Christum suum, implevit sic.* De Filio in Evangelio angelus dixit mulieribus : *Ite, annuntiate fratribus quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum Petrus loquitur : *Oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David.* Magnus Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Magnus Deus noster et laudabilis.* De Filio ad Titum : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* De Spiritu sancto in Regum ait Dominus ad Eliam : *Ecce Dominus transiet, et Spiritus sanctus et fortis.* Sicut charitas Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre : *Superabundavit autem gratia Domini Jesu Christi et charitas Dei nostri.* De Filio : *Charitas enim Christi urget nos.* De Spiritu sancto : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate Spiritus?* Et alibi : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vitam æternam dat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* De Filio in Evangelio : *Pacem do vobis, pacem meam dimitto vobis.* De Spiritu sancto : *Prudentia autem Spiritus vita et pax.* Revelat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre ad Galatas : *Ut revelaret Filium suum in me.* De Filio inibi : *Neque ego enim ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.* De Spiritu sancto ad Ephesios : *Quod aliis generationibus non est agnitum, sicut et nunc revelatum est sanctis ejus per Spiritum suum sanctum.* Et alibi : *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum.* Sicut illuminat Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine.* De Filio in Apostolo : *Exsurge, qui dormis, et illuminabit tibi Christus.* De Spiritu sancto idem Apostolus : *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Jesu.* Sicut dicitur Evangelium Patris, ita Filii, ita et Spiritus sancti. De Patre ad Titum : *Quæ est sanctum evangelium gloriæ beati Dei.* De Filio ad Romanos : *Cui servio in Spiritu meo in evangelio Filii ejus.* De Spiritu sancto in Epistola beati Petri : *Vobis autem ministraverunt hæc qui vobis evangelizaverunt in Spiritu sancto.* Sicut illuxit Pater, ita Filius, ita et Spiritus. De Patre : *Deus meus, illumina tenebras meas.* De Filio in psalmo : *Deus Dominus, et illuxit nobis.* De Spiritu sancto per Prophetam : *Non abscondam ultra faciem meam ab eis, pro eo quod illuxit Spiritus meus super universam domum Israel.* Et Apostolus : *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei in faciem Christi Jesu.* Præscientiam habet Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus. De Patre : *Deus, qui occultorum cognitor est.* De Filio : *Ab initio,* inquit, *sciebat Jesus quis eum esset traditurus.* De Spiritu sancto : *Cum venerit Paraclitus spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ venturæ sunt annuntiabit vobis.* Sicut ubique esse dicitur Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. De Patre : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.* De Filio : *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et Apostolus : *Qui ascendit super cœlos, ut impleret omnia.* De Spiritu sancto in Salomone : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et quod super orbem est.* Implevit ipsum Dominum orbis totius conditorem, sicut legimus : *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane.* Et David : *Quo ibo a Spiritu tuo?* Arguit Pater, ita Filius, et Spiritus sanctus. De Patre : *Domine, ne in ira tua arguas me.* De Filio : *Arguam te, et statuam illam contra faciem tuam.* De Spiritu : *Cum venerit Spiritus paraclitus, ipse arguet mundum de peccato,* et reliqua. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus. De Patre : *Pater bone.* De Filio : *Ego sum pastor bonus.* De Spiritu sancto : *Spiritus tuus bonus deducet me in via recta.* Sanctificat et justificat sicut Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus. Apostolus : *Sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* Sanctus dicitur Pater, sanctus dicitur Filius, sanctus et Spiritus sanctus. De Patre in Levitico : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* De Filio in Evangelio : *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Item ibi : *Scimus quia sis sanctus Dei* : De Spiritu sancto in Salomone : *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum.* Fortis Pater, fortis Filius, fortis et Spiritus sanctus. De Patre : *Deus fortis et patiens.* De Filio in Isaia : *Et vocabitur nomen ejus Deus fortis.* De Spiritu in Salomone : *Spiritus fortitudinis munus ejus.* Operatur Pater, operatur Filius, hoc et Spiritus sanctus. De Patre ad Philippenses : *Deus enim, qui operatur in vobis et velle.* De Filio in Evangelio : *Me oportet operari opera ejus qui misit me.* De Spiritu sancto ad Corinthios : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Virtus Pater, virtus Filius, virtus et Spiritus sanctus. De Patre Apostolus : *Virtus enim Dei est in salute omni credenti.* De Filio Apostolus : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* De Spiritu sancto ad Thessalonicenses : *Evangelium nostrum non fuit apud vos in verbo tantum, sed in virtute Spiritus sancti.* Fons Pater, fons Filius, fons et Spiritus sanctus. De Patre Jeremias : *Dereliquerunt me fontem, aquæ vivæ.* De Filio in Salomone : *Fons sapientiæ verbum Dei.* De Spiritu sancto Isaias : *Ecce nomen Domini post multum tempus veniens ardens, in ira indignationis vorabit gens, et Spiritus ejus ut fons aquæ vallem trahens.* Charitas Pater, charitas Filius, charitas et Spiritus sanctus. De Patre in epistola Joannis : *Deus charitas est.* De Filio Apostolus ad Corinthios : *Charitas enim Christi urget*

nos. De Spiritu sancto Apostolus : *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritus.* Regenerat Pater, sic et Filius, et Spiritus sanctus. De Patre Petrus : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vitæ æternæ.* De Filio inibi : *Diligentes invicem ex corde, quasi renati per verbum Dei vivi.* De Spiritu sancto in Evangelio : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum cœlorum.* Resuscitat Pater, resuscitat Filius, resuscitat et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus apostolorum : *Deus Patrum nostrorum, qui suscitavit Jesum, et nos suscitavit per potentiam suam.* De Filio in Evangelio : *Venerunt Judæi, non solum propter Jesum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit Jesus a mortuis.* (De Spiritu sancto in Epistola ad Romanos.) *Habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Gratia Dei Patris, gratia Filii, gratia Spiritus sancti. De Patre : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum.* De Filio ad Corinthios : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos factus est pauper, cum esset dives.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum : *Et obstupuerunt qui cum Petro venerant, quoniam in gentibus gratia Spiritus sancti diffusa est.* Signat Pater, signat Filius, signat et Spiritus sanctus. De Patre ad Corinthios : *Et qui signavit vos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus.* De Filio ad Ephesios : *Audientes verbum veritatis evangelium salutis vestræ, in quo signati estis.* De Spiritu sancto ubi supra : *Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis, in die redemptionis.* Habitat Pater in credentibus, habitat Filius, habitat et Spiritus sanctus. De Patre in Isaia : *Servate diem sabbati, sanctificate eum, ut habitem in medio vestri.* De Filio ad Ephesios : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* De Spiritu sancto : *Nescitis quoniam templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis.* Scrutatur Pater, scrutatur Filius, scrutatur et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo : *Scrutans corda et renes Deus.* De Filio in Apocalypsi : *Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutator cordis et renum.* De Spiritu sancto in Apostolo : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Testificat Pater, testificat Filius, testificat et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo : *Testimonium Dei fidele, sapientiam præstans parvulis.* De Filio ad Timotheum : *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et in Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato.* De Spiritu sancto Apostolus : *Testimonium perhibet Spiritus noster.* Ostendit Pater, ostendit Filius, ostendit Spiritus sanctus. De Patre ad Timotheum : *Quem suis temporibus ostendens beatus et solus potens.* De Filio in Evangelio. Ipse Filius dicit : *Ostendam autem vobis quem timeatis, et multa bona opera ostendi vobis a Patre meo.* De Spiritu sancto ad Corinthios: *Prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus.* Implet Pater, implet Filius, implet Spiritus sanctus. De Patre Jeremias : *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.* De Filio in Apostolo : *Dominus autem impleat corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.* Et in Evangelio : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* De Spiritu sancto in Actibus apostolorum : *Implevit omnem locum ubi erant discipuli congregati;* et : *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane.* Loquitur Pater, loquitur Filius, loquitur et Spiritus sanctus. De Patre : *Deus locutus est in sancto suo.* De Filio : *Loquente Jesu ad turbas.* De Spiritu sancto : *Est qui loquitur in vobis.* Apparuit Pater, apparuit Filius, apparuit et Spiritus sanctus. De Patre in Actibus apostolorum : *Deus gloriæ apparuit patribus nostris.* De Filio in epistola Joannis : *Ad hoc apparuit Filius ut solvantur opera diaboli.* De Spiritu sancto in Job : *Et spiritus apparuit in oculis meis, et horror irruit in me.* Veritas Pater, veritas Filius, veritas et Spiritus sanctus. De Patre in Psalmo : *Redemisti, Domine, Deus veritatis.* De Filio : *Veritas de terra orta est.* (De Spiritu sancto) in Evangelio : *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ecce unitatem operis. Non dubites unitatem credere Trinitatis.

Dicere etiam solent de baptismo quod in eo melior sit illorum baptismum quam nostrum quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus impositionem reconciliamus; illi vero, si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Qui interrogandi sunt, baptismum istud quod dant, suum dicunt esse, an nostrum? Si nostrum est, quare illud præsumunt similiter ut nos baptizando? Si illorum est, quare illud violant iterando? Sed nos reverentiam habemus Dominicis verbis, et quomodo ipse jussit, ita et baptizamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Sed et illos sic certum est baptizare. Nam si sic baptizarent illi quomodo credunt in nomine Patris majoris et in nomine Filii minoris, et in nomine Spiritus sancti multo minoris, tunc demum non iteraremus baptismum, sed daremus, quia non secundum regulam quam Dominus tradidit baptizassent. Sed quid facimus? Bene baptizant, sed male credunt. Bene baptizant, sed malum est quod rebaptizant. Regulariter quidem baptizant, sed fidem male insinuant. Et dum carnaliter gradus in divinitate faciunt, offensam divinitatis incurrunt, non meluentes illud quod ait Dominus : *Qui semel lotus est, non indiget iterum ut lavetur.* Dixit enim Dominus in Evangelio : *Vos estis sal terræ.* Et quicunque sapiens est, non hoc sine causa dictum intelligit. Sal enim ex aqua fit. Sed iterum baptizare se permittat ad nihilum, sicut sal in aqua missum redigitur, et anima ejus perpetua morte punitur. Dicit enim Apostolus de Ecclesia quoniam unus panis, unum corpus multi sumus : quia sicut ex multis granis unus panis efficitur, ita ex multis populis una Ecclesia congregatur, o panis, ut omnes norunt, per aquam conficitur et per ignem excoquitur; et omnis populus Christianus per baptismi

aquam et ignem sancti Spiritus oblatio Dei est effectus, dicente Domino : *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Sed sicut panem jam semel decoctum si aliquis remittat in aquam, et vellet recommisceri et coquere, et perderet pristinam dignitatem et in nigredinem terræ converteretur, sic talis efficitur quicunque in se permittit baptismum iterari. Et ideo debet unusquisque usque ad mortem baptismum suum Deo adjutore servare, si vult ad regna cœlorum feliciter pervenire. Nam quicunque se rebaptizare permittit, ipse blasphemat in Spiritu sancto, dum se denegat Christianum et per aquam ac Spiritum sanctum fuisse renatum, et necesse est ut illam quam memoravimus Domini sententiam comminantis excipiat : Quia qui blasphemaverit in Spiritu sancto, non ei remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

II

Disputatio Benedicti levitæ adversus Felicianam impietatem.

(Apud Baluz., ibid.)

In exordio nubeculæ testimoniorum catholicæ fidei, cum adversus infelices Felicianos exhortarem divulsum alumnum viriliter contraire, recolo me ab Evangelio Joannis exordisse, istiusmodi attestante : *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Ille inquam qui ab angelo nuntiatus est, et nomen illi impositum est Jesus, nuntiante archangelo virgini : *Paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hic itaque Jesus natus ex virgine Maria Filius est Dei, sicut testatur iste evangelista, ut omnes in hac fide fidentes vitam possint habere æternam in nomine ipsius. Sed quid ad hæc pervicacia Felicianorum infaustuum poterit mutilare, dum iste evangelista dilectus et a Deo electus hanc sibi esse occasionem scribendi Evangelium dixerit quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam æternam habeant in nomine ipsius ? Nisi forte ut fateantur se nunquam habituros vitam æternam, quia non credunt Filium esse Dei Dominum nostrum Jesum Christum verum et proprium, sed nescio qua demutatione fictum et adoptivum. Siccine dicunt assumptionem et adoptionem unum esse; et Jesum Christum, secundum quod homo est, propter assumptionem humanitatis necesse fieri adoptivum esse, non proprium. Et quid faciet insana ista procacio adversus totius salutis dispensationem ita garriens ut virtutem Dei dicat non esse propriam et sapientiam ejus asserat adoptivam? Nam Christum Deum, virtutem et Dei sapientiam esse Apostolus testis est : *Cui* (proprio Filio) *non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Inficiatores tamen tantæ veritati pellaces ac contra e contra aiunt : Virtutem Dei et sapientiam Apostolus Christum secundum assumentem, et non secundum assumptum, pronuntiat. Nam secundum assumentem Christus Dei est virtus et Dei sapientia ; secundum autem assumptum ; A *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus eum.* O exsecranda dualitas, operosa præsumptio unam Domini nostri Jesu Christi personam dirimentis in duas, cum sicut unusquisque nostrum ex anima rationali et carne una fit persona, quia unus est homo, ita Deus et homo una sit persona, quia unus est Christus, non duo ! Unde beatus Petrus, cum sciscitaretur Dominus a discipulis suis quem esse dicerent homines filium hominis, et alii atque alii aliter atque aliter dicerent, respondit unus pro omnibus ex Dei et hominis substantia unitatis personam confitendo dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dominus de Filio hominis id est homine interrogat, et Petrus eumdem Filium Dei vivi vera fidei puritate fatetur. Et e contra Feliciani infandi adoptivum eum veternare contendunt, cum B Dominus hanc fidei confessionem sanciens, ob hanc Petrum beatificaverit, super hanc Ecclesiam suam stabiliendam prædixerit dicens : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego tibi dico quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ut ergo secundum Danielem prophetam adducatur justitia sempiterna et ungatur sanctus sanctorum impleta hac prophetia, ista est vera fidei prærogata confessio uncti, id est Christi Filii Dei, non adoptivi, sed proprii ; cui proprio Filio non pepercit Deus.

Quanta ergo temeritas horum antiphrasinorum hæ- C reticorum, videlicet Felicianorum, quia infelicium, contra tantam soliditatem a Domino commendatam suorumque apostolorum dogmatibus propalatam portas mortis sese ingerere Ecclesiæ Dei nitentium nec prævalentium ! O cæca temeritas inferorum portarum harum perstrepentium confuso stridore adversus Dominum et adversus Christum ejus ! O canina furies rabido ore Christum Filium Dei vivi oblatrantis secundum assumptionem non esse eum Dei virtutem et Dei sapientiam mentientis, cum ipsum nomen Christi secundum assumptum, si fas est dicere, et non secundum assumentem, est dictum ! Verum quoniam Christus ab unctione est dictus, et unctus in assumptione nostro participio in assumente D verbo, sicut scriptum est : *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Præ participibus igitur Christicolis, scilicet cunctis, unctus est Christus, in quo est eorum particeps homo Verbum caro factum : quia quod illi adoptione acceperunt Filii esse Dei Christianitatis obtentu chrismatis unctione, id Christus possidet proprietate virtutis ; nihilominus ut sit proprius Dei unigenitus Filius, de Spiritu sancto ex Maria virgine theotocon, id est Dei genitrice virgine conceptus et natus, non duo, sed unus : quia non duo sunt Filii, unus proprius, et alter adoptivus, sed unus idem proprius unigenitus Dei Filius. Et ideo ait Apostolus proprio Filio non pepercisse, quoniam *ubi venit plenitudo temporis*, sicut idem ipse ait, *misit Deus Filium suum factum ex mu-*

liere, factum sub lege. Quod autem sit unigenitus, sacra Scriptura non tacet, sed creberrime inculcat. Unde est illud : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.*

Quid ad hæc favet nunc vesana temeritas dicentium assumptionem et adoptionem unum esse, et ideo Christum secundum hominem assumptum esse etiam adoptivum, cum nihil horum convincantur in Christum reperiri posse? Prorsus nec adoptionem, quia proprium eum docet Apostolus esse Filium Dei; neque assumptionem, quia dicit misisse Deum Filium suum factum ex muliere : quoniam Verbum caro factum est, non assumpsit carnem ; sed Verbum caro factum, Deus homo factus est, Filius Dei factus ex muliere : quoniam non prius factus caro, denuo est assumptus a Verbo ; sed præveniendo Verbum carne, Verbum caro factum est. Idem non cum esset pauper, dives factus est, sed *cum esset dives, pauper factus est ;* quia *cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, habitu est inventus ut homo.* Idem ipse, ipse Verbum, cum dives esset in forma Dei, æqualis Deo, pauper factus est, exinaniendo se, Verbum caro fiendo, Filius Dei factus ex muliere, non assumptus, ut blasphemi aiunt, adoptione. Unus idem ipse qui descendit, non ut hominem assumeret, qui necdum erat formatus, sed ut homo fieret incarnatus. Idem ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Secundum quod magnum hoc esse pietatis sacramentum Apostolus docet : *Quod manifestatum est,* inquit, *in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Hoc idem quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, quia dicente archangelo de ejusdem Dei et Domini genitrice : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ac sic ut instaurarentur quæ in cœlis et quæ in terris sunt in ipso, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, assumptum est in gloria, ut sit mediator Dei et hominum Jesus Christus : quia qui Deus, idem est homo ; et qui homo, idem ipse est Deus.

Ex natura ergo utraque una Christus persona. De ipso ostendens idem ipsum dicit idem ipse : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* In terra erat tunc temporis localitate inter homines homo ; et in cœlo se esse dicebat Filium hominis ; quia qui filius hominis erat localitate, idem Filius erat Dei immensitate. Propter quod dicit : *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius ?* Quem pro tanta unitatis proprietate vere Filium Dei Joannes apostolus et evangelista, confessus est hominem, ut eumdem qui ab initio vita æterna est apud Patrem, verbum se corporaliter et vidisse et contrectasse prædicaverit dicens : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem et apparuit nobis.* Denique hanc vitam æternam apud Patrem ab initio, quam sibi apparuisse testatur, nisi Verbum caro fieret, neque vidisset, neque manibus contrectasset. Sed ut Verbum caro fieret, testante eodem evangelista : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et propterea quia Verbum caro factum est, et unigenitus Dei et vita æterna est, ideo non est adoptivus, sed secundum Apostolum proprius, et secundum evangelistam unigenitus Dei Filius. Et ideo Apostolo non solum ut sufficeret dicere, *Proprio Filio suo non pepercit Deus,* sed etiam ait : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

Cum igitur Christum crucifixum ex infirmitate nostra, virtutem autem ex virtute sua, eumdem crucifixum dicat Apostolus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, quis infami elogio Christum Dei virtutem et Dei sapientiam secundum hominem crucifixum adoptivum audeat dicere, nisi mente insana negando Christum, et suo mendacio Antichristum se comprobante ? Et quis est mendax, teste Joanne apostolo, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus ? Et hic est Antichristus qui negat Patrem et Filium. Omnis enim qui negat Filium, nec Patrem habet. Sed, sicut isdem ait Filius, *qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum.*

Quocirca quanta sit cæcitatis obreptio quis non videat blasphemantium Christum adoptivum, quem tanta unitate cognoscit unicum proprium et verum Dei unigenitum Filium, in utraque natura perfectum, tantis idoneis testimoniis propalatum ? Qui si adoptivus fuisset, fictus et non veritas esset. Et quomodo veritas de terra orta est, et ipse de se dicit · *Ego sum via, veritas, et vita,* si adoptivus et non in veritate Dei Filius est ? Nam teste Joanne scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna. Quod si adoptivus esset, nec verus Dei Filius Patri Deo vero, neque Deus verus et vita æterna existeret, qui vere est veritas de terra orta veniendo ut homo fieret, et proinde hominibus via, veritas, et vita. Verus est igitur, non adoptivus, proprius Filius Dei Dominus Jesus Christus, qui de se ipso cæco nato sic exorsus est loqui : *Tu credis in Filium Dei ?* Et ille : *Quis est, Domine, ut credam in eum ?* Et Dominus ei : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est :* id est, quem vidisti carne, qui alloquor, ego ipse Filius Dei sum. Alioquin quia divinitate invisibilis est, videbatur homo et loquebatur. Quem etiam procidens adoravit Filium Dei, in quo se dixit visibi-

lem et loquentem Filium esse Dei. Hinc est etiam quod apostolus Paulus secundum hominem ex semine David docet eum esse Filium Dei. Unde et prædestinatum commemorat secundum hominem eum quem prædicat Filium Dei, scribens ita : *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelio Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Nam quod prædestinatur, antequam sit in re præordinatur. Divinitas vero prædestinari nequit, quia sempiterna esse dignoscitur. Prædestinatus est autem Filius Dei in virtute, non divinitate, sed secundum quod factus est ex semine David secundum carnem, secundum quod antea Deus Pater promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, secundum quod antea Deus Pater promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Quapropter in virtute prædestinatus est Filius Dei, nimirum in qua virtute Christus Dei est virtus et Dei sapientia, Deus homo factus, et homo in Deum clarificatus, secundum quod ipse protulit dicens : *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui prius quam mundus esset apud te.* De qua deifica claritate secundum carnem Filii Dei responsum est illi a Deo Patre : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* De qua etiam isdem qui supra, de quo dictum est. *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel*, ita luculentius luce deprompsit dicens : *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis*, qui sunt Israelitæ, *ex quibus patres et adoptio et legislatio, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ecce qui secundum carnem super omnia Deus benedictus in sæcula prædicatur, nunquid non a prophetis in Scripturis sanctis simili fastu præconizatur, juxta quod prophetatus prædestinatus est Filius Dei in virtute? Utique qui de Christo prophetando prædixit, *Speciosus forma præ filiis hominum*, et cætera, de eo prosecutus adjecit : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi.* Et qui ait : *Benedictus qui venturus in nomine Domini*, subter etiam intulit : *Deus Dominus et illuxit nobis.* Et Isaias cum diceret : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum ; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul, ego Dominus creavi eum*, prosecutus cætera de ejus magnificentia, in conclusione sic ait : *Tantum in te est, Deus, et non est absque te, Deus ; vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Jeremias quoque : *Qui perfecit terram in sempiterno tempore, hic Deus noster est, et non æstimabitur alius ad illum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et dedit illam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post hæc super terram visus est, et cum hominibus conversatus est.* De quo (propheta Habacuc) cum diceret, *Existi in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo . . . . . essionis illius* deitatis ejus confessionem eleganti professione subintulit dicens : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea.* Ac per hoc quia, prout est, essentialiter promulgatur Deus a prophetis et sanctis apostolis, et proinde nusquam est solummodo vocativus, quia dicit Isaias : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus*, ita nec etiam adoptione filius vocativus, licet dixerit archangelo evangelicus, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, sed proprius, unicus, unigenitus Dei Filius, sicut supra ex eloquio sacro invicta auctoritate protulimus.

Attamen prænotati filii perditionis ad hæc et reliqua dehinc cuncta absurdi, quia nec Christo nec illius sunt evangelistis et apostolis prophetarumque oraculis creduli, pro eo quod non habendo testimonium Dei in se, non credunt in Filio Dei, mendacem faciunt eum, quoniam non credunt in testimonio quo testificatus est Deus de Filio suo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite ;* nec etiam Filio veraci veracem veritatem de se ipso dicenti : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Neque enim aliud nomen de sub cœlo, teste beato Petro apostolo, in quo oporteat hominem salvum fieri nisi in nomine Domini nostri Jesu Christi. Propter quod et psalmigraphus : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ et super filium hominis quem confirmasti tibi, et non discedimus a te.* Enimvero extorres ab hac tutissima veritate, quia nec Deo Patri credunt neque Filio ejus, nec etiam ulli theologorum Christum Dei Filium in carne venisse, manifestum est eos Antichristos esse, dicente Joanne : *Qui non confitetur Jesum Christum venientem in carne, hic est seductor et Antichristus.* Et item : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est ; et hic est Antichristus, quod audistis quoniam venit et nunc in mundo est.* Quis est autem qui solvit Jesum nisi qui dicit proprium eum esse Filium Dei ex divinitate, adoptivum autem esse ex carne, dissolvens unam personam unius Jesu Christi Dei in duas filiorum personas Dei hominis cum Nestorio, cum duarum naturarum substantia sit una in Christo persona ; quoniam Dei Filius in proprietate personæ et Filii dignitate adunavit sibi hominem ut esset unus Christus et unus Deus et unus Dei Filius totus in suis et totus in nostris, perfectus in divinitate, et perfectus in humanitate, unicus unigenitus Dei Filius. Quod cum multis idoneis testimoniis supra retulimus, et omnium prædecessorum Patrum tradito pridem catholico dogmate comprobavit, et synodalium sanctionum rata inconvulsaque sententia definivit, quorum illibata fides ista singulari, recipiendo unigenitum Filium Dei in carne venisse, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ut fierent Filii Dei adoptione, secundum quod Domini Dei assumptio nostra, et sancti Israel

regis nostri Ipse autem dixit assumptio nostra..... refugium istud factus est nobis, quia Verbum caro factum est, fiendo quod non erat, non amittendo quod erat, fiendo Deus homo ex proprietatis essentia unigenitus Filius Dei nostra assumptio et refugium, ut ex hac plenitudine gratiæ fierent homines Filii Dei adoptione. Ille, quia prius quam montes fierent et formaretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum Deus est, et ex tempore homo factus, assumptio et refugium nostrum est; illi, quia *Ego dixi*, ait, *dii estis et filii Excelsi omnes*, quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Proinde universos admonet Apostolus dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum et non secundum Christum: quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti.* Non dixit *spiritaliter*, sed *corporaliter*, ut veram intelligamus substantiam carnis, ubi est plenitudo divinitatis, habitatio corporalis: qua utique etiam tota repletur Ecclesia, quæ inhærens capiti corpus est Christi; propter quod Domini assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri, ut qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione hæc Domini commoretur: videlicet ut vera fidei confessione dicat Domino: *Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus.* Non nuncupativus Deus, non adoptivus et falsus, sed secundum odiñe assumptio nostra et sancti Israel regis nostri, susceptor et refugium Deus est noster, secundum id quod Deus est, essentialis secundum quod nomen est ejus, ita et laus ejus, dicente Propheta: *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ. Nam et ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius, quia ipse Deus meus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.* In Deo ergo salutari meo gloria mea Deus auxilii mei et spes mea in Deo est, qui vere Deus est ex duabus substantiis unigenitus Dei Jesus Christus Filius Dei, a quo non movebor dubietate, non emigrabo alterius ad culturam, quoniam Deum nescio alium præter eum. Ipse qui est Deus, et non æstimabitur alius ad illum.

Sane quia idem Deus salutaris susceptor meus, quem virgo concepit et peperit, Emanuhel, quod interpretatum dicitur *Nobiscum Deus*, ut sit Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Jacob, hortatur dicens: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus*, Deus inquam cui etiam cadenti morte carnis prophetice canitur: *Surge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*, quicq. ascendit Deus in jubilatione et Dominus in voce tubæ; secundum quod et dicit: *Psallite Deo qui ascendit super cælum cœli ad orientem.* Propter quod inquit Psalmista: *Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, quoniam rex omnis terræ, Deus, psallite sapienter.*

Non ergo insipide, sed . . . . . rex omnis terræ Deus, qui descendit et ascendit mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, regnavit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam, quoniam quippe essentialiter et verus est Deus Dominus Jesus Christus, qui ascendit in cœlum et sedet a dextris Dei, sicut doctissimorum Patrum sanctæ Chalcedonensis synodi testatur auctoritas. Ait enim: « Unum eumdemque Filium Dominum nostrum Jesum Christum confiteri consonanter omnes instruimur et docemur, perfectum eumdem in divinitate, et perfectum eumdem in carne, Deum veraciter hominemque eumdem ipsum veraciter ex anima rationali et corpore, omousion, id est unius essentiæ Patris secundum divinitatem, et homousion nobis eumdem ipsum secundum humanitatem, per omnia nobis absque solummodo peccati colluvione similem, ante sæcula quidem de Patre natum secundum divinitatem, in novissimis autem diebus eumdem ipsum propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine theotocon id est Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dei Deum unigenitum in duabus naturis, sine confusione, sine conversione, sine divisione, sine separatione noscendum, nusquam naturarum differentia per unitatem penitus commutata, magis autem salva proprietate utriusque naturæ et in unam cocunte personam, nec in duas divisum partitumque personas, unum eumdemque Filium unigenitum Deum verum Jesum Christum Dominum confitemur. » Hæc est sancta fides, inviolata veritas, amplectenda prædicatio, quam merito per Spiritum sanctum convenienter effusam per totum mundum catholica confitetur Ecclesia.

Cæterum quia scriptum est: *Nolite multiplicari loqui sublimia gloriantes, quoniam Deus scientiarum Dominus, et ipsi præparantur cogitationes*, quamvis multa suppeditentur fateri de hac individua Dei et hominis ex duabus substantiis una deitatis persona unigeniti Filii Dei, credenda sunt ista non ultra quam sapere quisquam et intelligere potest cociendo (*sic*) astipulanda: sicut nec omnino quomodo Deus Pater Deum genuerit Filium: quod et angeli nesciunt, et prophetis est inscium. Unde illud est dictum: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quam secretam originem cum proprio Filio novit ipse solus qui genuit, juxta quod ejusdem unigenitus dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater, et Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Sed, ut breviter dicam, sufficit nos scire quia lux genuit splendorem, propheta testante: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Lucem autem istam absit ut quisquam arbitretur corpoream, sed lucem sapientiæ veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum: in quo lumine obtentu fidei credo idipsum visuri erimus lumen, secundum quod e psaltidicus vates sacro cano..... *quoniam apud te est fons vitæ*, adjecit *et in lumine tuo videbimus lumen.* Interdum quoadusque iste illucescat dies et lucifer oriatur in cordibus nostris, spreta infanda hæreticorum commenta, firmissime teneatur spei nostræ solida veritas, verbi incarnati unitas ex duabus

substantiis unius personæ Filii Dei vivi Jesu Christi Domini nostri; ut cognitis naturæ utriusque documentis, et verbum in Christo homine et Christum hominem adoremus in verbo: quoniam promulgante beato Leone papa, si, prout Apostolus ait, qui adhæret Deo, unus spiritus est, multo magis Verbum caro factum unus est Christus, ubi nihil est alterius naturæ quod non sit utriusque subjiciens.

Non ergo infirmemur in consilio misericordiæ Dei, quæ nos et innocentiæ reformet et vitæ. Nec quia in Salvatore nostro manifesta agnoscimus gemina signa naturæ, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitate majestatis ullatenus dubitemus : quia idem homo est in forma Dei qui formam recepit servi, idem et incorporeus manens et corpus assumens, idem in sua virtute inviolabilis, et in nostra infirmitate passibilis, idem a paterno indivisus throno, et ab impiis crucifixus in ligno. Idem est super cœlorum altitudines victor mortis ascendens, et usque ad consummationem sæculi universam Ecclesiam non relinquens. Idem postremo est qui in eadem qua ascendit carne venturus, sicut judicium sustinuit impiorum, ita judicaturus est de omnium actione mortalium. Unde, ne pluribus testimoniis immoremur, unum sufficit ex Evangelio beati Joannis adhibere, quod ipse Dominus noster hoc dicit : *Amen amen dico vobis, quia venit hora et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Ergo sub una sententia, quia Filius Dei est, atque quia filius hominis est, apparet quemadmodum Christum Dominum in unitate personæ credere debeamus; qui cum sit Filius Dei per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem factus est carnis, ut moreretur, sicut ait Apostolus, propter delicta nostra, et resurgeret propter justificationem nostram, unus idemque Deus homo et homo Deus, Filius Dei, filius hominis; et filius hominis, Filius Dei. Verum quoniam nonnisi ex utroque salvamur. Talis enim erat hominum a primis ducta genitoribus causa mortalium ut originali peccato transeunte per posteros nullus pœnam damnationis evaderet nisi Verbum caro fieret et habitaret in nobis. Nec enim Verbum aut in carnem aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum simplex et incommutabilis natura deitatis tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum. Et sic assumptam.... ..... glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens aut impossibile videatur ut Verbum caro atque anima unus Jesus Christus et unus Dei hominisque sit Filius, si caro et anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciant etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multo facilius sit ut hanc unitatem sui atque hominis deitatis præstet potestas quam ut eam in substantiis obtineat solius humanitatis infirmitas.

Nec Verbum igitur in carnem, nec caro in Verbum mutata est; sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus. Non alius ex Patre, alius ex matre; sed idem alter ex Patre ante omne principium, alter de matre in fine sæculorum; ut esset mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, in quo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter. Totum igitur corpus implet tota divinitas; et sicut nihil deest illius majestati cujus habitatione impletur habitaculum, sic nihil est corporis quod non suo habitatore sit plenum, in quo et nos sumus repleti. Quod autem dictum est, *Et estis in illo repleti*, nostra utique est significata natura; ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri sibi generis et animam et corpus invenisset, quæ ita in unitate convenerunt ut nec separationem possint habere nec finem, verus homo vero unitus Deo, nec secundum existentem prius animam deductus e cœlis, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eamdem gerens in Verbi deitate personam ut veritas affectionum sub moderamine deitatis esset et mentis, et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator nisi idem Deus idemque homo in utroque et unus esset et verus. De quo uno veroque docet beatus apostolus Petrus magnum esse pietatis sacramentum : *Quod manifestatum est*, inquit, *in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria.* Item unde supra sanctus Hilarius in divinis dogmatibus insigniter orthodoxus ita est orsus: « Cum Verbum Deus in sacramento naturæ suæ manens homo natus sit, natus autem est non ut esset alius, sed ut ante hominem Deus suscipiens hominem homo Deus possit intelligi. Nam quomodo Jesus Christus Dei Filius natus ex Maria est, nisi quod verbum caro factum est, scilicet quod Filius Dei, cum in forma Dei esset, formam servi accepit? » Cum ergo Dominus et salvator noster Jesus Christus et natus et passus et mortuus et sepultus sit et resurrexerit, non potest in his sacramentorum diversitatibus ab se dividuus esse ne Christus sit, cum non alius Christus quam qui in forma Dei erat formam servi accepit, neque alius quam qui natus est mortuus est, neque alius quam qui mortuus est resurrexit, neque alius quam qui resurrexit sit in cœlis, in cœlis autem non alius sit quam qui descendit de cœlis. Homo itaque Dominus Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem et verbum ut hominis filius ita et Dei Filius. Audi in hoc apostolicæ doctrinæ eruditam, non carnis sensu, sed dono Spiritus, fidem, cum Græcis sapientiam et Judæis signa petentibus loquitur: *Nos autem prædicamus Jesum Christum et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Jesum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Nunquid divisus est Christus, ut alius sit crucifixus et alius Christus virtus et sapientia Dei? Et cum idem unus atque unus sit, de-

scendens et ascendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit Dei Filius et hominis filius, et Verbum Deus et homo caro, et passus et mortuus et sepultus, et resurgens in cœlum receptus, sedens a dextris Dei, habens in se uno eodemque per dispensationem atque naturam in Dei forma et in forma servi sine aliqua separatione quod homo est, et divisione quod Deus est, non ambiguum in quo sacramento et passus est et viveret. Et cum in eodem esset infirmitas ad passionem et ad vitam Dei virtus, non alius ita divisus a se esset qui et pateretur et viveret. Passus est enim unigenitus Deus quæ homines pati possunt, sicut dicit Apostolus : *Quia si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris*, salvus utique credendo et confitendo Dominum Jesum ex se ipso et mori et resurgere potuisse. Nec enim, si non homo esset, mori potuisset, neque, si non Deus, resurgeret. Unus idemque, etsi crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Quod salutaris dogma salutarisque confessio misericordia Dei melior super vitas, quidni salutare vultus mei et Deus meus, licet proprium syntagma exposcat testificationem authenticorum multiplicem, Stephanus tamen episcopus in encycliis ad Leonem principem exinde scribens mirabiliter dicit : « Indutus est Filius tunicam corporis, hoc est, integrum hominem, de sancta virgine, quam sanctus Spiritus texuit. Ineffabiliter in ingressu, inenarrabiliter in egressu, incomprehensibiliter ingressus est invisibilis, egressus est visibilis. Ingressus est Dei Verbum, egressus idem est homo. Paradigmate siquidem isto idem est exutus qui et indutus, scilicet qui absque homine Dei Filius, etiam et cum homine unus idemque Filius. Non alius adoptivus, et alius proprius Dei Filius; sed idem qui ex Deo est Deus, idem in homine Dei est unigenitus Filius; quoniam si et habitu est inventus ut homo, non est habitu immutatus; licet habitus sit illi aptificatus, non ullo modo adoptatus. Verum qui habitus non est habentis personæ persona, sed participatio naturæ persistendo natura. Ac per hoc consulte Dei Filius habendo habitum, habitu inventus ut homo, idem ipse manet naturali proprietate habendo habito, ipsa sui deitatis persistendo singularitatis persona, quoniam persona ingenunata propria sua in homine venit, deitatis persona. Propter quod dicit: *Ego veni in nomine Patris mei*. Nomen enim Patris personam perstruit Filii : quia nonnisi habendo Filium paternam gerit personam. Qui ergo in nomine Patris venit, nihilominus Filius ejus fuit. Et ideo non duo venerunt filii verus et falsus, aut unus partim proprius, partim etiam adoptivus, sed unus Jesus Christus ex toto benedictus qui venit in nomine Domini. Quia qui in principio erat Verbum, idem Verbum caro factum est, individuus; unus proprius et verus unigenitus Dei Filius. Et si aliud atque aliud ex convenientia naturarum, non tamen est alius, sed unus idemque ex toto unigenitus Dei Filius. » Quod congruis exemplis sanctus Augustinus Feliciano exponens Ariano, inter cætera ait: « Non alius homo corpus, alius animus. Quamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atque idem homo et corpus docetur et animus. Rursus non unum atque idipsum corpus docetur et animus, quia ex utroque homo factus est unus. Non enim hæc aut substantias confundunt in unitatem personæ, aut personam geminant diversitate substantiæ, quandoquidem unus ex his homo noscitur exstitisse. Non perdunt propria; sed quia in unum atque inseparabiliter conveniunt, ex propriis videntur facta communia. Afficitur in corpore mens doloribus corporis, fatigatur corpus cogitationibus mentis; et unum tamen horum proprium est corporis, alterum mentis. Quæ dum uni homini acciderint, corporis commune videntur et mentis. Sic post partum virginis non alius Dei et alius hominis, sed idem Christus et Dei et hominis Filius fuit. Et sicut in uno homine aliud animus, aliud corpus, sic in mediatore Dei et hominum aliud Dei Filius, aliud hominis fuit. Unus tamen ex utroque Christus Dominus exstitit. Aliud inquam pro discretione substantiæ, non alius pro divinæ proprietate personæ. » Et velut superius diximus quod ex anima rationali et carne unus fit homo, unius Patris unicus proprius et verus unigenitus Dei Filius, ita Deus et homo unus est Christus, ex toto proprius et verus unigenitus Dei Filius. Proprius siquidem, quod proprio Filio suo non pepercit Deus. Unigenitus et verus, juxta quod est sanctus evangelista confessus : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*. Quique nimirum de terrigena virgine natus, veritas de terra orta est, idcirco veritas unigeniti et mendacium adoptivi..... veritatis careat mendacium adoptionis, et veritas unigeniti excludat alterius adoptionem mendacii. Ipsum vero et unigenitum declaratum et veritatem scimus Joanne apostolo attestante : *Quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna*. Eademque præterea veritate de semet in Joannis Evangelio proloquente quod sit veritas unigenitus ipse : *Ego sum*, inquiens, *via et veritas et vita*. Unigenitum se etiam fatendo, cum dicit : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ac ideo, teste eodem unigenito, qui credit in eum non judicatur; qui vero non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Quocirca non immerito hæretici judicantur Feliciani, qui a tanta unigeniti veritate dissentire probantur. Nobis sane istiusmodi credulitatis in confessione unius Dei et hominis unigeniti filii Dei solummodo una in veritate persona sanctorum patrum et Dei oraculis promulgata, qua capacitate nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto, quo corde creditur ad justitiam, ore confessio fit in salute, sufficere credimus, dicente Apostolo : *Sicut-*

dem sunt dii multi et domini multi. Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Igitur quia unus est Dominus Jesus Christus, dualitatem non recipit. Unum enim dividi non potest. Deleantur ergo a suo errore qui dualitatem in Christo nisi sunt introducere, proprium eum dicentes esse Filium Dei divinitate, et adoptivum ex carne, cum, sicut jam dixi, et competenter iterum iterumque inculcare non piget, ceu ex anima rationali et carne unus est homo unius genitoris proprius filius, ita et Deus homo unus sit Christus, unius Patris proprius unigenitus, verus Dei Filius. Ille ex mare et femina tantum originaliter solus. Dominus de Spiritu sancto ex Maria virgine singulariter Deus et homo Christus est, individuus, unus. Unus itaque Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Ipsi gloria ex hoc nunc in Ecclesia et in Christo Jesu per omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

III.

(Apud Baluz., ibid.)

Benedictus Guarnario filio salutem.

Fili mi, exaudi, oro, vocem parentis post tergum pignoris exorantis. Imo ut acceptes, obsecro, quæ etiam depromo. Fascinatio, procacitas, eque ut augacitas, vana impudentia, quia sunt fatua, ne favessitus fascinatione eucharis linguæ parasitorum, tua abroges ipsa jura, cave ne quando aviditate præpropera abdices ea ipse: quoniam qui in principio hæreditare festinat, in novissimo benedictione carebit. Omnia enim tempus habent; licet is qui instituit tempora maneat extra tempora, et quæcunque in ejus æternitate æterna, a quo quia moderantur universa tempora omnibus mobilibus, ejus mobilior est sapientia, dicitur illi: *Omnia in sapientia fecisti.* Quique sapientia fecit cuncta, putasne in sapientia disponit ea? Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Quocirca observa ne insipienti favore a sapientia desipiscas: quoniam divitiæ salutis sapientia et scientia, ac timor Domini ipse thesaurus ejus. Sapientia autem est hominum pietas, recedere a malo intelligentia. Pietas ex religione divina, intelligentia ex rationali prudentia, secundum quod illud est Evangelium ex religione simplicitas columbina, et ex intelligentia prudentia serpentina. Siquidem simplicitas a singulari sapientia dicta. Alioquin simplicitas, quia stultitia est deputanda, prudentia a porro videntia, id est, a longe ante conspicientia quæcunque venientia. Utique simplicitas singularitatis, quia Deus excedens omnia est, qui operatur in nobis et velle et perficere per bona voluntate: cedendum istiusmodi intellectus sapientiæ: prudentissima prudentia assequenti divini muneris est, cujus moderatu singulari, ex quo resisti nititur, ex tunc omni modo exordiri ira illius comprobatur, non divinitatis perturbatio, sed justa renitenti rebibitio, juxta quod dicitur: *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas.* Ac per hoc te quæso bene indolis ne ipse ira efficiaris Dei renitendo ei, sed ut ante omnia animadvertas propheticum illud memento, qui cum diceret Deo, *Tu terribilis es, et quis resistit tibi?* illico subjecit: *Ex tunc ira tua.* Nempe quia ex eo est ira Dei ex quo..... resistere illi. Exspecta igitur Dominum..... a latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. Non enim est hominis via ejus neque viri ut ambulet et dirigat gressus suos; sed a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet. Cede ergo voluntati Dei, volenti tuam, sequendo suam, ut non tua, sed secundum quod tempus dictaverit, exspectes ut fiat voluntas immutabilis sua. Cæterum voluntati ejus, cum sit immutabilis, quis resistit? Quam immutabilitatem ut verbis disertissimi eloquar Augustini, in tantum licet mutabilis videre poteris in quantum in ea nihil mutabile contemplabis, nec locis et temporibus, sicut corpora, nec solum temporibus et quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes, nec solis temporibus ex nulla vel imagine locorum, sicut quædam nostrarum mentium ratiocinationes. Omnino enim Dei essentia, quæ nihil habet mutabile, nec in æternitatem, nec in veritatem, nec in voluptatem. Quia ibi est veritas, æterna charitas. Et vera ibi est charitas, vera æternitas. Et chara ibi est æternitas, chara veritas. Ubi si cordis oculo te defixeris, terrigeno spreto angore, rato inconvulsoque divino numine compertus, et his temporaneis et perennibus beaberis ineffabilibus muniis. Ut sane exinde fœdere fidei fœdereris, formam fidei te expescente decepsi, qua te indeptum omnique erroris dempta deformitate, una nobiscum novando novale spiritu mentis tuæ, licet noster homo exterior corrumpatur, sed interior renovatur. Quodque beatus Paulus apostolus sanciendo cum promulgaret: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est;* alias inculcans liquidius: *Exuentes vos*, ait, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Repulso ergo veterrimo cupiditatis homunculo, dehinc compos instrumento perstructo, exoptando te, fili, efflagito, in novitate vitæ ambulare satagito. Et quia dicente Apostolo credere oportet accedentem ad Deum, et accedere est audire, quoniam fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, conventione hujus novitatis habendo fidem qui operatur per dilectionem, age jam nunc de compendio, ut ad ejus commercii transeas visionem. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed asserente etiam beato papa Leone, in tramite fidei angusta et ardua est via quæ ducit ad vitam, et magni laboris est magnique discriminis

inter dubias imperitorum opiniones et verisimiles falsitates per unam sanam doctrinam semitæ inoffensis gressibus ambulare, et cum undique se laqueï errorum opponant, omne periculum deceptionis evadere. Quis autem..... nisi qui Spiritu Dei docetur regitur, dicente Apostolo: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Canente etiam David: *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Enimvero vere beatus, eatenus bene auctus, quia eruditione irreprehensibilis legis Dei docti fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hac igitur doctus doctrina, plurimorum ad justitiam eruditor, fulgoratus hoc fulgore sacro in perpetuas æternitates valeto.

Neve aliquo fatigeris a superstitioso argumento inscio de fide apocryphe, scito professu Græco fidem esse hoc modo, una usia, ac si dicat, una natura vel essentia, tres hypostases, quod resonat in Latinum vel tres personas vel tres substantias. Nam Latinitas proprie non dicit de Deo nisi essentiam. Substantiam vero non proprie, sed pronuntiat abusive: quoniam vera substantia apud Græcos persona intelligitur, non natura. Unde apud modernos scholasticos, maxime apud Scotos, iste syllogismus delusionis, ut dicant trinitatem, sicut personarum, ita esse substantiarum, quatenus si assenserit illectus aliter trinitatem trium esse substantiarum Deum, trium derogetur cultor deorum; si autem abnuerit, personarum denegator culpetur; culpetur propter idioma Græcum, derogetur propter sermonem Latinum. Sed hæc de fide et omnis calliditatis verantia simplicitate fidei catholicæ est puritate vitanda, non captiosa interjectione linguarum, scæva impactione interpolanda. Porro autem fides catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Quoniam quippe alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Non coæternæ majestates, non æquales gloriæ, non trina deitas, aut triplex divinitas, id est, unum; sed una est divinitas, una deitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Identidem nec etiam trinus Deus, sed Trinitas Deus est unus. Unus sane isto modo, et Deus et Dominus unus et spiritus. Et hæc una est catholica fides, qua te fœderatum fidei unitate et nunc et in æternum opto valere. Valeas, vigeas per sæcula cuncta beandus, uti fidei pensum cujus est cernes ipsum, munus inexhaustum contuendo per sæcula divinum, saturitate xasa sat conspicando Deum.

IV.

Confessio fidei Benedicti levitæ, etsi peccatoris nonnunquam erronei, tamen fœdere isto fidei inexhausto fidenti.

(Apud Baluz., ibid.)

Confiteor tibi, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, in virtute et dono et gratia Spiritus tui, cum timore et tremore et gaudio gratiarum, opus depromens ex cordis devotione, in oris resultando professione. Gratias ago, sed ex toto corde, tota anima, totaque virtute, justitiam fidei dono muneris tui credendo, ore in salutis confessionem pronuntio. Gratias ago; sed obsecro sit tibi, o Domine, sacrificium acceptabile confessio nominis tui, secundum quod tibi debetur gratiarum actio et vox laudis in Trinitatis unitate et unitatis Trinitate, uni Deo vero et vivo, visibilium omnium et invisibilium creatori, et recreatarum rerum recreatori, non ex necessitate sed ex tua omnipotentissima benignitate quæcunque agenti, quia nullius egnisti quæcunque fecisti, quodque tibi confiteor bonorum meorum non indigenti, immoto in te manenti, et quæ moventur moventi, quia in te vivimus et movemur et sumus. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Sed quia filii servorum tuorum habitabunt ibi, et semen eorum in sæculum dirigetur, hos, inquam, æternitatis annos in idipsum lucem tuam inaccessibilem, o Domine, habiti directi in sæculum fide tenus nunc, tunc autem specie tenus æternitate fruendo, ut sint ipsi æterni, idcirco posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Meo ergo nunc sæculo illuminatus fide isto tuo lumine, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, confiteor et ego eamdem incommutabilitatem, Patrem te Deum omnipotentem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiæ aut, quod certius dici potest, essentiæ, ejusdemque potestatis et sempiternitatis, unum verum Deum invisibilem, incorruptibilem, immortalem, immutabilem, natura simplicitatis incorporeum, immensitate incomprehensa incircumscriptum, ubique præsentem, et omnia excedentem, incontiguum et omnia continentem, majestate individua in æternum et ultra regnantem, viventem vitam, vitam a vivente, vivificatorem viventium, unum in duobus, et utrosque in idipsum, Patrem in Filio, Filiumque in Patre, in sancto Spiritu. Igitur cum professione orthodoxa theologorum confiteor ita te, Domine, Trinitatem, in Patre unitatem, in Filio æqualitatem, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordiam, et tria hæc unum, omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Sis ista Trinitas tu isdem ineffabilis, Domine Deus existens divina natura, lux lucis, et fons luminis, spiritus lucis, spirituum omnium sumus, a te per naturam, per substantiam majestatis, potestatis, atque virtutis, ab æterno in æternum sine

termino infinitus. Infinitas æternitatis in Patre, species in imagine, usus in munere. Sempiterni genitoris genitus sempiternus, et consempiternus utrorumque procedens ab utrisque Spiritus sanctus. Et id totum est simplum, totum trinitas, totum unitas, totum omousion. Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et virtutis tuæ et figuræ. Perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo Deo, figura et imago deitatis, verbum penetrans, sapientia comprehendens omnia, et virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, et invisibilis ex invisibili, et incorruptibilis ex incorruptibili, et sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit, perfecta imago Filii perfecti, perfecta viventium causa, sanctitas sanctificationem præstatrix : per quem Deus solus super omnia et in omnibus cognoscitur, et Filius per omnia. Est enim intellectus sapientiæ Spiritus sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, qui nihil vetat bene fieri, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Siquidem hujus communicationis largitate confiteor singillatim personarum proprietatem servatam, nec substantialiter Trinitatem dividi, nec personaliter omnino confundi, sed omousion Trinitatem magis magisque confitendo Deum, non autem omousion, quod, proh nefas! hæretici exsecrate dixerunt. Sacratiori sane differentia fidei confiteor te cum catholica omni Ecclesia Patrem unigenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed ex Patre Filioque procedentem, Filium a te Deo Patre nascendo procedere, Spiritum sanctum procedendo non nasci. Et hanc inæstimabilem nativitatem; sed et processionem, nec cœpisse et perfectam esse, nec destitisse et sempiternam esse confiteor. Sed istam generationem tuam, o Domine, ineffabilem vere, quin potius incomprehensibilem, quis enarrabit? Quis enim ut est non solum edicere sed etiam comprehendere valeat genitum non esse genitori posteriorem, ac non id quod genuit præcedere generantem? Hæc autem generatio nec anterius nec habet quidquam posterius : quia ut nunc genitor es, ita Pater ab æterno es, quoniam immutabilis es. Semper ergo exstitisti Pater, qui semper habuisti Filium cui existeres Pater. Quia itaque immutabilis es, semper fuisti ut es. Et ideo Filium non præisti, qui semper, Pater ut esses, Filium habuisti, qui sicut nec cœpisti id esse, ita nec etiam destitisti : quia tu idem ipse es Pater, sicut ab æterno fuisti. Quocirca sicut a principio ante luciferum, ita te hodie genuisse dixisti, ut nec cœpisse et perfectam esse ostenderes istiusmodi generationem generis tui : *Tecum*, inquiens, *principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ante luciferum genui te;* et : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sui ergo principium designatur ante luciferum genitus, eique dicitur : *Hodie genui te.* Hinc sempiterna nativitas declaratur. Propter quod ab Apostolo dicitur : *Non est in illo Est et Non, sed Est in illo fuit.* Sed esto, maneat sicut est, generationem ejus quis enarrabit? Quis nativitatem illius cum processione distinguere valeat a Spiritus sancti processione sine nativitate? Quis hanc differentiam processionis nec genitam nec ingenitam a processione distinguere appetat Filii genita? Quis qualem Patrem, talem Filium, talemque Spiritum sanctum audiens, ad talem personarum differentiam uniformem ex simplici essentia deitatis hujusce etiam singularitate majestatis non obstupescat attonitus? Quin præterea quomodo capiat ubique totum, ubique præsentem, non per partes divisum viritim personarum proprietate, sed totum in omnibus virtute omni tenente localiter, sed potentialiter per excellentem præsentiam majestatis? qua licet sis ubique, dees tamen plerumque : quia si præsentia, non tamen es gratia. Sed si non possumus capiendo distinguere, possumus te docente fideliter confiteri, donec illucescat dies et lucifer oriatur in cordibus nostris idem unigenitus Jesus Christus Filius tuus; qui sicut nascendo de te vero Deo Deus est verus, ita lumen de lumine : in quo lumine tuo credo videbimus lumen, lumen, inquam, verum quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, et dicit : *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Siquidem ut hoc lumen verbum sapientiam ac tuam virtutem prosequi valeremus, per quem fecisti omnia, hunc Filium tuum voluisti fieri inter omnia, ut per quem fuerant creata, per ipsum essent et recreata, propter quem omnia, et per quem omnia. Ac ideo hunc Verbum caro factum confiteor, suæ carnis conceptione conceptum, et suæ carnis nativitate natum, non adoptivum, sed proprium unigenitum tuum, perfectum Deum perfectumque hominem ex sancta et immaculata semperque virgine theotocon beata Maria, animatum anima rationali, vera carne absque peccato de Spiritu sancto conceptus, ut hominem quem sola bonitate creaverat, quemque ad imaginem et suam similitudinem perfecte formaverat, sponte de hoc schemate lapsum misericorditer repararet, reparatumque catholico baptismatis lavacro, sui etiam confirmaret corporis sanguinisque celebre sacramento. Quem veraciter crucifixum secundum assumptionem, non autem secundum assumentis virtutem, confiteor, et ad inferos descendisse, suorumque liberationem inibi egisse, ac die tertia veracissime resurrexisse, et cum eadem ipsa carne glorificata in cœlum ascendisse, in qua ad judicium vivorum et mortuorum exspectatur venturus. Hujuscemodi sacramento resurrecturos cunctos confiteor homines in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, non naturam aut sexum mutando, sed tantum fragilitatem et vitia deponendo, secundumque studiorum et operum differentias et gratiam propositumque justitiæ bonitatis Dei eun-

tibus, sic aliis in opprobrium et ignem æternum. Confiteor etiam quod divinam humanamque substantiam in utraque perfectus unam Christus personam gestaverit : quia nec geminavit utriusque substantiæ integritatis personam, nec confudit geminam unitatis personæ substantiam. Alterum quippe neuter exclusit, quia utrumque unus intemerato jure servavit, secundum quod dicit : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et qui descendit, ipse est et qui ascendit.* Magnum ergo hoc est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Sic sic quæ sursum sunt sapiendo vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita nostra, credo, Domine, et nos apparebimus cum ipso in gloria, cum quo tibi Deo Patri in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria, virtus, majestas, et imperium, ac nostri miseratio per indebitam misericordiam tuam, gratuita prævenientе ac subsequente gratia ex nunc et per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

V.

Excerptus diversarum modus pœnitentiarum a Benedicto abbate [Anianensi] distinctus de Regula sancti Benedicti abbatis.

(Apud Baluz., Capitul. tom. II, p. 1385.)

Plurimi nequaquam pleniter intelligentes judicio- rum sententias in Regula sancti Patris nostri Benedicti, aliter quam præcepit judicare solent. Sciendum itaque est quatuor ibi contineri modos quibus delinquentium error corrigitur.

Primus namque est quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit. Ut est : Qui per negligentiam tempore constituto ad Nocturnos non pulsaverit signum. Unde in oratorio satisfieri jubet. Et qui ad officium divinum tarde occurrerit. Et qui per negligentiam hora refectionis ad mensam. Et si cui offertur aliquid a Priore, et accipere renuerit. Et si quis, dum pronuntiat psalmum aut lectionem, fefellerit. Et qui pro aliqua arte extollitur.

Secundus est de spiritalibus rebus. Unde ipse dicit : Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo, id est, spiritali tantum, contrarius existens sanctæ Regulæ. Qui proficiendo usque ad septem gradus extenditur. Occulte videlicet castigatio [*Al.*, castigando], publice corripiendo, in levioribus culpis excommunicando, in jejuniis nimis affligendo, verberibus coercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum de monasterio expellendo.

Tertius de rebus exteriorious. Hoc est : Si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monasterio.

Quartus de criminalibus delictis.

Denique per ordinem eosdem repetentes.

De primo sciendum est quod nullatenus aliter nisi juxta quod Regula jubet, fieri debet; hoc est, non alienum sed proprium est judicium ponendum.

De secundo sollicite considerandum quia non omnibus personis suprascripti gradus conveniri potе runt. Quia aliter corrigendi sunt honesti, aliter improbi. Nam Regula præcipit de contumacia ut secrete semel aut bis admoneatur. Et alibi dicit : Si contumax fuerit, de monasterio expellatur. Necesse est ergo ut justo moderamine utrumque decernatur. Qualiter secundum Regulam et contumax secrete moneri possit et de monasterio expelli. Ille namque secrete est admonendus : quia licet aliquid a Priore imperatum refutans, mox tamen emendatus emendationem promittens. Qui et honestus jure dici poterit. Et ille de monasterio expellendus qui et contumax existit et nullo unquam pacto acquiescit suscipere disciplinam. Quem omnimodo contumacem Regula vocat. Unde et merito improbus est dicendus. Quanquam et improbum illum etiam vocet qui, licet frequenter corripiatur, disciplinæ tamen regulari non contradicit : qui honestatem quam prius, dum se emendare profitens, habere videbatur relinquens, ad improbam duramque mentem transit. Neque, ut supra dictum est, omnibus personis omnes gradus conveniri poterunt; quia videlicet diversæ sunt qualitates mentium; un unde [*Forte*, ut unde] unus medetur, inde alter perimitur. Quapropter quorumdam verberibus sunt coercendæ personæ, minime vero quorumdam. De quorum qualitatibus Regula dicit : Secundum uniuscujusque, inquit, qualitatem vel intelligentiam omnibus se conformet et aptet. Itemque alibi : Ut viderit cuique expedire, prudenter et cum charitate studeat amputare vitia. Et notandum tria inspicienda semper in judicio esse, personam videlicet, intentionem, atque modum delicti. Personam, utrum intellectu et modestia vigeat, vel duritia et inquietudine mentis contradictor existit. Intentionem, utrum studio an infirmitate deliquerit. Modum, utrum graviter vel certe leviter erraverit. Unde et Regula dicit : Secundum modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Igitur omnis spiritaliter delinquens tandiu secrete moneri debet donec se ipsum ipse improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum. In qua publica correptione si non emendaverit, ad excommunicationem leviarum culparum transibit. Ubi cum diutius nequiverit corrigi, nimium jejuniorum maceratione affligatur. Per quam non correptus si persona exstiterit talis, flagellorum coerceatur acredine. Sin vero personæ non admiserit consideratio, communiter ab omnibus misericordia imploretur Omnipotentis. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, præcidatur a corpore monasterii. Et si contigerit ut per negligentiam, dum aut in occulto aut in publico admonetur, aliquid damni monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundum modum culpæ. Et peracta pœnitentia, ite-

rum revertatur ad id ubi prius tenebatur. Et non solum dum verbis monetur, verum etiam si aliquo ex supradictis gradu deprimatur.

Primus capitulus est XXII. Ibi omnes gradus inveniri valent.

Secundus vero capitulus est de pueris minore qualiter ætate corripiantur, XXX.

Ubi facile patet quod in vicesimo tertio scriptum est. Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur. In fine videlicet capitis XXX ubi dicit : Hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acris verberibus coerceantur, ut sanarentur.

Hunc sequitur XXVIII. De his qui sæpius correpti emendare noluerint. Ubi similiter septem prædicti gradus inserti sunt. De tertio autem modo judiciorum sicut supra dispositum est. De damno cujuslibet rei exteriori est intelligendum, ubi solummodo animadvertendum, si negligentia interveniente damnum exstiterit factum. Tunc secundum modum delicti et personam et intentionem levioribus culpæ judicium subjacebit. In quo modo continetur quidquid in Regula invenitur. Sive gravissimæ vindictæ subjaceat, seu graviori, seu regulari, seu excommunicetur, seu excommunicationi subjaceat.

Præter hoc quod in quibusdam locis inveniter districtiori disciplinæ subjaceat. Quod quidam ita intelligi volunt, ut si occulte aut publice verbis monebatur, in eodem gradu acrius corripiatur.

Quartus quoque modus, ut prædictum est, de capitalibus criminibus constat, fornicatione videlicet, adulterio, atque ebrietate assidua, cæterisque quæ nullo modo nisi pœnitentia corporali secundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus et modus nec non et persona atque intentio semper inspicienda sunt. Ubi pariter quoque sanctorum Patrum institutio sollicite est perpendenda.

CHARTÆ ANIANENSES.

I.

Præceptum Caroli Magni pro monasterio Anianensi. (Anno 787.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. V, pag. 455.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Carolus, gratia Dei rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum. Magnum regni nostri inaugere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis ecclesiarum benevola devotione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus [*Al.*, confidimus]. Igitur notum sit omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, vicariis, centenariis, judicibus, seu omnibus fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio, quod ipse novo opere jure proprietatis a fundamentis in honore Dei genitricis Mariæ, seu aliorum sanctorum ædificavit in loco nuncupante Aniano, in pago Magdalonense, subtus castro Monte-Calmense, ad nostram accessit clementiam, et prædictum monasterium cum omnibus rebus et ornamentis ecclesiæ, seu appendiciis vel adjacentiis suis in manibus nostris plenissima deliberatione visus est delegasse, et ipsum sanctum locum sub nostra defensione atque dominatione ad regendum visus est nobis tradidisse. Idcirco ad ejus petitionem tale pro æterna retributione beneficium erga ipsum sanctum locum visi fuimus indulsisse, ut in ecclesiis et locis, vel agris seu reliquis possessionibus ipsius monasterii, quas moderno tempore per nostram donationem ac confirmationem ceu cæterorum fidelium juste possidere videtur, in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, præcipientes jubemus atque anathematizamus, ut nullus comes, neque episcopus, aut ulla judiciaria potestas ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos, qui supra terram memorati monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas, aut ullum omnino censum inquirendum ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed hoc ipse abbas vel successores sui, aut monachi memorati loci, præsentes scilicet et futuri, propter nomen Domini sub integræ immunitatis nomine, absque cujuslibet iniquitate aut contrarietate valeant dominare : et nulli unquam homini pro qualicunque re nullum omnino censum audeant impendere; sed ipsum sanctum locum sub nostra defensione et dominatione volumus constare; statuentes atque jubentes, ut neque vos, neque juniores seu successores vestri vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesiis et locis, vel agris seu reliquis possessionibus suprascripti monasterii, vel de omnibus quæ suprascripta sunt, ullo unquam tempore inquietare et exactare præsumatis. Sed quod nos propter nomen Domini et æternam remunerationem ad jam fatum monasterium indulsimus perennis temporibus proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione suprascriptus venerabilis abbas Benedictus vel successores ejus de hac luce ad Dominum migraverint, qualem meliorem et notis per omnia fidelem ipsa sancta congregatio de suprascripto monasterio aut de qualicunque loco volue-

Delenda hæc invocatio, quæ addita fuit.

rint eligere abbatem, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram auctoritatem ex præmissa indulgentia licentiam habeant; et ubicunque voluerint ordinari et ipsi aut monachi ipsorum, vel a quolibet pontifice, ex præcepto et consensu nostro potestatem habeant : quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, et stabilitate totius regni a Deo nobis commissi vel conservandi, attentius Domini misericordiam exorare delectentur. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostrisque futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inviolata manere, manu propria signaculis subscripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Data VI Kal. Augustas, anno XIX regni nostri.

Actum in Raganesburg palatio nostro publico, in Dei nomine.

II.

Præceptum Ludovici Pii imperatoris pro eodem monasterio.

(Anno 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit cunctis fidelibus nostris partibus Septimaniæ, Provinciæ, Burgundiæ consistentibus, vel omnibus rem publicam procurantibus, præsentibus scilicet atque futuris, quia in eleemosyna nostra Benedicto abbati ex monasterio Aniana, quod est constructum in honore Domini nostri Jesu Christi, pago Magdalonense, seu successoribus, rectoribus videlicet memorati monasterii, pro opportunitate servorum Dei in eodem cœnobio consistentium, concessimus ut, quandocunque eis libuerit missos suos in aliquam partem imperii nostri negotiandi causa dirigere, cum carris videlicet et saumis sive navigio, cum qualicunque scilicet negotio, licentiam habeant pergendi ubi voluerint, absque alicujus infestatione vel contrarietate. Ideo has litteras auctoritatis nostræ eis fieri jussimus, per quas jubemus cunctis fidelibus nostris et junioribus vestris, ut nemo teloneum, vel pontaticum, nec portaticum, aut cespitaticum, seu rotaticum, aut navaticum, atque salutaticum, vel ullum censum, aut ullam redhibitionem ab eis exigere præsumatis. Sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem pacifice et libere huc illucque discurrere, tam terra quam navigio, et absque alicujus contrarietate, sicut superius intulimus, vel infestatione aut detentione, negotia sua peragere, vel ubicunque advenerint, per vos defensionem et salvationem habeant. Et si aliquis temere hanc nostram præceptionem irrumpere tentaverit, magistri locorum illorum qui rem publicam procurare noscuntur, illud emendari jubeant, si Dei nostramque velint habere gratiam. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora plenius conservetur, de annulo nostro sigillari jussimus.

Faramundus ad vicem Helisachar scripsit.

Data IX Kal. Maias, anno 1, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen.

III

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicedominis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus, vel missis nostris discurrentibus notum sit, quia quidquid propter divinum amorem vel opportunitatem servorum Dei agimus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur comperiat omnium fidelium nostrorum solertia, præsentium scilicet et futurorum, quia vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio Aniano, sito in pago Magdalonense, constructo in honorem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctæ Mariæ semper virginis, seu et cæterorum sanctorum, detulit nobis præceptum domini et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, in quo continebatur qualiter ipse memoratum monasterium in suo proprio construxerat et eum eidem genitori nostro per chartam donationis delegaverat; et quomodo idem serenissimus imperator ipsum et monachos ibidem degentes sub immunitatis defensione susceperat. Sed pro firmitatis studio petiit prædictus abbas celsitudinem nostram, ut denuo nos ipsum monasterium sub nostra defensione reciperemus et pro mercedis nostræ augmento similia ei concedere et confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus; sed ita in omnibus et præsentes et futuri fideles sanctæ Dei Ecclesiæ et nostri concessum et perpetuo a nobis confirmatum esse cognoscant. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus de fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore per donationes et domni imperatoris Caroli et nostras et cæterorum fidelium juste possidere videtur in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos, aut per alios, voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quamque servos, qui supra terram memoratæ ecclesiæ residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat,

totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores sui de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se talem invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates : quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, ac stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data IX Kal. Maii, anno I, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro, in Dei nomine feliciter. Amen

IV.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 814.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad monasterium, quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctæ Mariæ semper virginis, seu aliorum sanctorum, ubi Benedictus abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est, quamdam cellulam nuncupante Gellonis in pago Lutevense, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domini et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt : nec non et in prædicto pago villam quæ dicitur Magarantiate; ei in eodem pago in loco qui dicitur Castra, pastura ad pecora eorum alenda, cum terminis et adjacentiis suis ; in pago Bederense fiscum nostrum Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii, et Militiane villam; et in pago Magdalonense castrum quod dicitur Montecalmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a terminis ejusdem monasterii Anianensis usque ad terminos eorum, sicut domnus et genitor noster Carolus bonæ memoriæ piissimus Augustus trans ripam præfati fluminis per suum præceptum ad proprium antedictum tradidit monasterium, excepto proprium ingenuorum hominum, quod infra conjacet. Item in eodem pago illos segos cum piscatoria, quantumcunque in eodem loco idem genitor noster quondam ad suum habebat opus, qui est inter mare et stagnum, cum ecclesia et villaribus et omnibus aspicientiis vel adjacentiis suis. De silva vero quæ eidem fisco adjacet, concedimus eisdem monachis et eorum hominibus, ut ad usus et ad piscatorias recmendendas, quantumcunque necesse fuerit ad eorum utilitates, accipiant. Pascua etiam ad animalia alenda absque ullius hominis impedimento, ubi voluerint, et illi et homines eorum habeant. Cætera vero quæ restant, et silva, et pascua, utantur et comes et habitatores civitatis Agathensis, sicut antiquitus usus fuit. In pago namque Agathensi fiscum nostrum qui nuncupatur Sita, et in pago Narbonensi salinas quæ sunt in loco nuncupante Ad-Signa, quantumcunque eis noster missus Leibulfus comes designavit, cum terminis et laterationibus suis. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villaribus, domibus, mancipiis, virgis, silvis, terris, pratis, pascuis, garricis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, cultum et incultum, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis, totum et ad integrum memorato concessimus monasterio. Et hanc præceptionem nostræ auctoritatis pro firmitatis studio fieri jussimus, per quam omnino præcipimus atque jubemus ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris de præscriptis rebus a nobis præfato monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec homines ibidem commanentes distringere, nec fidejussores tollere, nec paratas requirere, nec ullas redhibitiones exigere præsumat. Sed, sicut nobis ob amorem Dei præscripta loca cum omnibus eorum appendiciis eidem congregationi delegare, atque perpetualiter ad habendum tradere libuit, ita Domino protegente, absque alicujus contrarietate vel deminoratione aut resultatione, jure firmissimo ipsas res habere et possidere valeant. Placuit etiam nobis hujus congregationi monasterii, quando Dominus abundanter largiri dignatus fuerit, decem modia de oleo dare, id est de telomena et solaria; quando vero minus, sex modia. Et jubemus per hoc præceptum procuratoribus earumdem villarum præsentibus et futuris, ut mensuram olei præscriptam missis ejusdem congregationis vel successoribus ejus [a] jure uno annis singulis dare studeant. Hæc quippe auctoritas ut nostris et futuris temporibus valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

[a] In alio diplomate ejusdem imperatoris, quod emissum est anno 822, pro *jure uno*, habetur in *Arelato*.

Data VIII Kal. Maii, anno I, Christo propitio, imperii nostri, indictione VII.

Actum Aquis palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Ejusaem pro eodem monasterio.

(Anno 815.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea, quæ fideles imperii nostri pro opportunitatibus utriusque partis inter se commutaverunt, nostra confirmamus auctoritate, morem in hoc facto exercemus imperialem, et in postmodum jure firmissimo mansurum permanere volumus. Quapropter noverit utilitas seu industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio quod vocatur Anianense, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Mariæ semper virginis, quod ipse a fundamentis in suo construxerat proprio, et domno et genitori nostro Carolo bonæ memoriæ piissimo Augusto, cum omnibus ibidem aspicientibus, per chartam delegavit donationis; innotuit eo quod cum pluribus hominibus per diversos pagos [*Al. add.*, commanentibus] commutationem fecisset, datis scilicet de rebus prædicti monasterii per chartulas commutationis illis, et acceptis ab eis de rebus eorum propriis ad partem monasterii sui similiter per chartulas commutationis, et manibus bonorum hominum roboratis : ea videlicet ratione ut quidquid pars alteri contulit parti, absque ullius inquietudine aut injusta interpellatione, jure firmissimo retinerent. Et idcirco postulavit idem Benedictus ut super easdem commutationes nostræ auctoritatis præceptum fieri censeremus, per quod jure firmissimo et ipse et rectores monasterii hoc, quod acceperant, et quod illis alii tradiderant, perenniter haberent et possiderent. Cujus precibus ob reverentiam ipsius sancti loci et utilitatem utrarumque partium, hanc nostræ auctoritatis præceptionem super easdem commutationes fieri decrevimus, per quam decernimus atque jubemus ut non solum res, quæ ab aliis hominibus eidem traditæ sunt monasterio, et eidem monasterio alii homines similiter per chartulam commutationis tradiderunt jure firmissimo teneant et possideant : verum etiam et sicubi deinceps per chartulam commutationis cum quibuslibet liberis hominibus rectores ipsius monasterii commutationem facere voluerint, licentiam habeant, ea scilicet ratione ut commutationes pari tenore conscribantur, manibusque bonorum hominum roborentur : et quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant et possideant : et quidquid exinde facere voluerint libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hoc præceptum auctoritatis nostræ pleniorem obtineat vigorem, et per futura tempora inviolabiliter conservetur, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

Data VIII Kalen. Martias, anno, Christo propitio, II imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VI.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 815.)

[Inter *Acta SS. ordinis S. Benedicti*, parte I, sæc. IV, pag. 221.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Unde noverit experientia atque utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento et animæ emolumento quamdam cellulam ex re proprietatis nostræ, quæ nuncupatur Casa-Nova, quæ sita est juxta castrum, quod nuncupatur Planitium, in pago Ucetico super fluvium Cicer, quam dudum Willelmus quondam comes a fundamento in honore sanctæ Mariæ semper virginis construxerat, et rebus quamplurimis ditaverat, et domno et genitori nostro Carolo bonæ memoriæ piissimo Augusto cum rebus et omnibus, quæ eidem cellulæ aspicere fecerat per chartulam delegavit donationis; sed postea propter compendium et loci utilitatem non procul ab eodem loco eadem cellula constructa est, quæ nuncupatur [a] Gordanicus, in eodem pago et super eumdem fluvium, ad monasterium quod nuncupatur Aniana concedere, et per hanc nostræ auctoritatis largitionem tradere, quod est situm in pago Magdalonense, non longe a castro quod dicitur Monscalmus, constructum in honore Domini et Salvatoris Jesu Christi et sanctæ Mariæ semper virginis, ubi etiam Senegildus abbas præesse videtur : quod olim vir venerabilis Benedictus abbas in suo construxerat proprio, et similiter domno et genitori nostro Carolo per instrumenta delegaverat chartarum. Hanc itaque cellulam, quæ sicut diximus, nuncupatur Gordanicus, et illam quæ vocatur Casa-Nova, cum omnibus ibidem pertinentibus vel aspicientibus, cum mancipiis, domibus, ædificiis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omnibus quæ prædictus Willelmus per venditiones, cessiones, donationes acquisierat, et præfato domno et genitori nostro tradiderat; et cum his quæ postea prædictis locis a bonis hominibus

[a] Gordanicus, vernacule *Guouragne*, nunc usque prioratus Anianæ subjectus.

tradita sunt, memorato monasterio Aniano præsenti tempore tradidimus, et per hanc nostræ auctoritatis donationem perpetualiter ad habendum concessimus, ita videlicet ut quidquid in ipsis locis, aut de ipsis ad utilitatem et profectum rectores aut congregatio ipsius monasterii facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Hæc vero auctoritas largitionis nostræ ut per curricula annorum inviolabiliter inconvulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris verius certiusque credatur, eam manu propria subterfirmamus, et annuli nostri impressione signare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

Data XII Kal. Junias, anno, Christo propitio, secundo imperii domni Augusti Ludovici piissimi, indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 816.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris in partibus Septimaniæ provinciæ, Aquitaniæ, vel in cæteris provinciis consistentibus, quia vir venerabilis Benedictus abbas ad nostram accedens clementiam, suggessit nobis ut per nostram jussionem advocati monasterii Anianensis perdita quærerent, et juste possessa ubique secundum legem defenderent. Quem nos libenter recipimus, et has litteras scribere et ei dare jussimus, per quas omnibus notum facimus ut sciatis advocatos prædicti monasterii Anianensis omnia quæ secundum legem quæsierint, et quicunque de prædicti monasterii rebus eis alia quæsierit; et secundum legem definitum fuerit, ratum et stabile permaneat. Et ideo præcipimus ut ubicunque in loca vel potestates seu ministeria cujuslibet et comitum advenerint et undecunque de rebus prædicti monasterii judiciare quæsierint, absque ulla dilatione secundum legem justitiam recipiant et faciant. Si vero quilibet aliquam dilationem in justitiis faciendis opposuerit aut aliquam injustam occasionem adhibere conatus fuerit, advocatis ipsius monasterii injungimus ut nobis renuntient, ut nos illi qui nostram jussionem neglexerit, secundum facti sui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis prædictus Benedictus abbas eo quod mancipia de monasterio S. Martini, vel alia, quod [quæ] nos largitionis nostræ munere ad prædictum Anianense monasterium concessimus, per loca diversa fugitiva sint : de quibus volumus ut ejusdem monasterii advocati ea perquirant, et ubicunque reperta fuerint, et secundum legem Romanam tricennio se defendere voluerint; et hoc advocati prædicti monasterii ea propinquis eorum circumcinxerint, aut testimonia idonea dederint; fiat de eis secundum Romanæ legis sanctionem, ut tricennium ea excludere non possint. Et ut has litteras nostras esse verius credatis, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data Idibus Octobris, anno, Christo propitio, imperii nostri 3, indictione 10. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VIII.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 818.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis ad loca divinis cultibus mancipata propter amorem cœlestis patriæ, et sustentationem ibidem Deo famulantium aliquid largimur, id nobis procul dubio ad mortalem vitam felicius transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, sagacitas, quia nos divina aspiratione tacti, et cœlestis patriæ amore succensi, ob animæ nostræ salutem, vel stabilitatem Christiani imperii, libuit nobis ad monasterium quod dicitur Aniana, quod est constructum in honore Domini Dei et Salvatoris nostri et sanctæ Mariæ semper virginis, quod est situm in pago Magdalonense, cui Georgius abba præesse videtur quamdam cellulam juris nostri, quæ est constructa in honore sancti Martini infra muros Arelatensis civitatis, cum his quæ ad eam infra eumdem pagum præsenti tempore pertinent et locum qui est in pago Arausiensi, vocabulo Morenatus, vel quæ ad ipsum locum pertinent, similiter et in pago Avenionensi, per hanc nostræ auctoritatis donationem conferre. Hanc vero cellam superius præscriptam cum ecclesiis, domibus, ædificiis, mancipiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus et immobilibus, cultum et incultum, totum et ad integrum, quantumcunque ad ipsam dictam cellam, sicut diximus, præsenti tempore legitime aspicit, et nostri juris ac possessionis in prædictis pagis nostræ proprietatis est per hanc nostræ auctoritatis donationem memorato monasterio ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, et ad subsidia pauperum vel ad cunctas ejusdem monasterii Aniani necessitates consulendas ob emolumentum animæ nostræ perpetualiter concessimus, atque perpetuo ad habendum delegavimus : ita videlicet ut quidquid de ipsa cella, vel de rebus ad eam pertinentibus rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare, vel etiam facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Hæc vero auctoritas largitionis nostræ ut per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu

propria subterfirmamus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris serenissimi.

Faramundus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data II Nonas Decembris, anno Christi propitio imperii domini nostri [a] VI, indictione XII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

IX.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 819.

[Inter *Acta SS. ordinis S. Bened.*, part. I, sæc. IV, pag. 220.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, quia vir venerabilis Benedictus abba una cum consensu [b] Georgii abbatis Anianensis monasterii, quem ipse ibidem successorem elegerat, et monachis ibidem consistentibus, seu etiam et Nibridii reverentissimi archiepiscopi et aliorum servorum Dei, cuidam cellulæ in pago Albiensi super fluvium qui dicitur Aquotis sitæ, nuncupante Bella-Cella, constructæ in honore sancti Benedicti et aliorum sanctorum, quæ nuperrimis temporibus novo opere in rebus quas [c] Vulfarius comes memorato monasterio Anianensi delegaverat, constructa est, privilegium ob firmitatem loci concessit, ut semper de ipsa congregatione ibidem eligerent abbates, quandiu ibi tales inveniri potuissent. Si vero contigisset ibidem illum inveniri minime posse, ut de prædicta congregatione Anianensis monasterii ibidem constitueretur; et si aliter quam oportebat fecisset, et a suo proposito in aliquo exorbitasset, ut rector sæpe nominati monasterii sua auctoritate illud emendaret.

Cæterum quandiu suam professionem bene observabunt, nullatenus qualibet occasione eos infestassent, aut eorum quietem perturbassent, aut aliquid contrarii eis fecissent. Sed ut melius conservaretur, petiit ut nostræ jussione manus ratum maneret. Proinde has litteras fieri jussimus, per quas jubemus ut memorati fratres in eodem loco consistentes juxta superius taxatum modum Deo quiete militent, et abbatem quandiu ex se bonum eligere potuerint, juxta præmissam constitutionem eligant: et si a proposito suo aliorsum digressi fuerint, per abbatem Anianensis monasterii corrigantur; et, sicut intulimus, nullam infestationem aut inquietudinem qualibet occasione, dum bene suum propositum conservaverint, a rectoribus et congregatione præscripti monasterii Anianensis patiantur: sed juxta præmissam conditionem in omnibus quiete vivere valeant. Hæc vero cellula sub eadem immunitate, quam nos prædicto monasterio Anianensi fecimus, indivisibiliter, sicut res cæteræ ad ipsum monasterium pertinentes, ita ea sub nostra defensione consistat. Et ut hæc nostra jussio in omnibus firmior habeatur et melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovi.

Data VII Id. Mart., anno Christi propitio imperii domni Ludovici piissimi Augusti sexto, indictione XII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

X.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 820.)

[Apud D. Bouquet., ibid.)

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina providentia imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem quiddam deferimus, et imperialem morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum solertia, quia nos divino amore succensi, olim per nostrum præceptum tradidimus quamdam cellam proprietatis nostræ, sitam infra muros Arelatensis civitatis, constructam in honore sancti Martini confessoris Christi, cum rebus et mancipiis ad se aspicientibus vel pertinentibus, monasterio Anianensi, quod est dicatum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctæ Mariæ semper virginis, situm in pago Magdalonense. Et tunc placuit nobis pro remedio animæ nostræ, ut pius Dominus peccatorum nostrorum maculas tergere et supernis civibus adscisci dignetur, quamdam villam juris nostri, quæ dicitur Massacia, cum appendiciis suis, habentem plus minus quadraginta mansos, quæ est ex ratione prædictæ cellæ sancti Martini, non solum eidem cellæ reddere, sed etiam liberalitatis nostræ munere per hos imperiales apices nostros ibidem confirmare: quatenus eadem cella cum prædicta villa perpetim in jus et dominationem præfati monasterii Anianensis eorumque rectoris persistat. Hanc vero villam cum omnibus ad se præsenti tempore juste et legaliter aspicientibus, domibus, ædificiis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, perviis, exitibus et regressibus, vel quantumcunque ad eam moderno tempore aspicere videtur et nostri juris et possessionis est jure proprietatis, totum et ad integrum vel inexquisitum prædictæ ecclesiæ sancti Martini et monasterio Anianensi per hanc nostræ auctoritatis donationem donamus atque transfundimus: ita videlicet ut quid-

[a] Initium regni repetendum ab anno 813.

[b] Benedictus a Ludovico Pio in Franciam vocatus anno 814. Georgium in monasterio Anianensi suum successorem elegerat.

[c] Vulfarius Albigensis comes, Aimoni, cui hunc comitatum anno 778 dederat Carolus Magnus, successisse creditur.

quid rectores et ministri præfati monasterii Anianensis ob utilitatem et profectum prædicti monasterii facere voluerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, eam manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data IIII Idus Martii, anno, Christo propitio, VII imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XI.

Ejusdem pro eodem monasterio

(Anno 822.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus comitibus, vicariis, centenariis, sive cæteris judicibus nostris partibus Provinciæ, [a] Septimaniæ et Aquitaniæ consistentibus

Notum vobis sit quod vir venerabilis Tructesindus abbas monasterii Anianensis suggessit nobis atque indicavit, quod homines vel famuli memorati monasterii per diversa loca consistentes, in ministeriis vestris multa præjudicia et infestationes patiantur tam a junioribus vestris quam ab aliis hominibus, et non possunt habere defensionem per præceptum immunitatis, quod nos eidem monasterio propter Dei amorem et nostram eleemosynam concessimus, eo quod vos sive juniores vestri dicatis non plus immunitatis nomen complecti quam claustrum monasterii; cætera omnia quamvis ad ipsum monasterium pertinentia extra immunitatem esse. Propter hoc volumus ut intelligatis non solum ad claustrum monasterii, vel ecclesias atque atria ecclesiarum immunitatis nomen pertinere, verum etiam ad domos et villas et septa villarum, et piscatorias, manufacta, vel quidquid fossis vel sepibus aut alio clausarum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Ita quidquid intra hujusmodi munimenta ad jus cujuslibet monasterii pertinentia a quolibet homine, nocendi, vel damnum inferendi causa, spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta esse judicatur. Quod vero in agro vel campo aut silva, quæ nulla munitione cingitur, casu sicut fieri solet, a quibuslibet hominibus commissum fuerit, quamvis idem ager vel campus aut silva ad ecclesiam præceptum immunitatis habentem pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta judicanda est. Et ideo non sexcentorum solidorum compositione, sed secundum legem quæ in eodem loco tenetur, mulctandus est is qui fraudem vel damnum in tali loco convictus fuerit fecisse. Præcipimus tamen vobis ut [tam] vos ipsi caveatis et observetis, quam juniores et ministeriales vestri, ut homines et famuli memorati monasterii in omnibus locis ad vestra ministeria pertinentibus pacem habeant, et eis liceat cum securitate memorato monasterio deservire tam in privatis quam in publicis et communibus locis; nec ullus vestrum vel juniorum vestrorum ulterius eos audeat despoliare, et vel in fluminibus, vel in plagis maris piscantes, vel in aliis locis ad prædictum monasterium pertinentibus diversas utilitates et servitia facientes infestare, vel inquietare, aut a debito injuncto sibi servitio prohibere, vel aliquid contra legem et justitiam facere: quia si ulterius ad nostras aures fuerit perlatum, et verum inventum, temeratorem nostri mandati condigna suis factis vindicta coercere decrevimus. Propterea præcipimus atque jubemus ut taliter exinde agatis, qualiter gratiam nostram vultis habere propitiam. Et ut certius hanc nostram jussionem esse credatis, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Data XIV Kal. Aprilis, anno Christo propitio, IX imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

XII.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 822.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina propitiante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad monasterium quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctæ Mariæ semper virginis, seu et aliorum, ubi nunc Tructesindus abbas præesse videtur cum turba monachorum, aliquid ex nostris rebus tradere; id est quamdam cellulam nuncupantem Gellonis, sitam in pago Ludovense, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domni et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt: nec non in prædicto pago, villam quæ dicitur Magarantiate; et in eodem pago in loco qui dicitur Castra-Pastura, ad pecora eorum alenda, cum terminis et adjacentiis suis; in pago Beterense fiscum nostrum, qui dicitur Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii, et Miliciano villa; et in pago Magdalonense castrum, quod dicitur Monte Calmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a termino ejusdem monasterii Anianensis usque ad terminos eorum, sicut genitor noster

[a] Septimania anno 817 ab Aquitania distracta fuerat.

Carolus bonæ memoriæ pissimus Augustus trans ripam præfati fluminis per suum præceptum ad propitium [a] antedictum tradidit monasterium, excepto proprium ingenuorum hominum, quod infra conjacet. Item in eodem pago illos segos cum ipsa piscatoria, quantumcunque in eodem loco idem genitor noster quodam ad suum habebat opus, qui est inter mare et stagnum, cum ecclesia et villaribus, et piscatoriis, et omnibus aspicientiis et adjacentiis suis. De silva vero, quæ eidem fisco adjacet, concedimus eisdem monachis et eorum hominibus, ut ad usus et ad piscatorias recmendandas, quantumcunque necesse fuerit ad eorum utilitates, accipiant, pascua etiam ad animalia eorum alenda, absque ullius hominis impedimento, ubi voluerint, et illi et homines eorum habeant. Cætera vero quæ restant et silva et pascua utantur, et comes et habitatores civitatis Agatensis, sicut antiquitus usus fuit. In pago namque Agatense fiscum nostrum qui vocatur Sita, et in pago Narbonense salinas, quæ sunt in pago nuncupante [b] Ad-Signa, quantascunque eis noster missus [c] Leybulfus comes designavit, cum terminis et laterationibus. Insuper et cellam juris nostri quæ est constructa in honore sancti Martini intra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quæ ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avenionensi præsenti tempore legaliter pertinent. Et locum qui est in pago Arausione, vocabulo Morenatus, vel quæ ad ipsum locum pertinent. Similiter et villam quæ dicitur Massacia, cum omnibus appendiciis, habentem plus minus XL mansos, quæ est ex ratione prædictæ ecclesiæ sancti Martini. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, ædificiis, mancipiis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, piscatoriis, perviis exitibus et reditionibus, cultum et incultum, cum omnibus adjacentiis et appendiciis suis, totum et ad integrum, quantumcunque juris nostri et possessionis ac proprietatis, prædicto monasterio concessimus per hanc nostræ auctoritatis donationem, ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantum, et ad subsidia pauperum ad cunctas ejusdem monasterii utilitates, perpetualiter concedimus ad habendum. Ita videlicet ut quidquid ab hodierno die de prædictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere rectores et ministri prædicti monasterii voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris de præscriptis rebus a nobis præfato monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid minuere tentet; nec homines ibidem commanentes distringere, nec fidejussores [tollere], nec paratas requirere, nec ullas redhibitiones exigere præsumat. Sed sicut nobis ob amorem Dei præscripta loca cum omnibus eorum appendiciis eidem congregationi delegari, atque perpetualiter ad habendum tradere libuit; ita, Domino protegente, absque alicujus contrarietate vel diminutione, jure firmissimo ipsas res habere et possidere valeant. Placuit etiam nobis huic congregationi, quando Dominus abundanter largiri dignatus fuerit, decem modia de oleo dare, id est de tolomena et solaria; quando vero minus, sex modia. Et jubemus per hoc præceptum procuratoribus earumdem villarum præsentibus et futuris, ut mensuram olei præscriptam missis supradictæ congregationis vel ejus successoribus in Arelato annis singulis dare studeant. Hæc quippe auctoritas ut nostris et futuris temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data XIII Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, IX imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XIII.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 826.)

[Mabill., *Annal. Bened.*, II, 124.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia Tructesindus venerabilis abbas, ex monasterio quod dicitur Aniana, in honore Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi necnon et sanctæ Mariæ constructum, nostræ mansuetudini suggessit qualiter Arnaldus comes in pago Biterrense villam de Cinciano, et casale proprium ex comparatione et acquisitione acquisivit, et ipse Arnaldus per suum wadium domno Benedicto tradidit prædictas res præfati monasterii Anianensis, quo mortuo missi nostri partibus nostris prædictas res revocaverunt. Petiit itaque prædictus abbas Benedictus clementiam nostram, ut ipsas res de jure nostro in ejusdem monasterii ditione perpetualiter ad obtinendum tradidissemus, quod ita et fecimus. Petiit itaque nos Tructesindus abbas, ut nostrum præceptum super hoc negotio fieri juberemus, per quod nostris futurisque temporibus ipse et successores sui per eum securius et firmius eas possiderent, cujus petitioni assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus, ut quidquid rerum suarum prædictus Arnaldus ad præfatum monasterium Anianum prædonavit, firmum et inviolabile permaneat; ita videlicet ut quidquid de ipsis vel in ipsis rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare vel etiam facere pro utilitate ejusdem monasterii voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, et faciant quidquid utilitati prædicti monasterii congruere et

[a] Legendum, *antedicto tradidit monasterio.*

[b] Ad-Signa est locus vulgo *Sigean* dictus, in diœcesi Narbonensi ad mare.

[c] Leibulfus comes erat Narbonensis.

conservire prospexerint. Et ut hæc auctoritatis nostræ præceptio firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, annuli nostri impressione subter eam signari jussimus.

Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi abbatis recognovi.

Data XIX Kalend. Septemb., anno, Christo propitio, IX imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indict.... Actum Carbonaco villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XIV.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 835.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem promerendam profuturum credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Ecclesiæ Dei et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quod Ermenaldus abbas monasterii nostri, quod dicitur Aniana, ad nostram accedens mansuetudinem, ostendit nostræ majestatis obtutibus quamdam præceptionem quam nos olim ad petitionem prædecessoris sui Benedicti abbatis, ob amorem Dei et monasterii utilitatem, fieri jusseramus; de advocatione videlicet..... ad hoc in nostram præceperamus commendationem, ut liberius prædicti monasterii utilitates et necessitates procurare valeret. Sed eodem advocato divina vocatione rebus humanis exempto, nostram expetivit clementiam ut eamdem advocationis curam Maurino vassallo nostro committeremus. Cujus petitionem nostris indigere auxiliis perpendentes, divino tacti munere postulata concessimus, committentes eidem vassallo nostro, Maurino nomine, rerum monasterii sui curam, in acquirendis videlicet justitiis, et aliis faciendis. Propter hoc hos nostræ auctoritatis apices ei successoribusque per tempora labentia sibi succedentibus fieri ac dari præcepimus; per quos præcepimus atque jubemus [ut] omnia quæcunque prædictus advocatus sæpe dicti monasterii Anianensis, nomine Maurinus, secundum legem quæsierit, aut quærentibus obstiterit, aut juste satisfecerit, atque legaliter diffinita fuerint, rata et stabilita permaneant, ubicunque ad loca et potestates seu ministeria cujuscunque comitum advenerit, undecunque de rebus ejusdem monasterii justitiam quæsierit, absque ulla dilatione secundum legem plenissimam reperiat, atque quærentibus faciat. Et quia constat idem monasterium nostrum proprium esse, volumus et præcepimus ut sæpe nominatus advocatus nulla ullatenus testimonia super nostra ejusdem immunitate monasterii testes recipiat : sed quidquid juste et legaliter quæsierit sive defenderit cum nostræ partis testibus, effectum rei evindicare et perficere studeat. Si quilibet vero aliquam dilationem in justitiis faciendis opposuerit, aut aliquam injustam occasionem conatus fuerit adhibere, prædicto advocato injunximus ut nobis renuntiet, ut nos illi, qui nostram jussionem neglexerit, secundum facti sui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis prædictus Ermenaldus abbas eo quod mancipia de monasterio sancti Martini, quod nos largitionis nostræ munere ad prædictum Ananiense monasterium concessimus, per loca diversa fugitiva sint. Volumus ut prædictus advocatus ea quærat; et ubicunque inventa fuerint, et secundum legem Romanam tricennio se defendere voluerint; et hoc prædictus advocatus ex propinquis eorum circumcinxerit, aut testimonia idonea dederit; fiat de eis secundum Romanæ legis sanctionem, ut tricennium ea excludere non possit. Et liceat ei suas res proprias absque cujuslibet interpellatione injusta aut inquietudine quiete possidere; et quia memorata ad peragendum ei injunximus, ab omni hoste vel wasta, sive ab omni publico servitio immunem existere : quatinus advocationem a nobis sibi injunctam liberius atque utilius peragere valeat. Licentiam etiam dedimus eidem abbati de minoribus atque levioribus causis alium advocatum mittere, qui præfati monasterii causas atque necessitates utiliter fideliterque administrare possit. Et ut has litteras esse verius credatis, de annulo nostro subter eas jussimus sigillare.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XII Kal. Augusti, anno, Christo propitio, XIII imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XIII.

Actum Stremiaco villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XV.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 837.)

[Apud D. Bouquet., ibid.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia olim adhuc in Aquitania constituti, et necdum imperiali honore et nomine cœlitus insigniti, beneficiavimus quamdam villam in pago Lutevense Aniani monasterii, quæ est in honore sancti Salvatoris, seu beatæ Mariæ virginis, et Petri et Pauli apostolorum, atque archangeli Michaelis dicata, petente nimirum Benedicto ejusdem monasterii tunc temporis abbate, et per auctoritatem nostram delegare curavimus. Sed quia deinceps divinitus nobis imperiali solio sublimatis, easdem res potiori auctoritate roboratas fuisse necdum esse consisterat, venerabilis Ermenaldus ejusdem monasterii abbas nostræ supplicavit clementiæ ut denuo nostram auctoritatem super rebus villæ, quæ dicitur Caussenas, accipere mereretur, per quam eas firmius possidere valeret. Cui divino amore et honore assensum præbentes, hos nostros

apices fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus ut jam dicta villa Caussenas cum omni integritate sua diebus vitæ nostræ beneficiario munere in dominatione et gubernatione Aniani monasterii rectorumque illius atque sustentatione fratrum in Deo Domino militantium persistat; et quidquid de ea jure ecclesiastico et modo beneficiario facere disposuerint, liberam habeant potestatem. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, de annulo nostro subter jussimus sigillare.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XIV Kal. Novembris, anno, Christo propitio, XXIV imperii domni Ludovici piissimi Augusti, [a] indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XVI.

Ejusdem pro eodem monasterio.

(Anno 837.)

[Apud Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eosque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ retributionis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad monasterium quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctæ ac semper virginis Mariæ, seu aliorum sanctorum, ubi venerabilis Hermenaldus abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est quamdam cellulam nuncupantem Gellonis, sitam in pago Lutovense, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam comes, qui ipsam cellulam in causa domni et genitoris nostri construxit, seu et alii boni homines per strumenta chartarum tradiderunt. Et in prædicto pago villam quæ dicitur Magaranciate, et locum qui dicitur Castra-Pastura ad pecora eorum alenda, seu diversis usibus, cum terminis et adjacentiis suis. Et in eodem pago fiscum nostrum Curcenate cum omnibus adjacentiis suis. In pago quoque Biterrense fiscum nostrum, qui dicitur Miliacus, cum ecclesia sancti Paragorii et Miliciano villa, cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis. Et in eodem pago Villam-Cincianum cum appendiciis et adjacentiis suis. Et inter confinia de pago Rutenico seu Nemausense alpes ad pecora alenda seu alios usus quas dicunt Jaullo, cum terminis et adjacentiis suis, quas olim præfato monasterio per missos nostros Ragambaldo seu Fulcoaldo comite tradidimus cum omni integritate, sicut a temporibus domni et genitoris nostri ab eisdem monachis possessum fuit. Et locum qui dicitur Auraria cum omni integritate, sicut olim a bonæ memoriæ Ermengarde regina prædicto monasterio traditum est. Et in pago Magdalonense castrum quod dicitur Monte-Calmense, situm juxta fluvium Araur, cum ecclesia sancti Hilarii, a termino ejusdem monasterii Anianensis usque ad terminum rerum, sicut genitor noster trans ripam præfati fluminis per suum præceptum ad proprium jam dicto tradidit monasterio, excepto proprium ingenuorum hominum quod infra conjacet. Et super præfatum fluvium, Caucinum ad pascua armentorum et alenda pecora seu alias utilitates, cum villulis et omnibus aspicientiis suis. Et alio loco Comajagas cum finibus et adjacentiis suis, seu et Paliares cum appendiciis suis. Et in loco qui dicitur Sogrado, cellulam quam ipsi monachi ædificaverunt cum adjacentiis suis. Omnia hæc cum omni integritate, sicuti a misso genitoris nostri Caroli Leydrath archiepiscopo traditum et marmoribus per cruces et terminationes assignatum fuit, et ab ipsis monachis a temporibus genitoris nostri possessum. Et in ipso pago, in fisco nostro nuncupante Juviniaco, locum quod antiquo vocabulo Fons-Agricolæ dicebatur, nunc autem Nova-Cella appellatur, quam proprio opere ipsi monachi manibus suis ædificaverunt; etiam et molina duo infra ipsius fisci terminum super fluvium Lero ab eisdem constructa cum omni integritate, sicut hactenus a temporibus prælibati genitoris nostri quieto ordine tenuerunt; et inter mare et stagnum locum qui vocatur porcarias, quem sibi ad porcos alendum vel ad piscationis opportunitatem, seu alias adjacentias de locis eremis præfati monachi susceperunt, et a genitore nostro eis per præceptum collata sunt. Item in eodem pago illos segos cum ipsa piscatoria et plagis maris et fiscum nostrum adhærentem illis qui nuncupatur Sita, qui est inter mare et stagnum, et subjungit pago Agatensi, cum ecclesiis, villaribus, mancipiis plagis maris et piscatoriis, cum omnibus aspicientiis et adjacentiis suis, cum silvis et arboribus supra positis, usque ad locum qui dicitur Caraiacum, quantumcunque vel quomodocunque in eisdem locis idem genitor noster quondam ad suum habuit opus. Et in pago Narbonense salinas quæ sunt nuncupante Ad-Signa, quantascunque noster missus Leibulfus comes eis desiguavit, cum terminis et laterationibus suis. Insuper et cellam juris nostri, quæ est constructa in honore sancti Martini infra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quæ ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avinionensi præsenti tempore pertinent. Et locum qui est in pago Arausione, vocabulo Murenatis, quidquid ad ipsum locum pertinet; et villam quæ dicitur Massacia cum omnibus appendiciis suis, habentem plus minus mansos XL, quæ est ex ratione prædictæ cellæ

[a] Cointius hoc præceptum refert ad annum 836, indictionem ineundo a Kalendis Septembris, annos vero imperii Ludoviciani ab anno 813, quo a patre consors imperii declaratus est.

sancti Martini; seu et insulam Suburbanam nuncupatam, quæ cingitur ab omni parte a Rhodano flumine, cum ecclesiis ac rebus seu appendiciis suis, sicut quondam Leibulfus comes per auctoritatem nostram cum Notone archiepiscopo ex suo alode [a] excambiavit et jure possedit, atque per chartam donationis præfato contulit monasterio. Necnon et in pago Ucetico donamus cellulam proprietatis nostræ, quæ nuncupatur Casa-Nova, quæ sita est juxta locum qui vocatur Gordanicus, super fluvium Cicer, sicut eam et genitor noster quondam possedit, et nos olim præfato monasterio per auctoritatem nostram concessimus. Hæc omnia præscripta cum omni integritate prædicto monasterio per hanc nostræ auctoritatis donationem perpetualiter concedimus ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, ita ut quidquid ab hodierno die et tempore de prædictis rebus facere vel ordinare voluerint ministri loci ipsius, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Quam ob rem hanc præceptionem nostræ auctoritatis pro firmitatis studio fieri jussimus : per quam omnino præcipimus atque jubemus, ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris de præscriptis rebus a nobis præfato monasterio vel congregationi ibidem degenti concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec in ecclesiis aut loca vel agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore per donationes genitoris nostri ac nostras seu cæterorum fidelium juste possidere videtur in quibuslibet locis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quamque servos, qui super terram memorati monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones perquirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel exactare præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas et successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum, sicuti in aliis eorum continetur præceptis a nobis vel genitore nostro sibi collatis, licentiam habeant semper eligendi abbates, quatenus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra et stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi vel conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XII Kal. Novembris, anno, Christo propitio, XXIV imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione XV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Exstat in tabulario Anianensi.

INDEX RERUM ET VERBORUM

AD

SANCTI BENEDICTI ANIANENSIS CONCORDIAM REGULARUM.

In hoc Indice revocatur Lector ad numeros columnarum nostrarum.

A

Abbas qualis esse debet, 755, 769. Ex congregatione eligendus, 755, 760. Non neophytus, 760. Ejus ordinandi ratio, 762. Ordinandus ab episcopo, 761. Non olim tenebatur esse sacerdos, 893. Qualiter peccet in rerum temporalium administratione, 775. Ei rem monasterii vendere aut alienare non licet, 785. Non debet habere proprium, 775. Non debet uti libera potestate, 782, 1019. Sine ejus permissu nihil faciendum, 1197. Debet reficere cum sua congregatione, 1255. Eisdem fratrum cibis debet esse contentus, 1107. Lavet pedes fratrum, 1201. Hospitum, 1217. Ejus coquina, *ibid.* Litigare non debet, 760, 761. Cubare debet in dormitorio, 968. Ejus lectus in medio dormitorii, 967. Quam curam gerere debet de excommunicatis, 1107.

Abbatissæ ordinatio ab episcopo, 761.

Abbo (S.) abbas, 798.

Ablactatum, 833.

Ablutio manuum ante sumptionem eucharistiæ, 1007.

Abnegare semetipsum sibi, 799.

Absentes ab oratorio pro utilitate monasterii, 1158. Absentium commemoratio in oratorio, 1313.

Absolutionis forma, 1030.

Absolvendi monachi excommunicati ritus, 1005, 1009.

Abstentus, quid, 986.

Abstinentia moderata, 1117. Qualis esse debeat, 1211.

Abstinere aliquem, 986.

Acceptio personæ, 771.

Accusatio sui, 1025. Quam sit utilis, 1025.

Acedia, 960. Ejus remedia, 961.

Achar, Achan, 982.

Acta Apostolorum, 1221.

Actum, coactum, 739.

Adalardus (S.) abbas, 793.

Adalaricus (S.), 1118.

Adusto corpore puer manet immobilis, ne sacrificium interrumpatur, 990.

Ædificans supra petram, vel super arenam, 725.

Ægil (B.) abbas Fuldensis, 793.

Ægrotantes in itinere ut tractandi, 1089.

Ægroti monachi ut tractandi, 1089. Ut tentandi, 1093. Non sunt fovendi in sedibus parentum, 1096.

Ægyptiorum monachorum in suscipiendis monachis ratio, 1265.
Æquare quid, 1286.
Æsopus quomodo appellatus, 776.
Æstate bis cibus sumendus est, 1137.
Ætas juventutis, 767. Professionis religiosæ emittendæ, 767, 1307. Testamenti condendi, 1309. Ætates quæ facilius aut difficilius famem sustinent, 1097.
Agapius impostor, 1222.
Agaunense monasterium, 883. Ejus officium, 891.
Agenda quid, 896.
Agricolarum mos, 1189.
Aidanus (S.) episcopus, 1210.
Αἴτησις, 902.
Ἀκτημοσύνη, 1260.
Ἀκτήμων, 1260.
Alabastrum, 1200.
Albuinus presbyter, 837.
Albus color vitandus monachis, 1218.
Alcuinus seu Albinus, 893.
Alexander Severus imperator, 799.
Alleluia, 898. Quando dicendum, 898. In Dominicis, 898. Ejus intermissio in Septuagesima, 898.
Altercari, 781.
Alteri non faciendum, quod tibi fieri non vis, 799, 1320.
Alto (S.), 847.
Amari plusquam timeri oportet, 758.
Ambrosiana Ecclesia, 898.
Ambrosianum, 898.
Ambrosius (S.), 888.
Amor prælati erga subditos qualis sit, 771, 777.
Amphictyon, 1105.
Amphitheatrum spirituale, 922.
Anachoretæ, 751, 753, 735, 746.
Ἀνάκλασις, 1231.
Ἀνακλᾶσθαι, *ibid.*
Ἀναλογεῖον, 889.
Analogium, 889.
Anastasius papa, 894.
Anaxagoras Clazomenius, 865.
Ἀνάκυψις, 1235.
Andreas (S.), 1221.
Angeli referunt nostras actiones Deo, 839.
Anglorum rex contentus cibis monachorum, 1217.
Animarum regimen quam difficile, 772.
Anniversariæ preces pro defunctis fratribus, 809.
Annorum multitudo parum confert ad vitæ monasticæ perfectionem, 948.
Annus probationi monachorum concessus, 1265.
Anselmus (S.) Cantuariensis, 748.
Antecessus, 1121, 1291.
Antiphona, 896.
Antipolis, 1347.
Antonius (S.), 1117.
Ἀνυμνῶδία, 785.
Apes signo ad quietem vocatæ, 1156.
Ἄρσις, 912.
Ἀρτύσια, 1197.
Aperisiarius, 1209.
Apollonius astronomus, 776.
Ἀπολυτικιόν, 1320.
Ἀποστηθίζειν, 890.
Apostoli opus corporale faciebant, 1186.
Aquæ nimius potus noxius, 1113.
Ara Ditis et Proserpinæ subterranea, 966.
Arcellæ, 135.
Area quid, 1184.
Arelate Tertiæ, Sextæ et Nonæ officium quando institutum 903
Ἀριστήριον, 364.
Aristomenes, 865.
Arsenius (S.), 1224.
Arsesius (S.), 707.
Artifices monasterii extolli non debent, 1239. Ejusdem artis simul habitent, 1262. Non accipiant opus sine permissu, 1262. Non eligant opus pro suo arbitrio, 793.
Ἀρτύρια, 1233.
Arundo quis dicatur, 758.
Ἀρχάριοι, 914.
Ἀρχιδιάκονος, 1076.
Asa rex Juda, 1093.
Ascensa Domini, 1355.
Ἀσκησις, ἀσκητής, 732.
Asturius (S.) episcopus, 1142.
Attentio in oratione, 1108, 1214.
Attenuatus abstinentia quid faciat, 1072.
Attonitus, 724.
Audientes qui, 1010. Eorum genus duplex, 1010.
Augustinus (S.) componit librum de opere monachorum, 1173. Ejus Regula, 708. Nullam composuit regulam eremitarum, 712. Eligit sibi successorem, 812.
Aurelianus (S.) Arelatensis episcopus; ejus regula, 710.
Aurelius Carthaginiensis episcopus, 1175.
Avaritia fugienda, 1052. Insatiabilis, 751.
Aviarium, 1046.
Avitus (S.) Viennensis episcopus, 891.
Aydoinus episcopus Carnotensis, 952.

B

Baculi usus apud monachos, 1239.
Balnearum usus, ægris concedendus, 1084, 1089, 1091. Sanis tardius, 1084. Noxius animæ, 1084. Ante certas festivitates concessus, 1193.
Balneum unde, 1194.
Bancor monasteria duo, 982.
Bardi, 1229.
Bardocucullus, 1229.
Barnabas presbyter, 813.
Basilii (S.) Regula, 708.
Basina sanctimonialis turbat suum monasterium, 1071.
Baucalis, 987.
Beda olim sanctus, et beatus appellatus, venerabilis tardius, 1028.
Bellerophon, 962.
Benedicendi se mutuo in occursibus mos, 1330. Benedicere monachum, 1277. Benedicite, 738.
Benedictio abbatis, 889. Ciborum et edentium, 1153. Merorum, 1152. Monachorum in exitu monasterii, 1079. Septimanariorum, 1074. Benedictiones, 895.
Benedicti (S.) Regulæ perfectio, 718 *et seqq*
Biber, 1074. Biberes, 1074.
Bibitio, 991.
Birrus, 1244.
Bisacia, 737.
Bona latentia in quibusdam, 860.
Bona, per quæ Deo parendum est, sunt a Deo, 724. Bonum omne ex Deo est, 81.
Bracile, 1236.
Bratiarium, bratiatorium, bratium, 1241.
Βράδιον, 1153.
Breve seu brevis, 1153.
Breviarium, 869.
Bruta inermes olim inter dæmoniacos consistebant, 1010.
Buccella, 1133.
Buccellarii milites, 995.
Buccellatum, 995.
Burgundiofara, 855.
Burgundofar, 855.

C

Cacabus, 737.
Cæcilianus archidiaconus, 747.
Cædentis alterum pœna, 1367. Cædere invicem in monasterio non licet, 1366.
Cælibatus professio, 1307.
Cæsar male cinctus, 1251.
Cæsar spiritalis, 766.
Cæsariæ duæ, 923.
Cæsarius (S.) Arelatensis, 1029. Ejus Regula, 710. Attentio in oratione, 925. Meditatio de rebus divinis etiam dormiendo, 997.
Cain maledictio, 945.
Caini hæretici, 904.
Calamus quassatus non conterendus, 758.
Calceamenta monachorum, 1232.
Calcearium, 1049
Candelius, 1120, 1153.
Caldus, 1155.
Caligæ, 1252. Clavatæ, 1254. Follicantes, 1247.
Cama, 1248.
Cambuta, 933
Camisiæ, 1248.
Campsate, 1206.
Candela quid, 968. Ardens noctu in dormitorio, 964, 1168
Candor, 750.
Canonicæ horæ unde, 1206.
Canonicæ mulieres, 950.
Canon officium divinum, 1295. Mensura; quam colonus reddit domino suo, *ibid.*
Capilli monachorum in confessione positi, et Deo sacrati, 1300.
Capitale, 1256.
Capitis demissio omni in loco, 866. Lotio, 1193. Velatio inter vescendum, 1105.
Carmina, 748.
Carnes haud apponendæ monachis, 1115, 1123 Infirmis et omnino debilibus concessæ, 1085. Et longo itineri destinatis, 1129.
Carnotensis comitatus a quo institutus, 952.
Caro mollibus vestita vires resumi adversus animam. Vehementius impugnat monachum recens conversum, 1297.
Caroli Magni versus, 1217.
Carricare, 738
Casinenses monachi, 864 et seq.
Cassiani error, regula, sanctitas, 708, 1036.
Caste quid, 756.
Casula quid, 1032.
Catechumeni novitioli, 1263. Pœnitentes, 1010.
Caucellus, 1134.
Caurus, 1134.
Causa culpæ, 1001. Defensio, 754. Potestas, 938, 1168.
Causari, 760, 774.
Causarius, 781.
Causatio, 774.
Causator, 760.
Cauti, 1289.
Cautio, 1220.
Cautum, 1289.
Cella ægrotorum, 971, 1084, 1091. Hospitum, 1215. Novitiorum, 1263. Monachorum, 1178. Senum, 971. Variæ ejus acceptiones, 1083. Custodia: quot in una olim monachi habitabant, 971. Ut paradisus habenda, 805.
Cellararii dotes, 1041. Vasa ei consignanda ab hebdomadario, 1048. Negligetor fratrum judicandus cum impiis, 1047, 1050.
Cellarium, 1025.
Cellarius, 1041.
Χαρακτήρ, 1010.

Χαρὶν, 1010.
Chilonius episcopus, 998.
Chilpericus Burgundionum rex, 712.
Χλαῖνα, 1236.
Χλαῖναν, 1236.
Χλωρὸς, 1245.
Christus via, 814. Ejus passiones imitandæ, 1023. Flevisse legitur, non risisse, 863. Prandisse non legitur, 1115. Prandisse probatur, 1145. α et ω, 776. In hospite suscipiendus, 1215. Sub vultu pauperis, 1049.
Chrodieldis monacha turbat suum monasterium, 1071.
Cibi monachorum iidem, 1150, 1163. Abbatis et monachorum etiam idem, 952. Senum molles et delicati, 1100.
Cicindelus, 1149.
Cilicina vestis vitanda monacho, 1230.
Cilicium, 1013.
Cincti dormire debent monachi, 964, 986.
Cinguli solvendi mos petendo veniam, 1012, 1013.
Circa quid, 1178.
Circare quid, 1178.
Circelliones, 748.
Circellum quid, 1339.
Circitores, 1178.
Circumcelliones, 747.
Cistertiensium monachorum devotio, 917.
Clamitatio rusticitatis signum, 991.
Clamor vitandus in oratione, 935, 1215.
Claudii imp. socordia, 772.
Claustrum monasterii, ejusque partes et usus, 1179.
Claves monasterii et officinarum nocte dandæ sunt abbati, 1341.
Clavi in caligis, 1221. Quales, 1224.
Clavis forensis, 1222.
Clerici olim artificio sibi victum quærebant, 1175. In hospitium exceptis major honos exhibendus est, 1210. Possunt recipi in monachos, 1315. Quomodo in monasterio recipiendi, 1315. Habitu monachico donabantur ante annum elapsum, 1313. Monachi sub potestate episcopi, 1322.
Clusura, 1077.
Cochlear signare, et lambere, 1228. 746.
Cochlearium, 831.
Cœna olim vespertina, 1145. In prandium mutata, 1136. Ad eam non dicebatur psalmus, 1165.
Cœnobitæ, 730, 733, 735.
Cœnobiticæ vitæ laus, 740 et seq., 746.
Cœnobium, 735.
Cogitationes malæ prælato revelandæ, 846, 848. Sanctæ in lecto habendæ, 969.
Collatio, 979.
Collectæ, 1155. Duplex in monasteriis S. Pachomii, 986. Ab ea non exeundum sine licentia, 1156. Collectæ orationis formula, 831. Cujus erat eam dicere, *ibid.* Loco benedictionis post Evangelium, 814.
Colmannus (S.), 1217.
Colobium, 1257.
Color vestium qualis, 1251.
Columbanus (S.) abbas, 712, 881, 1227, 1258.
Columbæ (S.) Tabennensis præclarum dictum, 958.
Comam nutrire haud decet monachum, 1244.
Comedere ante statutam horam non debet monachus, 1160, 1163, 1164. Neque extra suum monasterium, 1210. Quando id ei permittitur, 1211.
Commeatus, 949.
Commendare, 942.
Commendatum, 941.
Communicare, 1211.
Communicatio virtutum et bonorum spiritalium inter monachos, 960.
Communiter, 817.
Complere, 850.
Completa, 853, 913.
Completio, 1151.
Completorium, 913, 1147.
Completicum monasterium, 1142.
Concordia Regularum, 715, 718.
Confessio culpæ, 1025. Non revelanda, 834. Venialium cuilibet, 1028, 1030. Turpium non erubescenda, 847. Ejus utilitas, 853. Humilis, 866. Ante mensam, 851. Ter in die, 853. Confessio pro capsa seu tabernaculo, 1300.
Confitemini Domino quoniam bonus, 895.
Confiteri quibus oportet, 846.
Conradus rex Romanorum, 917, 1217.
Consentientes alterius peccato, 1364.
Consilium sumendum, 791. Quomodo, 791. Sine illo nihil faciendum, 793, 797.
Consistentes, 1309.
Consuetudinis vis, 867.
Consuetudo pro annona et victu solitis, 1160.
Contentio fugienda, 793.
Conticinium, 875.
Continentiæ laus, 1123. Mensura, 1127.
Convalescentes ut tractandi, 1089.
Convenire quid, 897.
Conventus abbatum initio mensium, 786.
Conversi, 732, 1332.
Conversionis morum votum quale, 1266.
Coqui hospitum ad annum, 1218.
Coquina abbatis, 1217.
Corona clericorum, 1244.
Corporale, 1301.
Corpus, congregatio, 996.
Crapula fugienda, 1115. — Unde dicta, 1115.
Crassus ἀγωνιστὴς, 863.
Crucis signum, 1157. Pani olim impressum, 1056.
Crucifus, 911.
Cuculla, 1229. Segestrata, 1233.
Cucullio, cucullus, 1230.
Cucuma, 737, 1231.
Culpa latens cui revelanda, 1025. In ejus animadversione quæ sunt consideranda, 985.
Cuminum, 1199.
Cursus pro horis canonicis, 1161.
Cuspus quid, 1235.
Cypressinæ virgæ episcoporum, 954.

D

Debriare, 1134.
Decalvare, 1001.
Decanus quid, 958. Officium, 962 Qualiter eligendus, 950. In militia, in claustris, in judiciis, in funeribus, 949.
Decas, 852.
Decurio, 949.
Defendere invicem in monasterio non licet, 1359.
Dejejunatus, 1332.
Delicati levius et melius habendi, 1069, 1072.
Deo gratias, 1335.
Desideria non implenda, 838.
Desiderius impostor pseudoeremita 747.
Detractio fugienda, 806, 1072.
Detractoris pœna, 975.
Deum inquirere quanta intentione oportet, 932.
Deus monas, 731.
Deus Deus meus, etc., 893.
Διαντεμέρους, 780.
Diaboli ersufflandi mos, 1046. Qualiter monachos perdit, 796.
Diacon, 1326.
Diaconatus genus sacerdotii, 1323.
Diæta in morbis qualis esse debet, 1088.
Dictare pronuntiare, 1168.
Diei initium apud Judæos et Athenienses, 1145.
Dies quibus sponsus est nobiscum, 1353.
Dietmarus cellerarius pœnas inferni evadit ob charitatem in fratres, 1043.
Difficiliora ad abbatem referenda, 941.
Dilectio carnalis fugienda, 967.
Dionysius Exiguus, 1210.
Διφυΐα διφυὴς, 931.
Diptycum quid, 762.
Δίπτυχος ἀρὴν, 995.
Dirigendi fratres in via quomodo, 1343.
Discincti lascivi, 1231.
Disciplina pro flagellatione, 812.
Discipulus Christi verus, 745.
Discretionis virtus, 759, 1117.
Dissimulare peccata pusilli est animi, 772.
Distrahere, vendere, 1261
Distribuere oportet cuique prout opus est, 1067.
Distringere, districtus, 1373.
Divites in sæculo non extollantur in monasterio, 1071. Blandius fovendi, 1072.
Doctrinæ gradus in Ecclesia, 740.
Doec Idumæus, 915.
Dominico die non est operandum manibus, 1162. Jejunare nefas, 1140. A quo id institutum, 1355.
Dominicarum supplementum in Quadragesima, 1146.
Domna, 1328.
Domnus, 1328.
Domus variæ, seu classes in monasterio S. Pachomii, 947.
Donatistæ frequentius suos psalmos canebant, 901. — Donatistarum psalmi, 916.
Donati regula, 712, 713.
Donatus (S.) abbas, 713.
Donatus (S.) episcopus Vesontionensis. 713.
Dormire in uno loco debent monachi, 965. Nefas post vigilias nocturnas, 875, 875.
Dormitorium, 939.
Dorotheus (S.), 820, 1063, 1067.
Dorsennus, 731.
Dositheus (S.), 857, 1063, 1063, 1087.
Dubia lux, dubius dies, 1189.
Dulcamina diebus festis monachis danda, 1121.
Duplex animo, 1331.
Duplicitas in oratione, 931.
Dura omnia prædicanda novitio, 1264.
Dyas, 751.

E

Ebrius quidam pro martyre cultus, 748.
Ebullire quid, 1157.
Ἐγκράτων, 1257.
Egredi monasterio non oportet sine permissu, 1348, 1351.
Ἐθαμιτόμωνοι, 884.
Ἐκκαιδεκάμενοι, 1263.
Electio ex monasterio, 1287.
Eleazarus, 1121.
Electio prælatorum juxta ordinem receptionis non facienda, 931.
Eleemosyna, 1226. Omni petenti danda, 1049. Quo danda est in monasterio, 1061.
Emmanuel Comnenus imp., 1136.

Encratitæ hæretici, 1222.
Ἔνδυμα, 749.
Ἔνυστα, 810.
Enthecæ 763.
Ἐπίδυτα, 1220.
Ἐποδιάται, 1220.
Ἐπιλόγιος συναξαρία, 995.
Epiphanius (S.) Ticini episcopus, 1085.
Episcopi non debent præcipere monachis ut edant volatilia, 1123. Mittunt eulogias, 1221. Iis inconsultis non est ejiciendus monachus, 1038. Eorum potestas in presbyteros et clericos monachos, 1325.
Epistolicum quid, 1146.
Ἐπιφάδιον, 1251.
Ἐπίφυσις, 1251.
Equorum multitudo in abbatibus damnata, 787.
Eratosthenes, 778.
Eremitæ, 731, 746.
Eremiticus status non obest voto stabilitatis, 1266.
Erminoldus (S.) abbas et martyr, 768, 778.
Evangelium dum legitur, stare oportet, 393.
Εὐχαριστία, 902.
Eucharistiæ sumptio in parasceve, 1202. Quando sumebatur a monachis, 1050.
Euchitæ hæretici, 1173.
Eugendus (S.) abbas, 1333.
Eugeniæ (S.) humilitas, 1238.
Evirescere, 821.
Ἐυκτήριον, 1213.
Εὐλογία, 1223.
Eulogiæ varia significata, 1223. Non accipienda a monachis sine permissu, 1226. Ejus usus, 1226. Non dabatur excommunicatis, 1224.
Eutropius (S.) Valentinus episcopus, 713.
Evoriacas monasterium, 855.
Exagella, ἐξάγιον, 1311.
Excommunicandi monachi ratio seu norma antiqua, 520.
Excommunicari quis debeat, 973.
Excommunicati in cellulas separatas retrusi, 1002. Se eis jungere non licet, 1015 *et seq.* Licet resalutare, 999. Quo modo satisfaciant, 1009. Ante fores ecclesiæ, 1002.
Excommunicatio ad certos dies vel annos olim determinata, 993. Benedictina major, 999.
Excarrico, 738.
Ex corde recitare, 890.
Excusare quid, 1266.
Expansis manibus orare, 925.
Exponere, expositio, 1271.
Expulsio a monasterio, 988.
Exsufflare, 1020.
Exuviæ, 1285.

F

Fabulis abstinendum in ecclesia, 989.
Facitergium, 1036.
Factis impleudum quod docetur, 781.
Familiaritas particularis vitanda, 1152.
Fara (S.) abbatissa, 855.
Faro (S.) episcopus, 855.
Fasciis pedes involvere, 1233.
Favus melis die festo patribus ab angelis datus, 1121.
Feminalia, femoralia, 1233.
Feminarum familiaritas fugienda monachis, 987, 1326. Feminarum habitu viri induti Kal. Jan., 1141. Feminis sacras pallas tangere prohibitum, 1301.
Ferarum profusa multitudo in circo, et in amphitheatro, 921.
Ferarum formam homines induti Kal. Jan., 1141.
Fercula fratrum æqualia, 1107.
Feria quinta non jejunandum, 1200, 1144.
Feriæ monachis non sunt super terram, 1128.
Feriæ in quibus ,ejunia conquiescunt, 1139.
Fernandus Castellæ rex, 1217.
Fermentum jusritiæ, 769.
Ferramenta spiritalia, 815. Ferramentorum cura ut gerenda, 1053, 1056. Ferramentum quid, 813.
Ferreolus (S.) martyr, 711.
Ferreolus (S.) episcopus Uceticensis, 711.
Ferreolus (S.) episcopus Lemovicensis, 711.
Festinandum ad opus Dei, 1164.
Festis diebus pulmentaria agenda, 1122, 1124.
Fictilia monachorum vasa, 1073.
Filii nobilium vel ignobilium non sunt in monasteriis docendi, 1098.
Fimbriæ, 748.
Fimella, 1339.
Finis malus, 802.
Firminus (S.) Uceticensis episcopus, 711.
Firmitas, 1224.
Firmus, 1288.
Flagellationis Pauli tabula antiqua, 998.
Flavius Rhemensis episcopus, 533.
Flentes quinam dicti, 1009.
Flexuosa verba, 828.
Formaria, 910. Formarius, 910.
Formosi non sunt aliis præferendi, 782.
Fornicationis remedium, 813.
Fortiter pro majore, 765.
Fortuitu, 1102.
Fossatum, 849.
Fructuosus (S.) abbas, 711.
Fructuosus (S.) episcopus Bracarensis, 711, 1113.
Fructuosus (S.) episcopus Segoviensis, 712.
Fruticare, 869.
Fulgentius (S.) episcopus Rusensis, 172, 454.
Furti rei sunt tractandus, 1000. Quasi adulter habendus, 1000.

G

Galbanatus, 1243.
Galbanis, 1215.
Galbanum, 1243.
Gallets, 1153.
Galli (S.) monasterium, 835. Ejus disciplina, 917.
Gallica, 1054, 1246.
Gallicarii, 1262.
Gallicinium, 875.
Gallicula, 1347.
Gallograeci buccellarii, 995.
Galnabis, 1218.
Galvus, 1243.
Γαμὸν, 1316.
Garum, 1346.
Gastrimargia 731.
Γαστρίμαργος, 731.
Gaudium spiritale, 1175.
Gavisci, 1067.
Genovefa (S.). 1353.
Genua osculari in signum reverentiæ, 764. Quando in ecclesia curvantur, 1141.
Genuflexiones in orationibus, 1205. Inter psalmos, 930.
Georgius (S.) monachus martyr, 1085.
Gerardus (B.) abbas, 798.
Gillo, 986.
Gillonarii, 986.
Gloria Patri, etc. Diversa ratione olim cani solitum, 886. Arianorum, 886. In responsoriis, 889.
Glutto, 757.
Gluttum, 757.
Gosuinus (B.) abbas, 871, 961, 1123.
Gothis sabbatum celebre olim, 1143.
Graduum humilitatis ratio, 837.
Græci quidam tollentes ossa mortuorum pro reliquiis, 747.
Gramma quid, 1150.
Granum leguminis non contemnendum in monasterio, 1077.
Γραφεῖον, 1058.
Graphiarium, 1038.
Graphium, 1057.
Grate, 830.
Gratiæ post cibum agendæ in ecclesia, 1133.
Gratus, 836.
Gregorii (S.) Neocæsariensis, 900.
Guido (S.) abbas, 1026.
Guillelmus (S.) comes, 813.
Guillelmus Londonensis seditiosus suspensus, pro martyre cultus, 747.
Gyrovagi, 735, 736.

H

Habitus monachorum similis, 1196. Ordinatus seu ornatus, 1241. Non pretiosus nec nimis abjectus, 1243.
Haymo Halberstatensis auctor commentariorum in Epistolas Pauli, 1030.
Hebdomadæ sanctæ jejunium, 1202.
Hebdomadarii culinæ, 1073.
Helenus (S.) episcopus, 876.
Hellen monachus, 876.
Hemina, 1139.
Heraclii episcopi electio, 813. Successor sancti Augustini, 813.
Herluca (B.), 847.
Hieme semel in die edendum, 1157.
Hierax hæreticus, 916.
Hieronymus (S.), 707. Ejus Regula, 708.
Hippias sophista, 1185.
Hippo regius, 823.
Historia, 1285.
Homicida animarum malus prælatus, 788.
Hominis natura, et perfectio septenario consistit, 899.
Honor olim monachis et clericis exhibitus, 1339.
Hora operis Dei a quo nuntiaeda, 1107. — Hora refectionis, 1137, 1141. — Horæ incompetentes, 1180. — Horæ monasticis exercitiis congruæ, 1175, 1181, 1182, 1187, 1193. — Horæ canonicæ unde appellatæ, 1203. Possunt recitari laborando, 1031. Earum olim diversitas, 901. Quindecim in monasterio sancti Fructuosi abbatis, 786. Septem diurnæ, 903.
Horatici visio, 1157.
Hordeaceus panis cibus pœnitentium, 1001.
Hortulani officium, 1343.
Hortus in monasterio, 1342.
Hospites qualiter suscipiendi, 1215. Docendi in oratorium, 1216. Iis servire debet novitius, 1261, 1275, 1277. Eorum adventu aliquid fratribus augendum, 1122. Eorum custodia, 1221. Stabilitas in monasterio, 1222. Humanitas qualis est eis exhibenda, 1216.
Hugo (S.) abbas Cluniacensis, 1117.
Humanitas, 992.
Humanum, 992.
Humbertus discipulus sancti Bernardi, 803.
Humilis suffert omnia, 1333
Humilitas, 835, 1333
Hymni a sanctis Patribus compositi in Ecclesia cani possunt, 888.

I

Ibices, 717.
Ibis, 718.

ἰσαντίοι, 718.
ἰδιώτης, 1368.
Idoneus, 962.
Ignis erumpens e sepulcris, 856. Ex silice elicitus in lucernario, 907.
Imitatio, 868.
Imperanti contraria legi Dei non obediendum, 1370.
Imperare nihil debet prælatus quod non ipse prior fecerit, 767, 781. — Imperare oportet monacho voluntati ejus contraria, 1297.
Imperatori seu regi ut Deo parendum est, 816.
Imponere psalmum, 1168.
Impositio, 1168.
Improbitas, 975.
Improbus, 975.
Impulsare, 1272.
In impossibilibus obediendum, 1357.
Inæqualitas pro morbo, 785.
Inchoatio boni non est sine gratia Dei, 723.
Incipientes novitii dicti, 1250, 1263.
Inclusi in monasterio duplices, 971.
Inclusionis in monasterio bonum, 1337.
Incessus qualis, 808, 867.
Incorrigibiles monasterio expellendi, 1029.
Increpatus monachus quid faciat, 1373.
Index pro campana, 966.
Indicere, 1200.
Infans et puer idem sancto Benedicto, 1097.
Infantium ætas, 1196. Eorum potiones, 1136. Ut puniendi cum falluntur in oratorio, 1165. Indulgentius habendi, 1197. Qualiter tractandi, 1100.
Inferiorem se omnibus debet judicare monachus, 857.
Infirmi et ægroti differentia, 1023. — Infirmi fratres ut tractandi, 1083 *et seq.* Cum eis plus datur quam cæteris non debent esse elatiores, 1068 *et seq.*, 1072. Eorum cellarium et coquina, 1085, 1091, 1092. Quomodo se gerant, 1083. — Infirmum animo frequentius operari oportet, 1095.
In gratiis tuis, 836.
Ingratus, 836.
Ingredi, ingressus, 867. — Ingredi non licet monacho in cellarium et cæteras officinas, 1349.
Injuriosus (S.) episcopus, 904.
Instrumenta bonorum operum, 797.
Interdiana prandia, 1119, 1139.
Interranea, 1295.
Interrogatio, 1156.
Intuicæ, 763.
Invidia tormentum, tortor, 752.
Invidorum ingenium, 977. — Invidus contentionis amator, 1377. Alterius meritum in sui tormentum convertit, 1378. Vix alteri subjicitur, 1378.
Invitos Deus non convertit, 1056.
Ira non perficienda, 800.
Iracundia fugienda, 812.
Isidorus (S.) episcopus Asturicensis, 714.
Isidorus (S.) episcopus Hispalensis, 711. Ejus Regula, 721, 1031.

J

Jaculatoriæ orationes, 934.
Jejunium, 807. Relaxatur ægrotis, 1093. Nullum olim a Paschate usque ad Pentecosten, 1137. Usque ad nonam, 1163. Monachorum, 1160. Quartæ et sextæ feriæ, 1138. Kal. Jan., 1141. Quadragesimæ, 1137, 1198. Hebdomadæ sanctæ, 1202. Parasceves, 1202. Sabbatini cur nulla fit mentio a sancto Benedicto, 1143.
Joannis abbatis responsum, 820.
Joannes (S.) Alexandrinus patriarcha, 1049.
Joannes (S.) Chrysost., 1105.
Joannes (S.) Evangelista, 1221.
Joannes (S.) Gualbertus, 1217.
Joannes (B.) Marre episcopus Conjomensis, 787.
Joca monachis interdicta, 990. Etiam honesta vitanda, 825.
Joseph (S.) faber ferrarius, 1186. Faber lignarius, 1186.
Judicare quemquam non oportet, 858.
Judicia Dei timenda, 807.
Judicium pro justitia, 756.
Jugum Christi quibus suave, 820.
Julianus (S.) Sabba, 901.
Junci madefacti ad faciendas mattas, 1348.
Juniorum mores, 797. Officium, 796.
Jurandi consuetudo abjicienda, 1251. — Jurare prohibitum clericis et monachis, 810.
Justus (S.) martyr, 1141.
Jutta quid, 1133.

K

Καπιάδη, 737.
Kal. Januarii jejunium, 1141.
Κεμίσιον, 1248.
Κανδῦλα, 968.
Κανών, 1203.
Κατανώτιον, 1231.
Κελλαρία, 1041.
Κελλαριτὸν, 1025.
Κελλάριον, 1025.
Κελλάριος, 1041.
Κέλλη, 1084.
Κέλλιον, 1084.
Κοδρίτης ἄρτος, 1056
Κοῖτων, 959.
Κουκλη, 1129.
Κοχλιάριον, 831.
Κράσις, 1105.
Κρίσιος, 1359.
Κυμινοκρίστης, 1205.
Κυρὲ. Κυρὴ, 1329.
Κυριακὸν, 1213.
Kyrie eleison, 895.
Κῦριε, 1329.
Κυρὲ, 1329.

L

Labor manuum moderatus esse debet, 1184. Labor manualis in officio nocturno, 881.
Laborandum manibus quare, 1184. Laborans non plus requirere debet a consuetudine, 1124.
Læna, 1236, 1256.
Laici fratres, 1332. Laici non debent reficere cum monachis, 1255.
Λαμαρία, λαμαρος, 751.
Lampades vitreæ, 968.
Lambda mater Cypseli appellata, 776.
Lamberti cujusdam sæcularizatio, 1304.
Lamperius hæreticus, 900.
Languidus non debet edere quæcunque cupit, 1086, 1088.
Largire pro largiri, 736.
Laudes quid, 895. Pro alleluia, 879.
Laudes Deo solvere statis horis vetus Ecclesiæ institutum, 899.
Laus tibi, Domine, etc., 900.
Laus perpetua in quibusdam Ecclesiis, 883.
Λαύρα, 732, 733.
Λαυρῆται, 732.
Lavacrum ægrotis concedendum, 1089, 1091.
Lazarus diaconus, 813.
Lectio in lecto, 1117. In mensa, 1101, 1107. In medio refectorio, 1107, 1110. Lectioni vacandum, 1176.
Lectiones Nocturnorum, 891.
Lectoris mensæ benedictio, 1107, 1110.
Lecti monachorum frequenter visitandi, 804. In singulis singuli jaceant monachi, non duo in uno, 969. In eis pia oratio et meditatio esse debet, 1159. Eorum stramenta, 1236.
Lectisternium pro lecto, pro sacro, 965.
Lectrum, 889.
Legerenses monachi, 857, 1215, 1357.
Leontius patriarcha Antiochenus Arianus, 887.
Leporius presbyter Gallus, 812.
Leporius presbyter Afer, 813.
Lerinenses monachi, 1031.
Levitonarium, 1237.
Lex divina, 1216.
Liberti duplices, 962.
Libra sancti Benedicti, 1114. Una sufficiat in die monacho, 1114, 1120. Romana, 1114.
Librorum piorum ecclio quam utilis; paganorum noxia, 1177.
Ligaturæ, 749.
Ligni usus pro campana, 1135.
Ligula, 831.
Lineis uti non debet monachus, 1246. Nec lineis fasciolis, 1252.
Lingula, 831.
Linostima vestis, 1252.
Liquamen quid, 1346.
Litania, 895.
Littera incœpta non perficienda addito signo, 1157, 1162.
Litterarum neglectus quid peperit monasteriis, 1568.
Litteræ non recipiendæ, nec scribendæ sine permissu, 1063, 1225.
Litteræ commendatitiæ, 1008. Solutoriæ, 749.
Locutio fugienda in opere Dei, 919. Λόγος, 796.
Loqui non debet monachus nisi interrogatus, 861, 1210, 1221. Nec cum hospite, 1551. Nec sæcularia, 1551.
Lordicare, 758.
Λορδὸν, 758.
Lotio vestimentorum, 1251. Pedum in cœna Domini, 1201. Rerum in parasceve, 1203.
Lucernarium quid, 905. Ejus celebrandi ritus, 905. Dupliciter sumptum, 907.
Lucilla mulier Donatistarum fautrix, 747.
Lucretius episcopus Deensis, 729.
Lumborum accinctio castitatis symbolum, 1250.
Lumen offerre, 906.
Luminis exstinctio in parasceve, 1203. Accensio in Sabbato sancto, 1203.
Lux dubia, 1189. Lux in dormitorio, 1148, 1149. Luce diei omnia agenda in monasterio, 1139.
Luxuriæ origo, 1118.
Luxuria, redundantia, 837.
Λυχνάρια, 905.
Λυχνικὸν, 905.
Λύχνη, 1189.
Λυχνοῦχος, *ibid.*
Lyra, 899.

M

Macarii plures, 707, 708.
Macarii Regula duplex, 707, 708.
Maecenas discinctus, 1251.
Mafortes, 1238. Mafortium, 1238.
Magistri Regula, 713, 714.
Major quis, 1018.
Major domus, 952.
Majorum exempla sequenda, 859.
Mala alterius revelare quando licet, 806.
Maledicere non oportet, 806.

Malorum materies et causa, 815.
Mandatum, 1013.
Μανδάτον, 1013.
Μανδατοφόρος, 1015.
Manibus expansis orare vetus consuetudo, 925.
Manicationes, 889.
Mansio, 1354.
Manuale, 889.
Manuariolum, 1255.
Manum alterius tenere monacho nefas, 987.
Manumissio duplex, 791.
Mappula, 1237.
Μαφόριον, 1238.
Marcelli papæ decretum apocryphum, 1505.
Martiani imp. lex, 811.
Martini (S.) monachi, 1131.
Martinus (S.) nigro colore usus, 1234.
Martyres hæreticos colere prohibitum, 747. Martyrum falsorum membra vendentes, et adorare suadentes, 747. Martyrum reliquias vendere prohibitum, 747.
Μαρτύριον, 1215.
Massaliani hæretici, 1175.
Matta, 1235.
Mattarii, 1235.
Matutinorum solemnitas ut agenda, 894. Matutini aliquando vigiliæ nocturnæ, 894. Matutinæ laudes quando dicendæ, 877. Qualiter privatis diebus agantur, 895.
Maurus (S.), 1258.
Maximi (S.) Cæsar Augustani Chronicon, 712, 713.
Maximus (S.) Reiensis episcopus, 772.
Mazalini (B.) abbatis visio, 779.
Mediocritas, 1117.
Meditari loqui, 1183. Cantare, 1216. Legere, 1354.
Melanthius insignis helluo, 752.
Μελιφρουτία, 1070.
Memoriosus, 801.
Μεριμνοσοφος, 1070.
Mendacium fugiendum, 812.
Mendacis pœna, 973.
Menedemus Eretriensis, 1185.
Mensa abbatis, 1253. Quare in ea comedere debent quidam fratres, 1250.
Mensæ substantia, et possessio communis, 1270. A mensæ consortio exclusio, 985.
Mensibus omnibus idem numerus pulmentariorum, 1115.
Mente orandum, 917.
Mentis cum voce concordia inter orandum, 917. Divagatio, 918.
Mentio pro mendacio, 852.
Mentiosus, mendax, *ibid.*
Menwercus (S.) episc. Paderbornensis, 1116.
Merx, 1136.
Μεσονύκτιον, 902.
Meum hoc est non debet dicere monachus, 1059, 1063.
Miræ non perdendæ, 1027.
Milites in tabulas relati, 1275. Eorum sacramentum ibidem punctureæ, *ibid.* Caligæ clavatæ, 1254. Labore exercendi, 1096.
Mille abbates in uno monasterio, 886.
Mina pro minatione, 1353.
Minima peccata vitanda, 854, 978.
Ministri ægrotorum, 1086, 1088, 1091.
Minor pars quæ sanior sit, in electione prævalere debet, 755.
Misericordia potior justitia, 756.
Misnensis Ecclesia, 883.
Missa pro missione, 911.
Missæ pro horis canonicis, 1184.
Missæ celebrandæ horæ diversæ, 912.
Missæ seu collectæ inter psalmos, 879, 911.
Missæ Sabbati sancti, 1201.
Missas tenere, 1314.
Mithres et Mithriaca sacra, 1141.
Mixtum, 1105.
Μνησικακία, 800.
Modus optimus, 757. Modus pro numero, 1354.
Molina rivulus, 1142.
Monachæ prohibentur tangere pallas sacratas, 983.
Monachi officium, 743. Monachorum quatuor genera, 729. Sex genera, 745. Monachi raro foras procedere debent, 1336. Nec soli, 1090. Extra monasterium laborantes non præteant horas canonicas, 1203. Exeuntes proprio vitio, aut ejecti quoties recipiendi, 1035. Desertores in ultimo loco suscipiendi, 1038, 1039. Ejecti sub cura episcopi, 1037. Fugitivi in alio monasterio non recipiendi, 1037. Suo monasterio restituendi, 1040. Fiunt officiales præsidis provinciæ, 1040. Eorum cibus vilis esse debet, 1117. Non vescantur cibis sæcularium, 1209. Extra monasterium non comedant, 1209. Necessaria æqualiter accipere non debent, 1067. Nigri, 1252. Operari debent manibus, 1175, 1185. Operando meditentur et psallant, 1187. Operantes nihil debent loqui sæculare, 1183. Non recipiendi pretio, 1298. Quidam in suis ædibus vitam monachicam ducebant, 1302. Abscedentibus bona quæ intulerant monasterio non reddenda, 1299. Non suscipiendi in alieno monasterio sine consensu sui abbatis, 1219. Peregrini ut suscipiuntur in monasterium, 1315. Imperfectiones, 960. Monachum quæ faciant, 1303. Quidam correptus in visione ob sputamenta, 932. Imperfectus salvatus, quia neminem judicarat, nec injurias ultus fuerat, 959. Mortuus ad gallinæ morsum, 1116. Monachus unde dicitur, 731 *et seq.* Monachi vagi descriptio, 1211.
Monasterium claudendum tempore refectionis, 1161. Mutatio non facile probatur, 1317. Quæ requirantur in ejusmodi mutatione, 1317. Notum quod dicitur, 1319. Commoditates, 1333.
Morbi quotidiani sperandi, 1297. Ex ignavia, *ibid.*
Mors, 802.
Mortificatio triplex, 856.
Moyses Ἄρχων appellatus, 776.
Mozarabæ Ecclesiæ ritus in lucernario, 906.
Multiloquium in oratione quid, et fugiendum, 929.
Munditias facere, 1075.
Munuscula accipere monachis non licet, 1225.
Muria, 1346.
Murmuratio vitanda, 824. Malum, 1181.
Murmuratorum pœna, 975.
Murmuriosus, 801.
Murmurium, 801.
Muscæ noctu lucentes, 968.
Μυστήριον, μύστιδον, 831.
Mutandæ, 1253.
Mutare monachis non licet, 1227, 1228.
Mutii obedientia, 1570.
Mutuare inter se monachis non licet, 1062.

N

Νήφειν quid, et unde, 1009.
Nascentia leguminum, 1115.
Ne quid nimis, 757.
Negotiis sæcularibus non debent intricari monachi, 745. Negotia monasterii non sunt committenda junioribus et nuper conversis, 1358.
Neocæsarienses clerici, 899.
Νεοσυγκλ, 1265.
Nerva imperator, 785.
Nicetius (S.) laborat suis manibus, 1175. Scurrilitatem fugiendam monachis dicebat, 825.
Niger color monachorum, 1252.
Nihil factum, 1223.
Nimis, nimius, 757.
Nitrienses monachi, 1131.
Nomina litterarum quibusdam imposita, 776. Nomina pontificum orthodoxorum in diptyca relata, 762.
Nonæ horæ canonicæ mysterium, 908.
Nonna, 1327.
Nonna (S.), 952.
Nonnosus (S.), 1356.
Nonnus, 1527.
Nonus defunctorum dies, 806.
Nota, 829.
Notari, *ibid.*
Nova accipientes reddant vetera, 1235.
Novemdial, 810.
Novitiatus unius anni, 1266. Non integri, 1276. Aliquando trium annorum, 1265.
Novitii ut probandi et recipiendi, 1261. Cur ab aliis separati, 1261. Olim in habitu sæculari, 1269. Rasum ferentes, 1270. In illis quæ inspicienda, 1264. Novitius quid, 1263.
Nuditas, 845, 1260.
Nuntiare visa et audita extra monasterium non licet, 1345.

O

O pro u, 827.
Obedientia qualis sit, 1574. Simplex et cæca, 1574. Sine discussione, 819. Hilaris, 818. Martyrii et victimæ genus, 823. Labor, 725. In rebus duris, 843. Omnimoda, *ibid.* Ejus qualitates et circumstantiæ, 815 *et seq.* 841 *et seq.* Laus, 817. Utilitas, 818. Merces, 794. Votum vitæ monachicæ conveniens, 1267. Obedientia mira cujusdam monachi, 843.
Oblata, 1301.
Oblatio, 1301.
Oblatio puerorum in monasterio, 1301. Quam sit accepta Deo, 1306.
Oblivionem fugere, 857.
Obsculta, 725.
Oculorum custodia, 983.
Odilo (S.) abbas Cluniacensis, 756.
Odire, 804.
Odisse vitia oportet, non homines, 757.
Oddo (S.) abbas Cluniacensis, 866, 1116, 1346.
Œconomus, 1373. Œconomus major, 1376.
Officina artis spiritalis, 816.
Officium pro officiali, 761.
Officium divinum, ratio quomodo recitetur, 1228. A fratribus peregre proficiscentibus, 1206. Qualiter agatur per diem, 900. Qualiter agatur æstatis tempore, 890. Nocturnum quomodo celebretur, 873. Quale a S. Avito Viennensi institutum, 891.
Oleo pedes bospitum ungendi, 1220.
Onagri Indici descriptio, 925.
Opus manuum quotidie a fratribus faciendum, 1175. Succurrit tentationibus, 849. Inobedientium et murmurantium olim disruptum, 824. Ad illud cito occurrendum, 1193. Illius cessatio olim ab una vespera ad sequentem, 1143. Operi Dei cito occurrendum, 1151, 1157, 1164.
Operum bonorum lux, 865.
Oratium, 1243.

Ὀράριον, 1245.
Oratio pro permissu, 778.
Oratio assidua ad impetranda Dei dona, 724. Laus et assiduitas, 803. Utilitas, 803. Disciplina, 927. Reverentia, 928. In conspectu Dei, 916, 919. Ante et post cibum, 1153. In benedictione lectoris, 1103. Ante et post opus manuum, 1195. In exitu monasterii, 1227. Ante somnum, 911.
Oratio Dominica in vesperis et matutino, 816. Cur sæcius dicenda in officio, 897.
Orationes impuræ, 1008.
Orationes breves inter psalmos, 929, 935.
Orationes in exitu et regressu, 1344.
Oratorium, 1213.
Ordo pro officio divino, 1032.
Ordo congregationis, 1325 Ordinis seu congregationis religiosæ mutatio improbata, 1317. Requisita ad ejus modi mutationem, 1318.
Ὄρρι, 800.
Ὄρθρον, 903.
Orpyllis scortum, 776.
Orpheus, 899.
Orsiesius (S.), 707.
Osculum ante sumptionem eucharistiæ, 1326. Malum 764. Genuum, *ibid.*
Ostiariorum officium, 1339.
Otiositas inimica animæ, 1175.
Otiosus monachus, 1185.
Otium fugiendum, 1175.
Ovis morbida gregem contaminat, 1031
Ὀξυγαλία, 800.
Ὀψάριον, 1128.

P

Pachomii (S.) Regula, 706. Monasterium in varias classes seu domos distributum, 775.
Palla altaris, 1301.
Pallæ sacratæ, 1301.
Palliis operti monachi, 1244.
Palmarum rami madefacti ad contexendas mattas, 1348.
Pambo (S.) eremita, 825.
Πανία, 1232.
Panis et aquæ refectio in punitionem, 974.
Panis medius, 1120.
Panis quadratus, 1116.
παννυχίδας, 873.
Papa, papas, 750.
Πάππας, 750.
Parapsis, 1119.
Paratura, 1252.
Parens, 1284.
Parentes obliviscendi, 840.
Paropsis, 1119.
Παροψηρός, 800.
Parva peccata non spernenda, 854, 977.
Parvulorum custodia, 1368. Eis Deus revelat quod melius est, 792. Eorum consectator et osculator ut tractandus, 1000. Eorum sermonibus non ducatur prælatus, 945.
Parvum quid non faciendum sine permissu, 1345.
Paschæ epitheta honorabilia, 1196. Octavæ feriatæ, 1155.
Pastor (S.) martyr, 1141.
Patientia amplectenda, 845.
Patriarchæ greges paverunt, 1186.
Patrum decreta non sunt relinquenda, 1250.
Pauli apostoli Apocalypsis seu revelatio, 904. Ascensus, *ibid.* Flagellatio, 998.
Paulus V papa, 915.
Pauli et Stephani Regula, 709.
Pauperes qui fuerint in sæculo, in monasterio humiliter, 1071.
Pauperibus reliquiæ mensæ erogandæ, 1158.
Pausationes, 914.
Pax Ecclesiæ Hipponensis nomen, 813.
Paxamas, paxamatium, 998.
Paxamus coquus, 993.
Peccati correptio qualiter fieri debeat, 979. Radices succidendæ, 977.
Peccatores etiam gravissimi in religione admittendi, 1281. Ut probandi, 1282. Non eis similandum aut acquiescendum, 982.
Peculiaritatis vitium nequissimum, 1059.
Pecunia in zonis, 1241.
Pedale, 1233.
πέδαι, 1232.
Pedule, 1232.
Pedules, 1232.
Pellicula capitis infantis recens nati, 749.
Pellis, 1246.
Penuria, 1227.
Perduellio pro perduelle, 1324.
Perfectionis impedimentum, 748.
Perperam agere, 1241.
Περπερεία, 1241.
Πέρπερος, 1241.
Petitio quid, 1267. Non reddenda monacho fugitivo, 1270.
Petrus (S.) non prius constituitur pastor Ecclesiæ, quam se Christum amare ter profiteatur, 784.
Petrus (S.) Damiani, 1117.
Phantasiæ nocturnæ unde, 997.
Pharisæi superbia, 866.
Pharisæi peccatum quale, 989.
Philargyria, 751.
Philosophi sutores fuere, 1185.
Philosophi monachi, 731.
Philosophia monachatus, 731.
Phœnicium, 870.
Phylacteria pro reliquiis usurpata, 748.
Πιφία, 800.
πλάτ., 1233.
Pinguedinis esus olim monachis concessus, 1115.
Pisces in festivitatibus monachis appositi, 1115.
Pistores monasterii qualiter se gerant, 1341.
Pittacium, 1281.
Placidia Theodosii imp. filia, 813.
Plagarum numerus in flagellatione, 998.
Planeta vestis, 1244.
Planus, 864.
Platonis cœna, 1217.
πλέθρον, 1233.
Pœnitens ex corde ut suscipiendus, 1371.
Pœnitentium gradus quinque, 1009. Non semper istos gradus decurrebant, 1009.
Pœnæ delinquentium monachorum, 987, 989. Loquentium et ridentium in mensa, 1165. Non festinantium ad opus Dei, 1106, 1151. Non occurrentium ad versum qui dicitur ante et post mensam, *ibid.* Ebriorum, 1132.
Pollutionis nocturnæ expiatio, 848. Quorumdam antiquorum circa illam scrupulositas, 848. Adversus illam remedia, 848.
Polypticum, 762.
Polyzelus Cyrenseus, 865.
Ponere pro desinere, 737.
Portarii officium, 1339.
Posca, 1133.
Possessio, 1351.
Posticiaria, posticiarius, 1229.
Posticium, posticum, 1229.
Potestate absoleta nihil faciendum, 782.
Potionum numerus, 1133.
Potus ad Nonam, 1166.
Prælatus primus in omnibus exercitiis esse debet, 781, 784. Ut se gerat in rerum temporalium administratione, 773. Timere debet judicium futurum, 774. Mali character, 775 *et seqq.* Et Deo parendum est, 816. Stulti ingenium, 790.
Prandia olim meridiana, 113. A priscis Romanis ignorata, 1148. Prandia et jejunia opposita, 1148.
Præpositus monasterii qualis sit, 759, 935. Ejus officium, 939, 941, 942, 944, 948. Ejus dignitas quanta sit, 953. Res exteriores gerebat, 938, 946, 1187. Solliciti do ergo subditos, 1021. Ut eos admoneat, 953. Ordinandus ab abbate, 935, 936. Deo in singulis decadibus, 954.
Præpositus et abbas dignitates distinctæ, 935.
Præsentia Dei, 838.
Presbyteri monachi ordinati duplici titulo, 1525. Eorum dotes, 1325.
Prima fax, 905.
Primæ horæ synaxis ubi et quando inventa, 874.
Principes monasteriorum, 777.
Prior quid, 1104.
Prior claustri, 1181.
Prioratuum origo, 971.
Privatus, 1368.
Probationis monasticæ spatium, 1265, 1275.
Procax ut tractandus, 1374.
Procedere, processio, 1253.
Prodicus philosophus, 727.
Professio monachica quare servanda, 1268.
Profectus ex carnalibus et spiritualibus, 1377.
Πρόσωπος, 953.
Propensa, 1114.
Proprium non debent habere monachi, 1057.
Πρόσφλιτος, 1048.
Prosper (S.) Aquitanicus, 709.
Prosperitas metuenda, 1023.
Prostratio monachi corripi, 1362.
Prostrati seu substrati, 1009.
Provisor, 1249.
Provisores, 941.
Prudentia in correctione, 757.
Psallendi disciplina, 913. Modus, 790. Cessatio in parasceve, 1201.
Psallere sapienter, 918.
Psalmi quo ordine dicendi, 873, 913. Non combinandi, 878. Duodecim in nocturnis et vesperis, 890. Quot dicendi in noctibus, 885. Quo tempore discendi, 872. Qui olim canebantur cum alleluia, 1191. Eorum distributio, 914. Apocryphi in Ecclesia non canendi, 916. Quot per horas diurnas canendi, 919. Davidicorum laus et utilitas, 1191. Psalmus aperitionis, 1150. Psalmus centesimus, quinquagesimus primus, 916.
Psalterati fratres, 1258.
Psalterii Davidici divisio a S. P. Benedicto facta ab Ecclesia approbata, 914, 915.
Pseudomonachi descriptio, 745.
Pseudothyrum, 1250.
Psiathus, 1149.
Publicani humilitas, 886.
Publius (S.) Zeugmatensis, 901.
Pueri custodiendi, 1368. Excommunicationis non capaces, 1041. Disciplinæ assuefaciendi, 1041. Minuti eorum mensura pascendi, 1097, 1118. Cum eis non ridendum, 944. Oblati a parentibus cogebantur olim perpetuo manere in monasterio, etiam post annum pubertatis, 1303, 1308. Charius donationum quando facere debebant, 1308. Eorum legitima in tres partes divisa, 1312.

Pulchro aliquo velu inspecto terra aspicienda est, 984.
Pulli sollis infimis apponendi, 1119.
Pullorum cantus, 875.
Pulmentaria quot cuique apponenda, 1115.
Pulmentarium quid, 1115.
Pulsare, 1272.
Pultes, 1115.
Puncturæ militum, 1275.
Papillæ oculorum virgines dictæ, 984.
Puræ orationes, 1202.
Purpura a quo et ubi inventa, 870. Assuta colobiis monachorum, 1238.
Pythagoras γάμμα appellatus, 776. Pythagoræ littera, 728.
Pythagorei in communi vivebant, 753. Non sepeliebantur in area cypressina, 954.

Q

Quadra, 1056.
Quadragesima, 1140. Quadragesima monachorum qualis sit, 1195, 1198. Quot pulmentis in ea reficiendum, 1118. In ea Te Deum laudamus canitur a monachis Benedictinis, 892. Altera, 1142.
Quadragesimus defunctorum dies, 809.
Quadrupedum esus monachis prohibitus, 1115.
Quando pro si quidem, 740.
Quere a, 1070.
Querelosus, 1070.
Querimonia, *ibid.*
Qui habitat, etc., 902.
Quid tum postea, 978.
Quinquagesima paschalis, 1144.
Quinquagesima ante quadragesimam, 1198.
Quintæ feriæ jejunium prohibitum, 1144, 1062.

R

Racanè, racanellæ, 1256.
Rachinæ, 1255.
Radegundis (S.), 928.
Ralla, 1013.
Rauarum silentium præcipiente sacerdote, 990.
Rasum, 1015, 1270.
Ῥασοφορεῖν, 1015, 1270.
Ῥασοφόροι, 1015, 1270.
Ravenna, 1105.
Rebellio pro rebelle, 1324.
Recapitulare, 1222.
Receptorium, 792.
Reclusioni monachorum requisita, 746.
Recelulæ, 736.
Recondere nihil debet monachus ad edendum aut bibendum, 1160. Recondere nihil oportet in oratorio præter ea quæ spectant ad opus Dei, 1213.
Rectores mala permittentes graviter peccant, 754.
Reculæ, 756.
Recusare opus injunctum non licet monacho, 1358.
Refectioni cito occurrendum, 1161.
Refectio, 880
Refectorium, 995.
Reficere, 880.
Reformare, reformatio, 1058.
Refrigerium, 1222.
Refuga, 753.
Refugare, 1128.
Regia pro janua, 1316.
Regula S. P. Benedicti admonitiones habet, et præcepta, 723. Scopos, *ibid.* Excellentia et discretio, 718, 719. Cum aliis collata, *ibid.* Regula legenda in congregatione, 1337, 1373. In refectorio, 1110. Novitiis, 1264, 1270, 1147. Regula pro disciplina, 1324. Regula communis sequenda, 860.
Regum libri sero non legendi, 1146.
Reiculæ, 736.
Reimberti (S.) archiepiscopi Bremensis præclare dictum, 1050.
Religio pro vita monachica, 732.
Religiosus pro monacho, 732.
Remigius (S.) Rhemensis archiepiscopus et Remigius Autissiodorensis non sunt auctores commentariorum in Epistolas Pauli, 1023. Sancti Remigii obitus, 1029.
Reliquias falsas colentes, 747. Reliquias sanctorum vendere prohibitum, 748.
Remissa, 1355.
Remitæ, 749.
Repetitio lecturæ mensæ, 1112.
Res monasterii negligenter non tractandæ, 1051.
Rescellæ, 736.
Resona echo, 1353.
Respicere comedentem alterum haud monachis licitum est, 1125.
Respondere increpanti non debet monachus, 1375.
Responsalis, 1209.
Responsio, 1197.
Responsoria, 898. Quid differant ab antiphonis, 896.
Responsum, 1209.
Revelatio Pauli, 904.
Reverentia orationis, 928.
Revocare, 1055.
Ridere cum pueris non licet monacho, 944.
Risus vitandus, 826. Immoderatus, 827. Facilis et nimius, 861. In choro coercendus, 989.
Ritus benedicendi monachi, 1075. Offerendi pueri in monasterio, 1301.
Roboam rex Juda, 949.
Rogus, 878.
Romani olim pultifagi, 1113. Prandia ignorabant, 1145.
Romanus (S.) abbas, 712.
Rumeseienses monachæ sanctum falsum colentes, 748.
Rupicapreæ, 717.

S

Sabanum, 1056, 1238.
Sabbatum olim feriatum, 1152, 1143.
Sabbati sancti missæ, 1201.
Σάκκος, 1253.
Saccus, 1253.
Sacerdotes ut recipiendi in monachos, 1313. Recipi possunt in monachos, 1313. Recepti in monasterio ut peregrini, 1315. Subsunt quodammodo episcopo, 1324.
Sacerdotii genus triplex, 1323.
Sacramentum nil tum, 1375.
Sacrarium, 791.
Sacrificium pro defunctis, 808.
Sacrus, 717.
Sæcularia loqui non decet monachum, 1351.
Sæculares non ingrediebantur olim in claustra monachorum, 1180.
Sæculi (a) actibus se facere alienum, 800.
Sævitia prælatorum quam pernitiosa subditis, 779.
Sagi, 1253.
Sagum, 1256.
Salon, 786.
Salomonis psalmi et odæ, 916.
Saltuarius, 952.
Salutationes episcoporum, 792.
Salutatorium, 792.
Samuel, 1207.
Sanctallum, 1234.
Sanctimoniales damnatæ ob neglectam peccatorum confessionem, 855. Sanctimonialium salutatorium, 792.
Sanctorum acta in ecclesia legenda, 898.
Sanitas ex labore, 1096.
Sarabaitæ, 734, 735, 749.
Satisfactio eorum qui falluntur in oratorio, 1165. Eorum qui tarde ad opus occurrunt ad opus Dei, 1162, 1163, 1164. Eorum qui tarde ad mensam occurrunt, 1156, 1159. Qui tarde occurrunt ad aliquod opus, 1156.
Satur abstinentiam facile prædicat, 781.
Satyrus ζήτα appellatus, 776.
Scandalum pro pugna et jurgio, 897.
Scapulare, 1231.
Scarabei nocte lucentes, 968.
Σκάλμη, 1255.
Scemari, 1253.
Scematio, 1253.
Sceptrum Jovis cypressinum, 954.
Schola, conclave, 855.
Scholæ in monasteriis, 1098.
Scribere præcipuum opus manuale monachorum, 1190.
Scriptura, scriptum est, 841.
Scrupulus, 1114, 1130.
Sculdais, 952.
Scurrilitatis vitium, 825.
Scutella, 1111.
Secreta locutio inter monachos noxia, 762.
Secretarium, 791.
Secundi domorum, 947. In monasteriis, 779.
Segestre, segestrum, 1255.
Stella reclina, 943.
Σεμνεῖον, 733.
Senes indulgentius tractandi, 1093. Delicatius nutriendi, 1097. Ut tractandi, 1098. Junioribus præferendi, 859. Debent aliis præluceare, *ibid.* Honorandi a junioribus, 1328.
Senior novitiis deputandus, 1264, 1277. Seniores duo in monasteriis, 962. Seniorum officium, 796
Septenarius numerus sacer et mysticus, 899.
Septimanariorum coquinæ officium, 1073.
Septimum monachorum genus, 750. Septimus dies defunctorum, 809.
Septuagesima, 1198.
Sepultura monachorum in eodem loco, 855.
Sequax, 1279.
Sermo sæcularis vitandus monacho, 1193.
Servandus (B.) abbas, 967.
Servitor, 1084.
Servitores, 1105.
Servi non manumittendi ab abbate, 791. Ut habendi in monasteriis, 771. Monachi fugitivi restituendi dominis suis, 1040.
Sessio in sacris Herculis, 965.
Severitas miscenda lenitati, 772.
Severus Sulpitius presbyter, 1175. Severus subdiaconus, 814.
Sexagesima, 1198.
Sextæ horæ canonicæ mysterium, 908.
Sextarius, 1129.
Sezach rex Ægypti, 949.
Sicera, 1121.
Sicut erat in principio, etc., 887.
Sidetana synodus, 1175.
Signatura petitionis, 1268.
Signo in mensa petenda, 1103, 1106, 1109. Signum pro campana, 1151.
Silentium in mensa, 1105, 1106, 1109, 1112. Horis nocturnis, 1148, 1150. In opere manuum, 1185. Ejus utilitas, 827, 828.
Similis excommunicationis vindicta quomodo intelligitur, 1015.
Simon Atheniensis, 1185.
Simplex, 1352. Ejus dotes, 1286.

Simplicitas, 1552.
Sirvitanum monasterium, 715.
Solatium pro auxilio, 1046.
Solea, 1013
Solon, 757.
Somnus frater mortis. 1171. Meridianus, 1153. Fugiendus in opere Dei, 919. Post nocturnas vigilias vetitus, 873.
Spartea, 1013.
Spartum, 881.
Σπουδή, 1126.
Species, 1253.
Sperare pro petere, 1160.
Spiritalis vindicta, 1027.
Spiritu sancto duce omnes indigent, 768.
Spuere in aliquem ignominiæ causa, 1001. Spuere in Ecclesia ante se non oportet, 932.
Sputamenta in oratione rara esse oportet, 932. Sputamenti cohibitio post communionem, 1105.
Stabilitatis votum, 1266.
Staminearium usus apud monachos, 1248.
Stare cum legitur Evangelium, 894.
Στιγμαστρον, 1254.
Stellarum observatio, 1170.
Stephani et Pauli regula, 709.
Stephanus (S.) de Obazina, 1148.
Stores, 1013.
Striare, 1235.
Strumentum pro instrumento, 1035.
Subsequi, 844.
Substantia monasterii sacra, 1045. Uni fratri committenda, 1053.
Substrati seu prostrati in Ecclesia, 1049.
Subulci monachi quales, 751.
Suffecta persona, 1205.
Suffragium, 1195.
Supellex monachi, 1248, 1252.
Superbus quis, et quomodo curatur, 807.
Superexaltat misericordia judicium, quomodo intelligitur, 756.
Superfluum nihil debet habere monachus, 1258.
Superiores nobis alios existimare debemus, 855.
Superpositio. superponere, superpositio jejunii, silentii; superponere ejunium, silentium, 1174, 1202.
Superstitio plebeculæ in vindicandis falsis reliquiis, 747.
Supplacitare, 786.
Surdus, mutus, et cæcus debet esse monachus, 869.
Surgentes signum crucis faciant, 972.
Suum aliquid esse monachus dicere non debet, 1059, 1063, 1064, 1065.
Sylla, 1251.
Sylva barbara, 921.
Sylvæ in circo et in amphitheatro, 921.
Sylvester (S.), 1585.
Sympecta, 1018.
Συμπαίκτης, 1019.
Συνδουν, 884.

T

Tabenna insula, 1086. Tabennesiotarum horæ canonicæ, 902.
Taciturnitas ut tenenda, 825.
Tanti pro tot, 1521.
Ταραχή, 800.
Tarentum locus in campo Martio, 965.
Tarnadas, 710.
Tarnatensis Regula, 709.
Taxare quid, 821.
Te Deum laudamus in nocturnis, 892.
Τέκνον, 1186.
Temporius, 892.
Teplilin, 748.
Ter bibendum, 1118.
Tertiæ horæ canonicæ mysterium, 909. Tertius defunctorum dies, 809.
Testamentum pro instrumento seu charta, 783. Testamenti condendi ætas, 1309.
Theodebertus rex Francorum, 1258.
Theodoricus (S.) episcopus Cameracensis, 856.
Theodosius junior imp., 815. Vitam artificio sibi comparat, 1176.
Θερμαστρον, 731.
Θεος, 776.
Θεος, 800.
Θεος, 762.
Tumor Domini, 857, 840.
Toc-sem, 1151.
Tonsura clericorum, 1244. Monachorum, 1244. Fit ab abbate, 1298. A sacerdote, 1298.
Transmissa uni monacho, alteri dari possunt, 1228.
Trasila, 813.
Tricare, tricæ, 1060.
Tricesima, 1198. Tricesimus defunctorum dies, 809.
Triclinium, 969.
Trivium vitæ humanæ, 727, 728.
Tu autem, Domine, 889.
Tuba campanæ loco, 1155.
Tulta, 785.
Tunicæ manicatæ feminarum, et delicatiorum, 1258.
Tunicæ sacci, 1253.
Tussis frequens vitanda in oratione, 931.
Tutare pro extinguere, 969.
Typus, 1145.
Τυρος, 1043.
Tyrones, 1273.

U

Ulciscere pro ulcisci, 756.
Una quid, 1155.
Uncia, 1114. Ejus pondus, 1130.
Uncina humilitas, 858.
Unus in domo Dei congregatus, quomodo intelligitur, 920.
Urbanus V papa, 709.
Urbanus VIII, 1031.
Ursorum circumductio superstitiosa, 747.
Usufructuarium, usufructuarius, 1303.
Ut particulæ significatio, 804.
Utensilia monasterii, 1038.
Utilis frater, 859.
Utor verbum cum accusandi casu, 1255.

V

Vacivus, 728.
Vænalia monasterio viliori pretio danda, 1259.
Vagatio animi fugienda in opere Dei, 910.
Vale dicere debent fratres exeuntes monasterio, 1356.
Valerius (S.), 714, 750.
Valerius, 776.
Valentini hæretici psalmi, 916.
Valentinianus tertius imperator, 823.
Valesius Sabinus, 965.
Vasa monasterii consignanda cellerario ab hebdomadariis, 1074.
Veniam petere non debent prælati a subditis, 917. Petenti indulgendum, 1374. Ad eam petendam tardus, ut tractandus, 1374.
Venite exsultemus, etc., 888.
Verba otiosa vitanda, 826. Verbum pro mandato, 796.
Verberibus aliquem raso capite cædere, 1101.
Vergidum oppidum, 714, 1112.
Versiculi ante collectam, 884.
Versus apertionis, 1150.
Vespera quando celebranda, 904. Ejus mysterium, 909. Vespera sabbati, 1143.
Vesperæ lucernarum accensio, 905.
Vesperna, 1145.
Vespertinum, 905, 906. Vespertinus cibus, 1117.
Vestes sacræ ubi induantur, et exuuntur, 792. In vestibus humilitas servanda. 1259. Juxta professionem cujusque habendæ, 1240. Monachis necessariæ, 1245. Ab uno custode servandæ. 1242. Quales sint, 1250. Quo affectu suscipiendæ, 1161. Nocturnæ, 1255.
Vestiti dormiant monachi, 964.
Veterator quis, 1263.
Vetulas, et cervolos facere quid, 1141.
Viaticum hospiti exeunti imponi solitum, 868.
Victoris (S.) Massiliense monasterium, 709.
Victualia, 1049.
Vicedominus, 951.
Vigiliæ pro sacris nocturnis, 873. Vigiliæ nocturnæ, 871 *et seqq.*, 891, 897.
Vigiligallus, 939.
Vigilius abbas, 715.
Vigilucius, 939.
Vilitate omni contentus esse debet monachus, 857.
Villicus, 932.
Villosa, 1231.
Villosa cucullia, 1251.
Villus, 1231.
Vinum non est monachorum, 1138, 1131. Apostatare facit sapientes, 1131. Modico utendum, 1131. Mensura, 1131. In arbitrio abbatis, 1131. Monachis indultum, 1131. Luxuriæ incentivum, 1136.
Vires tentandæ, cum quid suscipiendum est arduum, 1264.
Virgæ abbatum, episcoporum, etc., 933.
Virginitatis professio quando fieri potest, 1506, 1507.
Virginum zonæ solutæ in nuptiis, 1251.
Virtus et voluptas Herculi et Scipioni occurrunt, 728.
Visitare ægrotum non licet monacho sine permissu, 1086.
Vita præsens via est, 727. Vita mala pastoris ovium occisio est, 1021. Vitæ æternæ descriptiones, 802.
Vitia acrius impugnant noviter conversum, 1207.
Vitiosi homines feris comparati, 922.
Vocis moderatio, 863.
Volatilia comedere in quibusdam solemnitatibus olim concessum monachis, 1116. Volatilia olim a quibusdam credita non esse carnem, 1116.
Voluntas propria fugienda, 839. Voluntatis propriæ periculum, 1197.
Votum simplex religionis, 1304.
Vota tria regulæ sancti patris nostri Benedicti statui monastico convenientissima, 1267.
Vulgaris, 744.
Vulnus aperiendum et secandum, 1155.

W

Wiborada (S.) martyr, 1118.
Wicpertus (S.) episcopus Augustanus, 847.
Wiradis abbatissæ nimia severitas, 779.

Y

Y, littera, 728.

Τεῖχος. 1174, 1202.
Τειχίζειν, 1174, 1202.
Τεκτονικὴ, 1009.
Τεκτονικὸν, 1009.

Z

Zelus duplex bonus et malus. 1377.
Zelo Dei an quis moveatur, quomodo intelligitur, 1380.
Zelum non habere, 804

Ζῆλος unde, 1377.
Zelotypus, 758.
Zonæ usus, 1240. Solutio in nuptiis, 1251. Zonam perdere, 1241.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

SEDULIUS SCOTUS.

NOTITIA HISTORICA. *Col.* 9
SEDULII SCOTI COLLECTANEA IN OMNES B. PAULI EPISTOLAS. 9
I. — *In Epistolam ad Romanos.* 9
CAPITA I-XVI. 9-128
II. — *In Epistolam ad Corinthios.* 127
CAPITA I XVI. 127-162
III. — *In Epistolam II ad Corinthios.* 161
CAPITA I-XIII. 161-182
IV. — *In Epistolam ad Galatas.* 181
CAPITA I-VI. 181-194
V — *In Epistolam ad Ephesios.* 195
CAPITA I-VI. 195-212
VI. — *In Epistolam ad Philippenses.* 211
CAPITA I-IV. 211-218
VII. — *In Epistolam I ad Thessalonicenses.* 217
CAPITA I-V. 217-222
VIII. — *In Epistolam II ad Thessalonicenses.* 221
CAPITA I-III. 221-224
IX — *In Epistolam ad Colossenses.* 225
CAPITA I-IV. 225-230
X. — *In Epistolam I ad Timotheum.* 229
CAPITA I-VI. 229-238
XI. — *In Epistolam II ad Timotheum.* 237
CAPITA I-IV. 237-242
XII. — *In Epistolam ad Titum.* 241
CAPITA I-III. 241-250
XIII. — *In Epistolam ad Philemonem.* 249
XIV. — *In Epistolam ad Hebræos.* 251
CAPITA I-XIII. 251-270
SEDULII SCOTI EXPLANATIUNCULA DE BREVIARIORUM ET CAPITULORUM CANONUMQUE DIFFERENTIA. 271
Incipit breviarium secundum Matthæum. 271
Argumentum in Matthæum. 273
In argumentum secundum Matthæum expositiuncula. 273
Argumentum in Marcum. 279
Explanatiuncula in argumentum secundum Marcum. 279
Argumentum in Lucam. 285
Expositiuncula in argumentum secundum Lucam. 285
Malii præfatio S. dulii opusculo politico sequenti. 289
SEDULII SCOTI LIBER DE RECTORIBUS CHRISTIANIS. 291
Præfatio. 291
CAPITULUM PRIMUM. — De eo quod pium rectorem, accepta potestate regali, primum dignus Deo et sanctis ecclesiis bonores decorare oportet. 293
CAP. II — Qualiter rex orthodoxus semetipsum regere debet. 295
CAP. III. — Qua arte et industria momentaneum regnum stabiliri potest. 297
CAP. IV. — De regia potestate non tam opibus et fiducia fortitudinis, quam sapientia cultuque pietatis peroranda. 298
CAP. V. — Quanta sacri moderaminis sollicitudo erga uxorem et liberos propriosque domesticos ab eodem est exhibenda. 300
CAP. VI. — Quales consiliarios et amicos bonum principem habere decet. 302
CAP. VII — Quæ res malos principes faciat. 304
CAP. VIII. — De avaris vel impiis regibus, et quanta per eosdem populum mala, vel ipsos ultio divina consequitur. 304
CAP. IX. — De rege pacifico atque clementi. Vel quibus danda sunt beneficia. 306
CAP. X. — Quot columnis regnum justi regis sustentatur. 308
CAP. XI. — De eo quod bonus princeps ecclesiasticis causis benevola intentaque sollicitudine favere debeat et synodalibus conventibus. 308
CAP. XII. — De eo quod saluberrimis antistitum admonitionibus et correptionibus pio rectori obtemperare sit gloriosum. 311
CAP. XIII. — De zelo boni rectoris rationabili ac pietati permisto. 314
CAP. XIV. — De duce Christiano, ut non in sua et suorum fortitudine, sed in Domino confidat. 316
CAP. XV. — De eo quod imminentibus hostilium bellorum fragoribus divinum sit implorandum auxilium. 318
CAP. XVI. — De adversis si forte contigerint. 321
CAP. XVII. — De non superbiendo post oblatam etiam ab hostibus pacem, seu prostratos hostes. 324
CAP. XVIII. — Gratiarum ac benevola vota post pacem seu victoriam Deo reddenda. 326
CAP. XIX. — De privilegiis sanctæ matris Ecclesiæ a pio rectore conservandis, ac dignis ecclesiarum præpositis atque ministris. 328
CAP. XX. — Quanta ignominia superbos, qualisque vel quanta gloria hic et in futuro principes orthodoxos comitatur. 330
SEDULII SCOTI EXPLANATIONES IN PRÆFATIONES SANCTI HIERONYMI ADIEVANGELIA. 331

SANCTUS BENEDICTUS ANIANENSIS ABBAS.

VITA sancti Benedicti. 351
Observationes præviæ. 351
Præfatio auctoris. 353
Incipit Vita. 355
Appendix prima ad Vitam sancti Benedicti.—De synodo Aquisgranensi, deque monasteriis Anianæ subjectis, aut per Benedictum ordinatis 383
Appendix II. — De tribus Benedictis, Anianensi, Fossatensi, et Mediolanensi abbatibus, ubi de Enticio abbate Gallo. 391
SANCTI BENEDICTI CODEX REGULARUM. 393
Præfatio. 393
CODICIS REGULARUM PARS PRIMA. — SS. PATRUM ORIENTALIUM REGULÆ AD MONACHOS 423
Sancti Antonii abbatis regula ad monachos. 423
De sancto Antonio veterum testimonia. 423
Observatio critica in regulam sequentem. 423
Incipit Regula 423
Isaiæ abbatis regula ad monachos. 427
De Isaia veterum testimonia. 427
Observatio critica in regulam sequentem. 427
Incipit Regula. 427
Sanctorum Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, Macarii alterius, regula ad monachos. 433
De serapione cæterisque veterum testimonia. 433
Observatio critica in regulam sequentem. 435
Incipiunt capitula. 435
CAPITULUM PRIMUM. — Præfatio. 435
CAP. II. — De prima conjunctione cœnobitarum. Serapion dixit. 435
CAP. III. — Idem ipse, de unanimitate et jucunditate fratrum. 436
CAP. IV. — Qui supra, de abbate, et quomodo ei obediant monachi. 436
CAP. V. — Macarius dixit, qualiter spirituale exercitium ab his qui præsunt Patribus teneatur. 437
CAP. VI. — Idem ipse, ut in oratione astantibus nullus sine præcepto abbatis psalmum imponat. 437
CAP. VII. — Idem ipse, quomodo examinentur qui ex sæculo convertuntur. 437
CAP. VIII.—Idemque, qualiter peregrini hospites suscipiantur. 438
CAP. IX. — Qualiter jejuniorum ordo teneatur. Paphnutius dixit. 438
CAP. X. — Idem ipse, qualiter fratres debent operari. 438
CAP. XI. — Qualiter infirmitas vel possibilitas corporum

ab eo qui præest Patre cognoscenda sit. 459
Cap. XII. — Qualiter officiis mutuis se fratres præveniant. 459
Cap. XIII. — Qualiter inter se monasteria pacem firmam obtineant, alius Macarius dixit. 459
Cap. XIV. — Idemque, qualiter clerici hospites suscipiendi sint in monasterio. 440
Cap. XV. — Qualiter culpæ singulorum emendentur. 440
Cap. XVI. — Ut sine personarum acceptione æqualiter judicetur. 440
Sequitur alia Patrum regula ad monachos. 441
Observatio critica in regulam sequentem. 441
Præfatio. 441
Capitulum primum — De unanimitate charitatis, et de diligendo ac obtemperando abbati. 441
Cap. II. — Ut non se fabellis vanis destruant, et ut in conventu, nisi interrogatus quis loquatur. 441
Cap. III. — Ut a venienti peregrino nihil plus exhibeat quis quam occursum humilem et pacem. 442
Cap. IV. — Ut præsente seniore psallendi loquendive non habeat facultatem. 442
Cap V. — De cursu orationis, et horis operandi, ac de correctione delinquentium 442
Cap. VI. — De his qui ad opus Dei tarde occurrunt. 442
Cap. VII. — Ut frater qui pro qualibet culpa arguitur patientiam habeat, et ut ad mensam nemo loquatur. 442
Sequitur tertia Patrum regula ad monachos. 443
Observatio critica in regulam sequentem. 443
Capitulum primum. — De conversis 443
Cap. II. — Ut abbas nihil sibi proprium vindicet. 444
Cap III. — De vestimentis monachorum. 445
Cap. IV. — Ut nulla mulier ad monasterium vel agrum monachorum accedat. 445
Cap. V. — De lectione et operatione monachorum. 445
Cap. VI. — De his qui ad opus Dei tarde occurrunt. 445
Cap. VII. — De silentio ad mensam. 445
Cap. VIII. — Ut ad necessaria quærenda bini vel terni mittantur. 445
Cap. IX. — Ut nusquam sine præcepto senioris egrediantur. 445
Cap. X. — De his qui de monasterio exire voluerint. 446
Cap. XI. — Ut abbas cum fratribus reliciat omni tempore. 446
Cap. XII. — Ut nullus monachus in infirmitate positus parentum studio commendetur. 446
Cap. XIII. — De his qui furtum faciunt. 446
Cap. XIV. — Ut nullus alterius monachum sine permissu abbatis suscipiat. 446
Sancti Macarii Alexandrini abbatis Nitriensis regula ad monachos. 445
De sancto Macario ejusque regula veterum testimonia. 445
Observatio critica in regulam sequentem. 447
Incipit regula. 447
Epistola beati Macarii data ad monachos. 451
Sancti Pachomii abbatis Tabennensis regula ad monachos, præcepta, epistolæ. 451
Sancti Orsiesi abbatis Tabennensis doctrina de institutione monachorum. 451
De sancto Orsiesio ejusque regula veterum testimonia. 451
Observatio critica in regulam sequentem. 453
Incipit regula. 453
Regula Orientalis Orientalium regulis collecta a Vigilio diacono. 475
De regula Orientali veterum testimonia. 475
Observatio critica in regulam sequentem. 477
Incipit regula. 477
Sancti Basilii Cæsareæ Cappadociæ episcopi regula ad monachos. 483
De sancto Basilio ejusque regula veterum testimonia. 483
Observatio critica in regulam sequentem. 485
Præfatio Rufini. 485
Incipit regula. 487
Prima interrogatio fratrum. — Quoniam dedit nobis sermo tuus potestatem ut interrogemus, primo omnium doceri quæsumus si ordo aliquis est et consequentia in mandatis Dei; ut aliud quidem sit primum, et aliud secundum, et sic per ordinem cætera: an omnia mandata ita sibi invicem cohæreant, et sint æqualia, ut unde voluerit quis possit initium sumere, tanquam in modum circuli vel coronæ? 488
Inter. II. — Quoniam igitur de charitate Dei primum nis esse mandatum, inde nobis primum omnium dissere. Nam quia oportet diligere audivimus, quomodo nomen hoc possit impleri desideramus addiscere? 488
Inter. III. — Quia ostendit nobis sermo tuus periculosum esse cum his qui mandata contemnunt vitam ducere, nunc discere cupimus si oporteat eum qui ab hujusmodi consortiis discesserit, remotum esse et solum, an vero cum fratribus ejusdem proposti et eosdem animi vitam suam sociare? 491
Inter IV. — Oportet primum renuntiare omnibus, et ita venire ad hanc vitam vel conversationem quæ secundum Deum est? 495
Inter. V. — Si oportet eum qui servis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum? 497
Inter. VI. — Si oportet omnes qui inveniunt ad nos suscipere; aut cum probatione? et qualis ista debet esse probatio? 497
Inter. VII. — Ex qua ætate oportet nosmetipsos offerre Deo, vel virginitatis professionem quando oportet firmam ac stabilem judicari? 498
Inter. VIII. — Si oportet eum qui se piæ ac religiosæ vitæ dederit etiam continentiam observare? 499
Inter. IX. — Quæ est mensura continentiæ? 501
Inter. X. — Quomodo oportet observare nos circa cathedras et accubitus, quum tempus poposcerit? 502
Inter. XI. — Quis est dignus vel decens habitus christianis? 505
Inter. XII. — Si licet alicui ex proprio sensu dicere quod videtur sibi bonum, absque testimonio Scripturarum? 505
Inter. XIII. — Si oportet omnibus vel quibuscumque obedire? 505
Inter XIV. — Quali affectu debet servire, qui servit Deo? et iste ipse affectus quid est? 506
Inter XV. — Quid sentire de se debet is qui præest, in quibus præcipit, vel imperat? 506
Inter. XVI. — Peccantem quomodo corripiemus, vel emendabimus? 507
Inter XVII. — Si quis autem in parvis delictis affligere voluerit fratres, dicens: Quia debetis pœnitere per singula, ne forte et ipse inmisericors videatur, et dissolvere charitatem? 507
Inter. XVIII. — Quomodo quis debet pœnitere in unoquoque delicto? 507
Inter XIX. — Qui sunt fructus digni pœnitentiæ? 508
Inter. XX. — Qui se verbo dicit pœnitere, peccatum autem suum non emendat, quid est? 508
Inter. XXI. — Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri, sive quibuslibet, aut certis quibusque? 508
Inter. XXII. — Qui pœnituerunt pro aliquo peccato, et rursum in hoc ipsum peccatum inciderunt, quid faciunt? 508
Inter. XXIII. — Quali affectu, vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat? 509
Inter. XXIV. — Quali affectu debet quis suscipere correptionem? 509
Inter. XXV. — Qui tristatur adversus eum qui se increpat qualis est? 509
Inter. XXVI. — Quale judicium esse debet de his qui peccantes defendunt? 509
Inter. XXVII. — Pœnitentem ex corde quomodo oportet suscipi? 510
Inter. XXVIII. — Erga eum qui pro peccato non pœnitet qualiter esse debemus? 510
Inter. XXIX. — Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est? 510
Inter. XXX. — Si quis dicat: Quia neque accipio a fratribus, neque do, sed contentus sum meis propriis, quid de hoc observare debemus? 510
Inter. XXXI. — Si debet quis a carnalibus propinquis accipere aliquid? 510
Inter. XXXII. — Quomodo videre debemus eos qui nobis vel familiares, vel consanguinei fuerunt et proximi? 511
Inter. XXXIII. — Quod si deprecantur nos, volentes ut eamus cum ipsis ad domos eorum, si oporteat nos acquiescere? 511
Inter. XXXIV. — Unde ergo vagatur mens nostra, et cogitationes diversæ ascendunt in corde nostro? et quomodo possumus hoc emendare? 511
Inter. XXXV. — Unde et nocturnæ phantasiæ inhonestæ et turpes acciduut nobis? 511
Inter. XXXVI. — Quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare? 512
Inter. XXXVII. — Cum quali humilitate debet quis suscipere a fratribus obsequium? 512
Inter. XXXVIII. — Qualem debemus habere charitatem ad invicem? 512

INTER. XXXIX. — Quomodo poterit quis implere charitatem circa proximum suum? 512
INTER. XL. — Usque ad quæ verba otiosus sermo judicabitur? 513
INTER. XLI. — Quis est maledicus, id est Κατάλαλος? 513
INTER. XLII. — Quid est detractio vel derogatio? 513
INTER. XLIII. — Qui detrahit fratri, aut audit detrahentem et patitur, quid dignus est? 513
INTER. XLIV. — Quod si de eo qui præest quis detraxerit, quomodo eum observabimus? 513
INTER. XLV. — Si quis acerbiori sermone, vel insolentiori voce res, ordeat, et admonitus dicat quia nihil mali habeat in corde, si oportet ei credi? 514
INTER. XLVI.—Quomodo possit aliquis non irasci? 514
INTER. XLVII. — Quis est mansuetus? 514
INTER. XLVIII. — Quomodo quis non vincatur in voluptate et libidine ciborum? 514
INTER. XLIX. — Quomodo excidemus vitium mali desiderii? 514
INTER. L. — Quæ est tristitia secundum Deum, et quæ est secundum sæculum? 515
INTER. LI. — Quæ sunt in Domino gaudia, vel quid facientes gaudere debemus? 515
INTER. LII. — Quod lugere debemus, ut beatitudinem consolationis consequi mereamur? 515
INTER. LIII. — Si ex toto ridere non licet? 515
INTER. LIV. — Quæ est sollicitudo sæcularis? 515
INTER. LV. — Unde accidit nobis importune dormitare, et quomodo hoc possumus abjicere? 515
INTER. LVI. — Quomodo quis ad gloriam Dei facit omnia? 516
INTER. LVII. — Quomodo manducet quis et bibit in gloriam Dei? 516
INTER. LVIII. — Quomodo faciat dextera quæ non cognoscat sinistra? 516
INTER. LIX. — Quomodo apparebit eis qui hominibus vult placere? 516
INTER. LX. — Quomodo quis effugiet vitium hominibus placendi vel captandi laudem ab hominibus? 516
INTER. LXI. — Quomodo intelligitur superbus? vel quomodo curatur? 516
INTER. LXII. — Quid est humilitas, et quomodo eamdem implere possimus? 517
INTER. LXIII. — Si oportet honorem quærere? 517
INTER. LXIV. — Quomodo invicem obaudire debemus? 517
INTER. LXV. — Usque ad quem modum obaudire oportet eum qui placendi Deo implere regulam cupit? 517
INTER. LXVI. — Qui piger est erga mandatum, quomodo potest industrius et vigilans effici? 518
INTER. LXVII. — Si quis non contentus est quotidie sibi aliquid injungi de his quæ pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere; quali vitio ægrotat? aut si oportet ei acquiescere? 518
INTER. LXVIII. — Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habebit? 518
INTER. LXIX. — Si licet alicui excusare opus quod ei injungitur et aliud quærere? 518
INTER. LXX. — Si injunctum fuerit aliquid fratri, et contradixerit, postea autem sua sponte obedierit, quid est? 519
INTER. LXXI. — Si autem obediens quis murmuret? 519
INTER. LXXII. — Si frater fratrem contristaverit, quomodo debet emendari? 519
INTER. LXXIII. — Quid si non acquiescat ut satisfaciat, quid agendum est? 519
INTER. LXXIV. — Quid si, satisfaciente eo qui contristaverit, noluerit reconciliari is qui contristatus est? 519
INTER. LXXV. — Quomodo quis debet habere eum qui ad orationem suscitat fratres? 520
INTER. LXXVI. — Quod si contristatur ille qui excitatur, aut etiam si irascitur, quid dignus est? 520
INTER. LXXVII. — Quid est, Nolite judicare, ut non judicemini; nolite condemnare, ut non condemnemini? 520
INTER. LXXVIII. — Quomodo intelligitur quis, si zelo Dei moveatur adversus peccantem fratrem, aut a propria iracundia? 521
INTER. LXXIX. — Dicunt quidam quia impossibile est non irasci homines? 521
INTER. LXXX. — Si oportet ire quocunque, non commonito eo qui præest? 521
INTER. LXXXI. — Si omnino volenti litteras discere, vel lectioni vacare, indulgendum est? 521
INTER. LXXXII. — Si licet unicuique vitare opus quod gravius videtur? 522
INTER. LXXXIII. — Quomodo quis promptus fiat etiam ad pericula propter mandatum Domini? 522
INTER. LXXXIV. — Cum quali affectu obedire oportet ei qui nos ad opus mandati cohortatur? 522
INTER. LXXXV. — Quali animo debet esse quis pro hoc ipso quod dignus habitus est in opere Dei invenri? 522
INTER. LXXXVI. — Quomodo debent hi qui processerunt in labore, operis Dei, instruere, vel instituere eos qui nuper accedunt? 523
INTER. LXXXVII. — Si dicat quis : Volo apud vos parum aliquid temporis facere, ut proficiam ex vobis, si oportet eum suscipi? 523
INTER. LXXXVIII. — Si quis supra vires vult abstinere, ita etiam, ut in opere mandatorum impediatur per nimietatem abstinentiæ, si oportet ei concedi? 523
INTER. LXXXIX. — Qui satis jejunat et in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere, quid magis eligere debet, jejunare cum fratribus et cum ipsis refici ere, aut propter majora jejunia alios cibos requirere? 524
INTER. XC. — Quomodo oportet jejunare, cum necessarium jejunium injungitur? si aliquando aliquid quod religio deposcit explendum est, tanquam ex necessitate, an volunt ri? 524
INTER. XCI. — Qui non vult ipsis cibis vesci ex quibus fratres reficiuntur, sed alios requirit, si rectefacit? 524
INTER. XCII. — Qui dicit, Quia læ it me hoc, et contristatur si ei alius cibus non fuerit datus, quanis est? 524
INTER. XCIII. — Si vero etiam quis murmuret propter escam, quæ erga eum sententia servabitur? 525
INTER. XCIV. — Si oportet eum qui plus laborat requirere plus aliquid a coenatione? 525
INTER. XCV. — Quam affectu oportet accipere vel vestimentum, vel calceamentum, qualecunque fuerit? 525
INTER. XCVI. — Si quis tardus fuerit, nolens accipere aliquid eorum quæ ad usum præbentur? 525
INTER. XCVII. — Si necesse est omnes convenire ad horam prandii, cum qui remanet et post venit, quomodo tractabimus? 525
INTER. XCVIII. — Si superes veniantes a hostium et petentes, qu modo dimittimus? Et si debet unusquisque porrigere panem, vel quod unique aliud; an oportet hoc ad eum qui præest pertinere? 525
INTER. XCIX. — Si licet unicuique veterem suam tunicam aut calceamentum dare cui voluerit, misericordiæ causa propter mandatum? 526
INTER. C. — Si frater junior fuerit jussus docere aliquem seniorem secundum ætatem, quomodo debet agere cum illo? 526
INTER. CI. — Si duo aut peregrini intrare usque ad illa loca ubi fratres operantur, vel etiam si alii de eodem monasterio deorsum relicto suis hoc exercere ad alios? 526
INTER. CII. — Si oportet eos qui noverunt artificia suscipere ab aliquo opus absque scientia vel jussione ejus qui præest et operum sollicitudinem gerit? 526
INTER. CIII. — Quomodo debent hi qui operantur curam gerere ferramentorum vel utensilium eorum de quibus operatur? 526
INTER. CIV. — Quid si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dispiciatur? 526
INTER. CV. — Quid si a seipso commodare voluerit alicui, aut accipere ab alio? 527
INTER. CVI. — Quid si necessitas poscat ut is qui præest requirat ab aliquo eorum vas vel ferramentum, et contradixerit? 527
INTER. CVII. — Si is qui circa cellarium, vel coquinam, vel alia hujusmodi opera occupatus est, non occurrat adesse ordini psallentium vel ad orationem, nihil damni patitur in anima? 527
INTER. CVIII. — Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur? 527
INTER. CIX. — Si possibile est obtinere hominem ut in omni tempore et loco non vagetur mens sua; vel quomodo id fieri potest? 427
INTER. CX. — Et quid est : *Psallite sapienter?* 528
INTER. CXI. — Qua mensura debet temperare potestatem dispensationis suæ is cui cellarii cura commissa est? 528
INTER. CXII. — Qua sententia observabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personæ acceptionem vel per contentionem faciat? 528
INTER. CXIII. — Si autem neglexerit dare fratri quod opus est? 528
INTER. CXIV. — In profectibus mandatorum Dei una est mensura omnium? An alius amplius, alius minus debet aliquid? 528
INTER. CXV. — Si oportet æqualiter haberi eos qui plus proficiunt et eos qui minus? 529

Inter. CXVI. — Quid si contristatur is qui minus honoratur, cum præferri sibi viderit eum qui in timore Domini præcedit, quomodo eum habebimus? 529

Inter. CXVII. — Anima post multa peccata et multas vitæ miserias, cum quali timore et qualibus lacrymis debet recedere a peccatis, et cum quali spe et affectu accedere ad Dominum debet? 529

Inter. CXVIII. — Quoniam scriptum est : Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus ; nobis quibus non accidit dispergere pro animæ redemptione divitias, quid faciemus? 530

Inter. CXIX. — Si quis audiens sermonem Domini dicentis (Luc. XII) : *Quia servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multum ; qui vero non cognovit, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis;* negligat et dissimulet scire voluntatem Domini, si habet aliquid excusationis? 530

Inter. CXX. — Si is qui facit voluntatem alicujus, etiam particeps ejus est vel socius? 530

Inter. CXXI. — Si is qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est? 530

Inter. CXXII. — Si oportet peccantibus fratribus silere et acquiescere? 531

Inter. CXXIII. — Cur aliquoties animæ, etiam si non satis agat, sponte tamen quodam genere incidit ei dolor quidam cordis et compunctio timoris Dei, aliquoties tanta securitas et negligentia animam tenet, ut etiam si cogat se homo, non possit dolorem aliquem vel compunctionem cordis assumere? 532

Inter. CXXIV. — Quomodo quis dignus efficitur particeps fieri Spiritus sancti? 532

Inter. CXXV. — Qui sunt pauperes spiritu? 533

Inter. CXXVI. — Usque ad quem modum est observatio mandati, vel quomodo adimpleri potest? 533

Inter. CXXVII. — Si ergo neque sollicitudinem habere oportet de necessariis usibus ad vitam, et aliud est præceptum Domini dicentis (Joan. VI) : *Operamini cibum qui non perit*, superfluum est manibus operari? 533

Inter. CXXVIII. — Si quis in corde suo cogitat de cibis, tunc deinde notet seipsum et arguat, si et hic quasi cogitans de talibus judicandus sit? 534

Inter. CXXIX. — Si licet nocturnam tunicam habere alteram, vel cilicinam, vel aliam quamlibet? 534

Inter. CXXX. — Si licet ei qui ministrat majore voce, id est cum clamore, loqui? 534

Inter. CXXXI. — Si quis die suo, quo ministrat in coquina, laboraverit supra vires, ita ut impediatur, et non possit etiam reliquis diebus exercere opus suum, si oportet imperari ei hujuscemodi officium? 535

Inter. CXXXII. — Et ille cui ista credita est, quomodo debet habere hanc curam, et quomodo observare eas quæ operantur? 535

Inter. CXXXIII. — Si quis condemnatus est, ut eulogiam non accipiat, et dicit : Quia si non accepto eulogiam, non manducabo, si debemus audire eum? 535

Inter. CXXXIV. — Quali timore, fide, vel effectu percipere debemus corporis et sanguinis Christi gratiam? 535

Inter. CXXXV. — Quis est bonus thesaurus, et quis est malus? 536

Inter. CXXXVI. — Si bonum est penitus tacere? 536

Inter. CXXXVII. — Si oportet tempore orationum vel psalmorum loqui aliquem in domo? 536

Inter. CXXXVIII. — Quomodo possumus timere judicia Dei? 536

Inter. CXXXIX. — Quomodo lata est porta et spatiosa via quæ ducit ad mortem (Matth. VII)? 537

Inter. CXL. — Quomodo augusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam? 537

Inter. CXLI. — Avaritia usque ad quem modum defluatur? 537

Inter. CXLII. — Quid est perperam agere? 537

Inter. CXLIII. — Quis est qui ab apostolo dicitur habitus or inanis? 537

Inter. CXLIV. — Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsa autem indumenta viliora quibus utitur, vel calceamenta, ita componatur, ut studeat decorem inde aliquem capere, si peccat, aut vitio aliquo id facere putandus est? 538

Inter. CXLV. — Quid est *Raca!* 538

Inter. CXLVI. — Quid est quod dicit Apostolus : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi* (Gal. VI); et iterum : *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes* (Eph. VI); quis est inanis gloriæ cupidus, et quis est hominibus placens! 538

Inter. CXLVII. — Quid est inquinamentum carnis, et quomodo ab his emendari possumus, et quæ est sanctificatio, et quomodo possumus eam obtinere? 538

Inter. CXLVIII. — Quis est mundus corde? 538

Inter. CXLIX. — Quomodo potest aliquis odium habere adversus peccatum? 539

Inter. CL. — Quomodo potest aliquis ex animo et ex affectu facere mandata Domini? 539

Inter. CLI. — Quæ est mensura in charitate Dei? 539

Inter. CLII. — Quomodo quis obtineat ut possit in se habere charitatem Dei? 539

Inter. CLIII. — Quæ sunt indicia esse in nobis charitatem Dei? 540

Inter. CLIV. — Quid est seipsum diligere, vel quomodo vitium suum cognoscit qui seipsum diligit? 540

Inter. CLV. — Quomodo apparet qui diligit fratrem secundum mandatum Domini et quomodo arguitur qui non diligit? 540

Inter. CLVI. — Qui sunt inimici quos diligere jubemur, et quomodo diligamus inimicos nostros, præstantes eis beneficia tantummodo, aut etiam affectum eis exhibentes, et si hoc possibile est fieri? 540

Inter. CLVII. — Quid est quod dicit Apostolus : *Irascimini, et nolite peccare* (Ephes IV); et : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ibid.), cum in aliis dicat : *Omnis amaritudo, vel ira, vel indignatio, auferatur a vobis* (Ibid.)? 541

Inter. CLVIII. — Quid est : *Date locum iræ?* 541

Inter. CLIX. — Quæ est differentia amaritudinis, et furoris, et iræ, clamoris et irritationis? 541

Inter. CLX. — Quis est qui a Domino beatificatur pacificus? 542

Inter. CLXI. — Quomodo converti quis potest et fieri sicut infans? 542

Inter. CLXII. — Quid est prudentem esse sicut serpentem et simplicem sicut columbam (Matth. X)? 542

Inter. CLXIII. — Quomodo debemus suscipere regnum Dei sicut infans? 543

Inter. CLXIV. — Domino dicente : *Qui se exaltat humiliabitur* (Luc. XVIII); et Apostolo præcipiente : *Nolite superbum sapere* (Rom. XI); et alibi : *Arrogantes, superbi, inflati* (II Tim. III); et iterum : *Charitas non inflatur* (I Cor XIII); quis est elatus, et quis est jactans vel arrogans, et quis inflatus vel tumens? 543

Inter. CLXV. — Quid est : *Charitas non dehonestatur?* 543

Inter. CLXVI. — Scriptura dicente : *Nolite gloriari, neque loqui ata* (I Reg II); et Apostolo confitente : *Quis quæ loquor, non secundum Deum loquor, sed sicut in insipientia, in hac substantia gloriandi* (II Cor. XI); et rursum : *Factus sum insipiens gloriando* (II Cor XII); et iterum ipso dicente : *Quia qui gloriatur, in Domino glorietur* (I Cor. I; II Cor. X); quæ est gloriatio in Domino, et quæ est culpabilis gloriatio? 543

Inter. CLXVII. — Qualem intellectum vel prudentiam a Deo petere debemus, vel quomodo eam possumus promereri? 544

Inter. CLXVIII. — Si *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus est* (Prov. II ; et si *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (I Cor. XII) ; quomodo incipiat Dominus dis ipulos suos dicens : *Quia adhuc et vos insensati estis, et non intelligitis* (Matth XV), et Apostolus culpat Galatas insensatos (Galat. III)? 544

Inter. CLXIX. — Si ab aliquo quid beneficii consequimur, quomodo poterimus et Domino digne et integre gratias agere, et ei qui beneficium præstitit? Quali mercede utrobique? 544

Inter. CLXX. — Quid est dignum vel sanctum (Græci ἄξιον dicunt) et quid est justum? 544

Inter. CLXXI. — Quomodo dat quis sanctum canibus, et mittit margaritas ante porcos (Matth. VII ? A t quomodo accipit illud quod adjicitur : *Ne forte conculcent eas pedibus, et conversi disrumpant vos* (Ibid.)? 544

Inter. CLXXII. — Quomodo Dominus aliquando quidem prohibet portari sa culum vel peram in via (Luc. X) ; aliquando autem dicebat : *Sed nunc qui habet saccum, tollat similiter et peram ; et qui non habet gladium, vendat vestimentum suum, et emat gladium* (Luc. XXII)? 545

Inter. CLXXIII. — Quid est : *Panem substantivum da nobis hodie*, quod in oratione dicere jubemur? 545

Inter. CLXXIV. — Si omni volenti accedere ad sorores oportet indulgere, an certis quibusque et personis et temporibus, vel quomodo videndæ sunt sorores? 545

Inter. CLXXV. — Si quis habet aliquod vitium quod corrigere non potest, et frequenter notatus in pejus proficit, si eum expedit intermitti? 546

Inter. CLXXVI. — Si quis contristetur quia ei non permittitur facere illud quod non potest apte et recte facere, si debemus ei permittere? 546

Inter. CLXXVII. — Quomodo debent fortiores fratres infirmitates infirmorum portare? 546

Inter. CLXXVIII. — Quid est : *Invicem onera vestra por-*

sate (Gal. IX)? et quam legem Christi adimplebimus hoc facientes? 546

INTER. CLXXIX. — Domino docente nos orandum esse ne intremus in tentationem, si oportet orare ne accidant nobis dolores corporales, vel si inciderimus in eos, quomodo oportet ferre? 547

INTER. CLXXX. — Quis est adversarius noster, et quomodo ei consentire debemus in via? 547

INTER. CLXXXI. — Si bonum est statuere ad certum tempus, verbi causa, abstinere se tali cibo, sive potu? 547

INTER. CLXXXII. — Si quis voluntate peccaverit, condemnatur? An etiam ille qui per ignorantiam extra veritatem aliquid fuerit locutus? 547

INTER. CLXXXIII. — Si cogitaverit tantum facere aliquid, et non fecerit, si et ipse mendax judicandus est? 547

INTER. CLXXXIV. — Si quis præventus fuerit ut definiat aliquid agere eorum quæ non placent Deo, quid oportet magis irritum revocare, quod male fuerat definitum, an timore eo, ne mendax sit, implere peccatum? 547

INTER. CLXXXV. — Si is cui commissa est dispensatio eorum quæ Domino offeruntur, necessitatem habet implere quod dicit mandatum : *Omni petenti te da* (Luc. VI), *et eum qui vult abs te mutuum sumere, non avertas* (Matth. V)? 548

INTER. CLXXXVI. — Quod si frater nihil habens proprium petatur ab aliquo hoc ipsum quo vestitus est, quid debet facere, maxime si nudus sit ille qui petit? 548

INTER. CLXXXVII. — Quomodo potest quis sine charitate tantam fidem habere, ut montes transferat, aut substantiam suam pauperibus dividat, et corpus suum tradere ut ardeat (I Cor. XIII)? 548

INTER. CLXXXVIII. — Quis est qui abscondere dicitur talentum, et propterea condemnatur (Matth. XXV)? 549

INTER. CLXXXIX. — Quid est immunditia, et quid est impudicitia? 549

INTER. — CXC. — Quid est proprium furoris, et quid est proprium indignationis justæ, et quomodo aliquoties quasi ab indignatione incipientes inveniuntur decidere in furorem? 549

INTER. CXCI. — Ex quibus fructibus probari debet is qui ex affectu arguit fratrem peccantem? 549

INTER. CXCII. — Si oportet eos qui ingrediuntur ad fratres statim artific a discere? 550

INTER. CXCIII. — Si quis non desiderio corrigendi fratres arguat eum qui deliquit, sed sui vitii explendi gratia; u modo oportet hunc corrigi, si post multam communi-tionem in eisdem permaneat? 550

INTER. CXCIV — Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum qui delinquunt? 550

INTER. CXCV. — Si in omni peccato, sive secundum cogitationes, sive secundum verbum, sive secundum actum, Satanam in causa esse convenit dici? 550

INTER. CXCVI. — Si quis reliquens fiscalia debita, intret ad fratres, et parentes ejus pro ipso exigantur et tribulentur, si non affert hoc culpam aliquam, vel his qui eum susceperunt, vel illi ipsi qui ita egerit? 551

INTER. CXCVII. — Si oportet eum qui præest extra eam quæ sororibus præest loqui aliquid quod ad ædificationem fidei pertineat virginibus? 551

INTER. CXCVIII. — Si convenit eum qui præest cum ea quæ sororibus præest frequenter loqui, et maxime si aliqui de fratribus pro hoc læduntur? 551

INTER. CXCIX. — Si oportet, cum aliqua soror confitetur quodcunque delictum suum presbytero, etiam matrem monasterii adesse? 551

INTER. CC. — Si oportet gesta turpia vel obscena confitentem inverecundius pronuntiare omnibus, aut certis quibusque, et quibus illis? 551

INTER. CCI. — Si ignorante matre seniore presbyter aliquid fieri præcipiat sororibus, recte videbitur indignari senior mater cum ipsa nescierit? 552

INTER. CCII. — Si potest impedire propositum sancti hominis Satanas, quia scriptum est : *Ego quidem Paulus semel et bis venire volui ad vos et impedivit nos Satanas* (I Thess. II)? 552

INTER. CCIII. — Quomodo fit aliquis in præsenti sæculo stultus? 554

COD. CIS REGULARUM PARS SECUNDA — REGULÆ SS. PATRUM OCCIDENTALIUM AD MONACHOS. 553

Sanctorum Aureliani et Ferreoli Arelatensis et Ucetiensis episc. regulæ ad monachos. 553

Sancti Columbani abbatis et confessoris regula cœnobialis cum pœnitentiali. 553

Regula Tarnatensis monasterii. 553

Sancti Isidori Hispalensis episc. regula monachorum. 555

De Isidoro ejusque regula veterum testimonia. 555

Observatio critica. 555

Præfatio. 555

CAPUT PRIMUM. — De monasterio. 557

CAP. II. — De eligendo abbate. 557

CAP. III. — De monachis. 557

CAP. IV. — De conversis. 558

CAP. V. — De familiaris rei vitæque appetitu. 560

CAP. VI. — De opera monachorum. 560

CAP. VII. — De psallendi officio. 562

CAP. VIII. — De collatione. 563

CAP. IX. — De codicibus. 563

CAP. X. — De mensis. 564

CAP. XI. — De feriis. 565

CAP. XII. — De jejuniis. 565

CAP. XIII. — De habitu monachorum. 566

CAP. XIV. — De strato sive de illusionibus nocturnis. 567

CAP. XV. — De delinquentibus. 567

CAP. XVI. — De delictis. 569

CAP. XVII. — De excommunicatis. 569

CAP. XVIII. — De rebus monasterii. 570

CAP. XIX. — Quid ad quem pertineat. 570

CAP. XX. — De infirmis fratribus. 571

CAP. XXI. — De hospitibus. 571

CAP. XXII — De profectione. 572

CAP. XXIII. — De defunctis. 572

Regula sancti Benedicti abbatis Casinensis. 573

Regula consensoria monachorum. 573

Regula incerti auctoris 573

Sanctorum Pauli et Stephani abbatum regula ad monachos. 573

Sancti Cæsarii Arelatensis episcopi regula ad monachos. 575

Sancti Fructuosi Bracarensis episcopi regula monachorum et regula monastica communis. 575

Cujusdam Patris regula ad monachos. 575

Regula Magistri ad monachos. 575

Grimlaici presbyteri regula solitariorum. 575

Observatio critica. 575

Prologus. 575

CAPUT PRIMUM. — De generibus solitariorum 577

CAP. II. — De præceptis altioribus monachorum vel solitariorum. 579

CAP. III. — De quatuor ordinibus hominum qui erunt in die judicii. 580

CAP. IV. — Quæ sint veræ divitiæ. 581

CAP. V. — De perfectione justitiæ. 582

CAP. VI. — Quod qui sæculo renuntiant non debent habere hæreditates nec possessiones. 583

CAP. VII. — Quod post abrenuntiationem sæculi non debet quisque divitias colligere 584

CAP. VIII. — Quid sit proprie activa, quidve contemplativa vita. 586

CAP. IX. — Qualis debet esse in activa vita, qui ad contemplativam conscendere conatur. 586

CAP. X. — Quantum inter contemplativam et activam vitam intersit. 587

CAP. XI. — Quod præsentium contemptores etiam hic contemplativa vita delectat. 588

CAP. XII. — Quæ et quanta sit in hac carne contemplativæ vitæ perfectio. 589

CAP. XIII. — Quod Deum perfecte sancti videre non possint, nisi cum ad beatitudinem futuræ vitæ pervenerint. 590

CAP. XIV. — Quod pro perfectione vitæ contemplativæ a sanctis patribus solitaria vita primitus fuit inchoata. 591

CAP XV. — De disciplina suscipiendorum fratrum ad retrusionem. 592

CAP. XVI. — Qualis debet esse cellula retrusionis. 594

CAP. XVII. — Quod nunquam minus quam duo vel tres sint simul solitarii. 595

CAP. XVIII. — Si oportet suscipere ad solitariam vitam suburbanos presbyteros vel juvenes ætate. 596

CAP. XIX. — Qualem vel quam sanctum oportet esse solitarium. 598

CAP. XX. — Quomodo solitarii debeant esse docti, et qualiter alios doceant ac semetipsos discrete provideant. 599

CAP. XXI. — Ut solitarii lucis exempla omnibus dent, et ut laudabiliter vivant, sed laudari non appetant. 601

CAP. XXII. — De his qui in regimine prodesse possunt et propter quietam vitam præesse refugiunt. 603

CAP. XXIII. — De vita et moribus solitariorum, et qualiter eis in solitaria vita conversandum sit. 604

CAP. XXIV. — Item de eadem re quæ supra. 605
CAP. XXV. — De instrumentis bonorum operum. 608
CAP. XXVI. — De observatione mandatorum Dei. 609
CAP. XXVII. — Lamentabilis descriptio de his qui præcepta Christi non observant. 612
CAP. XXVIII. — Item de eadem lamentatione quæ supra. 614
CAP. XXIX. — De compunctione cordis. 617
CAP. XXX. — Quod duo sunt genera compunctionum. 618
CAP. XXXI. — De reverentia et instantia orationis. 619
CAP. XXXII. — Quomodo possit aliquis sine intermissione orare. 621
CAP. XXXIII. — Quod omnes vanæ cogitationes ex illusione dæmonum fiunt. 622
CAP. XXXIV. — Quod cantantibus et psallentibus præsentia Dei et angelorum semper adsit. 623
CAP. XXXV. — De laude psalmorum et dispositione horarum in quibus psallere debemus. 624
CAP. XXXVI. — Si quotidie corpus Domini quilibet audeat sumere vel missam cantare. 625
CAP. XXXVII. — Si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, debeat quis missam celebrare an non? 626
CAP. XXXVIII. — De assiduitate lectionis et orationis. 627
CAP. XXXIX. — De quotidiano opere manuum solitariorum. 629
CAP. XL. — Quod certis horis occupari debent solitarii in labore manuum. 631
CAP. XLI. — Ut solitarii nihil proprium habeant, et oblationes fidelium suscipiant. 631
CAP. XLII. — Quibus horis oporteat solitarios reficere. 633
CAP. XLIII. — De mensa solitariorum. 634
CAP. XLIV. — De crapula cavenda. 634
CAP. XLV. — De mensura potus solitariorum. 636
CAP. XLVI. — De ebrietate cavenda, et de laude sobrietatis. 636
CAP. XLVII. — Si omnes æqualiter necessaria vitæ debent accipere. 637
CAP. XLVIII. — De infirmis et senibus solitariis. 639
CAP. XLIX. — De vestimentis et calceamentis solitariorum. 640
CAP. L. — De lectisterniis solitariorum. 641
CAP. LI. — Ut certo tempore sese radant, ne sint comati. 642
CAP. LII. — De discipulis solitariorum, et de eorum obedientia. 643
CAP. LIII. — De zelo bono quem debent habere solitarii erga discipulos. 644
CAP. LIV. — Quomodo jejunare debeant solitarii. 644
CAP. LV. — Quod solitarii pro hospitibus jejunium solvant. 646
CAP. LVI. — De charitate. 647
CAP. LVII. — De humilitate. 648
CAP. LVIII. — De obedientia. 649
CAP. LIX. — De virtute patientiæ. 650
CAP. LX. — De discretione. 651
CAP. LXI. — De taciturnitate. 652
CAP. LXII. — De cavenda detractione, et qu duobus modis potest aliquis sine peccato alieni peccata dicere. 653
CAP. LXIII. — Consolatio solitariorum de detractione. 654
CAP. LXIV. — De cogitationibus et diabolicis illusionibus. 655
CAP. LXV. — De diversis tentationibus solitariorum. 657
CAP. LXVI. — De tentamentis somniorum. 658
CAP. LXVII. — Ut solitarii signa et miracula fieri non quærant. 659
CAP. LXVIII. — De trimoda charismatum gratia. 661
CAP. LXIX. — Ut solitarii post recursionem ad sæcularem vitam minime redeant, et de perseverantia boni operis. 662

CODICIS REGULARUM PARS TERTIA. — REGULÆ SS. PATRUM AD VIRGINES 663

Sancti Augustini Hipponensis episcopi epistola 109, *regulam sanctimonialibus præscriptam continens.* 663

Sanctorum Cæsarii, Aureliani, Donati Arelatensis, item Arelatensis et Vesontionensis episcoporum regulæ ad virgines. 663

Cujusdam Patris regula ad virgines. 663

Sancti Leandri Hispalensis regula, sive de institutione virginum et contemptu mundi ad Florentinam sororem liber. 663

CODICIS REGULARUM APPENDIX. — SANCTORUM PATRUM EXHORTATIONES AD MONACHOS ET VIRGINES DE OBSERVANTIA VITÆ RELIGIOSÆ, COLLECTÆ OLIM A SANCTO BENEDICTO ANIANENSI. 665

Observatio critica. 665

Incipit liber sancti Athanasii episcopi Alexandrini de observationibus monachorum. 665

Ejusdem Athanasii exhortatio ad sponsam Christi. 671

Sancti Basilii Cæsareæ Cappadociæ episcopi admonitio ad filium spiritualem. 685

Prooemium. 685

CAPUT PRIMUM. — De militia spirituali. 685

CAP. II. — De virtute animæ. 686

CAP. III. — De dilectione Dei. 686

CAP. IV. — De dilectione proximi. 687

CAP. V. — De studio pacis. 688

CAP. VI. — De patientia. 689

CAP. VII. — De continentia et castitate. 690

CAP. VIII. — De sæculi amore fugiendo. 690

CAP. IX. — De avaritia fugienda. 691

CAP. X. — De studio humilitatis. 692

CAP. XI. — De oratione. 692

CAP. XII. — De vigiliis. 693

CAP. XIII. — De jejunio. 694

CAP. XIV. — De crapula fugienda. 695

CAP. XV. — De vitanda superbia. 695

CAP. XVI. — De lingua compescenda. 696

CAP. XVII. — De vano gaudio fugiendo. 696

CAP. XVIII. — De malorum contubernio vitando. 697

CAP. XIX. — De ira cohibenda et differenda penitentia. 697

CAP. XX. — De morte cogitanda. 698

Evagrii monachi sententiæ. 699

Fausti abbatis Lirinensis sermones ad monachos. 699

Sancti Eucherii, Lugdunensis episcopi exhortatio ad monachos. 699

Sancti Cæsarii Arelatensis episcopi ad Caesariam abbatissam ejusque congregationem epistola. 699

Novati catholici sententia de humilitate et obedientia, et de calcanda superbia. 699

Sancti Paulini ad monachos de pœnitentia. 699

Sancti Eutropii abbatis epistola ad Petrum papam de districtione monachorum et ruina monasteriorum, directa Romæ. 701

Incerti auctoris sermo de decem virginibus. 701

SANCTI BENEDICTI CONCORDIA REGULARUM. 701

PROLEGOMENA. 701

Sancto Patri Benedicto monachorum Occidentis patriarchæ. 701

Lectori benevolo præfatio. 705

De hujus concordiæ regulis earumque auctoribus. 705

Præfatio. 715

Item præfatio. 715

CAPUT PRIMUM. — *De concordia regularum.* 717

§ I. Ex regula sancti Benedicti. — Quod non omnis observatio justitiæ in hac sit regula constituta. 717

II-VII. Ex eadem regula. 719

VIII. Ex regula Isidori. 720

IX. Ex regula Stephani et Pauli. 721

X. Ex libro Orsiesii 722

CAPUT II. — *Præfatio sancti Benedicti et aliorum.* 725

§ I. Præfatio regulæ sancti Benedicti. 725

II. Præfatio ex regula Magistri. 727

III. Præfatio Ferreoli. 729

CAPUT III. — *De generibus monachorum.* 729

§ I. Ex regula sancti Benedicti. 729

II. Ex regula Magistri. 735

III. Ex regula sancti Basilii episcopi. 740

IV. Dicta sancti Hieronymi. 745

V. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 745

VI. Dicta sancti Isidori. 745

VII. Dicta sancti Valerii. 750

CAPUT IV. — *De ordinando abbate.* 755

§ I. Ex regula sancti Benedicti. 755

II. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 759

III. Ex regula alterius Fructuosi. 760

IV. Ex regula Magistri. 762

V. Ex regula sancti Isidori. 767

VI. Ex regula sancti Basilii. 768

CAPUT V. — *Qualis debet esse abbas.* 769

§ I. Ex regula sancti Benedicti. 769

II. Ex regula sancti Macarii. 774

III, IV. Ex regula Patrum. 775

V-X. Ex libro Orsiesii ad monachos. 776

XI. Ex epistola sancti Cæsarii. 780

XII. Ex regula sancti Isidori. 782

XIII. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 782

XIV. Ex regula Ferreoli. 782

XV-XVII. Ex regula sancti Aureliani episcopi. 784

XVIII. Ex regula Fructuosi. 785

XIX. Ex regula cujusdam. 787
XX. Ex regula Orientalium. 788
XXI-XXIII. Ex regula sancti Basilii. 788
XXIV. Ex regula cujusdam. 789
XXV. Ex regula sancti Isidori. 790
CAPUT VI. — *De adhibendis ad consilium fratribus.* 791
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 791
II, III. Ex regula sancti Pachomii. 793
IV-VI. Ex regula sancti Basilii. 794
VII. Ex regula sancti Aureliani. 795
VIII. Ex regula Orientali. 795
IX. Ex regula Patrum. 795
X. Ex regula Pauli et Stephani. 796
XI. Ex regula cujusdam Patris. 796
XII. Ex regula sancti Columbani. 797
CAPUT VII. — *Quæ sunt instrumenta bonorum operum.* 797
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 797
II Ex regula sancti Macarii. 805
III IX. Ex regula sancti Basilii. 806
X, XI. Ex regula sancti Isidori. 808
XII. Ex regula sancti Pachomii. 810
XIII. Ex regula sancti Ferreoli. 810
XIV-XVII. Ex regula Aureliani. 811
XVIII. Incipiunt gesta a beato Augustino quando sibi successorem elegit. 812
XIX. Ex doctrina sancti Orsiesii. 814
XX-XXII. Ex regula Magistri. 815
CAPUT VIII. — *De obedientia.* 815
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 815
II. Ex regula Patrum. 817
III, IV. Ex regula sancti Columbani. 818
V. Ex regula sancti Ferreoli. 819
VI. Ex regula cujusdam Patris. 820
VII Ex regula Magistri. 820
VIII. Ex regula sancti Basilii. 824
IX. Ex regula sancti Fructuosi. 824
CAPUT IX. — *De taciturnitate.* 823
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 823
II, III. Ex regula sancti Basilii. 826
IV. Ex regula sancti Pachomii. 827
V Ex regula Pauli et Stephani. 827
VI. Ex regula sancti Columbani. 828
VII. Ex regula cujusdam. 828
VIII, IX. Ex regula Magistri. 829
X. A D nato collecta. 833
CAPUT X. — *De humilitate.* 833
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 833
II. Ex regula sancti Basilii. 835
III. Ex regula sancti Columbani. 836
CAPUT XI. — *De primo gradu humilitatis.* 837
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 837
II. Ex regula Cassiani. 840
CAPUT XII. — *De secundo gradu humilitatis.* 841
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 841
II. Ex regula Cassiani. 842
CAPUT XIII. — *De tertio gradu humilitatis.* 841
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 841
II, III. Ex regula sancti Basilii. 841
IV-VI. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 843
CAPUT XIV. — *De quarto gradu humilitatis.* 845
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 843
II Ex regula sancti Macarii. 845
III. Ex regula sancti Basilii. 843
IV. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 846
V. Ex regula Cassiani. 846
CAPUT XV. — *De quinto gradu humilitatis.* 845
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 845
II-IV. Ex regula sancti Basilii epi-copi. 846
V. Ex regula sancti Isidori episcopi. 848
VI Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 848
VII. Ex regula Cassiani. 849
VIII. Ex regula Magistri. 849
IX. Ex regula cujusdam. 852
X. Ex regula Donati. 854
XI. Ex regula cujusdam. 854
XII. Quod factum sit in monasterio Eviriacas. 855
CAPUT XVI. — *De sexto gradu humilitatis.* 857
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 857
II. Ex regula sancti Basilii. 857
III. Ex regula sancti Cassiani 858
CAPUT XVII. — *De septimo gradu humilitatis.* 859
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 859
II. Ex regula Cassiani. 859
CAPUT XVIII. — *De octavo gradu humilitatis.* 859
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 859
II. Ex regula sancti Cassiani. 861
CAPUT XIX. — *De nono gradu humilitatis.* 861
§ I. Ex regula sancti Ferreoli. 861
II. Ex regula Ferreoli. 861
CAPUT XX. — *De decimo gradu humilitatis.* 861
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 861
II. Ex regula sancti Basilii. 863
III. Ex regula sancti Ferreoli. 863
IV. Ex regula sancti Cassiani. 864
CAPUT XXI. — *De undecimo gradu humilitatis.* 863
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 863
II. Ex regula sancti Basilii. 865
III. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 866
CAPUT XXII. — *De duodecimo gradu humilitatis.* 865
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 865
II. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 867
III, IV. Ex regula sancti Cassiani. 867
V. Ex regula sancti Basilii. 870
CAPUT XXIII. — *De officiis divinis in noctibus.* 871
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 871
II. Ex libro II Institutionum. 873
III. Ex libro III Institutionum. 874
IV. Ex regula sancti Cassiani. 874
V. Ex regula sancti Aureliani episcopi. 875
VI. Ex regula Magistri. 875
VII. Ex regula sancti Isidori. 878
VIII. Ex regula sancti Aureliani. 881
IX. Ex regula sancti Columbani 881
APPENDICES AD CAPUT XXIII. 885
Monitum J. Garnerii. 885
Appendix prima. — Quanti psalmi dicendi sunt in noctibus. 885
Appendix II. — Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus. 890
Appendix III. — Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur. 891
Appendix IV. — Qualiter matutinorum solemnitas agatur. 894
Appendix V. — Qualiter privatis diebus matutini agantur. 895
Appendix VI. — In natalitiis sanctorum qualiter agantur vigiliæ. 898
Appendix VII. — Quibus temporibus dicatur Alleluia. 898
CAPUT XXIV. — *Qualiter divina opera per diem agantur.* 899
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 899
II. Ex regula Magistri. 903
III. Ex regula sancti Cassiani. 907
IV. Ex regula sancti Fructuosi. 909
Appendix prima. — Quanti psalmi per easdem horas dicantur. 912
Appendix II. — Quo ordine psalmi dicendi sunt. 915
CAPUT XXV. — *De disciplina psallendi.* 915
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 915
II. Cassiodori, de psalmodia. 917
III-VI. Ex regula sancti Basilii. 917
VII, VIII. Ex regula sanctorum Pauli et Stephani. 919
IX, X. Ex regula sancti Aureliani. 919
XI. Tractatus beati Augustini de eo quod scriptum est in Evangelio : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo* (Matth. XVIII). 920
XII. Ex regula sancti Cassiani. 924
XIII. Ex regula sancti Cæsarii. 925
XIV-XVI. Dicta Cæsariæ. 925
XVII. Ex regula Magistri. 927
CAPUT XXVI. — *De reverentia orationis.* 927
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 927
II, III. Ex regula sancti Basilii. 931
IV. Ex regula Magistri. 931
V. Ex regula Patrum. 932
VI, VII. Ex regula sancti Cassiani. 934
CAPUT XXVII. — *De præposito monasterii* 935
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 935
II, III. Ex regula sancti Fructuosi. 937
IV. Ex regula sancti Ferreoli. 940
V, VI. Ex regula Tarnatensi. 941
VII-IX. Ex regula Orientali. 942
X-XII. Ex regula sancti Pachomii. 944
XIII. Ex regula sancti Isidori. 946
XIV. Ex regula sancti Augustini. 947
XV. Ex regula sancti Orsiesii. 947
XVI. Ex regula cujusdam. 948
CAPUT XXVIII. — *De necessariis monasterii.* 949
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 949
II. Ex regula Magistri. 951
III, IV. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 958
V. Ex regula sancti Cassiani. 962
VI. Ex regula Orientali. 962

CAPUT XXIX. — *Quomodo dormiant monachi.* 963
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 963
II. Dicta sancti Augustini ex libro de Civitate Dei. 963
III, IV. Ex regula Magistri. 966
V. Ex regula sancti Isidori. 969
VI. Ex regula sancti Fructuosi. 969
VII. Ex regula sancti Ferreoli. 970
VIII. Ex regula cujusdam. 971
CAPUT XXX. — *De excommunicatione culparum.* 973
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 973
II-VIII. Ex præceptis et institutis beati Pachomii. 973
IX-XI. Ex regula sancti Basilii. 977
XII. Ex regula sancti Isidori. 979
XIII. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 980
XIV. Ex regula Orientali. 980
XV. Ex regula cujusdam. 981
XVI. Ex regula sancti Cæsarii. 981
XVII. Ex regula sancti Columbani. 982
XVIII. Ex regula sancti Basilii. 982
XIX Ex regula sancti Augustini. 983
XX. Ex regula Pauli et Stephani. 984
CAPUT XXXI. — *Qualis debet esse modus excommunicationis.* 985
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 985
II. Ex regula Patrum. 985
III, IV. Ex præceptis et institutis sancti Pachomii. 986
V. Ex libro Institutionum. 986
VI-VIII. Ex regula sancti Basilii. 988
IX. Ex regula sancti Isidori episcopi. 989
X. Ex regula sancti Fructuosi. 991
XI. Ex regula cujusdam. 992
XII. Ex regula sancti Aureliani. 992
XIII-XV. Ex regula sancti Ferreoli. 992
XVI. Ex præceptis et institutis sancti Pachomii. 995
XVII-XX. Ex regula sancti Columbani. 995
XXI. Ex regula cujusdam. 996
XXII. Ex regula sancti Basilii. 997
XXIII. Ex regula sancti Isidori. 997
XXIV. Ex regula Tarnatensi. 997
XXV, XXVI. Ex regula sancti Aureliani. 998
CAPUT XXXII.—*De gravioribus culpis.* 999
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 999
II. Ex regula Patrum. 999
III. Ex regula sancti Ferreoli. 1000
IV. Ex regula sancti Fructuosi 1000
V. Ex regula cujusdam. 1001
VI, VII. Ex regula Magistri. 1002
VIII-X. Ex regula sancti Cæsarii. 1007
XI. Ex regula sancti Ferreoli. 1009
CAPUT XXXIII.—*De his qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.* 1009
§ I. — Ex regula sancti Benedicti. 1009
II. Ex regula sancti Isidori. 1011
III. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 1013
IV. Ex regula Magistri. 1013
CAPUT XXXIV.—*De his qui sine jussione abbatis junguntur excommunicatis.* 1015
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1015
II. Ex regula sancti Isidori episcopi. 1015
III. Ex regula sancti Fructuosi episcopi. 1016
IV. Ex regula sancti Aureliani. 1017
V. Ex regula Cassiani. 1017
VI. Ex regula Tarnatensi. 1018
VII. Ex regula Magistri. 1018
VIII. Ex regula cujusdam. 1018
CAPUT XXXV.—*Qualiter debeat abbas sollicitus esse circa excommunicatos.* 1017
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1017
II. Ex regula sancti Fructuosi. 1019
III. Ex libro Gregorii Nazianzeni. 1021
IV-VII. Ex libro sancti Augustini de pastoribus. 1021
CAPUT XXXVI.—*De his qui in aliis quibuslibet rebus delinquunt.* 1025
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1025
II. Ex regula sancti Cassiani. 1026
III. Ex regula cujusdam. 1027
IV. Ex regula a Domato collecta. 1028
V. Ex regula Tarnatensi. 1028
VI. Dicta sancti Bedæ. 1028
CAPUT XXXVII.—*De his qui sæpius correpti non emendaverint.* 1029
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1029
II, III. Ex regula Magistri. 1031
IV. Ex regula sancti Isidori. 1033
V-VII. Ex regula sancti Basilii. 1033
VIII. Ex regula sancti Isidori. 1034
IX. Ex regula sancti Fructuosi. 1034
X. Ex regula Orientali. 1034
XI. Ex regula Magistri. 1034
XII, XIII. Ex regula cujusdam. 1035
CAPUT XXXVIII.—*Si debeant fratres exemtes de monasterio iterum recipi.* 1035
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1035
II. Ex præceptis et institutis sancti Pachomii. 1037
III. Ex regula sancti Fructuosi. 1037
IV. Ex regula Magistri. 1038
V. Ex regula cujusdam. 1038
VI. Ex regula sancti Pachomii. 1039
VII. Ex regula sancti Ferreoli. 1039
CAPUT XXXIX.—*De pueris minori ætate, qualiter corripiatur.* 1039
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1039
II. Ex regula sancti Isidori. 1041
III, IV. Ex regula sancti Aureliani. 1041
V. Ex regula Magistri. 1042
CAPUT XL.—*De cellarario monasterii, qualis sit.* 1041
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1041
II. Ex regula Patrum. 1045
III. Ex regula sancti Isidori. 1046
IV-VI. Ex regula sancti Basilii. 1047
VII. Ex regula Pauli et Stephani. 1048
VIII. Ex regula Tarnatensi. 1048
IX. Ex regula Orientali. 1048
X. Ex regula Magistri. 1049
XI. Ex regula cujusdam. 1052
CAPUT XLI.—*De ferramentis et rebus monasterii.* 1053
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1053
II. Ex regula Patrum. 1053
III, IV. Ex regula sancti Pachomii. 1054
V-VIII. Ex regula sancti Basili 1054
IX. Ex regula sancti Isidori. 1055
X. Ex regula Fructuosi. 1056
XI. Ex regula Magistri. 1056
XII. Ex regula cujusdam. 1058
CAPUT XLII. — *Si quid debeant monachi proprium habere.* 1057
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1057
II. Ex doctrina Orsiesii. 1059
III. Ex regula sancti Pachomii. 1060
IV-VII. Ex regula sancti Basilii. 1060
VIII. Ex regula sancti Augustini. 1062
IX. Ex regula sanctorum Pauli et Stephani. 1062
X, XI. Ex regula sancti Isidori. 1062
XII-XIV. Ex regula sancti Fructuosi. 1063
XV. Ex regula sancti Ferreoli. 1063
XVI. Ex regula sancti Aureliani. 1064
XVII, XVIII. Ex regula sancti Cassiani. 1064
XIX. Ex regula Orientali. 1065
XX. Ex regula cujusdam. 1065
XXI Ex regula Magistri. 1065
XXII. Ex regula sancti Cæsarii episcopi. 1067
XXIII. Ex regula cujusdam. 1067
CAPUT XLIII. — *Si omnes æqualiter debeni necessaria accipere.* 1067
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1067
II. Ex regula sancti Basilii. 1069
III, IV. Ex regula sancti Augustini. 1069
V. Ex regula sancti Ferreoli. 1070
VI, VII. Ex regula Tarnatensi. 1071
CAPUT XLIV. — *De septimanariis coquinæ.* 1073
§ I Ex regula sancti Benedicti. 1073
II, III. Ex regula sancti Isidori. 1075
IV-VI. Ex regula Cassiani. 1075
VII-IX. Ex regula Magistri. 1078
X. Ex regula cujusdam. 1082
XI. Ex regula sancti Cæsarii episcopi 1082
CAPUT XLV. — *De infirmis fratribus.* 1083
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1083
II-VII. Ex regula sancti Pachomii. 1085
VIII. Ex regula sancti Fructuosi. 1087
IX, X. Ex regula sancti Basilii. 1087
XI. Ex regula sancti Isidori. 1088
XII-XVII. Ex regula sancti Augustini. 1088
XVIII. Ex regula sancti Aureliani. 1091
XIX, Ex regula Tarnatensi 1091
XX-XXII. Ex regula sancti Cæsarii episcopi 1091
XXIII. Ex regula sancti Aureliani. 1091
XXIV. Ex regula sancti Fructuosi. 1092
XXV. Ex regula cujusdam. 1092
XXVI, XXVII. Ex regula Magistri. 1093
XXVIII, XXIX. Ex regula Patrum. 1095
CAPUT XLVI. — *De senibus vel infirmibus.* 1095
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 095
II. Ex regula magistri. 1097
III. Ex regula sancti Cæsarii episcopi. 1098

IV, V. Ex regula sancti Fructuosi. 1098
VI. Ex regula sancti Isidori. 1101
VII. Ex regula Magistri. 1101
VIII. Ex regula cujusdam. 1101
CAPUT XLVII. — *De hebdomadario lectore.* 1101
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1101
II. Ex regula Patrum. 1105
III-VI. Ex regula sancti Pachomii. 1105
VII. Ex regula sancti Isidori. 1107
VIII. Ex regula sancti Fructuosi. 1107
IX. Ex regula sancti Aurelii episcopi. 1108
X. Ex regula beati Cassiani. 1108
XI. Ex regula Tarnatensi. 1108
XII. Ex regula Orientalium. 1109
XIII. Ex regula Magistri. 1109
XIV. Ex regula cujusdam. 1112
CAPUT XLVIII. — *De mensura ciborum.* 1111
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1111
II. Ex regula sancti Columbani. 1117
III-V. Ex regula sancti Isidori. 1119
VI. Ex regula sancti Ferreoli episcopi. 1119
VII, VIII. Ex regula sancti Aureliani. 1119
IX. Ex regula Magistri. 1120
X. Ex regula cujusdam. 1122
XI. Ex regula sancti Fructuosi. 1123
XII-XVI. Ex regula sancti Basilii. 1124
XVII. Ex regula cujusdam. 1128
CAPUT. XLIX. — *De mensura potus.* 1129
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1129
II. Ex regula sancti Fructuosi. 1131
III. Ex regula alterius Fructuosi. 1131
IV. Ex regula sancti Ferreoli. 1131
V. Ex regula Magistri. 1132
CAPUT L. — *Quibus horis oportet reficere.* 1137
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1137
II-IV. Ex regula sancti Isidori. 1139
V. Ex regula sancti Fructuosi. 1141
VI. Ex regula sancti Aureliani. 1142
VII. Ex regula Cassiani. 1144
VIII. Ex regula Magistri. 1144
CAPUT LI. — *Ut post completorium nemo loquatur.* 1145
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1145
II. Ex regula sancti Pachomii. 1147
III. Ex regula sancti Isidori. 1148
IV. Ex regula sancti Fructuosi. 1148
V, VI. Ex regula Orientalium. 1149
VII. Ex regula Magistri. 1149
VIII. Ex regula cujusdam. 1150
IX. Ex regula sancti Aureliani. 1152
CAPUT LII.—*De his qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt.* 1151
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1151
II. Ex regula Patrum. 1154
III. Ex regula aliorum Patrum. 1155
IV-IX. Ex regula sancti Pachomii. 1155
X, XI. Ex regula sancti Aureliani. 1156
XII-XIV. Ex regula Magistri. 1157
XV-XVII. Ex regula sancti Fructuosi. 1159
XVIII-XX. Ex regula Pauli et Stephani. 1160
XXI, XXII. Ex regula sancti Isidori. 1161
XXIII-XXV. Ex regula sancti Basilii. 1161
XXVI-XXIX. Ex regula Cassiani. 1162
XXX. Ex regula Tarnatensi. 1163
XXXI. Ex regula cujusdam Patris. 1163
XXXII. Ex regula sancti Cæsarii. 1164
XXXIII. Ex regula sancti Aureliani. 1164
XXXIV Ex regula cujusdam. 1164
CAPUT LIII. — *De his qui falluntur in oratorio.* 1165
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1165
II. Ex regula Pauli et Stephani. 1167
CAPUT LIV. — *De significanda hora operis Dei.* 1167
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1167
II. Ex regula sancti Isidori. 1169
III. Ex regula Fructuosi. 1169
IV. Ex regula Cassiani. 1170
V, VI. Ex regula sancti Basilii. 1171
VII. Ex regula Macarii.
VIII. Ex regula Aureliani episcopi. 1172
IX. Ex regula Patrum. 1173
X. Ex regula Pauli et Stephani. 1174
XI. Ex regula cujusdam. 1174
CAPUT LV. — *De opere manuum quotidiano.* 1175
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1175
II, III. Ex regula sancti Macarii. 1181
IV-VI. Ex regula Patrum. 1182
VII-XI. Ex regula Pachomii. 1183
XII. Ex regula sancti Basilii. 1183
XIII-XVI. Ex regula Stephani. 1185
XVII. Ex regula sancti Isidori. 1185
XVIII Ex regula sancti Fructuosi. 1188
XIX, XX. Ex regula sancti Ferreoli. 1189
XXI-XXIV. Ex regula Cassiani. 1191
XXV. Ex regula Tarnatensi. 1192
XXVI. Ex regula cujusdam Patris. 1193
XXVII. Ex regula Fructuosi. 1195
XXVIII. Ex regula sancti Augustini. 1196
CAPUT LVI. — *De quadragesimæ observatione.* 1195
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1195
II, III. Ex regula sancti Basilii. 1197
IV. Ex regula Magistri. 1198
V. Item Bedæ. 1204
CAPUT LVII. — *De fratribus qui longe ab oratorio laborant aut in via sunt.* 1205
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1205
II. Ex regula sancti Pachomii. 1205
III. Ex regula sancti Basilii. 1205
IV. Ex regula Magistri. 1206
V. Ex regula Stephani. 1208
CAPUT LVIII. — *De fratribus qui longe satis proficiscuntur.* 1209
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1209
II. Ex regula Patrum. 1211
III. Ex regula Magistri. 1211
CAPUT LIX. — *De oratorio monasterii.* 1215
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1215
II, III. Ex regula sancti Augustini. 1213
IV. Ex regula Tarnatensi. 1214
V. Ex regula Magistri. 1215
CAPUT LX. — *De hospitibus suscipiendis.* 1215
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1215
II. Ex regula Macarii. 1219
III. Ex regula Patrum. 1219
IV. Ex regula sancti Pachomii. 1219
V. Ex regula Macarii. 1219
VI. Ex regula Fructuosi. 1220
VII, VIII. Ex regula sancti Isidori. 1220
IX. Ex regula Tarnatensi. 1221
X, XI. Ex regula Magistri. 1221
CAPUT LXI. — *Si debeat monachus litteras, eulogias, seu aliquid accipere.* 1225
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1225
II. Ex doctrina sancti Orsiesii. 1225
III. Ex regula sancti Basilii. 1225
IV, V. Ex regula sancti Augustini. 1226
VI-VIII. Ex regula sancti Isidori. 1226
IX. Ex regula sancti Fructuosi. 1227
X, XI Ex regula sancti Aureliani. 1227
XII. Ex regula Tarnatensi. 1228
XIII. Ex regula Orientali. 1228
XIV. Ex regula a Donato collecta. 1229
CAPUT LXII. — *De vestiariis et calcearils fratrum.* 1229
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1229
II. Ex regula Patrum. 1237
III. Ex regula sancti Pachomii. 1238
IV-VIII. Ex regula sancti Basilii 1239
IX. Ex regula sancti Augustini. 1242
X-XII. Ex regula sancti Isidori. 1243
XIII. Ex doctrina sancti Orsiesii. 1245
XIV-XVI. Ex regula sancti Ferreoli. 1246
XVII, XVIII. Ex regula sancti Fructuosi. 1248
XIX, XX. Ex regula sancti Aureliani. 1249
XXI. Ex regula Cassiani. 1250
XXII. Ex regula Tarnatensi. 1251
XXIII-XXVI. Ex regula sancti Pachomii. 1251
XXVII. Ex regula Stephani. 1252
XXVIII Ex regula Magistri. 1252
CAPUT LXIII. — *De mensa abbatis.* 1255
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1255
II. Ex regula Magistri. 1257
III. Ex regula Patrum. 1259
IV. Ex regula sancti Fructuosi. 1260
CAPUT LXIV. — *De artificibus monasterii.* 1259
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1259
II. Ex regula Macarii. 1260
III. Ex regula Cassiani. 1260
IV. Ex regula Magistri. 1260
V. Ex regula sancti Hieronymi. 1262
VI-VII. Ex regula sancti Basilii. 1262
CAPUT LXV. — *De disciplina suscipiendorum fratrum.* 1261
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1261
II. Ex regula Patrum. 1270
III. Ex regula aliorum Patrum. 1270
IV. Ex regula sancti Macarii. 1272
V, VI. Ex regula sancti Pachomii. 1272

VII-IX. Ex regula sancti Basilii. 1275
X. Ex regula sancti Isidori. 1275
XI. Ex regula Ferreoli. 1276
XII-XVI. Ex regula sancti Fructuosi. 1277
XVII. Ex regula Tarnatensi. 1284
XVIII-XXIV. Ex regula Cassiani. 1285
XXV. Ex regula Orientali. 1287
XXVI-XXIX. Ex regula Magistri. 1288
XXX, XXXI. Ex regula sancti Aureliani. 1300
CAPUT LXVI. — *De filiis nobilium et pauperum qui offerunter.* 1301
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1301
II. Ex regula sancti Basilii. 1306
III. Ex regula sancti Isidori. 1308
IV, V. Ex regula sancti Aureliani. 1308
VI. Ex regula Magistri. 1309
CAPUT LXVII. — *De sacerdotibus qui forte voluerint in monasterio habitare.* 1313
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1313
II. Ex regula Magistri. 1315
CAPUT LXVIII. — *De monachis peregrinis, qualiter susciplantur.* 1315
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1315
II, III. Ex regula Patrum. 1320
IV. Ex regula sancti Basilii. 1321
V. Ex regula sancti Ferreoli. 1322
CAPUT LXIX. — *De sacerdotibus monasterii.* 1323
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1323
II. Ex regula sancti Aurelii. 1325
III. Ex dictis sancti Hieronymi. 1326
CAPUT LXX. — *De ordine congregationis.* 1325
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1325
II. Ex regula sancti Basilii. 1329
III. Sancti Hieronymi. 1351
IV. Ex regula sancti Isidori. 1331
V, VI. Ex regula sancti Fructuosi. 1331
VII. Ex regula cujusdam. 1333
CAPUT LXXI. — *De ostiariis monasterii.* 1333
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1335
II. Ex regula Orientali. 1337
III. Ex regula Magistri. 1337
IV, V. Ex regula cujusdam. 1339
VI. Ex regula Orientali. 1342
VII-IX. Ex regula sancti Isidori. 1342
X. Ex regula sancti Augustini. 1343
XI. Ex regula Aurelii episcopi. 1343
XII-XIV. Ex regula sancti Pachomii. 1343
XV. Ex regula Pauli et Stephani. 1344
XVI. Ex regula Tarnatensi. 1344
XVII. Ex regula Pachomii. 1344
CAPUT LXXII. — *De fratribus in via directis.* 1345
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1345
II. Ex regula Patrum. 1345
III-XII. Ex regula sancti Pachomii. 1346
XIII-XVI. Ex regula sancti Basilii. 1348
XVII. Ex regula sancti Stephani. 1349
XVIII. Ex regula Ferreoli. 1349
XIX. Ex regula Cassiani. 1350
XX. Ex regula Tarnatensi. 1350
XXI. Ex regula Orientali. 1350
XXII. Ex regula sancti Isidori. 1351
XXIII-XXIX. Ex regula Magistri. 1352
XXX. Ex regula sancti Cæsarii. 1358
CAPUT LXXIII. — *Ut fratri impossibilia injungantur.* 1357
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1357
II, III. Ex regula sancti Basilii 1357
IV. Ex regula Cassiani. 1360
CAPUT LXXIV. — *Ut in monasterio non præsumat alter alterum defendere.* 1359
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1359
II Ex præceptis sancti Pachomii. 1360
III. Ex doctrina sancti Orsiesi. 1361
IV-VI. Ex regula sancti Basilii. 1363
VII, VIII. Ex regula Orientalium. 1364
IX. Ex regula Patrum. 1364
X. Ex regula sancti Columbani. 1365
CAPUT. LXXV. — *Ut non præsumat passim quisquam alium cædere.* 1365
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1365
II. Ex regula Ferreoli. 1366
III. Ex regula sancti Aureliani. 1367
IV. Ex regula Orientali. 1367
V. Ex regula Magistri. 1368
VI. Ex regula sancti Cæsarii. 1368
VII. Ex regula sancti Isidori. 1368
CAPUT LXXVI. — *Ut obedientes sibi alter alterum fratres.* 1367
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1367
II-XI. Ex regula sancti Basilii. 1369
XII. Ex regula Patrum. 1373
XIII, XIV. Ex regula cujusdam. 1373
XV. Ex regula Fructuosi. 1374
XVI. Ex regula Ferreoli. 1375
XVII. Ex regula Aureliani. 1375
XVIII, XIX. Ex regula Tarnatensi. 1376
XX. Ex regula sancti Columbani. 1376
CAPUT LXXVII. — *De zelo bono quem debent monachi habere.* 1377
§ I. Ex regula sancti Benedicti. 1377
II-IV. Ex regula sancti Basilii. 1378
SANCTI BENEDICTI EPISTOLÆ. 1379
EPISTOLA PRIMA. Ad monachos Anianenses. — Scripta in extremis. 1379
EPIST. II. Ad Nebridium archiepiscopum. 1381
SANCTI BENEDICTI OPUSCULA. 1381
I. — Testimoniorum mubecula de incarnatione Domini, et sancta et individua Trinitate, et iterationis baptismatis devitanda pernicie. 1381
II. — Disputatio Benedicti levitæ adversus Felicianam impietatem. 1399
III. 1411
IV. — Confessio fidei Benedicti levitæ etsi peccatoris nonnunquam erronei, tamen fovere isto fidei inexhausto fidenti. 1414
V. — Excerptus diversarum modus pœnitentiarum a Benedicto abbate (Anianensi) distinctus de regulæ sancti Benedicti abbatis. 1417
CHARTÆ ANIANENSES. 1419
I. — Præceptum Caroli Magni pro monasterio Anianensi. 1419
II. — Præceptum Ludovici Pii imperatoris pro eodem monasterio. 1421
III-XVI. — Ejusdem pro eodem monasterio. 1422
INDEX RERUM ET VERBORUM QUÆ IN SANCTI BENEDICTI ANIANENSIS CONCORDIA REGULARUM CONTINENTUR. 1439

FINIS TOMI CENTESIMI TERTII.